COMPENDIUM
THEOLOGIAE MORALIS

P. IOANNIS PETRI GURY S. I.

AB AUCTORE RECOGNITUM

ET

ANTONII BALLERINI

EIUSDEM SOCIETATIS

IN COLLEGIO ROMANO PROFESSORIS

ADNOTATIONIBUS LOCUPLETATUM

EDITIO SEPTIMA

NOVIS CURIS EXPOLITIOR ET AUCTIOR
PRAESERTIM RESPONSIONIBUS AD VINDICIAS ALPHONSIANAS

TOMUS SECUNDUS

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
MDCCCLXXXII.

Cum opus, cui titulus est *Compendium Theologiae moralis P. Ioannis Petri Gury S. I. ab Auctore recognitum et Antonii Ballerini eiusdem Societatis in Collegio romano Professoris adnotationibus locupletatum,* etc. aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae, 15 Octobris 1874.

PETRUS BECKX Praep. Generalis Soc. Iesu.

REIMPRIMATUR

P. Fr. Raph. A. Salini O. P. S. P. A. Pro-Mag.

REIMPRIMATUR

Iulius Lenti Archiep. Siden. Vicesg.

COMPENDIUM
THEOLOGIAE MORALIS

TRACTATUS
DE STATIBUS PARTICULARIBUS

Agendum de statu 1° laicorum, 2° clericorum, 3° regularium.

PARS PRIMA
DE STATU LAICORUM

Iam in quarto Decalogi praecepto de variis et mutuis Superiorum et inferiorum officiis sermonem fecimus. In praesenti vero Tractatu de officiis, quae ad bonum publicum spectant, et imprimis de forensibus, nobis dicendum est. Hinc

Agendum 1° de obligationibus iudicum; 2° advocatorum et procuratorum; 3° apparitorum; 4° scribarum et notariorum ; 5° accusatoris et rei; 6° testium; 7° medicorum, chirurgorum et pharmacopolarum; 8° custodum; 9° artificum et opificum.

Obligationes vero mercatorum et aliorum huiusmodi hominum satis intelliguntur ex iis , quae de iustitia et contractibus disseruimus.

CAPUT I.
DE OBLIGATIONIBUS IUDICUM

1. — Iudex est persona publica, per legitimam auctoritatem constituta (*a*), ut secundum leges iustitiam vindicet, et in delinquentes debitas poenas decernat.

(*a*) Per hoc distinguitur iudex ab arbitro, qui non publica auctoritate, sed spontanea partium contendentium electione iudicandi officium assumit.

Principia. — I. Iudex tenetur ex quasi-contractu cum societate ad munus suum rite adimplendum: quod nisi praestet, reus erit violatae iustitiae tum legalis, tum etiam commutativae.

II. Ut officio suo recte fungi iudex possit, habere debet 1° intelligentiam officio parem, ut causas intricatas introspicere valeat; 2° scientiam sufficientem et sagacitatem, ut omnium adiunctorum tum iuris tum facti rationem habeat (*a*); 3° integritatem incorruptibilem, ut nec amori nec odio cedat.

III. Iudex tenetur sententiam ferre secundum leges et ordinem a legibus determinatum: non enim constituitur ad leges mutandas aut reformandas, sed ad eas executioni mandandas (*b*). Excipe casum specialem, in quo iudici mens legis potius sequenda sit, quam cortex verborum; tum vero et aetatis ratio habenda est, et conditionis ac fortunae illius, cui poenam imponere debet (*c*).

IV. In causa dubia has teneat regulas:

1° In *criminalibus* reo favendum est (*d*), nisi de crimine constet. — *Reg. iur. can. 11. in 6°.*

2° In dubio de *proprietate* simul et de *possessione* iuxta rationes probabiliores iudicandum est, ut constat ex iure naturali et propos. 2ª damnata ab *Innoc. XI*, quae sic sonat: *Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.* Si autem rationes sint ex utraque parte aeque probabiles, res dividenda est (*e*).

(*a*) Peccat mortaliter quisquis petat aut suscipiat iudicis officium, cui se ita imparem noscat, ut praevideat probabiliter grave proximi damnum secuturum. Sive autem conscius sive inscius inopiae suae id egerit, absolvi non debet, nisi facta renuntiatione officii, vel nisi firmum habeat propositum renunciandi, aut certe (si spes sit, eum habilem studendo evasurum) interim inopiae suae supplendi adhibitis consiliis et opera alterius tum ingenio tum scientia praediti. *S. Alphonsus, Lib. 4. n. 195.*

(*b*) Haec valent de iudice *inferiori*, qui ordinarie non potest poenam relaxare vel minuere, etiamsi actor consentiat, nisi aliquando ad bonum reipublicae secus faciendum dictaret epicheia, vel nisi de privata tantum iniuria actoris ageretur. Id tamen potest iudex supremus iusta de causa; quae si desit, graviter peccaret, quia animaret delinquentes, et concurreret ad peccatum. *S. Alphonsus, Lib. 4. n. 205.*

(*c*) Harum circumstantiarum ratio habetur in ipsis legibus. Quocirca neque in his adiunctis res arbitrio iudicis plene relinquitur.

(*d*) Hoc intellige tum de reatus existentia, tum de poenarum meritis.

** (*e*) Silentio praeterire Gury non debuit aliam sententiam, quam amplexi sunt plures (*Vid. Lugo, De Iust. Disp. 37. n. 114. 115.*) iique, ut inquiunt Salmanticenses (*Tr. 29. Cap. 1. n. 41.*), *gravissimi Doctores*, et quam sic effert Lugo (*l. c.*): *Quando utraque sententia est aeque probabilis, iudex melius quidem faciet procurando partes ad concordiam reducere; absolute tamen potest alteram ex illis eligere.* Et Sanchez (*Dec. Lib. 1. Cap. 9. n. 45.*): *Verius est, integrum esse iudici, quam maluerit, opinionem eligere, et secundum eam iudicare: immo, cessante scandalo, nunc secundum unam, nunc secundum aliam.* Dixi, hanc sententiam non fuisse silentio praetereundam; quippe oppositam, quam solam Gury proponit, vel ipsi Salmanticenses (*l. c. n. 42.*) mere habent ceu sibimet *probabiliorem.* Illud etiam non omittendum, pro ista Salmanticensium et Gury sen-

4° In dubio de *sola proprietate*, pro certo possessore standum est. Constat ex reg. Iur.: *In pari delicto vel causa* (*a*), *melior est conditio possidentis.* — *S. Lig. n. 210.*

2. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An iudex damnare possit reum, quem privata tantum scientia sontem cognoscit, aut innocentem, qui iuridice nocens convincitur?*

Resp. ad 1um *Neg.* prorsus iuxta *omnes.* Ratio est, quia iudex tenetur iudicare secundum allegata, et iuxta formas lege praescriptas. Nullum enim periculum est in dimittendo aliquando sontem occultum, dum magnum foret in violando statutas iudicii formas (*b*).

Resp. ad 2um valde controvertitur. *Affirmat S. Thomas 2. 2.*

tentia S. Alphonsum allegasse etiam *Villalobos, Prado, Sayrum etc.*, quippe quos citatos a Salmanticensibus reperit. Verum hos Auctores, aliosque, quos tacite S. Alphonsus subindicat, Salmanticenses (*l. c.*) afferebant non ubi quaestio est *de aequali probabilitate ex parte iuris*, sed ubi *aequalis probabilitas est ex parte facti.* Nam ubi de aequali probabilitate iuris sermo est, etiam Salmanticenses (*Ibid. n. 41.*) praedictos Auctores cum Lugo et Sanchesio contra Gury sentire fatentur.

Caeterum, quamcumque demum in hac quaestione opinionem praeferas, bene monent VV. (*Pag. 926.*), *excipiendum*, ut habet S. Alphonsus (*Lib. 4. n. 410.*), *si agatur de causis matrimonii, dotis, viduae, pupilli, et aliis causis piis; nam tunc pro iis iudicandum, cum iura sunt aequalia, etiamsi sint actores ex C. final. De sentent. et re iudicata.* Fateri tamen oportet, hinc difficultatem oriri contra opinionem Gury, quam alioquin S. Alphonsus (*l. c.*) omnino tenendam dicit, nempe generatim inter partes rem esse dividendam. Pro hac sententia S. Alphonsus post Roncaglia et Reiffenstuel rationem affert, *quia iudex non est dominus rerum, sed distributor, et* (ut ait Reiffenstuel) *iustitiae administer iuxta iura partium; et ideo si iura sunt aequalia, aequaliter inter eas rem dividere debet.* At enim dum Ius Canonicum, a S. Alphonso allegatum, praecipit, ut, si agitur *de viduis et pupillis*, pro his in casu iudicari debeat, numquid praecipit, ut iura iustitiae violentur? Et si fas non est id affirmare, et alioquin alterius partis ius nequaquam deperire per se dicendum est, quia aequale ius est pupilli aut viduae, quomodo, servatis iustitiae legibus, iudex non decernet rem dividendam, sed alteri parti rem integram potest adiudicare? Non ergo gratis *gravissimi*, aiunt Salmanticenses, et *quamplures* et *non exigui nominis theologi* (ut eos vocat Roncaglia *Tr. 15. Q. 2. C. 1. q. 9.*), parum aut nihil detulerunt argumento, quod et Roncaglia et Reiffenstuel, et post eos S. Alphonsus firmissimum putaverunt.

(*a*) Ut *par causa* dicatur, rationes utriusque partis debent esse aeque probabiles. Quod si rationes actoris sint *probabiliores*, regula ista iuris, fatente S. Alphonso, locum non habet; nec limites probabilitatis excedit opinio, licet communior, illorum, qui iudicem obligant ad ferendam pro possessore sententiam. *Vid. S. Alphonsus, Lib. 4. n. 210. Q. II.*

(*b*) Hoc intellige de iudice *inferiori*, qui in lege dispensare, maxime in re tanti momenti, non potest. Nam licet principi negetur potestas ex privata scientia aliquem occidendi, quando agitur de delicto, hoc tamen ipsi fas est, si agatur de impediendo malo, quod reipublicae immineat per aliquam personam. *Ita communis* apud Lugo *De Iust. Disp. 37. n. 50.* Insuper *loquendo de causis civilibus et de ablatione officiorum, etc. maior fortasse potestas inest principi ad hoc, ut ex scientia privata possit aliquando condemnare reum non convictum.* Ita Lugo (*l. c. n. 54.*), penes quem huius doctrinae rationes videris.

qu. 64. art. 6. — *Negat S. Bonaventura.* — *S. Ligorius n. 208.* utramque sententiam ut *probabilem* admittit, si agatur de causis civilibus, aut etiam criminalibus minoris momenti: si vero casus de criminalibus maioribus et praesertim de capitalibus occurrat, sententiam *S. Bonaventurae* rectiorem putat. Ratio est, quia in priori casu dici potest, saltem probabiliter, incommodum privatum debere bono communi cedere, cum tantum non sit. Secus autem in posteriori casu; ideoque tunc innocentem damnare intrinsece malum videtur (*a*).

3. — Quaer. 2° *An iudex munera pro ferenda sententia possit accipere?*

Resp. Neg. Hoc enim omni iure prohibetur; ac 1° Iure natu-

(*a*) *Tres sunt* (inquit Lugo *Disp. 37. n. 42.*) *potissimae in hoc puncto sententiae. Prima negat, unquam licere iudici proferre sententiam contra eum, quem certo scit esse innocentem. Secunda extreme contraria affirmat, posse iudicem semper proferre sententiam in qualibet causa iuxta allegata et probata. Hanc tenet S. Thomas,.... et Theologi ac Iuristae sine dubio in hanc partem communiter inclinant. Tertia sententia media distinguit de causis criminalibus in quibus agitur de poena vitae vel mutilationis, et in iis negat, licere iudici condemnare innocentem: in causis vero civilibus, vel ubi agitur de poena pecuniaria vel exilii, aut privationis officiorum, concedit licere.* Cuius postremae partis hanc rationem reddunt (*n. 44.*), *quia licet respublica non habeat dominium supra vitam et membra subditorum; habet tamen illud supra haec alia bona, ita ut adveniente iusta causa propter bonum commune possit de illis disponere, et auferre bona, privare officiis, expellere cives a civitate, etc. Ergo credibile est, dedisse hanc potestatem iudici ad eum finem, ut secundum leges ac probationes iudicetur, ne contemnatur ordo iudicialis, cuius observatio summopere conducit ad pacem et quietem reipublicae.* Quae quidem clarius definiunt et explicant doctrinam A., eiusque penitiorem rationem reddunt.

Iudicium autem Card. De Lugo de praefatis sententiis hoc est (*ibid. n. 45.*): *Inter has sententias secunda est valde probabilis propter auctoritatem S. Thomae et communem; tertia tamen habet rationes fortasse magis efficaces: nam licet non omnia eius argumenta probent,... aliqua tamen habent magnam vim.*

Rationes pro singulis hisce sententiis videre quisque per se potest penes eundem De Lugo; hic praestat ex eodem Auctore (*ibid. n. 41.*) subiicere, quae sunt extra controversiam: *Certum est in primis* (inquit), *eum iudicem teneri omnia media tentare, et omnem diligentiam adhibere ad liberandum reum illum. Primo, excogitando causas sufficientes ad repellendam accusationem. Secundo, maxima dexteritate examinando testes exemplo Danielis, interrogando circumstantias loci, temporis, etc. donec eos dissidentes inveniat. Tertio, poterit, si fieri possit sine scandalo, dissimulare in carceris custodia, ita ut innocens fugere possit. Quarto, remittere causam ad iudicem superiorem, et coram illo testificari innocentiam rei, quam ipse scit. Quinto, si iudex sit supremus princeps, poterit facilius reum absolvere de potestate absoluta, secundum quam potest princeps aliquando poenam debitam condonare.* Quorum summa e S. Thoma (*2. 2. q. 64. art. 6. ad 3., et q. 67. art. 2.*) deprompta est. Bene autem ex his concludit Lugo, *rarissime posse contingere, quod iudex non possit liberare eum, quem certo novit innocentem.*

tali, saltem aliquo modo (*a*), quia munera mentem obcaecant, et ad favendum donatori plus aequo impellunt: et hinc vitium acceptationis personarum; 2° Iure canon.; nam in 6° *(l. 1. tit. 3. c. 2.) Bonifacius VIII* statuit, ut iudices nec munus ullum, nec quidquid aliud accipiant, nisi forsan esculentum et poculentum mera liberalitate oblatum; 3° Consonat ius positivum tum Romanum, tum Gallicum. Sic in *art. 177. Cod. poenalis* omnis magistratuum corruptio per dona et promissiones gravibus poenis plectitur tum in corruptis, tum in corrumpentibus (*b*).

QUAER. 3° *An iudex teneatur ad restitutionem, si munera a litigantibus acceperit?*

Resp. Neg. probabiliter ante sententiam; quia etsi *illicite* agat munera acceptando, non peccat tamen contra iustitiam. — *Ita communius.— Lugo. — Lessius. — S. Antoninus. — Azor,* contra *alios,* qui etiam *probabiliter affirmant. — S. Ligor. n. 216.,* dicit utramque esse satis probabilem (*c*).

(*a*) Dicitur, *aliquo modo;* nam agitur tantummodo de tentatione, seu praevaricationis periculo, quod lex naturae removendum iubeat. Proinde S. Alphonsus (*Lib. 4. n. 216.*) solum dicit, peccari *aliquando.*

(*b*) Si peccat iudex recipiens munera, eo ipso peccat et quisquis illa offerat; cooperatur enim alterius peccato. Excipe tamen rudes, quos plerumque ignorantia excusat. Item excipe, si munera dentur ad redimendam iniustam vexationem, quando prudenter iniqua sententia secus timenda videatur: quae tamen debent restitui, et etiam repeti in iudicio post sententiam possunt. *S. Alphonsus* (*Lib. 4. n. 212.*) *cum communi.* Excipe etiam (praeter alios casus apud Lugo, *Disp. 37. n. 132.*) cum Laymann (*Lib. 3. Tr. 4. C. 4. n. 9.*), si iudex conductus sit absque stipendio sufficiente, vel si laborem augeat ad causam alicuius, sine aliorum damno, velocius expediendam. Addit Laymann, non audere se acceptum munus damnare, spectato iure naturali, si iudex unius causam ante alios expediat, quando in eius arbitrio sit, quem cui praeponat; subdit tamen, *rem non vacare periculo;* et Lugo (*l. c. n. 136.*) absolute id reprobat, quia *quoties ex iustitia tenetur ex disiuncto gratis facere, non potest pro electione huius partis aliquid accipi.*

Quoad ea autem, quae a iure tantum positivo pendent, Lugo animadversionem aliam addit (*l. c. n. 132.*), *quod scilicet alicubi accipiantur sportulae a litigantibus ultra stipendium publicum: quae sportularum acceptio quibusdam in locis consuetudine praescripta est. In universum* (pergit) *observa, ea omnia, quae in hoc genere consuetudine legitime praescripta habentur, praesumi licita, dummodo non sint contra ius naturale; ubi vero ea consuetudo non sit, standum est iuri peculiari cuiusvis regni vel provinciae; singulae enim habere solent in hoc puncto leges proprias, magis vel minus strictas, quae obligabunt, quandiu contraria consuetudine non abrogantur.*

(*c*) S. Alphonsus hoc loco refert doctrinam Salmanticensium ex *Tract. XIII. Cap. 1. n. 170-173.*, ubi non de speciali hac quaestione sermo est, sed generatim, *An ex donatione illicita et reprobata per leges oriatur in recipiente obligatio restitutionis.* Et quidem Salmanticenses dum permiscent tum quae dantur ob perpetrata peccata, tum quae mere fovent recipientium avaritiam, tum quae acquiruntur simoniace aut in ludo aleatorio interdicto per leges (quo spectant duo loca Sancti Thomae ab ipsis

Attamen iudices saltem impellendi sunt ad munera accepta restituenda, vel ad ea in pia opera eroganda. Posset aliquando pro poenitentia id iniungi ad iudicem a relapsu avocandum (*a*).

QUAER. 4° *An iudex restituere teneatur, quod ad sententiam aliquam ferendam ex pacto accepit?*

Resp. 1° *Affirm.*, si acceperit ad ferendam sententiam *iustam*, idest ad id praestandum, quod ex iustitia debebat. Ratio est, quia non potest esse materia contractus quidquid ex officio, atque adeo ex iustitia iam debitum est. *A fortiori* restituere tenetur ea, quae vi, minis, vel iniusta vexatione extorserit.

Resp. 2° Si acceperit ad ferendam sententiam *iniustam*, certo tenetur ad restitutionem antequam eiusmodi sententiam ferat; lata autem sententia, *controvertitur*, iuxta dicta de contractu in materia turpi, *tom. 1. num. 760.* (*b*).

4. — QUAER. 5° *An iudex teneatur reparare damnum, quod non impedivit, vel cuius reparationem non procurat, quando potest?*

Resp. Affirm., quia est cooperator *iniustus* et *efficax*. Recole dicta de cooperatoribus negativis, *t. 1. n. 690. et seq. et alibi passim* (*c*).

allegata, quorum alterum post eos hic affert et S. Alphonsus), eam inducunt confusionem, ut nihil reipsa extundere ex iis liceat.

Praestat itaque retinere sententiam, quam ex Busembaum S. Alphonsus (*l. c.*) sic refert: *Etsi (iudex) a partibus munera liberalia accipiens aliquando peccet vel ob scandalum vel ob periculum pervertendi iustitiam, acceptorum tamen dominium comparat.* De qua subiicit S. Alphonsus: *Hoc est commune et certum.* Addit Busembaum: *Etsi lex positiva munerum acceptionem prohibeat, accipiens tamen non tenetur ad restitutionem ante sententiam iudicis, nisi lex exprimat, quod non illicita tantum, sed etiam invalida sit acceptio. Vid. Bon. De VIII. Praec. Q. 2. Punct. 8.* (quae allegatio spectat ad obligationem restituendi pauperibus, si quis receperit quidpiam pro gratia vel iustitia obtinenda in Curia Romana), *Laym. Lib. 3. Tr. 4. C. 4. n. 9. et 10.* Et hanc sententiam a *multis et gravissimis* doctoribus tradi, auctor est Card. De Lugo (*Disp. 37. n. 134.*), qui subdit, eam probari *ex communi praxi omnium iudicum etiam timoratorum, qui nunquam ea munera restituunt, quando fuerunt liberaliter data, nec a confessariis ad id obligantur.* Quae quidem confessariorum praxis nos quoque monet, ne consilio, quod A. subiicit, facile, ac sine maxima discretione utamur, ne scilicet laqueos non necessarios poenitentibus iniiciamus.

** (*a*) Ex dictis palam est, hic agi mere de consilio praebendo; neque enim confessarius potest id praecipere, ad quod praestandum probabile est poenitentes non teneri; neque prudentia facile consentiet, ut pro sacramentali poenitentia id iniungatur.

(*b*) Si quaestio fiat mere iuxta iuris naturalis principia, ex dictis *in not. ad n. 760. Vol. I.* citra controversiam esse debet, eiusmodi pretium retineri in conscientia posse; neque enim opinioni oppositae probabilitas aliqua, nisi fictitia, tribui potest. Si vero ius positivum spectetur, quaestio solvenda ex dictis in nota praecedenti videtur.

(*c*) Circa hanc quaestionem enucleatius ista habe ex S. Alphonso: 1° *Si iudex sententiam iniquam tulit dolo, litem fecit suam, idest damnum partis laesae in se transtulit, cui tenetur restituere* (*Lib. 4. n. 214.*). Hoc

Quaer. 6° *An obliget sententia iudicis dubie iusta, aut certo iniusta?*

Resp. ad 1um *Affirm.* omnino. Praesumptio enim Superiori seu iudici favet. — *Vid. de Consc. n. 75.*, etc.

Resp. ad 2um *Neg. per se*, ut patet (*a*). Excipe tamen, nisi adsit ratio scandali, vel perturbationis publici ordinis; quia bonum privatum semper bono publico cedere debet. Qui autem obtinet causam per sententiam iniustam, rem sibi adiudicatam recipere nequit, vel eam restituere debet, et insuper omnia damna et expensas parti adversae reparare tenetur (*b*). Si tamen in bona fide fuerit, hac evanescente rem alienam tantum reddere debet iuxta dicta de possessore bonae fidei, *n. 635.* (*c*).

intellige, servato ordine inter obnoxios restitutioni; nam ante alios restituere is tenetur, qui rem alteri debitam apud se habet.

2° *Si iudex magna imperitia male iudicet, tenetur ad interesse parti laesae, et ad expensas litis; ubi etiam quotiescumque notabile damnum sive in substantia litis sive in superfluis expensis propter eius culpabilem ignorantiam partibus accidit. Est commune* (*Ibid. n. 195.*).

3° *Si alioqui dignus suo munere (tametsi id petens impetraverit, aliis dignioribus neglectis) per oblivionem ex humana fragilitate erraverit, non obligatur in conscientia ad restitutionem ex propriis, cum iniuriam formalem non intulerit, neque aliquid commodi ex tali sententia acceperit, vel potius (secundum alios) cum culpam theologicam non commiserit: debet tamen revocare sententiam, si potest sine gravi incommodo* (*Ibid. n. 214.*). Et clarius: *Si iudex agnoscat errorem a se (etsi sine gravi culpa) commissum in praeiudicium litigantis, tenetur, si potest citra infamiam, impedire errorem, v. gr. monendo occulte partem laesam, ut sibi appellatione vel aliter consulat: quia id pertinet ad debitam muneris executionem* (*Ibid. n. 195.*).

4° *Iudex mortaliter peccat contra officium suum differendo valde notabiliter causarum expeditionem sine iusta causa... Idem tenetur parti laesae damna et expensas, quae ex iniqua dilatione sequutae sunt, restituere, quia est earum iniusta causa* (*Ibid. n. 196.*).

Haec S. Alphonsus; circa quae tamen adverte, semper servandum esse ordinem legitimum inter eos, qui restitutioni sunt obnoxii. Ante alios enim primus omnium debitor ille est, qui rem habet, seu qui ex re aliena factus est ditior. Proinde si iudex restituat, rei alienae detentor tenebitur restituere ipsi iudici, qui secus etiam occulta compensatione uti posset.

(*a*) Clarius S. Alphonsus (*Lib. 4. n. 215.*): *Sententia iniusta aut ex natura rei aut ex omissione ordinis iuris simpliciter necessarii, sive feratur per falso allegata et probata, sive ex iudicis iniquitate, nullum habet robur in foro conscientiae, manetque parti laesae, tametsi non appellet, ius suum, licebitque, si absque scandalo possit, recuperare bona. Dixi*, in foro conscientiae: *quia in foro externo, ubi non tam veritas facti, quam probatio iuridica spectatur, sententia probata servanda est ad evitanda scandala et incommoda: neque elapso termino, intra quem appellare licebat, actio ei conceditur, lege sic statuente tum in poenam pigritiae, tum ob bonum publicum, ut litium sit finis.*

(*b*) Idcirco *laesus potest, nisi alter iuste praescripserit, per occultam compensationem sua recipere, quia recuperat ius suum.* S. Alphonsus, *Lib. 4. n. 215.*

(*c*) *Qui bona fide rem postulavit a iudice, et bona fide accipit, remque bona fide possedit tempore ad praescribendum necessario, non tenetur restituere, quia legitime praescripsit.* S. Alphonsus, *Lib. 4. n. 215.*

APPENDIX I.

DE IURATIS (*a*).

5. — *Iurati,* sic dicti ob iuramentum, quod praestant de munere sibi credito recte exercendo, sunt viri selecti ex civium primoribus ad partem aliquam iudicum propriam obeundam. Adhibentur tantummodo in causis criminalibus, et munus eorum est pronuntiare circa existentiam facti et culpabilitatem accusati; deinde vero iudices poenam iuxta legem decernunt. Institutio Iuratorum, ab Anglis sumpta, creata fuit in gratiam reorum, ut a viris gravibus sorte designatis factum examinaretur, nullo affectu maligno erga accusatum, utpote plerumque sibi plane ignotum, adeoque ut illud factum certius cognosceretur.

Iurati desumuntur ex civibus notabilibus lege determinatis. Corpus Iuratorum *(le Jury)* constat duodecim civibus pro singulis iudicandis.

Iurati, qui sorte ad sessionem Curiae dictae *d'Assises* designantur, easdem contrahunt obligationes ac ipsi iudices, quorum magna ex parte munus exercent, et proinde de Iuratis, sicut de ipsis iudicibus, generatim dicendum est.

6. — QUAER. *Utrum* IURATUS *dare possit votum contra accusatum, iuridice quidem de crimine convictum, sed cuius innocentiam privata scientia certo cognoscit?*

Resp. Neg. Ratio est, quia hoc videtur contra mentem legis. Iurati enim pronuntiare debent tantum circa factum, ac iuxta intimam convictionem, quam de eius existentia habent, nec ullo modo tenentur reddere rationem legalem sententiae suae. Imo ex ipsa lege sententiam suam nec tenentur fundare ex tali numero testium, nec ex his vel istis rationibus a variis partibus in medium adductis, etc. Ergo votum dare debent tantum iuxta id, quod in foro conscientiae sentiunt. Itaque spectato munere, quod Iuratis imponitur, facile patet, minime circa eos locum habere controversias illas, quae de iudicibus agitantur, *n. 2*.

** (*a*) Quaestio, an conferat ad bonum commune ista *Iuratorum* institutio, nostri instituti non est. Equidem contra se habet iudicium et praxim omnium retro saeculorum. Insuper cum rectum iudicium a peritia demum, et integritate iudicantium dependeat, num sperare hoc licebit ab istis iuratis, potiusquam ab ordinariis iudicibus? Recole quae in Anglia gesta sunt circa eos, qui adversus vitam Imperatoris Gallorum nonnullos ante annos moliti sunt. Huius anglicae institutionis incommoda et absurda habes a *Saint-Paul* egregie exposita.

APPENDIX II.

DE ARBITRIS

7. — Arbitri dicuntur, qui ab utraque opposita parte ad litem aliquam dirimendam instar iudicum sponte eliguntur, aut admittuntur.

Pactum, quo facultas litem componendi ipsis tribuitur, vocatur compromissum (gallice, *compromis*). Hoc pacto adversae partes mutuo consensu promittunt, se executuras esse quidquid ab arbitris statuetur. Compromissum autem confici potest sive scriptura privata, sive scriptura authentica a notario confecta, sive etiam ex consensu communi viva voce expresso coram ipsis arbitris. Sub poena nullitatis in eo tum res diiudicanda, tum etiam arbitrorum nomina referenda sunt.

Arbitri, quicumque sint, semel a diversis partibus admissi, iudicum munere proprie gaudent, eorumque vices omnes gerunt, haud secus ac si a publica auctoritate forent designati. Possunt igitur causam ad se delatam instruere, rem ad aliud tempus opportunius differre, testes audire, et tandem lata sententia litem absolute dirimere. Attamen ex gallica lege civili ut talis sententia in foro externo valeat, agnoscenda est a Praeside tribunalis *primae instantiae* provinciae, in qua lata illa est.

8. — Cum arbitri iudicum munera adimpleant, easdem circiter obligationes, eademque onera ac iudices subeunt. Hinc

1° Non debent suscipere litem, cui diiudicandae doctrinam sufficientem non habent; secus peccant contra iustitiam commutativam, et restitutionis obligationem contrahunt (*a*).

2° Arbitri iudicare tenentur iuxta leges regionis, nisi partes eis facultatem rem ex aequo et bono componendi impertierint. Tunc enim ex bono et aequo utriusque partis commodum promovere debent.

3° Cavere summopere debent ab acceptatione personarum, ne scilicet odio, aversione aut nimio affectu abstracti, contra regulas aequitatis sententiam ferant. Quoad caetera, eadem dicenda sunt de arbitris ac de ipsis iudicibus.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS ADVOCATI ET PROCURATORIS

9. **Principia.** — I. Advocati et procuratores tenentur ex iustitia commutativa erga litigantes, scientiam competentem habere,

** (*a*) Haec ita intellige: peccant semper ob periculum, cui se committunt, errandi in materia iustitiae, nisi forte subsidium peritorum adhibeant; ad restitutionem vero tenentur, si reipsa damnum errando intulerint.

causam diligentia et studio congruo suscipere ac persequi, et dilationes litigantibus damnosas praecavere; secus peccant, et restitutioni sunt obnoxii, sicut supra de iudicibus dictum est.

II. In materia civili nec advocatus rei, nec advocatus generalis causam certo iniustam sustinere licite potest (*a*); si igitur eam defendendo obtineat iniustam sententiam, omnia damna inde sequentia reparare tenetur, si ab iis non reparentur, in quorum gratiam iniusta sententia cadit. — *S. Lig. n. 223.*

A fortiori in materia criminali nec advocatus suscipere potest partes accusatoris evidenter iniusti, nec procurator generalis iniuste accusatum persequi, si eius innocentiam sive in principio sive in decursu aut in fine causae detegat, sed accusationem inceptam derelinquere uterque tenetur.

III. Advocatus a cliente interrogatus debet eius causam serio, et ea diligentia, quam rei gravitas postulat, examinare, fidelitatem illi servare, iustitiam vel iniustitiam aperire, et probabilitatem eam obtinendi aut perdendi scrupulose indicare; secus enim clientem ad sumptus inanes impellet, quos ipse resarcire tenetur.

In causa autem dicenda cavere debet a fraudibus, falsis probationibus, aliisve mediis iniustis contra partem adversam; secus enim pariter omnia damna inde sequentia compensare tenetur.

10. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An advocati possint defendere causas etiam minus probabiles tum reorum, tum actorum?*

Resp. 1° In causis *civilibus affirm.* cum sententia communi et certa, quia spem habere possunt, ut veritas elucescat. — *S. Ligor. n. 222.* — *Laymann.* — *Sanchez,* contra *paucos* (*b*).

** (*a*) Adverte, haec dici de causa civili; secus enim usuvenit in causis criminalibus, quando curis advocati saltem ad misericordiam impelli princeps potest. *Vid. infr. Q. 1.*

** (*b*) Advertunt VV. (*Pag. 926. n. 78.*), huic Auctoris responsioni addendam esse exceptionem, quam S. Alphonsus (*Lib. 4. n. 222.*) hisce verbis indicat: *Notant tamen Lugo, Malderus, Diana, et Lorca apud Salmanticenses* (*Tr. 29. App. de Offic. Cap. 4. n. 36.*), *quod hoc currit, si probabilitas sit iuris; nam, si sit facti, etiam in pari probabilitate* (*quia tunc omnino favendum est reo*) *communiter dicunt, non licere advocato actorem tueri.*

Resp. 1° Huic exceptioni, quae ex Lugo (*De Iust. et Iur. Disp. 41. n. 7.*) sumpta est, non inutiliter addere VV. potuissent aliam exceptionis partem, quam S. Alphonsus omittit, sed subobscure Salmanticenses (*l. c.*), et satis clare (*ibid.*) sic expresserat Lugo: *Idem procedit in causa civili: actor enim sciens, se non posse probare contra possessorem, sed rem manere dubiam, iniuste agit, et eum vexat, cum in dubio melior sit causa possessoris: ergo advocatus sciens,... rem semper manere dubiam, atque adeo iudicem debere iudicare pro reo, non potest iuste iuvare actorem petentem sententiam iniustam.* Manifestum est autem, Lugo hic agere de dubio *negativo;* quod clarius ex dictis alibi (*Disp. 37. n. 113. et 122.*) patet.

Resp. 2° Non inutiliter VV. insuper advertissent, in allato S. Alphonsi textu non bene allegari *Malderum, Diana, et Lorca.* Nam Lugo (*l. c. Disp. 41. n. 7.*) non pro sua, sed pro contraria sententia eos affert. Idque etiam Salmanticenses notant, aientes (*l. c.*): *In tali casu, inquit Lugo contra Mal-*

Resp. 2° In causis vero *criminalibus*, reus semper defendi potest, etiamsi constaret de ipsius culpabilitate, mediis tamen honestis et licitis, seclusis scilicet mendaciis, fraudibus, etc. Ratio est, quia advocatus reum defendens nemini infert iniuriam, et praeterea ex suo officio reo, quantum potest, patrocinari debet. — *S. Lig. n. 220.*

11. — Quaer. 2° *Ad quid teneatur advocatus ratione honorarii seu stipendii?*

Resp. 1° Nihil, generatim loquendo, potest accipere ultra iustum, quod vel lege forte taxatum sit, vel iudicio prudentium est determinandum, habita ratione negotii, peritiae advocati, laboris, quem impendit, et consuetudinis receptae.

Resp. 2° Quoad pauperes in particulari 1° tenetur gratuito succurrere, etiam cum gravi suo incommodo iis, qui in extrema necessitate versantur; 2° item iis, qui in gravi necessitate existunt, tenetur gratis patrocinari, et quidem sub peccato mortali, non tamen cum notabili suo incommodo; 3° denique etiam in communi necessitate causas pauperum tueri tenetur ex charitate, non tamen cum gravi incommodo: sufficit scilicet, ut aliquid operis, quando ab aliis vacet, eis largiatur. — *Hom. apost. tract. 13. n. 69.*

Quaer. 3° *Quid exigere possit advocatus, si postquam de stipendio conventum est, cliens inceptam causam deserat?*

Resp. Potest totum exigere, si per eum non stet, quominus litem prosequatur, non secus ac suam operam pro aliqua mercede locans, exigere hanc potest, si per conductorem stet, ne opera compleatur. Excipe tamen, si iusta intervenit causa litem deserendi, cum haec conditio semper in conventione subintelligatur. — *S. Lig. Hom. apost. tract. 13. n. 69.*

12. — Quaer. 4° *Ad quid teneatur advocatus, qui, causa iam peracta, advertit eam esse iniustam?*

Resp. Debet statim admonere de iniustitia causae, ne damno iniusto cooperetur. Neque compositionem suadere potest, siquidem haec nonnisi in re dubia locum habere debet. Si vero causam iniustam scienter fuerit prosecutus, omnia damna utrique parti obvenientia compensare tenebitur. Parti enim adversae restituere debet *ex peccato commissionis,* cum causa damni positiva ipse fuerit; suo autem clienti, si in bona fide versabatur, *ex peccato omissionis;* siquidem eum *ex officio* de iniustitia causae admonere tenebatur.

Advocatus tamen deserendo causam, quam iniustam esse dete-

derum, Lorcam, et Diana, non potest advocatus licite etc. Quocirca ex allato S. Alphonsi textu citra damnum tolli posset vox illa, *Communiter;* quippe sententia Lugonis haud communis est Maldero, aut Lorca, aut Diana. Lugo (*l. c.*) pro se neminem praeter Salas citat, eumque sequuti sunt Salmanticenses, et deinceps Roncaglia, et si qui sunt alii. At praeter *Malderum, Lorca, Diana, et Merolla,* quos uti a se dissidentes refert Lugo, quamplures alios, quos Sanchez sequitur, ab sententia Lugo dissidentes videsis apud eundem Sanchesium (*Dec. Lib. 1. C. 9. n. 51.*).

git, non debet aliam partem iuvare, seu secreta suae causae alteri parti revelare, ut patet ex iure naturali, et expresse docet *S. Thom. 2. 2. qu. 71. art. 3.*

QUAER. 5° — *Ad quid teneatur advocatus, qui advertens causam esse iniustam, monet quidem clientem, sed eo volente causam prosequitur?*

Resp. 1° Ad nihil tenetur erga clientem, si causam perdiderit, quia *scienti* et *volenti* non fit iniuria.

Resp. 2° Ad omnia damna, quae patitur pars adversa, compensanda tenetur titulo cooperationis positivae.

13. — QUAER. 6° *An, et quomodo peccet advocatus, qui causam iustam mediis iniustis defendit, v. gr., si chirographum novum substituat loco prioris amissi,* etc.?

Resp. 1° Peccat contra fidelitatem et veritatem, gravius quidem aut minus graviter pro ratione iniusti medii adhibiti (*a*). Maioris peccati reus erit advocatus, si non tantum novum chirographum priori substituat, sed illud supponat, quod nunquam extitit. Nec excusari potest ex fine bono, quem intendit; non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona.

Resp. 2° *Per se* non peccat contra iustitiam, cum causa iusta supponatur. Attamen per accidens potest iustitiam laedere, et ad restitutionem obligari, nempe si inde damnum suae parti vel parti adversae adveniat; si enim v. gr. fraus detegatur, facile evenire potest, ut causa utcumque bona in suspicionem deducatur et corruat.

14. **Resolves.** — 1° Advocati peccant contra iustitiam erga clientem, si cum non sint sat periti et idonei, causas defendendas suscipiant; si causae fundamenta vel secreta parti adversae detegant, vel si parti utrique serviant; si ideo quod sibi videantur peremptoria argumenta afferre, alia non spernenda negligant, quia forsan iudices motivis istis neglectis moverentur; si ad causâm dicendam non sufficienter se praeparent, etc.

2° Iidem peccant contra iustitiam erga partem adversam, si leges falsas aut abrogatas citent, aut in sensum alienum deflectant, dolum aut mendacia adhibeant, ex quibus iudices aut iurati in iniustam sententiam vel suffragium abstrahantur; item si parti adversae crimina vel vitia imponant falsa, etc.

3° Procuratores partium peccant contra iustitiam, si causas protrahant, si dilationes indebite obtineant, si causam prius acceptatam priori loco non procurent, si partes ad iniquam compositionem adducant, etc.

** (*a*) Supponitur hic, tum clienti tum advocato constare, sibi ius prorsus favere. Durissimum autem non potest non videri, quod causa cadere debeant mere ob amissi chirographi infortunium. Alioquin vero adhibitum remedium utique a legibus repellitur, utpote fraudibus obnoxium; sed quoad causae substantiam nulla apparet iniustitia. Per se igitur erit mendacium officiosum. *Vid. infr. n. 28. q. 2.*

4° Procurator generalis peccat contra iustitiam, si ex negligentia, ex praecipitatione aut praeiudicio, ex odio aut acceptione personarum, etc., traducat innocentem in detentionem, in iudicium, et in sententiam iniustam subeundam. Item si accusationem sustinuerit, postquam in causae decursu innocentiam agnoverit, aut graviter de ea dubitaverit; proinde de omnibus damnis accusato subsecutis tenetur.

Huc spectat etiam munus referendarii, qui aliquando in causis explanandis adhibetur. Ei quandoque committuntur acta litigantium discutienda, ut postmodum eorum fundamenta quasi in compendium redacta, iudicibus referat. Ex his liquet, quanta scientia, diligentia, peritia et fidelitate pollere debeat referendarius, ut causas debito modo referat, et iudices recte instruat.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS APPARITORIS

15. — Apparitor (*huissier*) ille est, qui ex officio vadimonia (*a*) (gallice, *citations*) et mandata iustitiae defert, atque executiones a iudice decretas perficit. Hinc apparitoris munus duplex est.

Cum apparitores sint ministri iustitiae, summopere decet, ut perhumaniter suo fungantur officio, ac sui ministerii rigorem et asperitatem temperent, quantum fieri potest. Sufficienter instrui debent de omnibus, quae ad suum munus attinent. Fidelitatem quoque praestare debent in mandatis tribunalis exequendis, aeque cavendo tum a negligentia in munere obeundo, tum a rigore et vexatione erga eos, quos iustitia publica persequitur. Ipsis etiam specialiter cura incumbit, ne ullas formalitates necessarias in actis suis omittant; secus enim iustitiam saepe laederent, atque ad damna inde provenientia reparanda tenerentur.

16. — Apparitores iniuste se gerunt praesertim

1° Si pretio aut favore se corrumpi sinant in praeiudicium clientis, v. gr. denunciationes sententiarum protrahendo, negligendo, vel alia faciendo, unde fiat, ut creditor solutionem accipere non possit. Item favendo quibusdam debitoribus solidariis, ut eos in executionibus non comprehendant.

2° Si tempus ad acta iuridica conficienda praefixum non concedant; si diem falso adscribant (*fausses dates*); si falsum affirment in actis verbalibus (*procès verbaux*); si tempore praescripto acta iuridica sibi commissa non conficiant.

3° Si lustrantes domos asperius agant, ut aliquod munus extorqueant; si vim iniustam aut aliam iniuriam inferant; si falsum in actibus suis enuntient.

(*a*) Intellige iussum comparendi in iudicium; nam vox *vadimonium* promissionem comparendi in iudicium potius significat.

4° Si excedant mandatum iudicis, aut legis statuta in rebus seu bonis privatorum capiendis; si non servent iustum pretium in venditione rerum captarum, etc.; si partem huius pretii sibi retineant, etc.

17. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An apparitores ad restitutionem teneantur, si pretium supra taxam lege determinatam titulo donationis acceperint?*

Resp. Affirm. per se. Ratio est, quia talis donatio generatim spontanea dici nequit. Unde si excessus pretii sit quid grave, sub peccato mortali ad illum restituendum obligantur. — *Ita communiter* cum *Salmant.* — Attamen si laborem extraordinarium et indebitum subiissent, aliquid supra pretium ordinarium accipere possent. — *S. Ligor.* (*a*).

18. — QUAER. 2° *An apparitor multiplex salarium exigere possit, si unica et eadem vice vadimonia diversa deferat?*

Resp. 1° Ex lege naturali in se sola spectata affirmandum videretur, quia eamdem praestat utilitatem singulis eum requirentibus, ac si pro uno solo iter et operam susciperet, iuxta dicta in *Tract.*

(*a*) Neque Salmanticenses, quos A. heic appellat, neque S. Alphonsus reipsa quidpiam de Apparitoribus habent, sed disserunt de Advocatis, Notariis, Tabellionibus, Relatoribus etc. Res tamen in idem recidit. Eadem enim quaestio fit de iis omnibus, quibus pro munere quopiam, quod in iudiciis gerunt, merces debeatur.

Porro si quaestio cum Auctore instituatur *de pretio per leges taxato,* non est silentio praetereundum *dubium*, quod tangit etiam S. Alphonsus (*Lib. 4. n. 231.*) scilicet *an lex taxam ipsis* (Notariis etc.) *statuens obliget in conscientia.* Sic autem ipse respondet: *Affirmant Navarrus, Trull., etc. apud Salmanticenses* (*Tr. 29. Cap. 5. n. 18.*), *cum sit lex iusta. Sed negant Machad., et Fagund., quia haec lex est poenalis, vel saltem mixta, ideoque non obligat in conscientia, ut de lege mixta tenent Villal., Diana, et alii. Negat etiam Lugo cum Turriano et aliis apud Salmanticenses* (*ib. n. 19.*), *sed alia ratione ductus, nempe quia cum tabelliones, et alii ministri iustitiae vivere debeant ex stipendiis proprii officii, et tractu temporum augeantur pretia rerum, ac expensae iuxta morem circa victum et vestitum; ideo non iniuste ipsi aliquid exigunt supra taxam... Et hanc sententiam Lugonis dicunt Salmanticenses videri hisce temporibus conformiorem aequitati.* Ad quae fac advertas, Salmanticenses (*l. c. n. 20.*) etiam seposita ratione seu sententia Lugonis, utramque illam sententiam ceu probabilem habere.

Caeterum etiamsi praeferenda, ceu communior, videatur sententia Auctoris, qui alioquin pretium lege taxatum supponit esse omnino *iustum,* ideoque excludit Lugonis hypothesim de mercede per leges antiquas determinata, quae deinde ob auctum decursu temporum rerum omnium pretium nimis tenuis evaserit; addendum tamen est, eandem sententiam suas pati exceptiones, sicut exceptiones patitur et ratio allata, quod *talis donatio generatim spontanea dici nequeat.* Nam et multis in adiunctis (*Vid. Lugo, De Iust. et Iur. Disp. 41. n. 19., et Salm. l. c. n. 24.*) prorsus *spontanea* haberi donatio potest et debet, et insuper non omnis donatio etiam minus spontanea carere censenda est eo consensu, qui ad dominium transferendum sufficit. Haud raro enim etiam invitis sese occasiones offerunt, quae donandi necessitatem quandam important, nec tamen quispiam restituendi onus donatariis imponendum cogitat.

de Contr. in genere, n. 757. — Ita S. Lig. Hom. apost. tract. 13. n. 68. etc.

Resp. 2° Attendendum est ad statuta locorum particularia. *Ex Iure autem Gallico* hoc prohibetur. Attamen quidquid sit de lege civili, usus invaluit, sciente et vidente Gubernio, ut advocati et procuratores ita rem componant, ut pro singulis vadimoniis apparitores idem fere pretium habeant.

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS SCRIBARUM ET NOTARIORUM

I. *De scribis seu secretariis.*

19. — *Scriba* seu secretarius (gallice, *greffier*) ille est, qui scripto refert testimonia, iudicum sententias, caeteraque omnia, quae in tribunalibus peraguntur. Hinc quasi ut dextera iudicis et ipsius publicus et authenticus secretarius considerari solet.

Iniustitias autem varias scriba committere potest, praesertim

1° Si diligentiam debitam non adhibeat ad omnia audita et statuta aut decisa exacte in scriptum referenda; omissio enim in rebus huius generis facile gravis evadere potest.

2° Si attentione seria et constanti non utatur ad omnia in tribunali prolata et peracta in libros authenticos referenda: facillime enim defectus attentionis in scriba culpam gravem et restitutionis obligationem inducere potest, nisi omnino involuntarius sit. Quis enim non videt, quanta damna ex defectu etiam levi (*a*) ex parte secretariorum subsequi possint?

3° Si ex malitia aliquid in scribendo omittat, aut si tabellas publicas sibi commissas adulteret aut male custodiat; si debitas formalitates et subscriptiones non apponat aut apponi non satagat; si testimonia non fideliter transcribat, sive exaggerando, sive imminuendo, sive immutando aut invertendo.

4° Si in distribuendis litibus favori potius, quam ordini pareat; si ad augendum salarium acta distribuenda maiora faciat, v. gr., scribendo in duabus paginis ea, quae in unica referri poterant.

5° Si arcanum sibi commissum prodat; si sententiam nondum publicatam manifestet; si processus peractos sine iudicis praescripto partibus ostendat.

6° Si acta iudicis tradat partibus, antequam iuxta formas legales subscripta fuerint. Tunc enim instrumentum mancum et falsum exhibet, cuius expeditio nullius valoris habetur. — *S. Lig. n. 229.*

(*a*) Habes hic exemplum illius, qui in conscientia tenetur de culpa *levi*, idest qui graviter obligatur ad accuratissimam diligentiam, adeo ut defectus, qui in se levis videri posset, gravem inducat restitutionis obligationem. *Conf. not. ad numerum 661. Vol. I.*

II. *De notariis.*

20. — *Notarius*, seu tabellio dicitur ille, qui auctoritate legitima constituitur ad scribenda acta seu instrumenta publica, quae tum in iudicio tum extra iudicium fidem faciant.

Hinc apparet, quanti momenti sit notarii munus, quam late pateat, et quam gravibus obstringatur obligationibus. Notarii itaque pari ad id munus scientia, perspicacitate non communi, et potissimum egregia fidelitate, prudentia et probitate gaudere debent. Cum enim negotia et contractus cuiusvis generis pertractare debeant, ex eorum negligentia, ignorantia et attentionis defectu summa mala pro societate, et damna pro partibus subsequi possunt.

21. — Notarii iniusti sunt praesertim in sequentibus casibus:

1° Si ignorent, quae ad officium suum pertinent, et ideo instrumenta non recte conficiant; si cum detrimento contrahentium vel aliorum ex negligentia solemnitates necessarias praetermittant, v. gr. idoneos testes adhibere, subscriptiones apponere, diem, mensem, annum indicare, etc.

2° Si conficiant instrumentum falsum, usurarium vel iniustum; si in damnum alterius contrahentis aut tertii fingant in instrumento ea, quae non sunt; si adnotationes diei falsas apponant, aut veras immutent, etsi damnum non intendant; item si talia consulant; si conficiant acta, quae suum munus excedant, vel si extra territorium sibi assignatum ministerium suum exerceant: tunc enim eorum actus ipso facto irriti sunt.

3° Si non describant fideliter voluntates contrahentium, vel per ambiguas redactiones litibus et iniustitiis locum praebeant; si partes non moneant de clausulis, quae eis nocere, aut de difficultatibus, quae inde nasci possunt. Ad haec enim ex *quasi contractu* cum partibus tenentur.

4° Si falso scribant summam coram se vel antea iam solutam esse, cum damno alterius partis aut tertii; item si facile talia scribant, graviter suspicantes quod a contrahentibus decipiantur; tunc enim eorum peccato cooperantur.

5° Si acta et instrumenta negligenter custodiant cum periculo damni partium; si differant instrumentorum expeditionem, ut pecuniam extorqueant; si amanuensi aliquid committant cum erroris periculo.

6° Si quid in *protocollo (la minute)* immutent, unde ius aliquod violetur aut impediatur; si testes falsos admittant; si testimonium aliquod necessarium suo clienti non exhibeant, occultent, aut transcriptum denegent.

7° Si actus communicent aliis, quam partibus; si sua culpa *protocolla* amittant; si iuramenta vel secreta violent; si dictis vel factis partium, aut testimoniis testium aliquid addant vel detrahant; si sincere omnia, prout se habent, non transcribant.

8° Si negligant invigilare in suos ministros, et propterea instrumenta male conficiantur; notarii enim pro omnibus, quos adhibent ministros, respondere tenentur; si subscribant instrumenta sive ab aliis notariis sive a propriis ministris confecta, antequam diligenter ea recognoverint, et notitiam perfectam de iis, quae in ipsis continentur, habuerint; item si ubi plures notarii requiruntur, absentes tanquam praesentes declaraverint.

9° Si pretium ultra taxam vel probatam consuetudinem petant (*a*), vel si scripturas amplificent, vel maiori aut magis extenso charactere scribant, ita ut numerus paginarum notabiliter augeatur; si negotia pertractanda salarii adaugendi causa protrahant.

In his omnibus, et multis aliis similibus tenentur notarii sub gravi, *per se,* ad restitutionem, ut iniusti damnificatores, aut cooperatores, ut patet ex dictis in *Tract. de Iustitia et Iure.* — *S. Lig. n. 230. 231.*

22. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An notarius teneatur ad restitutionem erga fiscum, si in conficiendo instrumento venditionis, aut inventarii, postulantibus partibus, vel etiam ipso innuente, non verum rei pretium inscribat, sed aliud minus, ut tributum solvendum imminuatur?*

Resp. Controvertitur. Alii affirmant, quia sic cooperatur defraudationi tributorum, quod iniquum est et iniustum ex parte magistratus, cui Respublica confidit. Alii negant, dummodo infimum saltem pretium in scripto authentico referatur. Alii tandem eum totaliter excusant, quia ex consuetudine generaliter etiam proborum recepta, non solet totum pretium etiam infimum declarari, sed tantum declaratur paulo ultra mediam partem, vel circa duas tertias partes huius pretii. Si autem non peccant partes verum pretium dissimulando, nec peccat notarius ex cooperatione: ipse enim non constituitur sicut praepositus vectigalium ad tributa exigenda, sed ad instrumenta conficienda.

23. — Quaer. 2° *An peccet notarius, qui instrumenta conficit die Dominica vel die festo?*

Resp. Ex consuetudine nunc generali possunt conficere quaecumque instrumenta, dummodo non spectent ad iurisdictionem contentiosam, id est ad negotia forensia. Sic possunt conficere instrumentum contractus, testamenta aegrotantium, conventiones matrimoniales, processus electionum ad officium publicum, et alia similia.

Scripta autem ad forum contentiosum pertinentia nequaquam diebus festis conficere possunt (*b*). Id non solum lege canonica, sed ipsa lege civili, etiam gallica, prohibetur. Quod si notarius tales actus die festo conficeret, et diversam diei assignationem affinge-

(*a*) Confer quae superius in *not. ad n. 17.* dicta sunt.
(*b*) Nihil tamen vetat, quominus die festo totius scripti contextus exaretur, cui deinde die legitimo subscriptiones ac caeterae solemnitates accedant.

ret, peccaret contra legem ecclesiasticam et civilem, et falsum instrumentum conscriberet.

CAPUT V.

DE OBLIGATIONIBUS ACCUSATORIS ET REI

I. *De accusatore.*

24. — Accusator dicitur, qui in causis *criminalibus* crimen defert iudici, atque ab eo vindictam ob bonum commune postulat, et simul obligationem crimen obiectum probandi suscipit: in causis vero *civilibus,* qui velut pars laesa adversarium ad iudicem compellit, non *accusator,* sed *actor* dicitur.

Accusator differt a denuntiatore (*a*), qui Superiori vel iudici crimen aliquod defert, nec tamen obligationem illud probandi subit. — *S. Lig. n. 253.*

Accusatores esse possunt ex *Iure Romano* omnes, qui non sunt specialiter lege prohibiti. Prohibentur vero pupilli, impuberes, mulieres, magistratus, infames, proxime coniuncti, scilicet filii respectu parentum et vice versa, fratres respectu fratrum, uxor respectu mariti, et e converso. — Ex *Iure* autem *canonico* arcentur ab officio accusatoris 1° Clerici in iudicio saeculari, praesertim in causa sanguinis; 2° laici respectu Clericorum, nisi crimen sit immane, vel cedat in magnum Ecclesiae nocumentum; 3° haeretici non tolerati, et excommunicati respectu fidelium. — *S. Lig. n. 258.*

Accusatores ex eodem *Iure Romano* si de calumnia convincantur, poenam *talionis* incurrunt, nempe poenam, quam pro accusato requirebant, ipsi subire debent.

Ex iure autem Gallico nemini privato accusationem instituere fas est, sed totum munus accusandi crimenque probandi soli magistratui ad id constituto, seu generali Gubernii procuratori reserva tur. Unde fit, ut etiam *ministerium publicum* nuncupetur, quia partes communitatis, et bonorum morum contra reos suscipit atque tuetur.

II. *De reo.*

Reus dicitur ille, qui in iudicio sive criminali sive civili accusatur, sive nocens sit, sive innocens. De reo varia occurrunt dubia, praesertim circa criminis confessionem, et fugam. Hinc

(*a*) Denuntiationem hic intellige non quidem *fraternam,* cuius scopus non est *punitio,* sed *emendatio* proximi, intercedente paterna admonitione Superioris, ex qua propter ipsius auctoritatem certius speratur emendatio, sed *iuridicam,* cuius scopus, non secus atque accusationis, idem est ac iudicis in puniendo, videlicet bonum commune, quod ex improborum poenis redundat. Quocirca denuntiatio *iuridica* ad eandem virtutem pertinere videtur, ad quam pertinet vindicatio iudicis, ad iustitiam scilicet *legalem. Vid. not. ad n. 518. Vol. I.*

25. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An reus, a iudice interrogatus, veritatem fateri teneatur?*

Resp. 1° *Neg.,* si non sit legitime interrogatus; quod fit quando iudex non est legitimus, vel quando formam iudicialem non servat, uti si interroget sine praevia accusatione, etc.: addunt etiam, quando non habetur saltem semiplena probatio delicti. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 272.*

Resp. 2° *Affirm.,* si reus sit legitime interrogatus, quia iusto iudicis praecepto obedire debet. Excipe satis probabiliter, si de magna poena subeunda agatur; quia lex non censetur reo imponere adeo arduam obligationem, quae vires humanas superare videtur, nempe ut ipse per criminis confessionem sponte gravissimae poenae certo discrimini se committat, modo tamen grave damnum publicum ex silentio eius non immineat (*a*). Hanc sententiam sat probabilem etiam *intrinsece* dicit *S. Lig. n. 274.,* quamvis contrariam vocet probabiliorem.

QUAER. 2° *An reus innocens ad sui defensionem possit revelare crimina occulta testium vel accusatoris?*

Resp. Affirm., modo 1° crimen sit *verum;* 2° revelatio sit *absolute necessaria* ad suae innocentiae defensionem; 3° et ipse aliter grave damnum sit passurus. — *S. Lig. n. 277.*

26. — QUAER. 3° *An liceat reo innocenti fugere vel resistere?*

Resp. Licet ei quidem fugere, et e manibus satellitum sese eripere; sed non licet vim vi repellere, occidendo aut vulnerando, quia publicae potestatis iura violaret. — *S. Lig. n. 279.*

QUAER. 4° *An etiam reo, qui vere deliquit, fugere liceat?*

Resp. Affirm., si nondum ad poenam sententia iuridica sit damnatus; quia nemo ante sententiam poenam solvere tenetur. Item si iam sit damnatus ad poenam gravissimam, et carcer sit ei assi-

(*a*) Hanc exceptionem sic S. Alphonsus post alios DD. exprimit (*Lib. 4. n. 274.*): *Nisi commune damnum immineat ex reticentia confessionis delicti, puta haeresis, laesae maiestatis, etc.; tunc enim reus tenetur seipsum prodere, vel saltem socios, quantum opus est ad commune damnum avertendum, etiamsi ipsi mors immineat ex revelatione sociorum, ex quibus evadet in iudicio convictus.* Duo porro advertenda occurrunt. Nam 1° damnum reipublicae intelligi debet non qualecumque, sed *maximum.* Ut enim inquit Lugo (*De Iust. Disp. 40. n. 15.*), *lex humana non nisi rarissime et propter maximum reipublicae damnum potest obligare subditum cum periculo vitae: in praesenti autem est certissimum illud periculum.* 2° Cum ratio huius damni avertendi aeque omnes obliget criminis conscios, etiamsi in iudicium vocati non fuerint; summam autem praeferat difficultatem praeceptum, quod certum vitae infert periculum; hinc patet, convenienter aliquam subinde impunitatem reis concedi, ut ex criminum et delinquentium pleniore cognitione opportunius publico bono prospici queat.

Adde et monitum ex S. Alphonso (*l. c.*): *Omnes* (inquit) *conveniunt, ut par est, ad dicendum, quod si reus sit in bona fide, et cognoscatur, quod difficile inducetur ad fatendum crimen interrogatus a iudice, confessarius in sua bona fide eum relinquere debet.*

gnatus ad custodiam, donec poena statuta plectatur. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 280.*

Negant autem *communius,* si carcer ad poenam per sententiam iudicis iam fuerit assignatus. Ratio est, quia reus tenetur obedire in executione sententiae iustae. Excipiunt tamen plures, si ei non detur necessaria, vel si carcer sit durissimus: quia videtur excedere vires humanas obligatio se non liberandi a poena gravissima, quando id sine vi et resistentia peragere quis possit. — *Ita S. Lig. ibid.* (*a*).

Quaer. 5° *An reo liceat fugere, etiamsi inde damnum custos sit passurus?*

Resp. Affirm., quia utitur iure suo, et nemini facit iniuriam, nisi tamen charitas aliud suadeat ob damnum custodis multo gravius. Attamen non licet reo custodem pecuniis corrumpere, quia cum custodi obligatio incumbat reum non dimittendi, huius peccato cooperaretur.

CAPUT VI.

DE OBLIGATIONE TESTIUM

27. — I. Nemo tenetur ex iustitia (*b*) sponte se offerre ad testificandum; at quandoque datur talis obligatio ex charitate v. gr., si possit quis testimonio suo innocentem facile liberare, gravem iniustitiam impedire, etc. — *S. Lig. n. 264.*

II. Testis legitime citatus tenetur coram iudicibus se sistere, iuramentum iure praescriptum emittere; integre veritatem (*c*) et nihil praeter veritatem dicere, et deinde postulatis simpliciter iuxta conscientiam respondere. — *Ita omnes.*

III. Testis, qui falsum malitiose deposuit, est periurus et iu-

** (*a*) Addit eodem loco S. Alphonsus: *Probabiliter a Lugo, Sanchez, et Navarr. cum Salmant. (contra Sayrum) excusantur damnati ad triremes, si fugiant a carcere, et etiam ab ipsis triremibus, ut tamquam probabilius tenent Sanchez, et Lugo, Lessius etc.*

(*b*) Intellige ex iustitia *commutativa,* nisi tamen sermo sit de illis, qui ex officio tenentur accusare. Alioqui enim *loquendo in genere et ex natura rei, regula generalis est, esse obligationem accusandi vel denuntiandi crimen reipublicae perniciosum..., si alia via damnum publicum impediri non potest.* Ita communis cum S. Thoma (2. 2. q. 68. art. 1.). Ratio est, quia pars ex legali iustitia tenetur prospicere incolumitati totius. Crimen autem reipublicae perniciosum hic intelligitur, quod directe et immediate est contra bonum commune, ut proditio civitatis, etc.

Licet vero regulariter sufficiat *denuntiare;* aliquando tamen potest esse obligatio accusandi, ubi id opus esset ad evitandum publicum damnum, quando fortasse periculi indoles non patitur moram inquirendi, atque ideo oportet liberare iudicem illo onere, et in promptu probationem exhibere. *Vid. Lugo, Disp. 38. n. 2.*

** (*c*) Excipe, si quae testis ex secreto tantum commisso noverit (*ut infr. q. 2.*), vel iudex non legitime interroget, etc.

stitiae violator (*a*); et proinde tenetur ad omnium damnorum reparationem, necnon ad falsi iuramenti revocationem, cum pari suo damno, etiam cum periculo vitae, si vi falsi testimonii innocens ad mortem fuerit damnatus. — *S. Lig. n. 269.*

28. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Ad quid teneatur testis, qui falsum dixit ex ignorantia invincibili, vel inadvertentia, aut oblivione inculpabili?*

Resp. Tenetur falsum testimonium aperire, et damnum eo modo quo potest, impedire; non tenetur tamen ad damni sequuti (*b*) reparationem, cum theologicae culpae expers sit. — *S. Lig. l. 4. n. 269.*, cum *Busembaum.* Item dicendum foret *probabilius,* etiamsi venialiter peccasset, *iuxta dicta de Restitutione, n. 662.*

Quaer. 2° *Quid de illo, qui scripturam, chirographum aut apocham supponit, vel adulterat ad supplendos actus perditos, vel ad ius certum prosequendum?*

Resp. 1° Peccat saltem venialiter ratione mendacii; quia utcumque res se habeat, chirographum, quod exhibetur, diversum ab illo est, quod in iudicio fidem facit.

Resp. 2° Potest aliquando peccare graviter contra charitatem erga seipsum, quando se proximo exponat periculo gravissimarum poenarum, si falsitas detegatur.

Resp. 3° Nullatenus peccat contra iustitiam commutativam, et proinde ad restitutionem minime tenetur.

29. — Quaer. 3° *Quandonam testis excusetur a testimonio praestando?*

Resp. Excusatur in sequentibus casibus: 1° si rem tantum acceperit sub secreto confessionis; 2° si rem noverit sub secreto commisso, aut etiam sub secreto tantum naturali (*c*); 3° si rem acceperit a viris non fide dignis; 4° si sciat reum non peccasse mortaliter, v. gr. propter ignorantiam; 5° si grave sibi vel suis damnum adventurum praevideat. Excipe, si damnum commune inde immineat. — *S. Lig. n. 268.*

(*a*) Violatam iustitiam habes, si quis in damnum aliorum mentiatur, non vero si mere dissimulet sine aliorum damno; sic enim inobediens tantummodo est, et legalis iustitiae transgressor. Qua in re etiam ratio aliqua habenda est praeiudicii in vulgo haud infrequentis, cui charitas exigere videtur, ut delicta cooperiantur, ac proximi damnum sic caveatur.

(*b*) Intellige damnum ex eius ignorantia iam sequutum, quod impedire non potuerit. Nam si adhuc praepedire illud potest, et non impediat emendando errorem, commutativam iustitiam violat, et ad restitutionem tenebitur.

(*c*) Si agatur de teste *iuridice et legitime* interrogato, et *secretum naturale* accipias, prouti a *commisso* distinguitur, hoc certe non eximit a testandi obligatione, cum ne *promissum* quidem etiam *cum iuramento* excuset (*Vid. Lugo, De Iust. Disp. 38. n. 6.*). Verba vero S. Alphonsi (*Lib. 4. n. 268.*), quibus ait, te non teneri testari, *si accepisti sub secreto naturali, etiam sub secreto tantum commisso,* etc. palam est, accipienda esse de *commisso,* quamvis non explicite *promisso.*

QUAER. 4° *An testis teneatur revelare crimen omnino occultum, v. gr., quod ipse solus novit?*

Resp. 1° *Affirm.*, iuxta legem in Gallia aliisve locis vigentem, quae statuit, vel unicum testem ad damnandum reum sufficere posse, nec quicquam aliud a iuratis exigit, nisi ut asserant, se de facti veritate nihil dubitare, quidquid demum sit de probationibus, quibus eorum testimonium innitatur (*a*).

Resp. 2° *Neg. probabilius*, iuxta Ius Romanum, quod duos testes ad damnandum etiam habita rei confessione necessario requirit. Hinc axioma: *Testis unus, testis nullus.* — *S. Lig. n. 266.*, etc.

30. — QUAER. 5° *An, et quomodo peccet testis, qui se abscondit, ne citetur a iudice, vel qui post citationem fugit?*

Resp. Ad 1[um] Non peccat 1° contra iustitiam legalem (*b*), quia nemo tenetur obedire praecepto Superioris, antequam ei imponatur; 2° neque contra iustitiam commutativam, quia mere negative se habet. Potest tamen peccare contra proximi charitatem, ut supra (*n. 27.*) dictum est (*c*).

Resp. ad 2[um] Peccat graviter contra iustitiam legalem, seu contra obedientiam iudici debitam in re gravi et ad societatem necessaria; sed *probabilius* non peccat contra iustitiam commutativam: quia citatio illa non imponit obligationem iustitiae, sed tantum obedientiae. — *S. Lig. n. 270.* — *Vogler, n. 337.* — *Billuart.* — *Lessius.*

QUAER. 6° *An teneatur ad restitutionem testis, qui legitime interrogatus celet veritatem; non tamen falsum dicat?*

Resp. Neg. probabiliter. Ratio est, quia testis tunc mere negative se habet, nec tenetur veritatem deponere, nisi ex praecepto iudicis; et proinde eam tunc celando contra solam obedientiam iudici debitam, aut etiam contra religionem ob iuramentum de veritate dicenda praestitum peccat. — *S. Lig. ibid.* — *Lugo.* — *Lessius.*

(*a*) Quidquid sit de huius dispositionis sapientia, patet, postremis Auctoris verbis non posse hunc sensum inesse, quasi nullum esse debeat aut possit fundamentum, cui iuratorum suasio innitatur, sed quod nullam rationem, cur ita censeant, ipsi reddere teneantur.

(*b*) Alias animadversum est, *iustitiam legalem* non esse confundendam cum virtute *obedientiae*. Hinc fit, ut obligatio adesse queat testandi per denuntiationem vel accusationem etiam citra Superioris seu iudicis praeceptum. *Vid. not. ad nn. 24. et 27.*

** (*c*) Peccat contra proximi charitatem, si de bono privati agatur; sed peccabit contra iustitiam legalem, si agatur de bono communi, cui exinde *directe* inferatur detrimentum.

CAPUT VII.

DE OBLIGATIONIBUS MEDICORUM, CHIRURGORUM, ET PHARMACOPOLARUM

31. — Tenentur ante omnia sub gravi 1° habere scientiam et peritiam sufficientem; 2° adhibere diligentiam proportionatam gravitati rei, quae ipsorum curae committitur. Si autem in his deficiant, tenentur de omnibus damnis, quae inde sequuntur.

Insuper operam suam gratuito praestare debent pauperibus, qui in necessitate versantur (*a*), ut supra *n. 11*, de advocatis dictum est.

In curandis autem infirmis sequentes regulas servare debent:

I. Tenentur sequi opiniones medicorum securas et tutas, saltem ordinarie, quia periculum aegroti ex probabilitate removeri non potest.

II. Quando certum est, aliquod pharmacum infirmis profuturum esse, tenentur illud adhibere, omisso dubio; si autem certum desit, probabilius praeferre debent.

III. Quando nulla apparet spes de sanitate infirmi, nec adest remedium nisi dubium, seu de quo dubitatur an profuturum vel nociturum sit, illud adhibendum videtur (*b*). — *S. Lig. n. 291.*

Hinc peccat graviter medicus, 1° si absque sufficienti capacitate gravem morbum curare aggrediatur. 2° Si incurrente gravi et insolito morbo, specialem operam non impendat. 3° Si medicamenta inexplorata, explorandi gratia, adhibeat. 4° Si non bene perspecta morbi natura, temere praescribat remedia periculosa, praesertim cum discrimine vitae vel gravis laesionis. 5° Si agnito aegroti periculo, opportune non adsit, diu noctuque eum invisendo, si opus sit, et omnia media apta ad morbum propellendum non adhibeat. 6° Si medicos alios advocari non permittat, ubi oporteret, vel si alios consulendi causa convocans, ad amicitiam potius quam ad peritiam attendat. 7° Si e contrario sine necessitate alios medicos advocet cum expensis inutilibus aegroto, aut si contra suam conscientiam eorum consiliis adhaereat. 8° Si curationem protrahat lucri causa, visitationes inutiliter multiplicet, ubi pro singulis salarium exigitur; vel si pretium nimium exigat. 9° Si ad favendum pharmacopolis amicis, pharmaca superflua praescribat. 10° Si abortum, aut media illum procurandi, suadeat aut ipsemet exequatur. 11° Tan-

(*a*) Idem dicito, si stipendium a Communitate recipiant; licet non quaelibet munerum receptio ob hoc eis interdicatur. Cavendum tamen, ne in hoc ita se gerant, ut iam vulgo constet, ex munerum largitione pendere eam in medendo diligentiam, quae alioquin ratione stipendii adhibenda erga infirmos est.

(*b*) Quo sensu admitti hoc possit, *vide in not. seq. ad n. 34.*

dem graviter, imo gravissime peccat medicus, si non praemoneat de gravi periculo aegri, ut ipsi Sacramenta conferantur. — *S. Lig. n. 291.; et lib. 3. n. 182.*

32. — Pharmacopolae, si pauca excipias, peccant fere ut medici in casibus modo expositis, praesertim vero pharmaca vetusta adhibendo, inutilia vendendo, puellis gravidis ad foetum eiiciendum media subministrando, mandata medici non fideliter exequendo, v. gr. unum medicamentum pro alio porrigendo, etc. — *S. Lig. ibid.*

33. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Ad quid specialiter teneatur medicus quoad animam aegrotantis, cuius curam suscepit?*

Resp. Tenetur *per se* sub gravi, eum admonere de gravi periculo, in quo versetur, et de necessitate Sacramenta recipiendi, ne decedat absque absolutione, Viatico et Extrema Unctione. Constat 1° ex lege naturali, seu ex praecepto charitatis. Constat 2° ex *Decretali* notissima *Innocentii III,* confirmata et renovata ab aliis subsequentibus SS. Pontificibus. Constat 3° ex *Concilio generali Later. ann. 1215 (cap. Cum infirmitas* (*a*), *13. de Poenit. et remiss.).* — Non tamen semper est necessarium, ut medicus *per se* moneat aegrum de proximo mortis periculo. Sufficit interdum, ut curet, eum admoneri a propinquis vel amicis, ita ut benevole Sacerdotem admittat, atque ad recipienda Sacramenta inducatur. Si aeger notum habeat Confessarium, satis erit, si iste de statu poenitentis sui moneatur; tunc enim eum invisendo efficacius ipsum movere poterit ad saluti animae suae providendum. Caveat autem medicus, ne diutius monitionem differri patiatur. Non enim protrahere debet, usquedum certum sit mortis periculum; sed ad hoc officium tenetur, quando advertit periculum graviter imminere. Si hunc morem servarent medici, non adeo aegroti admonitionem reformidarent, nec ad confessionis mentionem terrore corriperentur.

34. — Quaer. 2° *An peccet graviter medicus, qui tempore pestis aegrotos deserit, ne luem contrahat?*

Resp. Affirm. per se, nisi sint alii medici, qui opem sint aegrotis praestituri. Ratio est, quia medici ex officio ad bonum commune societatis constituuntur: unde in communi periculo non sibi, sed

(*a*) Caput *Cum infirmitas,* reipsa nihil est aliud, quam *Decretalis* illa notissima *Innocentii III* ab Auctore paulo ante allegata, quaeque XXII locum obtinet inter Decreta Concilii Gen. Lateranensis IV, cum titulo: *Quod infirmi prius provideant animae quam corpori.* Sapientissime autem Patres Lateranenses adverterunt, hoc decretum etiam ad vitandum corporalis salutis periculum prodesse. *Hoc quidem* (inquiunt) *inter alia huic causam dedit edicto, quod quidam in aegritudinis lecto iacentes, cum eis a medicis suadetur, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, unde facilius periculum mortis incurrunt.* Contra, ut cum Io. Andrea advertit Sylvester (*Sum. V. Medicus 3.*), *ex quo infirmi sciant, hoc medicos dicere in omni infirmitate, mortali et non mortali, ex praecepto, cessabit timor et periculum.*

societati consulere debent; privatum enim incommodum publico bono cedere debet (*a*). — *Ita omnes Theologi.*

Quaer. 3° *An medicus remedia dubiae efficaciae applicare possit, ubi de infirmo desperatur?*

Resp. 1° Adhibendum est remedium probabiliter profuturum, si aliud certius non habeatur. Ratio est, quia meliori modo, quo fieri potest, infirmo providendum est: tunc vero absque ullo damni periculo ipsi succurritur.

Resp. 2° Non potest applicari infirmo, etiam desperato, remedium, de quo simpliciter dubitatur utrum sit salutare, an vero noxium, idque ad experimentum pro aliis infirmis faciendum. Ratio est, quia omnino illicitum est experimentum cum alienae vitae discrimine quaerere.

Resp. 3° Si remedium sit certo non nociturum, et dubie profuturum, omnino est applicandum. Ratio patet; spes enim aliqua affulget infirmum a morte eripiendi, nec ullum imminet periculum.

Resp. 4° In mero dubio, num remedium sit profuturum, an nociturum, extra casum aegri desperati (*b*), non est praebendum, sed expectandum ut natura, Deo auxiliante, seipsam sublevet. — *Ita S. Antoninus,* cuius haec sunt verba, *p. 3. tit. 7. c. 2: Si dubitat* (medicus) *de medicina, an debeat obesse aut prodesse, male facit dando, quia in dubio potius debet dimittere infirmum in manu Creatoris.*

CAPUT VIII.

DE OBLIGATIONIBUS CUSTODUM

35. — Custodes ii sunt, qui custodiae silvarum, agrorum, etc. a Principe vel a communitate, vel a domino privato praeficiuntur.

(*a*) Fac distinguas inter medicos, qui ratione stipendii a Communitate illis constituti tenentur ex iustitia, et medicos, quibus nullum a Communitate certum stipendium tribuitur; hi enim ex sola charitate tenentur, quae sane cum gravi vitae discrimine non obligat.

(*b*) Auctor hoc loco videtur excipere *casum desperatae salutis,* cum tamen in praec. Resp. 2° neget, infirmo *etiam desperato* licite applicari remedium, de quo *simpliciter dubitatur, utrum sit salutare, an noxium.* Verum evanescet apparens haec antilogia, si *Responsum secundum* intelligas de dubio *negativo,* adeo ut illud, *dubitatur,* idem valeat, ac *ignoratur,* uti clarius ita habet S. Alphonsus (*Lib. 1. n. 46.*): *Certum est 2° non licere applicare infirmo etiam desperato remedium, de quo ignoratur, an sit salutare vel noxium, ad experimentum faciendum super infirmo.* Postremum vero responsum intelligetur de remedio, quod posse prodesse infirmo ratio aliqua suadeat. De quo tamen casu S. Alphonsus duplicem sententiam ponit, alteram negantem, hoc remedium esse licitum, alteram vero affirmantem; de qua idem S. Alphonsus ita iudicat: *Secunda tamen sententia, quae satis probabilis est, et forte probabilior,... affirmat esse licitum; quia cum de infirmo desperatur, conformius est prudentiae et voluntati infirmi (praesertim si ipse expresse in hoc consentiat) applicare illi remedium dubium, quam illud omittere cum certitudine mortis.*

Praeter peccatum, quod negligenter custodiendo committunt contra iuramentum (*a*), peccant contra iustitiam commutativam erga damnificatos; et in damnificantium defectum tenentur de damnis culpabiliter non impeditis praesertim in sequentibus casibus:

1° Si delinquentes in materia gravi non deferant intra tempus determinatum. *Probabilius* tamen tenentur tantum ratione damni, non vero multae. 2° Si dilationem debite factam postea coram iudice non sustineant; si munera accipiant ad non deferendum. 3° Si innocentes deferant ex odio, vindicta, etc., aut si denuntient pro damnificatione mere casuali. — *S. Lig. n. 237.; et Hom. apost. n. 73.*

36. — Quaer. *An custodes semper teneantur delinquentes denuntiare?*

Resp. Tenentur denuntiare, quoties damnum notabile est, nisi delinquentes sponte se offerant ad illud secreto compensandum. Possunt autem aliquando mitius agere cum damnificatoribus, si damna, v. gr. sint minoris momenti, nec sint saepius repetita; si prudenter praesumi possit, nolle dominum, ut delinquens deferatur; si delinquens sit valde pauper, nec solitus sit delinquere, etc.; sed caveant sedulo custodes, ne in his plus aequo indulgeant.

CAPUT IX.

DE STATU ARTIFICUM ET OPIFICUM

37. — Artifices et opifices sedulo a Confessario examinandi sunt: plerumque enim tacent in confessione iniustitias et peccata suae conditionis propria.

I. In genere iniusti sunt opera sua vendendo, aut locando iniusto pretio; occultos operum defectus non manifestando iuxta dicta de venditione; negligentia culpabili tempus terendo; alios operarios a labore avertendo; opus male exequendo sive nimia praecipitatione sive rerum necessariarum omissione, etc.

II. In particulari autem praecipue iniusti sunt

1° Aurifabri et argentarii, qui aurum et argentum adulterant, inter vacua plumbum infundunt, adamantes aut infra iustum etiam infimum valorem ab ignorantibus emunt, aut confictos seu artefactos quasi naturales vendunt.

(*a*) Supponitur nimirum, iuramentum ab istis exigi; quod tamen facile patet, imprudentissimum esse, et unice ad conscientias etiam timoratorum implicandas et illaqueandas idoneum. Quippe vel pauca illa, quae A. subiicit, ostendunt, permultas, easque ad solvendum non faciles quaestiones in hac materia occurrere; itemque nemo ignorat, haud faciles esse ad solvendum quaestiones de iuramenti obligatione, quando scilicet et qualis adsit pro casuum diversitate; aliunde vero hic agitur cum hominibus ingenio ac doctrina rudibus, qui vix clarioribus et crassioribus pervidendis habiles reperiuntur. Quid igitur ab eiusmodi iuramentis expectandum, nisi difficultatum insolubilium congeries?

2° Pannifices et lanifices, qui lanam minoris pretii bonae immiscent, tantique divendunt, quanti si tota materia foret eiusdem qualitatis; qui initium et finem voluminis panni ex lana multo meliori texunt; qui fucatis coloribus utuntur; qui decepti pannos emendo, alios pariter vendendo decipiunt.

3° Molitores, qui grana immutant, aut eis res extraneas nullius fere valoris immiscent, uti fabas, ad augendum pondus et massam; qui pro salario detinent aliquid de frumento vel farina ultra praxim timoratorum.

4° Pistores, qui male coquunt; qui farinae triticeae aliam ex siligine, hordeo, fabis, etc. malitiose immiscent; qui pondus fraudulenter imminuunt.

5° Laniones, qui corruptas carnes vendunt, aut deteriorem qualitatem pro meliori tradunt.

6° Sartores et sutores, qui male secant; qui panno aut corio corrupto vel adusto utuntur; qui partem panni sibi traditi retinent, fingendo se totum in opere conficiendo adhibuisse.

7° Opifices petasorum, qui petasos rursus stipatos aut tinctos pro novis, aut quasi a longiori tempore in officina exstantes vendunt.

8° Typographi, qui exemplaria excudunt in maiori numero, quam conventum est, et sibi ea retinent; qui adulterinas editiones contra ius habentis privilegium faciunt (*a*); qui emendatores habent imperitos, qui papyrum non adhibent eiusdem qualitatis ac in programmate promiserunt, etc... — *Vide S. Lig. n. 292.*

(*a*) Inspiciendum tamen, an leges, eiusmodi privilegium concedentes, haberi queant, nec ne, uti mere poenales, sive adulterinae sive non adulterinae sint editiones, quas alii contra privilegium moliantur.

PARS SECUNDA

DE STATU CLERICORUM

Agendum 1° de obligationibus communibus Clericorum; 2° de quorundam obligationibus peculiaribus.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS COMMUNIBUS CLERICORUM TUM POSITIVIS TUM NEGATIVIS

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONIBUS POSITIVIS CLERICORUM

Clerici praecipue obligantur: 1° ad vitae sanctitatem; 2° ad caelibatum; 3° ad habitum ecclesiasticum et tonsuram; 4° ad Horas canonicas.

§. I. *De vitae sanctitate.*

38. — Quanta debeat esse Clericorum interna sanctitas et exterior aedificatio, nec demonstratione, nec expositione indiget. Id enim manifeste arguit ipsa sola Clericatus et Sacerdotii idea. Perpaucis igitur declarabimus Clericos pios, sanctos et modestos esse debere, tum ex eorum status natura, tum ex Scriptura, Patribus et Conciliis.

1° *Ex natura status clericalis.* Sanctissimum est Clericorum ministerium, cum semper ad res sacras, ad Sacramenta fidelibus conferenda, ad laudes divinas solemniter nomine Ecclesiae persolvendas, ad Christianum populum de via salutis aeternae edocendum, necnon ad sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum proxime vel saltem remote applicentur. Cur enim sunt Clerici et Sacerdotes in Ecclesia constituti? Ut sint, teste Evangelio, sal terrae et lux mundi. Porro tales non possunt esse, nisi insigni et praeclara morum sanctitate praefulgeant. Non solum adimplendorum officiorum sublimitas, et excellentia, sed etiam vestes, quibus induitur Clericus, clamant ipsum sanctitatem profiteri debere. Hinc ait *S. Hieronymus, Epistola 58.: Clamat vestis, clamat status, clamat professio animi sanctitatem.*

2° *Ex Scriptura.* Sic de Sacerdotibus antiquae legis aiebat Dominus, *Levit. 21. 6.: Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen eius: incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti*

erunt. Item apud *Isa. 52. 12.* dicitur: ***Mundamini, qui fertis vasa Domini.*** Porro si tantae vitae sanctitas requirebatur in Sacerdotibus, qui boves, et oves, aliaque animalia Deo offerebant, quid requirendum erit in iis, qui ipsum divinum Agnum sacrificant? Et si tanta mundities requirebatur in iis, qui vasa Domini ferebant, quaenam animi puritas requirenda est in iis, qui in manibus Dominum ipsum portant? Lege etiam *D. Paulum ad Titum, Timoth.* etc.

3° *Ex Patribus.* Sic *S. Chrysostomus, hom. 10. in I. Epist. ad Timoth.: Sacerdos debet vitam habere immaculatam, ut omnes in illum, veluti in aliquod exemplum excellens, intueantur; idcirco enim nos elegit Deus, ut simus quasi luminaria et magistri caeterorum, ac veluti Angeli versemur in terris.* S. Thomas docet sanctitatem maiorem in Sacerdote requiri quam in simplici Religioso, inquiens *2. 2. qu. 184. art. 8: Per sacrum Ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in ministerio Altaris; ideo ad hoc requiritur maior sanctitas interior, quam requirit etiam status Religionis* (*a*). Et *suppl. q. 35. art. 4: Ad idoneam executionem Ordinum, non sufficit bonitas excellens, ut sicut illi, qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis.*

4° *Ex Conciliis.* Innumera habentur in Iure canonico de sanctitate Clericorum, quae etiam Conciliis permultis confirmantur. Sufficiat autem referre id quod habet *Concilium Trid. solemni Decreto sess. 22. c. 1. de Reformat. Sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum prae se ferant.*

§. II. *De caelibatu.*

39. — Clerici omnes, sacros Ordines suscipientes, ipso facto obligationem caelibatus contrahunt. Constat ex variis Iuris canonici Decretis; sed praesertim ex *c. 1. d. 28.*, ubi *D. Gregorius* sic praescripsit: *Nullum subdiaconum facere praesumant Episcopi, nisi qui victurum caste promiserit, quia nullus ad ministerium Altaris accedere debet, nisi huius castitas ante susceptum ministerium fuerit probata.* — Item ex *Conc. Trid. sess. 24. c. 9.*, ubi sic definitum est: *Si quis dixerit clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, anathema sit.*

40. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An obligatio caelibatus sit de iure divino?*

** (*a*) Comparat hoc loco S. Thomas sacerdotem cum Religioso laico, et mere contendit, *sacerdotem* quoad dignitatem ob praeeminentiam Ordinis *religioso laico* praecellere.

Resp. Neg. cum sententia communi contra *aliquos;* sed est ex mera institutione ecclesiastica : scilicet ex vi praecepti Ecclesiae, vel etiam ex voto sacris Ordinibus adnexo. Ratio est, quia caelibatus tantum ex praecepto Ecclesiae vel Apostolorum fuit introductus. Patet insuper ex *Conc. Trid.* supra relato, ubi dicitur: *Non obstante lege ecclesiastica.* Ergo etc. — *Ita communiter Theologi.* — *S. Lig. de Ordine, Lib. 6. n. 807.* Potest igitur Ecclesia ab illa obligatione dispensare. Sed nunquam dispensat cum constitutis in sacris, ut matrimonii vinculo adstringi queant, nisi ea lege ut ab officiis clericalibus omnino arceantur. Sic *Pius VII* convalidavit sacrilega matrimonia nonnullorum Sacerdotum, qui tempore perturbationis gallicae nuptias inierant.

41. — Quaer. 2° *An obligatio caelibatus procedat immediate ex praecepto Ecclesiae, vel mediate, scilicet ex voto quod in ipsa ordinatione emittitur* (*a*)?

Resp. Quidam probabile putaverunt obligationem esse ex sola lege ecclesiastica; quae tamen opinio originem habet, ut videtur, ex doctrina quorundam veterum perperam intellecta; sed communior et tenenda sententia dicit, hanc obligationem ex voto oriri. Et sane nisi eam ex voto repetas, probabile foret, Clericum non esse reum sacrilegii in peccatis internis contra castitatem, quod est contra omnium sententiam (*b*).

(*a*) Aptius et clarius controversia proponitur quaerendo, *num haec obligatio castitatis oriatur ex mero Ecclesiae praecepto, an vero etiam ex voto sacris ordinibus adnexo.* Cui quaestioni prona se offert responsio, Ecclesiam velle tum ut clerici servent castitatem, tum ut castitatem ex voto profiteantur. Quocirca lex ecclesiastica clericis et castitatem, et simul modum castitatem profitendi, scilicet ex voto, praecipit.

(*b*) Quando statuas, probabiliter clericos vi dumtaxat ecclesiasticae legis ad castitatem servandam obligari; alius forte subsumet, humanas leges ad actus mere internos non pertingere, uti habet opinio saltem extrinsece ex auctoritate probabilis. Et si quidem lex ecclesiastica ad hosce actus sese non porrigat, per eos igitur peccabit sane clericus contra naturalem legem, non vero contra ecclesiasticam, e qua sola in illos actus sacrilegii reatus deduci posset. Actus ergo mere interni non inficientur malitia sacrilegii; unde etiam consequetur, circumstantiam sacri Ordinis in confessione horum peccatorum non esse necessario exprimendam.

At enim cum eiusmodi consectarium aperte repugnet doctrinae, quam uti certam communissime habent DD., clericum nempe in sacris constitutum per peccata etiam mere interna contra castitatem reatum quoque sacrilegii, in confessione necessario exprimendum, incurrere (*Vid. Tambur. De Sacram. Lib. 7. Cap. 3. §. 3. n. 7. — Verricelli, Tr. 4. Quaest. Mor. 5. n. 2. — S. Alph. Lib. 3. n. 454.*); concludendum ergo est, sin minus in utraque, saltem in alterutra illarum praemissarum, e quibus consectarium illud sponte et legitime profluit, latere vitium, ac perperam ipsi probabilitatem tribui. Quippe probabilitas praemissarum probabile efficeret consectarium; probabilitas autem illius consectarii cum contradictoriae certitudine cohaerere non potest.

Eiusmodi porro vitium merito A. deprehendit in probabilitate, quae per meram aequivocationem tributa fuit propositioni, castitatis obligationem quoad clericos ex mera lege ecclesiastica immediate repetenti. Dixi

42. — Quaer. 3° *An obligatio caelibatus sit universalis in Ecclesia?*

Resp. Datur aliqua exceptio ex tolerantia Ecclesiae apud Orientales. In orientali enim Ecclesia sacerdotes quidem nunquam ma-

per meram aequivocationem; si enim non alienis, sed tuis oculis diligenter de sententia inquiras illorum auctorum, quos, tamquam illius opinionis patronos, longo agmine recensitos habes apud Sanchez (*De matrim. Lib. 7. Disp. 27. n. 9.*), et post Sanchez apud Aversam (*De Ord. Q. 4. Sect. 7. §. Praeferendus*); perperam plerosque eorum, utpote quaestionem prorsus diversam agitantes, reperies allegari. Et sane plures ipsorum nullatenus quaerunt, undenam sit perfectae castitatis obligatio quoad clericos, ex votone, an ex mero praecepto Ecclesiae, sed unde sit vis dirimendi seu irritum reddendi matrimonium, quod clericus post susceptum sacrum ordinem forte contrahat, nimirum num id ex natura sacri ordinis, num vi voti, an vero ex lege tantum ecclesiastica sit repetendum. Statuunt autem, hoc non profluere ex natura sacri Ordinis, tum quia contradicit mos in Ecclesia graeca toleratus, tum quia S. Pontifex potest dispensare; item non vi voti, tum quia irritum habetur matrimonium etiam illius clerici, qui forte vovere, saltem interna voluntate, noluerit, tum quia ne solemne quidem monachi votum *per se,* sed per Ecclesiae statutum hanc vim habet. Quocirca merito concludunt, eiusmodi matrimonii invaliditatem a sola ecclesiastica lege deduci posse: quae conclusio immerito confunditur cum opinione, quae omnimodae castitatis obligationem (quae inesse potest etiam citra vim dirimendi matrimonium), a sola Ecclesiae lege repetit. Ne perperam autem haec iactari videantur, grave lectori non fuerit, genuina horum DD., qui ceu contrarii obiiciuntur, sensa heic subiecta propriis oculis inspexisse.

Scoti itaque conclusio haec est (*In 4. Dist. 37. q. unic.*) quod *Ecclesia facit talem personam simpliciter illegitimam,* scil. ad nuptias. Idem dicito de Innocentio III, et Henrico a Gandav., quorum alter (*In C. Placet 12. De Convers. Coniug.*) mere dicit, ex constitutione Ecclesiae esse, quod presbyter, mortua priori uxore, aliam ducere non possit; alter vero (*Quodl. 5. q. 38.*), Ecclesiam utique a Clerico continentiam exigere, non tamen dirimere matrimonium ante susceptos Ordines contractum. His adde Bellamera, qui (*In C. De illo 5. Dist. 32. n. 4.*) hoc unum statuit, posse Papam dispensare cum subdiacono, quia prohibitio de non contrahendo matrimonio non est de iure naturali aut divino, sed ecclesiastico. Durandus vero (*In 4. Dist. 37. q. 1. ad 1.*) et ipse mere concludit: *Dum Ordinem sacrum* (*clerici*) *suscipiunt, ex tunc sunt inepti et illegitimi simpliciter ad contrahendum* (*matrimonium*) *ex statuto Ecclesiae.* Et a Durando transcripsit Turrecremata (*In C. Placuit 13. Dist. 32. art. 1. n. 6. ad 5.*) inquiens: *Sacer ordo impedit matrimonium contrahendum et dirimit contractum, non ratione ordinis absolute..., nec ratione voti adnexi..., sed impedit completive ex statuto Ecclesiae faciendo personas illegitimas ad contrahendum,* etc. Nec aliter Paludanus (*In 4. Dist. 37. q. 1. Concl. 2.*), ubi scribit: *Quilibet* (*ordo sacer*) *dirimit contractum* (*matrimonium*) *non ratione voti adnexi, sed statuti Ecclesiae.* Hallucinatio autem eorum, qui haec ita intellexerunt, quasi negaretur *votum adnexum,* patet *ex q. 2. Concl. 2.*, ubi Paludanus expresse hoc votum imo asserit: *Solemne votum* (ait), *quod dirimit, non est nisi vel Ordinis sacri, vel Religionis approbatae, ut dicit nova Decretalis,* scilicet Bonifacii VIII, *in C. unic. de Voto in VI.* Hoc idem cernis apud Henricum (*In C. Ex litterarum Tit. Qui clerici vel voventes, n. 2.*), qui haec habet: *Characterem, qui animae imprimitur, retinent* (*clerici*), *nec per depositionem tolli potest: unde depositum* (*clericum*) *clericaliter vivere oportet,... et characteri adnexum est votum continentiae.*

trimonium inire possunt post ordinationem sacerdotalem, vel etiam post diaconatum; sed coniugati ante diaconatum possunt ad Ordines ulteriores provehi, et nihilominus cum uxoribus conversari. Excipiuntur Episcopi, qui omnes perfectam castitatem constanter

Sed quod magis mirum est, allegantur pro opinione votum negante etiam illi, qui aperte ipsum votum asserentes, deinde disputant, an illud ordini adnexum sit iure divino, an humano, vel utrum votum illud matrimonium suapte vi dirimat, an solum ecclesiastico statuto. Ita Archidiaconus (scil. Guido a Baiiso) dum refutat eos, qui suapte natura votum Ordini adnexum asserebant, idque contra ad Ecclesiae constitutionem refert, ipsum votum sic concedit (*In C. Cum in praeterito 3. Dist. 84.*): *Est argumentum, eum, qui accepit ordinem, hoc ipso facere votum continentiae, etsi non exprimatur: ex quo enim aliqua sibi adnexa sunt, qui accipit unum, cum non possit esse sine altero, alterum videtur accipere.* — Ita et Praepositus, scil. Io. Antonius a S. Georgio (*In Rubr. Qui Clerici vel voventes n. 6.*): *Habetis ergo, quod continentia, etiamsi per votum solemne ad eam quis alligetur, non includitur a iure divino, sed a lege positiva Ecclesiae, et ideo votum solemne matrimonium dirimit potius ex constitutione Ecclesiae, quam iure divino... Nam iure divino Sacerdotes* (Synagogae) *poterant contrahere matrimonium, et etiam Ecclesia Orientalis habet, ut contrahant matrimonium Sacerdotes,* scil. retineant uxorem antea ductam. — Valentia autem (*Controv. Lib. unic. De Caelibat. Cap. 2.*) quaestionem sic instituit: *Utrum votum solemne continentiae sit annexum sacris Ordinibus non modo iure ecclesiastico, sed etiam divino.* Quod repetit in Commentariis Theol. (*Tom. 4. Disp. 9. q. 5. punct. 5. §. 1.*) statuens, *legem caelibatus quoad omnia illa, quae includit, esse tantummodo iuris ecclesiastici, non divini: atque adeo votum continentiae iure tantum ecclesiastico sacris Ordinibus annexum esse.* Et Ioannes Guttierez (*Quaest. Canonic. Lib. 2. Cap. 7. n. 2.*): *Licet votum explicitum castitatis* (clerici) *non emittant, nec sit essentialiter annexum debitum continentiae Ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiae, implicitum nempe, in ipsa Ordinis susceptione abditum; ideo constitutione Ecclesiae eam tenentur servare.... Eo enim ipso, quod quis promovetur ad sacrum Ordinem, tacite intelligitur vovere continentiam, etsi nulla fiat mentio de voto continentiae.*

Neque minus abs re pro illa opinione allegantur Aegidius De Coninck, et Palaus, quippe qui clericalis continentiae obligationem cum a voto, tum ab ecclesiastica lege immediate repetunt. Ita prior (*De Sacram. Disp. 20. Dub. 13. n. 130.*): *Etsi secunda sententia relata n. 126.* (nempe quae obligationem ex solo voto immediate deducit) *sit probabilis ob plurimorum DD. auctoritatem; tamen credo, probabilius esse, suscipientes sacros Ordines praeter obligationem voti ibi explicatam, ex lege ecclesiastica immediate etiam obligari ad continentiam.* Et Palaus (*Tract. 27. Disp. unic. punct. 17. n. 5.*): *Verius existimo cum Aegidio De Coninck, initiatos sacris ordinibus non solum ex voto, sed ex speciali lege ad servandam castitatem adstringi.* Movebantur scilicet hi Auctores, quod si quis ex ignorantia aut malitia in suscipiendo sacro Ordine non voveret, hic nullo modo, contra ac DD. universi docent, ad castitatem adstringeretur. Et haec quidem ratio nonnullos etiam ex vetustioribus, de quibus superius diximus, permovit, ut invaliditatem matrimonii a clerico contracti, non a voto sed ab ecclesiastico statuto profluere dicerent; videlicet ne si votum, quod a voluntate cuiusque emitti debet, quispiam non emitteret, validum eius coniugium habendum foret.

Pro opinione itaque, quae castitatis clericalis obligationem unice ecclesiasticae legi tribuit, nonnulli dumtaxat supersunt *Iuristae*, quos innuit etiam Zabarella (*in Clement. Ad nostrum De haereticis*). Qui quidem dum

servare debent. Apud Graecos autem subdiaconatus inter sacros Ordines non adnumeratur. Hinc Clericis non coniugatis in ordinatione diaconatus praeceptum castitatis imponitur.

quaererent, cuiusnam criminis, adulteriine, an incestus, etc., reus, quave poena dignus esset presbyter fornicarius, eo usque provecti sunt, ut contra communem omnium Thh. sententiam nullum alium, nisi simplicis fornicationis reatum illi adscriberent, inanibus scilicet ducti ratiunculis, tum quod in C. *Presbyter, 5. Dist. 82.* hoc delictum *fornicatio* dicatur (*Presbyter, si fornicationem fecerit*), tum quod clerici non solemniter voveant, licet (ut addit Decius *in C. At si clerici. De Iudiciis n. 227.*) *castitatem promittant.*

Cum huic igitur opinioni nulla solida ratio suffragetur, auctoritas vero, propter quam nonnulli aliquam ipsi probabilitatem tribuerunt, demum resolvatur in suffragium aliquorum Iuristarum, qui vanis ratiocinationibus ad opiniones communi Theologorum doctrinae oppositas declinarunt; cumque auctoritati Bonifacii VIII, *in C. Unic. de Voto in VI* accedat Constitutio Benedicti XIV *Inter praeteritos* 3 Dec. 1749, in qua (§. 41.) diserte dicitur, votum in S. Ordinis susceptione solemne emitti; concludi debet, perperam eam opinionem appellari *probabilem.* Quam quidem conclusionem eo libentius quisque admittet, quo certius inter omnes constat, clerici sacris Ordinibus initiati peccatis contra castitatem, licet mere internis, malitiam sacrilegii accedere.

** Nihil de S. Alphonso, ut legenti patet, dictum in hac Nota fuerat. Quia tamen etiam S. Alphonsus *probabilem* habuit opinionem, quae ex sola ecclesiastica lege obligationem servandi castitatem repetit quoad clericos, ecce VV. (*Pag. 327. Not. 1.*) et hanc Notam impugnandam censuerunt.

Ac 1° quidem ut argumentum enervent, quod desumitur ex communissima DD. sententia, nempe sacrilegii reos evadere clericos per actus etiam mere internos, quos tamen lex humana, iuxta sententiam saltem extrinsece probabilem, non attingit, obiiciunt, posse ab Ecclesia praecipi saltem *indirecte* actus internos, si cum actibus externis connectuntur tamquam effectus et causa.

Resp. *Transeat Antecedens,* et *Nego Consequentiam.* Nam notissimum est, peccata etiam gravia contra castitatem committi posse per actus mere internos, qui nullo modo cum externis ceu causa et effectus connectantur... Et nihilominus ex unanimi DD. consensu haec peccata in S. Ordine initiatis malitiam sacrilegii contrahunt. Ergo in ea opinione vitari non potest eiusmodi absurdum, quod per se sufficit ad omnem probabilitatem ipsi adimendam.

2° Addunt VV., *extrinsecum valorem* (probabilitatem scilicet extrinsecam opinionis, quae in Nota reiicitur) *a S. Alphonso praecipue repeti, non ex veteribus quibusdam iuristis, sed ex ipsis S. Concilii Tridentini verbis.*

Resp. Quispiam forte merito mallet, iuristas quosdam a S. Alphonso fuisse allegatos, potiusquam theologos *Scotum, Palaum, Valentiam* etc. Quippe illi, licet minus efficaciter, tamen ad rem facere aliquo modo videntur, quia hanc quaestionem tangunt; non item isti.

Quod vero attinet ad Can. 9. Sess. 22. S. Synodi Tridentinae, hic multo etiam minus ad rem adducitur. Nam etsi id supponas, quod negari debet, non obstare hunc canonem, quominus dicatur, sola lege ecclesiastica clericos in sacris a nuptiis arceri, et invalide ab iis nuptias contrahi; numquid eiusmodi lex a nuptiis arcens et invalidas easdem statuens, confundi cum lege potest, quae quodlibet peccatum contra castitatem ab iis clericis commissum, sacrilegii reos ipsos reddat? Dixi autem eam hypothesim negandam. Ut enim indicatum in Nota est, post declarationes tum Bonifacii VIII, tum Benedicti XIV., fas non est negare, clericos in sacris constitutos solemni castitatis voto adstrictos esse.

Quaer. 4° *An teneretur ad castitatem, qui expresse nollet castitatem vovere?*

Resp. Hic teneretur nihilominus ad castitatem, sin minus ex voto, cum nemo invitus voto ligari queat, sed certe ex praecepto Ecclesiae, quae ex motivo Religionis eum ad castitatem, deficiente voto, adstringeret (*a*).—*Ita communiter* cum *S. Lig. lib. 6. n. 809.*— Alii volunt, illum teneri ad votum castitatis emittendum; et posse Ecclesiam ad id eum obligare, nemo diffitebitur.

43. — Quaer. 5° *An vel quandonam coniugatus, vivente uxore, sacros Ordines suscipere valeat?*

Resp. Licite potest coniugatus ad sacros Ordines promoveri ex licentia uxoris expressa et omnino spontanea, modo et ipsa castitatem voveat. Non autem tenetur tunc uxor ingredi Religionem iuxta probabiliorem sententiam (*b*) contra *Sanchez*, etc. Excipiendum tamen, nisi vir fiat Episcopus, vel Religiosus, et uxor sit iuvenis (*c*). — *Ita S. Lig. Lib. 6. n. 812.* — Alii dicunt, quod uxor tunc tenetur quidem Monasterium ingredi, sed non profiteri: alii tandem ab omni obligatione, praeter votum castitatis, illam eximunt (*d*).

44. — Quaer. 6° *An uxor, quae vovit castitatem extra Religionem post viri ordinationem, possit, eo defuncto, valide matrimonium contrahere?*

Resp. Duplex est sententia probabilis.

1ª Sententia *negat,* et innititur Iure can. c. *Quia sunt, 10. D. 28.*, ubi dicitur de tali matrimonio: *Qui male sociati sunt, disiungantur.* Ratio autem huius decisionis est, quia Ecclesia ob re-

(*a*) Quod quidam dixerunt, *quod talis si peccaret contra castitatem, non committeret sacrilegium,... hoc nec satis probabile videtur, et est contra communem,* quia castitas ex motivo virtutis religionis praeciperetur. — *S. Alph. Lib. 6. n. 809. q. 2.*

(*b*) *Nunc autem ex consuetudine tantum recepta non admittitur vir ad sacros Ordines, nisi uxor, quae iuvenis est, religionem ingrediatur et profiteatur, et quae senex est, voveat continentiam.* Ita Pontius *De Matr. Lib. 7. C. 25. n. 7.*

(*c*) Haec limitatio, *si uxor sit iuvenis,* intelligenda est solum de causa viri religionem profitentis, non vero de promoto ad Episcopatum. Quippe uxor illius, qui in Episcopum eligatur, omnino ad monasterium, etiamsi senex sit, transire debet. Sic enim *in C. Sane 6. De Convers. Coniug.* Alexander III statuit: *Auctoritate Apostolica prohibemus, ne uxoratum praesumatis in Episcopum ordinare, nisi uxor prius professa continentiam, sacrum sibi velamen imponat, et religiosam vestem assumat.*

(*d*) Verum isti auctores videntur ignorasse, quod in iure sancitum est (*C. Cum sis 4. De Convers. Coniug.*). Ita enim Alexander III: *Ignorare non debes, sanctorum Patrum constitutioni esse contrarium, ut vir uxore sua, vel uxor viro eius non assumente religionis habitum, debeat ad religionem transire. Inde est, quod auctoritate apostolica prohibemus, ne in episcopatu tuo virum vel uxorem (nisi uterque ad religionem migraverit) transire permittas. Verum si uxor ita senex est et sterilis, quod sine suspicione possit esse in saeculo, dissimulare poteris, ut ea in saeculo remanente et castitatem promittente, ad religionem transeat vir eiusdem.*

verentiam Ordinis a primo viro assumpti reddit uxorem inhabilem ad subsequens coniugium. Hanc sententiam vocat communiorem et valde probabilem *S. Lig. n. 812.*

IIa SENTENTIA *affirmat.* Ratio est, quia non constat, tale matrimonium esse irritum. Etenim 1° irritum non est ratione voti simplicis castitatis a tali uxore emissi; 2° nec est irritum ex speciali lege Ecclesiae: nam ex eo quod iubeantur coniuges separari, non sequitur eorum matrimonium esse invalidum; separatio enim iuberi potest in poenam secundi matrimonii contra votum et prohibitionem contracti. Hoc dicit sat probabile idem *S. Lig. ibid* (*a*).

§. III. *De gestatione habitus et tonsurae.*

45. — Clerici, saltem maioribus Ordinibus initiati, obligantur ad ferendam tonsuram et vestem clericalem. Constat ex universo Iure can. praesertim ex *Conc. Trid. sess. 14. cap. 6. de Reformat.*, ubi dicitur: *Quia vero etsi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant.* Insuper *ibid.* iniungitur Episcopis, ut praevaricatores serio moneant, et si non obtemperent, eos a sacris functionibus amoveant.

Habitus autem clericalis varius est pro variis regionibus. Standum est igitur tum consuetudini, tum particularibus locorum statutis.

46. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An peccent graviter Clerici non deferentes habitum?*

Resp. Affirm. per se, nisi adsit iusta ratio, vel excuset materiae levitas, seu temporis exiguitas. — *S. Lig. lib. 6. n. 825.* — *Bened. XIV, de Synod. dioecesana, l. 11. c. 8.* — *Ferraris, V. Clericus.*

Admittunt autem communiter, esse veniale semel tantum aut iterum habitum relinquere. Quantum autem temporis spatium requiratur ad peccatum mortale, non in genere, sed ex solis circumstantiis potest determinari.

(*a*) Pro hac opinione S. Alphonsus neminem habuit, quem allegaret, praeter Sotum et Pontium; quorum prior (*De Iust. et Iur. Lib. 7. q. 5. art. 3.*) vix pauca verba de hac re obiter scribit, ubi etiam supponit, sacerdotem, secus ac religiosum, non esse simpliciter inhabilem ad matrimonium; alter vero (*De Matrim. Lib. 7. Cap. 25. n. 10.*) argumento hoc innititur, quod Canones separari coniuges interdum iubeant, licet validum sit matrimonium; canon vero Toletanus delinquenti sacramentum in fine vitae concedat. At enim probandum insuper foret, eiusmodi separationem et interdictum sacramenti usque ad extremum vitae delinquentibus tunc solum iniunctam per canones fuisse, quando matrimonium validum extiterat, minime vero quando, licet invalide, attentatum tamen fuerat. Quod cum probari non possit, Pontii argumentum in merum sophisma recidit. Alioqui vero S. Alphonsus non diffitetur, priorem sententiam communi Theologorum et Canonistarum suffragio esse receptam, adeo ut contrariae opinionis vix aut ne vix quidem mentionem iniiciat. *Vid. Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 6. num. 40-42.*

Iter vero agentibus habitus permittitur contractior, sed nigri coloris, et in quo decus et honestas status clericalis eluceant. Potest autem habitus clericalis totaliter relinqui ex gravi causa, v. gr., si immineat persecutio, vel si per loca haereticorum, infidelium, vel impiorum hominum sit transeundum, etc.

47. — Quaer. 2° *An etiam Clerici in sacris non constituti teneantur sub gravi vel sub levi ad habitum clericalem deferendum?*

Resp. Negandum videtur quoad utrumque. Ex communi enim sententia ad id non tenentur sub *gravi,* secluso scandalo; nec probabiliter sub levi, *stricte loquendo,* et *per se,* quia obligatio videtur tantum imposita Clericis in sacris Ordinibus constitutis. Attendendum tamen est ad iura particularia, et ad locorum consuetudinem. Caeterum etiam simplices Clerici, quamdiu Clerici esse volunt, vestes modestiam clericalem redolentes deferre debent (*a*).

Excipiendi tamen sunt Clerici beneficiati, qui licet non sint in sacris, eadem lege, ac Clerici superiores, ad habitum deferendum teneńtur, et quidem sub poena suspensionis a beneficiis et omni ecclesiastica dignitate, ut constat ex Bulla *Sixti V: Cum sacrosanctae, die 9. Ian. 1588* (*b*).

48. — Quaer. 3° *An peccent graviter Clerici non deferentes tonsuram seu coronam?*

Resp. 1° Clerici, qui non sunt in sacris constituti, nunquam graviter peccant, nisi sint beneficiati. — *Ita communissime.*

Resp. 2° Etiam Clerici in sacris initiati saltem non peccant graviter, nisi omittant deferre tonsuram per tempus notabile (*c*), quale non est tempus unius vel alterius mensis. — An vero sit grave tonsuram non deferre per annum integrum, non liquet. *Communius* affirmant Theologi; sed non clare probatur. — *Vide S. Lig. Lib. 6. de Ordine, n. 820.*

§. IV. *De recitatione Horarum canonicarum seu divini Officii.*

49. — Horae canonicae dicuntur collectio orationum et lectionum a personis ad id deputatis, certis horis, singulis diebus recitandarum. Hinc Horae etiam dicuntur 1° *Officium divinum,* quod in honorem Dei recitatur; 2° *Officium ecclesiasticum,* quod nomine Ecclesiae persolvitur; 3° *Officium canonicum,* quod iuxta Canonum regulas recitandum est; 4° *Breviarium,* quod Officium illud est com-

(*a*) *Clericus non deferens habitum et tonsuram, si tertio admonitus ab Episcopo non emendatur, amittit privilegium non solum fori, sed etiam canonis.* S. Alph. (*Lib. 6. n. 827.*).

** (*b*) Haec suspensio vi Constitutionis S. P. Pii IX abrogata videtur.

(*c*) Quod A. (*sup. n. 46.*) advertit, posse ex gravi causa habitum clericalem licite dimitti, id ipsum de tonsura tenendum est, eoque facilius, quia non sicut vestes imminente periculo deponi cito et mutari queunt, ita tonsura potest cito, ubi opus sit, deponi.

pendium veteris et novi Testamenti, necnon sententiarum Patrum et vitae Sanctorum.

Origo divini Officii quoad substantiam ab ipsis Apostolorum temporibus videtur repetenda, ut colligitur ex variis locis *Act. Apost.*, ex testimoniis Patrum et ex variis documentis.

Decursu temporum varia fuit forma et quantitas Breviarii. *Conc. Trid. sess. 25. ad calcem,* novam reformationem Breviarii romani fieri mandavit. *S. Pius V.* illud correxit, additionibus nonnullis auxit, atque Bulla, *Quod a Nobis,* die 7 Iulii 1568, omnia alia Breviaria, quae ab institutione seu legitima consuetudine non superabant 200 annos, prohibuit. Nihilominus in Gallia infeliciter invaluit consuetudo, ut Episcopi plerique sua propria Breviaria haberent, et immutarent (*a*). Diu tacuit Ecclesia propter temporum calamitates, adeo ut hanc consuetudinem tolerare crederetur. Sed postremis hisce temporibus pro variis rerum adiunctis benigne mentem suam aperuit, atque exinde fere omnes Episcopos gestientes ad unitatem liturgicam redire pia Mater laetabunda cernit.

Totum Officium divinum in septem Horas dividitur, scilicet Matutinum cum Laudibus, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas et Completorium.

Agendum 1° de obligatione Breviarii; 2° de tempore ad Horarum recitationem statuto; 3° de modo eas recitandi; 4° de causis a recitatione excusantibus.

PUNCTUM I.

De obligatione recitandi.

50. **Principia.** — I. Obligantur ad Horas canonicas quotidie recitandas 1° *Clerici* omnes in sacris constituti, etiam suspensi et excommunicati. Constat ex variis locis Iuris can.; ex *Conc. Later. ann. 1215;* ex Bulla *S. Pii V, Quod a Nobis.* — 2° *Beneficiati* omnes, qui habent ius in re et plenum dominium beneficii. Eruitur ex *Conc. Later.* sub *Leone X,* necnon ex Bulla *Pii V: Ex proximo.* — 3° *Religiosi* omnes utriusque sexus in Ordine ab Ecclesia approbato professi, et ad chorum destinati. Liquet ex consuetudine, necnon ex Decreto *Gregorii X,* etc. — *S. Lig. n. 140. et seq.*

II. Hi omnes peccant graviter, si totum Officium vel eius partem notabilem absque legitima causa omittant. Ratio patet; legem enim Ecclesiae in re gravi violant.—*S. Lig. n. 146. et alii communissime.*

III. Obligatio recitandi Horas est affixa diei, ita ut nullatenus alia die ipsi satisfieri possit; idcirco obligatio ex mente Ecclesiae cum die sibi assignata cessat, atque adeo *onus diei* nuncupari solet.

** (*a*) Haec consuetudo haud minima ex parte debetur veterum iansenianorum artificiis, qui ecclesiasticae hierarchiae ordinem ad Ecclesiae subversionem turbare aggressi, plenitudinem potestatis, qua Romanus Pontifex in Ecclesiam universam pollet, singulis prosua Dioecesi Episcopis tribuebant.

51. **Quaesita**. — QUAER. 1° *Quaenam sit materia gravis in omissione Officii?*

Resp. Communissime conveniunt Theologi, omissionem unius parvae Horae, vel Completorii, vel partis Nocturnorum saltem unius parvae Horae quantitati aequivalentis, esse materiam peccati mortalis (*a*); omissionem vero minoris partis peccatum veniale non excedere. — *S. Lig. n. 147.*, etc.

Nonnulli scripserunt, esse peccatum mortale etiam omittere tertiam partem Horae parvae, quia talis pars respectu illius Horae iam est materia notabilis; sed *probabilius* hoc est negandum. Ratio est, quia licet illa pars sit notabilis respectu Horae parvae, est tamen levis *in se* et respectu totius Officii. Unde circa parvitatem materiae quantitas totius Officii respicienda est, non autem Horae cuiuslibet. Igitur si quis non omnino totam omittat Horam aliquam, excusari potest a gravi peccato, quia *probabilius* leve est omittere minus quam Horam integram. — *S. Lig. n. 147.* — *Elbel, n. 367.* — *Lacroix, n. 1200.*, etc.

52. — QUAER. 2° *An sit grave omittere Vesperas in Sabbato sancto?*

Resp. Neg., saltem *probabilius,* quia materia est levissima tum *in se,* tum respectu totius Officii.—*S. Lig. ibid., et alii communiter.*

Aliqui tamen hanc materiam gravem reputarunt, non quidem *in se* materialiter, nec respectu totius Officii, sed ratione significationis specialis, quam singulae Horae videntur habere (*b*).

QUAER. 3° *An unum vel multiplex peccatum grave committat, qui omittit integrum Officium?*

Resp. Unum solum peccatum grave committere videtur. — *Ita communiter Theologi* cum *S. Lig. n. 148.* post *S. Antoninum, 3ª part. tit. 13. c. 4.* ubi dicit: *Qui omittit omnes Horas unius diei, non propterea committit septem peccata mortalia, sed unum, et tanto gravius, quanto plus de Officio omittit; quia totum Officium diei cadit sub uno praecepto.* — *S. Lig. ibid.*

53. — QUAER. 4° *An si quis dubitet utrum omiserit aliquid in Officio, teneatur id recitare?*

Resp. Neg., si dubium sit positivum, id est, si *probabiliter* iudicet se satisfecisse. — *Ita S. Lig. n. 150.* (*c*), qui dicit esse sen-

(*a*) Utuntur quidam isto argumento, quod omittens vel unam e parvis horis ex apostolica definitione ad restitutionem fructuum teneatur. Sed hocce argumentum non videtur satis firmum. Nam teneri ad restitutionem quis potest leviter et levem ob noxam.

(*b*) Opinio est anomala, cuius nullus usus.

(*c*) Habes hoc loco S. Alphonsum probantem et *communissimam* eam doctrinam appellantem, quae statuit sufficere probabilem legis satisfactionem; cuius tamen oppositam quidam adscribere S. Doctori voluerunt. *Vid, vol. 1. n. 80. cum Not.*

** At enim VV. (*Pag. 987. n. 80.*) ex Quaest. a S. Alphonso reformatis ista afferunt: *Si quis probabiliter iudicet, se implevisse... horas canoni-*

tentiam communissimam cum *Sanchez*, — *Lacroix*, — *Azor*, — *Navarr.*, — *Tambur.*, etc.

Hinc (aiunt) bene excusaris a repetendo Officio, si non memineris te dixisse aliquid, et habeas iustam coniecturam credendi quod dixeris: puta, si recorderis te incepisse Psalmum, vel Lectionem aliquam, aut Horam, et postea distractus ad finem Psalmi, Lectionis, Horae deveneris, quin recorderis, an totum recitaveris; praesumptio enim tibi favet, quia soles integre recitare ea, quorum recitationem incepisti. Item si deveneris ad aliquam Horam, v. gr., *Sextam*, et dubites utrum praecedentem recitaveris, eamdem tenere potes decisionem, quia non soles recitare Horam posteriorem, nisi priorem praemiseris, et ideo prudenter credere potes, te nihil omisisse. — *S. Lig. n. 150.* — *Lacroix*, etc.

54.— Quaer. 5° *An Religiosi, qui iusta de causa choro non interveniunt, teneantur sub gravi Officium privatim recitare?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia principalis obligatio pro Religioso non cadit in chorum, sed in recitationem Officii ratione Religionis, quae onus illud ex suo instituto suscepit. Haec obligatio constat ex universali sensu et consuetudine Religiosorum, qui cum choro interesse non possunt, se credunt sub gravi obligatos ad Officium privatim recitandum. Consuetudo autem universalis, quae cum magno incommodo a Religiosis et Monialibus constanter observata fuit, argumentum sufficiens praebet de gravi obligatione suscepta. Unde non est probabilis opinio aliquorum, qui dicunt obligationem Officii non urgere Religiosum extra chorum. — *S. Lig. n. 142. et alii communiter.*

55. — Quaer. 6° *An peccet graviter Religiosus, qui Officium recitat privatim, dum facile choro interesse possit?*

Resp. Neg. Obligatio enim chori, licet sit gravis pro Communitate, levis tamen habetur pro singulis privatis, modo prorsus chorus non tollatur. Ad chorum autem sufficiunt quatuor expediti, seu validi ad chorum sustinendum. Si vero Religiosi sint pauciores, nullatenus obligantur ad Officium in choro recitandum; a recitatione tamen privata non eximuntur, ut modo dictum est. — *S. Lig. n. 143. et alii communiter.*

Quaer. 7° *An obligati ad Officium teneantur supplere ea, quae omittunt in choro ob functiones chori: v. gr., pulsando campanas, vel organa, aut Psalmos perquirendo, et alia similia?*

Resp. Neg. Ratio est, quia omissio in choro, modo nimia non

cas..., an teneatur satisfacere, si adhuc probabile sit, vel dubium non implevisse, Negant plures Auctores; sed oppositum est tenendum.

Resp. S. Doctor, ut supra diximus, fassus est, sententiam, quae in hoc casu negat obligationem recitandi, esse *communissimam*. Salva itaque reverentia S. Doctori debita, negari nemini debet facultas, ut secundum canones theologicos communissimam sententiam praeferat, et tuta conscientia sequatur.

sit, per socios suppletur. Sic satisfacit, qui aliis recitantibus tussit, etc., et probabiliter etiam, si integer Psalmus interea dicatur. *A fortiori* repetere non tenetur, qui nonnulla partis adversae non audivit (*a*). — *S. Lig. n. 143. et alii communiter.*

56. — Quaer. 8° *Quonam Breviario utendum sit?*

Resp. Ex iure communi solo Breviario a *S. Pio V.* reformato utendum est; constat ex Bulla eiusdem *S. Pii V. Quod a Nobis*, data die 7 Iulii 1568. In hac Bulla Pontifex tollit et abolet omnia alia Breviaria, quae ex institutione vel consuetudine legitima non superant ducentos annos. Permittit tamen, ut etiam ducentis annis antiquiora possint in Breviarium Romanum immutari, si Episcopus et universum Capitulum consentiant. Praecipit vero, observari hoc Breviarium toto orbe (*b*) cum sola exceptione modo relata. Imo in alia Constitutione, quae incipit *Ex proximo*, declarat, omnes ad Horas obligatos non satisfacturos muneri suo, si alio Breviario utantur, atque adeo beneficiatos non facere fructus suos.

57. — Quaer. 9° *Quid sentiendum de iis, qui recitant aliud Breviarium ex consuetudine loci servatum?*

Resp. 1° Nulla difficultas pro locis, ubi Breviarium iam a ducentis annis ante *S. Pii V.* Bullam praevaluerat, si tamen adhuc Breviaria existant, quae immutata permanserint. Ex Decreto supra citato constat.

Resp. 2° Quoad Breviaria a S. Pontifice reprobata, sive ante Bullam extiterint, sive postea inducta fuerint, materialiter iuri adversantur, ut evidenter constat ex praefata Constitutione, nisi approbatione sive expressa sive saltem implicita S. Pontificis confirmata fuerint. Confirmatur hoc ex responsione sequenti *S. Congr. Rit.* ad Canonicum Cenomanensem directa.

DECRETUM

S. Congr. Rit. circa hodiernam Cenomanensis Ecclesiae Liturgiam, 10 Ian. 1852.

1° *Utrum licita fuerit annis 1748 et 1749 innovatio Breviarii Missalisque Cenomanensium a ritu romano prorsus alienorum, amotis prius veteribus ad formam romanam correctis Breviario et Missali, sola Episcopi et Capituli Ecclesiae Cenomanensis auctoritate, et inconsulta Sede Apostolica, facta aut probata?*

2° *Quatenus negative, utrum saltem huiusmodi Liturgia, vi* praescriptionis, *seu consuetudinis saecularis, facta sit legitima, ita ut*

(*a*) Valere haec debent etiam in privata plurium simul recitatione.

(*b*) *Totum orbem* hic intellige Ecclesiam ritu latino utentem. Lex tamen de non inducendis mutationibus ad quoscumque ritus iam approbatos pertinet.

hodie quilibet Sacerdos Cenomanensis possit eam tuta conscientia servare?

3° *Quatenus iterum negative, an quilibet Sacerdos Cenomanensis etiam Canonicus et Parochus, statim teneatur in conscientia tum et Horas canonicas persolvere Missamque celebrare iuxta ritum romanum, quando scilicet privatim recitat et celebrat?*

Ad 1um *Negative.*

Ad 2um *Negative.*

Ad 3um *Consulat coniunctim utramque Constitutionem* S. Pii V. *videlicet illam quae incipit.* Quod a Nobis, *7 idus Iulii 1568, et aliam quae incipit:* Ex proximo, *12 calendas Octobris 1571* (*a*).

Insuper ex Decreto S. Congr. Rit. 15 Mart. 1608 (apud D. Bouix, *de iure liturgico*) Ecclesiae, quae olim uti poterant beneficio exceptionis a S. Pio V factae, ut breviarium proprium retinerent, ad veterem liturgiam redire amplius non possunt, si semel hanc in gratiam breviarii romani abiecerint. Itidem illud exceptionis privilegium Ecclesiae amiserunt, si in suam liturgiam quaecumque demum additamenta aut mutationes induxerint, uti constat ex pluribus declarationibus S. Congr. Rit. et nuperrime ex Responso S. Sedis ad Archiep. Bisuntinum die 28 Aug. 1856.

58. — Licet autem omnes Galliae Episcopi ad ritum romanum redire exoptent, ut S. Sedi morem gerant, omnes tamen difficultates statim de medio tollere nequeunt; unde *Card. Gousset (n. 698.)* concludit, posse privatos Sacerdotes Breviarium dioeceseos interim recitare.

59. — Quaer. 10° *An Sacerdos licentia Episcopi indigeat ad Breviarium Romanum recitandum in locis, ubi aliud toleratur?*

Resp. Neg. Constat ex responsione *S. Congr. Rit.*, cui quaestio ista recenter proposita fuit. Eminentissimi enim Cardinales, perpenso quaesito, unanimi consensu *negative* responderunt.

60. — Quaer. 11° *An Clerici, ad Breviarium obligati, Proprio dioeceseos uti teneantur?*

Resp. Affirm., dummodo *Proprium* illud a *S. Congr. Rit.* recognitum et approbatum fuerit. Ratio est, quia etsi concessio haec Officiorum propriorum habeat rationem privilegii, omnes tamen privati privilegio toti communitati concesso uti tenentur. — Excipitur, si privati, virtute indulti apostolici, possint *Proprio* dioeceseos non uti.

Quaer. 12° *Daturne adhuc obligatio recitandi Psalmos* GRADUALES, *Officium parvum B. M. V. et Officium defunctorum?*

Resp. 1° *Neg.* quoad Clericos, qui Officium privatim recitant.

** (*a*) Constitutio *Quod a nobis* (§. 7.) statuit, eum, qui aliud a praescripto breviarium recitat, ita non satisfacere, ac si nullo modo recitaret. Constitutio autem *Ex proximo* declarat, eundem ad restitutionem teneri, et non facere fructus suos.

Resp. 2° *Neg.* etiam pro recitantibus Officium in choro, nisi ubi adest consuetudo Officia praedicta recitandi a tempore *S. Pii V.* — Sic *S. Congr. Rit.* pluries declaravit.

61. — Quaer. 13° ***An obligati ad Officium, sub gravi recitare debeant Officium defunctorum in die Commemorationis omnium defunctorum, necnon Litanias in festo S. Marci, et triduo Rogationum?***

Resp. ad 1um *Affirm.,* iuxta omnes. Hoc autem Officium constat tantum Vesperis, Matutino et Laudibus. — *S. Lig. n. 161.*

Resp. ad 2um ***Affirm.,*** iuxta communem sententiam. Ratio est, quia in Rubrica post fer. 2. Dom. V. post Pascha sic dicitur: ***Qui non intersunt processioni Litaniarum, dicant illas privatim post Matutinum cum suis precibus et orationibus.*** — Verbum autem ***dicant*** grave praeceptum importat, quando materia est gravis, qualis sane est materia Litaniarum. Insuper ubique viget consuetudo Litanias his diebus recitandi. Consuetudo autem est optima legum interpres. Gravem tamen obligationem negant aliqui, dicentes non constare de praecepto, praesertim gravi. — *S. Lig. n. 161.* dicit: ***Multo magis mihi arridet prima sententia, non audeo tamen dicere secundam improbabilem.***

PUNCTUM II.

De tempore et loco et corporis situ debitis ad Horas recitandas.

I. *Quoad tempus.*

62. — 1° Tempus ad integram Officii recitationem adimplendam praefinitum incipit a media nocte, et ad mediam noctem sequentem terminatur, ita ut semper a peccato gravi sit eximendus quisquis intra hoc tempus integrum recitat Officium, quacumque hora tali muneri satisfaciat. Ratio est, quia totum Officium in die naturali recitando quoad substantiam satisfacit. Imo Matutinum et Laudes ex privilegio ab Ecclesia concesso pridie sub vespere recitari possunt.

2° Matutinum et Laudes a Sacerdotibus ante Missae celebrationem recitari debent. Constat ex Rubrica Missalis, ***tit. 1. de Praeparat. sac.*** ubi legitur: ***Sacerdos celebraturus Missam, saltem Matutino cum Laudibus absoluto,*** etc. Item ***ex Constitutione Innocentii IV, ann. 1254.*** (*a*).

3° Omnes Horae parvae tempore matutino recitari possunt; et duae quidem priores ante meridiem recitandae sunt; duae vero posteriores toto tempore tum matutino, tum vespertino dici possunt. Vesperae et Completorium a meridie usque ad mediam noctem recitantur. In Quadragesima tamen a prima Dominica Vesperae ante prandium recitari possunt ob antiquam disciplinam, iuxta

** (*a*) De hoc argumento vide quae inferius dicentur q. 2. et 3.

quam ieiunium ante Vesperarum recitationem non frangebatur. Die tamen Dominica Vesperae anticipari non possunt, quia ieiunium ea die non servatur.

Olim sic Horae recitabantur: Matutinum post mediam noctem, Laudes ad auroram, Prima post solis ortum, Tertia ad horam nonam matutinam, Sexta ad meridiem, Nona ad horam tertiam pomeridianam, Vesperae ad solis occasum, Completorium ad noctis crepusculum. Hinc Clericus ordinatus subdiaconus tenetur tantum ad recitandas Horas tempori ordinationis correspondentes. Igitur si ordinatio fiat ante horam nonam matutinam, tenebitur ad *Tertiam* recitandam, non vero ad Horas antecedentes.

63. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An horae parvae etiam ante auroram absque ulla causa recitari possint?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia ex quo sublata est antiqua consuetudo Horas illas tempore determinato recitandi, nulla alia lex vel nova consuetudo obligationem imposuit eas solum tempore auroram subsequente persolvendi. Imo graves Theologi expresse asserunt, has Horas toto tempore matutino, seu a media nocte ad meridiem, recitari posse. Sic expresse *S. Lig. Hom. apost. tom. 3. Append. 3. n. 74. — Saettler, de Horis, art. 2. Quaer. 3°,* etc.

QUAER. 2° *An obligatio recitandi Matutinum et Laudes ante Missam urgeat sub gravi?*

Resp. Neg., saltem *probabilius.* Ratio est, quia nulla est connexio inter Officium et Missam, et proinde recitatio Matutini non videtur dispositio ad celebrandum, cum Sacerdos etiam aliter orando possit sese pie ad Sacrum disponere; nec apparet gravis obligatio ex Rubrica supra relata, neque sub gravi generatim apprehenditur. — *Ita communiter* cum *S. Lig. de Euch. n. 347* (*a*), *et Bened. XIV.* in opere *de sacrificio Missae, lib. 3. c. 13.* contra *Antoine* et *alios paucos,* qui, seclusa causa excusante, grave esse contendunt.

64. — QUAER. 3° *Quaenam causa ab illa obligatione excusare possit?*

Resp. Excusabit quaelibet causa rationabilis (*b*), v. gr. si quis postulans a Sacerdote, ut Missam pro se celebret, exoptet ut statim celebretur; item si expectet populus, aut aliqua persona gravis; si Superior praecipiat; si tempus celebrandi advenerit, nec possit differri celebratio sine aliquo incommodo; si maior studii commoditas, vel maior utilitas ex studiis percipienda hoc expostulet; si quod negotium inexspectatum advenerit; si poenitens aliquis ante fuerit audiendus; et similia. — *S. Lig. ibid.*

(*a*) S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 347.*) ad controversiam, *Quale peccatum sit celebrare missam ante recitationem matutini,* respondet: *Adsunt tres sententiae. Prima dicit esse mortale... Secunda autem sententia nullam in hoc culpam agnoscit... Tertia vero sententia communior et probabilior... docet contra primam, id nequaquam esse mortale..., contra secundam autem, non excusari a culpa veniali.*

(*b*) S. Alphonsus (*Lib. 6. n 347.*) dicit: *Quaelibet mediocris causa rationabilis.*

65. — Quaer. 4° *Quanam hora liceat incipere recitationem Matutini vespere diei praecedentis, iuxta privilegium supra relatum?*

Resp. Ex communi sententia Theologorum licet incipere hora Vesperarum, quae habetur quando sol medium cursum inter meridiem et occasum tenet (*a*); tunc enim iuxta omnes incipit dies ecclesiasticus, cum priores Vesperae decantari solent. Hoc universali consuetudine confirmatur. Hinc in variis locis confici solent tabellae horam hanc diversis anni temporibus determinantes. — *S. Lig. n. 174.*

Quaer. 5° *An debeat iterari recitatio Matutini, si ante tempus praedictum habita fuerit?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia Breviarium est onus diei; ergo ipsa die assignata recitari debet: porro si fiat praedicta anticipatio, iam extra diem recitatur Officium, haud secus ac si recitarentur Horae parvae diei sequentis ante mediam noctem. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 173.* — Oppositam tamen tenent sententiam *Sanchez, Diana, Salmant., Trullench, Quintanadvenas, Leander,* etc., et hanc putat probabilem *Tamburinus.* Haec autem opinio probabilitate sua non videtur carere (*b*). Si quis igitur Ma-

(*a*) Haec resolutio affirmative accipienda est, non autem exclusive, ut patet ex resolutione sequenti; asseritur nempe, ex communi Theologorum sententia matutini recitationem illa hora licere, non definitur autem, non licere anticipationem.

(*b*) De hac quaestione ita Salmanticenses (*Tract. 16. Cap. 3. n. 15.*) habent: *Probabilissimum ducimus, posse matutinum cum laudibus immediate hora secunda diei* (scil. post meridiem), *qua solent vesperae, recitari.* Pro qua sententia mox allegant *Sanchez, Molfesium, Quintanadvenas, Leandrum, Antonium a Sp. Sancto, Martinum Ledesma, Trullenchium, Martinum a S. Ioseph, Caramuelem, et Diana.* Subdunt autem: *Ex his plures nec veniale peccatum esse dicunt, hanc anticipationem etiam sine causa factam; alii vero esse veniale asserunt, sed quamlibet causam excusare ab eo.* S. Alphonsus (*Lib. 4. n. 174.*) his addit Tamburinum, qui (*In Dec. Tr. 2. Cap. 5. §. 5. n. 2.*) hanc sententiam aeque ac alias vocat *probabilem.* Diana vero (*Tom. 3. Tr. 6. Resol. 62.*) adiungit *Fabrum,* et (*Resol. 64. n. 2.*) *Escobarium a Corro, Garciam, et Machadum;* ac advertit praeterea, Sanchezium (*Consil. Lib. 7. Cap. 2. dub. 37.*) opinionem suam ex doctrina *S. Thomae, Viguerii, Turrecrematae, ac Navarri* confirmasse.

** Etiam haec notula, licet mere historica, utpote quae solum referat quosdam Auctores, ab aliis allegatos pro opinione praedicta, effugere tamen non potuit VV. reprehensiones.

Obiiciunt itaque (*Pag. 927. Not. 3.*) 1° perperam a Sanchesio allegari *S. Thomam, Navarrum* et *Viguerium;* quandoquidem S. Thomas (*Quodlib. 5. art. 28.*) mere affirmet, *licite posse de sero dici matutinas.* Male autem (aiunt) vocem illam *de sero* explicat *Sanchez, quam sequitur Ballerini, quasi iam designaret horam secundam post meridiem. Navarrus porro et Viguerius eodem modo loquuntur, ac Angelicus.* — Resp. 1° Ballerini nihil ibi affirmat, aut negat, sed mere refert. 2° Sanchez non innititur voci *de sero,* sed aliis S. Doctoris verbis; ita enim scribit (*Cons. Lib. 7. C. 2. Dub. 37. n. 4.*): *Haec conclusio colligitur ex doctrina citata D. Thomae, Viguerii, Turrecrematae, qui dicunt, quod si post vesperas et com-*

tutinum recitaverit post horam quidem secundam a meridie, sed ante tempus Rubrica praefixum, ut aliquando ex errore fieri solet, ab iterando Breviario excusari posset.

66. — QUAER. 6° *An Matutinum Officii defunctorum et Litaniae*

pletorium dicat quis matutinum diei sequentis, iam hoc pertinet ad diem sequentem. Et reipsa S. Thomas (*l. c. ad 1.*) haec habet: *Quantum ad ecclesiasticum officium, et solemnitatum celebritates incipit dies a vesperis; unde si aliquis post dictas vesperas et completorium dicat matutinas, iam hoc pertinet ad diem sequentem.* Id ipsum autem legere licet apud Viguerium, et Navarrum, et Turrecrematam in locis a Sanchesio citatis.

Obiiciunt VV. 2°: *Inter caeteros Auctores a P. Ballerinio pro sua sententia adductos, plures sunt aequo mitiores.* Et quinque recensitis subdunt: *E reliquis P. Ballerinii patronis, pauci sunt, qui gravioribus Doctoribus accenseantur.* — Resp. 1° Non *pro sententia sua P. Ballerini Auctores adduxit;* sed quosdam ab aliis relatos indicavit, ut aliquo modo appareret, cur probabilitatem secundae opinionis P. Gury non negasset. — Resp. 2° Quod VV. addunt, ex novemdecim Auctoribus in Nota relatis memorari quinque, qui *nimis,* aut *satis benigni* audiunt, hoc argumentum, invidiae alioquin sat obnoxium, in casu vi prorsus caret. Dixi hoc argumentum invidiae obnoxium; nam, ut quaerere nunc omittamus, iure ne quinque illi ceu nimis benigni traducantur, probarent ne VV., quod quispiam idipsum regereret, quoties S. Alphonsus aliquem ex illis quinque, ut saepe contingit, pro benigna sua sententia allegat? Sed insuper in casu vi qualibet haec exceptio destituitur. Nam esto, obiiciatur eiusmodi laxitatis aut nimiae benignitatis exceptio (iure ne, an iniuria, missum nunc fiat), quando sola cuiuspiam scriptoris auctoritate aliqua opinio nititur. At ubi in eandem sententiam conveniunt plures alii, quibus nimiae benignitatis notam nemo ausus est inferre, patitur ne aequitas, ut illorum suffragium laxitati aut nimiae benignitati tribuatur? Et hic quidem forte quispiam posset VV. invitare, ut inspiciant, num locus sit aliquis huic suae ipsorum exceptioni circa Auctores a S. Alphonso adductos. Aiunt VV., a S. Doctore octo Auctores pro sententia minus benigna adduci. Quid vero, si quis forte potiori iure obiiceret (de quo paulo post) unum re ipsa extitisse Concinam, qui thesim S. Doctoris propugnaverit; hunc autem, iudice ipso S. Alphonso, auctorem, esse rigidissimum?

Ad id vero, quod VV. addunt, paucos esse praemissae sententiae patronos, qui gravibus Doctoribus accenseantur, Resp. iudicium de hisce aptius aliis relinquendum tum aliis de causis, tum etiam ut praecaveatur periculum, ne quis ceu graves, quin et gravissimos, quando pro se, non graves vero quando contra se militant, eosdem iactet Auctores. In Praefatione, quam S. Alphonsus praemisit Editioni an. 1748., haec leguntur: *Alia explicanda, alia addenda censui ex diversis probatorum DD. auctoritatibus, nimirum Sanchez,... Viva, Croix, Roncaglia, et aliorum; Praesertim Salmanticensium,. qui communi aestimatione moralem hanc scientiam diffuse, et egregie pertractant; Quosque ipse inter caeteros frequentius familiares habui: ita ut fere omnia, quae iidem tot libris latiore calamo in examen revocant, breviter concinnata hic invenias.* Ergo saltem isti quinque, quos S. Alphonsus *probatos Doctores* appellat, non inaniter pro ea sententia afferuntur.

Quin et pro eadem sententia allegari potest et S. Alphonsus; quippe qui in eadem illa Editione (*Lib. IV. Cap. 2. art. IV. Dub. 2. Nota D.*) scripsit: *Probabilissimum est, posse recitari matutinum hora secunda post meridiem...., ut tenent Sanchez, Viva, cum Fill., Bon., Trull., et Tambur., Salmantic. cum Led., Dian., Molf., Leand.* etc. Quid mirum itaque, quod probabilis videri Gury potuerit opinio, quae S. Alphonso vi-

pro festo S. Marci ac diebus Rogationum, pridie vespere recitari possint?

Resp. ad 1um *Affirm. probabilius.* Constat ex universali consuetudine, necnon ex Rubricis quae sic habent: *Dicto Benedicamus Do-*

deri potuit *probabilissima?* Dices, S. Doctori deinde magis contrariam arrisisse sententiam. At, omissa nunc quaestione, semper ne probabiliores prioribus sint posteriores S. Doctoris opiniones, scitari liceat: putant ne VV., S. Doctorem gratis priorem sententiam *probabilissimam* appellasse? Gravem aliquam igitur, solidamque rationem stare pro ea sententia S. Doctor facto ipso fassus est.

Caeterum ut sua allegationibus vis tribuatur, triplex in hac quaestione Auctorum classis distinguenda videtur. Sunt enim 1° qui mere opinionem propriam proponunt, nulla aliarum opinionum mentione iniecta, affirmantes v. gr. *matutinum recitari quarta hora posse.* Porro hi adduci utique efficaciter possent contra eos, qui id ipsum negarent, non ita vero contra opiniones, de quibus nullam sententiam ferunt; quemadmodum qui mere affirmat, in coenula posse ieiunantes vesci herbis, male allegaretur contra concedentes aliquem pisciculum, aut etiam maioris piscis, thynni v. gr., particulam, cum quaestionem de piscibus ille minime tangat. Exinde cum scribat v. gr. Filliuccius (*Tr. 23. C. 8. n. 274.*): *Dimidia hora ante solis occasum licet anticipare* (*matutinum*) *ex communi sententia;* num iure allegaretur, quasi refellens v. gr. S. Alphonsi, aliorumve regulam, qui ante illam horam recitari posse statuunt? Quinimo ipse Filliuccius (*n. 276.*) subdit: *Si alibi esset alia consuetudo, consultum erit illam servare.* Porro (dempto Concina) eiusmodi sunt plerique omnes Auctores, quos et S. Alphonsus et VV. controversae opinioni opponunt.

Sunt 2° alii, qui plures opiniones referunt, et in his etiam controversam, quam aut amplectuntur, aut probabilem dicunt, aut saltem non reprobant. E postremis istis habes *Mazzotta,* qui (*Tr. 2. Disp. 1. C. 2. q. 5.*) variis sententiis recensitis, optionem lectoribus relinquit; habes *Illsung* (*Tr. V. Disp. 1. Q. 1. art. 4. n. 35.*), *Reiffenstuel* (*Tr. 6. Dist. 1. C. 2. n. 71.*), *Gobat* (*Tr. V. n. 679.*), *Croix* (*Lib. 4. n. 1314.*), et *Sporer* (*Tr. Append. De Hor. Canon. C. 2. n. 140.*), qui licet hanc opinionem aliis non praeferant, eam tamen permittunt sine nota, et profecto non reprobant. — E prioribus vero, qui scilicet aut ipsam absolute profitentur, aut saltem uti probabilem censent, praeter eos plures, quos allegatos superius in Nota quisque videt, addendus Viva, qui (*Curs. Theol. Part. 2. Q. 3. art. 5. n. II.*) scribit: *Matutinum et laudes... ex consuetudine iam recepta probabiliter recitari possunt citra veniale et absque ulla causa ab inclinato praecedenti die, videlicet* DUABUS *vel tribus horis post meridiem diei antecedentis.* Et Azor (*Part. 1. Tr. 10. C. 9. q. 5.*): *Doctrina igitur et sententia S. Thomae illa mihi simplicior et planior videtur esse, ut Nocturnum Officium... persolvi queat a Clericis privatim, statim atque Vespertinae et Completae preces recitatae fuerint..., tribus videlicet,* DUABUSVE *horis post meridiem elapsis.* Et Felix Potestas (*Exam. Conf. Tom. 1. Part. 2. n. 459.*): *In privata recitatione matutinum et laudes ex iam praescripta consuetudine licite recitari possunt* DUABUS HORIS *post meridiem diei praecedentis.* Et Giribaldi (*Tr. 5. C. 3. n. 194.*) recensitis post alios etiam illis, *qui volunt, posse recitari hora* SECUNDA *post meridiem,* subdit (*n. 195.*): *Probabiliter autem quilibet ex dictis Auctoribus putat, eo tempore ab ipsis assignato.... licitum esse matutinum persolvere.* Et Babenstuber (*Tr. 5. Disp. 2. art. 3. n. 111.*): *Nonnulli apud Tamburini existimant, licitum esse recitare tribus horis ante occasum solis: alii tribus horis post meridiem: alii inter tertiam et quartam pomeridianam: alii hora* SECUNDA *post meridiem. Iudico cum eodem Tamburino has omnes sententias esse proba-*

mino, absolute incipit Matutinum defunctorum. Ergo cum Matutinum Octavae festi Omnium Sanctorum soleat aut certe possit anticipari, consequenter etiam anticipari potest Matutinum defunctorum.

Negant *aliqui* cum *Lacroix,* innixi Decreto *S. Congr. Rit.* Sed

biles, et quemlibet posse amplecti, quam maluerit. Et Trullench (*Lib. 1. Cap. VII. Dub. 18. n. 9.*), postquam attulit Sanchesium *asserentem, quocumque die anni recitantem matutinum diei crastini hora secunda post meridiem, etiamsi nondum recitaverit Vesperas et Completorium, satisfacere praecepto; et.... existente causa nullo modo peccare,* subdit: *Libenter admitto propter rationem dictam.* Et Roncaglia (*Tr. 5. Q. 2. Cap. 5. q. 4.*): *Omissis tot diversis opinionibus..., mihi valde probabilis est ea opinio, quae affirmat, recitari posse hora, qua primae vesperae dicuntur. Ratio est, quia tunc incipit dies festivus crastinus.... Praeterea nullum inconveniens est, si dum iam incepta est crastina dies festa, anticipetur matutinum illius diei.* Allegationes autem, quas subiicit, *Sanchesii* et *Antonii a Spiritu Sancto* satis explicant horum verborum sensum. Allegatis autem tum nunc, tum in superiori Nota, addendi pro eadem sententia veniunt *Neusser*, et *Iosephus Angles* apud Gobat (*l. c.*) et *Sporer* (*l. c.*), tum etiam *Narbona, Verriceli,* et *Bassaeus* apud Giribaldi (*l. c.*), et Leandrum (*Disp. 4. q. 93.*), et Concina (*In Dec. Lib. 2. Disp. 2. C. 9. §. 8. q. 4.*) post Leandrum adducit et *Acacium*. Et optandum sane erat, ut VV., qui intentissimi in exquirendis Auctorum de hac re sententiis haec non potuerunt suis oculis non videre, haec eadem silentio non praeterivissent. Equidem S. Doctoris Alphonsi tum exempla tum monita postulant, ut potissimae curae nostrae non ad tuendam qualemcumque causam nostram, sed ad veritatis iura servanda ferantur.

Sunt 3° denique, qui aliam sectantes opinionem, impugnandam praemissam assumunt, quae hora secunda post meridiem recitari matutinum posse concedit. Verum qui S. Alphonso praecesserit in hac sententia oppugnanda, neminem huc usque reperire licuit praeter Danielem Concina. Nam nec septem alii, quos S. Alphonsus addit, nec alii plures, quos VV. diligentissime collegerunt, hanc specialem quaestionem attingunt.

Hisce inspectis, aequus lector iam iudicet, num reprehendendus foret Gury, quod dixerit, *probabilitate carere non videri* opinionem istam, quam alioquin tot Doctores aut plane admiserunt, aut saltem censuerunt probabilem, et quam nemo reipsa impugnavit, nisi Concina et post eum S. Alphonsus, qui tamen prius ipsam uti probabilissimam defenderat. Quod vero spectare potest ad rationem a S. Alphonso allatam, nunc satis sit animadvertisse, non esse eam rationem aliquam abstrusam, quae non in omnium oculos facile incurreret. Et si quidem tot tantique doctores facto ipso ostenderunt, se nullatenus illa permoveri, iam et aliis demum venia detur, ut existiment, non eiusmodi eam rationem esse, quae controversiam dirimat.

Obiiciunt 3° denique VV. (*l. c.*): *Ecclesia concessit quibusdam Ordinibus Religiosis privilegium recitandi cum rationabili causa matutinum hora secunda post meridiem... Hoc vero privilegium inutile esset, si, vi iuris communis, id cuique clerico liceret.*

Resp. Retorqu. argumentum. Nam, ut habent Suarez (*De Relig. Tr. 4. Lib. 4. C. 17. n. 12.*), et Filliuccius (*Tr. 23. C. 8. n. 274.*), *per privilegia Pontificia conceditur facultas dicendi matutinum una hora ante occasum solis.* Ergo ne inutile erit privilegium, si *vi iuris communis* cuique liceat recitare non modo una hora ante occasum solis, sed multo antea, ut concedit S. Alphonsus? Bene Suarez (*l. c.*): *Hoc argumentum infirmum est, quia multa in privilegiis conceduntur, non quia necessaria sunt, sed quia petuntur vel propter timorem seu scrupulum, vel ob dubitationem ex variis opinionibus ortam removendam, vel quia quod petitur, ex rigore*

Decretum illud iuxta *S. Lig. n. 174.*, videtur respicere tantum recitationem in choro.

Resp. ad 2[um] *Neg.* Ratio est, quia Litaniae affixae sunt diei, nec *per se* videntur coniungi cum Matutino et Laudibus. Insuper supplent assistentiam ad processionem, quae omnino diei est affixa. Praeterea si festum *S. Marci* transferatur, non debent transferri Litaniae; ergo Matutino non inhaerent, nec ullam connexionem cum illo habent. — *S. Lig. n. 174. Quaer. 3°.* — *Lacroix.*

67. — QUAER. 7° *An praevidens impedimentum recitandi Officium ipsa die obligationis, teneatur recitare Matutinum et Laudes vespere vigiliae?*

Resp. Neg. Ratio est, quia licet Matutinum et Laudes recitari possint pridie, non tamen debent (*a*). Ergo obligatio stricta non urget ante mediam noctem sequentem. Ergo stante impedimento a media nocte ad mediam noctem, tollitur obligatio.

68. — QUAER. 8° *Quanam hora incipi possit recitatio Vesperarum mane tempore Quadragesimae?*

Resp. Dicunt *Salmanticenses, tract. 16. c. 3. n. 15.*, Vesperas in Quadragesima recitari ab hora undecima posse, seu una hora ante meridiem (*b*). Regula autem generalis est, Vesperas privatim recitari posse eadem hora qua in choro recitari solent. Porro in choro recitari debent post Missam conventualem et Nonam. Hora autem Missae ex consuetudine locorum pendet.

Caeterum nulla adest obligatio Vesperas recitandi ante meridiem, sed est merum privilegium, quo nemo uti tenetur. Completorium autem praedicto privilegio non gaudet; unde etiam per Quadragesimam post meridiem recitandum est.

II. *Quoad locum et situm.*

69. — 1° *Quoad locum.* Officium chori in ipso loco ad hoc destinato, seu in choro vel in Ecclesia recitari debet. Officium vero,

iuris non licet et pendet ex consuetudine: quae incerta et varia esse potest. Et eandem difficultatem quoad horam secundam iam sic solverat Diana (*Tom. 3. Tr. 6. Res. 54. n. 3.*): *Dices: Pontifices concedunt privilegia, ut matutinum possit recitari duas horas post meridiem. Ergo. Respondeo, qui petunt hoc privilegium, signum est, quod tenent contrariam sententiam, et multa petuntur a Pontifice ad maiorem cautelam, et propter scrupulum; sed non ex his sequitur, citatam Doctorum sententiam non esse probabilem, nec sequi posse.*

(*a*) Nimirum vi dumtaxat *privilegii* concessum est, ut pridie matutinum recitari possit. Atqui generalis regula est, neminem ad utendum privilegio aliquo teneri.

(*b*) Quoad horam recitandi qualemcumque demum officii partem, non praetereundum illud est, quod habet S. Alphonsus (*Lib. 4. n. 173.*): *Ut quis licite possit anticipare vel postponere debitum tempus horarum, sufficit quaevis causa utilis vel honesta..., maior devotio, sive quies, tempus aptius ad studendum et simile.*

si recitetur privatim, dici potest in omni loco, sive in oratorio, sive domi, sive rure, aut etiam in via deambulando, aut iter agendo, dummodo locus attentioni requisitae sit congruus et devotionem non impediat. — *S. Lig. n. 179.*

2° *Quoad situm.* Privatim recitari potest Officium omni situ decenti sive genibus flexis, sive stando, sive sedendo, sive deambulando. Ita praxis universalis, cui concinunt omnes Theologi.

70. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An liceat recitare Officium decumbendo in lecto?*

Resp. Neg., seclusa rationabili causa; talis enim situs aliquam sapit irreverentiam. Idem etiam dicendum est de quolibet alio eiusmodi situ. Attamen haec irreverentia nunquam peccatum veniale excedit. — Sic *Conc.* et *Viva* apud *S. Lig. n. 179.* Quaecumque autem causa mediocris ab omni culpa excusabit, v. gr., morbus aut infirmitas quaelibet, dolor capitis, defatigatio, vel si quis nocte dormire nequeat, Officium recitare posset, quin surgere teneretur.

QUAER. 2° *An liceat Officium recitare in curru vel equo?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia id nulla lege prohibetur; nec aliunde obstat attentioni, nec reverentiae orationi debitae, etiamsi alii essent itinerantes et simul confabulantes. Id enim obtinuit generalis etiam piorum consuetudo. — *Ita communiter.*

71. — QUAER. 3° *An sit culpa non servare rubricam, ex qua preces quaedam genibus flexis sunt recitandae?*

Resp. 1° *Neg.,* si agatur de recitatione *extra chorum;* quippe ex consuetudine et communi interpretatione haec rubrica solum chorum respicit. Idem dicendum de signo crucis, et de aliis signis in choro usitatis. Haec quidem laudabiliter fiunt in privata recitatione, sed citra culpam omittuntur. — *S. Lig.* (*a*) *n. 179. et alii communiter.*

Resp. 2° Si agatur de recitatione *in choro, controvertitur.* Affirmandum videtur, quia rubrica aliquid praescribens, praeceptum imponit (*b*). Attamen talis omissio nunquam culpam venialem excedere potest. — *S. Lig. ibid.,* etc.

QUAER. 4° *An sit peccatum Breviarium recitare in loco indecenti?*

Resp. Probabilius negandum *per se* videtur, nisi locus attentioni debitae obesset, v. gr. ob populi frequentiam, strepitum, etc.; secus enim indecens foret orare in loco indecenti, quod falsum est, siquidem, cum Deus sit ubique, etiam ubique orari et adorari potest, ut patet ex Apost. *1. Tim. 2. 8: Volo viros in omni loco orare.* — *S. Lig. n. 179.* — *Lacroix, n. 1320, et alii* contra non-

(*a*) S. Alphonsus utique de situ disserit; de signo autem crucis nihil habet.

(*b*) Quod rubrica quidpiam praescribens, eo ipso praeceptum presso sensu acceptum imponat, est opinio, cui quidam adhaerent, quidam vero minime, quia rubricas alias *praeceptivas* distinguunt, alias mere *directivas.*

nullos, qui dixerunt adesse peccatum veniale, quod hoc aliqua irreverentia non careat.

PUNCTUM. III.

De modo Horas recitandi.

Horae sunt recitandae 1° ordine praescripto; 2° cum debita pronuntiatione et devotione.

I. *Quoad ordinem.*

72. — Duplex est ordo servandus in Breviarii recitatione, scilicet ordo Officiorum et ordo Horarum. 1° Ordo Officiorum describitur in calendario festorum et in rubricis pro illorum translatione, ubi plura simul concurrant. 2° Ordo Horarum ille est, qui in Breviario exponitur, nempe ut recitetur primo loco *Matutinum* cum *Laudibus*, deinde subiungantur Horae parvae, idest *Prima, Tertia, Sexta, Nona,* et tandem sequantur *Vesperae* cum *Completorio.*

73. **Quaesita**. — 1° *An praecepto recitandi Horas satisfaciat, qui ex errore vel inadvertentia aliud Officium pro Officio diei recitat?*

Resp. Affirm. (*a*). Ratio est, quia Ecclesia non praesumitur velle aliquem uno die bis ad hoc onus obligare, et quia substantia recitationis satis servata est. Hinc axioma vulgare, quod veluti regula in hisce adiunctis habetur: *Officium pro Officio valet.* Nulla igitur est obligatio, completa recitatione, aliud Officium recitandi. — *Ita communiter. — S. Lig. n. 161. Quaer. 3° — Lacroix n. 1351.* — Idem dicendum etiam de quavis parte Officii iuxta axioma: *Error corrigitur, ubi deprehenditur.*

Consilium tamen est, inquit *Laymann* cum *aliis,* non vero obligatio, subiungere propria Officii omissi. Sed quando Officium esset notabiliter brevius, v. gr. Officium Sancti alicuius pro Officio Dominicae, fieri debet compensatio recitando novem Psalmos ex 1° Nocturno. — *S. Lig. ibid.* (*b*).

(*a*) Sic errantem potiusquam satisfecisse, a penso bis persolvendo excusari dixeris.

(*b*) S. Alphonsus (*Lib. 4. n. 161. q. III.*) rem non sic absolute definit, sed mere haec habet: *Rationabiliter advertit Tournely cum Laymann, Bonac. etc., quod si dictum fuerit officium notabiliter brevius, puta officium Sancti loco dominicae, debet fieri compensatio, recitando novem psalmos ex primo nocturno.* Ergo S. Alphonsus solum refert quorundam sententiam, ceu rationabilem. Sed neque perfecte haec sententia ibi refertur. Nam Laymann mere opinando eam insinuat (*Lib. 4. Tr. 1. Cap. 5.n.5.*) inquiens: *Obligatus esse videris ad aliquam compensationem faciendam.* Nec aliter Suarez (*De Relig. Tr. 4. Lib. 4. Cap. 23. n. 15.*): *Quamvis necessarium videatur aliquam compensationem facere, si potest, intra eundem diem.* Adde Laymannum (*l. c.*) id affirmasse de errore *praesertim culpabili.*

74. — QUAER. 2° *Si quis ex errore recitaverit aliquam partem tantum Officii indebiti, et ad errorem advertat, an possit prosequi inceptum Officium, an vero teneatur recitare reliqua de Officio diei?*

Resp. Iuxta communem sententiam Theologorum datur libertas. Potest igitur vel prosequi, vel reliqua recitare de Officio debito, finito tamen Psalmo, vel oratione. Attamen melius est Officium mutare iuxta multos, qui statuunt hanc regulam: *Error corrigitur, ubi deprehenditur.* Sed hoc est ex mero consilio, non vero ex praecepto. — *S. Lig. n. 161. Quaer. 5°* — *Lacroix, n. 1255.* — *Tambur.*, etc.

75. — QUAER. 3° *An cum iam dixeris unum Officium pro altero, possis Officium omissum recitare die, qua occurret Officium iam a te recitatum?*

Resp. Neg. Sed Officium recitatum iterum est recitandum. Ratio est, quia Ecclesia tunc solum praescribit Officium transferri, quando non recitatur propter Dominicam vel Officium maius; insuper adest obligatio se conformandi cum ritu communi Ecclesiae (*a*). — *Sic Lugo, Resp. Mor. lib. 5. dub. 8.* Hoc dicit *probabilius S. Lig. n. 161.*; sed ut moraliter certum habendum est, ex Decreto *S. R. Congreg. die 17 Iunii 1674*, apud *Gardellini, n. 2634.* (Ed. III.).

76. — QUAER. 4° *An vel quomodo peccet, qui* SCIENTER *aliud Officium pro Officio diei recitat?*

Resp. 1° Nullum peccatum facit, si rationabili de causa id faciat, v. gr. si Officium proprium habere facile nequeat, vel si charitatis causa recitet cum socio Officium diversum dicente, modo Officium illud sit a S. Sede approbatum, et sit aequale vel fere aequale; imo sola ratio societatis sat rationabilis apparet, ait *S. Lig. n. 161.*

Resp. 2° Seclusa ratione, erit quidem peccatum, sed veniale tantum, si Officium in aequale aut fere aequale mutetur, quia satisfit obligationi quoad substantiam, modo tamen raro fiat (*b*). — *S. Lig. ibid.* — *Roncaglia,* — *Sporer*, etc., contra *alios,* qui dicunt semper esse mortale.

Resp. 3° Si Officium notabiliter brevius recitetur, grave peccatum est, quia tunc non satisfit substantiae obligationis. Patet tum ex natura rei, tum ex prop. 34ª ab *Alexandro VII* damnata quae sic sonat: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit praecepto.*

77. — QUAER. 5° *Quale sit peccatum ordinem invertere in recitatione Horarum?*

(*a*) Hanc tamen obligationem gravem non esse, satis ea evincunt, quae disserit S. Alphonsus (*Lib. 4. n. 161. QQ. III. et IV.*).

(*b*) Sententiam, quae apponit istam conditionem — *modo raro fiat,* — S. Alphonsus (*Lib. 4. n. 161. Q. III. in fin.*) *aequiorem* dicit; sed addit, *satis probabilem* esse sententiam, quae istam conditionem seu restrictionem non admittit.

Resp. 1° In recitatione *privata* nunquam excedit veniale, quia talis ordinis inversio gravem deformitatem non continet; ordo enim servandus non est, nisi sub praecepto secundario et tanquam circumstantia minoris momenti. Si autem ex aliqua iusta causa ordinem mutes, v. gr. ad recitandum cum socio, qui iam ulterius in recitatione processit, omni prorsus culpa carebis. Dicunt quidam, inversionem ordinis esse peccatum mortale, si frequenter fiat; sed *probabilius* negandum est cum *S. Lig. n. 169.*

Resp. 2° In recitatione *publica, controvertitur,* utrum sit peccatum grave, necne, invertere ordinem aut mutare tempus Horarum. Alii *affirmant*, si inversio vel temporis mutatio sit notabilis, nec adsit causa excusans. Ratio est, quia Canones pluries repetunt, Horas statutis temporibus esse recitandas. — *Azor,* etc. — *Negant* vero alii, quia huiusmodi circumstantia non pertinet ad praecepti substantiam, sed est mere accidentalis. Utraque sententia probabilis est; sed secunda probabilior, quia de gravi praecepto non constat. — *Ita S. Lig. n. 171.*

78. — QUAER. 6° *Quaenam sit causa Horarum ordinem invertendi?*

Resp. Quaelibet causa rationabilis excusat. Possunt autem assignari sequentes, scilicet 1° si inviteris ab amico ad aliquam Horam cum ipso recitandam, et tu Horam praecedentem aut praecedentes nondum recitaveris 2° si mane non habeas Breviarium ad manum, nec commode possis exspectare, tunc posses ex Diurnali, quod habes, recitare Horas diurnas, postea Matutinum recitaturus; 3° si non habeas Lectiones ad manum, potes recitare Psalmos Matutini et Laudum, imo et reliqua, dilatis Lectionibus; 4° si venias ad chorum Hora iam incepta, potes pergere cum aliis, et postea quae omissa sunt, supplere. Item si venias ad chorum una Hora iam absoluta, potes cantare cum choro posteriorem, et postea supplere priorem. — *Ita S. Lig. n. 170. — Lacroix, n. 1309. et 1311., et alii communiter.*

79. — QUAER. 7° *An sit peccatum dicere Matutinum diei sequentis ante absolutum Officium diei praesentis?*

Resp. Est quidem peccatum, ait *Lacroix, n. 1315.,* sed veniale tantum, si absque causa fiat. Sed neque constat esse veniale, cum Officium unius diei nullum ordinem habere videatur cum Officio alterius diei. Iuxta sententiam autem, quae tenet esse peccatum veniale, sufficiens causa est incipiendi Matutinum diei sequentis, antequam Officium diei praesentis absolveris, si ab alio rogeris, ut Matutinum diei sequentis cum ipso recites; et generatim omnis causa sufficiens ad inversionem ordinis inter Horas eiusdem diei, sufficeret etiam in praesenti casu. — *Lacroix, n. 1315.*

80. — QUAER. 8° *An peccet, qui non recitat commemorationes iuxta ordinem per rubricam assignatum?*

Resp. Negant plures, quia Rubrica illa mere directiva videtur,

sicut eae quae situm corporis, vel signa crucis respiciunt. Imo idem dicunt de ordine servando inter commemorationes in Missa. Sed hoc saltem ultimum negandum est, quia omnes Rubricae in Missa servandae sunt praeceptivae, ut dicit *S. Lig. Lib. 6. n. 399.* (*a*).

II. *Quoad pronuntiationem.*

81. — Pronuntiatio debet esse vocalis, integra, continuata.

1° *Vocalis.* Officium recitari debet voce, et quidem distincta; non autem sufficit ut sola mente legatur, aut tantum oculis percurratur; nec satis est, si recitetur gutture vel intra dentes, aut syncopando, linguave titubante abbreviando. Ratio est, quia oratio proprie *vocalis* praecipitur; porro non censetur proprie *vocalis*, nisi voce distincta fiat. — *Ita omnes.*

2° *Integra.* Officium integre recitari debet: ad integritatem autem pertinent *Pater, Ave, Credo,* in principio et fine Horarum, prout in Rubricis adnotatur. Non tamen pertinent ad integritatem Officii orationes *Aperi, Domine,* et *Sacrosanctae;* sed solum ex consilio recitantur.

3° *Continuata.* Quaecumque notabilis interruptio intra unam Horam, si absque ulla causa fiat, culpa non caret; sed peccatum veniale non excedit. — *S. Lig. n. 166.*

82. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An recitans Officium debeat se audire ut satisfaciat?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia non praecipitur auditio, sed tantum recitatio, id est verborum pronuntiatio, quae dicitur vocalis: sufficit igitur, si ille, qui recitat, conscius sibi sit, se verba pronuntiare. — *Laymann, Spor., Salm.,* et hoc dicit sat *probabile S. Lig. n. 163.* contra *alios.*

83. — QUAER. 2° *Quaenam sint causae iustae Officium interrumpendi?*

Resp. Quaelibet causa rationabilis sufficit ad Horam quamcumque interrumpendam; praesertim autem adnumerantur causae sequentes: 1° quaelibet utilitas propria vel aliena, quae sine aliquo incommodo differri non possit; 2° ratio urbanitatis vel charitatis, aut ratio exequendi mandata Superiorum; 3° si excipienda sit confessio alicuius, qui non libenter exspectet; 4° si velis aliquid agere aut

(*a*) S. Alphonsus proposita quaestione, *an rubricae missalis sint tantum directivae, sive de consilio ad instruendum, vel sint praeceptivae obligantes ad culpam,* respondet, quatuor adesse Doctorum sententias. Proinde existimandum non est, opinionem, quam S. Alphonsus praefert, atque A. hic proponit, unicam esse, quam sequi liceat.

Et quidem quoad orationes idem S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 412.*) haec scribit: *Probabiliter dicunt Concina et Croix cum Pasqualigo, quod licet satius sit servare rubricam, non tamen est vetitum ex aliqua causa vel devotione addere unam collectam. Adduntque Gobat et Pescara, hoc fieri posse etiam in festo secundae classis.*

adnotare, ut tollas distractionem sive sollicitudinem, v. gr. ne obliviscaris, etc., modo tamen non frequenter fiat; quia frequens interruptio ob hanc causam aliqua irreverentia non caret; 5° licite etiam potest recitationi interiici aliqua brevis oratio, vel aliquis pius cordis affectus. Non tamen liceret meditandi gratia in istis diutius et frequenter immorari, quia ratio recitationis seu orationis vocalis non satis servaretur; item si vocalis oratio longior et minime pertinens ad Officium diceretur; pars enim notabilis adderetur Horis, quod esset veniale utpote contra formam praescriptam. — *S. Lig. n. 168. — Salmant., tr. 16. c. 3. n. 4. — Lacroix, n. 1307., et alii communiter* (*a*).

84. — Quaer. 3° *An Matutinum separari possit a Laudibus?*

Resp. Affirm., iuxta communem sententiam. Sic enim *S. Lig. n. 167.: Commune est quod Matutinum potest a Laudibus separari sine ulla causa, ut dicunt Salm., Bonac., Concin., Suar., Sanch., Navarr., Lacroix, Less.* Tunc autem, finito Matutino, dicendum est *Pater noster,* ut fieri debet post quamcumque Horam.

85. — Quaer. 4° *An Nocturni separari possint sine causa?*

Resp. Affirm. Constat ex universali consuetudine, cui nulla lex opponi potest. Imo olim ex praxi Ecclesiae separabantur, cum in variis noctis horis recitari solerent. Quare igitur nunc separari non possent? — *Ita Salmant. et alii communius* contra *alios.* Imo dicunt non pauci, etiam sine causa speciali intervallum trium horarum interponi inter singulos Nocturnos posse. Si autem adsit *iusta causa,* cuius gratia Nocturni separari debeant, intervallum illud pro ratione illius causae protrahi etiam potest. — *Ita Busemb., Bonac., Salm., Viva,* quorum sententiam merito *probabilem* appellat *S. Lig. n. 167.*

86. — Quaer. 5° *An vel quomodo ille peccet, qui recitato uno vel altero Nocturno in vigilia, reliquam Matutini partem tota nocte interiecta recitat?*

Resp. 1° A peccato mortali semper eximendus est, quia substantiae praecepti satisfacit. Ex generali enim regula tradita a *S. Lig. n. 168.,* et ab *aliis communiter,* praecepti substantiae satisfit, quoties Officium integre recitatur in die naturali, vel ecclesiastico, ita ut nunquam peccatum veniale tunc excedatur, quantacumque interruptio etiam sine causa intercedat. Ergo casus praesens excludi non debet.

Resp. 2° A peccato veniali excusandus etiam ille erit, qui rationabili de causa id peragit, v. gr. si Officium sit valde productum, ut Officium Dominicae, et recitato primo Nocturno sit valde defatigatus, vel somno obrutus, etc. Ratio ex dictis sequitur;

(*a*) Nemo ex auctoribus hic allegatis sermonem iniicit de meditatione non interserenda recitationi officii; itemque nemo reprehendit alias orationes forte intermixtas, nisi hae addantur tamquam Officii partes.

siquidem iusta de causa interruptio quaelibet licita est. *Reuter, de Horis can. n. 262.*

87. — QUAER. 6° *An vel quatenus repetenda sit aliqua Hora propter notabilem interruptionem interpositam?*

Resp. 1° Hora integra nunquam est repetenda, etiamsi interruptio absque iusta causa interposita fuerit. Ratio patet ex modo dictis. Insuper singuli Psalmi, singulaeque Lectiones vel Orationes suam completam significationem habent, et satis uniuntur per intentionem continuandi.

Resp. 2° Imo *per se* loquendo, nihil est necessario repetendum, etiamsi interruptio in medio Psalmo fiat, modo non sit in medio versiculo, vel in media oratione, quia etiam singuli versiculi suam particularem significationem habent. — *S. Lig. n. 168., et alii communiter,* contra *aliquos.*

QUAER. 7° *An in recitatione Officii liceat aliquid ex devotione miscere vel apponere?*

Resp. Neg., quia in Officiis nihil est addendum vel immutandum, nisi a Sede Apostolica fuerit concessum. — Sic *S. Congr. Rit.* die 10 Iunii 1690. (*a*).

88. — QUAER. 8° *Ad quid teneatur ratione pronuntiationis, recitans Horas cum socio, vel cum choro?*

Resp. Ad satisfaciendum obligationi requiritur, 1° ut recitatio alternis versibus fiat. Si autem plures quam duo recitent, debet, facto duplici choro, alternatim recitari, quia hic modus Ecclesiae consuetudine admittitur; 2° dicantur versus successive, et non simul; nec unus resumat, antequam alter suum expleverit; 3° quae ab uno dicuntur, ab aliis audiantur, ut communicent, et fiat una oratio moralis. Non tamen necesse est, ut audientes submissa voce partem aliorum pronuntient. — *Ita communissime.* — *S. Lig. n. 162.*

QUAER. 9° *An satisfacias, si recites Horas cum laico, aut alio non obligato, aut cum distracto, vel non attento?*

Resp. Affirm. ad omnia. Ratio est, quia haec non impediunt, quominus tu recites Horas iuxta morem Ecclesiae. Defectus obligationis, vel attentionis ex parte alterius, tuam recitationem non immutat, nec vitiat. Ergo si socius sit obligatus, et non attendat, ipse non satisfacit, non communicando tecum; sed non impedit, quominus tu cum eo communices, si recte pronuntiet, et recte audias. — *Lacroix n. 1295.*

89. — QUAER. 10° *An tenearis repetere, quae recitasti cum imperfecta, seu mutilata pronuntiatione?*

Resp. 1° *Affirm.,* si mutilatio sit valde notabilis, ita ut sensus verborum sit corruptus et destructus; idque valet, etiamsi involuntarie feceris, quia vitium substantiam recitationis afficit; excipe, nisi obstet impossibilitas, v. gr. balbuties.

** (*a*) Intellige, nihil addendum ceu partem Officii. Vid. sup. n. 83. q. 2.

Resp. 2° *Neg.*, si ita syllabas mutiles, ut sensus verborum non corrumpatur, vel si mutiles in parva quantitate; culpa enim tunc non afficit substantiam obligationis, et proinde veniale non excedit. Imo nullo modo peccas, si hoc facias involuntarie ob inadvertentiam, vel balbutiem, aut inveteratam consuetudinem, quae difficulter vinci possit; caeterum ad hanc consuetudinem emendandam opportunum studium adhibeatur oportet.

QUAER. 11° *An oratio dicenda sit post Matutinum, quando Laudes separantur?*

Resp. Neg. probabiliter, sed sufficit post Matutinum recitare *Pater noster*. Ratio est, quia *probabiliter* Matutinum et Laudes unam Horam moraliter efficiunt, et aliunde oratio in sola nocte Nativitatis Domini praecipitur. — *Ita S. Lig. n. 167.* — *Salmant.* —*Sanchez,* — *Viva,* etc. — *Voit, n. 1064.*, etc.

Affirmant tamen etiam *probabiliter* alii, quia (aiunt) probabile est Matutinum et Laudes esse duas Horas distinctas. Sic *Gavantus, Bonacina, Navarr.*, et probabile dicit *S. Lig. ibid.* (*a*).

QUAER. 12° *An ante Laudes a Matutino separatas dicendum sit* Pater *et* Ave, *ut ante alias Horas?*

Resp. Alii affirmant absolute, quia tunc Laudes sunt Hora distincta a Matutino. Sic *Saettler,* etc. Alii negant *probabilius,* quia id nullibi praescribitur. Nec valet ratio, quod Laudes tunc sint instar Horae distinctae; nam *Pater* et *Ave* non dicuntur initio Completorii, quamvis hoc sit Hora distincta. — *Ita Voit, n. 1064.* — *Lacroix, n. 1305.*

III. *Quoad attentionem et devotionem.*

90. — Officium recitandum est *attente* et *devote,* cum sit oratio et quidem publica, seu a ministro publico ab Ecclesia deputato recitanda. Hinc voluntarie distractus in horis recitandis peccat saltem venialiter. An autem aliquando peccet graviter, mox in quaesitis dicetur.

Voluntariae autem sunt non solum distractiones, quae intenduntur, sed etiam illae quae volitae sunt in causa, scilicet quae proveniunt ex negligentia, levitate, nimia praeoccupatione negotiorum peragendorum, ex curiositate ad obiecta externa circumspiciendo, ex circumstantiis loci vel temporis non opportuni, nisi hoc ratio quaepiam excuset. — *Bouvier* etc.

91. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quotuplex distinguatur attentio?*

Resp. Duplex, interna scilicet et externa. Prior consistit in interiori mentis advertentia ad id, quod agitur; posterior vero est,

(*a*) Haec ad meram lectoris eruditionem, nihil autem ad praxim conferunt. Obligatio enim *mere probabilis* iam non est obligatio, sed mera de obligatione opinio, quae obligandi vim non habet.

quae excludit omnem externam actionem physice cum recitatione incompossibilem, ut fabulari, scribere, etc.

Rursus attentio interna triplex est, scilicet 1° *spiritualis*, quae est ad Deum ipsum, ut orationis terminum; 2° *litteralis*, seu ad sensum verborum, et rerum significationem; 3° *materialis*, quae fit ad verba tantum, ad ea nempe rite proferenda. — *Vide* 1[um] *vol. num. 344.*

Quaer. 2° *An attentio interna sub gravi requiratur?*

Resp. Duplex est sententia inter Theologos.

I[a] Sententia *communior affirmat.* Ratio est, 1° quia oratio sine attentione interna non est oratio. Oratio enim est elevatio mentis ad Deum; atqui seclusa interna attentione nulla habetur ad Deum mentis elevatio. Ergo... Praeterea ad Horas persolvendas requiritur saltem aliqua intentio colendi Deum; atqui haec intentio haberi nequit sine aliqua attentione interna. Ergo... 2° Quia credendum non est, Ecclesiam intendisse materialem tantum attentionem in divino Officio persolvendo praescribere. Imo *Concilium Trid.* internae attentionis necessitatem videtur expresse declarasse dicendo, Officium esse recitandum reverenter, distincte et devote. 3° Si nulla requireretur attentio interna, non esset ratio, cur voluntaria distractio iure divino prohiberetur. — *Ita Sanchez,* — *Azor,* — *Roncaglia, et alii multi.*

II[a] Sententia *negat,* et dicit, ad satisfaciendum substantiae recitationis, et ad peccatum mortale removendum, externam attentionem absolute sufficere. Ratio est, quia si requireretur attentio interna, non satisfaceret suae obligationi, qui involuntarie distractus Horas recitaret; nam destructa, quamvis inculpabiliter, rei essentia, res ipsa destructa manet: hoc tamen neque adversarii admittunt. Sic autem concludit *S. Lig. n. 177.: Prima sententia probabilior videtur saltem ob auctoritatem extrinsecam et omnino ut tutior consulenda est* (*a*); *sed secunda tum ob Doctorum auctoritatem, quae non est contemnenda, tum ob rationes non levibus fundamentis innixas, satis probabilis apparet.* Huic conclusioni libenter adhaereo.— *Recole dicta de Missa, t. 1. n. 345.*

92. — Quaer. 3° *Quaenam attentio interna requiratur iuxta priorem sententiam?*

Resp. Quaelibet certo sufficit, quia sive sit spiritualis, sive litteralis, sive materialis, mens ad Deum elevatur, et fit vera oratio, etiamsi attentio esset tantum ad verba. Hinc nec spiritualis requiritur attentio, neque litteralis, quae impossibilis est pro multis, scilicet pro Monialibus, et pro nonnullis Religiosis linguam latinam ignorantibus. Ergo satis est, si habeatur attentio materialis; sufficit

(*a*) Nimirum commendanda est *attentio* etiam interior, non vero sententia, quae gravem interioris attentionis obligationem imponit; neque enim fas est incertam opinionem tamquam certam obligationem imponere.

enim attentio ad verba cum intentione generali colendi Deum. Imo neque requiritur attentio ad singula verba, sed sufficit attentio moralis et generalis, qua quis curet omnia dicere cum intentione orandi (*a*). — *Ita S. Lig. n. 176. — Lacroix, n. 1344.*

QUAER. 4° *Quaenam sint remedia ad distractiones repellendas?*

Resp. Alia sunt negativa, et alia positiva. Remedia negativa reducuntur ad eorum omnium subtractionem, quae sunt causa distractionis, v. gr. impedire quominus circumvagentur oculi, a maiori hominum strepitu se subducere, ad negotia diversa non properare, etc... — Remedia vero positiva sunt 1° sub initio recitationis efformare intentionem Deum laudandi; 2° renovare intentionem in fine Psalmorum, quando dicitur *Gloria Patri...;* 3° Dei praesentiam saepe in mentem reducere; 4° sibimet exhibere Passionem Domini nostri, distribuendo varias illius Passionis circumstantias per Horas singulas, etc. —*S. Lig. n. 177.*

PUNCTUM IV.

De causis excusantibus a recitatione Horarum.

Causae a recitatione divini Officii excusantes sunt 1° impossibilitas; 2° charitas; 3° dispensatio.

93. — I. *Impossibilitas,* sive physica, sive moralis, quae consistit in gravi difficultate Officium recitandi. Hinc excusatur

1° Qui non habet Breviarium, quia, v. gr. illud, iter suscipiendo, oblitus est, aut in itinere perdidit, cum impotentia aliud comparandi. Si tamen culpa sua oblitus fuerit aut perdiderit, aut pro-

(*a*) Si ad interiorem attentionem quaecumque ex tribus praemissis, et *materialis* quoque sufficit, merito De Lugo, ex cuius sententia probabile est sufficere attentionem externam, advertit (*De Euch. Disp. 22. n. 41.*), *non sine ratione dixisse P. Aegidium Coninck* (*In 3. P. S. Thom. q. 83.n.301.*), *reipsa consentire multos ex adversariis* (exigentibus nempe attentionem internam), *et solum de nomine videri dissensum. Exigunt enim attentionem internam, sed solum ad verba, et talem, ut sufficiat, ne aliquis se exponat periculo male ac perturbate verba pronuntiandi, aut omittendi, quae attentio haberi potest ab eo, qui etiam voluntarie cogitaret tunc de quaestione aliqua metaphysica, vel alia re simili.*

Quae quidem non ideo tradit De Lugo, quasi ex hac sententia voluntariae orantium distractiones culpa careant. Nam mox loquens de aliis adversariis, qui maiorem aliquam internam attentionem requirunt, haec subiicit: *Fatemur ergo, quoties oratio vocalis continuatur, dari aliqualem attentionem internam; sed haec est aliquando adeo tenuis, ut merito nolint eam adversarii aliqui vocare attentionem; quia quando exigunt attentionem ex obligatione, intelligunt de obligatione magis formali et explicita; quam tamen nos dicimus non posse voluntarie omitti absque culpa veniali propter irreverentiam, quae intercedit, si Deum alloquaris exterius, mente omnino ad alia distractus; non tamen constare de obligatione sub peccato mortali, cum adhuc maneat substantialiter oratio.* Quod autem substantialiter tunc oratio maneat, iis rationibus Lugo ostenderat (*ibid. n.29-39.*), quae sane, ut verbis utar S. Alphonsi (*Lib. 3.n.552.*), *difficulter solvi queunt.*

iecerit, graviter peccavit (*a*), et omissio Horarum ipsi imputanda est.

2° Qui gravi morbo laborat, v. gr. febri, dolore intestinorum vel capitis; vel qui iuste timet, ne ex recitatione grave subsequatur incommodum, etc. Unde satis excusatur qui prudenter credit vel timet, ne ob Officii recitationem ei notabilis gravedo capitis, vel cruditas stomachi, aut virium lassitudo, aut aliud grave incommodum inde proveniat. — *S. Lig. n. 154. not. I.*

3° Convalescens ex gravi morbo per aliquot dies excusari potest ad arbitrium prudentis, donec vires reficiantur. Et hoc admitti potest, etiamsi infirmus Missam iam celebret. — *S. Lig. ibid. not. II.*

4° Excusatur etiam, qui tempore persecutionis timet, ne ex recitatione Breviarii prodatur; item qui graviter oculis laborat, etc.— *S. Lig. n. 156. et 157., et alii communiter.*

II. *Charitas erga proximum,* id est gravis occupatio, quae sine scandalo aut notabili detrimento proximi omitti nequeat. Talis occupatio excusat a recitatione Officii, quia praeceptum naturale charitatis praevalet legi ecclesiasticae. Hinc excusaris a recitatione Horarum sive totaliter sive partialiter,

1° Si sub nocte Officium, v. gr. Vesperas recitaturus advoceris statim ad moribundum, neque ad Officii obligationem persolvendam tempus vel commoditas tibi suppetat.

2° Si tota die occuperis in excipiendis confessionibus, quae ob peculiares circumstantias differri non possint, v. gr. in sacris missionibus, ac praesertim sub earum finem, cum sis discessurus etc.

3° Si concionem sine scandalo aut famae detrimento omittere non posses, nec tamen eam praeparandi suppeteret tempus, si recitandum esset Officium.

4° Si occuperis tota die in sedandis iurgiis, aut assistendo infirmis, v. gr. tempore morbi contagiosi, etc. — *S. Lig. n. 156. et alii.*

94.—III. *Dispensatio legitima,* seu a legitimo Superiore concessa.

1° Obligatio divinum Officium recitandi, cum sit de Iure ecclesiastico, a Superioribus ecclesiasticis tolli potest.

2° Papa hanc dispensationem concedere potest valide in omni casu, etiam sine causa; licite autem ex causa rationabili, v. gr. ob nimiam occupationem, ad scrupulos sedandos, etc.

3° Episcopus etiam dispensare potest ab hac lege, sed non valide sine causa sufficienti, et tantum cum aliquo in particulari ad tempus, scilicet 1° quando dubitatur de impotentia morali, aut de gravitate detrimenti metuendi; 2° quando difficilis est recursus ad Papam; 3° quando dispensatio petitur ob causam, quae frequenter

(*a*) Melius dic, hunc graviter vel leviter peccasse, prouti omissionis causa graviter vel leviter culpabilis exstitit.

recurrit, v. gr. ob infirmitatem; 4° quando petitur dispensatio ad breve tempus. — *Ita S. Lig. n. 159.* — *Recole dicta in Tract. de Legibus, t. 1. n. 115.*

95. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quid agendum in dubio, an infirmitas sufficiat ad excusandum, necne?*

Resp. 1° Potest infirmus se committere iudicio medici, ut dicitur in *Iure can. c. Fraternitatis, de frig. et mal.;* 2° potest acquiescere iudicio Superioris, qui in dubio etiam dispensare valet; 3° potest se remittere iudicio probabili viri prudentis; 4° imo probabiliter potest etiam stare proprio iudicio, si tale iudicium ipsemet ferre possit. — *S. Lig. n. 154.* (*a*).

QUAER. 2° *Ad quid teneatur infirmus, si certus sit se integrum Officium persolvere non posse, dubitet vero, an partem recitare valeat?*

Resp. Probabiliter ad nihil tenetur. Rationabiliter enim a toto Officio excusatur, ne scrupulis angatur, nesciens quousque possit ac teneatur recitare; quae quidem anxietas magnum, ut ait S. Ligorius, nocumentum ipsi afferret. — *S. Lig. n. 154. in fine.*

96. — QUAER. 3° *An utcumque impeditus a recitando integro Breviario, teneatur ad partem, quam recitare potest?*

Resp. Affirm. prorsus. Ratio patens est. Obligatio enim Breviarii cadit in singulas eius partes, cum res praecepta sit divisibilis. Constat etiam ex propositione 54ª damnata ab *Innoc. XI,* quae sic iacet: *Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem*

** (*a*) S. Alphonsus (*Lib. 4. n. 154.*) haec addit: *Si dubium tantum sit, an indispositio pertingat ad excusandum, ut supra; tunc, cum lex recitationis possideat, et dubium sit de exemptione, utique lex est implenda. Hoc tamen currit, quando sit purum dubium; secus si sit probabile iudicium. Tournel. Ronc. Elbel, Anacl. etc.* In quibus iterum cernis, ex S. Alphonsi sententia *principium possessionis* utique valere, quando agitur de dubio *negativo,* non autem ubi contra adest probabilis opinio. Vid. sup. *Vol. 1. Not. ad n. 80.*

Addit insuper (*Ibid.*) S. Alphonsus: *Sed quid, si hisce praemissis* (scilicet quae Gury hoc loco refert), *adhuc dubium perseveret? Respondetur, si dubium sit, quod recitatio graviter laederet, tunc certe non tenetur, immo nequit recitare, quia praeferendum est ius naturale servandae valetudinis praecepto Ecclesiae, ut dicunt Viva, et Salmanticenses cum aliis, nisi id faceret amore virtutis secluso periculo mortis, iuxta dicta lib. 3. n. 371. cum Lugo, Salmantic., Vill. etc.* At enim haec discrete sunt intelligenda; 1° quia, *si reipsa recitatio graviter laederet,* inde forte sequeretur, ut diutius postea a recitatione vacare deberet, quod quidem amor virtutis potius debet refugere. 2° Allegatio Lib. 3. n. 371. forte minus ad rem facere videtur. Agitur nimirum ibi de Monachis, qui austere vivendo aliquam longioris vitae iacturam fortassis incurrant. Qua de re Lugo, quem S. Alphonsus allegat, sic habet (*De Iust. Disp. 10. n. 32.*): *Infertur septimo, poenitentias, ieiunia, et carnis macerationes voluntarie assumptas tunc solum non licere, quando notabilem mortis accelerationem afferrent...; secus..... non est illicitum ea opera exercere, licet timeatur aliqua vitae abbreviatio non notabilis.* Porro istud periculum damni paulatim forte secuturi satis differt a detrimento, quod ipso facto gravem recitantis laesionem inducet.

reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem. Igitur qui caret Breviario, et nihil aliud scit memoriter, quam Laudes vel Completorium, ista sub gravi recitare tenetur.

QUAER. 4° *An tenearis ad Psalmos recitandos, si hos tantum prae manibus habeas, vel scias memoriter, relictis Lectionibus cum Responsoriis?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia cum possis partem notabilem Officii recitare, nulla est causa, cur ab ea excuseris. — *S. Lig. n. 158.* — *Lacroix, n. 1220.* — *Sporer*, etc. Attamen *plures* dicunt, te ad nihil teneri, quia tunc deficit forma a *S. Pio V.* praescripta. Horum autem sententia satis probabilis videtur. Nec obstat sup. allata prop. 54ª ab *Innoc. XI.* damnata, quia in illa agitur de eo, qui Horas integras absolvere potest. — Sequens autem regula traditur a *S. Lig. et aliis* (*a*): *Si potes recitare quan-*

** (*a*) S. Alphonsus nempe isti regulae haec praemiserat: *Busembaum cum Bonacina, Holzmann cum Illsung, et Croix cum Laymann et Filliucc., recte hanc regulam assignant, quod si potes recitare, quantum est parva hora, teneris sub gravi id recitare.*

Atqui (quod sane mireris) de huiusmodi regula neque Busembaum, neque Bonacina, neque Holzmann, neque Illsung, neque Laymann, neque Filliuccius quidquam habent. Unicus itaque est Croix, qui (*Lib. 4. n. 1220.*) deducere eam voluit ex Illsung, qui rursus perperam omnino voluit aliam suam regulam deducere ex Laymann. Ex Croix autem ista regula in S. Alphonsum, et ex S. Doctore in Gury profluxit, et in Scavini, qui (*Tr. 5. Disp. 1. C. 2. art. 3. §. 5. n. 1. in Not.*) scripsit: *En regula: si potes recitare quantum est parva hora, teneris sub gravi.*

Dixi, Illsung perperam ex Laymann quandam suam regulam voluisse deducere. Postquam enim praemiserat (*Tr. 5. Disp. 1. Q. 1. art. 6. n. 41.*), eum, qui neque horam integram dicere possit, non obligari ad dicendos psalmos, aut orationes, aut partes horarum, subdit: *Laymann adhuc est severior; censet enim, quod licet matutinum sit tantum una hora, is, qui posset dicere omnes illius psalmos, non autem lectiones ob defectum libri, is omnino teneretur dicere; unde ait, quod modo quis possit dicere tantum, quantum sufficit ad omissionem mortaliter peccaminosam, prout utique sufficerent omnes psalmi matutini, excedentes aliarum horarum parvitatem, hoc ipso sit obligatio dicendi: quod etiam mihi videtur verum.* Exinde vero Croix regulam suam compegit, sic ratiocinando: Ex Laymann et Illsung obligatur quis ad dicendum id, cuius omissio est graviter peccaminosa. Atqui graviter peccaminosa est omissio unius parvae horae. Ergo qui potest recitare, quantum est una parva hora, ad id sub gravi tenetur. Porro hanc illationem duxit utique Croix, non vero Illsung, qui spectato contextu cum nota severioris prae aliis sententiae tributa Laymann, intelligendus videtur de unius eiusdemque horae notabili parte, quae omittatur. Secus inferretur, eum, qui duos dumtaxat psalmos matutini, duos ex laudibus postremos, duosque ex vesperis memoriter sciat, iam quasi ex sententia Illsung sub gravi ad hos recitandos teneri; quippe qui unius parvae horae mensuram excedant, nedum exaequent: quod sane Illsung ne somniavit quidem.

Caeterum omnino perperam et regulam suam Croix, et aliam suam Illsung attribuunt Laymanno. Hic nempe (*Lib. 1. Tr. 4. C. 19. n. 6.*) posita hac thesi: *Si praeceptum sit de re individua, qui excusatur a parte eius substantiali, excusatur a toto,* dein hanc exceptionem sub-

tum est parva Hora, teneris sub gravi id recitare; si vero minus, ne sub veniali quidem aliquid recitare obligaris, quia talis modica pars, seorsim sumpta, non censetur aestimabilis ad finem a lege intentum.

97. — QUAER. 5° *An tenearis socium adhibere, si non valeas solus Horas recitare?*

Resp. Affirm., si facile aliquem invenias, quem commode adhibere possis. Ratio est, 1° quia tunc non datur proprie dicta impotentia; 2° quia praecepta Ecclesiae requirunt diligentiam ordinariam ad sui adimpletionem: porro nullum medium est magis ordinarium, quam socium, quem facile possis forte invenire, in recitatione adhibere. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 158.* — *Salmant.*, etc.

QUAER. 6° *An tenearis adhibere socium, stipendio soluto, si alium commode non invenias?*

Resp. Neg. iuxta sententiam communem. Ratio est, quia medium est omnino extraordinarium, et etiam incommodis plenum est: unde ad illud Ecclesia non censetur obligare. Imo si prompte

dit: *Nisi pars praecepti, quae servari non potest, exigua sit; ut qui reliquum observat, censeatur moraliter implere praeceptum quoad substantiam.* Addit autem exemplum etiam ex Breviario, inquiens: *Simile est, si qui breviarium suum amisit, in matutinis alicuius feriae omnes psalmos memoriter sciat, sed tres lectiones cum responsoriis nesciat, obligatur ad psalmos recitandos, quia tunc pars, quae omittitur, notabilis non est.* Et ex his quidem Illsung *generaliter* intulit, obligari ad recitandos psalmos matutini, etsi quis careat lectionibus; et ulterius generale quoddam intulit quasi ex ore Laymann principium de obligatione id recitandi, cuius omissio esset graviter peccaminosa. Atqui frustra haec ambo Laymanno affinguntur. Immediate enim Laymann sequitur: *Aliud vero dicendum de matutinis novem lectionum; quarum omissio notabilis censetur: quare qui eam partem recitare nequit, a toto excusatus esse videtur.* Non ergo *generatim* Laymann dixit, recitandos esse matutini psalmos, si desint lectiones; sed id asseruit tantum de defectu trium lectionum in matutinis feriae. Multo minus vero generatim admittit obligationem id recitandi, cuius omissio gravem culpam constituit; numquid enim non gravis est omissio novem psalmorum matutini? Attamen ab iis recitandis eum excusat, qui careat novem lectionibus. Normam scilicet desumit non ex parte horae in se spectata, sed ex eius proportione ad servandam praecepti substantiam, quam relate non ad totum Officium, sed ad singulas horas dimetiendam dicit. Quocirca subdit (*l. c. n. 7.*): *Si praeceptum sit de re dividua, qui excusatur ab una parte, debet tamen servare alteram, quippe in qua praecepti substantia consistere potest; sacerdos v. gr. qui ob aliquam causam impeditur a recitandis matutinis, tenetur nihilominus recitare horas parvas et vesperas, si possit.* Ex quibus illud etiam patet, non recte Bonacinam (*De Pecc. Disp. 2. Q. 8. Punct. 1. n. 7.*) iis Laymannum accensuisse, *qui asserunt, eum, qui non potest maiorem divini Officii partem recitare, non teneri ad minorem;* cum alioquin Bonacina idem, ac Laymann principium statuat (*l. c. n. 4.*), nempe *eum, qui commode non potest totum praeceptum adimplere, teneri adimplere partem..., modo sit pars notabilis, et censeatur intenta a Superiore,* modo scilicet (ut ait Laymann) in ea parte servetur praecepti substantia. Et ex his rursus edocemur, quam caute fidendum sit allegationibus, utut Auctores, apud quos prostant, accuratiores videri possint.

non occurrat socius tecum gratis recitaturus, non teneris aliquem cum anxietate et sollicitudine quaerere, quia et hoc evaderet medium extraordinarium. — *Ita Salmant. c. 3. n. 44.* — *Suarez, de Religione, t. 2. l. 4. c. 8. n. 12.*

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONIBUS NEGATIVIS CLERICORUM, SEU DE IIS QUAE CLERICIS PROHIBENTUR

98. — Generatim prohibentur Clerici, ne iis se dedant, quae statum ecclesiasticum dedeceant, v. gr. ne artem macellariam, tabernariam, medicam et chirurgicam, excepto casu necessitatis, exerceant; ne agant iudicem in causa sanguinis, vel advocatum, vel patronum, aut tabellionem in pactis saecularibus. Item prohibentur Clerici armati incedere, tabernas ingredi, et alia complura. Maxime vero Clericis prohibentur sequentia: 1° habitatio cum mulieribus; 2° ludus aleatorius; 3° gestatio armorum et venatio; 4° negotiatio. De singulis breviter.

§. I. *De habitatione cum mulieribus.*

99. — Habitatio sub eodem tecto cum mulieribus iam inde a prioribus Ecclesiae temporibus Clericis per sacros canones generatim prohibita fuit. Sic in *Concilio Nicaeno I, Can. 3: Vetuit omnino magna Synodus, ne liceat Episcopo aut Presbytero, nec Diacono, nec uni penitus eorum, qui sunt in Clero, introductam* (a) *habere mulierem,* praeterquam utique *matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quae omnem suspicionem effugiunt.* — Constat etiam ex *cap. 1. et 9. de Cohab.* Item ex *Conc. Later. I, c. 3.* Hinc plerisque in locis etiam Episcopi in Synodis praescripserunt, ut Clericis cohabitare fas esset cum iis tantum mulieribus, quae stricto consanguinitatis vel affinitatis vinculo, primo scilicet et secundo gradu coniunctae sunt. Nec permiserunt, ab ipsis admitti ancillas, nisi compertae probitatis forent. Imo in plerisque statutis synodalibus prohibitum reperitur, ne Clerici ancillas secum habeant, quae aetatem 40 annorum non expleverint. Ratio autem praecepti est, tum ut removeatur periculum, quod humana fragilitate incurrere Clerici possent, tum ut praecaveantur calumniae, quae facile innocentibus alias impingi possent. Huc illa faciunt *Eccli. 42. 12.: In medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.*

(a) *Subintroducta* (συνείσακτος) dicebatur non quidem mulier seu famula quaelibet, sed femina devota et caelibatum profitens, quae a clerico ceu soror amore speciali diligeretur, ac simul cum ipso viveret. Quocirca hic Canon minus ad rem facere videtur.

100. — Mens autem Ecclesiae est, ut Clerici non solum abstineant a cohabitatione cum mulieribus, sed etiam ut caveant ab illis frequenter invisendis vel alloquendis. Ita commonent omnes Patres. Audiendus inter alios *S. Ambrosius,* sic Clerum suum instruens, *lib. 1. Offic. 20.: Viduarum ac virginum domos, nisi visitandi gratia, iuniores non adeant; et hoc cum senioribus, hoc est, vel cum Episcopo, vel, si gravior est causa, cum Presbyteris. Quid necesse est, ut demus saecularibus obtrectandi locum? Quid opus est, ut illae quoque visitationes crebrae accipiant auctoritatem? Quid si aliqua illarum forte labatur? Cur alieni lapsus subeas invidiam? Quam multos etiam fortes illecebra decepit? Quanti non dederunt errori locum, et dederunt suspicioni? Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum revisas, Christum alloquaris?*

§. II. *De ludo alearum.*

101. — Ludus alearum dicitur, qui totus situs est in pura sorte, et cuius exitus a mero casu pendet, quin ludentis industria partem ullam in eo obtineat: talis est, v. gr., ludus *talorum.*

Ludus alearum severe prohibetur Clericis, saltem in Ordinibus maioribus constitutis, et beneficiatis. Constat 1° ex *Concil. Later. IV, Can. 16.*, ubi dicitur: *Clerici ad aleas et ludos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint;* 2° ex *Conc. Trid. sess. 22. c. 1. de Reformat.*

Spectatis huiusmodi legibus, gravis peccati reus habebatur communiter, qui sacris initiatus eiusmodi ludis lucri gratia et multum indulgeret. — *S. Lig. l. 3. n. 896.* — At ex praesenti consuetudine antiquorum Canonum prohibitio valde videtur temperata.

In praesentiarum ab omni peccato iuxta multos immunis censetur Clericus, qui parce, moderate, privatim et sine scandalo ludit aleis, chartisque, utcumque exitus a fortuna pendeat, si ludat ubi praefati Canones non rigide observantur. — *S. Lig. n. 899.* — *A fortiori* omni culpa vacaret, qui recreationis causa, et absque scandalo illis sese ludis recrearet; v. gr. si nullum aut minimum sit lucrum, aut si lucrum pauperibus tribuatur, quia consuetudo hoc pacto Canones sacros interpretata est.

102. — Quaer. *An quilibet chartarum ludus censeatur aleatorius?*

Resp. Neg. Distinguendus enim est duplex chartarum ludus. Alius est purae sortis et omnino aleatorius; alius vero mixtus, seu partim aleatorius, et partim a peritia vel industria ludentis pendens. Hoc posterius ludi genus non est habendum ut illicitum *per se,* si moderate, absque scandalo, et pro exigua pecuniae quantitate ludatur, nisi tamen alicubi speciali lege prohibeatur; sic enim fert interpretatio legis et universalis consuetudo. Caveant tamen Clerici, ne in ludendo ad excessus, levitatem, et animi dissipationem, necnon ad cupiditatis vel passionis affectum abripiantur. Expedit imprimis, ut

a ludendo cum saecularibus generatim abstineant, nisi hi sint viri prudentiae et gravitatis non communis; quia secus sanctum eorum ministerium detrimentum, et hoc subinde grave, facile patietur. Imprimis a temporis iactura, et quam maxime a fidelium scandalo cavere debent.

§. III. *De gestatione armorum et venatione.*

103. — Gestatio armorum, seclusa necessitate, Clericis prohibetur. Constat praeter alia ex *Decret. lib. 3. tit. 1. de vita et honest. Cleric. c. 2.*, ubi dicitur: *Clerici arma portantes excommunicentur.* Ratio est, quia gestatio armorum dedecet characterem Clericorum, qui ad exemplum Christi mites esse debent et humiles corde. Aliunde Clericorum arma debent esse mere spiritualia, cum ad illos spectet contra potestates tenebrarum militare. Unde dicunt Theologi cum *Benedicto XIV, not. 101.*, peccare graviter Clericos in sacris, qui militiam amplectuntur. Non tamen reprehendendi sunt, qui bello iusto cooperantur consilio, adhortatione, vel etiam auxilio, modo arma non gerant, nec officio ducis fungantur. De his ex variis locis Iuris canonici constat. Dixi *extra necessitatem*, quia necessitas legem non habet.

104. — Venatio prohibetur Clericis; at venationem intellige clamorosam, seu quae fit cum canibus et armorum strepitu, vel accipitribus; non vero venationem quietam, v. gr. cum laqueis aut aliis instrumentis. Constat ex variis locis Iuris can., sed praesertim ex *Conc. Later. IV, Can. 15.*, ubi dicitur: *Venationem et aucupationem universis Clericis interdicimus; unde nec canes nec aves habere praesumant.* Item ex *Conc. Trid. sess. 24. c. 13. — Vide S. Lig. l. 3. n. 606.*

Controvertitur autem, an venatio clamorosa sit peccatum grave, si raro fiat. Negat *S. Ligorius*, secluso scandalo. Pariter non videtur stricte prohibita *per se* venatio cum sclopeto et uno cane; sed generatim indecentiam involvit, nec aliquo scandalo caret, nisi forte raro fiat, v. gr. absque cursu, in horto, etc.

§. IV. *De negotiatione.*

105. — Negotiatio prohibetur omnibus Clericis, praesertim iis, qui sacris initiati sunt. Constat ex innumeris textibus Iuris can., praecipue ex *Trid. sess. 22. c. 1. de Reformat.*

Neque citra licentiam aut Sedis Apostolicae intra Italiam, aut Ordinarii extra Italiam negotiationi vacare etiam ob alendae familiae necessitatem Clericis licet. Ex *Decret. Clement. XIII*, Constit. *Cum priorum, 17. Septembr. 1759. — Vid. S. Alphons. De Contract. n. 832, 833.*

At non continentur in illa prohibitione 1° Clerici, qui fructus venditant, quos ex suis agris percipiunt. 2° Qui artem exercent con-

ditioni ac statui proprio consentaneam, et opera vendunt. 3° Qui res parvo emunt pretio, cum adest copia, ut eas, ingruente annonae caritate, eodem pretio amicis, propinquis ac pauperibus vendant. 4° Qui emunt pecora, ut ea in propriis praediis saginata vendant; secus vero, si in alienis septis saginentur. 5° Probabiliter ex communi sententia etiam qui emunt fructus aliorum agrorum ad animalia saginanda, et saginata vendenda. 6° Qui ad proprium usum emunt, sed deinceps vendunt, si pretium crescat, ut vilius simile ematur. 7° Qui emunt plurima, ut tutius sibi prospiciant, et deinde quod superest, etiam carius vendunt.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS PARTICULARIBUS CLERICORUM.

Dicemus de obligationibus 1° Episcoporum; 2° Parochorum; 3° Canonicorum.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONIBUS EPISCOPORUM

106. — Episcopus dicitur *Ordinarius*, quia ordinaria iurisdictione utitur in sua dioecesi. Dicitur etiam *Dioecesanus* ratione territorii sibi subiecti, et *Suffraganeus* ratione *Metropolitani*, cui subditur. Eius Ecclesia *Cathedralis* vocatur, quod in ea sit Sedes episcopalis, seu *Cathedra*.

Episcoporum obligationes, praeter eas, quibus in die consecrationis iuramento se adstringunt, reducuntur ad residentiam, orationem, praedicationem, et dioeceseos visitationem.

107. — I. *Quoad residentiam.* Episcopi, licet Cardinales sint, tenentur in sua episcopali sede commorari, ut colligitur ex *Conc. Trid. sess. 6. c. 1. de Reform., et sess. 23. eod. c.*

Plures autem sunt causae excusantes Episcopum a perpetua et continua residentia.

1° *Charitas christiana,* v. gr. si qua Ecclesia in magno haereseos discrimine versetur, et opem illi ferre possit, vel si ipsius mediatio sit necessaria ad componendam pacem, etc.

2° *Necessitas urgens,* v. gr. si Episcopus vita periclitetur ob morbum, aeris inclementiam, persecutionem personalem, etc. non vero propter generale periculum, v. gr. tempore contagii, etc.

3° *Obedientia debita,* scilicet cum Pontifex Episcopum aliquem advocat, ut ei negotii alicuius curam demandet: sic Cardinales Romano Pontifici assistentes sufficientem causam habent, cur ab Ecclesiis saepius absint.

4° *Bonum evidens Ecclesiae*, ad eius iura defendenda, v. gr. in Concilio provinciali vel generali. — *S. Lig. n. 125.*

Episcopis permittitur, ut ex honesta causa et absque gregis detrimento singulis annis duobus aut tribus mensibus abesse possint, sive continue, sive interpolate. Ex *Conc. Trident. sess. 23. c. 1. de Reform.* Sed diutius absque Indulto Apostolico abesse non possunt, si peregrinationem ad limina Apostolorum et assistentiam Concilio provinciali excipias.

108. — II. *Quoad praedicationem.* Episcopi strictissima tenentur obligatione verbum Dei praedicandi, *per se* vel saltem per alios, si fuerint ipsi legitime impediti: constat ex Scriptura sacra. Sic Apostolus, *2. Tim. 4. 2.: Praedica verbum; insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina,* etc. Constat etiam ex *Conc. Trid. sess. 5. c. 2. de Reform.*

III. *Quoad orationem.* Episcopi, Apostolorum instar, debent orationi saepe dare operam, et in divinarum rerum contemplatione se exercere, divinumque lumen sibi, Clero, populoque universo continenter efflagitare.

Frequenter, et saltem diebus Dominicis ac festis, Sacrum pro dioecesi universa facere debent, et populum ad orationem saepius incitare, orandi modum edocendo, privatas publicasque preces in praecipuis necessitatibus indicendo, supplicationesque decernendo, etc. — *S. Lig. Hom. apost. tract. 7. n. 65. 66.*

109. — IV. *Quoad visitationem episcopalem.* Episcopus utpote totius dioeceseos pastor magnam animarum suae sollicitudini ac laboribus commissarum curam gerere debet. Quare diligenter diversas suae iurisdictionis Ecclesias obire adstringitur, ut oves suas, uti par est, cognoscat, earum necessitates detegat, media illis occurrendi pervestiget. Ad haec omnia iure divino et naturali obligatur, neque ulla consuetudine lex haec abrogari vel imminui potest, ut apertum est ex *Concil. Trident. sess. 24. c. 3. de Reform. — S. Lig. Hom. apost. tract. 7. n. 59-60.*

Episcopi, qui dissitas immensasque dioeceses administrant, ut in Gallia, non possunt eas quotannis neque altero quoque anno integras perlustrare: excusantur igitur ob impossibilitatem, modo id quod possunt, faciant, et magnam dioeceseos partem invisant, saltem per Vicarios generales, si personaliter impediantur.

In omnibus, quae ad visitationem et morum correctionem pertinent, Episcopi ius habent ea ordinandi, moderandi, puniendi, exequendi, iuxta Canonum sanctiones, quae pro eorum prudentia ad emendationem subditorum, et dioeceseos utilitatem necessaria videantur. — *Sic ex Conc. Trid. sess. 24. c. 10. de Reform.*

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONIBUS PAROCHORUM (*a*).

110. — Parochus, semel canonice constitutus, ordinaria gaudet iurisdictione in populum sibi demandatum, et sine nova Episcopi approbatione ius habet ad omnia munia parochialia obeunda. Nullus ergo Clericus, dempto Episcopo, et eius Vicario generali, eorumque delegatis, sacris quibuslibet fungi in eius Ecclesia aut parochia, sine ipsius consensu expresso aut rationabiliter praesumpto, ulla ratione licite potest (*b*).

Parochi, uti Episcopi, tenentur praecipue, 1° ad residentiam; 2° ad orationem; 3° ad praedicationem; 4° ad administrationem Sacramentorum; 5° ad correctionem ovium; 6° ad visitationem aegrotorum et parochiae.

111. — I. *Quoad residentiam.* Parochus ad residentiam obstringitur; quia cum administrationem parochiae susceperit, sese obligavit ad animarum saluti consulendum, eamque pro virili parte procurandam. — *Conc. Trid. sess. 23. c. 1. de Reform.—S. Lig. n. 121.*

Debet Parochus in domicilio presbyterali commorari, vel si hoc

(*a*) De hoc argumento dignissimum est, quod legatur, immo quod diu noctuque manibus teratur opusculum, cui titulus: *Manuale pratico pel Parroco novello, per Giuseppe Frassinetti, Priore di S. Sabina in Genova: operetta utile anche agli altri Ecclesiastici, specialmente Confessori e Predicatori.* Quidquid enim ad quaelibet Parochi munia pertinere quavis in re potest, in Sacramentorum nimirum administratione, in functionibus sacris, in administrandis bonis tum quae ad parochiale beneficium, tum quae ad fabricam ecclesiae spectant, in templi decore, ac domus etiam parochialis decentia servanda, in pauperum, infirmorum, scholarumque cura gerenda, in piis Congregationibus instituendis aut fovendis, in divini verbi pabulo tum per praedicationem tum etiam per utilem librorum lectionem plebi suppeditando, in subditis, ubi opus sit, corrigendis, in scandalis sive contra fidem sive contra bonos mores amovendis, etc., id omne in egregio hoc opusculo attingitur. Neque vero Auctor haec exequitur per prolixas, ac veluti concionatorias paraeneses, multoque minus per acerbiores, ut nonnulli assolent, expostulationes, quibus ecclesiasticorum vitia carpere videatur, sed breviter ac sobrie per monita quaedam, sapientiae sane prudentiaeque plena, quae suavissima ac mitissima charitas, solida doctrina, diuturna experientia, ac temperantissima iudicii indoles (*discretionem* alii dixerint) suppeditare valet. Hinc autem illud existit summi profecto momenti commodum, quod ad cavendos errores, in quos impingere quidam aut experientia nondum sat eruditi aut minus prudentia instructi interdum solent, non quidem factis cum suo aliorumve damno subinde gravi experimentis, sed tutissima in antecessum via demonstrata praemuniantur.

** (*b*) Non potes proinde sine eiusmodi parochi consensu confessiones in eius Ecclesia excipere. Si tamen tibi permittatur ibi Missam celebrare, etiam SS. Eucharistiam distribuere tunc potes. Quoad confessiones autem excipiendas, fac distinguas paroeciam ab Ecclesia parochiali. Nam ad infirmorum audiendas confessiones etiam inscio parocho accedere potes.

desit, in propiore domo intra parochiae fines, ut facile adiri possit, et ipse in residentiae munere obeundo non impediatur. Ut vero residentiae muneri satisfiat, non tantum debet esse praesens corpore, sed etiam *per se* ipse debet parochiae servire. — *S. Lig. n. 124-127.*

Attamen possunt, si veniam ab Ordinario obtineant, iusta de causa abesse quotannis per bimestre, modo Vicarium idoneum per Episcopum sibi substituant. Venia Ordinarii necessaria est, etiam si per hebdomadam abesse velint. Per unum vero vel alterum diem possunt abesse sine speciali licentia ex causa quae ipsis videatur legitima, modo Vicario idoneo parochiam commendent.

II. *Quoad orationem.* Tenetur Parochus, ut Episcopus, Sacrum pro parochia facere festis ac diebus dominicis, ut patebit ex dicendis in *Tract. de Euch.* Item tenetur orare frequenter pro suis ovibus, ut sibi ac subditis gratias ad salutem necessarias, et caelestes benedictiones imploret.

Praeterea curare debet Parochus, ut omnes addiscant orare, ut bene orent, suosque doceant orare; ad hoc conducet maxime, si quandoque, praesertim festis diebus et Dominicis, necnon tempore Adventus et Quadragesimae, matutinas orationes ac serotinas publice fideles agant. — *S. Lig. Hom. apost. tract. 7. n. 35. et seq.*

112. — III. *Quoad praedicationem.* Parochi tenentur saepius ad populum verba facere, eum salutaribus pabulis alere, saltem diebus Dominicis singulis, et singulis festis maioribus. — *Sic Trid. sess. 5. c. 2. de Reform.*

Graviter ergo peccant Parochi, qui per tempus notabile abstinent a praedicatione. Tempus vero notabile a multis habetur, si per integrum continuumque mensem praedicatio deseratur, aut per tres menses non continuos, seu in anno divisos.—*Ita S. Lig. Lib. 3. n. 269.* (*a*). — Neque obligationi satis illi faciunt, qui praedicationem audientium captui accommodare non satagunt.

Nomine praedicationis heic non veniunt sermones multa ac subtili arte perfecti atque elaborati, elegantiis referti, memoriaeque commendati (*b*); hi enim sermones quanquam sint utiles et aliquando necessarii, plerumque tamen Parochus huiusmodi sermones habens, muneri suo nullo pacto satisfaceret, quia iuxta *Trid.* docere debet, quae magis sunt necessaria, et modo utiliore et maximae auditorum parti accommodatiore. Neque minus reprehendendi illi sunt, qui

(*a*) Ita quidem opiniones a S. Alphonso ibi relatae. Verba tamen Tridentini, e quibus gravitatem reatus arguunt in trium mensium omissione, ad tres menses continuos potius, quam interruptos spectare videntur.

(*b*) Auctor prae oculis habuit verba Tridentinae Synodi (*Sess. V. De Reform. Cap. 2.*): *Plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis; docendo, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis, cum brevitate et facilitate sermonis, vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, etc.*

nulla adhibita praeparatione, quidquid in buccam venit, effutiunt sine ordine, claritate, pietate ac zelo. Hi verbum Dei deturpant, et nauseam fastidiumque creant auditoribus. — *Ita omnes.*

Parochus autem, qui pios libros auditoribus legit, non obit munus suum praedicandi: quia lectio non est praedicatio; nisi quis adeo sit labilis memoriae, ut aliter facere non possit; tum vero identidem debet curare, ut per alium ad populum sermones habeantur, vel Episcopum de impedimento commonefacere.

113. — IV. *Quoad administrationem Sacramentorum.* Parochi tenentur per se Sacramenta ministrare, non modo instante tempore praecepti, et gravis necessitatis, sed etiam, quod spectat ad Sacramenta, quae possunt iterari, toties quoties oves debite seu non intempestive petunt, nisi sint legitime impediti, vel possint per alium sine incommodo et offensione petentium ipsis consulere. Vide complura alia hac super obligatione in *Tract. de Sacram. in genere.*

V. *Quoad correctionem.* Tenetur Parochus subditos in peccato mortali vel in proximo peccati mortalis periculo versantes corrigere, etiamsi grave periculum subeundum esset; si tamen spes aliqua emendationis affulgere videatur. Debet etiam, in quantum potest, cum debita prudentia scandala de medio tollere, vel praecavere per se aut per alios, directe vel indirecte, mandato, consilio, cohortatione, precibus, etc. — *Ita communiter,* et *probabilius* quidem ex *iustitia,* non vero ex *charitate* tantum.—*S.Lig.Hom. Apost. tract. 7. n. 30. et seq.* (*a*).

Deinde Parochi bono spirituali subditorum prospicere sollicite debent, iuxta illud Apostoli, *Rom. 12. 8.: Qui praeest in sollicitudine.* Debent idcirco parochianorum mores investigare, delinquentes corrigere, sustinere vacillantes, et satagere, ut omnes suas obligationes obeant, semper memoria tenentes, se pro eorum animabus esse aliquando rationem reddituros.

114. — VI. *Quoad visitationem aegrotorum et parochiae.* Abusus est animarum saluti valde noxius aegrotos non invisere, antequam Parochus ab ipsis accersatur. Cum autem aegrotos inviserit Parochus, eosque Sacramentis refecerit, non arbitretur, se munus suum adim-

(*a*) S. Alphonsus non dubitat hoc loco affirmare, parochos ac multo magis Episcopos ad correctionis officium etiam cum vitae periculo teneri. At correctionem DD. hic non usurpant presso sensu pro *admonitione de delictorum emendatione,* sed latius pro cura arcendi seu impediendi quamlibet spiritualem ovium sibi commissarum ruinam. Nam reipsa contingit interdum, ut, quidquid demum periculi subeundum sit, parochus nihilominus plebem suam docere ac monere debeat. Ita, v. gr. ubi vigeant rebelles illae adversus ius divinum leges, quae quoad christiani matrimonii validitatem vel invaliditatem nullam canonicarum legum rationem habent, parochus, quovis contempto periculo, tenetur sane dogma illud catholicum proclamare, quod in SS. D. N. Pii Papae IX litteris ad Regem Sardiniae, 19 Sept. 1852 datis, edicitur, quamlibet inter christianos coniunctionem, utut legibus civilibus sancitam, si sacramentum non sit, non esse nisi turpem concubinatum.

plevisse; sed illos saepius visitet, consoleturque. Legantur et pia meditatione recolantur monita Ritualis Romani circa infirmorum curam et visitationem.

Quoad parochianorum visitationem, haec habet *Concilium Suessionense* anni 1849, *tit. XV., c. 1.*

Quia, ut ipse ait Christus, bonus Pastor cognoscit oves suas, et vocat eas nominatim, ideo Parochus cognoscere debet fideles sibi commissos. Non ergo negligat hunc morem tam salutarem singulas paroeciae suae familias certis temporibus visitandi; hocque munus adimpleat cum gravitate simul et modestia, necnon et singulari charitate. Quamvis enim a quolibet inutili per paroeciam discursu abstinere debeat, non tamen officio suo satisfecisse arbitretur, si domi inclusus expectet, ut ad ipsum veniant parochiani. Semper equidem valuit, sed hisce praesertim temporibus valet hoc praeceptum Domini: Ite ad oves, quae perierunt, domus Israel.

ARTICULUS III.

DE OBLIGATIONIBUS CANONICORUM

115. — Canonici, sic nuncupati, quod olim communi regulae subiicerentur, constituunt concilium Episcopi, et variis adstringuntur obligationibus quoad cultum divinum, altare, chorum, et, vacante Sede, dioecesis administrationem.

Canonici constituuntur imprimis, ubi habetur Sedes episcopalis, seu Ecclesia cathedralis. Templa, quae praeter cathedralem collegium habent Canonicorum, *Collegiata* appellantur.

Canonici sunt alii *regulares*, qui sub Praeposito communem vitam votis adstrictam agunt, et hi nunc pauciores inveniuntur; alii vero *saeculares*, qui seorsim vivunt ex beneficiis seu pensionibus ecclesiasticis, et institutum canonicum servant quoad varia munia in Ecclesia obeunda.

Praecipuae autem obligationes Canonicorum reducuntur 1° ad residentiam; 2° ad Officium chori; 3° ad Missam conventualem; 4° ad assistentiam Episcopi; 5° ad quaedam munera, Sede vacante.

I. *Quoad residentiam.*

116. — Canonici tenentur ad residentiam. Sic enim statuit *Conc. Trid. sess. 24. c. 12. de Reform.: Non liceat (Canonicis) vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses... quolibet anno abesse, salvis nihilominus Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt, alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, etc.*

2° Non omnes Canonici simul abesse possunt, sed non ultra tertiam partem Capituli, quia vacationes conceduntur quidem Canoni-

cis, non vero Capitulo; cultus enim divinus, cui addicti sunt, vacare non debet. Nec indigent licentia aut Capituli aut Episcopi ad discedendum intra dioecesim; si autem extra dioecesim discurrere velint, licentia Episcopi ipsis necessaria est. Sic statuit *S. Congr. Concil.* Neque indigent aliqua speciali ratione, ut abesse possint, prout expresse declaravit eadem *Congr. Conc. 4 Maii 1737.*

Tempus vero vacationis incidere non debet in maiores solemnitates Paschae, Pentecostes, Nativitatis Domini, etc., neque in earum Octavas, neque in tempus Adventus, vel Quadragesimae.

117. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An Episcopus possit longiorem absentiam permittere?*

Resp. Si adsit legitima causa, Episcopus potest permittere absentiam quatuor mensium, imo et diuturniorem ob causam extraordinariam, scilicet propter christianae charitatis officia, infirmam valetudinem, saevientem persecutionem, vel indubiam Ecclesiae aut Reipublicae utilitatem.

QUAER. 2° *An Canonici absentes teneantur aliquem sibi substituere?*

Resp. Neg. Ita declaravit *S. Congreg. Conc. Trid.* Ratio est, quia alii Canonici praesentes supponuntur sufficere pro assistentia chori, cultuque divino peragendo. Hinc potioris sunt conditionis quam Parochi, qui nunquam abesse possunt, nisi alium idoneum Sacerdotem sibi substituant.

II. *Quoad officium chori.*

118. — Omnes Canonici tenentur ad Officium divinum in choro canendum, vel psallendum. Constat ex *Concil. Trid. sess. 24. c. 12. de Reform.* Nec ideo excusantur, quod forte sint pauci; nam *Congreg. Conc.* definivit 13 Martii 1696, Canonicos, etsi paucos, puta duos vel tres, Officium in choro canere aut recitare teneri. Hinc non sufficit, ut Canonici intersint tantum choro vel Officiis; sed in quantum possunt, tenentur ad cantum vel recitationem concurrere, voce elata et pio cordis affectu. Nec satisfaciunt etiam praesentes cum privata recitatione, ut constat ex Const. *Bened. XIV: Cum semper*, 19 Aug. 1744. — Peccant igitur graviter, qui sine probabili causa notabiliter absunt a choro ultra tempus a *Conc. Trid.* permissum, et venialiter si per breve tempus, v. gr., tres aut quatuor dies. — *Ita communiter* cum *S. Lig. lib. 3. n. 675.* Nec possunt diutius abesse, secluso Indulto Apostolico, quod v. gr. ad concionandum concedi solet.

119. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An Episcopus permittere possit, ut non omnes Horae cantentur?*

Resp. Neg. Etenim *S. Congreg.* nuperrime interrogata a Capitulo Ecclesiae Molinensis, utrum sustineri possit statutum *DD. Antonii de Pons,* primi huius Sedis Episcopi (an. 1822), quo talis

concedebatur licentia Canonicis, respondit: *Ordinationem praefatam non esse attendendam.* Episcopo tamen eadem Congregatio licentiam concessit, ut res in veteri statu retineantur, usquedum quaedam circumstantiae immutentur (Apud *D. de Conny, Des usages et des abus en matière de cérémonies,* ad calcem operis).

QUAER. 2° *An Officium Defunctorum, B. Mariae V. et Psalmi graduales debeant ex obligatione recitari in choro?*

Resp. Neg. Quia non sunt de praecepto, sed de rubrica directiva, seu de consilio. — *Ita communiter Canonistae.* — *Recole dicta supra de Horis can. n. 60.*

III. *Quoad Missam Conventualem.*

120. — 1° Canonici iuxta communem sententiam Theologorum et Canonistarum tenentur sub gravi Missam conventualem quotidie canere. — *S. Lig. lib. 6. n. 314.* Constat ex Bulla *Bened. XIV, Cum semper,* etc., necnon ex responsione *Leonis XII,* qui a Capitulo Cenomanensi interrogatus, eo sensu respondendum esse iussit. — *Bouvier, de quarto Decalogi praecepto.*

2° Missa autem conventualis 1° quotidie canenda est; 2° fundatoribus et benefactoribus Ecclesiae in genere est applicanda. Attamen haec obligatio reduci posset a *S. Congreg. Conc.* ad dies festos, si canonici sint adeo pauperes, ut retributionibus Missarum indigeant ad vivendum. — *Ita expresse* quoad haec omnia *Benedictus XIV* in Bulla citata.

IV. *Quoad assistentiam Episcopi,* etc.

121. — 1° Concil. *Trid. sess. 24. c. 12. de Reform.* sic statuit de Canonicis cathedralium: *Omnes compellantur Episcopo celebranti aut alia Pontificalia exercenti assistere et inservire.* Consonat Caeremoniale Episcoporum, *l. 1. c. 15.,* et declarat, omnes Canonicos teneri convenire in habitu canonicali ad locum designatum, et Episcopum ad Ecclesiam Pontificalia exercendi causa progredientem ducere, et redeuntem pariter comitari. Sed hoc est intelligendum, quando in solemnioribus festis vel caeremoniis accedit Episcopus ad Ecclesiam celebraturus, vel Sacro interfuturus, cappa indutus, aut Pontificalibus perfuncturus. Non autem tenentur Episcopo privatim celebranti assistere.

2° Canonici insuper componunt concilium Episcopi. Episcopus enim, nisi adsit contraria et vera consuetudo, in casu particulari postulare debet consilium Canonicorum, antequam mandata ferat; sed eorum consensu non indiget, ut ea statuat et urgeat nisi in casibus iure determinatis (*a*). Sic enim *Bened. XIV, de Synod. l. 13.*

** (*a*) Canonici scilicet in isto Concilio non habent ius suffragii *deliberativi,* sed mere *consultivi.*

c. 1. n. 8. 9.: Multum hac in re deferendum est locorum consuetudini... Necesse utique non est, ut Episcopus novas leges promulgaturus totius Cleri sententiam efflagitet; sed satis est, si Capituli sui consilium exposcat, etsi illud sequi non teneatur... Quin imo ab ipsa obligatione petendi Capituli consilium solutus erit Episcopus, qui per legitime praescriptam consuetudinem ius sibi acquisierit leges condendi, et publicandi, inconsulto Capitulo.

V. *Quoad munera Canonicorum, Sede vacante.*

122. — 1° Capitulum, Sede vacante, succedit Episcopo in iurisdictionem ordinariam, non vero in delegatam a Summo Pontifice. Ita ex iure canonico, consentientibus omnibus Canonistis.

2° Capitulum tenetur intra octo dies Vicarium generalem constituere, aut existentem confirmare; quod si non fecerit, ius eum constituendi ad Metropolitanum devolvitur, et ipsius defectu ad antiquiorem Suffraganeum (*a*). Sic statuit *Conc. Trid. sess. 24. c. 16. de Reform.*

3° Tota iurisdictio Episcopalis transit in Vicarios generales capitulares regulariter electos, nec eiusdem vel minimam partem Capitulum penes se retinere potest. Vicarii autem electi a Capitulo iam destitui non possunt, nisi ex causa quae a *S. Congreg. Episcoporum et Regularium* ut sufficiens agnita fuerit. — Nec Capitulum conditiones ullas etiam electioni Vicarii apponere potest. Hinc potestas Vicariorum capitularium est indefinita, et perdurat usquedum Episcopus electus et a Papa institutus litteras suae institutionis Capitulo Ecclesiae suae ostenderit, et sic possessionem adeptus fuerit.

Porro Vicarii capitulares possunt facere, quaecumque exigit praesens dioecesis gubernatio; non autem omnes Episcopi facultates ipsis tribuuntur. Sic specialiter Iure canonico prohibentur aliquid innovare, iura Episcopalia imminuere, indulgentias tribuere, litteras dimissorias ante annum elapsum concedere, titulos inamovibiles conferre, etc.

APPENDIX I.

DE PRIVILEGIIS CLERICORUM

I. *De privilegiis Clericorum in communi.*

123. — Clerici quibusdam gaudent privilegiis ex Iure can. et ex Iure civ. Rom., imo iuxta plures ex iure divino, scilicet privilegio immunitatis, ne a curia laicali puniantur, et exemptionis a foro laicali quoad bona propria tum ecclesiastica, tum patrimonialia.

(*a*) Idem dicito, si electio quidem locum habeat intra legitimum octo dierum spatium; sed rite et regulariter facta non fuerit.

Verum haec privilegia et alia pleraque multis in locis, uti etiam in Gallia, non amplius a potestate civili agnoscuntur (*a*). Restat tamen ubique privilegium quod vocatur *Canonis*, ratione cuius excommunicationem incurrunt, qui manus in Clericos iniuste inferunt, ut constat ex *Conc. Later. II*, in quo dicitur : *Si quis, suadente diabolo, in Clericum vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat.*

Hoc privilegio fruuntur 1° Religiosi omnes etiam novitii; 2° Clerici omnes vel simplici tonsura donati; 3° imo Moniales omnes et omnes religiosae personae sub regula in Communitate degentes, necnon tertiarii utriusque sexus religiosorum Ordinum habitum gestantes et in Communitate viventes. — *S. Lig. l. 1. Append. II.* — *Hom. Apost. tract. 22. c. 2.*

II. *De privilegiis Episcoporum.*

124. — Privilegia Episcoporum respiciunt 1° censuras et irregularitates; 2° impedimenta matrimonii; 3° vota et iuramenta; 4° alios casus speciales, ut videre est apud *S. Lig. l. 1. in fine Append. de privilegiis, et in Hom. apost. tract. 20. c. 3.*

I. *Circa censuras et irregularitates.*

1° Absolvere subditos possunt a quibuscumque casibus papalibus occultis, saltem ante Trid. reservatis (*b*), demptis casibus Bullae *Coenae.*

** (*a*) Hoc scilicet initium est, seu potius consectarium apostasiae a Religione Christiana. Nam potestas, quae quamlibet Religionem eodem loco habet, sane a Religione Christiana apostasiam consummavit. Inibi homines christianos reperis; regnum vero, seu imperium christianum non habes.

(*b*) An Episcopi absolvere possint a casibus post Tridentinum reservatis, si occulti sint, non una fuit DD. sententia. Pro affirmativa sententia steterunt Bonacina, Mazzuchellus, Peregrinus, Bossius, Gavantus, et Suarez a Diana allegati (*Tom. 3. Tr. 3. Res. 27. n. 2.*); quibus S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 594.*) addit Sanchez, Sorbum, Delbene, Renzi, Beia, Mazzotta, et ipsum Diana, qui has rationes affert (*l. c.*): *Probatur haec opinio, quia licet Concilium verbo praeteriti temporis utatur, extenditur tamen etiam ad futura propter naturam legis, cuius est proprium comprehendere futura, ut habetur Cap. fin. De Constit., et ibidem Doctores. Et confirmatur ex L. Ariani C. De haereticis, ubi habetur, legem semper esse in viridi observantia, et semper loqui. Concilium autem generale vim legis habet, tum quia Concilium concedit Episcopis dictam facultatem generaliter, non distinguendo inter reservationes praeteritas et futuras; ergo generaliter est intelligendum (L. Pretio ff. de publ. in rem action., et Cap. Solitae §. fin. de maior., et obed.); tum quia facultas absolvendi, quae datur in iubilaeis, extenditur ad peccata futura; tum quia Concilium in dicto decreto ponit regulam generalem circa Reservationes pontificias, ut nimirum intelligantur de criminibus publicis, non vero de occultis cum limitatione in eodem decreto posita; tum demum quia tam in reservatis, quam in reservandis est eadem ratio absolutionis, si sunt occulta, ac proinde debet in utrisque esse eadem legis dispositio. Cur enim minor*

2° Possunt dispensare ab omnibus irregularitatibus et absolvere ab omnibus suspensionibus ob delictum occultum, dempta irregularitate ex homicidio voluntario.

3° In irregularitatibus etiam dubiis ex defectu *(Probabiliter)*.

erit Episcoporum auctoritas in novis reservationibus, quam in antiquis?

** Hisce rationibus accedit argumentum petitum ex Sixti V. Constit. *Effraenatam* 29. Octobr. 1588 contra procurantes abortum. Dum enim sibi reservabat tum absolutionem a peccato et censura, tum dispensationem ab irregularitate quoad clericos huius criminis forte complices, expresse derogandum censuit Privilegio Episcopis concesso a Tridentina Synodo, ut ab occultis papalibus possint absolvere. Atqui nihil opus fuisset huic privilegio derogare, si ad casus post Tridentinam Synodum reservatos Privilegium se non extenderet. Ergo. **

Et S. Alphonsus quidem (*l. c.*) concedit, *haec valde probabiliter affirmari;* censet tamen, non satis solidum esse responsum, quod praefati DD. reddunt obiicientibus Declarationem Gregorii XIII, dum respondent *de ea non constare authentice.* Contra vero opponit S. Alphonsus auctoritatem Fagnani, qui (*In C. Dilectus De Tempor. Ordin. n. 30-33.*) dum generatim thesim statuit, non posse Episcopos absolvere ab occultis reservatis nova Constitutione post Tridentinum, subdit, *sic censuisse S. Congregationem.* Quae quidem Fagnani thesis atque allegata Declaratio alioqui subverteret etiam S. Alphonsi sententiam, quam subiiciemus.

Caeterum plane dicendum videtur, rationes pro ea thesi a Fagnano allatas valde claudicare. Et sane primo ipse ex eo arguit, quod hodie Episcopus absolvere non possit ab haeresi aliisque casibus in Bulla Coenae reservatis, *licet sint occulti.* Atqui perperam ex his ad alios casus arguitur. Quippe facultas absolvendi a casibus, etiam occultis, in Bulla Coenae reservatis, ex DD. sententia Episcopis fuit adempta vi clausulae *derogatoriae cuiusvis Concilii decretis,* quae iuxta Benedictum XIV (*De Syn. Dioec. Lib. IX. Cap. 4. n. 8.*) post Card. De Lugo (*De Fid. Disp. 23. n. 48.*) apponi eidem Bullae sub Gregorio XIII coepit. Haec autem clausula in aliis Constitutionibus, quae casum aliquem S. Pontifici reservant, minime reperitur.

Arguit deinde Fagnanus ex responsione Archiepiscopo Florentino reddita sub Gregorio XIII. Nam *cum dubitasset* (rem narro eiusdem Fagnani verbis) *Archiepiscopus Florentinus, an vigore Cap. 6. Sess. 24. posset absolvere monialem, quae occulte et ad malum finem fregerat clausuram, non obstante Bulla Pii V, quae videtur habere locum in casu publico, variatum est sententiis. Nam ex decem Cardinalibus tres censuerunt, Bullam intelligendam esse etiam in occultis, quia illius verba sunt generalia, et est tantum exceptus casus in articulo mortis etc.; et quia iam declaratum, Bullam Coenae Domini, quae prohibet ab aliis absolvi, habere locum etiam in occultis; et quia cum Bulla sit confecta post Concilium, censetur derogasse Concilio. Quatuor censuerunt, eam Bullam non habere locum in casibus occultis. Reliqui autem tres dixerunt, agendum cum Sanctissimo; qui declaravit, Bullam Pii V habere locum etiam in occultis... Unde postea S. Congregatio generaliter consulta, An si monialis alicuius monasterii, iurisdictioni Regularium subiecti, secreto deliquerit in materia clausurae, in foro conscientiae absolvi possit vigore eiusdem Decreti ab Episcopo, cui tamquam Delegato in iis, quae ad clausuram pertinent, auctoritas tributa est Decreto Cap. 5. Sess. 25. De Regularibus, stante praedicta Bulla Pii V, respondit:* NON POSSE. Haec Fagnanus. — At enim et hoc argumentum eodem, ac praecedens, vitio laborat. Nam 1° Declaratio Gregorii XIII afficit unice Constitutionem S. Pii V circa clausuram monialium. 2° S. Congregationis responsio, quae additur,

4° In irregularitatibus non occultis ex defectu natalium ad Ordines minores et beneficia simplicia. — *Trid. sess. 24. c.* Liceat. — *Vide S. Lig. l. 1. Append. de priv. n. 49. et seq.*

125. — II. *Circa impedimenta matrimonii*, Episcopi dispensare possunt:

ad casum dumtaxat violatae clausurae spectat. 3° Immo alia responsionis huius negativae ratio suppetebat; quippe potestas facta Episcopo ceu Delegato Sedis Apostolicae circa clausuram monialium exemptarum, nullam iurisdictionem circa ipsas exemptas illi tribuit (*Vid. S. Alphons. Lib. 6. n. 602. q. VII.*). Quinimo haec potior videri potest ratio, cur negata sit facultas. Nam alioqui cum moniales censeantur inter personas ab Urbe adeunda impeditas, et ex communi sententia sic impeditus non teneatur per litteras absolutionem quaerere (*Vid. S. Alphons. Lib. 7. n. 89.*), ex iure communi facultas absolvendi fieret Episcopo, nisi monialis exempta ab Episcopi iurisdictione, alium haberet Ordinarium. Fagnani ergo rationes circa quaestionem generalem concludunt nihil.

S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 504. in fin.*), memorata ex Fagnano praemissae Declarationis historia, censuit, Declarationem illam non quidem ad omnes Constitutiones extendendam, sed ad illas tantum, quae iisdem clausulis sint munitae; qua in re a Fagnano, uti patet, discedit. Ita ille: *Animadvertendum cum eodem Fagnano (In C. Quoniam De Constit. n. 29.30.), facultati a Tridentino Episcopis concessae in dicto C.* Liceat, *derogatum fuisse pro casibus contentis in duabus Bullis, nempe in Bulla Coenae et in hac praefata S. Pii V, propter clausulas derogatorias, nempe in prima:* Non obstantibus decretis cuiusvis Concilii; *et in hac secunda:* Nisi in mortis articulo. *Hinc dicimus, quod quaelibet Bulla, ubi adsunt praedictae clausulae, aufert facultatem Episcopis absolvendi casus occultos Papae reservatos: non vero aliae Bullae, in quibus nulla adest derogatoria clausula, ut Diana P. 7. Tr. 2. Res. 22.*

Verum ista theoria nec Dianae adscribi debet, nec Fagnano. Non Dianae, quippe qui (*l. c.*) excipit quidem, nisi *in nova Constitutione adsit clausula sufficienter derogans huic decreto Concilii;* at nuspiam dicit, eiusmodi clausulam contineri verbis: *Nisi in mortis articulo.* Non Fagnano, qui (*in citat. C. Dilectus*) ad quaslibet reservationes Tridentino posteriores suam doctrinam extendit; alibi vero (*in cit. C. Quoniam*) mere dicit, S. Congregationem declarasse: *Ex Bulla Coenae sublatam esse facultatem Episcopis tributam decreto Concilii* (*Cap. 6. Sess. 24.*), *et similiter ex Bulla Pii V ademptam esse facultatem Episcopis competentem* (*ex eodem Cap.* Liceat) *absolvendi moniales secreto delinquentes in materia clausurae.* De clausulis vero eiusdem Bullae S. Pii V nihil omnino habet. Quod ergo ex sua sententia addit S. Alphonsus, id intelligendum esse de quavis Constitutione habente clausulam: *Nisi in articulo mortis,* id utique, ut sup. vidimus, dixerunt tres Cardinales in Congregatione, allatis rationibus, quae magni ponderis esse non videntur; quod autem pretium aliquod insit huic ipsorum opinioni, nemo definivit, nec ullo modo constat, Gregorium XIII id prae oculis in sua Declaratione habuisse. Quocirca extensio ista ad alias Constitutiones, spectato principio cui nititur, haud satis firma videtur.

Levioris denique momenti ea sunt, quae de Decreto seu Declaratione a Fagnano memorata habet Caietanus Giraldi tum in *Exposit. Iuris Pontif.* (*Part. 2. Sect. 132.*), tum in *Notis ad Thesauri opus De Poenis Ecclesiasticis* (*Part. 1. c. 22.*). Sic enim de hac re scribit: *Quia a Fagnano non indicatur, quo anno primum hic a se citatum decretum emanaverit, ne in dubium revocetur eius emanatio, diligenter a me pervolutis Regestis S. Congregationis Concilii, illud reperi emanatum fuisse mense Ianua-*

1° In impedimentis *impedientibus*, exceptis voto castitatis perpetuae, voto ingrediendae Religionis, sponsalibus, et impedimento disparitatis cultus inter catholicos et haereticos.

2° In impedimentis *supervenientibus*, contracto matrimonio, in ordine ad debitum petendum, v. gr. si affinitatem ideo contraxe-

rio 1589 in Responso ad Postulatum XII, quod inter alia eidem Congregationi fecit Gaspar Vicecomes, Archiepiscopus Mediolanensis, occasione visitationis ad sacra limina. Cum enim dictum postulatum XII expresserit italico idiomate, quod in latinum versum sonat: Quia multoties accidit, incurri censuras reservatas Sedi Apostolicae, contraveniendo Constitutionibus Papalibus emanatis post Concilium Tridentinum, desiderat Archiepiscopus facultatem absolvendi contravenientes, qui aliquando remanent diutius censuris obstricti, cum non habeant modum obtinendi absolutionem a Romana Curia, potissimum circa clausuram monialium et Regularium virorum — *prout reperitur Lib. 5. Decret. pag. 239.; S. Congregatio abstinuit a Concessione Postulati, sed dumtaxat tacite confirmavit, quod circa huiusmodi facultatem sentiebat ipsemet Archiepiscopus per haec praecisa verba, mense Ianuario 1589. prout reperiuntur cit. Lib. 5. pag. 240:* Reservationes casuum de novo post Concilium non comprehenduntur in Cap. 6. *Sess. 24. De Reform.*, et praesertim super clausura monialium. *Quam declarationem Gallemart ad hoc idem caput refert confirmatam fuisse a Gregorio XIII. Ex quibus patet, qui sensus Episcoporum fuerit post quasi proximam Tridentini publicationem circa facultatem ipsis tributam cit. Cap. 6°.*

Dixi, *haec levioris esse momenti;* nam quisnam, rogo, qualecumque hoc *responsum* (si *responsi* nomine digna est mera postulatae facultatis negatio) admittat ceu primum S. Congregationis de hac re decretum, quod deinde Gregorius XIII confirmaverit, quando Postulatum istud Archiepiscopi Mediolanensis oblatum dicitur mense Ianuario an. 1589, Gregorius autem quadriennio ante e vivis iam decesserat? Deinde vero quid haec, quam sibi fingit Giraldi, TACITA RESPONSIO commune habet cum Decreto, quo S. Congregatio iuxta Fagnanum EXPRESSE responderit illud, NON POSSE? Immo quid commune habet quaestio circa casus occultos, de qua Fagnanus, cum Postulato Archiep. Mediolanensis, in quo facultas absolvendi petitur absque ulla inter casus occultos aut non occultos distinctione? Tota ergo argumenti vis in eo tandem residebit, quod in supplici libello expressa reperiatur ea Postulatoris opinio. At vero confundi ne debet privata Episcopi postulantis opinio cum Decreto S. Congregationis, quae nihil de ipsa respondet? Sane si novus hic canon statuatur, et si opiniones, quas Postulator in supplici libello expresserit, habendae sint ceu totidem S.Congr. Decreta, iam a S. Congregatione hoc quoque definitum dicemus, Episcopum a casibus papalibus absolvere eos non posse, qui quominus Pontificem pro absolutione adeant, legitimo detinentur impedimento! Nam in eodem libello facultas petitur absolvendi eos, qui secus *remanent* (sunt verba Postulati) *diutius censuris obstricti, cum non habeant modum obtinendi absolutionem a Romana Curia;* nec tamen S. Congregatio isti petitioni annuendum censuit, sed facultatem illos absolvendi negavit. Concludamus itaque, multam Giraldi operam in Regestis S. Congregationis perscrutandis non modo nihil contulisse ad evincendam authentiam Declarationis, de qua quaestio est, sed contra cum quidpiam melius in iisdem Regestis, utut diligentissime pervolutatis, non invenerit, gravissimam potius suspicionem merito iniecisse, Prosperum Fagnanum, qui caecus opus suum dictavit, lapsum memoria esse, et Declarationem istam reipsa nunquam extitisse.

Sed ne illa quidem controversiam omnino dirimunt, quae ex *Cremo-*

rint, quod alteruter commercium carnale cum consanguineis alterius habuerit; vel si unus castitatem voverit. Imo Episcopus etiam dispensare potest coniugem a voto perpetuae castitatis, quod ante matrimonium emisit, ut iura matrimonialia exercere queat (*a*).

nensi 4 Dec. 1632 referuntur in alia S. Severinae 28 Maii 1796, ubi Secretarius haec narrat: *Inhaerens* (S. Congr.) *declarationibus alias factis rescripsit, Episcopos vigore Cap. 6. Sess. 24. De Reform. non posse absolvere nec dispensare in casu haeresis, neque in aliis nova lege post Concilium Sedi Apostolicae reservatis. Verum in his casibus, in quibus Episcopis talis facultas non est adempta, eam utique transferri in Vicarium Capitularem, etc.* Et sane hic non satis apparet, num illa *nova lex* pro ea accipi debeat, quae more consueto peccati absolutionem Sedi Apostolicae reservat, an vero sumi pro ea debeat, quae solum exceptionem apponit facultati Episcopis per illud Cap. 6. concessae circa casus occultos, cuiusmodi habentur Const. Pii V quoad clausuram monialium, et Gregorii XIII circa casus Bullae Coenae. Porro nisi hoc certe definiatur, nihil ex hisce concludi reipsa potest. Caeterum si consequentia inspiciantur, profecto diceres, reservationem illam posteriori hoc sensu accipiendam esse. Sequitur enim: *Verum in his casibus, in quibus Episcopis* TALIS FACULTAS NON EST ADEMPTA, etc. Ergo contextus exigit, ut antecedentia intelligantur de *nova lege*, per quam *talis potestas sit adempta.* Atqui talis potestas nulla est alia, quam quae per Cap. 6. conceditur Episcopis circa casus occultos. Ergo *nova lex* hic intelligenda est, qua Pontifex post Tridentinum exceptionem seu limitationem apposuerit facultati Episcoporum circa occulta, non vero qua generatim casum aliquem Apostolicae Sedi reservaverit.

Et haec quidem dicta fuerint de statu controversiae, prouti ex rationibus, quae afferri consuevere ab utraque dissidentium parte, iudicare hucusque licuit. Nam quod Sedes Apostolica facultates per *C. Liceat* Episcopis concessas aut revocare potuerit, prout factum reipsa est, v. gr. quoad casus in Bulla Coenae contentos, aut illas potuerit ita circumscribere, ut v. gr. ad reservationes Tridentino posteriores non sese extendant, nemini dubium esse debet aut potest.

** Caeterum post Constitutionem *Apostolicae Sedis* a SS. D. N. P. Pio IX. 12. Octobr. 1869 editam, iam nihil dubitandum est, eiusmodi controversiam ceu definitam habendam esse. *Firmam tamen* (ait Summus Pontifex) *esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam Sess. 24. Cap. 6. de Reform. in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.*

Discrimen ergo inter vetus Ius et novum in eo residet, quod in priori exciperentur casus in Bulla Coenae contenti, et censurae adversus violantes clausuram Monialium latae; in recentiori autem excipiantur tantummodo casus speciali modo Apostolicae Sedi reservati, qui sunt quatuordecim, quibus addenda sunt 1° *interdictum* contra universitates, Collegia, et Capitula ab ordinationibus seu mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia; 2° (ex Declarat. S. Offic. Inquis. 17. Iun. 1866 et 4. April. 1871.) casus personae cuiuscumque sexus *falso denunciantis* Sacerdotem de sollicitationis crimine in Confessione.

(*a*) Nosse tamen Confessarius debet in hisce adiunctis, quae subinde moram non patiuntur, aut non promptum ad Episcopum aditum relinquunt, alium adesse modum, quo coniugum necessitati prospiciatur, nimirum ut alter alterius votum *indirecte* irritet, idest eiusdem obligationem suspendat. *Vid. Vol. I. n. 330.*

3° In impedimentis *dirimentibus dubiis* (*a*). — *S. Lig. Append. n. 55.*, ubi dicit hanc sententiam esse communissimam.

4° *Per accidens* in impedimentis *dirimentibus certis*, tum ante, tum post contractum matrimonium, quando recursus ad Papam est valde difficilis, vel quando adest periculum in mora (*b*), seu ubi instat periculum scandali, infamiae, incontinentiae, etc. — *S. Lig. ibid. n. 56. et seq.*

5° In *Bannorum* publicationibus. — *S. Lig. ibid.* — *Vide dicenda in Tract. de Matrimonio, n. 739.*

III. *Circa vota et iuramenta*, Episcopi dispensare possunt:

1° In omnibus votis simplicibus privatis, exceptis quinque Papae reservatis, nempe castitatis perpetuae, Religionis et peregrinationum ad Hierusalem, ad limina Apostolorum et ad S. Iacobum Compostellanum *(T. 1. n. 330.)*.

2° In omnibus iuramentis, si iuramenta excipias a tertio acceptata, quae metu aut fraude non fuerunt extorta. — *S. Lig. passim.*

126. — IV. *Circa casus aliquos particulares*, Episcopi dispensare possunt

1° In rebus omnibus levioris momenti, tum ex consuetudine, tum quia recursus ad Papam esset nimis incommodus.

2° In omnibus quae communiter eveniunt, v. gr. in ieiunio, in abstinentia, in Officio divino pro casibus particularibus (*c*), vel ad breve tempus, etc.

3° In omnibus statutis, quae habeant clausulam, *donec dispensetur.* Utrum vero possit Episcopus dispensare in statutis canonicis non expresse reservatis, negativam sententiam omnino tenendam censuit *S. Lig., l. 1. n. 191.* (*d*).

(*a*) Advertere tamen quis poterit, ubi dubium sit impedimentum, nihil opus esse, ut dispensatio petatur, ut in tractatu de matrimonio dicetur.

(*b*) S. Alphonsus, ut videbimus *in Tract. de Matrimonio*, probabile censet, impedimentum cessare, quando gravi quapiam causa urgente ne ad Episcopum quidem aditus pateat.

(*c*) Intellige, *cum personis particularibus;* nam in iure communi cum tota communitate dispensandi facultatem Episcopi non habent.

(*d*) S. Alphonsus (*Hom. Apost. Tr. II. Cap. VI. n. 58.*) de ista quaestione haec scribit: *An autem Episcopi possint dispensare in omnibus legibus Canonicis, ubi reservata non est Dispensatio expresse, multi Doctores hoc admittunt, prout Sotus, Covarruvias, Sporer, S. Antoninus (qui hanc vocat communem), et Elbel (qui vocat communissimam, et pro ea adducit S. Bonaventuram et Scotum), et Castropalaus appellat probabilem cum Glossa* in Cap. Nuper, De Sent. Excomm., *ubi Pontifex sic fassus fuit:* Quia tamen conditor Canonis absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi. *Et Glossa subdit:* Est hic argumentum, Episcopos posse dispensare, ubi specialiter Dispensatio non est inhibita, ex L. Nec non, ff., Ex quibus causis. *Contra vero negant Suarez, Bonac., Salmantic., etc. ex Cap. Dilectus, De Temp. Ord., ubi quidam Episcopus, cum contulisset uni plures ordines eodem die, suspensus fuit ob hanc rationem:* Cum illi huiusmodi Dispensatio a Canone mi-

4° Ad faciendum Sacrum a meridie. Vi facultatum quinquennalium privilegio fruuntur *celebrandi per unam horam ante auroram, et aliam post meridiem*, et communicandi hanc facultatem Sacerdotibus idoneis.

5° Possunt sibi eligere Confessarium extra dioecesim, modo sit eorum subditus, et eum valent secum educere in diversa loca; at si non est subditus, debet ab Ordinario loci esse approbatus (Idem possunt Cardinales, sed Romae tantum, etsi illum, quem elegerint, extra Romam secum possint educere). — *S. Lig. Append. l. 1. n. 65.*

6° Possunt ab interstitiis dispensare ad ordinationem. — *S. Lig. l. 6. n. 793.*

7° Absolvere possunt a nonnullis casibus per se papalibus, sed qui iure communi Episcopis sive Ordinariis sunt reservati. Sunt autem sequentes: 1° Excommunicatio lata in Clericos in sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes. *Ex Constit. Apostolicae Sedis SS. D. N. P. P. IX.*

2° Item excommunicatio lata in procurantes abortum effectu sequuto. *Ex Constit. Apostolicae Sedis,* etc.

3° Item in utentes scienter Litteris Apostolicis falsis, vel crimini in ea re cooperantes. *Ex Constit. Apostolicae Sedis,* etc.

4° Levis percussio Clerici, vel gravis facta a femina, aut puero, aut alia persona impedita, quominus ad Sedem Apostolicam possit accedere. *Ex Capit. Pervenit, 17., et Cap. Quod de his 26., et Cap. Quamvis, 58. De Sent. Excommunic.*

5° Reincidentia in censuram, qua plectitur quisquis absolutus in articulo mortis a non habente facultatem, se Superiori non sistit.

6° Communicatio in crimine criminoso cum excommunicatis ab Episcopo. *Ex Cap. Nuper 29, et Cap. Si Concubinae 55. De Sent. Excomm.* (a).

nime sit permissa. *Et respondent ad textum primo allatum, quod illa dispositio fuit facta tantum pro absolutione a censuris. Sed hoc non obstante prima sententia est satis probabilis, quia possumus uti eadem responsione pro textu secundo, quod valet tantum in materia ordinationis. Tanto magis quod in primo textu videntur verba generaliter loqui, in secundo autem specialiter de ordinatione, cum adhibeatur verbum illud, huiusmodi.* Huc usque S. Alphonsus.

(a) Ut intelligatur, quid sibi velit hoc Episcoporum privilegium, advertendum est, generali sancitum esse lege, eum, qui communicat (idest cooperatur) in eodem crimine cum illo, qui propter hoc ipsum crimen iam excommunicatus fuit, excommunicationem prorsus eandem incurrere. Quam quidem regulam Doctores desumunt ex *C. Concubinae 55 de sent. Excom.*, quod heic solent allegare. Itaque si de crimine agatur reservato Papae, erit Papae reservata etiam communicatio in eo crimine; si crimen est reservatum Episcopo, itidem Episcopo erit communicatio reservata. Patet igitur, privilegium, de quo Auctor, versari circa absolutionem excommunicationis Episcopo reservatae: idcirco enim dicit, *cum excommunicatis ab*

7° Extractio confugiti ab Ecclesia, facta auctoritate privata, aut percussio vel rapina rerum eiusdem confugiti auctoritate item privata. *C. Definivit 35. Caus. 17. Q. 4.*

8° Visitatio infirmi facta a medico, si postquam tertio die visitaverit, ipsi non constiterit de fide Confessarii, eundem infirmum confessionem sacramentalem emisisse, aut illam ex consilio docti Confessarii distulisse. *Ex Conc. Rom. sub Benedicto XIII. Tit. 32. Cap. 1.*

9° Omnes censurae Pontifici reservatae, si delictum sit occultum, iis exceptis de quibus *sup. n. 84. in Not.*

10° Omnes censurae et casus papales, etiam speciali modo reservati, si ob legitimum impedimentum aut urgentem confessionis admittendae necessitatem adiri Sedes Apostolica non possit. — *Vide S. Lig. l. 7. n. 213.*

APPENDIX II.

DE BENEFICIIS CLERICORUM

Etsi materia de beneficiis fuerit a plerisque Theologis fuse tractata, tamen innumeris implicatisque difficultatibus referta est, quae alioquin omnino in Gallia evanuerunt, ex quo vi Concordati inter *Pium VII* et Gallicum Gubernium fuere sublata beneficia, et in pensionem quotannis a Gubernio persolvendam commutata.

Breviter nobis dicendum est de beneficiis in genere tantum spectatis, scilicet 1° de natura; 2° de acquisitione; 3° de amissione beneficiorum.

I. *De natura beneficiorum.*

127. — Beneficium est ius perpetuum fructus percipiendi ex bonis Ecclesiae propter officium aliquod spirituale, Ecclesiae auctoritate constitutum.

Beneficium aliud est simplex, aliud duplex.

Episcopo. At enim (dices) quodnam privilegium erit, quod Episcopus absolvere possit excommunicatum non quidem a Papa, sed ab Episcopo? Ut ratio intelligatur, recurrendum est ad doctrinam de *nominatim excommunicatis ab homine*, quos de iure solus absolvere excommunicator potest (*Vid. Bonac. De Cens. Disp. 2. Q. 2. P. 6. §. 1. n. 9.*). Vi autem privilegii facultas fit Episcopis eum absolvendi, cui difficile sit ad excommunicatorem accedere. Quam in rem DD. adducunt *C. Nuper 29. de Sent. excom.* in quo clare ista quaestio solvitur. Ita enim Innocentius III: *Cum talis communicet crimini, et participet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnavit: ab eo vel eius superiore merito delicti tunc erit absolutio requirenda: cum facientem et consentientem par poena constringat.... Verum si difficile sit ex aliqua iusta causa, quod ad ipsum excommunicatorem accedat, concedimus indulgendo, ut.... a suo absolvatur Episcopo vel proprio sacerdote. Vid. Thesaur. De Poen. Part. 2. v. Censura Cap. V.*

1° Beneficium simplex est, quod nullam obligationem habet adnexam, nisi obeundi Officia divina, ut sunt canonicatus, capellaniae, etc.

2° Beneficium duplex est, quod adnexam habet iurisdictionem, administrationem et curam animarum, ut episcopatus, munus parochiale, etc. Duplex dicitur, quia duplici oneri subiacet; nam praeter recitationem breviarii omnibus communem, aliquam administrationem habet atque eminentiam.

3° Pensio, quae a Gubernio in Gallia solvitur Episcopis et Canonicis et Parochis, cum fuerit in beneficiorum locum suffecta, eorum locum obtinet, ac propterea ceu bonum ecclesiasticum spectanda est, ut patet ex variis S. Poenitentiariae responsis *(Tom. 1. n. 563.)*.

II. *De acquisitione beneficiorum.*

128. — Triplex est acquirendi beneficii via: 1° per *electionem*, qua Clericus a toto Capitulo eligitur, et a Superiore confirmatur; 2° per *praesentationem*, qua quis a Patrono offertur Superiori, et ab hoc instituitur, si idoneus reperiatur; 3° per *collationem*, cum libere beneficium ex solo iure Praelati datur, nec iuri Patronatus subest. — *S. Lig. n. 85.*

In qualibet dioecesi Episcopus est proprius beneficiorum collator, nisi ex legitima praescriptione tale ius alteri competat. Papa vero est supremus et universalis collator omnium beneficiorum non patronatorum. — *S. Lig. n. 86.*

Ius Patronatus duplex est: 1° *ecclesiasticum*, si ex aliquo Ecclesiae titulo ortum sit; 2° *laicum*, si ab aliquo laico per fundationem, v. gr. Ecclesiae fuerit acquisitum. Patronatus ius constituunt *os*, *aedificatio*, *fundus*, scilicet patrocinium, aedificatio Ecclesiae, et donatio fundi. — *S. Lig. n. 87.*

129. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quaenam qualitates requirantur ad beneficium obtinendum?*

Resp. Requiritur 1° ut persona idonea sit et habilis, id est ut sit Clericus, non illegitimus, bene moratus; 2° ut satis scientiae peritiaeque habeat ad munus beneficio adnexum recte obeundum. — *S. Lig. n. 112.*

130. — QUAER. 2° *An sit obligatio digniores ad beneficium eligendi?*

Resp. 1° *Affirm.*, et quidem *sub gravi per se* quoad beneficia curata, seu duplicia, quia id Ecclesiae bonum postulat. At ut peccatum grave sit, requiritur ut eligens omnibus adiunctis diligenter inspectis, existimet, electum esse evidenter et multo minus dignum. Maior autem dignitas non absolute accipienda est, sed relative ad Ecclesiae et fidelium utilitatem. — *S. Lig. n. 91. 92.*

131. — *Resp.* 2° *Affirm.* etiam *probabilius* et *communius* quoad beneficia simplicia, quia id etiam emolumentum Ecclesiae, et iu-

stitia distributiva postulat; nisi raro minus dignus eligatur, et de beneficiis agatur minoris momenti. — *S. Lig. n. 93. et seq.* Attamen electio minus digni *probabilius* in omni casu est valida, nec onus restitutionis *per se* (*a*) inducit. — *S. Lig. n. 102. 103. 106.*

132. — QUAER. 3° *An liceat alicui plura possidere beneficia?*

Resp. Neg. generatim, nisi fuerint simplicia, et ad residentiam non obligent. Quin imo neque ex dispensatione Pontificis plura simul beneficia haberi possunt, si non adsit cohonestans causa: quia id contra ius naturale est, cum unum sufficiat ad honestam sustentationem (*b*), et varia munera ab uno eodemque recte nequeant obiri. — *S. Lig. n. 117. et seq.*

133. — QUAER. 4° *Quaenam causae pluralitatem beneficiorum cohonestent?*

Resp. Iuxta commune Doctorum iudicium sunt sequentes: 1° necessitas Ecclesiae, scilicet si desint alii ministri idonei; 2° utilitas Ecclesiae, nempe si unus solus, licet absens, censeatur magis esse profuturus sua auctoritate, doctrina, prudentiaque, quam alius; 3° praerogativa meritorum, scilicet si quis doctrina, consilio, etc. inter alios praestaret, etc. — *S. Lig. n. 118.*

III. *De amissione beneficiorum.*

134. — Beneficia possunt quatuor modis amitti: 1° per mortem beneficiati, quia personis tantum conceduntur; 2° per dispositionem iuris ipso facto propter enormia quaedam crimina; 3° per sententiam iudicis propter crimina non tam enormia (*c*); 4° per dimissionem spontaneam seu resignationem.

Resignatio vero duplex est: 1° *tacita,* v. g., si quis Religionem ingrediatur; 2° *expressa,* si fiat coram Superiore acceptante. Haec vero est vel simplex vel conditionata, prout nempe fit simpliciter sine conditione, vel conditione aliqua apposita, scilicet ut certae personae designatae conferatur, etc. — *S. Lig. n. 133. 134.*

135. — QUAER. *Quaenam sint conditiones, ut valeat resignatio vel permutatio beneficii?*

Resp. Requiritur 1° ut libere fiat; 2° ut fiat coram (*d*) Episcopo

(*a*) Bene Auctor addit, *per se;* secus enim dicendum, si pactum aliquod implicitum vel explicitum violetur, v. gr. si collatio *per concursum* fiat.

(*b*) Haec ratio subinde deficit. Nam quibusdam in locis nemo ad parochiale beneficium concurrit, quia ita tenues habet reditus, ut ad sustentationem parochi nequaquam sufficiat. Hinc etiam fit, ut hac de causa S. Congregatio aliquando Parochum ab applicanda certis diebus missa pro populo dispenset.

(*c*) Etiam in casu praecedenti requiritur iudicis sententia sin minus condemnatoria, saltem *declaratoria criminis;* quia nemo per se abdicare cogitur.

(*d*) Intellige, *interveniente consensu et auctoritate* Episcopi vel Pontificis, prouti scilicet beneficii collatio ad Episcopum vel ad Papam pertinet.

vel Papa; 3° ut acceptetur a Praelato, in cuius manibus fit, et ab illo, cui confertur; 4° ut adsit consensus Patroni vel electorum, quando beneficium est ex patronatu vel electione. — *Vide S. Lig. n. 133.*

Ad beneficium refertur pensio ecclesiastica, quae est ius percipiendi fructus ex alieno beneficio. Pensio vero triplex est: 1° *laica,* quae datur laicis ob obsequium temporale in Ecclesiam; 2° *ecclesiastica,* quae datur Clericis propter ministerium spirituale; 3° *mixta,* quae datur Clerico tantum propter honestam sustentationem.

Requiritur autem ad pensionis validitatem 1° ut accedat dispensatio Papae; 2° ut detur iusta de causa; 3° ut ordinarie non excedat tertiam beneficii partem.

PARS TERTIA

DE STATU RELIGIOSO

136. — Praeter viam mandatorum, per quam omnes homines ad consequendam salutem aeternam tendere debent, datur via consiliorum seu perfectionis specialis, quae est mere consilii, et paucis tantum proponitur a Deo ipso selectis, qui mundo valedicentes vitam in monasteriis ducunt.

Duplicem hanc viam Christus ipse nos docet in multis Evangelii locis; v. gr. *Matth. 19. 17.*, dicit adolescenti de via salutis inquirenti: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et v. 21: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo; et veni, sequere me.*

Adest etiam tertia quaedam via media inter utramque praecedentem, nempe via castitatis, seu continentiae in saeculo servatae.

Hinc triplex hominum classis, ratione mediorum ad Deum consequendum propositorum, statuitur, seu triplex vitae status, scilicet 1° status matrimonii; 2° caelibatus; 3° vitae religiosae. Hinc etiam triplex gradus perfectionis; caelibatus enim, ut declaravit *S. Paulus,* et definivit *Conc. Trid.,* perfectior est matrimoniali statu; vita autem religiosa est omnium, ut patet, perfectissima. Status sacerdotalis licet dignitate omnium praestantissimus sit, ratione tamen perfectionis longe vitae religiosae cedit. Quemadmodum autem *mirabilis est Deus in sanctis suis,* ita etiam in variis modis, quibus eos ad sanctitatem promovet.

Agendum 1° de natura status religiosi; 2° de vocatione religiosa; 3° de obligationibus Religiosorum vi votorum; 4° de privilegiis Regularium; quibus accedet Appendix de conditione Religiosorum in Gallia.

CAPUT I.

DE NATURA STATUS RELIGIOSI

137. — Status religiosus est stabile vitae institutum ab Ecclesia approbatum pro fidelibus, qui sub certa regula, et communi vivendi modo tendere volunt ad perfectionem per tria vota perpetua paupertatis, castitatis et obedientiae.

Dixi 1° *stabile vitae institutum;* quia Religiosus per tria vota religionis se in perpetuum Deo devovet.

Dixi 2° *ab Ecclesia approbatum;* status enim religiosus cum sit sacra quaedam communitas, a potestate spirituali institui debet. Olim quidem haec approbatio a quolibet Episcopo pro dioecesi sua concedebatur; sed statutum est postea in *Conc. Later.,* sub *Innoc. III,* ne nova Religio inducatur, nisi a Summo Pontifice approbata fuerit. — *S. Lig. l. 4. n. 5.*

Dixi 3° *qui... tendere volunt ad perfectionem;* religiosus enim *vi suae Professionis* tenetur *sub gravi* ad studendum aliquo modo perfectioni per votorum observantiam; quia vi suae Professionis tenetur velle servare suum statum, qui est status perfectionis. Non tenetur autem Religiosus vi suae Professionis esse perfectus, sed solum perfectioni studere. — *Ita omnes.*

138. **Resolves.** — 1° Ad essentiam Religionis non requiruntur vota *solemnia,* sed sufficiunt vota *simplicia.* Omnes enim conditiones ad Religionis substantiam necessariae etiam in votis simplicibus habentur; siquidem per ea homo potest se perpetuo mancipare Deo in Ordine ab Ecclesia approbato (*a*). Constat insuper ex Bulla *Greg. XIII, Ascendente Domino,* in qua Pontifex declaravit, esse veros Religiosos in Soc. Iesu etiam illos, qui sola vota simplicia emiserint.

2° Sunt Religiosi illi, qui in Religione approbata, secundum certam regulam, tria vota essentialia emittunt. Contra autem non sunt Religiosi *proprie dicti* ii, qui licet tria haec vota emittant, et in communi vitam ducant, regulam tamen a Sede Apostolica approbatam non profitentur. Hinc variae Congregationes virorum aut piarum feminarum ab Episcopo tantum approbatae, Ordines stricte religiosos non constituunt. Attamen qui in huiusmodi Congregationibus vota simplicia emittunt, et sub communi regula atque

(*a*) *Ordo ab Ecclesia approbatus* hic distinguitur a *Congregationibus religiosis,* quae (ut A. infr. monet) etiam *saeculares* dicuntur. Proinde quod Gregorius XIII definivit de Scholasticis Soc. Iesu, eos veros esse Religiosos, licet simplicia tantum vota emiserint, id ipsum etiam de illis, qui ex recenti SS. D. N. Pii PP. IX dispositione per aliquot annos simplicibus tantum votis innodati manent in religiosis Ordinibus, antequam solemnem professionem emittant, prorsus dicendum videtur.

Superioris dependentia vivunt, eodem merito coram Deo ac Religiosi proprie dicti gaudere possunt, siquidem eamdem sui abnegationem Domino exhibeant. Notamus vero, ex hodierna praxi Sedem Apostolicam nova Instituta religiosa non approbare ut Ordines proprie dictos *cum professione votorum solemnium,* sed solum ut Congregationes religiosas (sive strictius ex modo loquendi S. Sedis, ut Congregationes saeculares) *cum votis simplicibus*, quibus proinde privilegia votis solemnibus concessa *per se* non competunt. — *V. Analecta I. P.*

3° Religiosi non sunt ii, qui edito voto perpetuae paupertatis et castitatis, obedientiam Confessario aut Episcopo vovent. Ratio est, quia vi huius voti Superioribus non subiiciuntur.

4° Ex Decreto Pii IX. promulgato per litteras encyclicas *S. Congr. Reg.* ad Superiores Ordinum Religiosorum *datas 19 Mart. 1857,* Religiosi omnes eorum Ordinum, in quibus vota solemnia emittuntur, in posterum absoluto tyrocinio tantum vota *simplicia* emittunt, saltem ad triennium, deinde ad *solemnia* vota admittuntur, si a Superioribus suis digni reperiantur. Iustis autem de causis Professio solemnis etiam diutius poterit differri, quamquam non ultra aetatem 25 annorum expletorum. — *V. Analecta I. P., serie 2da, col. 2954.*

Ex declarationibus autem *S. Congr. Regul.* datis die 25 Februarii 1859, etc., et ad praefatum decretum spectantibus, vota simplicia, de quibus agitur, perpetua sunt ex parte voventis, et eorum dispensatio Summo Pontifici reservatur. Ex parte tamen Ordinis solvi per dimissionem Professorum possunt, ita ut data dimissione, eo ipso professi ab omni dictorum votorum vinculo liberi fiant. Nemo vero ex causa infirmitatis post Professionem votorum simplicium exortae dimitti poterit (*a*). Caeterum professi horum votorum participes fiunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus solemniter Professi in eodem Ordine fruuntur. — *V. Analecta I. P. 24 Sept. 1859, col. 1891.*

139. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quaenam requirantur ad valorem Professionis?*

Resp. Requiruntur conditiones sequentes:

1° Aptitudo voventis, silicet ut decimum sextum annum aetatis suae integre expleverit; ut saltem annum integrum Novitiatus cum religioso habitu (*b*) transegerit; ut nullum habeat impedimentum, quod ex statutis a S. Pontifice confirmatis substantiale esse censeatur.

2° Consensus et acceptatio expressa vel tacita Praelati Ordinis, vel Capituli, ubi requiritur. Error autem circa substantiam, tam ex parte profitentis, quam admittentis, Professionem irritam facit.

(*a*) Alii latius eiusmodi legem extendunt, ut eiici, nisi culpa aliqua intercedat, nulla alia de causa possit.

(*b*) Hoc intellige, prouti exigunt, vel non exigunt Ordinis cuiusque Constitutiones, aut etiam temporum, locorumve adiuncta postulant, aut ferunt.

3° Libertas voventis, id est ut Professio sponte fiat, secluso gravi metu, vel etiam metu reverentiali coniuncto cum precibus importunis saepius repetitis, blanditiis, imperio, aut gravi offensione vel indignatione diu continuata consanguineorum. — *S. Lig. n. 7., et de Matr. n. 1056.* (*a*).

140. — Quaer. 2° *Ad quid teneatur Episcopus quoad puellas Religionem ingressuras?*

Resp. Tenetur *sub gravi*, ex statuto *Concilii Trid.*, explorare per se, vel, ipso impedito, per Vicarium aut deputatum, voluntatem illarum puellarum, tum ante susceptionem habitus, tum ante Professionem. Non tamen gravis reputaretur omissio unius e duobus examinibus. Caeterum invalida non foret Professio, si examen utrumque omitteretur, modo puellae in Professione emittenda liberae fuerint. Requiritur huiusmodi examen, etiamsi monasterium, quod puella ingressura est, exemptum esset a iurisdictione episcopali; quia Episcopus tunc agit uti a Sancta Sede ad id delegatus. — *S. Lig. n. 4.*

Quaer. 3° *An integritas anni Novitiatus requiratur ad validitatem?*

Resp. Affirm., ita ut anno bissextili sit exspectandus lapsus diei, qui addendus est. Sic expresse declaravit *Sacra Congr. Conc. Trid.* Tempus autem Novitiatus incipit a momento susceptionis habitus (*b*).

141. — Quaer. 4° *An interruptio Novitiatus validitati Professionis officiat?*

Resp. Affirm. Constat ex decreto *S. Congr. Conc.*, quae statuit, Novitium, qui e monasterio abierat, ut aliam Religionem ingrederetur, et duabus tantum horis in alio conventu transactis facti poenitens redierat, ad probationis annum rursus inchoandum teneri.

Quaer. 5° *Quandonam annus probationis interrumpi censeatur?*

Resp. 1° Censetur interrumpi praecipue, 1° quoties Novitius egreditur e monasterio sine licentia cum animo non revertendi, etiamsi statim revertatur, ut ex modo dictis constat; 2° quoties dimittitur absolute a Superioribus, et deinde iterum admittitur; 3° si discedat privata auctoritate, ut ingrediatur aliam domum vel aliam provinciam etiam eiusdem Ordinis.

(*a*) De metu reverentiali clarius sic S. Alphonsus (*Lib. 4. n. 7.*): *Professio sponte facta sit, non cogente gravi metu, qualis esset... Item metus reverentialis, non quidem se solo, sed accedente precum, blanditiarum, et imperii saepius repetita importunitate, aut gravi offensione, aut diu continuata indignatione consanguineorum, adiunctis etiam minis de subsidiis negandis, si ex Religione egrediatur. Haec enim singula, vel certe simul iuncta, considerata conditione hominis rudis, timidi, et metum iustum incutere possunt, et professionem irritare, ut Laymann cum aliis etc.*

(*b*) Hoc valere poterit cum iis Ordinibus, qui peculiari habitu utuntur. Nam v. gr. Societas Iesu, quae vi suarum Constitutionum proprio quopiam habitu non utitur, hac lege non tenetur.

Resp. 2° Non censetur autem interrumpi Novitiatus, 1° si Novitius aegrotet in domo, etiam notabili tempore, licet exercitiis Novitiorum adesse minime possit; 2° si violentia coactus e domo discedat; 3° si accepta licentia ad parentes vel alios brevi tempore divertat sanitatis recuperandae, aut negotiorum agendorum gratia; 4° si falsa accusatione dimittatur, et postea, cognita veritate, rursus admittatur; 5° si iter agat iussus a suis Superioribus, quia tunc sub eorum dependentia remanet. — Plures alii sunt casus dubii, qui apud auctores videri possunt.

142. — QUAER. 6° *Quibus mediis teneatur Religiosus tendere ad perfectionem?*

Resp. 1° Tenetur tendere *primario* per media essentialia status religiosi, nempe per observationem trium votorum, paupertatis, castitatis et obedientiae. Haec enim si saltem plerumque non observet, Religiosus tantum *nomine et habitu*, non autem *re* nuncupari potest (*a*).

Resp. 2° Tenetur tendere *secundario* etiam per media accidentalia, scilicet per proprias Ordinis Regulas, saltem ea auxilia non contemnendo. Tunc autem censetur Religiosus regulas praetermittere ex contemptu, quando eas transgreditur animo non subiacendi illis vel Praelatis suis; vel si eas ut inanes habeat (*b*). — *S. Lig. n. 10. — Laymann, — Busemb. — Sanchez, — Lessius,* etc.

143. — QUAER. 7° *Quandonam Religiosus graviter peccet contra praeceptum tendendi ad perfectionem?*

Resp. In hoc graviter delinquit, 1° Si vota saepe saepius infringat in *re gravi,* ut patet; quia praetermittit media ad hanc obligationem servandam essentialia, et consequenter omnino necessaria. — *Ita omnes.* 2° Si regulas ex contemptu generatim transgrediatur, ut modo dictum est. Secus vero, si eas violet concupiscentia ductus, vel quia putat eas non esse sibi necessarias ad salutem, vel si cogitet, eas non praecipi sub gravi. Nam transgredi regulas in rebus exigui momenti, etiam ex consuetudine, praeciso contemptu, veniale non excedit. — *Ita expresse S. Lig. n. 10.* cum *S. Thoma, Salmant., et alii communiter.*

Non desunt tamen, qui contendant peccare graviter contra obligationem tendendi ad perfectionem Religiosum, qui frequenter, aut saltem plerumque, regulas infringit; quia sunt media efficacia, licet secundaria, ad Religiosum in via perfectionis dirigendum; sed prior

(*a*) Hoc intellige quoad *vitae rationem;* nam quoad *statum* religiosus etiam re et est, et dicendus est.

(*b*) Regulas habere uti inanes non semper infert veri nominis contemptum. Aliud sane est contemnere auctoritatem praecipientis, aliud parvi pendere rem praeceptam quasi inutilem aut imprudentem etc. In priori casu habes vere *formalem* contemptum, non item in posteriori. Quod quidem fac prae oculis habeas ad rite ea quoque intelligenda, quae in seq. Quaest. 7. leguntur.

sententia, quae communis est, verior apparet, modo omissio regularum in gravem et frequentem votorum violationem non inducat (*a*).

144. — Quaer. 8° *An peccet graviter Religiosus, qui intendit servare tantum mandata obligantia sub gravi, et de caeteris nullatenus curare?*

Resp. Duplex est sententia *probabilis:*

I[a] Sententia absolute *affirmat*, quia ipsum propositum non curandi de regulis, etiam non praecipientibus sub peccato, est virtualis earumdem contemptus. — *Lacroix, l. 4. n. 57.* — *Elbel,* — *Sylvius,* etc.

II[a] Sententia *negat.* Ratio est, quia eo ipso quod Religiosus velit plura illa adimplere, quae obligant sub gravi, iam tendit ad perfectionem, cum velit adimplere plura, quae respectu aliorum non obligant, sed sunt meri consilii. — *Ita Sanchez,* — *Salmant.*, etc. — et hanc sententiam vocat communiorem et probabiliorem *S. Lig. n. 10.*

Caeterum recte advertit *S. Lig. n. 11*, Religiosum ita dispositum in gravi peccandi mortaliter periculo versari ex aliis capitibus posse, v. gr. ratione periculi transgrediendi vota, vel grave damnum inferendi Religioni quoad disciplinam, etc.

145. — Quaer. 9° *An vel quatenus obliget sub peccato regula distributive sumpta, seu attentis singulis regulis in particulari?*

Resp. In plerisque Ordinibus regula, *generatim loquendo,* et *per se* non obligat sub peccato, ne veniali quidem. Constat ex ipsis constitutionibus variorum Ordinum, et ex communi interpretatione Theologorum. Excipiendi sunt Ordines, in quibus constitutiones oppositum expresse statuunt.

Dixi 1° *generatim loquendo;* quia quaecumque cadunt sub votis aut praeceptis expressis Superiorum, non carent culpa, et quidem gravi pro gravitate materiae, ut infra de votis dicemus.

Dixi 2° *per se;* quia Theologi conveniunt, transgressionem regulae rarissime omni culpa ob rationes extrinsecas vacare. Dicit *S. Lig. n. 10.*, talem transgressionem vix unquam a veniali excusandam esse, quia fere semper aderit culpa aliqua ratione negligentiae, concupiscentiae, scandali, pigritiae, aut alterius cuiuslibet motus inordinati (*b*). — *Ita* etiam *Laymann,* — *Suarez,* — *Busemb.* — *Sanchez,* etc.

(*a*) *Existimo, raro contingere, ut illa remissio animi in servandis regulis levioribus, etiam directe voluntaria, sit ex hoc solo titulo peccatum mortale: quia illa negligentia, per se loquendo, tantum est dispositio remota, nisi accedant aliquae peculiares circumstantiae, quae in aliqua materia consumment occasionem proximam.* Ita Suarez (*De Relig. Tract. VIII. Lib. 1. Cap. 4. n. 18.*). Vid. et Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 15. n. 49–50.*).

(*b*) Hisce non comprehenditur, ut patet, rationabilis usus epicheiae.

146. — Quaer. 10° *An peccet graviter Praelatus leves defectus subditorum corrigere negligens?*

Resp. Affirm., si defectus plures sint, et tales ut disciplinam notabiliter valeant relaxare. Ideo tenetur Praelatus defectus subditorum in damnum totius Communitatis vergentes non solum corrigere, sed etiam inquirere, ut corrigat, seclusa tamen nimia sollicitudine. Aliquando tamen expedit ut dissimulet, si defectus scandalum non afferant, vel si praevideat, subditum ex correctione peiorem evasurum, vel si tempus opportunius sit expectandum. Id enim ad maius bonum obtinendum, aut malum removendum prudentia suadet. — *S. Lig. n. 13., et alii communiter.*

Quaer. 11° *An vel quaenam obligatio recitandi Officium divinum oriatur ex professione religiosa?*

Resp. 1° Nulla est obligatio *vi professionis religiosae* in se spectatae; et reipsa plures sunt Ordines religiosi, in quibus Professi nullatenus ad Horas obligantur, nisi in sacris sint constituti.

Resp. 2° Gravis urget obligatio recitandi Officium divinum statim a facta Professione omnium Ordinum Religiosos, qui emittunt vota solemnia et ad chorum destinantur, ita ut impediti a choro privatim Horis canonicis satisfacere debeant, sive sint Clerici, sive laici, sive viri, sive feminae; exceptis tamen *Conversis.* — *Ita communissime.* — *S. Lig. l. 4., n. 141.,* contra *paucos.*

In Ordinibus tamen, in quibus recitatur tantum Officium B. M. V., haec recitatio non obligat sub gravi, licet vota solemnia in istis Ordinibus emittantur, v. gr. in Ordine Monialium a Visitatione dictarum, ut pluries decisum fuit.

Insuper in Communitatibus, quibus praeter Officium diei recitandum est etiam Officium Beatae Virginis aut Defunctorum, aut septem Psalmi poenitentiales, obligatio non afficit privatim recitantes Officium extra chorum; imo nec recitantes in ipso choro, saltem communiter, ut dictum est supra *n. 60.* — *S. Lig. n. 143.*

147. — Quaer. 12° *An Papa a votis solemnibus dispensare possit?*

Resp. Affirm., gravissima de causa. Ratio est, quia solemnitas votorum ex solo Iure ecclesiastico instituta fuit, ut constat ex *Extrav. Ioannis XXII, tit. 6.* et ex Bulla *Ascendente Domino,* in qua *Gregorius XIII.* dicit: *Nos considerantes voti solemnitatem sola constitutione Ecclesiae inventam esse,* etc. Ergo Summus Pontifex dispensare potest in votis solemnibus, sicut in votis simplicibus, siquidem ratio discriminis, quod inter illa intercedit, est de mera institutione ecclesiastica (*a*). Atqui iuxta omnes Pontifex dispensare potest

(*a*) Propterea valida foret dispensatio, etiamsi absque causa concederetur; quod tamen intelligendum est de voti solemnitate, non autem de voti vinculo; hoc enim ut solvatur, causam requirit. Proinde religiosus professus sic dispensatus valide quidem contraheret matrimonium, quia vis dirimendi non simpliciter e voto, sed a voti pendet solemnitate, quae in praesenti hypothesi auferretur; illicite tamen iniret nuptias, utpote voto, licet tantum simplici, adhuc constrictus.

in votis simplicibus. Ergo, etc. Constat etiam ex pluribus exemplis in historia Ecclesiastica relatis, Summos Pontifices huiusmodi potestate aliquando usos fuisse. Postremis praesertim temporibus *Pius VII* plures huius generis dispensationes Monachis ac Monialibus solemniter professis concessit ad matrimonia sacrilege inita revalidanda. — *Ita Bouvier,* qui dicit, communissimam esse nunc Theologorum sententiam, contra *Billuart* et nonnullos *alios.*

CAPUT II.

DE VOCATIONE RELIGIOSA

148. — Certum est dari vocationem divinam, Deum scilicet benignissima providentia aliquos prae aliis ad statum excellentiorem et perfectiorem vocare, et simul dotes et gratias ad illum rite exequendum et servandum largiri, praesertim quoad statum ecclesiasticum et religiosum. Cum enim omnia in ordine naturali a Deo gubernentur modo singulis proprio, *a fortiori* ergo in ordine supernaturali. Aliunde ad statum perfectiorem amplectendum et prosequendum requiruntur dotes et gratiae speciales, quae a solo Deo, supremo dispensatore, concedi possunt. Constat insuper ex variis S. Scripturae locis. Sic de Sacerdotio in particulari dicit Apost. *Hebr. 5. 4: Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron....* Idem porro dicendum de vita religiosa, quae est status perfectior et multo difficilior.

149. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An vel quomodo peccet, qui se ad Religionem vocatum sentiens, divinae vocationi non obsequitur?*

Resp. 1° *Per se, rigorose loquendo,* nullatenus peccat; quia divina consilia *per se* nullam imponunt obligationem, cum in hoc praecise a praeceptis differant.

Resp. 2° Vix tamen excusari ab aliqua culpa potest ob periculum aeternae salutis, cui se committit. Imo non excusaretur a peccato gravi, qui persuasum haberet, unicum medium salutis aeternae adipiscendae hoc ipsi superesse, ut a mundi periculis aufugiat.

At vero sunt ne in malo statu illi, qui certi moraliter de vocatione divina ad Religionem, nituntur sibi persuadere, se salutem suam aeque facile consequi posse manendo in saeculo, vel ad illud redeundo? Non videtur dubitandum, quin isti magno discrimini salutis se exponant; quia manendo in saeculo contra Dei vocationem, semet specialibus illis privant auxiliis, quae Dei providentia ipsis in religione praeparaverat, et ideo difficulter saeculi tentationibus resistent. Attamen S. Ligorius non audet certum de hoc iudicium ferre.

150. — Quaer. 2° *Quomodo peccet, qui non vocatus, statum perfectiorem Religionis vel Clericatus nihilominus suscipit?*

Resp. Peccat *graviter,* si defectum vocationis clare noverit, tum

ob reverentiam sacris Ordinibus et Religioni debitam, tum ob iniuriam Deo illatam, tum praesertim ob periculum salutis, quod incurrit, dum suscipit obligationes, quibus moraliter satisfacere non poterit, utpote carens specialibus auxiliis, quae solis a Deo vocatis conceduntur. Excusabitur tamen ab illa culpa, si voluntatem firmam habeat obligationes assumpti status adimplendi.

151. — QUAER. 3° *An peccent graviter parentes vel Superiores, qui avertunt filios vel subditos a statu religioso?*

Resp. 1° *Affirm.*, si eos avertant iniuste per minas, vim, fraudem, aut importunas preces; quia illos impediunt a consecutione magni boni, ad quod ius habent (*a*).

Resp. 2° *Affirm.*, plerumque, etiamsi eos tantum precibus et promissionibus avertant; quia hoc esse non potest sine gravi illorum damno. — *Ita communiter* cum *S. Lig.*, qui dicit, hanc sententiam esse omnino tenendam contra *aliquos*. — Non peccant tamen parentes, qui se opponunt ad tempus piis desideriis filiorum iuniorum ad constantiam eorum probandam, vel ob aliam iustam causam (*b*). Attamen hac in re ad vitandas hallucinationes consiliis Confessarii aut viri probi ac docti stare debent.

QUAER. 4° *An peccent filii Religionem ingredientes invitis aut insciis parentibus?*

Resp. Neg. per se loquendo, licet in praxi hoc ordinarie non expediat, nisi iniustam vexationem aut impedimentum merito timeant. Ratio est, quia nisi parentes iusta de causa obsistant, filii omnino liberi sunt circa status vitae electionem. — *Recole dicta de quarto praec. t. 1. n. 369.*

152. — QUAER. 5° *Quaenam sint signa vocationis religiosae?*

Resp. Generatim loquendo seu iuxta providentiam ordinariam duo requiruntur et sufficiunt ad vocationem divinam probandam, scilicet debita aptitudo et voluntatis propensio.

1° *Aptitudo* intelligitur idoneitas ad statum religiosum *in genere*, et in particulari ad observantiam *talis Ordinis* propriam. Consistit autem in recto praesertim iudicio, in indole bona, in animo submisso obedientiae iugo, in scientia relative sufficienti, et in carentia defectuum corporis et animi, qui rationi huius vitae repugnant.

2° *Inclinatio naturalis* (*c*) et *constans*, quae proinde non sit frequentibus mutationibus obnoxia, non obstante alioquin quapiam praeterita tergiversatione ex daemonis tentationibus exorta vel ex

(*a*) Non solum impediunt ab ingentis boni consecutione, sed filios discrimini salutis aeternae exponunt.

(*b*) Iusta censeri ea causa potest, propter quam neque Superiores Ordinis facile candidatum admissuri essent. Caeterum etiam in probanda iuniorum constantia haud modica discretione opus est, ne scilicet candidati fragilitas a vocatione alioquin vera ipsum avertat.

(*c*) *Naturalem* hic intellige spontaneam animi propensionem, quae inde fere oritur, quod status religiosus menti exhibeatur ceu indoli propriae congruus, et ad internam pacem felicitatemque adducendam idoneus.

quadam naturae repugnantia. Non tamen requiritur, ut inclinatio ex spontaneitate seu propensione magis, quam ex intima animi persuasione procedat. Porro inclinatio illa *recta* esse debet, procedere scilicet ex intentione pura, ex mero desiderio salutem facilius consequendi, maiorem Dei gloriam vel etiam animarum salutem procurandi, etc.

Dixi *generatim loquendo* seu in providentia ordinaria; quia adsunt evidentiora vocationis signa, nempe 1° divina revelatio, ut vocatus est *S. Paulus, S. Aloisius Gonzaga, S. Stanislaus Kostka*, etc...; 2° inspiratio singularis, quae consistit in interno motu, quo quis vehementer ad vitam perfectiorem impellitur, et quasi attrahitur.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS VOTORUM

ARTICULUS I.

DE VOTO PAUPERTATIS

153. — I. Religiosus voto *solemni* paupertatis obstrictus, Religiosus scilicet in Ordine a S. Sede approbato *solemniter* professus, omnino incapax est *in particulari* seu *personaliter* cuiuslibet dominii rei temporalis pretio aestimabilis (*a*), etiam *de licentia Su-*

(*a*) Apostolica tamen Sedes, ut pluribus exemplis constat, dispensavit, ut bonorum temporalium dominium religiosi etiam solemniter professi habere et retinere valide et licite possent. Et ut praetereamus S. Franciscum Borgia, qui ex dispensatione a Paulo III obtenta ita solemnia Societatis Iesu vota emisit, ut nihilominus solum intra quadriennium post professionem Gandiae Ducatum ac reliqua temporalia bona a se abdicaret (*Conf. Vitam S. Franc. Borgia ab Alvaro Cienfuegos hispanice conscriptam, Lib. 3. Cap. 8. §. 2.; et Cap. 10. §. 1.*), Responsa habemus S. Poenitentiariae tum pro monialibus gallicis data 28 Nov. 1818, quibus facultas impertitur, *ut non obstante solemni paupertatis voto,... bona ac reditus, quos hactenus acquisivere, retinere possint* (*Vid. Carrière, De Iust. et Iur. P. 1. Sect. 1. Cap. 4. n. 214.*), tum data 20 Nov. 1820 pro monialibus Belgii, quibus utut solemniter professis expressa S. Sedis auctoritate facultas tribuitur *acquirendi, possidendi, et administrandi bona, quibus ad fines honestos utantur, etc.* (*Vid. Bouix, Tract. De Regularibus, Part. 3. Cap. 3.*).

Ex his autem satis apparet, religiosi solemniter professi incapacitatem ad rerum temporalium dominium habendum et exercendum non e naturali aut divino, sed ecclesiastico tantum iure esse repetendam. Hinc S. Ignatius De Loyola ad Part. 6. Cap. 2. Constitutionum Soc. Iesu Declarationem addidit, in qua facultas, etiam post solemnem professionem, acquirendi ac retinendi dominium, quae a Sede Apostolica obtineri posset, diserte memoratur. *Si aliquis* (inquit) *sua devotione et sancta cum intentione ad maiorem Dei gloriam motus, ante suam professionem a Sede Apostolica facultatem obtineret, ut vel ipse, vel domus, in qua professionem emisit, posset ius succedendi in hereditate habere,.... non contra istam Constitutionem vel eius intentionem existimaretur.*

perioris. Constat ex *Concil. Trident. sess. 25. c. 2.* — Communitas vero bona acquirere et possidere potest, sive per se, sive per subditos, nisi obstent eius constitutiones. Hinc pervulgatum axioma Iuris canonici: *Quidquid Monachus acquirit, non sibi, sed Monasterio acquirit.*

Proinde Religiosus professus inhabilis omnino est ad quemlibet proprietatis actum exercendum circa rem ullam sive monasterii sive parentum sive externorum; et idcirco absque superioris licentia sive generali sive speciali de nulla re disponere potest, sive licite, sive valide, per acceptationem, donationem, venditionem, commodatum, mutuum, usum, mutationem, meliorationem, etc.

154. — II. Religiosus simplici voto paupertatis ligatus potest quidem dominium directum bonorum habere; sed nihil de ipsis sine Superioris licentia particulari vel generali disponere licite (*a*) potest.

Hoc valet, etiamsi Ordo non fuerit a S. Sede approbatus, sed tantum ab Episcopo, quia eadem semper est voti simplicis efficacia; vovens enim se omnino spoliat iure de re qualibet *sine licentia* disponendi, vel usum eiusdem rei servandi, seu quemlibet *proprietatis* actum exercendi, nisi Ordinis constitutiones aut legitima consuetudo aliquid excipiant.

Praeter peccata contra votum paupertatis, dantur etiam non raro peccata contra *virtutem* paupertatis, licet illaesum votum remaneat; v. gr. si Religiosus nimium foveat affectum (*b*) ad res, quas ex licentia Praelati detinet, si commodis plus aequo indulgeat, si a Superioribus superflua postulet, vel obtenta retineat, et similia.

155. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quodnam sit discrimen inter votum et virtutem paupertatis?*

Resp. Votum respicit tantum actus *externos* proprietatis; virtus

Neque vero abstrusa videri debet huius doctrinae ratio. Nam in confesso id esse debet, quod quotidiana in Ecclesia praxis docet temporalium rerum dominium utique cum simplici paupertatis voto componi. Quod autem simplici voto additur, nempe voti eiusdem solemnitas, iure ecclesiastico, ut Constitutiones Apostolicae aperte declarant, inductum est. Porro si iure tantum ecclesiastico solemnitas voto superadditur, nonne manifestum est, eiusdem solemnitatis vim, effectuumque mensuram ab ea potestate definiri, a qua solemnitas ipsa procedit, atque adeo a Supremi in Ecclesia Legislatoris arbitrio pendere? Ex ipsa ergo rei natura est, quod religiosus solemniter professus dominii incapax aut capax existat pro supremae auctoritatis arbitratu, ad cuius sapientiam omnia pro temporum, locorum, personarumque adiunctis disponere spectat. *Conf. Marc. Struggl* (*Th. Moral. Tr. 6. q. 5. n. 33.*), qui concludit: *Ita Sanchez in Decal. Lib.5. c. 2. n. 9., Card. De Lugo, De Iust. Disp. 3. n. 75. et alii* COMMUNITER.

(*a*) Dicitur, non posse *licite;* nam utique *valide* disponeret, ut infr. Q. 2. dicitur.

(*b*) Quoties ita pravus sit affectus, et eo usque feratur, ut vel contra Dei voluntatem praecipientem quidpiam velit, seu prosequatur, utique peccatum aderit. At in reliquis ulterioris perfectionis defectum, non vero peccatum habebis; nam peccatum definitur *legis transgressio.*

vero ad *internos* cordis affectus etiam extenditur (*a*). Voti enim obiectum est Religiosum bonis temporalibus exterius expoliare. Virtus autem pro fine habet omnem inordinatum cordis affectum erga res terrenas penitus rescindere. Votum igitur paupertatis est veluti medium ad virtutem, quae est finis obtinendus. Hoc posito nemo non videt, virtutem paupertatis multo latius patere, quam votum : quoties enim quis votum infringit, simul et virtutem laedit; non autem vice versa.

Dixi, votum afficere solos actus proprietatis *externos;* attamen violari posset votum per actum internum, qui actum externum respiceret et attingeret, scilicet per desiderium agendi externe contra votum; siquidem desiderium induit omnem malitiam et speciem actus externi, ut dictum est in *Tract. de peccatis, l. 1. n. 168.*

QUAER. 2° *An religiosus servans dominium directum bonorum, possit* VALIDE *de his disponere absque licentia?*

Resp. Affirm., quia vere est dominus, quamvis ob votum paupertatis *illicite* agat (*b*). — *Negant* tamen quidam, quia (aiunt) Religiosi se habent ut pupilli, qui bona sua valide donare nequeunt. Sed haec opinio nullius prorsus est momenti.

QUAER. 3° *Ad quae se extendat dominium directum Religiosi non solemniter professi?*

Resp. 1° Ad bona temporalia, quae possidebat ante vota; 2° ad fructus seu reditus eorumdem bonorum; 3° ad ea, quae ipsi de iure adveniunt, sine nova acceptatione, ut hereditas paterna, legata, etc...; 4° ad omnia bona, quae a parentibus, cognatis, amicis... accipit de Superiorum licentia. Attamen si haec sint usu consumptibilia, in communem monasterii usum iuxta morem applicanda sunt (*c*), saltem generatim loquendo.

156. — QUAER. 4° *An religiosus absque Superioris licentia manuscripta propria servare, et alio transferre possit?*

Resp. Affirm., iuxta communem sententiam; manuscripta enim, utpote partus ingenii, habentur ut aliquid spirituale. Praeterea per-

(*a*) Haec minus cohaerere cum mox praecedentibus videntur, ubi vitium notabatur superflua etiam cum Superioris venia retinendi, indulgendi commodis etc., quae sane ad exteriora pertinent.

Adde, rationem habendam esse consuetudinum cuiusque Ordinis, quae maiorem, minoremve commodorum mensuram concedunt; nec tamen haec culpae vertere quispiam ausus fuerit.

Caeterum bene advertit Lugo (*De Iust. et Iur. Disp. 3. n. 131.*), si quo in Ordine votum paupertatis severius observetur, culpa contra paupertatis votum non carere eum subditum, qui superflua etiam cum Superiori licentia retineat, utut *proprietarius* dici non queat.

(*b*) Quod Religiosi Soc. Iesu sic agendo peccent contra paupertatis votum, etiam Suarezius docuit, licet alii falso sententiam oppositam ipsi affinxerint, ut ostendit Lugo (*De Iust. Disp. 3. n. 78.*).

(*c*) Quod quidpiam ex his cedat in monasterii usum, non fit vi voti, sed consuetudine; nam servato voto in alios usus, v. gr. in eleemosynas impendi ea possent, licet Superioris licentia intercedere semper debeat.

tinent ad scientiam, quae non cadit sub voto paupertatis; sed ratio potior est, quia sic fert communis et recepta inter Regulares consuetudo. — *S. Lig. n. 14. Salm., et alii communiter*, qui idem etiam de Sanctorum *Reliquiis* opinantur.

QUAER. 5° *An peccet contra votum paupertatis Religiosus, si quid de rebus ad determinatum usum concessis in alium usum impendat?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia in his Religiosus habet tantum *usum facti*, idque *precario*, quamdiu Superiori videbitur. Est autem actus proprietatis seu dominii de re aliqua ad proprium arbitrium disponere, et alioqui voluntas seu licentia Superioris, nisi aliud manifestum sit, ad usum assignatum restringitur. — *S. Lig. n. 19., et alii communiter.*

157. — QUAER. 6° *An possit Religiosus sine licentia donare, quae parcius vivendo sibi subtrahit ex rebus ad usum concessis?*

Resp. Neg. generatim loquendo. Ratio patet ex responsis ad quaesitum praecedens. — Excipiunt, si certa quantitas ita Religioso assignetur, ut nec Monasterium teneatur quidpiam aliud ei praestare, nec ipse rationem reddere. — Dicit *S. Lig. n. 23.*, permitti communiter ab auctoribus, ut Religiosus possit elargiri, cui voluerit, suas *pietantias*, quae *limitate* ei praebentur, ut ova, carnes, etc., nisi Superior id expresse vetuerit. — *S. Antoninus*, — *Sylvius*, etc.

QUAER. 7° *An peccet contra votum paupertatis Religiosus, qui accipit ab extraneo pecuniam in pia opera ad libitum impendendam?*

Resp. Affirm. Ratio patet ex dictis: etenim sic agendo, Religiosus faceret *actum proprietatis*, nisi licentiam sui Superioris haberet (*a*). —

(*a*) Sanchez (*In Decal. Lib. 7. Cap. 30.*) ad quaestionem: *An quando dans pecunias religioso, ut eas in pauperes distribuat, non designat pauperes, quibus distribuendae sunt, nec designat quantitatem unicuique pauperi elargiendam, sed utriusque vel alterius electionem religioso committit,... tunc peccet religiosus contra votum paupertatis designando pauperem, cui eleemosynae conferantur, vel designando quantitatem eleemosynae conferendae?* Respondet (*l. c. n. 4.*): *Mihi persuadere nequeo, id esse adversus paupertatis votum, meamque sententiam approbarunt viri doctissimi nostrae Societatis, et externi a me consulti. Ducor, quod... religiosus hic non retinet nec accipit eas pecunias tamquam proprias, nec tamquam dominus, sed ut nomine alieno, nempe tradentis, det pauperibus. Non ergo exercet aliquem dominii aut proprietatis actum... Secundo, quia non quaecumque possessio et administratio pecuniarum adversantur paupertatis voto, sed quando sunt quid iuris, nempe quando religiosus administrat nomine proprio... At in hoc eventu religiosus non nomine proprio, sed alieno administrat. Tertio, quia in hac dispensatione haec sola quatuor inveniuntur: receptio pecuniae, facultas eligendi pauperes, ipsorum electio, distributio inter illos. At nihil horum est contra paupertatis votum. Non receptio pecuniae, quia religiosus non recipit sibi..., sed ut nomine testatoris in pauperes distribuat... Nec etiam facultas eligendi pauperes; quippe hoc nihil aliud est, quam ius nominandi pauperes..., quod nil iuris esse, sed meri facti probavimus supra... Nec ipsa pauperum electio; quia si eligendi ius non adversatur, a fortiori nec ipsa electio, quae exercitium iuris illius est. Nec denique ipsa pecuniarum in pauperes distributio, quia religiosus non distribuit nomine pro-*

Secus autem, si opera pia determinarentur *a donatore;* quia tunc Religiosus non esset nisi *canalis*, ac velut *mandatarius* donatoris. Hinc non peccat contra votum paupertatis Religiosus, qui ab extraneo accipit pecuniam erogandam tali pauperi, tali Monasterio, Ecclesiae, tali causae piae etc. Imo nec peccat, si ipse sine licentia Superioris ab extraneo postulat pecuniam alteri determinato tradendam. Attamen si agatur de re magni momenti, suadet prudentia, et requirit rectus ordo religiosae disciplinae, ut subditus nihil peragat, nisi prius assensum Superioris obtinuerit, etiamsi violandae paupertatis periculum nullum incurrat.

158. — QUAER. 8° *An peccet contra votum paupertatis Religiosus, qui ea recusat, quae sibi ab extraneis offeruntur?*

Resp. 1° *Neg.*, si agatur de meris donationibus, eleemosynis aut muneribus, ad quae ius non habeat. Ratio est, quia votum paupertatis non obligat ad recipienda ea, quae nondum acquisivit, seu ad quae ius strictum neque ipse, neque Monasterium habet. Attamen si Religiosus nullam habeat rationem recusandi, peccat contra charitatem impediendo bonum suae Religionis, non tamen contra iustitiam. — *S. Lig. n. 20.*, — *Lugo,* — *Sanchez,* etc.

Resp. 2° Secus, si agatur de rebus iam acquisitis, v. gr. de legatis, de mercede Religiosi laboribus debita vel de donis iam acceptatis, etc. Ratio est, quia horum ius monasterium immediate acquirit iuxta axioma: *Quidquid Monachus acquirit, non sibi sed Monasterio acquirit.* — *S. Lig. ibid.*

159. — QUAER. 9° *Quaenam materia censenda sit gravis in violatione voti paupertatis?*

Resp. 1° In peccatis, quae sunt simul contra Religionem et iustitiam, generatim loquendo ea habenda est ut gravis materia, quae peccatum mortale in furto constituit. — *S. Lig. n. 24.* — *Lugo,* — *Sanchez, et alii communiter.*

Quidam tamen Theologi dicunt, eam tantum materiam gravem esse, quae censetur gravis in furtis filiorumfamilias, nempe materiam circiter duplo maiorem ac in furtis adversus extraneos. — *Ita Elbel, n. 646.* — Sed hoc non videtur admittendum. Ratio est, quia filii in spe sunt bonorum patrisfamilias, non autem Religiosi. Insuper magis inviti sunt Superiores quoad furta subditorum, quam parentes de furtis filiorum. Praeterea detrimenta graviora sequuntur quoad animam in prioribus, quam in posterioribus (*a*). — *S. Lig. ibid.*

prio, sed dantis, nec ipse censetur aliquid conferre, sed dans, ut constat ex L. unum de familia ff. De Legat. 2... Tandem hanc partem confirmabit solutio argumentorum contrariae partis, quae illam non probant. Ita Sanchez; sed vid. not. seq. *ad n. 160.*

(*a*) Contra tamen valere potest ratio, quod Superior quoad rei surreptae substantiam minus invitus sit quoad domesticos, quam quoad extraneos. Licet autem dispar sit conditio Religiosi ac filii, in eo tamen aliquid simile inest, quod bona monasterii in subditorum bonum possideantur, non

Caeterum ut iudicetur de gravitate materiae in huiusmodi furtis, advertendum est, monasteria mediocriter opulenta communiter dominis privatis sat opulentis aequiparari. Hinc eadem ac pro illis mensura generatim materiam gravem constituit. Si autem sint valde opulenta, maior quantitas requiritur. Maior etiam requirenda est, si Religiosus res Monasterii in usum proprium usurpet, vel aliis eiusdem Communitatis donet, quam si in extraneos easdem erogaret, quia sic ea domi remanent. Maior etiam in furtis minutis, quae insuper interposito notabili intervallo in gravem materiam non coalescunt. Maior iterum in esculentis, ut de famulis diximus, *tom. 1. n. 608.*

160. — *Resp.* 2° In peccatis contra solam Religionem, seu contra solum votum commissis, crescit difficultas, et maior est Theologorum dissensus. Communius tamen eamdem generatim materiam ad peccatum mortale requirunt, ac in casu praecedenti, ubi iustitia violatur; quia actus proprietatis eiusdem gravitatis esse videtur. Attamen *non improbabiliter* ad grave peccatum nonnulli graves Doctores maiorem quantitatem requirunt. — Sic *Elbel, n. 646.* — *Salm., c. 6. n. 12.*

Communiter autem conveniunt, valorem multo maiorem requiri ad graviter peccandum, quando dona accipiuntur ab extraneis in alios eroganda; quia tunc multo minor est proprietatis actus, quam si haec in proprium usum retinerentur. *S. Lig. n. 24. et alii communiter.* — Imo aliqui tunc ad graviter peccandum requirunt 60 argenteos seu valorem 30 fr. circiter. — Sic *Diana,* — *Leander* etc., *apud S. Lig. ibid.* (*a*).

vero in Superioris commodum. Demum quoad detrimenta, quae videantur timenda, haec maxime pendent a rerum surreptarum usu; nam filius ablata ludendo et meretricando potest absumere, et Religiosus potest pauperibus erogare, et viceversa.

(*a*) Haec opinio multum difficultatis prae se ferre videtur. Nam vel intelligitur de pecuniis a religioso accipiendis et erogandis nomine *proprio*, aut in usum *proprium*; et sic cum habeamus actum proprietatis, voto paupertatis contrarium, laxius merito videbitur, ad gravitatem culpae cum DD. veteribus exigere 60 argenteos, seu sex romana scutata; praesertim cum immutatio in pecuniarum valore decursu temporum consecuta (*Vid. dict. de hoc argumento in Tom. 1. not. ad n. 607.*) multo ampliorem pecuniae quantitatem modo exigeret. Vel intelligitur de pecuniis acceptis et erogandis nomine *alieno;* et sic cum Sanchezio (*Vid. not. ad praec. n. 157.*) licebit existimare, nullam intercedere culpam, etsi de maiori summa agatur.

S. Alphonsus eam opinionem cum allegationibus mutuatus est a Salmanticensibus (*De Restit. Cap. 6. n. 47.*); quae tamen omnes, si cum suis Auctoribus conferantur, abs re afferri reperiuntur. Allegant nimirum cum Leandro Suaresium, Palaum, et Dianam. Atqui isti eamdem ac Sanchesius, doctrinam tradunt.

Ita Suarez (*De Relig. Tract. 7. Lib. 8. Cap. 15. n. 15. et 16.*): *Quando dominus solum concedit usum facti..., si usus cedat in commodum ipsius religiosi, vel ei proprie donetur, contra paupertatem est sine licentia illum accipere, non tam propter dispensationem, quam propter acceptationem rei, quia nimirum aliquid pretio aestimabile sine licentia accipi-*

Generatim vero Religiosus non peccat graviter clam accipiens rem aliquam ex Communitate, v. gr. librum ad usum proprium etiam diuturnum, sed non in perpetuum, nisi ita occultet, ut a Superioribus inveniri nequeat; quia tunc Praelatus non censetur

tur, et ita est acceptio proprietatis. At vero si usus nec cedit in commodum religiosi, neque ipse pro se illum acceptat, sed solum ut alteri res donetur, ita ut ipse solum sit medium seu instrumentum transferendi rem ab uno in alium, tunc revera non peccatur contra paupertatem, quia neque aliquid accipit, neque etiam aliquid expendit suo nomine... Unde colligo, quoties conceditur usus facti indeterminatus..., non esse contra paupertatem..., si solum acceptetur dispensatio facienda in alios nomine alterius, quamvis particularis applicatio esset commissa arbitrio religiosi... Vid. etiam *eod. libr. 8. Cap. 5. n. 31.*, ubi statuit, *administrationem formaliter et per se non repugnare paupertati, quia solum est quid facti, et non proprii iuris, quia res sic administratae non ut propriae, sed ut alienae tenentur.* Unde concludit: *Nihil ergo habet administratio ut sic, propter quod per paupertatis votum excludatur: non est ergo materia paupertatis, sed potest esse materia obedientiae,* etc.

Palaus vero (*Tract. 16. Disp. 3. Punct. 22. n. 4.*): *Si non bona Conventus... sed a saecularibus accepta tradas consanguineis,... distinguendum est: Si ea absolute accipias, non solum contra paupertatem, sed etiam contra iustitiam adversus Religionem, cui illa bona tua acceptatione sunt incorporata, peccas. At si ea nolis accipere, sed donanti manifestes, te eius nomine consanguineis donaturum, non videris iustitiam, nec paupertatem violare: non iustitiam, cum ex domini voluntate traditio fiat; non paupertatem, quia tu nec donas, nec aliquid tradis consanguineis, sed saecularis tuo medio donationem praestat... Quod verum habet, etiamsi saecularis non designaverit, quibus pecunia concedenda sit, sed id tuo arbitrio reliquerit; quia sola personarum electio tibi competit, quae non est contra paupertatem.*

Et Diana (*Tom. 7. Tr. 3. Res. 23. n. 2.*): *Nota etiam hic obiter, quod Religiosus non peccat contra paupertatem, si absque Superioris licentia accipit pecuniam, ut ipse libere disponat de illa in eleemosyna nomine eius, qui dedit. Et pro hac sententia sup. citavi Sanchez, et Faustum, quibus nunc addo Petrum de Ledesma, et Franciscum Suarez.* Rationem autem hanc reddit (*Ibid. Res. 27. n. 2.*), *quia votum paupertatis obligat Religiosum, ne acceptet dominium et proprietatem alicuius rei, inscio Superiore: sed in nostro casu iste Religiosus non accipit dominium illarum pecuniarum, sed tantum accipit illas nomine alieno, nempe tradentis, ut det pauperibus. Ergo.*

Conf. etiam Card. De Lugo (*De Iust. Disp. 3. n. 155.*), et Pellizzarium (*Manual. Regul. Tr. 4. Cap. 2. n. 236.*).

** Hanc et subiectam praec. n. 157 Notam impugnant VV. per quatuordecim columnas (*Pag. 372-378.*). Duo itaque contra ipsorum obiectiones evincenda hic sunt: 1° Iure merito in Nota affirmari, allegationes Salmanticensium, aliorumque abs re a S. Alphonso afferri; 2° nihil solidi a VV. contra Suaresii, Sanchesii, Palai, Dianae, Lugo, etc. doctrinam promi.

Et quod ad 1. spectat, haec sunt S. Alphonsi verba (*Lib. 4. n. 24.*): *Si vero accipiatur aliquid ab extraneis ad aliis praestandum, adhuc plus* (scil. ad gravitatem materiae) *requiritur; tunc enim Garcia cum Palao, Leandro, Diana, etc. apud Salmanticenses* (*Tr. 13. Cap. 6. n. 47.*) *assignant pro materia gravi valorem maiorem 60 argenteis.* Et VV. (*Pag. 375.*) non fatentur modo, sed contendunt, agi hoc loco de Religioso, qui pecuniam ab extraneo acceptam, huius mandato in pauperes eroget.

Atqui Salmanticenses citato loco non hanc quaestionem tractant, ideo-

invitus quoad substantiam, sed tantum quoad modum. — *S. Lig. ibid.* — *Suarez,* — *Salm.* etc.

Quoad res mutuo seu commodato acceptas vel traditas sine Praelati licentia, generatim loquendo non peccabit graviter contra vo-

que neque Auctores ab iisdem ibi allati ad nostram quaestionem pertinent. Ergo istae omnes allegationes abs re apud S. Doctorem afferuntur.

Prob. min. 1° ex verbis Salmanticensium (*l. c. n. 47.*), e quibus S. Doctor suam sententiam sumpsit: *Sed si ab extraneis* (inquiunt) *aliquid recipiatur ad dandum vel* EXPENDENDUM, *adhuc maior quantitas requiritur, ut sit mortale.... Garcia citans Leandrum, Palaum, Dianam, et alios, assignat pro materia res valoris plusquam 60 argenteorum.* Atqui quod generatim recipitur ad *dandum* ET EXPENDENDUM non pertinet ad eleemosynas vi mandati alicuius erogandas. Confer etiam titulum illius Puncti V. Ergo ad rem ista non faciunt.

2° Clarius res patet ex tertio advertendo ibidem (*n. 44.*) praemisso: *Advertimus tertio, ex omnium sententia doctorum, maiorem quantitatem requiri, ut sit mortale donatio et acceptio ex bonis a saecularibus acceptis, quam ex bonis communibus; et adhuc maior, si donatio fiat Religiosis eiusdem Conventus, quam extraneis.* Atqui *donatio Religiosi non est*, quod Religiosus alterius nomine et mandato distribuit. Ergo ibi de casu nostro non agitur.

3° Luculentissime vero id patet, quando Salmanticenses eodem illo loco (*l. c. n. 47.*), unde S. Alphonsus sumpsit, reddunt rationem, cur ad materiae gravitatem maior quantitas requiratur, *si donatio fiat Religiosis eiusdem Conventus, quam extraneis.* Nam postquam dixerant, *Garciam, Leandrum, Palaum* etc. assignare pro gravi materia *res valoris plusquam 60 argenteorum,* immediate subdunt: *Si tamen res donantur alteri Religioso eiusdem Conventus, merito asserit Suarez, maiorem requiri quantitatem ad culpam gravem,* CUM RES ILLA ADHUC MANEAT INTRA MONASTERIUM. Et rursus infra: QUIA ADHUC MANET RES ILLA INTRA DOMINIUM CONVENTUS. Ergo Salmanticenses tractant de eroganda re, utique ab extraneis accepta, sed quae in dominium Conventus iam cesserit. Atqui quidquid Religiosus receperit ab extraneo, pauperibus nomine et mandato illius erogandum, neutiquam transit in Conventus dominium. Ergo non de controversia nostra Salmanticenses ibi disputant.

4° Denique hoc ipsum ex eo elucet, quod Salmanticenses, ubi nostram quaestionem tangunt, nullam culpam in Religioso reperiunt, eandemque, ac Suarez, Sanchez etc., sententiam habent. Ita illi (*Tr. 13. C. 6. n. 15.*): *Non peccaret Religiosus contra votum, si res ab alio oblatas nolit accipere, sed donanti manifestet, se eius nomine aliis daturum: quia tunc ipse non donat, sed illo quasi ministro et instrumento, alius est qui pecuniis utitur, et donationem facit, ut tenet Sanchez Lib. 7. C. 19. n. 74., Suarez Tom. 3. De Relig. Lib. 4. C. 15. n. 16., Palaus Punct. 22. n. 4., Diana 1. Part. Tr. 6. Res. 29. et 3. Part. Tr. 2. Res. 65.* Manifestissimum ergo est, aliam prorsus et diversissimam a praesenti esse quaestionem, quam Salmanticenses agitant *n. 47.* (unde S. Alphonsus sumpsit), atque adeo abs re a S. Doctore tum Salmanticensium, tum Doctorum ab his inibi allegatorum auctoritatem invocari.

Ad alterum caput iam veniamus, scilicet ad argumenta, quae VV. afferunt contra Suaresii doctrinam. Concedunt nimirum VV., non peccari a Regulari contra votum paupertatis, quando committens quispiam Religioso eleemosynas distribuendas, simul determinat pauperes, quibus tradendae istae sint; peccari vero, si libera Religiosi arbitrio electio pauperum permittatur; mox praemissum autem Salmanticensium textum de personis a committente determinatis, esse intelligendum. — Ad quod postremum re-

tum paupertatis, si res ad usum suum vel etiam alias extraneis det mutuo vel commodato, modo sit certus de iis recuperandis, nec grave damnum propterea inferat Communitati, quae idcirco, v. gr. careat usu rei graviter hic et nunc necessariae. Multo minus gra-

poni debet 1° gratis hoc asseritur; ideoque gratis etiam negatur; 2° Negandum id prorsus est. Ratio patet; quia Salmanticenses intelligendi sunt eo sensu, quem exhibent Doctores, ad quos ipsi remittunt. Atqui Suarez, Sanchez, Palaus, et Diana, ut evincunt textus eorum in Nota allati, utrumque casum a culpa eximunt, nec Salmanticenses ullam distinctionem, quae alioquin necessaria ibi fuisset, inter casum et casum apponunt. Ergo.

Caeterum VV. ad suam thesim contra Suaresium roborandam, scilicet peccari contra votum paupertatis, si in casu libera pauperum electio arbitrio Religiosi relinquatur, afferunt 1° ex S. Alphonsi epistola auctoritatem *Azorii, Rodriguez,* et *Lohner:* quorum duos priores S. Alphonsus etiam in Hom. Apost. (*Lib. 13. n. 7.*) allegat. 2° Triplex e ratione argumentum. Pauca, quae sufficient, ad singula.

Itaque 1° Ex Azorio VV. obiiciunt ista (*P. 1. Lib. 12. C. 9. Q. 1.*): *Certi iuris est, non posse Religiosum secundi generis peculium habere; nam etiam voto paupertatis solemni repugnat ususfructus, usus, vel administratio, a qua Abbas nutu et arbitratu suo Monachum amovere non possit. Religiosus enim nihil proprium habere potest. Sed usus, vel ususfructus, vel administratio, quam quis pro libito habet, nullius alterius potestati et voluntati subiectam, est aliquid proprium.* — Resp. Haec nihil ad rem faciunt. Nam Azorius (*ibid.*) praemiserat, eum *usum* intelligi, ut Religiosus *arbitratu suo possit eorum* (bonorum) *fructibus uti, et de eis nutu suo, quod voluerit statuere.* Atqui qui in casu nostro pecunias recipit pauperibus erogandas, non potest de iis nutu suo, quod voluerit statuere. Ergo ista ad rem non faciunt. Contra de casu nostro ita Azor alibi (*l. c. Cap. 10. Q. 10.*): *Aut Religioso datur aliquid, ut illud nomine eius, qui donat, eroget in aliquos usus: et tunc illud monasterio non acquiritur, quoniam is, qui donat, non transfert dominium rei, sed eam per Religiosum in certos usus distribuit: et hoc modo dantur Religiosis pecuniae restituendae, aut erogandae in usus pauperum.*

2° Ex Alphonso Rodriguez afferunt haec verba (*P. 3. Tr. 3. Cap. 15. n. 3.*): Voto *paupertatis repugnat, non tantum rei cuiuspiam se, sine licentia Superioris, dominum ac proprietarium facere* (atqui haec repugnant etiam cum Superioris licentia, quae dari a Superiore nequit), *verum etiam eius usum et liberam administrationem, dispensationemque usurpare.* — Resp. haec iterum ad rem non facere. Id enim iudicat Rodriguez, quando alter *ita det pecunias, ut liberam facultatem tribuat eas expendendi, et distribuendi prouti libeat* (*sicchè mi lasci in libertà di spenderlo e distribuirlo a mio arbitrio, e come mi parrà*); quocirca posset Religiosus etiam cateillum iis pecuniis emere. Contra de casu nostro Rodriguez praemiserat (*ibid.*), non peccari contra paupertatis votum, *si quis mihi pecunias det, ut eius nomine dem cuipiam, ut restituam, aut pauperibus aliquibus elargiar.* Minus ergo fideliter Alphonsi Rodriguez auctoritas allegatur.

3° Denique Lohner utique in Opere Concionatorio videtur ire in VV. opinionem; sed ratio, quam addit, nempe *quod usus rei independens a Superiore cuiquam paupertatis voto adstricto non conveniat,* aut incertum relinquit, qua hypothesi accipi a Religioso pecunias dicat, aut plane a Doctoribus falsa censetur, qui obiicienti *usum rei voto paupertatis repugnare,* responderent sic distinguendo: usus *iuris,* C.; usus *facti,* N. Vid. Sanch. (*Dec. Lib. 7. c. 30. n. 4.*), Azor (*P. 1. Lib. 12. C. 12. Q. 1.*), Ferraris (*V. Votum art. 2. n. 116.*). Bene Sanchez (*Lib. 6. C. 11. n. 32.*): *Haec*

viter peccabit, si res ad usum sibi concessas mutuet seu commodet aliis Religiosis eiusdem monasterii. Ratio est, quia etsi aliquem actum proprietatis in his faciat, non tamen graviter peccat, iuxta communem Theologorum interpretationem. — *S. Lig. n. 27.* — *Laymann, — Sanchez,* etc.

161. **Resolves.** — 1° Religiosus peccat contra votum paupertatis, si quid sine Superioris consensu domi vel foris, etiam ex iis quae ad victum aut vestitum pertinent, accipiat, retineat, absumat, permutet, alteri donet, vel commodet. Item si absque licentia Superioris pecuniam vel res alias mutuo vel commodato ab extraneis accipiat.

electio est quid facti potius, quam iuris, ut constat L. Cum pater 77. §. 4. ff. de Legatis 2. Caeterum nihil id mirum in opere Concionatorio. Huc faciunt et illa S. Alphonsi (*Lib. 2. n. 54.*): *Cum ego munus Concionatoris gessi, pluries etiam hunc perniciosum usum fortiter conatus sum exprobrare; sed cum hic officium agam scriptoris de scientia morali,* OPORTET UT DICAM, QUOD IUXTA VERITATEM SENTIO.

Nunc ad VV. argumenta contra Suaresium. Sed praemittendum, non unius Suaresii hanc esse doctrinam, quae immo communis est gravissimis iis inter Auctores, qui quaestionem hanc attigerunt. Et quidem quod plerique disciplinae moralis Scriptores ne verbum quidem habeant de hac quaestione, cum alioqui fuse quoslibet persequantur modos, quibus votum paupertatis laedi potest, id satis superque patefacit, eos ne suspicatos quidem fuisse, reatu huiusmodi eos teneri, qui eleemosynas nomine alterius distribuendas pauperibus sive determinatis sive indeterminatis susceperint.

1° Itaque obiiciunt VV. (*Pag. 377.*), in casu haberi *actum, quo Religiosus, libera sua voluntate sine Superioris licentia, de bonis temporalibus disponit.* — Resp. Distinguo: Disponit *libera sua voluntate,* quia hic est actus humanus, C.; disponit pro arbitrio de bonis temporalibus, N.; quia mere certam alterius voluntatem ceu internuntius exequitur.

2° Obiiciunt VV. (*Ibid.*), *Religiosum, cui libera personarum electio committitur,... consanguineos suos ditare posse, eos eligendo; quod pretio aestimabile est.* — Resp. Nego totum: hypothesis est enim de eo, qui fideliter voluntatem donantis exequatur. Quod si donantis voluntas est, ut etiam Religiosi consanguineis aliquid sive multum, sive parum, tribuatur, semper idipsum redit, Religiosum mere partes internuntii agere. Ita Laymann (*Lib. 4. Tr. 5. C. 7. n. 16.*) eodem illo loco, quem VV. obiiciunt: *Religiosus non peccat contra paupertatis votum..., si habet se, ut alterius internuntius, ut puta si in supra dicto casu pecuniam a divite accipiat, ut eam, non suo, sed ipsius divitis nomine donet consanguineo vel pauperi.... Atque hoc sensu vera est sententia Sanchesii, Religiosum non peccare adversus paupertatis votum, si sine Superioris licentia pecunias accipiat, relicta ipsi facultate pauperes eligendi, quibus distribuat.*

3° Obiiciunt VV. (*Ibid.*), claudicare paritatem, quam Suarez instituit, inter hunc Religiosum et oeconomum; quia qui dat pecunias distribuendas non est dominus Religiosi. — Resp. Nego, munus internuntii seu eleemosynarii suam mutare naturam, sive famulus sit, sive non famulus muneris executor. Si lubet, dicatur, Religiosum in his adiunctis alteri famulari.

Et de his satis. Nam vel primo intuitu grave videri debet in hac quaestione immorari, quando hinc quidem gravissimi Auctores stant Suarez, Sanchez, Lugo, Palaus, Pellizzarius, Diana, Laymann, Tamburini (*Dec. Lib. 8. C. 3. §. 5. n. 5.*), Azor (*P. 1. Lib. 12. C. 10. Q. 10.*), Croix (*Lib. 4. n. 112.*), et Salmantic. (*Tr. 13. C. 6. n. 15.*); inde vero vix aliqua incerti sensus verba ex opere ascetico vel concionatorio promi potuerint.

2° Peccat contra votum paupertatis etiam qui res in usum quempiam obtentas in alium usum expendit, aut culpabiliter amittit aut destruit.

3° Peccat contra votum, qui apud externos comedit aut bibit sine Praelati facultate; quia dum aliquid sine licentia accipit, actum proprietatis ponit. Generatim tamen non videtur per hoc mortaliter peccare (*a*). — *Lacroix, n. 105,* — *Suarez,* — *Sanchez,* etc.

4° Si Religiosus acceptet ab extraneis rem Superiori tradendam, facillime licentiam praesumptam supponere potest. Si autem eam supponere nequeat, contra paupertatem peccare videtur; attamen generatim peccatum illud veniale non excedet.—*Lacroix, n. 118.,* etc.

5° Peccat contra votum paupertatis, qui rem cum licentia ad usum acceptam retinet ultra limites temporis a Superiore praefixi; qui eam ad alium usum adhibet cum eiusdem detrimento; qui rem servat *animo domini,* nempe cum intentione eam subducendi liberae dispositioni Superioris, v. gr. si eam occultet, ne videatur; et hic quidem nec excusari ex eo potest, quod licentiam prius obtinuerit.

6° Peccat contra votum paupertatis, qui sine facultate Superioris aliquid emit etiam pro Communitate, quia agit ut proprietarius. Aliquando tamen licentiam praesumere potest, nempe quando novit, id Superiori gratum fore, nec recursus facilis ad eum patet, v. gr. in itinere. Huiusmodi autem licentia facilius in rebus minoris momenti praesumi potest.

7° Religiosus iter agens divertere nequit ad alia loca extra rectam viam ad res curiosas videndas, nisi forte brevis sit distantia, et nullae aut admodum modicae expensae fieri debeant; in casu autem particulari si gravis subsit causa, Superioris licentia merito praesumi potest. Secus enim peccabit tum contra paupertatem, tum etiam contra obedientiam.

8. Religiosus nullum depositum proprie dictum sine licentia accipere potest. Ratio est, 1° quia iuxta plurium opinionem actum proprietatis faceret; 2° quia depositum est contractus; Religiosus autem sine Superioris facultate nullum contractum circa res temporales inire potest (*b*).

(*a*) Imo licentia praesumi haud aegre poterit; et alioqui Superior non tam ratione rei a subdito acceptae, quam alia de causa forte invitus censeri posset.

(*b*) De hac re Pellizarius (*Manual. Regul. Tr. 4. Cap. 2. n. 232.*): *Quaeres: An religiosi ex voto paupertatis prohibeantur recipere pecunias extraneorum in depositum sine Praelati licentia? Resp., non prohiberi, si eas recipiant animo reddendi, quoties dominus voluerit: quamvis id esse possit contra obedientiam ac decentiam religiosam, si fiat occulte. Ita Diana ex Suarez, Sanchez, et Fausto.* — Et Laymann (*Lib. 4. Tr. 5.cap.7. n. 4.*): *In depositum res accipere, ita ut deponens omne ius dominii ac possessionis, administrationis retineat, non repugnat paupertatis voto; tametsi tali modo pecuniae v. gr. depositae sint apud Religiosum, ut iis uti possit, petita postea et impetrata Superioris licentia; talia tamen sunt contra paupertatis perfectionem, et plerumque contra Regulae prae-*

162. — 9° Dona omnia, quae Religiosis *solemniter* professis fiunt, eo ipso acquiruntur Monasterio, non exceptis legatis et hereditatibus, ex notissimo principio Iuris canonici: *Quidquid Monachus acquirit, non sibi, sed Monasterio acquirit.* Hoc principium valet etiam quoad alios Religiosos intra limites voti paupertatis, quod illis non adimit facultatem acquirendi et possidendi. Hinc isti legata et hereditates acceptare et acquirere valent, licet de iis sine licentia disponere nequeant. Quoad caeteras donationes, eae Monasterio obveniunt, nisi fiant speciatim intuitu personae privatae et non quatenus Religiosae (*a*). Tunc vero Religiosus acceptare nequit absque licentia saltem praesumpta, seu sub conditione licentiae obtinendae.

10° Opera manualia, quaecumque sint quae a Religiosis conficiuntur, ad Communitatem pertinent. De iis igitur privati, licet opifices, disponere nequeunt, nec ullum emolumentum ex illis percipere possunt (*b*). Idem dicendum est de honorariis, quae Regularibus pro Missis vel aliis spiritualibus ministeriis tribuuntur.

11° Peccant contra votum paupertatis Religiosi, qui parem curam non adhibent, ne res ad proprium usum concessae deteriores fiant. Idem dicito de illis, qui ob negligentiam sinunt, ut res sibi ex officio commissae pereant, vel detrimentum patiantur.

163. — 12° Non est contra paupertatis votum acceptare aliquid sub conditione licentiae obtinendae, aut etiam donare, dummodo res recuperari possit, si negetur licentia; quia actus reipsa suspenditur. — *Lacroix, n. 108.* — *Lugo,* etc.

13° Ad licite acceptandum, vel expensas faciendas, sufficit licentia *praesumpta,* quando Superior adiri nequit, et urget occasio. Sed res acceptata ex praesumpta licentia, debet postea Superiori manifestari, quando conveniri potest, nec res consumpta iam fuerit. — *Suarez,* — *Lacroix, n. 109.-111.*

14° *A fortiori* sufficit licentia *tacita* ad dandum vel acceptandum; imo valet, etiamsi Superior adiri possit, quia licentia tacita censetur de facto existere: v. gr. eo quod virtute in alia continetur, vel ex circumstantiis prudenter colligitur, dum licentia praesumpta non supponitur de facto existere, sed tantum exstitura, si peteretur. — *Lacroix, n. 109.* — *Suarez,* etc.

scriptum. Eadem habet Lugo (*De Iust. Disp. 33. n. 6.*), qui insuper (*Disp.3. n. 219.*) monet, *non teneri Conventum ad damnum resarciendum, quando res aliqua ab externo apud Religiosum deposita, eius culpa perdita, vel a furibus sublata fuit. Imo nec etiamsi ex licentia Praelati depositum illud acceperit; quia subditi delictum Conventui non nocet.*

(*a*) Hoc dicit Auctor de Religiosis non professis solemniter. Donationes enim, utut fiant tamquam *personae privatae,* si solemniter professis fiant, monasterio obveniunt.

(*b*) Subinde tamen Superiores indulgere solent, ut subditus e mercede laborum, industriaeque suae emolumentum percipiat, inque usus suos pecunias adhibeat. In quo sane cavendum, ne diabolus, ut experientia haud infrequens docet, incautum monachum his quasi retibus seu funiculis e Religione ad saeculum retrahat.

15° Si Superior antecedens licentiam tibi dederit aliquam rem habendi, adhuc valet, etiamsi ab officio ille discesserit. — *Lugo,* — *Lacroix, n. 115.*

16° Si habeas licentiam dandi aliquid Paulo, et des Petro, non peccas, nisi Superior dederit licentiam pro Paulo ob peculiarem rationem, et negaturus fuisset, si pro Petro hanc petivisses. — *Lacroix, n. 119.* — *Pellizarius,* etc.

17° Si Titius Religiosus licentiam habeat dandi aliquid quibuslibet, Caius eiusdem Communitatis habet eo ipso facultatem acceptandi, quia dare et accipere sunt correlativa, et proinde licentia ad unum censetur etiam esse ad alterum. — *Sanchez,* — *Pelliz.,* etc.

Haec de paupertate Religiosa in genere. Sed attendendum est ad constitutiones particulares singulorum Ordinum, vel ad consuetudinem a Superioribus toleratam ; nam in pluribus Monasteriis generatim Religiosis permittitur petere, accipere aut sibi comparare plura necessaria ad victum, vestitum, libros, aliaque id genus.

ARTICULUS II.

DE VOTO CASTITATIS

164. — Votum castitatis multo praestantius paupertatis voto censeri debet, cum per illud Religiosus non bonis sibi extrinsecis, sed intrinsecis, corporis scilicet et sensuum voluptatibus renuntiet.

Duo complectitur eius obiectum, nempe ea quae de iure naturali et divino iam prohibentur, necnon ea quae in legitimo matrimonio licite fieri possent. Haec igitur est voti castitatis efficacia, ut quod alioquin licitum esse posset, Religioso illicitum fiat ; ea vero quae omnibus sunt prohibita, ipse evitare debeat ex duplici obligatione, castitatis scilicet et Religionis.

Votum simplex castitatis impedimentum matrimonii impediens tantum constituit, atque adeo matrimonium illicitum, non vero invalidum efficit. Votum autem solemne, connubium subsequens etiam dirimit.

165. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An peccata luxuriae etiam mere interna voto castitatis adversentur?*

Resp. affirm. Ratio est, quia Religiosus vi voti castitatis tenetur abstinere ab omni voluntaria delectatione venerea, sive *interna,* sive *externa,* ita ut si castitatem laedat, duplicem incurrat reatum, luxuriae scilicet et sacrilegii. — *S. Lig. n. 33.*

Iuxta quosdam votum castitatis solis peccatis externis luxuriae violatur; quia (aiunt) Religiosus Deo dicat tantum 1° bona externa, quibus se spoliat per votum paupertatis; 2° corpus, cuius voluptatibus renuntiat per votum castitatis; 3° animam, seu mentem et voluntatem, quam tradit Superiori moderandam per votum obedientiae. Sed doctrina communissima et vera est, votum castitatis

violari et quidem graviter etiam peccatis mere internis; quia vovens promittit simpliciter Deo, se abstenturum ab omni delectatione absque ulla distinctione.

166. — Quaer. 2° *Quaenam sit gravitas peccatorum contra votum castitatis commissorum?*

Resp. Haec regula generalis statuenda est: eadem prorsus est gravitas peccati contra votum, ac contra sextum et nonum Decalogi praeceptum, scilicet peccatum mortale est aut veniale contra Religionem, prout mortale aut veniale est contra castitatem. Parvitas autem materiae admittenda non est in peccatis luxuriae quaesitae aut admissae, nec nisi ex imperfecto consensu levis esse culpa potest, iuxta dicta *t. 1. n. 412.*

167. — Quaer. 3° *An vel quaenam sit differentia inter virtutem et votum castitatis?*

Resp. 1° Nullum datur discrimen ratione obiecti, cum votum tam late pateat, quam ipsa virtus. Attamen in hoc differunt, quod in iis, quae virtute prohibentur, duo dantur peccata si votum violetur, dum unicum committitur peccatum in eo, quod solo voto interdicitur. Si quis enim voto simplici Religionis ligatus matrimonium contraheret, unicum peccatum, scilicet contra Religionem, in usu coniugii patraret (*a*). Potest igitur quandoque violari votum, quin ipsa virtus laedatur.

Resp. 2° Virtus castitatis praeter obligationes, quas imponit, mera quoque consilia ad maiorem perfectionem ducentia suadet; dum votum solam materiam obligationis afficit.

Ad maiorem autem castitatis custodiam introducta est clausura, vi cuius Moniales egredi non possunt e Monasterio, nisi de licentia Pontificis aut Episcopi, quae etiam in solis extraordinariis casibus dari potest; Religiosi vero domo abesse nequeunt absque Praelati licentia. Sic ex Const. *Clem. VIII. Nullus*, etc. — Hinc

Quaer. 4° *Quale sit peccatum egredi e Monasterio sine licentia?*

Resp. 1° Pro Monialibus intra clausuram degentibus erit semper grave, cum Ecclesia id prohibeat sub poena gravissima, nempe excommunicationis.

Resp. 2° Pro Religiosis erit grave, si saepius cum scandalo fiat, aut de nocte furtive; veniale autem tantum, si quis semel aut iterum, aut interdum tantum per diem egrediatur. — *Plura de clausura et de poenis in eius violatores inflictis in Tract. de Censuris.*

(*a*) Idem dicito, si ex consensu uxoris vir sacros Ordines susceperit, aut in Religioso Ordine solemnia vota emiserit. Si enim postea matrimonio uterentur, sacrilegii crimine se obstringerent, non tamen contra virtutem castitatis peccarent.

ARTICULUS III.

DE VOTO OBEDIENTIAE

Votum obedientiae est omnium votorum Religionis praestantissimum: quippe per illud Religiosus bona maxime sibi intrinseca et excellentissima, voluntatem scilicet et intellectum ipsum Deo offerat (*a*), et omnino consecret. Hinc dicitur *1. Reg. 15. 22.: Melior est obedientia, quam victimae.* Et *Prov. 21. 28.: Vir obediens loquetur victoriam.*

168. **Principia.** — I. Religiosus ex voto obedientiae tenetur ad omnia, quae Superior praecipit secundum regulas et constitutiones Ordinis, sive directe et expresse, sive indirecte et implicite. — *S. Lig. n. 38.* — Attamen ut sit peccatum contra votum, requiritur ut Superior vere *praecipiat,* et non tantum suadeat; quod quidem ex verbis, modo loquendi variisque rerum adiunctis patebit.

II. Superior ius habet praecipiendi non ea solum, quae explicite habentur in regula vel constitutionibus, ut sunt abstinentia, silentium, etc., sed etiam quaecumque implicite in eis continentur, ut poenas in transgressores, et quidquid pertinet ad officia Communitatis rite obeunda, aut ad eius rectam administrationem. Ratio est, quia Religiosus se adstringens ad constitutiones speciales Ordinis servandas (*b*), se obligat ad ea omnia, quae ad hunc finem consequendum sapienter statuta sunt vel praecipiuntur.

III. Religiosus vi sui voti non tenetur obedire Superiori rem impossibilem, aut evidenter illicitam, aut graviter sibi noxiam praecipienti. — *S. Lig. n. 47.,* etc. Et sane non potuit se obligare ad rem impossibilem, cum nemo ad impossibile teneatur; neque ad rem certo illicitam, siquidem votum nequit esse vinculum iniquitatis; neque demum ad rem graviter sibi noxiam, quia hoc a mente Religionis alienum est, et actus heroici non cadunt *communiter* et *implicite* sub votum, sicut non cadunt sub praeceptum. Excipe tamen, si agatur de officiis intra limites vitae Religiosae adimplendis, v. gr. de curandis Religiosis pestiferis, etc.

Hinc non tenetur subditus obedire Praelato iubenti, ut incedat super aquas, etc.; si autem referantur exempla, quibus constat, talem obedientiam Deo probatam et miraculis confirmatam fuisse, dicendum est, tunc divinum beneplacitum singulari ac superno lumine tum praecipienti, tum obedienti fuisse manifestatum.

169. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quodnam discrimen intercedat inter virtutem et votum obedientiae?*

(*a*) Adverte tamen, quae paulo post A. (*n. seq.*) subiicit, materiam voti sese non extendere ad internas facultates, sed ad solam mandati externam executionem.

(*b*) Hoc non ita accipiendum est, quasi ex voto se Religiosus obstringat ad observandas Ordinis Constitutiones.

Resp. Idem, quod superius n. 155 fuit indicatum de paupertate; scilicet obiectum voti est executio externa mandati Superioris, dum virtus usque ad internam submissionem pertingit, et perfectam ipsam obedientiam efficit.

A Religioso autem sedulo vitanda sunt non solum peccata contra votum, sed etiam contra virtutem, quae quidem frequentius laedi solet. Accidit enim (utinam rarius!), ut subditus Praelati mandato actione quidem externa integre obsequatur, sed reluctante, moesta et aegra voluntate. Tunc vero licet voto satisfaciat, a virtute tamen longe recedit (*a*).

Religiosus igitur Superiori vere praecipienti inobediens duplex peccatum facit, alterum contra praeceptum naturale, quod submissionem legitimo superiori praescribit, et alterum contra votum. Hinc in piis congregationibus virorum vel mulierum *in communi* sub eadem Regula vitam degentium absque votorum vinculo, inobedientes a peccato non eximuntur, si contra superiores sint rebelles, sed unicum peccatum committunt.

170. — Quaer. 2° *Quomodo votum solemne obedientiae a voto simplici differat?*

Resp. 1° Dispensatio multo facilius obtineri potest a voto simplici, quam a voto solemni, quod nonnisi a Papa et gravissima de causa solvi potest.

Resp. 2° Votum simplex reddit quidem illicitam obligationem, quae a subdito sine consensu Superioris contrahatur, non tamen *per se* invalidam eam efficit, nisi forte Superior vi potestatis in voluntatem subditi huiusmodi obligationem irritare velit. Votum autem solemne ita subditi voluntatem oblatione absoluta, perpetua et irrevocabili obstringit Superioris auctoritati, ut Religiosus nullam amplius obligationem, neque naturalem, neque civilem valide contrahere possit (*b*).

(*a*) Inspiciendum est, cuiusmodi sit affectus obedientiae repugnans. Nam si naturalis sit, et naturae etiam bene institutae consentaneus, nec tamen obediendi affectum retardet, aut minuat, nihil detrahit de perfectione obedientiae, ut Christi Domini exemplum suadet. Si vero repugnantia sit ex naturae vel consuetudinis inordinatione; tunc vel non obstante contrario impulsu homo prompte obedit, et sic perfectioni virtutis nihil detrahitur, imo propter difficultatem devictam actus videbitur aliquo modo perfectior; si vero repugnantia retardet, minuatve affectum voluntatis, mandata alioquin exequentis, tunc imperfecta utique erit obedientia, quatenus voluntarii sint affectus contrarii; at culpae ratio desumetur non quidem ex obedientiae imperfectione, quasi gradus perfectionis in voluntate obediente cadat sub praeceptum, sed ex affectus ad alia inordinatione, quo fit ut in alio virtutis genere peccetur. Conf. Suarez (*De Relig. Tr. 10. Lib. 4. Cap. 15. n. 19.*).

(*b*) Hoc intellige quoad ea, quae subsint Superioris potestati. Nam si subditus, v. gr. promittat alicui *secretum,* vel ipsi *secretum* committatur, obligationem sane contrahit, circa quam Superiori nulla est auctoritas. Quoad ea autem, quae obedientiae materia esse possunt, obligationem qui-

QUAER. 3° *An Religiosus teneatur obedire in dubio, utrum res praecepta sit licita, necne?*

Resp. Affirm., quia tunc praesumptio Superiori favet. Insuper opposita sententia ordinem in Religiosis familiis perturbaret. — *S. Lig. n. 47., et alii communiter.*

171. — QUAER. 4° *Quandonam Religiosus peccet graviter contra votum obedientiae?*

Resp. Peccat graviter in sequentibus casibus, qui raro occurrunt; scilicet 1° quando recusat obedire in materia gravi Superiori praecipienti *in virtute sanctae obedientiae*, vel *in nomine Iesu Christi*, aut per alias similes formulas, quae rarissime a Superioribus sunt adhibendae; 2° quando Superiori praecipienti respondet: *Nolo obedire, nolo facere, non faciam*, aut aliud simile, quod contemptum formalem auctoritatis praecipientis redoleat (*a*); 3° quando ex inobedientia sequitur grave scandalum aliorum, sive subditorum, sive saecularium, aut grave incommodum sive pro Communitate, sive pro aliis, v. gr. pro salute animarum, etc.

In caeteris casibus inobedientia peccatum veniale non excedit; cum autem praedicti casus peccati mortalis raro accidant, communiter peccata Religiosorum contra obedientiam ut venialia reputanda sunt. — Multo rarius adhuc peccata in solam virtutem commissa mortalia evadent.

172. — QUAER. 5° *Quibusnam obediendum sit?*

Resp. Obediendum est non tantum Superioribus maioribus, sed etiam inferioribus, seu ministris, vel praepositis ex mandato superiorum praecipientibus, cum eadem sit auctoritas, quae mandatum iniungit (*b*).

QUAER. 6° *Quomodo obediendum sit?*

Resp. Ut obedientiae sua constet plena perfectio, obediendum est 1° *ex motivo supernaturali*, ut praescribit Apost., *Coloss. 3. 22.: Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes... Domino Christo servite.* Secus enim obedientia, etiamsi a peccato immunis esset, omni tamen merito careret, et mere materialis foret (*c*). — 2° *Alacriter*, seu cum gaudio et animo volenti; *Hilarem enim datorem diligit Deus. 2. Cor. 9. 7.* — 3° *Prompte*, id est vel statim, vel tempore praescripto, et cum debita cura, absque segnitie. — 4° *Ex integro*, seu totum opus praescriptum perficiendo.

dem, v. gr. celebrandi missam ad intentionem alterius subditus contrahere potest, *conditionatam tamen*, nisi videlicet aliter Superior disponat.

(*a*) Hoc valet, etiamsi praecepti materia, in se spectata, non sit gravis.

(*b*) Intelligenda haec sunt de virtute obedientiae; nam praeceptum, quod voti obligatione subditum constringat, solis totius Conventus seu domus Superioribus (nisi aliter speciales alicuius Ordinis Constitutiones disponant) reservari solet.

(*c*) Quod obediatur Superiori tamquam Christo Domino, id ad rationem formalem virtutis obedientiae non requiritur (*Vid. Suarez, De Relig. Tr. 10. Lib. 4. Cap. 14. n. 2. 3.*); nec iterum ad rationem meriti exigitur, ut quis agat ex motivo supernaturali, uti alias ostensum est (*Vid. Tom. 1. n. 32. qq. 6. 7. 8.*).

CAPUT IV.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM

173. — Privilegia, quibus gaudent Religiosi, praecipue versantur circa exemptionem ab Episcoporum iurisdictione, sacramentum poenitentiae, casus et censuras reservatas, irregularitates, quaedam vota et vincula, Missam et Communionem, ac nonnulla alia. — *Vide S. Lig. lib. 1. in fine, Append. 2. de Privilegiis; et in Hom. apost. tract. 20. c. 4.*

I. *Circa exemptionem a iurisdictione episcopali.*

1° Regulares generatim gaudent privilegio exemptionis a iurisdictione Episcoporum; quia Praelati regulares in suis monasteriis, ecclesiisque habent iurisdictionem quasi episcopalem (*a*).

2° Idcirco ab Episcopi visitatione tum quoad personas, tum quoad Monasteria et Ecclesias eximuntur. Excipe 1° Monasteria Monialium Regularibus non subiectarum, et etiam subiectarum quoad clausurae custodiam, ad quam curandam Episcopi ceu delegati apostolicae Sedis invigilant; 2° Ecclesias saecularium, quarum Parochus sit Religiosus; 3° Ecclesias Regularium si sint parochiae, verumtamen quoad ea tantum, quae ad paroeciam et Parochum, quatenus id gerit officii, spectant (*b*).

3° Privilegio exemptionis gaudent non tantum Professi et Conversi, sed Novitii et tertiarii, qui intra claustra commorantur. Item quoad censuras et sacramenta famuli Regularium, qui actu famulantur, et *quasi de familia ac perpetui commensales* intra claustra Monasteriorum resident (*c*), haud secus ac ipsi Conversi. — *Trid.*

(*a*) Haec non reddunt rationem, nec causam exemptionis assignant, sed mere eiusdem effectum exprimunt. Causa est voluntas supremi Legislatoris, scilicet Romani Pontificis, qui e re ecclesiastica esse censuit plures habere sibi immediate subiectos, atque adeo ab Ordinariorum iurisdictione exemptos.

** (*b*) Episcoporum iura, quod attinet ad visitationem Ecclesiarum Parochialium ad Regularium monasteria pertinentium, definita habes a Benedicti XIV. Constitutione *Firmandis* 6. Nov. 1744.

(*c*) Hinc vera ratio peti debet, cur isti Regularium famuli (prouti advertit et S. Alphonsus *Lib. 6. n. 583.*) non subiaceant peccatorum seu censurarum reservationibus episcopalibus; quia nimirum ab Episcopi iurisdictione sunt exempti. Et vi quidem huius principii, facilis evadit solutio cuiusdam casus, qui maxime implexus nonnullis videri potuit. Fac enim, aliquis eiusmodi famulus in peccatum incidat, quod Episcopus reservavit, et peccata sua Confessario saeculari, non habenti tamen facultatem pro reservatis, confiteri velit. Quaero: poteritne hic illum absolvere? Si enim negas, quomodo cum S. Alphonso (*l. c.*) dices, eum reservationi episcopali non subiacere? Si vero affirmas, quomodo Confessarius a peccato absolvit,

sess. 24. c. 11. — Vide S. Lig. lib. 1. in fine Append. de Privilegiis n. 75.

II. *Circa Sacramentum Poenitentiae.*

174. — 1° Regulares Sacerdotes ex Superioris sui facultate absolvere possunt Religiosos eiusdem Ordinis absque ulla Episcopi loci approbatione. Sic ex privilegiis iure ipsis concessis. — *S. Lig. n. 110.* Quo tamen privilegio minime comprehenduntur Congregationes, quae non sunt Religiones proprie dictae (*a*).

2° Regulares *in Conventu* degentes confiteri debent Sacerdotibus Ordinis a Superiore designatis, nec ab aliis quibuslibet sive intra sive extra domum valide absolvi absque Superioris licentia possunt (*b*). Sic ex privilegio Religioni concesso.

3° Concedi tamen solet, ut tempore *Iubilaei* Regulares, etiam Moniales, cuilibet Sacerdoti approbato sine Superioris licentia confiteri possint. — *S. Lig. n. 110.* (*c*).

4° Regulares *in itinere,* si socium eiusdem Ordinis *idoneum* habeant, illi confiteri debent. Si vero desit socius *idoneus,* confiteri possunt cuilibet Sacerdoti saltem approbato, sive regulari, sive saeculari.

in quod iurisdictionem non habet? Numquid forte demum dices, reservationem, quae est iurisdictionis restrictio, non Confessarium, sed poenitentes afficere? Nodum ergo inde solve, quod isti famuli quoad hoc in eadem sunt conditione ac religiosi, quibus deserviunt. Porro sicut religiosus, quando ex praelati sui facultate confitetur sacerdoti saeculari vel alterius Ordinis, absolvitur vi iurisdictionis, quam Praelatus indirecte communicat sacerdoti, quem ad id subditus elegerit, ita et isti famuli, qui itidem Praelati iurisdictioni subduntur. Et cum Praelatus regularis iurisdictionem a se indirecte communicatam non coarctet quoad peccatum illud, quod Episcopus reservavit, manifesta est ratio, cur sacerdotis saecularis iurisdictio in absolvendo aut religioso aut religiosorum famulo non sit restricta.

** Id ipsum autem plane contingit, quando quispiam confitetur in dioecesi non sua, et peccatum affert in ista quidem dioecesi reservatum, non autem in propria poenitentis dioecesi. Cum enim tum ex rei natura, tum ex communi DD. sententia absolutio tunc conferatur vi iurisdictionis indirecte isti confessario communicatae a poenitentis Ordinario, hic autem Ordinarius, ut fert hypothesis, eiusmodi peccatum non reservaverit, atque adeo iurisdictionem quoad illud non restrinxerit, manifesta ratio patet, cur Confessarius in casu a peccato utcumque ibi reservato possit illum valide et licite absolvere, nisi venerit illuc in fraudem reservationis, ut suo loco dicetur.

(*a*) Interdum tamen et istae Congregationes eodem privilegio gaudent, ex speciali scilicet Romani Pontificis indulgentia.

** (*b*) Haec Superioris licentia importat indirectam iurisdictionis communicationem, quae fit sacerdoti, cui subditus confitebitur. Cur vero ab aliis quibuslibet, praeter designatos confessarios, sive intra sive extra Ordinem valide Religiosus non possit absolvi, ratio facile patet; quia nempe alii omnes iurisdictione ad eum absolvendum carent.

(*c*) Diligenter inspiciendae sunt clausulae Constitutionis iubilaeum concedentis. Pluries enim Sedes Apostolica alias declaravit, aut universim Religiosos, aut saltem ex iis quosdam vi singularis dispositionis seu privilegii hisce concessionibus non comprehendi.

An vero Regulares, deficiente socio idoneo, confiteri possunt cuilibet Sacerdoti etiam non approbato, modo idoneus sit? Negant aliqui, innixi praesertim decisione S. Congreg. Conc. ad postulatum Episcopi Hildesheimensis. Sed *probabilius affirmandum est* cum *S. Lig. Appendix de Privilegiis, n. 3.* cum communi (*a*).

Resolutio autem S. Congr. ad Postulatum Episcopi Hildesheimensis non obstat, quia agebatur de Religiosis, qui cum ad manum haberent proprii Ordinis socios, nihilominus cuilibet Sacerdoti confiteri volebant, prout in itinere, deficiente socio idoneo, iure ipsis conceditur (*b*).

III. *Circa casus reservatos.*

175. — 1° *Quoad subditos.* Possunt illos absolvere 1° ab omnibus casibus et censuris *papalibus* (nisi quasdam Pontifex exceperit), licet reservatis Episcopo, ut est percussio levis Clerici; 2° ab omnibus casibus *papalibus* eodem modo, ac Episcopi suos dioecesanos absolvere possunt; 3° ab excommunicatione ob percussionem etiam gravem et publicam Clericis inflictam (*c*).

** (*a*) Communis haec DD. sententia innititur Decreto Tridentino (*Sess. 23. C. 15. De Reform.*), quod est huiusmodi: *Decernit Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, approbationem... obtineat.* Necessitatem igitur approbationis expresse exigit solum ad confessiones saecularium excipiendas. Ergo Regulares non sunt hoc Decreto comprehensi, atque adeo sub iure antiquo manent. Quod vero FF. Cappuccini solum approbatis confiteri possint, id specialiter a Benedicto XIV fuit statutum. Caeterum cum Constitutiones Pontificiae Regularibus facultatem faciant, ut si desit socius ex proprio Ordine, ab altero Sacerdote sive Regulari sive saeculari absolvi possint, iam eo ipso huic sacerdoti, qui a poenitente eligitur, iurisdictio confertur.

(*b*) Ex Actis S. Congregationis (*Thesaur. Resol. S. Congr. Conc. Tom. 38. pag. 111.*) constat, quaestionem propositam fuisse de Regularibus, qui ad civitatem pluries per annum accedentes, ibique ad aliquot dies commorantes, inibi solebant sibi eligere presbyterum saecularem ab Episcopo non approbatum, quamvis in eadem civitate non deessent, qui ex *propria cuiusque Ordinis familia* Confessiones eorum possent excipere, et quorum *copiam* (*ibid. pag. 113.*) *facile habere poterant.* Porro (ut in Actis quoque advertitur) facultas Regularibus concessa, ut *dum itinerarent, vel essent extra conventus suos, valerent confiteri quibuscumque sacerdotibus,* conditionem adiectam hanc habebat (*Ibid. pag. 116.*), *si aliquem presbyterum idoneum ex Professoribus Ordinis habere non possint,* seu si *non possunt habere copiam sacerdotum, quia non habent proprium confessarium.* Quod ergo S. Congregatio non quidem ad generalem quaestionem, sed ad casum illum specialem 18 Novembr. 1769 responderit, *illas confessiones non fuisse validas,* ad controversiam, quam hoc loco tangit A., nihil pertinet.

(*c*) S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 107.*) notat *ex iure communi* Regularem a Praelato suo posse absolvi, 1° si percusserit eiusdem Ordinis consodalem, nisi percussio sit enormis, aut iniecta manus fuerit in Episcopum seu Abbatem; 2° si percusserit religiosum alterius Ordinis, dummodo adhibeatur

2° *Quoad saeculares.* 1° Poterant illos absolvere (supposita Episcopi approbatione ad audiendas confessiones) a casibus *papalibus*, exceptis iis qui in Bulla *Coenae* continentur, et quinque aliis, qui *Clementini* dici consueverunt; 2° probabilius absolvere poterant a casibus in iure aut ex consuetudine Episcopo reservatis, et quos Episcopus ipse sibi non reservavit. — *S. Lig. ibid.*

Verum generales hae facultates recentiori iure sublatae sunt per Constitutionem *Apostolicae Sedis 15. Octobr. 1869.*, in qua quoad facultatem absolvendi a casibus Sedi Apostolicae reservatis haec leguntur: *Quae vero privilegia aut facultates sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet coetui, Ordini, Congregationi, Societati, Instituto etiam Regulari cuiusvis speciei, etsi titulo pecu-*

etiam sententia Praelati, cui percussus subditur; 3° non posse a Praelato suo absolvi, si percusserit clericum saecularem, sed pro absolutione adeundam esse Sedem Apostolicam, licet absolvi possit ab Episcopo, si percussio fuerit levis. Quae omnia extenduntur ad Novitium, qui se his criminibus obstrinxerit.

At subdit *cum sententia communi* S. Alphonsus, haec intelligenda *secundum ius commune.* Etenim (inquit) *spectatis privilegiis, Religiosi bene possunt absolvi a suis Praelatis, etiamsi percussio fuerit enormis..., idque valere, etiamsi Religiosus percusserit alium alterius Ordinis, vel clericum saecularem, et etiamsi percussio fuerit publica.* Quoad ista autem privilegia lectorem S. Alphonsus remittit ad nonnullos scriptores, e quibus Palaus (*De Censur. Disp. 3. Punct. 23. §. 4. n. 10.*) allegat *Compendium Privilegiorum Soc. Iesu. V. Absolutio*, ubi haec habentur (*n. 10.*): *Si qui sub obedientia et correctione Societatis degunt, possunt absolvi per Praepositum Generalem et alios, quos ipse deputaverit, ab omnibus peccatis ante vel post ingressum Societatis commissis, et ab omnibus censuris et poenis a iure vel ab homine latis, praeterquam ab his quatuor, quae in Bulla Sixti IV. continentur, nempe* relapsus in haeresim, schisma, litterarum apostolicarum falsificatio, et delatio prohibitorum ad infideles. *Habetur per Bullam pro Praedicatoribus, datam prid. Kal. Septembr. 1474 (Sixto IV. Pontifice), Incipit:* Regimini universalis..., *et eiusdem Pontificis (Sixti IV) pro Carmelitis 4 Kal. Dec. 1476, Incipit:* Dum attenta...., *et Iulii II. pro iisdem Praedicatoribus 27 Feb. 1510, Incipit:* Exponi Nobis..., *ubi inter superius excepta addit* conspirationem in Romanum Pontificem: *quoad reliquos vero casus, praeter hos quinque, declaravit, non obstare publicationem Bullae Coenae et derogationes in ea contentas.*

Caeterum quoad absolvendos religiosos subditos a casibus *Bullae Coenae*, praetereundum non est, quod Lucius Ferraris (V. *Absolutio art. I. n. 37.*, et V. *Praelatus Regularis n. 20.*) post alios notat, scilicet *Sacram Congregationem Episcop. et Regular. facto verbo cum SS. Clemente VIII. absolute decrevisse, quod omnes Bullae et decreta derogatoria privilegiorum Regularium, quantum ad facultatem absolvendi a casibus Papae reservatis, sunt intelligenda solum in ordine ad saeculares, non autem in ordine ad suos subditos Regulares.* Quod vero (V. *Praelatus Regularis n. 31.*) innuit, quosdam auctores asserere, S. Congregationem declarasse, *Praelatos Regulares non posse absolvere ab haeresi occulta;* ipsemet (*Ibid. n. 25–29.*) palam facit, istam Declarationem *19. Nov. 1628.*, quam tantopere iactat Mendo (*Stater. Disp. 1. Q. 4. n. 56.*), et post eum Dominicus Viva (*ad Prop. 4. Alexandr. VII. n. 2.*) nihil huc pertinere. Vid. et illa, quae idem Ferraris habet *V. Absolutio Art. 1. a n. 29.*

liari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus etc. Ergo et quae hoc loco Gury scripserat, et quae de hac re veteres a multis saeculis Auctores habent, mere ad praeteriti temporis historiam pertinent (*a*).

** (*a*) Adverte tamen Declarationem, quae in Instructione S. Officii Supr. Inquis., data 1. Febr. 1871 ad cuiusdam Ordinarii quaesita, sic legitur: *Per Constitutionem* (Apostolicae Sedis) *SSmus Pater nullatenus intendit, ne minimum quidem detrimentum inferre facultatibus cuiuscumque indolis, quae a S. Sede ante promulgationem eiusdem Constitutionis concessae fuerint, sive hae quinquennales sint, sive extraordinariae, sive respicientes praesens Iubilaeum* (indictum nempe occasione Oecumenici Vaticani Concilii); *atque vult, ut in suo pleno vigore permaneant, tempore perdurante in dictis Constitutionibus sive Indultis praefinito.* Quae postrema verba satis indicant, in abrogatione non comprehendi facultates temporarias etiam alicui coetui, seu Ordini, aut Instituto concessas. Item cum in allatis Constitutionis verbis abrogatio referatur tantum ad privilegia seu concessiones coetui, Ordini, Societati, Instituto, Congregationi tributas, aperte colligitur, in suo vigore manere facultates, quae sint personales, quae scilicet singulari alicui personae concessae fuerint.

Quod si ex huiusmodi concessione sint, qui facultatem habeant in casus papales, iam redit quaestio, utrum absolvere possint a casibus iure aut consuetudine Episcopo reservatis, et quos etiam Episcopus ipse sibi denuo reservavit. Porro quod illi, qui praemissa facultate gaudent, non possint absolvere a casibus *papalibus,* qui iure evadunt episcopales, quando forte Episcopi in suis edictis etiam illos sibi specialiter reservaverint, S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 397., et Lib. 7. n. 99.*) ex Viva (*In Prop. XII. Alex. VII, n. 13.*) videtur desumpsisse, licet pro ea alleget Cabassutium et Elbel. Ast alii forte negabunt quodammodo suppositum, posse nempe Episcopum sibi reservare peccatum, seu causam, quam sibi S. Pontifex reservaverit. Quippe Superioris reservatio eam causam ita potestati inferioris praelati subtrahit, ut hic ne absolvere quidem ab eo peccato possit, aut certe absolvere non possit nisi per potestatem sibi delegatam, et ex mera Superioris permissione. Absurdum autem videtur, quod qui ne absolvendi quidem a quopiam peccato facultatem habet, illud tamen sibi reservet, et quidem ita reservet, ut non possint ab eo absolvere illi quoque, qui absolvendi facultatem a Superiore reservante acceperunt.

Egregie hanc quaestionem tractat Suarez (*De Poenit. Disp. 31. Sect. 4. n. 26.*), inter alia haec scribens: *Hoc ipso quod Pastor Supremus seu altior sibi reservat peccatum, extrahit illud a iurisdictione omnium inferiorum. Nihil ergo habent inferiores, quod possint sibi reservare. Quod si hoc ità est, recte sequitur, per facultatem eiusdem Pastoris supremi* (quae et Mendicantibus communicatur) *tolli sufficienter reservationem: quia Superior iurisdictionem potest concedere, inferiore etiam renuente; atque hoc non solum ex usu, sed etiam ex rigore iuris verum est.*

Nec aliter Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 20. n. 151.*), qui insuper id Episcopis positive interdictum memorat. *Addo denique* (inquit), *quod dictum est, non posse* VALIDE *Episcopum reservare sibi peccatum, quod S. Pontifex sibi iam reservaverat* (*quod idem est de quocumque Praelato inferiori respectu Praelati superioris*), *locum habere, quando etiam Episcopus vel Praelatus inferior reservavit sibi prius aliquod peccatum. Si enim postea Papa vel Praelatus superior illud idem peccatum sibi re-*

IV. *Circa irregularitates et impedimenta*

1° *Cum suis* dispensare possunt 1° in omnibus irregularitatibus occultis ex delicto, excepto homicidio voluntario, ut Episcopi cum dioecesanis; 2° in irregularitatibus quoad defectum animae ob dementiam, si periculum eius cessavit; quoad defectum corporis, v. gr. quoad defectum natalium (quae irregularitas ex se cessat per professionem religiosam), quoad bigamiam etiam veram, et defectum publicum lenitatis.

2° *Cum saecularibus.* 1° Possunt dispensare in omnibus irregularitatibus occultis ex delicto, ut Episcopus; 2° possunt dispensare et commutare vota et iuramenta, ut Episcopus, sed in foro tantum interno; 3° dispensare possunt cum coniugibus in impedimento exigendi debiti propter incestum commissum cum persona consanguinea compartis. — *S. Lig. n. 109.* — Insuper Religiosi possunt dispensare in voto castitatis cum coniugibus in ordine ad usum matrimonii, sive ante sive post initum matrimonium votum emissum fuerit.

V. *Circa Missam, Communionem et ultima Sacramenta.*

176. — 1° Regulares possunt celebrare Missam una hora ante auroram, id est tribus horis ante ortum solis, sed tantum in Ecclesiis propriis, in quibus id etiam facere possunt Sacerdotes saeculares ex eodem privilegio (*Greg. XIII*); post meridiem autem una tantum hora. Nam licet ex privilegio concesso ab Eugenio IV olim possent celebrare etiam tribus ab elapso meridie horis; at istud privilegium a S. Pio V. revocatum est.

2° Possunt ministrare Eucharistiam in suis Ecclesiis omnibus fidelibus, excepto Paschatis die (*a*).

3° Possunt administrare Communionem paschalem, Extremam Unctionem et Viaticum suis subditis, novitiis et familiaribus (*b*). — *S. Lig. n. 121. 122.* — Non gaudent tamen hoc privilegio Con-

servet, eo ipso cessat reservatio Episcopi vel Praelati inferioris: quia tunc etiam per reservationem Papae aufertur Episcopo facultas absolvendi ab illo peccato; atque adeo non potest illud sibi reservare de novo, nec continuare reservationem prius factam.... Denique S. Congregatio Cardinalium de mandato Clementis VIII in suo decreto, edito an. 1602. circa casus reservatos, prohibuit, ne de caetero (Episcopi) reservarent sibi casus legi solitos in Bulla Coenae, nec alios Sedi Apostolicae specialiter reservatos.

(*a*) Romae excipitur etiam feria V. in Coena Domini.

(*b*) Familiares heic eos intellige, qui perpetui commensales sunt, et intra claustrum degunt. Et hinc ratio, cur Regulares administrare iis possint sacramenta, de quibus sermo est. Ut enim superius (*n. 173.*) dictum est, iure ab Episcopi, atque adeo a parochi iurisdictione hi sunt exempti.

gregationes saeculares, secluso speciali Indulto apostolico, cuiusmodi v. gr. recenter Sulpicianis, Maristis, et Oratorianis concessum est.

VI. *Circa casus particulares.*

1° Possunt dispensare cum causa in legibus ecclesiasticis cum subditis suis, ut Episcopi, v. gr. circa Officium divinum, ieiunium, abstinentiam, etc.; quia habent iurisdictionem quasi episcopalem.

2° Possunt Superiores regulares permittere subditis simpliciter tonsuratis, ut in Ecclesiis praedicent *(Greg. XIII)*.

3° Religiosi mendicantes communicant generatim inter se (*a*) de suis privilegiis, tum circa personas, tum circa loca. At non communicant, quando sunt omnino specialia, vel odiosa, vel contraria proprio statui, ita ut communi bono seu observantiae Religionis praeiudicent.

Sedulo autem advertendum est, haec privilegia Religiosis familiis a Iure canonico, vel a Sancta Sede concessa, solis competere Superioribus, qui ea pro sapientia sua subditis communicant; insuper autem eadem non extendi ad Ordines non stricte religiosos, qui Congregationes saeculares nuncupantur (*b*).

APPENDIX

DE STATU ACTUALI REGULARIUM IN GALLIA

Permulta Monasteria tum virorum, tum feminarum, decimo octavo saeculo ad finem vergente, in Gallia numerabantur. Sed immani rerum omnium perturbatione, quae subsecuta est, omnia dissoluta fuerunt. Sedata tempestate, multae Monialium domus restitutae sunt. Plures aliae sub variis formis ab Episcopo sancitis conditae sunt. Subinde nonnulli etiam virorum Conventus restituti fuere, eosque nunc in dies multiplicatos cernimus. Plura autem exorta sunt dubia, quae a nobis perpendenda sunt. Difficultates occurrunt praesertim circa Moniales. Hinc

177. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An Moniales in Gallia emittant* VOTA SOLEMNIA?

Resp. Neg. Etenim propter temporum difficultates post Gallicam perturbationem, servarunt facultatem bona possidendi et acquirendi, non obstante voto paupertatis. Sic pluries a S. Sede fuit declaratum. Ergo votum paupertatis, quod emittunt, non est solemne (*c*).

(*a*) Immo Mendicantes etiam Ordinum non Mendicantium privilegia participant.

(*b*) Intellige, nisi speciali Sedis apostolicae indulto iis quoque id concessum fuerit.

(*c*) Conclusio haec ex praemissis non sequitur necessario. Dispensare enim Sedes apostolica potest, ut licet solemni paupertatis voto obstrictae possidere possint, uti patet ex Responso S. Poenitentiariae mox subiecto. *Vide dicta sup. in not. ad n. 153.*

Ergo etiam duo alia nequeunt esse solemnia; nam iuxta solemnis Professionis naturam, et Ecclesiae leges, votum unum non potest esse solemne sine alio. Ergo votum castitatis non constituit impedimentum matrimonii dirimens, donec placuerit Summo Pontifici restituere Monialibus votorum solemnitatem, vel statuere ut votum simplex sit impedimentum dirimens.

178. — *Responsum S. Poenitentiariae ad Episcopum Lemovicensem directum, anno 1820.*

S. Poenitentiaria, diligenter perpensis expositis, Ven. in Christo Patri Episcopo Lemovicensi (Limoges) respondit: Votum solemne illud esse, quod ab Ecclesia ut tale acceptatur, et voventem inhabilem reddit in perpetuum et immutabiliter (spectata lege ordinaria et seclusa dispensatione pontificia) ad matrimonium contrahendum, et ad dominia rerum acquirenda vel retinenda, *prout cum caeteris SS. Canonum tractatoribus loquitur P. Pirhing in 3° Decret. tit. 54. §. 1. Cum ergo (ut praemissa ab Episcopo oratore significant) modo Galliarum Moniales, ut sese civilibus legibus accommodent, sic paupertatis votum emittant, ut minime se abdicent dominio rerum suarum, sed eas ut proprias retineant, ac de iisdem, cum opus fuerit, iuxta leges civiles disponere intendant, ideo hoc earum votum sive quinquennale, sive perpetuum sit, solemne certe non est, neque ut tale ab Ecclesia acceptatur. Quod si huiusmodi paupertatis votum solemne non est, nec solemnia censeri possunt reliqua duo vota castitatis et obedientiae; quippe cum secundum solemnis religiosae professionis naturam, atque Ecclesiae disciplinam, votum unum sine alio solemne esse non possit.*

179. — Quaer. 2° *An Moniales in Gallia lucrari nihilominus valeant omnes Indulgentias Religionis, in qua vota solemnia alibi emittuntur?*

Resp. Affirm. Constat ex sequenti responso *S. Poenitentiariae* ad *DD. Bouvier* directo.

Beatissime Pater,

Episcopus Cenomanensis, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, rogat humiliter responsionem ad sequentia dubia:

1° *An Moniales tempore perturbationis Gallicanae suppressae, postea restitutae, sed ab aliis dioecesibus in Cenomanensem translatae, vere nihilominus sint Moniales antiquis privilegiis suis gaudentes?*

2° *An Conventus Monialium recenter fundati, secundum proprias instituti approbati regulas, cum sola Episcopi auctoritate, spiritualibus Ordinis sui privilegiis, aliisque communicatis gaudeant?*

Pleraque Monasteria in Galliis nunc existentia non fuerunt restituta aut fundata.

Sacra Poenitentiaria Venerabili in Christo Patri Episcopo oratori respondendum censuit: Moniales, quae ante Gallicanam pertur-

bationem solemnem religiosam Professionem emiserunt, veras Religiosas esse, easque, sicut et caeteras Sorores Monasteriorum Galliae, lucrari posse Indulgentias omnes, quae Religioni seu instituto aliarum Monialium solemnia vota emittentium, secundum institutum seu regulam respectivam concessa fuerunt; idque ex Indulto S. P. Pii VII, et a SS. D. Papa Gregorio XVI. iterum confirmato. Datum Romae, in S. Poenitentiaria, die 3 Februarii 1841.

180. — Quaer. 3° *An Episcopus in Gallia dispensare possit Moniales a votis?*

Resp. 1° *Affirm.* quoad Moniales pertinentes ad Ordinem, in quo vota solemnia prius emittebantur, saltem pro votis paupertatis et obedientiae. Etenim ex Indulto apostolico Episcopus, attentis praesentibus temporum circumstantiis, ab istis votis, tanquam a S. Sede delegatus, dispensare valet. *A fortiori* ab iisdem votis dispensare potest pias Congregationes ab ipso vel a suis praedecessoribus sancitas, et nondum a S. Sede approbatas.

Dixi, *saltem pro votis paupertatis et obedientiae:* quia votum castitatis etiam simplex, si perpetuum et absolutum fuerit, est Papae reservatum, et adhuc inter saeculares servari potest. Attamen excipiendus est casus, in quo mulier vovendo noluerit *explicite* vel *implicite* se obligare, nisi in quantum sit in Monasterio permansura, aut se voluerit obligare ad arbitrium Episcopi, aut etiam si videantur ita intelligi Congregationis constitutiones; quia tunc votum illud non esset absolutum nec perpetuum.

Resp. 2° *Neg.* si agatur de Congregationibus recentibus, quae a Superiorissa Generali gubernantur; sed ad S. Sedem recurrendum est. Etenim si Episcopus cum his Monialibus a votis dispensare posset, varii Episcopi Communitates eiusdem Ordinis in sua dioecesi habentes, eadem facultate quoad eas gauderent, et iurisdictionis conflictus inde sequeretur. Hinc Episcopi dispensare nequeunt a votis Moniales dictas *a Sacro Corde,* etc.

Neque potest Episcopus a vinculo votorum solvere Moniales, licet vota tantum simplicia emittant, et a Superiorissa Generali non pendeant, si haec Congregatio a S. Sede approbata fuerit.

Quaer. 4° *An votum ingrediendi Religionem Papae reservatum sit in Gallia?*

Resp. Neg. Constat ex responsione sacrae Poenitentiariae ad Ill.^{mm} DD. Bouvier, Episcopum Cenomanensem, die 2 Ian. 1836 (*a*).

181. — Quaer. 5° *An leges clausurae quoad Monasteria Monialium in Gallia rigorose servari debeant, et clausuram violantes poenas canonicas incurrant?*

Resp. ad 1um De Iure communi leges illae non urgent rigorose. Nam cum Moniales in Gallia nunc ut *proprie* Religiosae non

(*a*) Videtur hoc accipiendum de voto ingrediendi Congregationem, quae a S. Sede ob temporis et loci adiuncta uti ordo religiosus proprie non habetur.

habeantur, eo ipso *strictae* clausurae non subiacent. Clausuram igitur solum ex Regula, quae eadem remanet, necnon ex auctoritate episcoporum, qui eam praecipiunt, inibi servanda est. Constat ex responsione S. Poenitentiariae ad *D. Gely,* Nannetensem Canonicum, *die 23 Ian. 1821*. Attamen lex clausurae in monasteriis, in quibus vi constitutionum existere debet, abiici non potest sine culpa *per se* mortali; quia sic videtur communiter apprehendi, et Episcopi sic obligare velle censentur, cum haec disciplina summe necessaria semper habita fuerit. — *Ita Bouvier, de secundo praec. Dec.* in fine.

Resp. ad 2um Ex dictis etiam deducendum est, poenas spirituales latas in Moniales e monasterio egredientes, vel in extraneos earum monasterium ingredientes, in praesentibus rerum adiunctis locum non habere. — *P. X. Gautrelet, Traité de l'état religieux, t. 1. 2. part., ch. 2.*

182. — Quaer. 6° *An urgeat obligatio Officii divini pro Monialibus in Gallia?*

Resp. Neg. per se seu ratione legis Ecclesiae. Etenim cum Moniales in Gallia, attentis praesentibus rerum adiunctis, inter Congregationes tantum adnumerandae sint, non videntur rigorose *per se* obligari ad divinum Officium sub gravi, nisi ex Ordinis constitutionibus ad id graviter adstringantur, quod rarissimum est (*a*). Licet enim pertinuerint ad Ordinem olim (vel etiam nunc alibi) ab Ecclesia pro solemni Professione approbatum, modo iam non pertinent. Rigorosa autem obligatio Horas recitandi non urget, nisi Religiosas in Ordine approbato professas. Ergo etc. Nec censeri debet Ecclesia velle tantam imponere obligationem iis mulieribus, quas nunc ut stricte Religiosas non agnoscit. — *P. X. Gautrelet, Traité de l'état religieux, t. 2. c. 3. art. 2.*

183. — Haec doctrina sequenti responsione S. Sedis confirmari potest.

Postulatum Episcopi Petrocorensis circa obligationem recitandi Breviarii pro Monialibus in Gallia.

Beatissime Pater,

Episcopus Petrocorensis in Galliis ad pedes S. V. provolutus, ab Ipsa sequentis dubii solutionem efflagitat humillime.

Ex pluribus Sacrae Poenitentiariae responsis patet, Moniales in Gallia non esse vere et proprie Moniales, sed tantum piarum feminarum congregationes, ipsarumque vota non esse solemnia. Hinc pluribus videtur, illas Moniales, quae vi Regulae suae ad divini Officii recitationem tenentur, ut Carmelitae, Clarissae, Moniales Visitationis B. Mariae Virginis, etc., ad id non teneri sub gravi, cum huius

(*a*) Eo vel magis rarum esse hoc debet, quia si ecclesiastica lege non adstringuntur, non apparet, quomodo ex solis Constitutionibus profluere *gravis* haec obligatio queat, aut quisnam eam imposuerit vel imponere possit.

obligationis gravitas non videatur attingere nisi Moniales vota solemnia emittentes. Alii aliter censent; quia licet vota solemnia non emittant, videntur in se suscepisse obligationes de iure annexas Regulae, quam professae sunt. In hac varietate sententiarum, Episcopus Orator a S. V. expostulat humillime:

Utrum Moniales, attenta earum conditione in Galliis, teneantur sub gravi ad divini Officii recitationem; an vero cum vota earum non sint solemnia, ad illud non gravius teneantur, quam ad aliud quodlibet suae Regulae punctum?

Sacra Poenitentiaria, mature perpensis expositis a Ven. in Christo Patre Episcopo Petrocorensi, respondendum censuit, prout respondet:

Moniales votis solemnibus obstrictas teneri sub gravi quotidie Officium recitare ex consuetudine iam praescripta; cum vero Moniales in Galliis, nec vota solemnia emittere, neque esse Moniales stricte tales, sed piarum tantum feminarum societates pluries responsum fuerit, ideo illae non alia obligatione tenentur, quam ea quae ex respectivis constitutionibus resultat. Datum Romae, in S. Poenitentiaria, die 26 Novembris 1852.

184. — QUAER. 7° *An vota Religiosorum in Gallia nunc habenda sint ut solemnia?*

Resp. Affirm. Ita Collator *Aniciensis (Conférences du Puy), P. Gautrelet, Traité de l'état religieux, t. 1. c. 6. art.* 3. etc.,contra *aliquos.*

Prob. Admittendum est, dari posse huiusmodi vota, nisi ostendatur, aliquid nunc obstare vel ex potestate civili, vel ex potestate ecclesiastica; si enim nihil obstet ex alterutra parte, servatur integrum ius emittendi vota solemnia Ordinibus stricte Religiosis ab Ecclesia concessum: porro nihil prorsus obstat ex alterutra parte. Ergo...

1° Nihil obstat ex parte potestatis civilis. Etenim 1° lex civilis quaecumque sit, afficere nequit votum paupertatis neque *directe*, cum sit res omnino spiritualis, quae ex natura sua potestati saeculari subiacere nequit; neque *indirecte,* cum paupertas religiosa, quocumque modo promissa fuerit, nullatenus regimini politico officere possit. 2° Constat etiam ex absurdis, quae inde sequerentur. Hoc enim admisso, vota solemnia non possent emitti in regionibus, quae Principibus infidelibus aut haereticis subiiciuntur, quod tamen praxi et doctrinae constanti Ecclesiae adversatur; imo impossibilis foret Professio religiosa in tota Ecclesia, si ubique eiusmodi legislatio admitteretur. — Praeterea Religiosus, v. gr. Soc. Iesu, frequenter mutans domicilium, hodie Professus foret in Italia, ac proinde dominii incapax, cras autem in Gallia non esset, etc. etc. Haec vero dici nequeunt. Ergo, etc.

2° Nihil quoque obstat ex potestate ecclesiastica. Si quid enim ex hac parte obstaret, esset lex aliqua, vel Decretum, ex quo constaret de expressa S. Pontificis voluntate conditioni Religiosorum

derogantis. Sed nulla Constitutio apostolica, Decretum nullum, nec ulla Declaratio alicuius Congregationis afferri potest, ex qua talis voluntas S. Pontificis innotescat. Ergo... — Imo ex authentico testimonio constat, Religiosos S. Benedicti *de Solesmes* emittere vota solemnia; ergo possunt dari et dantur de facto talia vota. Ergo non obstat Ecclesiae potestas efficaciae solemnitatis votorum. — *Vide annot. R. P. Guéranger, Abbatis monasterii de Solesmes,* contra *sententiam oppositam D. Carrière, in folio publico l'Ami de la Religion, t. 106.* 7 Septembre 1840.

185. — Haec pauca referre nobis satis erit: *Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium ad propositam quaestionem: An concedi deberet Superiori monasterii* de Solesmes *licentia admittendi* ad solemnem Professionem *omnes subditos a 4 annis cum ipso degentes? respondit:* Affirmative, pro his qui VOTA SIMPLICIA emiserunt, et pro his actu in monasterio existentibus, qui 18 menses in novitiatu expleverint, arbitrio Superioris cum suo Capitulo..., expleto biennio et die a publica susceptione cappae, Professionem emittent...

Ergo praedicti Ordinis Regularium choro assistentium vota *solemnia* sunt; ergo idem dicendum de aliorum Ordinum Regularibus.

186. **Obiectiones**. — *Obiic.* 1° Lex civilis reapse obstat Professioni solemni; lex enim statuit, omnes cives habiles esse ad contractus ineundos, et successiones accipiendas. Ergo, etc.

Resp. 1° Lex civilis nullatenus obstare potest, neque votis solemnibus, neque votis perpetuis; quia materia voti, cum mere spiritualis sit, lege civili attingi non potest, ne indirecte quidem; secus enim potestas civilis Ecclesiae leges dirimere posset, quod repugnat. — *Vide P. Gautrelet* in opere citato, et *P. de Ravignan,* in opere *de Instituto S. I.* Hinc Pius VI reclamavit contra Constitutionem civilem Cleri Gallicani, qua declarabatur *Gubernium nequaquam recognovisse* SOLEMNIA *Religiosorum vota* (Brev. *Quod aliquantum,* 10 Mart. 1791). Et nuperrime Pius IX inter usurpationes, quas detestatur in quibusdam Americae locis, istud reponit, scilicet *Religiosas familias neminem sine Gubernii permissu ad vota solemnia nuncupanda admittere posse* (Allocutio in Consistorio 15 Decembris 1856).

Resp. 2° Lex spectanda est, ut effectus mere externos habens, et sic omnia componuntur. Insuper habilitas legalis ad possidendum, cunctis civibus concessa, est ius naturae; huic autem iuri privati cives renuntiare possunt. Quis enim, v. gr. ad contrahendum cogi potest?

187. — *Obiic.* 2° Non licet ex lege renuntiare successioni nondum apertae; ergo Religiosus ante Professionem renuntiare nequit saltem bonis futuris, v. gr., hereditati paternae, vivente adhuc patre; sed neque id posset, facta solemni Professione, quando scilicet est aperta hereditas, siquidem cuiuslibet dispositionis incapax factus est. Ergo per hanc legem est impossibilis Professio solemnis.

Resp. 1° Semper Religiosus, etiam facta solemni Professione, de Superioris consensu hereditates vel legata acceptare potest pro monasterio, ut Iuris canonici statuta permittunt, licet pro se nihil acceptare possit. Excipe paucos Ordines, in quibus specialiter obstant constitutiones.

Resp. 2° Religiosus ante solemnem professionem, non obstante lege civili, de bonis futuris disponere pro aliis, v. gr. pro fratribus, potest. Etenim de iure naturali renuntiare potest bonis verum valorem hic et nunc habentibus; atqui spes futurae hereditatis verum habet valorem praesentem: ergo Religiosus valide potest spei renuntiare vel actu interno, vel etiam testamento ante Professionem confecto, statuens, ut omnia bona tempore mortis ad se pertinentia talibus vel talibus obveniant, vel heredibus suis naturalibus iuxta cursum legis civilis, et (subaudiendo) intentionem praedeterminatam ante votorum emissionem. Tunc autem externa declaratio huius renuntiationis haberi non potest ut actus proprietatis, sed tantum ut manifestatio dispositionis antea habitae.

188. — *Obiic.* 3° Vota Monialium omnium sunt declarata *simplicia* a S. Sede; ergo ex analogia idem etiam dicendum est de votis Religiosorum.

Resp. 1° Non est verum, omnia vota Monialium in Gallia fuisse declarata *simplicia.* Nam ex responsione S. Poenitentiariae relata supra *n. 179.* constat Moniales, quae ante Gallicam perturbationem solemniter voverant, etiam postea fuisse *veras Religiosas.* Porro ex variis responsionibus memoratis inter se collatis evidenter patet, idem sonare iuxta modum loquendi S. Sedis verba: *Verae Religiosae,* et *solemniter Professae.*

Resp. 2° Ex eo quod in variis responsis S. Sedes unice loquatur *de Monialibus,* coniici merito potest, in his Decretis non comprehendi *Religiosos.* Imo Declaratio a Gregorio XVI. approbata expresse decernit, decreta hac de re edita spectare solummodo ad Moniales.

Resp. 3° Non eadem est conditio Religiosorum et Monialium in politicis perturbationibus. Discrimen enim praecipue consistit in eo, quod feminae multo difficilius sibi providere valent, si e monasterio eiiciantur, quam viri, quorum plerique sunt Sacerdotes, Missionarii, aut diversarum scientiarum professores, etc. Sed ratio disparitatis, quae maxime urgere videtur, ea est, quod difficilior evasit observantia perfectae clausurae, quae a civili potestate non agnoscitur, nullumque proinde ab ea patrocinium accipit. Porro clausura pro Monialibus specialem habet connexionem cum solemni Professione. Haec autem ratio pro Religiosis non valet.

FINIS TRACTATUS DE STATIBUS PARTICULARIBUS.

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE

Cum omnis Christianae doctrinae pars Pastoris scientiam diligentiamque desideret, tum Sacramentorum disciplina, quae et Dei iussu necessaria et utilitate uberrima est, Parochi facultatem, et industriam postulat singularem, ut eius accurata ac frequenti perceptione fideles tales evadant, quibus praestantissimae ac sanctissimae res digne et salutariter impertiri possint, et Sacerdotes ab illa divini interdicti regula non discedant: Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. Catech. Concil. Trid. *pars 2. de Sacram. c. 1. n. 1.*

189. — Cum tanta sit Sacramentorum dignitas et utilitas pro sanctificatione animarum, pro quibus non dubitavit Christus Dominus Sanguinem suum fundere, crucisque subire tormentum, quam maxime iuvat, ut divini verbi praecones frequenter ad populum sermonem de iis habeant, exponendo scilicet eorum institutionem, necessitatem, praecellentem dignitatem, et miram efficaciam, et fideles de dispositionibus ad uberes gratias per illa recipiendas necessariis accurate edocendo. — Hinc *Conc. Trid. sess. 24. c. 7. de Reform.*, haec habet:

Ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta maiori cum reverentia atque animi devotione accedat, praecipit sancta Synodus Episcopis omnibus, ut non solum, cum haec per seipsos erunt populo administranda, prius illorum vim et usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem a singulis Parochis pie prudenterque servari studeant....; necnon ut inter Missarum solemnia, aut divinorum celebrationem, sacra eloquia et salutis monita singulis diebus festis vel solemnibus explanent, eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quaestionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant.

Agendum 1° de natura et divisione; 2° de materia et forma; 3° de Ministro; 4° de subiecto Sacramentorum.

CAPUT I.

DE DEFINITIONE NUMERO ET DIVISIONE SACRAMENTORUM

190. — I. Definitio. *Sacramentum* est signum sensibile a Christo institutum ad significandam et conferendam gratiam.

Hinc tria necessario requiruntur in omni Sacramento, scilicet 1° signum sensibile; 2° divina institutio; 3° vis producendi gratiam a Christo promissam.

Omnia Sacramenta tribus perficiuntur: 1° rebus tanquam materia; 2° verbis tanquam forma; 3° persona Ministri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. — Constat ex *Conc. Florentino in Decreto unionis.*

Sacramenta praeter gratiam sanctificantem producunt gratiam, quae *sacramentalis* dicitur, hoc est, conferunt auxilia ad obtinendum finem specialem, ad quem unumquodque Sacramentum, si debitae non desint conditiones, fuit institutum. Sacramenta operantur ex *opere operato,* id est vi divinae institutionis, independenter ab *opere operantis*, scilicet Ministri et subiecti Sacramentorum.

Hinc Sacramenta distinguuntur a sacramentalibus, quae sunt quaedam res vel actiones sacrae ab Ecclesia institutae, ut sunt aqua lustralis, benedictiones et consecrationes, *Agnus Dei*, etc...

191. — II. Numerus. Sacramenta sunt septem, ut constat ex *Trid. sess. 7. Can. 1: Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Domino nostro Iesu Christo instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem: videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse verum et proprie Sacramentum, anathema sit.*

III. Divisio. Sacramenta iuxta varias proprietates sic distinguuntur:

1° *Necessaria,* vel *non necessaria.* Iterum necessaria sunt vel necessitate medii, vel necessitate praecepti. Necessaria sunt necessitate medii (*a*), *Baptismus*, qui est ianua Ecclesiae et regni caelorum, et *Poenitentia* pro iis, qui in peccatum mortale post baptismum lapsi sunt; necessaria necessitate praecepti sunt caetera omnia, ultimis duobus exceptis, quae non sunt necessaria pro privatis, sed tantum pro communitate.

2° *Imprimentia*, vel *non imprimentia* characterem in anima. Characterem imprimunt Baptismus, Confirmatio et Ordo; caetera non imprimunt. — *Trid. sess. 7. Can. 9.*

3° *Formata,* vel *informia*, prout gratiam producunt dum susci-

(*a*) Presso sensu necessarium *necessitate medii* solum illud est, quod non solum habet in se rationem medii ad finem, qui intenditur, sed praeterea necessarium est in ipsa ratione medii, quod aliter suppleri non potest. Id habes in illis Pauli verbis (*Hebr. XI. 6.*): *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Accessus enim ad Deum sine hominis (adulti) motu impossibilis est; et rursus impossibilis est talis motus sine eiusmodi cognitione. Hoc porro sensu baptismus necessarius dicetur *necessitate medii,* si intelligas baptismum vel *fluminis* vel *flaminis;* secus vero tum de baptismo tum de Poenitentia hic dicendi modus latiori sensu usurpatur.

piuntur, aut, intercedente obice, effectum suum suspendunt, donec obex removeatur (*a*).

4° Sacramenta *vivorum* vel *mortuorum*, prout gratiam *sanctificantem*, seu *primam gratiam* iam supponunt, eamque tantum adaugent; aut ex primaria sua institutione eamdem conferunt.

192. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An Sacramenta* mortuorum *secundam gratiam conferre possint?*

Resp. Affirm. Hoc autem in duplici casu fieri potest: 1° quando sola venialia clavibus subiiciuntur, quod frequenter contingit; 2° quando poenitens, reus peccati mortalis, accedit ad poenitentiae Sacramentum cum contritione perfecta; quia contritio perfecta cum voto Sacramenti etiam ante eiusdem susceptionem hominem iustificat: tunc ergo Sacramentum non primam sed secundam tantum gratiam confert (*b*)...

Quaer. 2° *An Sacramenta* vivorum *primam gratiam aliquando conferre valeant?*

Resp. Affirm. probabilius, non quidem *per se,* ut patet ex eorum institutione, sed *per accidens,* seu mediante Charitate vi Sacramenti infusa in subiecto obicem non opponente. Nam fieri potest, ut quis peccati mortalis reus, huius inscius bona fide ad Sacramentum vivorum *attritus* accedat; in his porro adiunctis Sacramentum vivorum gratiam in animam infundit, adeoque peccatum delet. Sacramenta enim semper gratiam conferunt non ponentibus obicem, ut constat ex *Trid. sess.* 7. *Can. 6.;* obex autem non ponitur ab eo, qui attritus bona fide accedit. Ergo etc... — *Ita communiter.* — *S. Thom. part. 3. qu. 72. art. 7.* — *Suarez,* — *S. Lig. n. 6. et 268.* de Eucharistia disserens: *Aliquando* (ait) *per accidens conferre potest etiam primam gratiam, nempe si quis ignorans se esse in peccato mortali, vel credens habere contritionem, accedit ad Communionem cum sola attritione, tunc de attrito fit contritus.*

193. — Quaer. 3° *An requiratur vel sufficiat attritio, ut Sacramenta vivorum primam gratiam conferant?*

Resp. Affirm. ad utrumque: 1° quidem requiritur, quia prima

(*a*) Quod sacramenta esse valida possint, sed informia, certa doctrina est. An autem sacramentis omnibus tribuendum sit, quod obice remoto effectum producant, vid. S. Alphons. *Lib. 6. n. 87.*

(*b*) Id ipsum et cum sacramento baptismi contingere potest, ad quod accedere adultus potest, per charitatis actum iustificationem iam adeptus. Et hunc quidem iustificationis modum haud raro contingere in pueris inter infideles, rationabiliter teneri potest iuxta doctrinam S. Thomae (*1. 2. q. 89. art. 6.*): *Cum usum rationis* (inquit) *habere* (*puer*) *inceperit,... primum quod tunc homini cogitandum occurrit, est deliberare de se ipso: et siquidem se ipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem peccati originalis.* Quam quidem sui ordinationem in finem sic exhibet Caietanus (*in l. c.*): *Si sibi appetendum censuerit bonum honestum in confuso, ut aetas illa consuevit, bene deliberavit de se ipso, finem suum in vera beatitudine collocans, quamvis imperfecte et inchoative.*

gratia infundi nequit, nisi per destructionem peccati mortalis; porro peccati mortalis destructio sine eiusdem detestatione, nempe sine contritione vel saltem attritione fieri nequit; 2° sufficit, quia ex dictis Sacramenta vivorum possunt aliquando primam gratiam conferre: hoc autem fieri non posset, si attritio non sufficeret, siquidem peccator ad sacramentum per contritionem perfectam iustificatus semper accederet. — *S. Lig. n. 6.*, etc.

Quaer. 4° *In quo consistat character Sacramenti?*

Resp. Licet de fide sit, characterem imprimi in Baptismo, Confirmatione et Ordine, non tamen conveniunt Theologi, in quonam praecise consistat. Nobis satis erit scire, ut docet Concilium Trid., *Characterem esse signaculum quoddam spirituale et indelebile, impediens, quin Sacramentum iterari possit (Sess. 7. can. 9.).*

194. — Quaer. 5° *An peccatum originale deleatur in Baptismo valido quidem, sed informi ob defectum dispositionis in adulto baptizato?*

Resp. Neg. Ratio est, quia nullum peccatum dissolvens ab amicitia Dei condonatur, nisi per reconciliationem cum Deo, id est, per iustificationem. Hoc autem fieri nequit, nisi infundatur prima gratia; sed haec gratia prima non infunditur, si desunt dispositiones. Ergo. Remoto autem obice sive per contritionem perfectam cum voto Sacramenti (scil. poenitentiae) sive per hoc Sacramentum cum attritione, reviviscit seu cessat suspensio gratiae sacramentalis Baptismi, et delet peccatum originale, ac simul omnia peccata actualia ante Baptismum commissa. Sacramentum vero Poenitentiae delet peccata post Baptismum commissa et peccatum *fictionis,* seu pravae dispositionis, cum qua susceptum est Baptismi Sacramentum, saltem in quantum prava haec dispositio post Baptismum perseveravit. — *Vide dicenda, n. 232. Q. 2°.*

195. — Quaer. 6° *Quales sint effectus gratiae sacramentalis singulis Sacramentis propriae praeter gratiam sanctificantem omnibus communem?*

Resp. 1° *Effectus gratiae Baptismalis* est omnem culpam et culpae poenam remittere, mentem illuminare, concupiscentiam imminuere, et animam ad opera christiana fecundare. Haec autem gratia habitualis affert baptizato ius obtinendi auxilia, quibus hos effectus assequatur.

2° Effectus *gratiae Confirmationis* est robur ad Fidem, ubi opus fuerit, constanter profitendam, et ad eam data opportunitate propugnandam. Ideoque affert animae ius ad auxilia, quibus id praestet.

3° Effectus *gratiae Eucharistiae* est alere vitam spiritualem, gratiam augere, nauseam rerum mundanarum generare, ad unionem cum Deo attrahere, et ideo afferre ius ad gratias, quibus haec omnia communicantes consequi possint.

4° Effectus *gratiae Poenitentiae* est remittere peccata post baptismum commissa, et conferre vim ad vitanda peccata et ad perse-

verandum in statu gratiae, et ius ad auxilia his praestandis opportuna.

5° Effectus *gratiae Extremae Unctionis* est tollere peccatorum reliquias, aegrotantis animam alleviare, fiduciam corroborare, morbi incommoda minus molesta reddere (*a*), tentationibus extremis repellendis robur tribuere, et ius ad auxilia his proportionata conferre.

6° Effectus *gratiae Ordinis* est reddere Christi Ministros sacris ministeriis idoneos, ut haec debita pietate peragant, et ius conferre ad auxilia his opportuna.

7° Effectus *gratiae Matrimonii* est refrenare inordinatam concupiscentiam, vires tribuere ad onera status coniugalis sustinenda, ad fidem coniugalem servandam, et ad prolem christiane educandam, et ideo ius conferre ad auxilia pro his adimplendis necessaria. — *Communis.*

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM

I. *De natura et unione materiae et formae.*

196. — Definitiones. Materia est res sensibilis ad rationem sacramenti per formam determinanda. Hinc materia est id, quod in Sacramento est magis indifferens, et minus perfectam significationem habet; adeoque per aliud determinari ad significandum debet.

Materia duplex est: alia remota, et alia proxima. Prior est ipsa res sensibilis, quae in Sacramento adhibetur, seu res circa quam actio sacramentalis exercetur. Posterior est ipsamet applicatio seu usus materiae remotae in actione sacramentali.

Forma vero est pars Sacramenti, quae determinat materiam ad sacramentum efficiendum, et quae ordinarie consistit in verbis a Ministro prolatis.

197. **Principia.** — I. Materia et forma omnino sunt necessariae ad Sacramenti validitatem; idcirco, alterutra deficiente, Sacramenta confici nequeunt. Ratio est, quia Sacramentum confici nequit, nisi eo modo, quo instituit Christus, qui solus est auctor Sacramentorum. De fide est. Constat insuper ex dogmaticis definitionibus, praesertim ex Concilio Florentino in *Decreto Unionis,* etc.

II. In conficiendo Sacramento extra casum necessitatis materia et forma adhiberi debet moraliter, prouti haberi queat (*b*), certa.

(*a*) Addi potest, immo et debet alius effectus huius sacramenti proprius, scilicet in pristinam sanitatem restitutio.

(*b*) Huc spectat prima e propositionibus proscriptis ab Innoc. XI: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut peri-*

Ratio est, quia nisi urget necessitas, non licet uti probabilitate, quae periculum invaliditatis non removet.

III. Materia et forma uniri seu applicari debent ab eodem Ministro et erga idem subiectum. Ratio est, quia si unus materiam, et alter formam poneret, verba formae non verificarentur; Minister enim qui v. gr. diceret: *Ego te baptizo*, dum alter effunderet aquan, falsum proferret, siquidem ipse non baptizaret.

** IV. (*a*) Ut sacramentum sit validum, debet inter materiam et formam, v. gr. inter effusionem aquae, et pronuntiationem verborum, tanta esse coniunctio, ut secundum moralem hominum aestimationem, spectata natura cuiuscumque sacramenti, una alteram afficiat, hoc est, ut verba censeantur cadere in talem rem, et cum ea unum totale signum constituere. S. Alph. *(Lib. 6. n. 8.)* cum Busembaum.

Exinde 1° In Baptismo, Confirmatione, Unctione, et Ordine, requiritur talis coniunctio, ut dum minister verba pronunciat, moraliter censeatur etiam lavare, etc. Busemb. *ibid.* (*b*).

2° In Poenitentia absolutio satis diu potest differri, sicut in iudiciis sententia post examen causae. Busemb. *ibid.* (*c*).

culum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, Ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.

Scite autem A. addit, *quae haberi queat;* nam ubi agitur v. gr. de dispositione necessaria ad sacramentum poenitentiae, fere de ea vix haberi aliud, quam prudens quoddam ac probabile iudicium potest.

** (*a*) Supplentur ea, quae Gury in titulo paragraphi promittere videtur, sed reipsa omisit.

** (*b*) Explicaturus Lugo (*De Sacram. Disp. 2. n. 99.*), quomodo in Sacerdotis ordinatione moralis coniunctio habeatur inter formam et primam impositionem manuum, quae fit nullam proferendo formam, sic de hac re disserit: *Non ita distat manus impositio a formae prolatione, quae postea subsequitur, ut non censeantur habere propinquitatem moralem sufficientem; neque enim debet esse coexistentia physica, ut constat in Diaconis, quibus dicitur forma omnibus simul, et postea successive tangunt librum; quare si ordinarentur simul centum Diaconi, procul dubio esset magna distantia physica inter prolationem formae et contactum libri respectu ultimi; sed tamen est sufficiens praesentia moralis, quia eadem actio moraliter continuatur absque interruptione morali. Sic etiam postquam imponuntur manus Sacerdotibus, usque ad illa verba* Accipe potest tem etc., *eadem actio moralis continuatur, ungendo illos, et praeparando, ut magis congrue recipiant gratiam Sancti Spiritus. Postea vero explicatur magis materia et apponitur alia pars eiusdem materiae simul cum forma: quare distantia illa, quaecumque illa sit, non tam est inter materiam et formam, quam inter partem et partem materiae, quas certe non oportet sibi coexistere physice... Quare cum de creando Sacerdote agitur, tota illa actio, qua illi insignia, vestes, instrumenta, et alia solemniter dantur, censentur esse una et eadem actio, sicut coronatio Pontificis vel Regis longo tempore protrahitur, et in plures actiones divisa, variisque solemnitatibus interrupta, eadem tamen actio reputatur.*

** (*c*) Addit hoc loco S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 9.*): *In hoc Sacramento talis distantia non tanta esse debet, quanta fit in iudicio forensi.* Quae verba, si mere indicarent, necessarium non esse, ut absolutio tamdiu dif-

3° In matrimonio unius consensus potest alterius consensum tamdiu sequi, quamdiu hic moraliter *permanere censetur, sicut in aliis contractibus.* Busemb. *ibid.*

II. *De mutatione materiae et formae.*

198. — Duplex datur mutatio tum in materia tum in forma, scilicet *substantialis* et *accidentalis.*

Mutatio substantialis erit in materia, si iuxta hominum usum et aestimationem haec eadem dici non possit, ac ea quae a Christo determinata est; in forma vero, si sensus verborum a Christo in-

feratur, quantum differri interdum solent sententiae iudicum in causa forensi, communissimam et certam doctrinam exprimerent. At enim S. Doctor subdit: *Dicit autem Croix Lib. 6. n. 8. cum Tamburini, quod valide absolvitur poenitens post horam a confessione.* Ex quibus quasi colligeres, ex mente S. Doctoris non servari debitam inter materiam ac formam coniunctionem, si dilatio intercedat, qualis in iudicio forensi interdum accidit. Et cum hic agatur de ea coniunctione inter duas illas sacramenti partes, quae ad validitatem pertinent, gravis profecto momenti res est. — Discrete igitur intelligenda sunt S. Doctoris verba. Nam alioquin communissima omnium DD. sententia est, quam sic exprimit Reiffenstuel (*Tr. 4. Dist. 1. Q. 2. n. 29.*): *In Sacramento Poenitentiae multo maior distantia admitti potest inter accusationem poenitentis et absolutionem sacerdotis; siquidem hoc sacramentum peragitur per modum iudicii: in iudicio autem accusatio praesupponitur absolutioni, nec requiritur, ut sententia iudicis cum accusatione ipsius rei sit tempore coniuncta.* Qua quidem ratione dum DD. universi utuntur, nempe quod hoc sacramentum peragitur per modum iudicii, reperire tamen non est ullum vestigium illius limitationis, quam S. Alphonsus insinuat. Imo Salmanticenses (*Tr. 1. Cap. 4. n. 20. et 28.*) concedunt, quin et contendunt, servari apte coniunctionem seu coexistentiam moralem, si confessus una die absolvatur altera die. Coninck vero (*Ad Q. 60. art. 6. n. 41.*) scribit: *In Confessione posset absolutio satis diu differri; sicut in iudicio absolutio aut condemnatio solet saepe diu sequi causae examen.* Et Henriquez (*Lib. 1. Cap. 9. n. 11.*): *In Sacramento Poenitentiae, quia iudicium est, satis dicitur praesens materia, quae est actus humanus, quamvis confessio peccatorum praecedat multis diebus ante formam.* Quocirca Roncaglia lectorem remittit ad ea, quae de differenda poenitentibus absolutione communiter a DD. traduntur. Sic enim ille (*Tr. 16. C. 3. Q. 2. Resp. 2.*): *Quia vero Poenitentia instituta est per modum iudicii, in quo non est necesse, sententiam esse omnino simul cum confessione criminis, hinc est, absolutionem differri posse post auditam confessionem, ut suo loco dicetur.* Et reipsa quamcumque demum dilationem absolutionis fingas, satis semper coniunctae binae Sacramenti partes censendae erunt, quoties moraliter intelligatur illud unum iudicium peragi. Ita bene Suarez (*In 3. Part. Tom. 3. Disp. 2. Sect. 2.*): *In eo sacramento sufficit ea simultas, quae moraliter satis sit, ut idem iudicium peragi et per sententiam confirmari intelligatur.*

Illud vero, quod ex Tamburini refert Croix (*Lib. 6. P. 1. n. 8.*), nihil est. Tamburini enim (*De Sacr. Lib. 1. C. 1. §. 1. n. 6.*) mere vult indicare discrimen, quod circa coniunctionem materiae et formae habetur, si de Sacramento Poenitentiae agatur, et de Extrema Unctione. Duobus scilicet casibus propositis, dicit intercapedinem unius horae nihil obstare in Sacramento Poenitentiae, obstare autem, si de Extrema Unctione agatur.

tentus in alium mutetur. Mutatio autem accidentalis dicitur, quae versatur tantum circa rei qualitates, aut quae verborum sensum non mutat. — *S. Lig. n. 11.*

199. **Principia.** — I. Omnis mutatio *substantialis* in materia et forma Sacramenti invalidat Sacramentum, quia non est amplius ritus a Christo institutus; et si voluntaria sit, peccatum grave constituit, quia auctori ritus gravem infert iniuriam.

II. Nulla mutatio *accidentalis* in materia et forma Sacramentum invalidat; peccatum tamen grave aut leve inducit, prout est, vel non est notabilis.

Forma Sacramentorum mutari potest multis modis, scilicet, subtractione syllabae vel verborum, additione, variatione idiomatis aut vocum, transpositione verborum, corruptione eorumdem, v. gr. litteras mutando, et interruptione. Haec sequentibus versiculis exhibentur:

Nil formae demas, nil ponas, nil variabis;
Transmutare cave, corrumpere verba, morari.

Mutatio autem multo facilius erit substantialis in principio quam in fine verborum, quia facilius pro audientibus sensus mutabitur, v. gr. in nomine *matris* pro *patris*. In praxi praesertim a praecipitatione caveas.

III. *De iteratione Sacramentorum in dubio de valida applicatione materiae et formae.*

200. — Triplex regula statuenda est:

I. Sacramenta iterari *possunt,* quoties datur dubium prudens de ipsorum valore. Ratio est, quia si forte Sacramentum non valeret, qui ad illud suscipiendum accedunt, eius fructu privarentur. Quod vero timor prudens tanti incommodi ratio sufficiens sit cur Sacramentum iteretur, patet ex notissimo axiomate: *Sacramenta propter homines.*

II. Sacramenta generatim iterari *non possunt* sine peccato gravi, quando non adsit dubium prudens de eorum valore. Ratio est, quia sine causa iterarentur, atque adeo gravis iniuria illis irrogaretur.

III. Sacramenta repeti *debent,* quoties exorto prudenti dubio de eorum valore id postulant charitas, iustitia et religio, quoties nempe nullitas Sacramenti, si forte adesset, in damnum proximi et aliquando in contemptum vel irreverentiam Religionis cederet. Sed conditionate tantum tunc repetenda sunt, ut reverentiae Sacramenti consulatur. — *Voit, n. 29. et seq.* — *Vide S. Lig. n. 27. et seq.*

201. **Resolves.** — Facilius iteranda sunt Sacramenta magis necessaria, et quae semel tantum conferuntur, scilicet Baptismus et Ordo, etiamsi pro valore sacramenti militet multo maior probabilitas contra rationes dubie aut tenuiter probabiles in oppositum. — *Ita communiter.*

2° Repetenda est absolutio cum poenitente peccati mortalis reo, si prudenter dubitetur de prolatione debitae formae. Si autem poenitens non sit in statu peccati mortalis (*a*), formam repetere necesse non erit, cum ei Communio permitti etiam sine absolutione possit.

3° Minister qui leviter dubitat, nescitque, cur timeat, aut solum non recordatur reflexe, se verba formae pronuntiasse, mortaliter *per se* peccat, si formam iteret, aut etiam verbum unum ter aut quater repetat. Ratio est, quia mutat formam, inducitque novum ritum circa actionem omnium gravissimam. Insuper Christum, quem repraesentat, ridicule loquentem exhibet. In praxi tamen scrupulosi, qui formam repetunt, plerumque a peccato mortali, imo saepe etiam a veniali excusantur, quia nimis agitati scrupulis, ex perplexitate, vel sine advertentia, ita stulte agunt. — *Ita Voit, n. 27. — Elbel, n. 14. — Gobat, tract. 3. n. 94.*, etc.

4° Si in Missa post consecrationem dubium tibi oriatur de formae debita prolatione, vel de totali omissione, nihil repetere debes, nec potes, cum alias haec omittere non soleas: iudicandum enim est ex communiter contingentibus, nisi tamen valde probabiliter dubites, ut loquitur Rubrica. — *Vide S. Lig. n. 224.*

CAPUT III.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM

Minister Sacramentorum est ille, qui nomine Christi, cuius vices gerit, actionem sacramentalem peragit.

Agendum 1° de requisitis in Ministro ad Sacramenta conferenda; 2° de officio Ministri in Sacramentorum administratione.

ARTICULUS I.

DE REQUISITIS AD SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONEM SEU DE ATTENTIONE, INTENTIONE, FIDE ET PROBITATE MINISTRI

§. I. *De attentione ministri.*

202. — Definitio. Attentio est applicatio mentis ad ea, quae peraguntur, seu est actus intellectus, quo homo considerat id quod agit.

** (*a*) Melius forte dixeris: *Si poenitens non attulerit materiam necessariam;* nam contingere utique potest, ut quispiam sit in statu gratiae, et tamen materiam habeat necessario clavibus subiiciendam, v. gr. gravem culpam in praecedenti confessione omissam ex oblivione, quae tunc remissa equidem indirecte fuerat, sed nihilominus absolutione adhuc indiget.

Divisio. Attentio duplex distinguitur: alia *interna,* quae consistit in advertentia ipsa mentis ad id quod agitur; alia *externa,* quae excludit omnem actionem cum attentione interna physice incompossibilem. — *Vide dicta supra n. 91; et t. 1. num. 344.*

Principia. — I. Ad validitatem collationis Sacramentorum non requiritur alia attentio, nisi quae in omni actu vere humano invenitur. Possunt igitur valide ministrari Sacramenta etiam a Ministro distracto, seu de aliis negotiis simul cogitante. Ratio est, quia ut actus sit et censeatur humanus, non actualis attentio, sed processio ipsius ab actu rationalis voluntatis inspicitur. Insuper attentio saepe a voluntate hominis non pendet; Christus autem conditionem aliquando impossibilem in Ministro Sacramentorum requirere non potuit. — *Ita S. Lig. n. 11., et alii communiter.*

II. Ad licitam collationem Sacramentorum requiritur attentio, ut absit omnis voluntaria distractio. Ratio est, quia reverentia Sacramento debita exigit, ut diligenter tractetur, errandique vitetur periculum. Voluntaria tamen distractio iuxta communem Theologorum sententiam ordinarie peccatum veniale non excedit, nisi periculo graviter in forma errandi quis se exponat. — *S. Lig. ibid.*

Excipiunt *probabilius,* et *communius* Eucharistiam, in cuius confectione omnem voluntariam distractionem ob maximam Sacramenti dignitatem peccatum mortale reputant. — *S. Lig. ibid.* — Negant tamen non *improbabiliter Lacroix, lib. 6. part. 2. n. 443. — Mazzotta et alii.*

§. II. *De intentione Ministri.*

203. — Definitio. Intentio est actus voluntatis in aliquem finem tendentis, vel actus voluntatis, quo quis intendit aliquid agere aut omittere.

Divisio. Multiplex est, scilicet 1° *actualis, virtualis, habitualis,* et *interpretativa;* 2° *interna* seu *vera,* vel *externa* quae solum actum externum respicit; 3° *determinata,* vel *indeterminata* seu in confuso; 4° *absoluta,* vel *conditionata.* Recole definitiones passim datas, v. gr. in *Tract. de Act. hum.* ubi de voluntario, *tom. 1. n. 5.*

Principia. — I. Ad validitatem Sacramenti requiritur in Ministro voluntas aliqua *vera* et *seria* saltem faciendi id, quod facit Ecclesia. — Constat ex *Conc. Trid. sess. 7. Can. 11.*

II. Non requiritur tamen intentio *actualis,* sed sufficit *virtualis.* Ratio est, quia intentio actualis, etsi optima et desideranda, est interdum moraliter impossibilis; virtualis vero satis influit in actionem Ministri, ut haec vere humana et deliberata dici possit. — *Ita omnes.*

III. Non sufficit intentio *habitualis,* nec *interpretativa.* Ratio est, quia ad actum humanum requiritur voluntas aliqua, vi cuius actus ponatur. Iam vero nec intentio habitualis, nec interpretativa est hu-

iusmodi: non 1ª, quia nec actu a voluntate elicitur, nec quamvis aliquando elicita, in aliquo effectu vel in serie actionum perdurat; non 2°, quia nec actu elicitur, nec unquam actu elicita fuit, sed tantum eliceretur, si de re agenda mens cogitaret. — *S. Lig. n. 16.*

204. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An requiratur intentio interna?*

Resp. Affirm. quia si Minister solum intenderet actum externum, non haberet veram intentionem faciendi quod facit Ecclesia (*a*). Ecclesia enim intendit ponere ritum sacramentalem: hoc autem non intendit, qui solum ritum externum facere proponit (*b*). — *S. Lig. n. 20.*

Constat etiam ex propositione 28ª ab *Alexandro VIII.* damnata, quae sic sonat: *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo facere quod facit Ecclesia.*

QUAER. 2° *An requiratur in Ministro intentio faciendi quod facit Ecclesia Romana?*

Resp. Neg., dummodo habeat intentionem, saltem implicitam, faciendi id, quod facit vera Ecclesia, etiamsi ex errore putaret suam ecclesiam heterodoxam esse veram Ecclesiam. — *S. Lig. n. 21.*

QUAER. 3° *An requiratur in Ministro intentio conficiendi Sacramentum?*

Resp. Neg. saltem *explicite*, modo haec intentio non excludatur. Sufficit enim ut intendat in genere et *implicite* facere quod Ecclesia facit. — *S. Lig. n. 21., et alii communiter.*

205. — QUAER. 4° *An intentio Ministri debeat esse determinata ad certam materiam et personam?*

Resp. Affirm. Ratio est 1° *quoad materiam*, quia secus remaneret in statu indifferentiae: non potest enim ab eo statu erui, et ad Sacramentum determinari, nisi per ministri intentionem; 2° *quoad personam*, quia effectus Sacramenti nequit applicari in genere, sed alicui subiecto: secus nulla fieret applicatio (*c*).

QUAER. 5° *An validum sit Sacramentum cum intentione conditionata collatum?*

Resp. 1° *Neg.*, si conditio apposita sit de futuro; quia conditio

(*a*) Hoc enimvero negare alius forte poterit; quippe et Ecclesia nihil aliud facit, nisi quod ritum ponit externum, prouti Christus Dominus adhiberi iussit.

(*b*) Neque tamen requiritur, ut minister explicite intendat facere ritum sacramentalem; secus enim si quis aut ignoret aut non credat, per eam actionem ritum perfici sacramentalem, uti v. gr. non credunt protestantes, per consensum matrimonialem sacramentum effici, non conferret sacramentum valide; quod falsum est. Satis ergo esse debet, ut minister confuse facere velit, quod faciunt Christiani.

Propositio autem damnata, quae subiicitur, forte in rem non quadrat. In hac enim non de mero intentionis requisitae defectu agitur, sed de intentione contraria.

(*c*) Debet nimirum pro rei, de qua agitur, natura determinari actionis obiectum seu terminus: nam si v. gr. dixeris, *dono*, non determines autem *quid*, aut *cui*. actum habes omni virtute cassum.

suspendit intentionem Ministri, et proinde impedit ne forma hic et nunc applicetur materiae; nec postea applicari potest, purificata conditione, cum materia et forma iam desierint adesse (*a*).

Resp. 2° *Affirm.*, si conditio sit de praeterito, aut de praesenti, et reipsa haec existat; quia hic et nunc transit intentio conditionata in intentionem absolutam: si autem non purificetur conditio, tunc nulla est intentio, utpote restricta ad conditionem non existentem. — *S. Lig. n. 26., et alii communiter.*

206. — Quaer. 6° *An licita sit collatio Sacramentorum cum intentione conditionata, in dubio utrum valide collata fuerint?*

Resp. 1° Quoad Sacramenta characterem imprimentia, certum est licitam esse. Constat ex *Iure can. Decretal. c. 2. de Bapt.*, ubi indicatur haec forma in dubio de Baptismo collato: *Si nondum baptizatus es, ego te baptizo*, etc.

Resp. 2° Etiam quoad alia Sacramenta licita est, si adsit causa sufficiens conditionem ponendi. Ratio est, quia *Sacramenta sunt propter homines*, et conditionata collatione Sacramenti consulitur, in quantum fieri potest, tum bono eorum, qui Sacramentum accipiunt si forte illius sint capaces, tum etiam reverentiae Sacramenti. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 27. 28.* contra *aliquos.* Certum autem est in extrema necessitate, ubi non adest materia nisi dubia, Ministrum non modo posse, sed et teneri sub gravi Sacramentum ministrare sub conditione. — *S. Lig. n. 29.*

Quaer. 7° *An conditio verbis exprimi debeat?*

Resp. Neg. Ratio est, quia sufficit ad reverentiam Sacramenti si mente concipiatur. — *Ita S. Lig. Hom. apost. tr. 14. n. 3. — Lacroix, n. 83.* etc. Imo iuxta *Gobat, n. 272.* ne opus quidem est conditionem explicite et formaliter in mente habere; sed satis est si habeatur implicite et virtualiter, prouti ille habet, qui vult confessiones audire secundum institutionem Christi vel intentionem Ecclesiae; quia sic quoque reverentia Sacramento debita sufficienter servatur. Apponi tamen ore debet, ubi hoc praescribit Rubrica, ut in Baptismo conditionato, praesertim si publice conferatur, ne scilicet adstantes credant Baptismum absolute iterari. — *S. Lig. Hom. ap. tr. 14. n. 3.* etc. (*b*).

(*a*) Matrimonium tamen instar aliorum omnium contractuum celebrari sub conditione de futuro potest; qua impleta, perficiuntur, non secus ac si ab initio pure ac sine conditione initi fuissent. Neque idcirco timendum est incommodum, de quo Auctor. Cum enim consensus referatur in eventum conditionis, tunc reipsa contractus perficitur, atque adeo tunc fit sacramentum.

** (*b*) Huic responsioni, quae alioquin est S. Doctoris Alphonsi, VV. (*Pag. 928. n. 82.*) apponunt ceu glossam id, quod S. Alphonsus ita habet in XVII ex recentioribus Retractationibus: *An liceat conferre sacramentum sub conditione, absque quod conditio ore exprimatur, Lib. 6. n. 29. affirmatum est cum Tourn., Ronc., Castropal., et aliis communissime. Sed quia non desunt auctores aliqui, ut Gonet, Iuenin, Contens, Serry, etc.,*

§. III. *De fide et probitate Ministri.*

207. **Principia.** — I. Ad valorem Sacramentorum nec fides (*a*) nec probitas, seu status gratiae, in ministro requiritur. Constat 1° ex praxi et perpetua traditione Ecclesiae, quae nunquam baptizatos ab haereticis et improbis rebaptizari voluit. Constat 2° ex definitione Ecclesiae. — *Trid. sess. 7. Can. 12. et Can. 4. de Bapt.*

II. Ad licitam autem Sacramentorum administrationem requiritur in ministro fides et probitas, saltem si is ad Sacramenta conferenda *consecratus* sit, et ea conficiat *solemniter*, id est, cum integro ritu ab Ecclesia praescripto. Graviter igitur peccat, qui in mortali Sacramenta ministrat; minister enim fide destitutus vel improbus irrogat gravem Deo et Christo iniuriam, sancta indigne tractando, et, quantum in se est, contaminando. Insuper cum Minister Sacramentorum repraesentet Christum primarium Ministrum, qui est Sanctus sanctorum, eiusque personam gerat, necesse est, ut et ipse sit sanctus.

208. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An peccet graviter Minister qui confert in mortali Sacramentum, ad quod non est specialiter ordinatus seu consecratus, v. gr. si mulier Baptismum in statu peccati ministret ?*

Resp. Neg. probabiliter, quia obligatio in Ministro habendi sanctitatem non oritur praecise ex ipsa sanctitate Christi et Sacramenti secundum se, sed ex Ministri consecratione in Ordine ad Sacramenta conferenda. — *Billuart, diss. 5. art. 4.* — *S. Thom. 3. p. q. 64. art. 6.; et in 4. Dist. 5. q. 2. art. 2.; et alii multi.*

Affirmant tamen *alii* non pauci; *sic Collet, Lacroix, Lugo*, etc.

---

qui tenent (licet parum probabiliter), valorem Sacramenti non pendere ab intentione ministri, sed tantum ab ipsa collatione Sacramenti serio peracta, tutius est conditionem etiam verbis exprimere.

Resp. 1° Doctissimus P. Haringer (*In Not. ad Lib. 6. n. 29.*) sic S. Doctoris verba explicat: *Verbum* tutius *hic positum nihil aliud significare videtur, quam quod consultius.* Ergo S. Doctor mere praebet consilium; cui consilio nihil obstant verba Gury, qui solum de necessitate conditionem exprimendi quaestionem movet. 2° S. Doctor in verbis supra descriptis videtur innuere, quamquam obscure, doctrinam eorum, qui in celebrem Catharini sententiam iverunt de natura intentionis ad conferenda sacramenta necessariae. Dixi, *obscure;* quia Auctores isti non negabant, immo diserte ad sacramentorum valorem astruebant alicuius in ministro intentionis necessitatem, ut videre licet apud Iuenin (*De Sacram. Dissert. 1. Q. 1. Cap. 2. art. 1.*). At enim, si res ita se habet, iam et illud satis obscurum manet, cur ob singularem istorum opinionem generatim expediat conditionem etiam oretenus expressisse.

(*a*) Fidem hic intellige perfectam seu catholicam. Nam suasio seu notio aliqua, saltem qua minister cognoscat, se ritum exequi christianorum, ad sufficientem intentionem habendam necessaria videtur.

— *S. Lig.* vero, *n. 32.* admittit probabilitatem utriusque sententiae; in affirmativam tamen magis inclinat (*a*).

Quaer. 2° *An peccet graviter Sacerdos (seu Minister consecratus)*

(*a*) *Secunda sententia affirmans* (ait S. Alphonsus) *videtur probabilior.* At enim num usui haec opinio confessariis esse queat, disce ex Doctorum sententiis, quas ex eodem S. Alphonso alibi (*Vol. I. in not. ad n. 152.*) descripsimus.

** Sententiae Doctorum, in hac notula indicatae, quas S. Alphonsus (*in fine moralis systematis*) adoptat et inculcat, sunt huiusmodi: *Nihil debet damnari tamquam peccatum mortale, de quo non habetur evidens ratio, vel manifesta auctoritas Scripturae* (Gabriel Biel). — Et S. Antoninus: *Nisi ad hoc habeatur auctoritas expressa Scripturae aut Canonis Ecclesiae, vel evidens ratio.* — Et S. Raymundus: *Non sis pronus iudicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam Scripturam.* Inde argumentum: S. Alphonsus postquam alias docuerat, probabilem esse utramque sententiam, affirmantem scilicet et negantem adesse in casu gravem culpam, posterius opinando scripsit, affirmantem *videri* probabiliorem. Atqui opinabilis quaedam maior probabilitas non sufficit iuxta S. Doctorem, ut in praxi conscientia gravis peccati iniiciatur. Ergo ista opinio usui confessariis esse non potest.

Obiiciunt VV. (*Pag. 927. Not. 2.*), S. Alphonsum in Opusculo (*Confess. diretto per le genti di campagna*) absolute scripsisse, *sponsos, qui contrahunt in statu peccati, duo sacrilegia patrare, alterum ceu ministros, alterum ceu percipientes indigne sacramentum.*

Resp. Canon est, obscuriora cuiusvis Scriptoris loca explicanda esse per clariora. Porro Opus morale (*Lib. 6. n. 32.*) nos clarissime edocet, quoad alterum sacrilegium S. Doctorem id affirmare *mere opinabiliter*, nec quidpiam immutasse in eo, nec idcirco ab hac sua sententia discessisse, utcumque post editum illud opusculum pluries per viginti annorum decursum Opus morale ediderit. Quod si contendere quis velit, verba illius Opusculi stricto sensu sumenda esse, illud unice concludi poterit, duo ista S. Doctoris loca sibi non cohaerere, et sensa Opusculi esse posthabenda, quippe quae certis eiusdem S. Doctoris principiis repugnant.

Addunt VV. (*l. c.*), S. Alphonsum neganti opinioni extrinsecam tantum probabilitatem tribuisse, forsitan ob auctoritatem S. Thomae, cuius tamen suffragium (aiunt) *non efficit, ut sufficienter sit solida, quippe pro affirmante notabilis excessus et praeponderantia rationis intrinsecae militat.*

Resp. 1° Nego, ex S. Alphonsi mente notabilem istum excessum ac praeponderantiam rationis pro affirmante adesse. Secus enim non ita temperanter et ad modum subdubitantis scripsisset, *videtur probabilior.*

Resp. 2° S. Alphonsus novam ullam rationem equidem non promit; sed, non secus ac alii, rationes quaerit ex intrinseca rei natura. Porro quod ex perspecta rei natura desumi queat *ratio tam evidens,* quae sufficiat ad peccatum mortale certe affirmandum, aut saltem ratio ita convincens, ut solidam probabilitatem demat oppositae opinionis, et nihilominus circa eiusmodi intrinsecam rationem quodammodo caecutiverint S. Thomas, Richardus, Sylvester, Caietanus, Dominicus Soto, Suarez, Laymann, Coninck, Henriquez, Filliuccius, Reginaldus, Sa, Salmanticenses, Dicastillus, Becanus, Valentia, Palaus, Escobar, Sporer, Reiffenstuel, Giribaldi, Roncaglia, Ferraris, Mezger, Illsung, Pettschacher, Babenstuber, Struggl, etc. etc. etc., hoc satis difficile, imo et valde durum videbitur. Proinde quisquis, tot tantisque Doctoribus praeeuntibus, de tanta soliditate rationis a S. Alphonso allatae prorsus addubitet, quin et eam omnino neget, is profecto neque imprudentiae ullius, neque temeritatis redargui iure poterit.

ministrans quidem Sacramentum in mortali, sed non solemniter, v.gr. Baptismum absque caeremoniis in casu necessitatis?

Resp. Controvertitur, ut in quaesito praecedenti, eaedemque pro utraque parte afferuntur auctoritates et rationes. Hinc *probabiliter* dicendum est, eum non peccare graviter, quia licet sit *per se* consecratus ad sacramenta ministranda, non agit tamen ut consecratus seu ex officio, sed tantum ut laicus ex charitate ad succurrendum proximo in necessitate (*a*).

QUAER. 3° *An peccet graviter Minister consecratus et solemniter ministrans in mortali, si urgeat gravis necessitas?*

Resp. Neg. rigorose loquendo, nempe si periculum sit ita urgens, ut actum contritionis elicere per tempus ei non liceat. Sed haec hypothesis generatim neganda est. Porro a mortali excusandus non est Minister, qui conscius gravis culpae casum necessitatis praevidere potest, ut Parochus et alii, qui ex officio Sacramenta ministrare debent, et proinde speciali obligatione in statu gratiae habitualiter permanere tenentur. — *S. Lig. n. 35., et alii communiter.*

209. — QUAER. 4° *An peccet, qui extra missae celebrationem ministrat Eucharistiam in mortali?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia gravem iniuriam irrogat sanctissimae Eucharistiae. Licet enim ipse non agat ut causa efficax in conficiendo Sacramentum, est tamen illius dispensator ad id specialiter consecratus, et obit ministerium, quod immediate sanctificationi animae cooperatur. — *S. Lig. n. 35., et alii communiter. Probabiliter* tamen censent peccare tantum venialiter *Lugo, de Sacramentis, D. 8. n. 155.; Salm. tr. 1. c. 7. n. 11., et alii* (*b*).

** (*a*) Huic Auctoris responsioni, VV. (*Pag. 929. n. 84.*) haec opponunt ex S. Alphonso: *Sententia (probabilior) docet, quod per se loquendo.... Sacerdos ministrans non solemniter, graviter peccat ministrando in mortali. Ratio etc. Lib. 6. n. 32.*

Resp. S. Alphonsus non scripsit absolute, *probabilior,* sed opinando scripsit, *videtur probabilior;* et ibidem expresse de opposita sententia absolute scribit: *Haec sententia est quidem probabilis.* Atqui si, iudice ipso quoque S. Alphonso, probabile est in casu non peccari mortaliter, iam iuxta firmissima eiusdem S. Doctoris principia nefas est poenitentibus iniicere peccati mortalis conscientiam. Nonne ibidem S. Alphonsus refert, quod Concina (quem ipse *rigidissimum* appellat) sententiam, quae gravem culpam negat, *veram* dicit et *communem?* Et Concinae nonne consonant alii, qui haud minus audiunt rigidi, Nat. Alexander, Contenson, Habert, Iuenin, Collet etc.? Caeterum quod, salva S. Doctori debita reverentia, eiusdem in hac quaestione iudicium neque imprudenter neque temere posthaberi possit, iam satis superque in praec. Nota ostensum est.

** (*b*) Oggerunt VV. (*Pag. 929. n. 85.*) verba S. Alphonsi (*Quaest. Reform. n. 62.*): *In priori libro probabilis dicta est sententia negativa. Sed hic eam refutamus.*

Resp. Sententia ergo negativa etiam S. Alphonso probabilis videri potuit. Ergo ratione non caret. Rationes autem, quae S. Doctorem ad mutandam sententiam impulerunt, non erant aliis ignotae; nec tamen permoverunt illos Doctores, quorum longum agmen ipse S. Doctor recenset (et quibus alii plures addi possunt), quominus negativam sententiam aut ab-

QUAER. 5° *An peccent, qui in mortali sive mediate sive immediate tangunt aut deferunt SS. Eucharistiam?*

Resp. Controvertitur. Triplex est sententia probabilis:

I^a^ SENTENTIA *probabilior affirmat* in utroque casu, quia rem sanctissimam seu Corpus Christi indigne tractant. Hanc sententiam valde probabilem vocat *S. Lig. n. 35.*

II^a^ SENTENTIA *negat,* quia nulla hic adest administratio Sacramenti, nec apparet materia tam gravis, ut peccatum mortale inducat. — *Ita Lacroix, n. 101.* — *Salmant., c. 7. n. 1.,* — *Busemb. et S. Lig.* dicit hoc non esse improbabile.

III^a^ SENTENTIA sic *distinguit:* Peccant quidem graviter tangentes *immediate* sanctissimam Eucharistiam in mortali, non vero tangentes *mediate.* Ratio repetitur ex gradu valde diverso irreverentiae inter primum casum et secundum (*a*). — *Ita Billuart.*

210. — QUAER. 6° *An peccent graviter exercentes in mortali alias functiones sacras?*

Resp. Neg.; quia omnia alia exercitia Ordinum praeter confectionem et administrationem Sacramentorum non videntur sub gravi exigere sanctitatem, cum non sint proxime ordinata ad animae sanctificationem. — *Ita communiter et probabilius.* — *Salm.* — *Mazzotta,* et hoc sat probabile dicit *S. Lig. n. 37.*

QUAER. 7° *An teneatur Minister confiteri ante confectionem sacramenti, si reus sit peccatis mortalis?*

Resp. 1° *Affirm.* si agatur de Missae celebratione, et ipsi copia Confessarii non desit; quia omnes fideles communicaturi confessionem praemittere debent *ex Decr. Conc. Trid. sess. 13. cap. 7.*

Resp. 2° *Neg.* vero *probabilius,* si agatur de aliis Sacramentis; quia nulla lege ad confessionem obligatur; atque adeo sufficit, ut actum contritionis eliciat (*b*). — *Ita S. Lig. n. 34.* — *Elbel,* — *Lacroix,* — *Lugo,* etc....., contra *quosdam alios.*

211. — QUAER. 8° *An peccet graviter, qui audit confessionem in mortali, sed non absolvit?*

Resp. Neg. probabilius, quia Confessarius audiendo confessionem

solute profiterentur, aut probabilem dicerent; nec negabit quispiam, inter hos etiam gravissimos numerari. Quid igitur demum definias? Recepti adhibeantur canones. Cum itaque gravium Doctorum iudicio, graves pro utraque parte militent rationes, quae ad prudentem moveant assensum, meram utrinque habebimus opinionem. Hoc tamen inter utramque opinionem discrimen eminet, quod altera per iudicium reflexum ad eximendam gravis culpae suspicionem sufficit, altera ad iniiciendam gravis culpae conscientiam non sufficit. Inter eos, qui perpensis utriusque partis rationibus utramque probabilem definiverunt, iuverit addidisse recentiores Babenstuber (*Tr. 8. Part. 1. Disp. 2. art. 4. n. 9.*), Giribaldi (*Tr. 4. De Euch. Cap. 6. Dub. 7. n. 31.*), Reuter (*Part. 4. Tr. 1. n. 27.*), et Struggl (*Tr. 9. Q. 1. art. 3. n. 33.*).

(*a*) At si sua non caret probabilitate opinio Card. De Lugo, de qua in *praec. q. 4.*, incassum haec distinctio adhibetur.

(*b*) Excipe tamen, si ipsi de perfectae contritionis defectu constet.

non conficit Sacramentum. — *S. Lig. n. 36., et alii communiter*, contra *aliquos.*

Quaer. 9° *Quot peccata committat Confessarius plures poenitentes successive in mortali absolvendo?*

Resp. Duplex est sententia. Nam iuxta alios committit tot peccata, quot personas absolvit; ratio, quia singulae absolutiones constituunt tot actiones morales distinctas, totidem iudicia completa, totidemque Sacramenta in statu peccati collata, proindeque totidem peccata. — *Ita S. Lig. n. 30. cum aliis.* — Alii tamen unum putant esse peccatum. — *Ita Salmant. de Censuris, c. 1. n. 182., cum aliis* quos allegant, eamque opinionem probabilem appellat *Lugo de Poenit. D. 16. n. 558* (*a*).

212. — Quaer. 10° *Quot peccata committat, qui in mortali pluribus Eucharistiam ministrat?*

Resp. Probabilius unicum tantum; quia unicam actionem moralem ponit: singulae enim distributiones per modum unius habentur, et unicam administrationem, unumque convivium constituunt (*b*). — *S. Lig. n. 35.*

ARTICULUS II.

DE OFFICIO MINISTRI

1° Quoad obligationem ministrandi Sacramenta; 2° quoad obligationem ea aliquando denegandi; 3° quoad modum illa conferendi.

** (*a*) Animadvertunt VV. (*Pag. 929. n. 86.*), S. Alphonsum (*Quaest. reform. n. 53.*) retractasse, quod antea scripserat, nempe: *Unum committit peccatum..., si Confessarius in mortali successive absolvat plures confitentes;* posterius vero scripsit (*Lib. 5. n. 50. q. 6.*): *Verius Concina.... et alii docent, tot sacrilegia committi, quot absolutiones impertit.*

Resp. Conc. Antec.; Nego Consequentiam. Equidem hunc S. Doctori honorem deferre debemus, ut nunquam putemus, eum inconsulto ac temere aliquid effutivisse. Ergo non sine gravi ratione prius iudicium protulit. Veruntamen cum postea aliud de eadem re emiserit iudicium, iam quaestio est, utrum iudicium sit praeferendum. Potiusquam autem nobismet arbitrandi de hac quaestione munus assumamus, par esse videtur, ut sapientiorum sententiam exquiramus. Porro inspectis sententiis Doctorum, quos et ipse S. Alphonsus refert, reperimus, alios pro priori, alios pro posteriori S. Doctoris iudicio stare. In eadem igitur conditione, atque antea, haec controversia manet, ac porro manere debet; neque enim ullam rationem novam S. Alphonsus prompsit, qua controversiae conditio dici mutata possit. Ergo quae utrique opinioni probabilitas antea favebat, nullatenus periisse dicenda est.

Sed et hic advertendum illud est, quod in Not. ad Q. 4. diximus; nimirum per iudicium reflexum utique priori S. Alphonsi iudicio, ac mitiori uti in praxi tutissime possumus; posteriori autem ac severiori uti ad gravem imponendam obligationem, iuxta principia S. Alphonsi, adhuc fas minime est.

(*b*) Conf. sup. dicta (*n. 209. q. 4.*), ubi duplex de culpae huius gravitate opinio producta fuit.

§. I. *De obligatione ministrandi Sacramenta.*

213. **Principia.** — I. Curam animarum habentes tenentur sub gravi ex iustitia Sacramenta ministrare subditis suis rationabiliter petentibus. Curam enim animarum suscipiendo ad id sese obligaverunt tacito contractu inito cum subditis, a quibus sustentationem aut saltem honorem accipiunt.

Tenentur igitur, si urget commune praeceptum illa suscipiendi, vel si privata petentis necessitas vel utilitas administrationem exigit, v. gr. si petens praevideat aliquod periculum, vel in tentatione versetur, et gratia Sacramenti indigeat, vel si devotionem statui suo convenientem exercere, aut Indulgentiam lucrari velit, etc. — *Scavini.*

II. Alii curam animarum non habentes non tenentur ministrare Sacramenta ex iustitia; aliquando tamen tenentur ex charitate, scilicet in gravi proximi necessitate. — *S. Lig. n. 58.*

214. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quinam censeantur animarum curam habere?*

Resp. Ii omnes, qui ex officio, seu titulo speciali iurisdictionis spiritualis aut delegationis aliquam partem ovilis Christi pascere seu curare debent. Tales igitur sunt Episcopi, Parochi, et quicumque curam subsidiariam animarum habent ex commissione seu munere publico, ut sunt Coadiutores seu Vicarii Parochorum. Item respectu Regularium Praelati seu Superiores proprii. — *S. Lig. n. 58.*

Quaer. 2° *Quaenam Sacramenta in necessitate ministranda sint, etiam cum periculo mortis, sive ab habentibus curam animarum, sive ab aliis?*

Resp. 1° Qui curam animarum non gerunt, *certo* tenentur tantum ad ministranda Sacramenta absolute necessaria ad salutem, Baptismum scilicet et Poenitentiam, vel Extremam Unctionem, quando quis nullo modo confiteri queat. Ratio est, quia non tenentur nisi ex sola charitate ad subveniendum proximo in gravissimo salutis periculo. Sola autem praefata Sacramenta sunt ad salutem necessaria. Ergo, etc. — *Ita communissime Theologi cum S. Lig. n. 58., et lib. 2. n. 27.*

Resp. 2° Etiam curam animarum gerentes *probabilius* tenentur ad sola praefata Sacramenta cum quovis periculo ministranda. Ratio est, quia alia Sacramenta non sunt tantae necessitatis, ut quis ad illa conferenda cum gravi vitae discrimine teneatur. — *Ita S. Lig. de Eucharistia, n. 233.,* innixus declarationi *Gregorii XIII.* (12 Oct. 1576), et item Declarationi *S. Congr. Concilii* ab eodem Pontifice approbatae. — Veruntamen qui gerunt curam animarum, tenentur vitam exponere non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate, dum alii Ministri in sola necessitate extrema ad id obligantur. — *S. Lig. lib. 2. n. 27. — Lacroix, lib. 3. part. 1. n. 755. et seq.*

215. — Quaer. 3° *An teneatur quis exponere vitam ad ministranda praefata Sacramenta cum probabilitate tantum successus vel necessitatis?*

Resp. Negandum videtur, quia nimis durum est exigere actum adeo heroicum ad proximum adiuvandum, nisi spes adsit moraliter certa sive successus sive necessitatis. Hinc non teneris exponere certo vitam ad aliquem baptizandum, vel absolvendum, si probabiliter perire debes, antequam id adimplere possis, vel probabiliter praesumas, illum esse baptizatum, aut non versari in statu peccati mortalis, aut etiam posse facile sibi subvenire per actum contritionis perfectae. — *Collet, Decal., c. 1., et S. Lig. lib. 2. n. 27.*

216. **Resolves.** — 1° Peccant graviter habentes curam animarum, non tantum si sine ratione ministerium suum denegent, sed etiam si se morosos et difficiles saepe praebeant; quia sic fideles a Sacramentis deterrent, et res eodem recidit, ac si Sacramenta denegarent.

2° Mortale tamen non est, uni vel alteri aut eidem semel vel iterum citra necessitatem petenti Sacramentum Poenitentiae vel Eucharistiae denegare; quia damnum facile reparari potest, nec subditus ideo graviter invitus censetur.

3° Si subditi irrationabiliter petant, nullum est peccatum. Hinc non tenetur parochus quotidie cum scrupuloso vel devotulis tempus terere, cum tam frequens confessio istis non expediat, nec ipsi ius strictum ad absolutionem tam frequentem habeant.

4° Si Parochus idoneos habeat Vicarios, non tenebitur adeo rigorose confessiones subditorum excipere; debet tamen fidelibus ipsum nominatim requirentibus satisfacere, nisi aut impeditus sit, aut poenitentes libenter alium Confessarium sint adituri.

5° Peccant graviter, generatim loquendo, curam gerentes animarum, qui subditorum confessiones excipere nolunt, nisi paucis diebus intra mensem determinatis; quia in causa sunt cur fideles in statu peccati diu remaneant, et a Sacramentis suscipiendis arceantur. — *Vide S. Lig. n. 58., et alibi passim.*

Vide plura, ubi de singulis Sacramentis; et recole dicta de officio Parochorum in *Tractatu de statibus, n. 113. et seqq.*

§. II. *De obligatione denegandi Sacramenta indignis petentibus.*

217. **Principium generale.** — Minister tenetur sub gravi, *per se loquendo,* Sacramenta indignis denegare, quia lex naturalis obligat dispensatorem ad bona Domini fideliter et iuxta eius voluntatem dispensanda; porro voluntas certa Christi est, ut Sacramenta indignis non conferantur, iuxta illud *Matthaei 7. 6: Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

218. **Regulae speciales.** — *Regula* I. Peccatori *publico,* sive

occulte sive publice petenti, denegandum est Sacramentum; quia nulla ratio adest, cur regulae generali exceptio fiat; imo grave scandalum fidelium ex sacramentorum concessione sequeretur. — *S. Thom. p. 3., qu. 80., art. 6.* — *S. Lig. n. 44.*

Regula II. Peccatori *occulto, occulte* petenti, pariter negandum est Sacramentum; quia reverentia erga Sacramentum, et charitas proximi in his adiunctis hoc postulant. — *S. Thom. p. 3., qu. 80., art. 6.* — *S. Lig. n. 50.* — *Salmant.*, etc.

Regula III. Peccatori *vere occulto, publice* petenti, non est denegandum Sacramentum. Ratio deducitur ex incommodis, quae sequerentur ex Sacramenti denegatione; orirentur enim scandala et perturbationes in Ecclesia, et praesertim fideles in suspicionem adducti, ne a Sacramentis prohiberentur, ab ipsis recederent. — *Ita omnes cum S. Thom. p. 3., qu. 80., art. 6.* — *S. Lig. ibid.*

Confirmatur ex *Rituali Romano, de Euch.*, ubi haec leguntur: *Occultos peccatores, si occulte petant et eos non emendatos agnoverit (Minister), repellat; non autem si publice petant, et sine scandalo illos praeterire nequeat.*

219. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quandonam censeatur peccator* PUBLICUS *seu* NOTORIUS, *vel* OCCULTUS; *aut* OCCULTE *petens Sacramentum?*

Resp. 1° Peccator *publicus* ille dicitur, cuius crimen vel pessima vita communiter cognoscitur. Quod si infamia eius nondum venerit in communem notitiam, ita tamen cognoscatur, ut celari amplius non possit, dicitur peccator *notorius* (*a*); si vero absit periculum ne improbitas nota fiat, peccator *occultus* nuncupatur.

Resp. 2° Peccator *occulte petens* dicitur ille, qui reperitur solus cum Ministro vel paucis aliis, quorum merito nulla habeatur ratio, ut sunt pueruli, etc. Secus publice petere censetur.

QUAER. 2° *An sit negandum Sacramentum indigno publice petenti, cuius crimen est notorium quidem, sed nondum publicum?*

Resp. Neg., iuxta sententiam probabiliorem, quia non potest dici adhuc peccator publicus; insuper variis incommodis obnoxia esset denegatio. Imo probabilius non esset denegandum Sacramentum, etiamsi plerique ex praesentibus crimen noverint, quandoquidem non est simpliciter publicum. — *S. Lig. n. 45.* (*b*).

(*a*) Complecti hic A. videtur notorietatem tum *iuris* tum *facti*. Nam si de hac postrema tantum sermo sit, *notorium* a *publico*, et quidem latissima huius vocis acceptione, non differt. *Vid. Reiffens. Lib. 5. Tit. 1. n. 243.* Notorietas vero *iuris* evenire potest sine notorietate *facti;* et tunc non noscitur ut publicus peccator, v. gr. damnatus ob crimen aliquod occultum a secreto S. Inquisitionis tribunali.

** (*b*) Auctor allegat S. Alphonsum; sed reipsa S. Alphonsus de alia disserit hypothesi. Nam Gury de crimine disputat quod sit *notorium; notorium* autem definit, *quod celari amplius non possit.* Contra S. Alphonsus agit de peccatore, *cuius peccatum non sit simpliciter publicum*, et *publicum* (*Lib. 6. n. 44.*) dicit, *cum crimen est notorium.*

Ad quaestionem vero, *an sit negandum sacramentum peccatori, cu-*

220. — QUAER. 3° *An denegandum sit Sacramentum peccatori, quando crimen eius non est publicum ubi petit, publicum tamen est alibi?*

Resp. Neg. saltem *probabilius;* quia ex una parte ministrando ei Sacramenta non adest aliorum scandalum, et ex altera parte si denegaretur, ea nascerentur incommoda atque damna, quae ex denegatione peccatori occulto facta proveniunt. — *S. Lig. n. 46., et alii communius.* — Secus vero dicendum, si notitia illius criminis facile sit in eum locum perventura. — *S. Lig. ibid.*

QUAER. 4° *An liceat simulare administrationem Sacramenti, ne indigno conferatur?*

Resp. Duplicem simulationem distinguunt Theologi: aliam *formalem,* qua Minister directe intendit decipere; aliam vero *materialem,* qua quis non intendit directe decipere, sed ex alio motivo ad simulandum inducitur, v. gr. si gravi metu cogatur, etc.

Dico: Nunquam licet, ne *materialiter* quidem, Sacramentum simulare. Ratio est, quia omnis simulatio est iniuria et irreverentia gravis in Christum, cui illudit Minister abutendo rebus sacris ab ipso institutis. — Constat etiam ex propositione 29ª ab *Innoc. XI.* damnata, quae sic iacet: *Urgens metus gravis est causa Sacramentorum administrationem simulandi.* In hac autem damnatione reprobatur etiam simulatio materialis, cum de ea specialiter in hac propositione agatur. — Constat iterum ex auctoritate *Innocentii III. c. De celebrat. Missae,* ubi dicitur quod ille, qui fraudulenter praesumpserit simulare se consecrare, gravius peccat, quam si celebraret in mortali, quia Deo videtur illudere.

221. — QUAER. 5° *In quo praecise consistat simulatio Sacramenti?*

Resp. Non conveniunt Theologi. Aliqui dicunt, eam consistere in eo generatim, quod suscipientes aut alios in errorem inducere potest. *Probabilius* iuxta communem sententiam consistit in apposi-

ius peccatum non sit simpliciter publicum, sed notum sit plerisque ex praesentibus, non autem omnibus, sic respondet: *Adsunt tres sententiae. Prima cum Coninck* (De Sacram. Q. 80. n. 29.) *affirmat: quia respective ad hos peccatum videtur esse publicum. — Secunda cum Suarez* (In 3. Part. Disp. 67. Sect. 5. Vers. *Dico secundo*) *et Bonac. probabilius negat; quia petens adhuc possidet famam respective ad omnes, qui eius crimen ignorant. — Tertia cum Diana et Croix* (Lib. 6. p. 1. n. 139.) *dicit negandum, si ex praesentibus tantum unus vel alter vir probus ignoret, qui putatur non evulgaturus; et haec est satis probabilis iuxta dicta Lib. 3. n. 973.* Postremam autem hanc resolutionem Croix sumpsit ex Dicastillo (*De Sacram. Tract. 1. Disp. 3. Dub. 12.*), in eaque nihil habetur nisi limitatio quaedam sententiae Suaresii. Caeterum postrema S. Alphonsi verba adhuc evidentius ostendunt quaestionis discrimen a quaestione Gury. Supponitur enim inter paucos praesentes ignorare crimen unus vel alter, qui probus sit, et qui secretum servaturus putetur. Quocirca S. Doctor lectorem remittit ad eum locum, ubi quaeritur, an graviter fama laedatur, si cuiuspiam crimen uni vel alteri viro probo reveletur. Haec autem conditio abs re quaeritur in hypothesi Gury, qui supponit, crimen alioqui celari non posse.

tione ficta formae ad materiam, aut in ficta formae prolatione; seu tunc solum videtur adesse simulatio quando ponitur *ficte* illud, quod *essentialiter* pertinet ad rem, quae simulatur (*a*), ita ut proximus necessario decipiatur. — *Mazzotta, de Ministro in fine.*

222. **Hinc resolves.** — 1° *Gravissime* peccaret Sacerdos, qui in Missa pronuntiaret verba consecratoria super panem et vinum, intentionem consecrandi excludens. Neque bona fide excusari possunt, qui crassa ignorantia laborantes, et in mortali celebrantes, consecrationem simulant, ne sacrilegii rei evadant, etiamsi verba consecrationis omnino omittant.

2° *Graviter* peccaret Confessarius, qui verba absolutionis proferret sine animo absolvendi, etiamsi id ageret ad se facilius expediendum a poenitente *indisposito* et absolutionem instanter petente, aut etiam per gravissimas minas exigente. — Dicunt plures, posse Confessarium in hoc casu dicere: Ego te *non* absolvo... pronuntiando *τὸ non* ita demisse, ut non audiatur a poenitente. Non improbabile hoc iudicat *S. Lig. n. 59.;* sed Confessarius alias voces aut preces potius quam absolutionis formam tunc facile pronuntiare posset; caeterum casus iste fere chimaericus esse videtur.

3° Non simulat autem Sacramentum Poenitentiae Confessarius, qui recitat preces super poenitentem indispositum, ne adstantes advertant, illum sine absolutione dimitti; constat enim apud omnes, quod poenitentes saepe cum sola benedictione dimittuntur, et subinde sine intentione confitendi aut confessionem perficiendi ad sacrum tribunal accedunt. — *S. Lig. n. 59. et alii communiter.*

4° *Graviter* peccat Sacerdos, qui hostiam non consecratam pro consecrata porrigit etiam *scienti et consentienti*, ut evenit quandoque miseris Sacerdotibus cum complice, qui famae servandae gratia ad sacram mensam accedit. Ratio est, quia sic hostia non consecrata exponitur adorationi tum adstantium, tum ipsiusmet etiam *scienter* recipientis cum reverentia externa, quae idololatriam externam et materialem, et proinde quid intrinsece malum constituit. — *S. Lig. n. 61.*

5° Tamen iuxta communem sententiam non peccant saltem graviter, qui metu gravi coacti matrimonium inire simulant. Ratio est, quia cum desit voluntarius consensus, iuxta sententiam nunc certam, quae tenet sponsos esse huius Sacramenti ministros, deest materia et forma, et proinde non est simulatio Sacramenti, sed tantum simulatio contractus. Aliunde error sufficienter adverti posset ex circumstantiis, et sic deceptio necessaria non adesset.

(*a*) Dices clarius: *quando ficte* quidpiam *ponitur, quod pertinet ad essentiam sacramenti.* Haec porro definitio differt a praecedenti, quae multo patet latius; nam induci per aliquam fictionem potest opinio collati sacramenti, etiam quando nulla forma aut materia fuerit apposita.

§. III. *De modo Sacramenta conferendi.*

223. — Non satis est, si minister ea, quae ad materiam et formam spectant, diligenter observet; sed omnes S. Ecclesiae leges circa Sacramentorum administrationem studiose servare debet. Curet, ut omnia graviter, religiose, et cum fidelium aedificatione perficiat. Caveat, ne propter nimiam celeritatem, aut agendi consuetudinem, vel etiam memoriae defectum quidpiam omittat. Tutius erit generatim, si in precibus recitandis Rituale prae oculis habeat.

224. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Utrum de praecepto sit usus Ritualis Romani in administratione Sacramentorum?*

Resp. Affirm. Non semel enim declaravit S. Congr. Rit., *Illos solos libros adhibendos et in illis tantum benedictionibus, quae Rituali Romano sunt conformes, nec alios adhibendos esse, dummodo non constet ab hac S. Congr. fuisse approbatos* (*S. C. Rit.* 7 Aprilis 1832, et 23 Maii 1835. Apud *Gardellini* 4681).

Summopere itaque cavendum est, ne adhibeantur formulae benedictionum, quas non constet a S. Congr. Rit. approbatas fuisse. Valde in eum finem proderit consulere recentem editionem Ritualis romani S. Congr. de Propaganda Fide typis curatam, cum *Supplemento* seu collatione benedictionum novarum, quas Pontifex concessit et approbavit.

225. — Nuperrime vero ad hanc quaest. S. C. Rit. propositam: *Etiamsi Ecclesia Cenomanensis sibi de Breviario, et Missali iterum atque iterum, ut libuerit, providere queat, an istiusmodi facultas extendenda sit ad Pontificale, Caeremoniale Episcoporum, Martyrologium et* Rituale romanum; *ita videlicet ut* praeceptivas *praedictorum librorum regulas*, tolerante *nempe*, permittente *aut etiam* aliter quidpiam statuente *Reverendissimo Episcopo, Canonici aliive Sacerdotes possint* illaesa conscientia infringere, *aut* omittere, *sicque Reverendissimi Episcopi voluntas his casibus sit pro ipsis sufficiens dispensatio? — respondit S. Congregatio:* Negative et amplius *(S. C. Rit. 10. Ianuarii 1852)*.

226. — QUAER. 2° *Quaenam vestes sacrae requirantur ad Sacramentorum administrationem?*

Resp. Secluso casu urgentis necessitatis, *stola* et *superpelliceum* generatim requiruntur. — Dicitur *superpelliceum;* nam utcumque possit multis in locis usus vigere contrarius, *Rochettus non est vestis sacra adhibenda in administratione Sacramentorum, ac proinde ad ea administranda necessario superpelliceo utendum.* — Sic *S. C. Rit. 10. Ian. 1852, in Cenomanensi.*

Stola autem deferri non debet, nisi in Sacramentorum et sacramentalium confectione, et in actu praedicationis, ubi viget consuetudo, necnon in quibusdam aliis functionibus, prout in Rituali romano praescribitur. Usus autem stolam deferendi ceu signum

iurisdictionis et praeeminentiae, tanquam abusus reprobatur. — Sic *Sacra Congr. Rituum 10 Septembr. 1816, 11 Septembr. 1847, et 7 Septembr. 1850.*

Plura circa modum administrandi Sacramenta, ubi de singulis in particulari, agetur.

CAPUT IV.

DE SUBIECTO SACRAMENTORUM

227. — Subiectum Sacramenti dicitur ille, qui Sacramentum suscipit, et est capax effectus Sacramenti.

Subiectum Sacramentorum est solus homo *viator;* quia ut ex S. Scriptura et traditione patet, pro solis hominibus viatoribus Sacramenta instituta sunt. Non omnes tamen homines sunt omnium Sacramentorum capaces. Nam nec mulieres Sacramentum Ordinis, nec pueri, ratione nondum utentes, suscipere possunt Sacramenta Poenitentiae et Extremae Unctionis.

Ratio *a priori*, cur solus homo viator sit capax Sacramentorum, est voluntas Christi Domini institutoris Sacramentorum. Ratio autem convenientiae est, quia iuxta ordinem praesentis Providentiae solus homo viator est capax primae gratiae, vel augmenti gratiae; eiusmodi autem non sunt Beati vel animae in purgatorio detentae, quibus iam determinata est mensura gloriae respondens gratiae, quam in vita mortali habuerunt. Multo autem minus capaces sunt gratiae damnati, utpote a Deo iam in aeternum separati. His positis agendum de requisitis tum ad validam, tum ad licitam Sacramentorum receptionem.

ARTICULUS I.

DE REQUISITIS AD VALIDAM SACRAMENTORUM RECEPTIONEM

228. **Principia.** — I. Ad sacramenta valide suscipienda nulla requiritur probitas, nec proprie Fides in subiecto, si Poenitentiae Sacramentum excipias. Constat ex praxi Ecclesiae, quae nunquam permisit iterum baptizari aut ordinari haereticos et improbos homines rite baptizatos et ordinatos. Constat etiam, quoad Fidem, ex definitione expressa *Conc. Trid. sess. 7. Can. 13. de Baptismo.*

II. In infantibus aut perpetuo amentibus nulla requiritur dispositio, nec intentio, ut valide recipiant Sacramenta, quorum sunt capaces, videlicet Baptismum, Confirmationem, Ordinem et Eucharistiam, quae olim ipsis ministrabatur. Constat ex praxi Ecclesiae, et sententia communi, etc....

III. In adultis ad validam Sacramentorum susceptionem aliqua requiritur intentio; quia non est conveniens, ut adultus sanctifice-

tur, nisi velit. Sed pro plerisque Sacramentis sufficit intentio habitualis, etiam quandoque confusa tantum, seu implicita, spectata cuiusque Sacramenti natura; quia collatio Sacramentorum est quaedam donatio et beneficium, ad quod acceptandum sufficit habitualis intentio. Secus vero dicendum est de conferente Sacramentum; quia cum agere debeat modo humano, necesse est, ut intentionem saltem virtualem habeat.

IV. Ad caetera Sacramenta valide suscipienda praeexigitur susceptio Baptismi; proin homo non baptizatus nullatenus est capax aliorum Sacramentorum. Ratio est, quia caetera Sacramenta sunt instituta pro sola Ecclesia; porro per solum Baptismum homines fiunt membra Ecclesiae. Ergo... etc... Sic definivit *Eugenius IV in Decreto pro Armenis.*

229. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An requiratur attentio in subiecto adulto, ut Sacramentum valide suscipiat?*

Resp. Neg. prorsus. Sufficit enim *intentio*, ut iam explicatum est, etiam in Sacramentis, quae requirunt intentionem virtualem; ratio, quia actus humanus non procedit ab *attentione*, sed a voluntate seu ab *intentione.* — Praeterea pleraque Sacramenta, ut dictum est, ne virtualem quidem intentionem requirunt; ergo *a fortiori* attentionem ex parte subiecti non requirunt. Insuper non requiritur attentio in Ministro ad conficiendum Sacramentum, ut constat ex dictis supra *n. 96.;* ergo *a fortiori* non requiritur in subiecto. — *Sporer, n. 157.*

Hinc frustra scrupulis aliquando poenitentes ex eo anguntur, quod distractiones passi fuerint dum absolvebantur, vel quod absoluti fuerint, quin ad id animadverterint.

230. — QUAER. 2° *Quaenam intentio requiratur in adultis pro singulis Sacramentis suscipiendis?*

Resp. 1° Ad Baptismum valide recipiendum in adultis requiritur intentio saltem *habitualis,* quae fuerit antea expressa, et nunquam retractata. Aliqui tamen dicunt sufficere voluntatem Baptismi implicitam, qualis esset in eo, qui haberet voluntatem peragendi omnia ad salutem necessaria. — *Vide S. Alph. n. 81* (*a*).

(*a*) La Croix (*Lib. 6. Part. 1. n. 288.*) *Probabile est* (inquit) *sufficere habitualem* (intentionem) *implicitam, secundum dicta n. 168. Unde probabile est..., sufficere intentionem, qua quis generatim desiderat sibi adhiberi media ad salutem necessaria, quia Christus potuit sic instituere baptismum: et concedit Suarez, sic institutam esse extremam unctionem; baptismus autem est multo magis necessarius ad salutem.* Et rursus (*l. c. n. 168.*): *Sufficit implicita* (intentio) *tantum, contenta in contritione vel attritione; hinc secundum illos* (Doctores nempe, quorum sententiam affert) *posset Iudaeus vel etiam Ethnicus in periculo mortis baptizari, si probabiliter iudicaretur habuisse saltem attritionem, quia in hac includitur votum servandi omnia praecepta, itemque accipiendi omnia media necessaria ad salutem, ideoque etiam suscipiendi baptismum.* Pro qua sententia novem affert Doctores, dum pro opposita quatuor tantum enu-

2° Ad Confirmationem sufficit voluntas *habitualis,* etiam *implicita*, vel, ut dicit *S. Lig.*, *interpretativa.* — Sic conferri potest moribundo sensibus destituto. Hoc tamen a praxi Ecclesiae alienum est, eo quod ad salutem Confirmatio necessaria non sit. — *S. Lig. n. 81.*, etc. (*a*).

3° Ad Poenitentiam requiritur intentio vel *actualis,* vel saltem *virtualis;* nec proinde intentio habitualis sufficit (*b*). — *S. Lig. n. 82.*

4° Ad Extremam Unctionem sufficit intentio *habitualis,* vel im-

merat. Neque praetermitti hic debet, rationes, quas post Suarezium contra obiicit Lugo (*De Sacram. Disp. 9. n. 129. 130.*), non magni revera esse ponderis.

(*a*) S. Alphonsus hoc loco non agit de moribundo sensibus destituto, sed de *dormientibus, ebriis, vel lapsis in amentiam,* qui prius habuerint intentionem sacramenta recipiendi, et quos valide ea recipere docet *cum communissima* DD. sententia. Quod si subdit cum Suarezio, illicite iis sacramenta conferri; excipit tamen, *nisi sint in probabili periculo mortis; alias enim expectandum est tempus, quo suscipiens fiat rationis compos.*

De confirmatione vero haec habet (*n. 82.*): *Ita etiam per voluntatem interpretativam, seu generalem, potest moribundo sensibus destituto conferri sacramentum confirmationis, ut dicunt Lugo, Sporer, Elbel, et Croix cum Con.* (idest *Coninck*, non vero *Conc.*, ut habent quaedam S. Alphonsi editiones: qui enim Croix multo antiquior allegasset *Concinam?!*), *Arriaga, et Bernal.* Solus Aversa fuit, qui (*In part. 3. q. 64. Sect. 9.*) scripsit: *Non est tamen in usu, ut hoc sacramentum praebeatur tali sensibus destituto: quia non confertur nisi ab Episcopo et cum maiori solemnitate, et non est tantae necessitatis, nec per se institutum pro moribundis.* Et putaverim, B. Alphonsum, qui hanc opinionem saltem apud Croix (*Lib. 6. part. 1. n. 169.*) memoratam viderat, ne mentione quidem dignam eam existimasse, tum quia usus contrarium habet, tum quia rationes illae vere nullius momenti sunt.

(*b*) Non sic intelligendus est S. Alphonsus, quasi vel *actualis* vel *virtualis* intentio tunc adesse necessario debeat, quando sacramentum perficitur, idest quando confertur absolutio. Potuit enim quispiam prius sacramentum petiisse, quod tamen multo postea ipsi iam sensibus destituto conferatur. Et siquidem *habitualem* dixeris intentionem, quae semel prius habita, nec in se deinde nec in ullo effectu virtute perseverat, sed tantummodo retractata non fuit, profecto in praedicta hypothesi poteris affirmare, etiam *habitualem* intentionem sufficere.

Verum sententia S. Alphonsi alio reipsa spectat, ut palam facit ratio, quam addit. *Requiritur* (inquit) *intentio vel actualis, vel saltem virtualis, cum ibi requirantur pro materia actus poenitentis, qui non possunt quidem haberi sine voluntate saltem virtuali recipiendi sacramentum... iuxta dicenda n. 447.* Porro hoc loco non agit de intentione necessaria ad recipiendum sacramentum, sed quaestionem facit, *utrum dolor elicitus esse debeat cum intentione Confessionis.* Et ipse quidem adhaeret affirmativae potius sententiae, quam negativae, licet hanc absolute probabiliorem esse fateatur; qua de re suo loco dicetur. Interim vero manifestum est, iuxta posteriorem hanc sententiam posse quempiam ad sacramentum accedere non modo cum virtuali, sed plane cum actuali intentione, quamvis dolorem antea elicitum ad confessionem tunc non ordinaverit. Ex quibus patet, sensum, quo beatus Alphonsus de intentione ad Poenitentiae sacramentum necessaria disputat, nihil spectare ad praesentem de intentione quaestionem.

plicita, seu *interpretativa*, ut dicunt communiter Theologi, et constat ex *Rituali Romano*, ubi de ea dicitur: *Hoc Sacramentum est praebendum sensibus destitutis, qui ante illud petierunt, seu verisimiliter petiissent.* — *S. Lig. ibid.*

5° Ad Ordinem certo in adulto non sufficit intentio *interpretativa*, quia sine voluntate explicita nullus adultus potest gravissimam obligationem status clericalis subire. Sufficere tamen videtur intentio *habitualis*. In praxi autem requiri debet intentio *actualis*, vel saltem *virtualis*. — *S. Lig. n. 82.*

6° Ad Matrimonium requiritur intentio saltem *virtualis*, quia Matrimonium perficitur contractu, ad quem deliberatio et plena voluntas necessaria est. — *S. Lig. ibid.*

ARTICULUS II.

DE REQUISITIS AD LICITAM SACRAMENTORUM RECEPTIONEM

231. **Principia.** — I. Ad *Sacramenta vivorum* licite et fructuose recipienda, praeter intentionem ea suscipiendi praerequiritur status gratiae. Haec enim ex primaria sua institutione a Christo sunt ordinata, non ad conferendam primam gratiam, sed eius augmentum, cum primam gratiam iam in subiecto supponant. Hinc graviter peccant, qui scienter Sacramenta vivorum in statu peccati mortalis suscipiunt, et gravius quidem ac illi, qui indigne ministrant aut conficiunt. — *S. Lig. n. 86.* — Status autem gratiae per confessionem procurandus est, si ad Eucharistiam accedendum sit; vel saltem per contritionem perfectam, si agatur de aliis Sacramentis, ut supra de Ministro dictum est. Satius vero est, quantum fieri potest, etiam aliorum Sacramentorum receptioni confessionem semper praemittere.

II. Ad *Sacramenta mortuorum* ab adultis licite recipienda requiruntur actus saltem impliciti Fidei et Spei, iuxta dicta Apostoli *Hebr. 11. 6: Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Requiritur insuper actus doloris de peccatis, quia nulli datur venia peccatorum sine retractatione aut dolore de peccatis commissis. Haec autem in Sacramento Poenitentiae etiam ad validitatem necessaria sunt, quia ad dispositionem poenitentis pertinent. — *Trid. sess. 14. de Poenit., C. 4.* — Sufficit autem attritio, ut suo loco dicetur. — *S. Lig. n. 86.*

232. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An Sacramenta valide sed illicite suscepta, remoto obice reviviscant, seu gratias sibi proprias producant* (*a*)?

(*a*) Habes hic quaestionem de sacramentis, quae valida habenda sint, sed simul informia. At vero nihil cogit, ut eiusmodi quaestio coarctetur ad eos casus, in quibus homo *illicite ad ipsum sacramentum accedat.* Contingere enim potest, ut vis sacramenti obicem reperiat, quamvis sacramen-

Resp. Affirm. saltem pro plerisque Sacramentis. Ratio est, quia per accidens tantum fit, ut effectus proprios non producant, nempe propter obicem; et proinde effectus illi remanent quidem suspensi, manente obice; hoc tamen remoto, animae applicari debent. Hoc pro Sacramentis characterem imprimentibus uti certum admittitur. Idem *probabiliter* dicendum est etiam de Sacramento Extremae Unctionis ac Matrimonii, quae durante eodem morbo, aut eodem coniugio iterari nequeunt. — *S. Lig. n. 6. et 87.*

Quaer. 2° *Qualis dispositio requiratur in subiecto, ut Sacramentum informe reviviscat?*

Resp. Statuitur communiter haec regula generalis: requiritur ea dispositio quae deerat, et cuius absentia causavit obicem effectui Sacramenti, seu debet praecise poni id, quod necessario in susceptione Sacramenti requirebatur. Unde *per se* sufficit attritio pro reviviscentia Baptismi et Extremae Unctionis (*a*). Requiritur autem contritio perfecta, vel attritio cum confessione pro caeteris Sacramentis, scilicet pro Confirmatione, Ordine et Matrimonio. — Item si informis fuerit Baptismus ob solum Fidei defectum, reviviscet per actum Fidei cum attritione peccati infidelitatis. Ratio est, quia quemadmodum inductus fuit obex propter carentiam alicuius dispositionis requisitae, ita tollitur per eiusdem positionem: nulla enim tunc superest ratio, cur effectus Sacramenti suspensus remaneat. — *Ita S. Thom. 3. part. qu. 69. art. 10. (pro Bapt.). — Lugo, D. 9. n. 50. et seq. — Lacroix, n. 207.*

233. — Quaer. 3° *An sufficiat attritio, ut Baptismus informis reviviscat, si suscipiens alia peccata gravia commiserit?*

Resp. Nego, quia peccata commissa post Baptismum sunt materia necessaria Sacramenti Poenitentiae, et proinde remitti non possunt, nisi per illud Sacramentum, vel per contritionem perfectam cum voto Sacramenti Poenitentiae in ea incluso. — *Lugo, D. 9. n. 55. — Lacroix, n. 207.*

Quaer. 4° — *An liceat petere Sacramentum a ministro indigno?*

Resp. 1° Non licet sine causa, quia sic absque ratione induceretur minister indignus ad graviter peccandum. Hoc autem per se illicitum est, quia charitas exigit, ut impediamus peccatum proxi-

tum bona fide quis suscipiat, v. gr., si ex inadvertentia adultus ad baptismum accedens de actualibus peccatis nullo modo doleat. Imo haec hypothesis necessario exigitur, ut inter eiusmodi sacramenta valida sed informia censeri possit etiam sacramentum *Poenitentiae.* Neque enim valida, atque adeo idonea ad vim suam post remotum obicem exercendam haberi potest absolutio, quae mala fide et sacrilege confitenti impertita fuerit. *Vid. Card. De Lugo De Sacram. Disp. 9. n. 100-102., et De Poenit. Disp. 14. n. 68. 74. 89.*

(*a*) Idem dicendum, uti patet, de sacramento Poenitentiae, si contingat validum fuisse, sed ob defectum doloris de quopiam peccato simul extitisse informe. *Vid. Lugo l. c. in not. praec.*

mi, quod facile impedire possimus. — *S. Lig. n. 89., et alii communiter.*

Resp. 2° Licet autem, si Sacramentum non possit facile peti ab alio Sacerdote, nec possit facile differri eius susceptio; nemo enim cum magno incommodo tenetur e iure suo cedere ad liberum peccatum alterius impediendum. Tunc Sacramentum petens permittit simpliciter peccatum, sed peccati causa non est. — *S. Lig. ibid.* — Causa autem sufficiens foret, v. gr. praeceptum Paschale implendum, vel si quis secus diu in statu peccati mortalis remanere, aut Communione privari deberet, etc.

QUAER. 5° *An liceat petere Sacramentum a ministro excommunicato vel haeretico?*

Resp. Si minister sit excommunicatus *vitandus*, non licet nisi in extrema necessitate; si vero sit *toleratus*, licebit etiam sine gravi causa, quia Conc. Constant. absolute concessit fidelibus, ut cum toleratis communicare possint. — *S. Lig. n. 88.* — *Vide* dicend in *Tractatu de Censuris.*

TRACTATUS

DE BAPTISMO

Agendum 1° de Baptismi natura, proprietatibus et necessitate; 2° de materia et forma; 3° de Ministro; 4° de subiecto et solemnitatibus accessoriis.

CAPUT I.

DE NATURA, PROPRIETATIBUS ET NECESSITATE BAPTISMI

234. — Vox *Baptismus* aut *Baptisma* idem significat ac immersio et lavatio; unde Baptismus dicitur etiam *lavacrum*, quia peccata abstergit.

Baptismus definitur *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Sic *Catech. Romanus;* vel: Est primum novae legis Sacramentum, maximeque necessarium ad spiritualem hominis regenerationem a Christo institutum.

A Baptismo aquae, qui vocatur *fluminis,* distinguitur Baptismus *flaminis* et *sanguinis*, quibus suppleri potest Baptismus *proprie* dictus, si hic sit impossibilis (*a*). Prior est ardens desiderium recipiendi Baptismum aquae cum plena conversione ad Deum, nempe cum contritione aut charitate perfecta (*b*). Posterior est effusio sanguinis, seu mors tolerata pro Fide, aut pro alia virtute christiana. Sed solus Baptismus aquae proprie *Baptismus in re* vocatur. Baptismus flaminis et sanguinis *Baptismi in voto* dicuntur.

235. — Effectus Baptismi tres numerantur potissimi, nempe

(*a*) Necesse prorsus non est, ut baptismus *fluminis* sit *impossibilis.* Nam et ante baptismum *fluminis,* qui alioqui sit possibilis, sed differatur, locum habere baptismus *flaminis* potest.

(*b*) Desiderium hic intelligendum est non *explicitum,* quod praerequireret notionem aliquam *realis baptismi*, sed *implicitum,* et non tam significat proprii nominis cupidinem, quam promptam voluntatem ea omnia praestandi, quae a Deo praecipiantur. Quae prompta voluntas cum necessario contineatur in actu perfectae contritionis seu charitatis; proinde baptismus iste *flaminis* reipsa consistit in conversione ad Deum per contritionem seu charitatem, quae votum seu propositum aut implicitum aut explicitum continebit suscipiendi baptismum aquae, prouti huius baptismi notio adest vel non adest praesens menti illius, qui sic ad Deum convertitur.

1° remissio peccati originalis et peccatorum actualium, si quae sint, per gratiae sanctificantis infusionem; 2° remissio totalis poenae aeternae et temporalis peccatis debitae; 3° impressio characteris, quo baptizatus signatur filius Dei et coheres Christi, et redditur incapax Baptismi denuo suscipiendi. Constat quoad 1um ex *Trid. sess. 5.* in Decreto de peccato originali; quoad 2um ex *Trid. ibid.* et ex *Concil. Florent.* in Decreto pro Armenis; quoad 3um, ex *Conc. Florent. ibid.*, et ex *Trid. sess. 7. de Baptismo.*

Baptismus igitur est velut ianua Ecclesiae et regni caelorum. Hinc si quis non fuerit valide baptizatus, nullum aliud Sacramentum valide recipere potest.

Baptismus aquae in re vel in voto (*a*) ex divina institutione est omnino necessarius ad salutem necessitate medii. Constat ex verbis Christi, *Ioann. 3. 5: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* — Et ex *Trident. sess. 7. Can. 5.* de Baptismo: *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.*

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI

ARTICULUS I.

DE MATERIA TUM REMOTA TUM PROXIMA BAPTISMI

§. I. *De materia remota Baptismi.*

236. **Principia.** — I. Materia valida Baptismi est sola aqua naturalis, seu elementaris, apta ad abluendum. Est de Fide. Constat 1° ex verbis Christi, *Ioann. 3. 5: Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc. — Constat 2° ex Conciliis, praesertim ex *Concil. Florent.* in Decreto *pro Armenis*, et ex *Trid. sess. 7. Can. 2.*, de Baptismo: *Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

II. Materia licita Baptismi, extra casum necessitatis, est sola aqua benedicta seu consecrata, et chrismate immixta iuxta ritum Ecclesiae, saltem pro Baptismo solemni. Constat ex Iure can. *(Vide infra, de caeremoniis Baptismi).* Certo autem peccat graviter peccato sacrilegii, qui absque gravi necessitate utitur aqua impura, turbida, aut faeculenta, licet haec materia sit valida. — *S. Lig. n. 102.*, etc.

(*a*) Iuxta dicta in not. praec. intellige, in voto vel *explicito* vel *implicito*.

III. In periculo mortis, si non possit haberi materia certo valida, debet adhiberi dubia sub hac conditione: *Si haec materia sit sufficiens...* Tunc autem sufficit etiam tenuis probabilitas de valore materiae, quia in necessitate proximo succurrendum est meliori, quo fieri possit, modo. Si vero sic baptizatus supervixerit, habita copia materiae certo validae iterum baptizari debet sub hac conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, etc. — *Communis*.

237. **Resolves.** — 1° Materia valida est 1° aqua fontium, puteorum, fluminis, maris, stagnorum, paludum, lacuum, cisternarum; 2° aqua resoluta ex glacie, nive vel grandine, quia servat eamdem substantiam, licet accidentaliter immutata sit quoad colorem, saporem aut odorem; 3° aqua sulphurea, vel mineralis, aqua collecta ex vapore, rore, vel effluens tempore nimboso ex pariete, foliis, etc.; 4° aqua turbida, mixta cum alia substantia, modo aqua sit materia vere et certe praedominans, ita ut iuxta usum aut aestimationem hominum adhuc aqua dici possit. — *S. Lig. n. 103. — Elbel, n. 8., et alii communiter.*

2° Materia invalida est 1° lac, sanguis, lacrymae, sudor, saliva, sputum, urina; 2° vinum, oleum, cerevisia, ius densum ex adipe, etc.; 3° lutum, atramentum; 4° nix, glacies, pruina, et alia similia nondum resoluta, quia in hoc statu non sunt aqua naturalis (*a*).

3° Materia dubia est 1° iusculum valde tenue, lixivium, cerevisia tenuis, aqua ex sale soluto; *ita communiter* cum *S. Lig. n. 103.*; 2° humor fluens e vite, aliisque plantis. — *S. Lig. n. 104.*

§. II. *De materia proxima Baptismi.*

238. — Materia proxima Baptismi est ablutio, quae tribus modis fieri potest, scilicet *immersione, aspersione* et *infusione*, iuxta praxim diversarum Ecclesiarum, ita ut morali hominum iudicio baptizatus censeatur esse lotus. Constat ex verbis formae, et perpetua praxi Ecclesiae, necnon ex Paulo *Ephes. 5. 26: Mundans lavacro aquae in verbo vitae.*

239. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An possit valide baptizari puer in utero matris?*

Resp. Affirm. probabilius, si puer in utero attingatur aqua aliquo mediante instrumento; quia cum infans existat iam homo viator, valide potest baptizari. Nec obstat, quod puer adhuc involutus sit in secundina, quia haec censetur veluti pars infantis. Sub conditione tamen baptizandus est, quia non constat certo, utrum ba-

** (*a*) Melius, ut advertunt VV. (*Pag. 929. n. 87.*), S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 104.*): *Dubitatur 4. an glacies sive nix non soluta sit materia apta. Negant pariter Conc. et Croix* (*Lib. 6. P. 1. n. 262.*) *cum Tannero; sed dubitat Aversa apud Croix, et Hurtad., Praeposit., ac Puteanus apud Renzi; ideo dicunt, posse in necessitate adhiberi sub conditione.*

ptismus hac ratione collatus sit validus. Proinde si puer nascatur, iterum sub conditione baptizandus est. — *S. Lig. n. 107.* Recentius autem medicorum peritia aliam methodum invexit, qua certius puer nondum in lucem editus baptizari potest. Inventum nimirum est instrumentum, quo secundina discinditur; et sic aqua, alio instrumento adhibito, ad ipsum foetus corpus immediate tangendum pervenire potest (*a*).

(*a*) Confer. dicta *Vol. I. in not. ad n. 401.* ubi de abortu.

** Hic tamen satisfaciendum est dubio, quod ad hunc locum movent VV. (*Pag. 929. in Not.*): *Cum S. Alphonsus* (inquiunt) *validitatem baptismi puero collati in utero matris existenti, solum satis probabilem dicat, fallitur utique P. Ballerini in Not. ad n. 401. Tom. 1., dum ait, Nos iuxta ea, quae S. Alphonsus Lib. 6. n. 107. post Benedictum XIV disserit, de validitate baptismi infantibus utero clausis sic collati, prorsus certos esse posse.*

Resp. Illud supererat, ut VV. rationem redderent illius vocis, FALLITUR. Recte equidem ita scripsissent, si in P. B. Nota diceretur, validitatem baptismi sic collati tum a S. Alphonso, tum a Benedicto XIV. uti certam tradi. Verum nulla ibi assertio eiusmodi cernitur; sed mere dicitur, *nos posse certos esse* iuxta ea, quae S. Alphonsus post Benedictum XIV. disserit. Ecce autem facilis et obvia huius affirmationis ratio. Nam quominus de huius baptismi validitate certi esse possemus, duo maxime obstabant: alterum, quod *renasci non possit, qui nondum natus est;* alterum, *quod infans in utero ablui non possit,* uti obiiciebat S. Thomas. Atqui primam difficultatem tam luculenter iam solvit et S. Doctor Alphonsus, ut eam penitus eliserit. Cui responso iuverit addidisse alteram hanc rationem (*apud Comitol. Lib. 1. Q. 3. n. 1.*): *Si non est Sacramentum, ideo non est, quia necessaria est nativitas ex utero: at hanc non esse necessariam necessitate essentiali, hinc liquet: quia puer mortuae matris utero conclusus, dissecta matre baptizatur: qui puer non potest dici proprie natus.* Et illustre exemplum prostat in S. Raymundo, cui propterea cognomen NONNATI inditum est. Quoad alteram vero difficultatem, sin minus certa res videri potuit S. Doctori, qui puerum rite in utero posse ablui mere innuit, dumtaxat allegato Benedicti XIV. post Comitolum testimonio; at ea de re modo dubitari amplius non potest. Hinc vero argumentum, quod et Comitolus (*l. c.*) sic refert: *Ubi nihil essentiale deest Baptismo, illic necesse est, esse Baptismum verum, cum quatuor essentialia in Baptismo spectentur, materia, forma, minister cum intentione Ecclesiae, et humanum suppositum recipiens Sacramentum: hic reperiuntur ista quatuor: ergo de Baptismo dubitari non potest.*

At enim, inquies, cur S. Alphonsus hanc sententiam mere dixit *satis probabilem?* Resp. Liceat coniicere, S. Doctorem ita iudicium suum temperasse, propterea quod non satis certum ipsi visum id fuerit, quod de necessaria ablutione ferebatur. Exinde (*l. c.*) recurrit etiam *ad doctrinam Sylvestri, et Vasquez, qui dicunt, infantem involutum in secundina valide baptizari;* idque subdit a Laymann censeri probabile. Et ex his patet, quomodo status controversiae, tam dilucide a S. Alphonso pertractatae, nobis viam straverit, ut quod ipsi solum probabile videri potuit, nunc iam certo possit constare.

Et ex his concluditur, utique in statu controversiae, prout eam S. Alphonsus agitat, locum relinqui aliis quaestionibus circa pericula, quae matri subeunda videantur, quo saluti aeternae prolis consulatur. At non inde inferri itidem potest, idipsum habere locum, quando diversa evasit controversiae conditio.

QUAER. 2° *An valeat Baptismus, si aqua tantum tangat vestes aut crines baptizandi?*

Resp. 1° Si aqua tangat tantum vestes, *certo* invalidus est Baptismus; quia sic nemo dixerit, hominem ablui; 2° *probabilius* autem validus est, si aqua crines tangat. Sed in praxi tutior pars sequenda est. — *S. Lig. n. 107. q. 3.* — Hinc si baptizandus sit capillatus, vel digitis sinistrae manus caesariem eius discriminet Sacerdos, dum dextera aquam infundit, vel in fronte eum baptizet. — *Scav.*

QUAER. 3° *An valeat Baptismus collatus in alia parte, quam in capite?*

Resp. Affirm. probabilius, praesertim si Baptismus in parte aliqua principaliori conferatur, v. gr., in pectore, scapulis, etc... Attamen si necessitas ad id compulerit, postea, si fieri possit, iterandus sub conditione Baptismus foret. — *S. Lig. ibid. q. 4.*

240. — QUAER. 4° *An una vel altera gutta aquae ad baptizandum sufficiat?*

Resp. Neg. probabilius, praesertim si aqua non fluat, quia nequit dici ablutio, quae ad Baptismum omnino requiritur. — *Ita communiter.* Attamen videtur esse materia dubia, quae in casu necessitatis foret adhibenda. — *S. Lig. n. 107. q. 6.* — *Elbel, n. 16.* Dicunt autem communiter, materiam tunc esse certam, si baptizans motu digiti madefacti partem corporis ablueret. — *S. Lig. ibid.*

QUAER. 5° *An trina ablutio ad Baptismum requiratur?*

Resp. 1° Certo non requiritur ad validitatem; unica enim sufficit, ut quis censeatur vere ablutus. — *Ita omnes* cum *S. Thom. part. 3. quaest. 66. art. 8.*

Resp. 2° Requiritur autem ad liceitatem, et quidem sub gravi, ubi praescribitur haec trina aquae effusio, ut in *Rituali Romano.* Haec tamen de Baptismo solemni intelligenda videntur.

ARTICULUS II.

DE FORMA BAPTISMI

241. — Forma Baptismi est: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Sic definivit *Conc. Trid.* iuxta illud *Matth. 28. 19: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Apud Graecos autem dicitur: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris,* etc. Vel: *Baptizatur servus Christi,* etc. Haec forma est valida ex instructione *Eugenii IV ad Armenos;* sed in sola Ecclesia Graeca licita est.

Plures Theologi, inter quos *S. Alphonsus,* censent, veniale esse omissionem vocis *Amen* in fine formae Baptismi, quae tamen vox non reperitur in Rit. Rom. Quaeritur ergo utrum adhibenda sit, vel omittenda? Resp. S. C. Rit.: *Strictim in casu servetur Rituale Romanum* (9 Iunii 1853. *Cochinchinae*).

Multipliciter haec forma vitiari potest, sive accidentaliter, sive substantialiter, ut supra dictum est *in Tract. de Sacramentis in genere, n. 198.*

Omissio verbi *ego* non pertinet ad essentiam formae, nec excederet peccatum veniale. — *S. Lig. n. 111.* — Idem dicendum videtur, saltem *probabilius,* de omissione coniunctionis *et*, praesertim si semel tantum omittatur, et ante tertiam personam praeponatur. Idem etiam *probabilius* de verbo *in*, licet plures graves Theologi contradicant. Caetera autem verba omnino ad validitatem requiruntur.

242. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An valida sit forma Baptismi, si dicatur: Ego te baptizo in nomine* Sanctissimae Trinitatis, *vel in nomine* Christi?

Resp. ad 1um *Neg.*, saltem *probabilius,* quia in tali forma non sat distincte exprimuntur singulae personae Sanctae Trinitatis; siquidem vox *Trinitas* tantum *confuse* et *implicite* personas significat; Christus autem voluit ut *distincte* exprimerentur, prout patet ex *Matth. c. ultimo.* — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 111.*

Resp. ad 2um *Neg.*, saltem *a fortiori,* quia nullatenus exprimitur Trinitas per τὸ *in nomine Christi.* — *Ita omnes* saltem nunc post *S. Thomam, 3. part. qu. 66. art. 6.* et constat ex Iure can. in c. *Si revera, 30.* de Consecrat. *Dist. 4.* — *S. Lig. n. 112.*

Quaer. 2° *An valeat Baptismus, si formae consuetae addatur:* et in nomine beatae Mariae Virginis?

Resp. Distinguendum est: Non valet, si quis hoc faciens intendat Baptismum conferre in nomine beatae Virginis, tribuendo scilicet talibus nominibus veram efficaciam in Baptismi valorem. — Secus vero, si id faciat ex importuna devotione. — *S. Lig. n. 111.*

CAPUT III.

DE MINISTRO BAPTISMI

Minister Baptismi alius est *ordinarius,* et alius *extraordinarius.* Iterum Minister extraordinarius est duplex: nempe Minister *solemnitatis* et *necessitatis.*

243. **Principia.** — I. Omnis et solus Sacerdos vi suae ordinationis est minister *ordinarius* Baptismi. Constat ex variis locis Iuris can. et *ex Conc. Florent. in Decreto unionis,* necnon ex universali Ecclesiae praxi.

II. Diaconus est Minister *extraordinarius* et *solemnitatis,* id est valens *solemniter* baptizare, sed tantum ex delegatione, et de gravi causa. Constat *ex Iure can., et Pontificali romano,* seu ex instructione Episcopi ad Diaconos in ordinatione, etc.

III. Quilibet homo ratione utens, sive vir, sive mulier, sive catholicus, sive haereticus, sive fidelis sive infidelis, est Minister *ex-*

traordinarius Baptismi, ita ut semper valide, et *in necessitate* etiam licite, baptizare possit. Eruitur ex iisdem fontibus ac supra in 1° principio dictum est.

IV. Licet omnis Sacerdos vi ordinationis potestatem habeat baptizandi, non potest tamen ea licite uti, etiam privatim, extra casum necessitatis, nisi iurisdictionem ordinariam vel delegatam habeat. Constat *ex Iure can.* et *ex Rit. Rom. de Baptismo.*

244. **Resolves.** — 1° Nec Parochus, nec Episcopus, absque commissione, extra suam dioecesim vel parochiam, vel intra eam alienos licite baptizat. Ideoque peccant etiam parentes, qui sine licentia sui Praelati alteri deferunt prolem baptizandam, siquidem ius Parochi violant. — *S. Lig. n. 114.*

2° Peregrini, vel vagi, possunt baptizari in qualibet Ecclesia, quam elegerint. Si mulier casu pariat in pago non suo, proles ab illius pagi Parocho est baptizanda, nisi forte pagus proprius parum inde distet. — *S. Lig. n. 114.*

3° Iuxta communiorem et probabiliorem sententiam possunt omnes recipere Baptismum et alia Sacramenta a Parocho loci, ubi iam quasi-domicilium contraxerunt (*a*). — *S. Lig. n. 115.*

4° Extraneus autem baptizari potest de licentia sive expressa sive rationabiliter praesumpta proprii Sacerdotis. — *S. Lig. n. 115.*

5° Possunt Religiosi baptizare in casu necessitatis, vel de eadem Parochi et proprii Superioris licentia, cum nulla lege hoc prohibeatur. — *S. Lig. ibid.*

245. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quis ordo servandus sit inter Ministros Baptismi?*

Resp. In Rituali Romano sic habetur: *Si adsit Sacerdos, Diacono praeferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam, potius quam virum, baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi. Vide S. Lig. n. 117.*

QUAER. 2° *An peccet mortaliter laicus, qui in necessitate, praesente Sacerdote, baptizat?*

Resp. Affirm. cum sententia communi. Ratio est, quia vere tunc usurpat ius Sacerdotis, cui ex potestate Ordinis commissum est munus baptizandi. Ideo etiam Sacerdos ipse graviter peccat, si laico administrationem cedat. — *S. Lig. ibid.*

246. — QUAER. 3° *An peccet graviter laicus baptizans coram Diacono?*

Resp. Controvertitur. I[a] SENTENTIA *probabilis* affirmat; quia Diaconus vi ordinationis ad baptizandum deputatur, licet ex praxi actuali Ecclesiae solemniter baptizare non possit, nisi gravi de causa et cum Parochi licentia.

II[a] SENTENTIA pariter *probabilis* negat, quia Diaconus baptizans

(*a*) Non mere probabilior, sed certa habenda est haec doctrina.

in casu necessitatis sine commissione non baptizat ex officio, sed eodem modo ac Clericus inferior vel laicus. — *S. Lig. ibidem,* dicit utramque sententiam probabilem esse.

CAPUT IV.

DE SUBIECTO BAPTISMI

Subiectum Baptismi est omnis et solus homo viator nondum baptizatus.

247. **Resolves.** — 1° Valide baptizantur infantes, item perpetuo amentes, qui nunquam usi sunt ratione, et proinde censentur eiusdem conditionis ac infantes. Si autem aliquando ratione usi fuerint, *probabilius* non valet Baptismus, nisi ante amentiam illum petiverint. In praxi tamen ii sub conditione essent baptizandi, tum quia non plane constat, eos Baptismum non postulasse, tum etiam quia iuxta plures satis est, si quis habuerit voluntatem suscipiendi omnia ad salutem necessaria. — *De Sacramentis in genere, n. 228.*

2° Si dubium sit, an infans vivat, baptizandus est sub conditione. Hinc recte censent generatim Theologi, omnes foetus abortivos semper esse baptizandos sub conditione, *si vivant;* maxime cum hodie vigeat opinio communiter a peritis recepta, foetum ab initio conceptionis, vel saltem non multo post (*a*) anima informari.

(*a*) Opinio haec media inter duas sententias (quarum altera statim a conceptione, alia ad quadraginta aut etiam octoginta dies animationem statuit) eorum videtur esse, qui rationes utriusque oppositae sententiae nunquam aut noverint aut intellexerint, quique idcirco nec rationes, quae ad mediam illam viam terendam eos impulerint, assignare possint.

** Scribit S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 124.*): *Optime censet Cardenas, Roncaglia, Mazzotta, et Croix cum aliis Auctoribus gravissimis, omnes foetus abortivos, si per aliquem motum dent signum vitae, et non constet esse anima destitutos, semper esse baptizandos sub conditione si vivant; maxime cum hodie vigeat opinio, non sine plausu a peritis recepta, quod foetus ab initio conceptionis, vel saltem post aliquos dies, anima informentur.* Et in his quidem S. Doctor videtur innuere, baptizandos hos foetus esse, tum si dent signum vitae, tum etiamsi non dent signum vitae, tamen saltem non constet esse anima destitutos, idest mortuos. Et ratio est, quia experientia constat, interdum signum vitae nisi adhibitis instrumentis microscopicis non apparere.

Forte vero cuipiam minus placebit, quod S. Doctor ibidem subdit: *Caeterum bene advertit Tournely* (scil. Collet) *Tom. 4. pag. 363.* (nempe *De Bapt. Cap. 7, art. 1. Sect. 2. Concl. 2.*), *non debere baptizari carneam massam, quae nullam habet organorum dispositionem, cum ubique receptum sit, non prius infundi animam corpori, quam istud formatum fuerit; et tunc ut baptizetur, requiritur, ut indicet aliquem motum vitalem, prout praescribit rituale romanum de bapt. parvul.* Quid sibi voluerit Collet, nonnihil obscurum videtur. Nam haec addit quasi illationem ex iis, quae dixerat de baptizandis monstris. At non est obscurum, ista non cohaerere cum iis, quae S. Alphonsus praemiserat. Opinio enim de anima-

3° Valide is baptizatur, quem Minister putat esse alium; imo licet sit femina, quam putet esse masculum; quia praesentem et non alium baptizare intendit.

4° Valide plures simul baptizantur hac forma *Ego vos baptizo*, modo simul abluantur. Sed extra necessitatis casum hoc illicitum est.

248. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An filii infidelium licite possint baptizari?*

Resp. 1° *Affirm.* in sequentibus casibus, scilicet 1° si habeant usum rationis, et consentiant, etiamsi parentes repugnent; 2° si parentes defecerint a Fide, ut sunt haeretici; quia Ecclesia ius habet ad parentes coercendos; 3° si filii sint mox morituri, quia urget necessitas, nec ullum timendum est periculum; 4° si unus parentum consentiat, altero reluctante. — *S. Lig. n. 127.*

Resp. 2° *Neg.* in caeteris casibus, v. gr. si uterque parens reluctetur, et filii mansuri sint in potestate parentum; ratio est perversionis periculum. Constat ex Decreto *S. Congregationis S. Officii 1703.* Et pro Hebraeis in particulari constat ex Constitutione *Iulii III. — S. Lig. n. 132.*

QUAER. 2° *An Baptismus aliquando repeti possit vel debeat?*

Resp. Potest et debet repeti sub conditione, quoties de eiusdem valore adest aliquod dubium non spernendum; secus iterari non potest sine peccato gravi, quia conatus ministrandi Sacramentum subiecto incapaci sacrilegium est. — *Recole dicta supra, n. 200.*

249. — QUAER. 3° *An infantes expositi sint baptizandi?*

Resp. Affirm. si isti expositi fuerint absque testimonio Baptismi collati, nisi aliunde constet eos rite baptizatos fuisse. Si vero expositi sint cum schedula attestante ipsos fuisse baptizatos, *controvertitur.* SENTENTIA *communior* et *verior* docet, hos omnes *sub conditione* baptizandos esse — *S. Lig. n. 135.*

QUAER. 4° *An sint rebaptizandi infantes sive ab obstetricibus, sive a laicis baptizati?*

Resp. Neg., nisi adsit probabilis suspicio erroris in collato Ba-

tione foetus sive ab initio conceptionis sive post aliquos dies nullo modo cohaeret cum antiquata opinione de animatione foetus, quae sequatur *post organorum dispositionem, adeo ut corpus fuerit formatum.*

Quod massa carnea baptizari non debeat, Collet sic evincere contendit: *Rituale Pauli V., cui in hac re credendum magis, quam quibusdam medicis contra ceteros seu medicos seu philosophos pugnantibus, prohibet, ne foetus ante vitalis motus signa baptizetur.* Atqui 1° Non est existimandum, quod in Rituali statuatur, animationem foetus ex Peripateticis opinionibus quoad tempus esse definiendam; 2° Signum vero vitae, de quo Rituale, S. Alphonso ita videtur accipiendum, ut *non constet,* foetum iam esse exanimem. Caeterum Collet ea utcumque scripserit pro aetatis suae opinionibus magis receptis; at aetate nostra cum opiniones illae obsoleverint, profecto nec recta ratio sinit, neque Ecclesiae praxis fert, ut antiqua istiusmodi praeiudicia agendi modum nobis praescribant in gravissimo isto negotio, in quo de aeterna animarum salute agitur.

ptismo. Ita communissima et vera sententia, inquit *S. Lig. n. 136.*, ubi decisionem *S. Congr.* commemorat.

Quaer. 5° *An baptizati ab haereticis rebaptizari debeant?*

Resp. Certum est de Fide *ex Trid.*, validum esse Baptismum collatum ab haereticis, quando omnia requisita ad Sacramentum adhibentur. Sed merito putant communiter Theologi, pueros omnes baptizatos a ministris protestantibus esse *sub conditione* rebaptizandos; quia dubitari debet de materia, forma et intentione talium ministrorum, qui hoc Sacramentum absolute necessarium non iudicant. — *S. Lig. n. 137.* (*a*).

(*a*) Ad doctrinam *de subiecto baptismi* spectant, quae de *monstris* tradit S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 125.*): *Quando* (inquit) *dubitatur, an monstrum sit homo, baptizandum absolute, si caput sit humanum, licet membra sint ferina; sub conditione vero, si caput sit ferinum et membra humana; hoc quidem, si prodierit ex congressu viri cum femina. Nam si prodierit ex viro cum bestia* (*quod incredibile puto*), *tunc baptizari semper deberet sub conditione; secus, si ex femina et bruto; tunc enim nullo modo baptizandum, quia non descenderet ex Adam, utpote non conceptum ex semine virili.* Ad quae adverte, postremum consectarium fore legitimum, si statuatur, foetum eiusmodi non posse humanae naturae esse participem. At si aliter supponas, consectarium non valet; quippe ex eo quod filius dici non posset Adae, solum sequeretur, eum non habere peccatum originale, secundum ea quae et S. Thomas habet *1. 2. q. 81. art. 4.*, *et 2. Dist. 31. q. 1. art. 2. ad 3*, non vero eum non indigere sanctificatione, quae ex sola gratia esse potest. Prosequitur S. Alphonsus: *Quod si habet membra hominis geminata, et dubitetur, num sit unus homo, an duo, duplex baptismus conferendus est, unus absolute, alter sub conditione in ea parte, qua membra apparent imperfectiora...* Deinde remittit ad Rituale Romanum, in quo haec habentur: *In monstris vero baptizandis, si casus eveniat, magna cautio adhibenda est; de quo, si opus fuerit, Ordinarius loci, vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum immineat. Monstrum quod humanam speciem non praeseferat, baptizari non debet: de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione:* Si tu es homo, ego te baptizo, etc. *Illud vero, de quo dubium est, una ne, an plures sint personae, non baptizetur, donec id discernatur; discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita, unum vel plura pectora; tunc enim totidem erunt corda et animae, hominesque distincti: et eo casu singuli seorsum sunt baptizandi, unicuique dicendo:* Ego te baptizo, etc. *Si vero periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit minister, singulorum capitibus aquam infundens, omnes simul baptizare dicendo:* Ego vos baptizo in nomine, etc.... *Quando vero non est certum, in monstro esse duas personas, ut quia duo capita et duo pectora non habet bene distincta; tunc debet primum unus absolute baptizari, et postea alter, hoc modo:* Si non es baptizatus, ego te baptizo, etc.

CAPUT V.

DE SOLEMNITATIBUS ACCESSORIIS BAPTISMI, NEMPE DE PATRINIS ET CAEREMONIIS

ARTICULUS I.

DE PATRINIS

Patrini sunt quasi patres spirituales, qui baptizatum de sacro fonte levant, et in se eius curam, defectu parentum, suscipiunt.

250. **Principia.** — I. In baptismo solemni sub gravi debet adhiberi saltem unus patrinus, sive vir, sivé mulier sit, nec possunt adhiberi licite plures quam duo. Sic statuit *Conc. Trident., sess. 24. c. 2. de Reformatione.* Si autem Parochus plures, quam duos, patrinos admitteret, graviter peccaret; quia laederet praeceptum Ecclesiae sub gravi impositum, ne multiplicentur cognationes. — *S. Lig. n. 154. in fine.*

II. Ut quis sit vere patrinus, requiruntur sequentes conditiones: 1° ut usum rationis habeat, et ipse sit baptizatus; 2° ut a parentibus vel Parocho fuerit designatus ut patrinus; 3° ut tangat baptizatum per se, vel saltem per alium; 4° ut habeat verum animum patrini munus gerendi. — *S. Lig. n. 146.*

251. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quaenam sint obligationes patrinorum?*

Resp. Tenentur adimplere officium magistri in casu necessitatis, seu deficientibus filioli parentibus. Hinc tenentur instruere baptizatum circa Fidem, mores, obligationes varias, etc. Ab omni autem obligatione solvuntur, quando prudenter praesumere possunt, quod baptizatus diligenter a parentibus instruatur. — *S. Lig. n. 147.*

Exinde Sacerdos, collato Baptismo, monere debet patrinos de susceptis obligationibus, et insuper de contracta cognatione spirituali. — De cognatione autem ista per Baptismum contracta dicemus, ubi de impedimentis matrimonii.

Quaer. 2° *An in Baptismo privato patrinus necessario adhiberi debeat?*

Resp. Neg., quia non videtur requiri ab Ecclesia, nisi pro Baptismo solemni. Attamen etiam in Baptismo privato adhiberi potest, et laudabilius adhibetur. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 147.*, qui tamen, *n. 149.*, probabilius censet, tunc non contrahi spiritualem cognationem.

Quaer. 3° *An patrini possint esse duo mares, aut duae feminae?*

Resp. Neg., quia *Trid.* statuit posse adhiberi ad summum duos patrinos, nempe virum et feminam. Sed probabile est, esse tantum veniale, si ita fiat. Plures tamen cum *Bonac.* esse mortale

opinantur. — Hoc verius videtur, ait *S. Lig. n. 155.*, si patrini essent diversi sexus ac infans, quia sic multiplicarentur cognationes, quod Tridentinum prohibere voluit; secus si essent eiusdem sexus.

252. — QUAER. 4° *An patrinus masculi, si unicus sit, debeat esse* masculus, *et feminae* femina?

Resp. Neg. probabilius; quia *Trident.* dicit: *Sive vir, sive mulier;* ergo indiscriminatim vir aut mulier adhiberi potest. — *S. Lig. ibid.*

QUAER. 5° *Quinam prohibeantur esse patrini?*

Resp. Valide quidem, sed illicite, sunt patrini sequentes: 1° Abbas et Monachus, seu Religiosus et Monialis cuiuslibet Ordinis; 2° coniuges respectu coniugum, et parentes respectu filiorum; 3° omnes qui sunt pravis moribus et perdita fama, ut haeretici, etc. — *S. Lig. n. 156.*

ARTICULUS II.

DE CAEREMONIIS BAPTISMI

Mortale est omittere caeremonias omnes Baptismi, aut aliquam ex iis notabilem, quia sic violatur praeceptum grave Ecclesiae.

253. **Resolves.** — 1° Seclusa necessitate, mortale est baptizare sine Chrismatis unctione, quia haec specialem et gravem habet significationem. — *S. Lig. n. 141.*

2° Mortale est extra necessitatis casum solemniter baptizare cum aqua non consecrata, quia huiusmodi omissio in caeremoniis Baptismi valde gravis est. *Probabilius* etiam idem dicendum est, si agatur de Baptismo privato (*a*), ut censent *Salmant., Roncaglia, Diana.* Attamen oppositam tenent sententiam, nec *improbabiliter, Lacroix n. 263.; Gobat; S. Lig. n. 102., et in Hom. apost. n. 8.*

3° Mortale est sine necessitate baptizare extra Ecclesiam, nisi proximum immineat mortis periculum, vel aliud magnum adsit incommodum. — *S. Lig. n. 142.*

4° Mortale est omittere unctionem olei catechumenorum, vel alia similia; quia est materia gravis, saltem ex fine Ecclesiae, sicut commixtio aquae cum vino in sancto Eucharistiae Sacramento. — *S. Lig. n. 141.*

254. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Si Baptismus solemniter collatus deprehendatur invalidus, an etiam caeremoniae repetendae sint?*

Resp. Controvertitur. Duplex est sententia probabilis. Unde cae-

(*a*) Vix apparet, curnam ab Auctore ista opinio appelletur *probabilior*. Equidem qui ab eo allegantur auctores, commode de baptismo solemni explicantur, prouti et S. Alphonsus interpretatus eos est, nec verbum ullum de privato baptismo faciunt. Quinimo in Synodo Ianuensi habita sub Eminentissimo Card. Tadini (*Cap. 5. §. 1. De Bapt.*) interdictum est, ne in baptismis privatim collatis aqua consecrata quis utatur. *Vid. Frassinetti Comp. Theol. mor. Not. 99.*

remoniae non sunt necessario repetendae: suadendum tamen est, ut repetantur, si absque scandalo vel infamia fieri possit.

QUAER. 2° *Quomodo intelligenda sit prohibitio utendi chrismate veteri, seu alterius anni?*

Resp. 1° Rigorose sumenda est, quando chrisma novum habetur. Graviter igitur peccaret Sacerdos, qui, chrismate recenti posthabito, veteri uteretur.

Resp. 2° Licet autem in Baptismo solemni uti chrismate anni praecedentis, usquedum consecratum chrisma recens acceptum fuerit. Igitur non ideo debet chrismatis et olei unctio omitti, quod olea recens benedicta haberi nondum potuerint, nec ea de causa Baptismus differri ad aliud tempus debet, quantumvis breve. — *Ita contra non paucos,* ex decisione recenti *S. Congr. Rit.,* data die 19 Septemb. 1859, *in Cadurcen.*

Benedictio autem fontis baptismalis in Sabbato sancto fieri debet cum chrismate praecedentis anni, nisi Parochus olea recentia sibi comparare potuerit, nec debet omitti infusio chrismatis et olei usquedum aliud accipiatur. — *Ita ex decisione S. Congr. Rit.* modo citata.

255. — QUAER. 3° *An interrogationes, quae ex Rubrica Ritualis Romani patrinis faciendae sunt, lingua vernacula fieri possint?*

Resp. Neg., sed omnia fieri debent prout in *Rituali Romano* iacent. Sic nuperrime *S. Congr. Rit.* die 12 Aug. 1854 *in Lucionen.* — Caeterum nihil obstat, quominus vernacula lingua explicentur, quae pertinent ad ipsum Sacramentum Baptismi. — *Ita ex responso S. C. S. Off. ad Vicarium apost. Siamens.* 30 Aprilis 1808.

APPENDIX

DE OPERATIONE CAESAREA

In ordine ad baptizandum infantem nondum natum.

Operatio seu sectio caesarea in hoc consistit, quod uterus matris gravidae aperiatur, ut foetus extrahatur. Duplex praecipua quaestio occurrit, scilicet an vel quando fieri possit, aut debeat.

256. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An vel quando fieri possit?*

Resp. Statuendae videntur sequentes regulae:

I[a] *Regula.* Mortua matre, certum est posse fieri operationem caesaream, et quidem statim ac de eius morte constat. Admonendus tamen est loci Praefectus seu Praepositus, et adhibendi sunt testes ab ipso approbati tum ad mortem recognoscendam, tum ad maiorem rei certitudinem, ac praesertim ne operationis auctor tamquam homicidii reus traducatur. Ratio autem cur fieri possit, evidens est: si quid enim obstaret, esset periculum matris; sed ex hypothesi de eius morte certo constat; et aliunde salvari potest vita

spiritualis, imo forte et temporalis infantis. — *Vide Gangiamila* in opere cui titulus: *Embriologia sacra.*

IIª *Regula.* Vivente matre nunquam licite fieri potest operatio caesarea, quoties adest periculum seu proximum seu probabile mortis matris ex ipsa secuturae, quamvis ea non facta, mater et proles certo periturae sint. Ratio est, quia esset id perinde ac directe matrem occidere, quod nunquam licet. — *Ita S. Thom. 3. part. qu. 68. art. 11. ad 3.* ubi dicit: *Non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum.* — *S. Lig. n. 106.* — Hinc fieri non potest operatio, quando deest chirurgus valde peritus, nec quando mater adeo est morbo debilitata, ut operatio, alias non periculosa, sit periculum mortis proximum ex circumstantiis inductura, etc.

257. — IIIª *Regula.* Vivente matre licite fieri potest operatio caesarea, positis his circumstantiis, scilicet 1° si illa naturaliter parere non possit, aut moritura sit antequam pariat, cum maximo periculo mortis infantis priusquam baptizari queat; 2° si ex iudicio chirurgi periti absit proximum mortis matris periculum. Potest autem abesse tale periculum, si mater sit robusta, ut constat ex innumeris exemplis, et sententia communiori medicorum et chirurgorum, quorum ars nostris praesertim temporibus multo provectior et perfectior evasit. — *Vide Embriolog. sacra, lib. 3. c. 9.* — *Elbel, n. 60.,* etc. — Ratio patet; nullum enim est periculum, vel saltem valde leve est et remotum, atque adeo, si forte mors sequatur, *per accidens* tantum subsequi videbitur.

258. — Quaer. 2° *An vel quando fieri debeat?*

Resp. 1° Mortua matre certo est facienda *sub gravi,* etiam invitis aut reluctantibus parentibus vel propinquis, si fieri possit; quia ex lege charitatis omni cura et labore salus aeterna infantis procuranda est. — *Ita S. Thom. ibid.* ubi addit: *Si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur.* — Sic etiam statuit *Rit. Rom.* Hoc praesertim valet, si immineat tempus partus, quia cum foetus sit robustior, maior spes illum baptizandi affulget.

Non ideo praetermittenda est operatio, si cognoscatur, matrem a brevi tempore esse gravidam; quia pluribus exemplis constat, animationem foetus fieri paulo post conceptionem. — *Vide Embriolog. sacra, lib. 1. c. 7.*

Porro sedula cura adhibenda est, ut regio uteri defunctae servetur calida, usquedum facta fuerit operatio; secus enim infans facilius e vita cederet, antequam baptizari potuerit.

259. — *Resp.* 2° Facienda est operatio etiam vivente matre, si ex iudicio peritorum non possit infans aliter baptizari. Mater autem tenetur *per se, et speculative loquendo sub gravi,* illam pati, si fieri possit sine proximo mortis periculo. Ratio est, quia tenetur quilibet incommodum temporale pati ad vitam spiritualem et aeternam infantis servandam. Hoc sequitur ex lege generali charitatis.

— *Ita communiter* cum *Elbel, n. 60.* — *S. Lig. ibid.* — *Embriolog. sacra, l. 3. c. 4.*

Dixi: *per se et speculative loquendo;* nam in praxi Confessarius cavere debet, ne urgeat matrem *sub gravi* obligatione ob nimium periculum, ne consensum negando moriatur in statu peccati mortalis; et sic dum vult salvare vitam spiritualem infantis, damnetur ipsa mater. Satis igitur erit illam adhortari ad incisioni consentiendum.

Caeterum, cum constet, saepissime supervivere foetum matri defunctae, affulget magna spes illum, ea mortua, baptizandi, et proinde minor obligatio incisionis urget.

Mater non tenetur subire operationem, si omissa operatione, ipsa sola iudicetur peritura; quia nemo tenetur mediis extraordinariis et tam arduis vitam servare. — Si autem modica tantum spes esset servandae prolis, mater posset quidem, sed non teneretur subire operationem, quia charitas non adeo urget in tanta incertitudine eventus. — *Ita communiter* cum *S. Lig. ibid.*

Caeterum, ex nova medicorum arte, infans moraliter certo baptizari potest in utero matris instrumenti alicuius ope, ut supra dictum est, quin ad operationem caesaream recurrendum sit (*a*).

(*a*) Conf. sup. dicta (*vol. I. not. ad n. 401.*) ubi de abortu, et quae de eodem argumento habes in Not. ad n. 239 huius volum.

FINIS TRACTATUS DE BAPTISMO.

TRACTATUS

DE CONFIRMATIONE

260. — Confirmatio definitur Sacramentum novae legis, quo per chrismatis unctionem, sub certa verborum forma, datur baptizatis plenitudo Spiritus Sancti ad firmiter credendum, et ad Fidem intrepide confitendam.

Constat, Confirmationem esse verum Sacramentum a Baptismo distinctum 1° ex definitione Ecclesiae. Sic enim *Eugenius IV* in Decreto Fidei: *Per Baptismum spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide.* — *Vide* etiam *Trid. Sess. 7. Can. 1. de Confirm.;* 2° ex eo quod inveniantur in ea tria essentialiter requisita et sufficientia ad omne Sacramentum, scilicet ritus exterior, promissio gratiae, et institutio Christi. Etenim 1° ritus exterior habetur in rebus et verbis, seu in materia et forma; 2° promissio et collatio gratiae habetur *Act. 8. 17.*, ubi dicitur, quod Petrus et Ioannes missi Samariam ad confirmandos fideles iam baptizatos, *imponebant super eos manus, et accipiebant Spiritum Sanctum;* 3° institutio divina satis intelligitur ex ipsa potestate, qua Apostoli post Baptismum per impositionem manuum conferebant Spiritum Sanctum; id enim ex propria virtute non poterant.

Quandonam autem institutum fuerit hoc Sacramentum, non constat. *Probabilius* institutum est post resurrectionem, quando Christus dixit Apostolis *(Ioann. 20. 21.): Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos,* etc., quibus plenam potestatem episcopalem in corpus mysticum Ecclesiae illis contulit. Iuxta alios Christus instituit Sacramentum Confirmationis in coena post ipsam Eucharistiae institutionem.

Agendum 1° de materia et forma Confirmationis; 2° de eius Ministro; 3° de eiusdem subiecto.

CAPUT I.

DE MATERIA ET FORMA CONFIRMATIONIS

ARTICULUS I.

DE MATERIA CONFIRMATIONIS

261. — I. Materia *remota* Confirmationis est chrisma ex oleo olivarum et balsamo confectum, et ab Episcopo benedictum. — *Ita communiter,* et constat ex *Conc. Florent. in Decreto de Sacramen-*

tis. Dici etiam potest, materiam remotam partialem esse manum Episcopi *formaliter* talem, quatenus scilicet impositio manus est materia proxima partialis, ut mox dicetur.

II. Materia *proxima* est unctio chrismatis confirmandis applicata ab huius Sacramenti Ministro per manus impositionem. Constat ex Declaratione Benedicti XIV, Epist. Encycl. *Ex quo primum,* ubi haec habet: *Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur: nimirum in Ecclesia latina Confirmationis Sacramentum conferri, adhibito sacro chrismate sive oleo olivarum balsamo commixto, et ab Episcopo benedicto, ductoque signo Crucis per Sacramenti Ministrum in fronte suscipientis, dum idem Minister formae verba profert.*

Ergo materia proxima Confirmationis non consistit partialiter, ut olim volebant plures, in generali impositione manus ab Episcopo in omnes confirmandos facta. — *Vide S. Lig. n. 164. in fine.*

262. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An de necessitate Sacramenti balsamum requiratur?*

Resp. Affirm. probabilius, ut videtur, ex Decreto *Eugenii IV pro Armenis,* ubi dicit, Confirmationis materiam esse chrisma confectum ex *oleo et balsamo.* Sufficit autem balsamum cuiuscumque regionis, et in ea sola quantitate, quae satis sit, ut sui odorem dare possit, nec est necessarium, ut omnibus olei partibus misceatur. — *S. Lig. n. 162.*

QUAER. 2° *An chrisma debeat necessario esse benedictum?*

Resp. 1° Affirmandum absolute est, si sermo sit de necessitate praecepti. — *Ita omnes* cum *S. Lig. n. 163.*

Resp. 2° Affirmandum videtur, etiam si sermo sit de necessitate Sacramenti. Id enim suadet praxis constans Ecclesiae, et Decretum *Eugenii IV,* in quo legitur, materiam Confirmationis esse chrisma *benedictum.* — *Ita communiter* cum *S. Lig. ibid.* — An vero chrisma debeat necessario esse *benedictum* ab Episcopo, dicetur infra, ubi de Ministro.

263. — QUAER. 3° *An chrisma debeat necessario esse illius anni?*

Resp. Hoc non requiritur de necessitate Sacramenti, quia sive sit vetus, sive novum, materia non mutatur; sed requiritur ex praecepto Ecclesiae. Hinc peccaret graviter Episcopus, qui confirmaret cum chrismate veteri. In hunc enim finem novum chrisma consecratur in *Coena Domini,* vetere combusto. — *S. Lig. n. 163., et alii communiter.*

QUAER. 4° *An ad valorem sacramenti oleum debeat necessario esse olivarum?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia hoc proprie oleum dicitur. Hinc oleum ex alia materia confectum, v. gr. ex nucibus, non est materia valida, quia non venit simpliciter sub nomine olei. — *Ita communiter* cum *S. Thom. p. 3. qu. 72. art. 2.* — *S. Lig. n. 162.*

264. — QUAER. 5° *Quomodo unctio fieri debeat?*

Resp. Debet fieri pollice dextero Episcopi per modum crucis in

fronte confirmati. Valida tamen foret unctio, si alio digito Episcopi fieret, et etiamsi esset digitus manus sinistrae, quia vere fieret per impositionem manus episcopalis. Peccaret tamen Episcopus, qui id sine necessitate ageret, quia recederet a praxi universalis Ecclesiae; quamquam non appareat, inversionem dictae caeremoniae ad gravem culpam pertingere. — *S. Lig. n. 165. et alii.*

Quaer. 6° *An unctio valide fieri medio instrumento possit?*

Resp. Neg. Ratio est, quia deficeret immediata impositio manus Ministri, quae ex dictis omnino requiritur. Nec dicas, quod Extrema Unctio valide ministretur medio instrumento; nam in illo Sacramento impositio manus non requiritur ad valorem, sicut in Confirmatione. — *S. Lig. n. 166., et alii communiter.*

ARTICULUS II.

DE FORMA CONFIRMATIONIS

265. — Forma Sacramenti Confirmationis consistit in his verbis: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* — Sic definivit *Eugenius IV.* in citato Decreto. — Constat etiam ex constanti Ecclesiae praxi.

Per verba, *signo te signo crucis*, significatur, quod sicut miles insignibus ducis sui ornari solet, ita homo per hoc Sacramentum cruce exterius, et charactere invisibili interius tanquam signo militari Christi signetur. — Per verba, *confirmo te chrismate salutis,* exprimitur, quod homo per hoc Sacramentum instar athletae exterius chrismate, interius vero Spiritus Sancti gratia et robore ungatur. — Per reliqua autem verba, *in nomine Patris,* etc., exprimitur causa principalis plenitudinem conferens roboris spiritualis, quae est *Sanctissima Trinitas;* simulque praecipuum Fidei christianae mysterium, quod et hominibus in Baptismo credendum, et in hoc Sacramento tenendum et palam profitendum proponitur. — *S. Thom. qu. 72. art. 4.*

266. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quaenam verba huius formae sint essentialia?*

Resp. Ad validitatem sunt omnino essentialia sequentia: 1° verbum *confirmo,* nisi alio verbo synonymo suppleatur; 2° expressio *Sanctissimae Trinitatis,* ut in Baptismo; 3° verbum *te,* quo subiectum sacramenti designatur; 4° verba *signo te signo crucis,* necnon verba *chrismate salutis.* Dicere autem *corroboro* pro *confirmo* vel *sanctificationis* pro *salutis,* esset mutatio tantum accidentalis. — *S. Lig. n. 168., cum aliis communiter.*

Quaer. 2° *An valeat forma apud Graecos usitata:* Signaculum doni Spiritus Sancti?

Resp. Affirm. cum sententia communi Theologorum. Sensus enim est, *hoc signo donantur munera Spiritus Sancti,* omisso verbo more

Graecorum. Secus dicendum foret, Graecos Sacramentum Confirmationis non habere, quod valde durum est. Constat insuper ex Declaratione *Benedicti XIV*, in Epistola encyclica *Ex quo primum* ad Episcopos ritus Graeci, 1 Martii 1756. — *Apud S. Lig. n. 164.*

CAPUT II.

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS

267. — I. Solus Episcopus est Minister ordinarius huius Sacramenti. Ita declaravit *Innocentius III.* et *Conc. Trid. sess. 7., Can. 3: Si quis dixerit, sanctae Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

II. Simplex Sacerdos confirmare potest tanquam Minister extraordinarius ex delegatione speciali Summi Pontificis. Constat ex praxi Ecclesiae, et ex Bulla *Benedicti XIV. Eo quamvis tempore.* — Vide *S. Lig. n. 170.* — Sed Sacerdos uti debet chrismate ab Episcopo benedicto. Constat ex Decreto *Eugenii IV.* ubi dicitur materiam Confirmationis esse chrisma ab Episcopo benedictum.

268. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An Papa etiam simplici Sacerdoti delegare valeat potestatem conficiendi chrisma?*

Controvertitur. Affirmant non pauci cum *S. Lig. n. 163.;* at plures alii negant.

Quaer. 2° *An Episcopus possit confirmare fideles non subditos?*

Resp. 1° *Quoad validitatem* omnes confirmare potest, ut sequitur ex Ordinis potestate.

Resp. 2° *Quoad liceitatem* non potest confirmare, nisi qui in sua dioecesi reperiantur; et peccaret graviter confirmando etiam suos subditos in alia dioecesi, quia confirmatio est exercitium iurisdictionis fori externi, quod peragi nequit sine licentia Ordinarii loci.

Potest autem confirmare extraneos in sua dioecesi, quia nisi aliter constet, semper praesumitur tacitus consensus aliorum Episcoporum. — *Sic probabilius et communius.* — *S. Lig. n. 173.*

269. — Quaer. 3° *Quandonam Episcopus teneatur confirmare?*

Resp. 1° Tenetur confirmare petentes, quoties commode potest, si ad aliud tempus proximum differre nequeat.

Resp. 2° Tenetur etiam aliquoties opportunitatem suis subditis praebere hoc Sacramentum suscipiendi. Hinc peccaret graviter, si longo tempore a Confirmatione conferenda abstineret, v. gr. per octo aut decem annos, nec dioecesim circumiret, saltem per praecipua loca, nisi morali impossibilitate excusaretur. — *S. Lig. n. 175.* — *Lacroix, n. 388., et alii communiter.*

Quaer. 4° *An peccet graviter Episcopus omittens confirmare moribundum petentem Sacramentum?*

Resp. Neg. saltem *probabiliter*. Ratio est, quia cum hoc Sacra-

mentum non sit necessarium ad salutem, excusat incommoditas adeundi aegrotos in propriis domiciliis decumbentes. Praxi etiam communi confirmatur. — *S. Lig. n. 175.* — *Lacroix, n. 390.* (*a*).

CAPUT III.

DE SUBIECTO CONFIRMATIONIS

Subiectum Sacramenti Confirmationis est omnis et solus homo baptizatus et nondum confirmatus, quamvis carens usu rationis. Confirmatio enim perficit vitam spiritualem, quae in Baptismo accipitur, et pro omnibus, ut Baptismus, instituta est.

Ex praxi tamen generatim in Ecclesia vigente, non sunt confirmandi pueri, qui usum rationis adepti nondum sunt, nisi id ferat legitima locorum consuetudo, quae v. gr. apud Graecos et in Hispania (*b*) viget.

270. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An vel qualis sit obligatio Sacramentum Confirmationis recipiendi?*

Resp. 1° Non est obligatio de necessitate medii. Nam etiam per solum Baptismum haberi potest remissio peccatorum et vita aeterna.

Resp. 2° Iuxta *S. Lig.* est obligatio *sub gravi* de praecepto divino, saltem decurrente vita, et data opportuna occasione; idque probat ex Declaratione ***Benedicti XIV.*** in Bulla: ***Etsi pastoralis,*** de ritibus et dogmatibus Graecorum, ubi ait, §. *3. n. 4:* ***Monendi sunt (qui non sunt confirmati) ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati***

(*a*) Ex iis, quae hoc loco affert Lacroix, colliges, *probabilius* Episcopum in casu non peccare graviter; *probabiliter* autem nec levi culpa teneri, quando incommoditas excuset. Utrum vero praxis *communis* sit non ministrandi, quando commode fieri possit, dicere non ausim.

(*b*) Advertenda tamen sunt, quae (*De Synod. Lib. 7. Cap. 10. n. 8.*) in hanc rem scribit Benedictus XIV. *Si Episcopus* (inquit) *in suis Constitutionibus diceret, paratum se esse ad conferendum sacramentum Confirmationis pueris et infantibus baptizatis, sed constitutis in mortis periculo; aut iuberet, ut sibi sacramentum Confirmationis ministraturo in hoc vel illo loco suae dioecesis exhibeantur pueri et infantes, cum facilis ad eos in posterum sibi non sit futurus accessus vel propter sui ingravescentem aetatem, vel propter eorum distantiam a civitate, aut propter itineris difficultatem; nihil profecto in huiusmodi Constitutionibus synodalibus videretur reprehendendum.... Tria tamen advertere debet Episcopus: primo ne in sua Constitutione quidquam dicat, quo insinuare videatur necessitatem seu praeceptum suscipiendi sacramentum Confirmationis in ea aetate et statu: secundo ut sacramentum administret ea dignitate, cui consulere voluit Ecclesia, cum illud negavit infantibus ante adeptum usum rationis...: tertio tandem ne postquam paratum se dixit ad Confirmationem conferendam omnibus pueris, positis in vitae discrimine, libenter accurrat ad nobiliores, sibique bene visos, et ire detrectet ad pauperes, aliosve de infima plebe: hoc siquidem fieret cum acceptione personarum, et multorum scandalo.*

reatu teneri, si cum possunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt.

Notat tamen *Scavini,* verba Bened. XIV. non concludere pro omnibus; quia Pontifex loquitur tantum de invalide confirmatis a Presbyteris graecis, qui ideo renuebant denuo ad Confirmationem accedere, quia primam ut validam habebant. Unde aderat hic ratio particularis eos obligandi ad Sacramentum Confirmationis suscipiendum, nempe ut errorem sic retractarent (*a*).

Quaer. 2° *Quid agendum in dubio an aliquis sit confirmatus?*

Resp. Potest sub conditione denuo confirmari, ut patet ex dictis in *Tract. de Sacrament. in genere, n. 206*. Sed ad id non tenetur, si quis vere probabiliter credat, se hoc sacramentum recepisse. — *S. Lig. Hom. apost. n. 48.*

271. — Quaer. 3° *Quaenam dispositiones in confirmandis requirantur?*

** (*a*) Animadvertunt VV. (*Pag. 930. n. 89.*) S. Alphonsum non solum in Operibus Theologiae moralis, sed etiam in Opere dogmatico italice exarato de hac quaestione idem sensisse, et haec S. Doctoris verba afferunt: *Si avverta qui, che lo stesso Benedetto XIV. nella Bolla* Etsi pastoralis *dichiarò, che coloro, i quali ricusano o trascurano, potendo, di prendere la cresima stando tra i Greci, debbono ammonirsi dai loro Vescovi del peccato grave, che essi commettono.... E lo stesso certamente dee dirsi di coloro, che stanno tra latini.* In quibus verbis obscurum tantisper manet, quid sibi velit, dum dicit, *Coloro, che stando tra i Greci,* et infra, *Coloro che stanno tra latini.* Equidem quaestio erat de Italo-Graecis, de iis Graecis scilicet, qui profugi ab eorum patria a barbaris Turcis occupata in Italiam aut adiacentes Insulas se receperant, ibique cum sedem fixissent, graecum ritum in Sacris servabant, prouti et nunc servant.

Verissimum autem id esse, quod Gury de sensu Benedictinae Constitutionis dicit post Scavini, legenti ipsam Constitutionem manifeste patet. Nam §. III., ubi de Sacramento Confirmationis agitur, Pontifex in primis (*n. 1.*) sic de Confirmatione invalide collata loquitur: *Episcopi latini infantes, seu alios in suis Dioecesibus* (nam Graeci isti subduntur latino Episcopo, in cuius Dioecesi morantur) *baptizatos a Presbyteris Graecis absolute in fronte consignatos confirment; cum neque per Praedecessores nostros, neque per Nos Graecis Presbyteris in Italia et Insulis adiacentibus, ut infantibus baptizatis Sacramentum Confirmationis conferant, facultas concessa sit, aut concedatur; quinimo usque ab anno 1595. a fel. rec. Clemente VIII. Praedecessore nostro fuit Presbyteris Italo-Graecis expresse interdictum, ne baptizatos Chrismate confirment.* Deinde (n. IV.) de his, qui a presbyteris Graecis confirmati invalide fuerant, sic decernit: *Quamvis confirmati a simplici Sacerdote cogendi non sunt eiusmodi Confirmationis Sacramentum ab Episcopo suscipere, si ex tali coactione scandala oriri possent: cum Sacramentum Confirmationis eiusmodi necessitatem non habeat, ut sine eo salvus quis esse non possit; monendi tamen sunt ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si cum possunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt.* Manifestum igitur est, hic non generalem quaestionem agi, sed de iis, qui invalide confirmati, forte etiam ut faverent presbyteris, qui male eos confirmare voluerant, rursus accedere renuebant.

Accedit, quod praeter morem sit Apostolicae Sedis ac praesertim Benedicti XIV, ut abrupte contra communissimam Doctorum sententiam controversiam sine ulla causa definiat.

Resp. Requiritur 1° Character baptismalis ad validitatem Sacramenti, et insuper in adulto intentio Sacramentum recipiendi, ut constat ex dictis *de Sacramentis in genere, n. 230.*

2° Status gratiae, quia Confirmatio est Sacramentum vivorum. Quapropter qui conscius est peccati mortalis, ad Sacramentum poenitentiae recurrere debet, nisi perfecte conteratur. Mos generalis est, ut nullus confirmetur, nisi schedulam a Parocho subsignatam exhibeat.

3° Ut confirmandus rudimentis doctrinae christianae imbutus sit, iis praesertim, quae sunt de necessitate medii, et quae spectant ad Sacramenta Poenitentiae et Confirmationis. — *Ita communiter.*

Quaer. 4° *An confirmandus debeat esse ieiunus?*

Resp. Neg., attenta consuetudine hodierna. Leges enim canonicae, quae ieiunium praescribebant ad recipiendam confirmationem, in desuetudinem abierunt. Idcirco etiam invaluit usus conferendi hoc Sacramentum tempore vespertino. — *S. Lig. n. 184. in fine, et alii.*

FINIS TRACTATUS DE CONFIRMATIONE

TRACTATUS

DE EUCHARISTIA

Veneranda, miranda et summe adoranda est SS. Eucharistia; est enim velut compendium omnium mysteriorum, quae divina sapientia et infinita bonitas et misericordia Dei excogitavit atque perfecit ad hominum salutem et sanctificationem iuxta illud *Psalmi CX. 4. 5: Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus; escam dedit timentibus se.*

Hinc S. Augustinus exclamat, *Tractatu 26, in Ioann.: O Sacramentum pietatis! O signum unitatis! O vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet unde vivat. Accedat, incorporetur, ut vivificetur.*

Eucharistia considerari potest vel ut Sacramentum, vel ut Sacrificium. Hinc pars duplex praesentis Tractatus.

PARS PRIMA

DE EUCHARISTIA UT SACRAMENTO

Agendum 1° de natura et efficacia; 2° de materia et forma; 3° de Ministro; 4° De subiecto Eucharistiae.

CAPUT I.

DE NATURA ET EFFICACIA EUCHARISTIAE

Definitur Eucharistia: *Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi, sub speciebus panis et vini ad spiritualem animarum refectionem.*

Vel, *Sacramentum novae legis a Christo Domino institutum ad spiritualem animae refectionem, in quo Corpus et Sanguis Christi vere, realiter et substantialiter continentur sub speciebus panis et vini.* Constat ex *Conc. Trid. sess. 13. c. 2. et 3.*

272. **Statuenda de fide.** — I. In Sacramento Eucharistiae Christus est realiter praesens corpore et anima, una cum divinitate. Constat 1° ex verbis *promissionis* SS. Eucharistiae apud *Ioann. 6. 52: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita,* etc...; 2° ex verbis *institutionis* SS. Eucharistiae in ultima coena, *Matth. 26.26: Hoc est corpus meum,* etc.; 3° ex tota traditione, necnon ex defini-

tione Ecclesiae; sic enim *Trid. sess. 13. Can. 1.*: *Si quis negaverit, in sanctissimae Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo vel figura, aut virtute; anathema sit.*

II. In Sacramento Eucharistiae totus Christus continetur sub utraque specie, et facta separatione, in qualibet speciei parte saltem sensibili, et quidem permanenter.

Hinc Christus continetur tantum sub alterutra specie, quantum sub utraque; tantum in minima parte utriusque speciei, saltem facta separatione, quantum in parte maiori, vel in specie integra. Corpus igitur Christi integrum habetur sub specie vini, haud secus ac sub specie panis. Quamvis enim, vi verborum Corpus sub specie panis, et Sanguis sub specie vini ponatur, totum tamen Corpus indivisim sub singulis speciebus existit. Ratio est, quia Corpus Christi cum sit vivum, omnes eius partes vi naturalis concomitantiae sunt inseparabiles, siquidem *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur,* ut ait Apost. *Rom. 6. 9.* Divinitas quoque sub utraque specie existit propter admirabilem unionem hypostaticam, qua corpus et anima personae Verbi coniunguntur. De his omnibus constat ex *Trident. sess. 13. c. 3. et Can. 1. et 3.* — Item ex Decreto *Conc. Florent. ad Armenos.*

III. In Sacramento Eucharistiae datur vera transubstantiatio, seu realis conversio totius substantiae panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi; ita ut peracta consecratione nihil de pane et vino remaneat, solis speciebus exceptis. Constat 1° ex Scriptura sacra, nempe ex verbis Christi: *Hoc est corpus meum*, etc.; significant enim haec verba simpliciter materiam praesentem esse corpus Christi, nec essent simpliciter vera, si remaneret substantia panis simul cum corpore Christi; 2° ex tota traditione, et ex definitione Ecclesiae in multis Conciliis, praesertim in *Trid. sess. 13. Can. 2.*

273. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quandiu Christus maneat realiter praesens in Eucharistia?*

Resp. Remanet, quandiu species remanent integrae; desinit vero sub eis inesse statim ac species ita corrumpuntur, ut iuxta hominum aestimationem non videantur esse panis et vinum. — Tunc vero ex lege a Deo in institutione huius sacramenti stabilita, speciebus substituitur eadem materia, quae pani et vino corruptis succederet. — *S. Lig. n. 225.* — *Lacroix, n. 474.*

QUAER. 2° *Quandiu sacrae species censeantur remanere integrae post Sacramenti sumptionem?*

Resp. Non constat; alii dicunt post minutum, alii post quinque minuta, alii post medium quadrantem (*a*). Diutius autem rema-

(*a*) De hac re nequaquam videtur regula quaepiam generalis tradi posse. Brevior quippe aut longior mora potissimum a diversa diversorum homi-

nent in Sacerdote, qui in Missa sub utraque specie et cum Hostia maiori communicat, quam in laico, qui de more parvam Hostiam tantum sumit. — *S. Lig. ibid.*, etc.

274. — QUAER. 3° *An Eucharistia sit unicum vel duplex Sacramentum?*

Resp. Est unicum specie Sacramentum, licet sint plura signa. Etenim licet adsit *pluralitas physica* signi, est tamen unitas moralis: nam Sacramentum Eucharistiae quamvis speciebus panis et vini physice distinctis sit compositum, ordinatur tamen ad unam specie refectionem spiritualem tanquam ad finem et effectum significatum, sicut cibus et potus materialis ordinantur ad unicam refectionem corporalem. Sic in extrema Unctione sunt plures unctiones, et tamen habetur unicum Sacramentum, quia plures istae unctiones ordinantur ad unum finem et effectum, ad tollendas nempe reliquias peccatorum. — *Ita communissime et certo cum S. Thom., 3. part. quaest. 73. art. 2. — S. Lig. n. 191. et 199.*

275. — QUAER. 4° *Quinam sint effectus Sacramenti Eucharistiae in anima?*

Resp. Praecipui sunt sequentes, scilicet 1° *augmentum gratiae sanctificantis*, quod praecipuum Eucharistiae effectum constituit. Nam iuxta verba Christi *(Ioann. 6. 56.)*, *Caro mea vere est cibus*, hoc Sacramentum est institutum tamquam alimentum spirituale; et alimentum supponit vitam in eo qui illud suscipit: inde fit, ut per hoc alimentum vita ipsa animae, quae in gratia sanctificante praecipue consistit, corroboretur et augeatur; 2° *adeptio gloriae aeternae;* Christus enim hanc promittit: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum* (*Ioann. 6. 52.*, etc.); 3° *largitio uberrima gratiarum actualium,* quae fluunt a gratia habituali, et habitibus infusis; 4° *debilitatio habituum malorum et emendatio vitiorum,* praesertim libidinis; 5° *remissio peccatorum venialium:* constat ex *Trid. sess. 13. c. 2.* ubi Eucharistia vocatur antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservamur; 6° *remissio poenae temporalis peccato debitae;* non quidem totius, sed secundum modum devotionis et fervoris, ut ait *S. Thomas, part. 3. qu. 79. art. 5.;* 7° *unio specialis cum Christo et membris eius*, ut patet ex *Ioanne, 6. 57: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo;* 8° *praeservatio a peccatis futuris*, tum quia aucta charitate per hunc cibum, anima fit validior contra naturam corruptam, tum quia est efficax

num virtute digestiva est repetenda. Neque solum exploratum est, faciliorem alios, alios difficiliorem habere digestionem, sed eundem quoque hominem pro diversis circumstantiis tum internis, habitu scilicet corporis et praesertim stomachi, tum externis, v. gr. pro caeli temperie, modo citius modo tardius cibos concoquere; nec raro contigisse scimus, ut concitato vomitu post longius spatium, semihorae v. gr. aut etiam horae sacramentales species tantum non integrae redditae fuerint.

memoria dominicae Passionis, per quam victi sunt daemones. — *S. Lig. n. 268. et 269., Hom. apost. n. 5.*

QUAER. 5° *An aliquando Eucharistia peccatum mortale delere possit?*

Resp. Affirm. probabilius, non quidem *per se,* sed *per accidens* ac mediate per infusionem gratiae, quando scilicet aliquis ignorans se versari in statu peccati mortalis, accedit ad Eucharistiam bona fide, et cum attritione de peccatis in antecessum commissis. Tunc nihil obstat, quominus Sacramentum suum producat effectum; sed effectum producere nequit, stante peccato mortali. Ergo debet peccatum illud *indirecte* tollere. — *S. Lig. n. 268.* — *Recole dicta de Sacramentis in genere, n. 192.*

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA EUCHARISTIAE

Agendum 1° de materia; 2° de forma Eucharistiae.

ARTICULUS I.

DE MATERIA EUCHARISTIAE

I. *De materia remota.*

276. **Principia.** — I. *Panis et vinum* sunt materia Sacramenti Eucharistiae remota. Constat 1° ex institutione ipsa huius Sacramenti; Christus enim in ultima coena accepit panem et vinum, et ea consecravit in Corpus et Sanguinem suum; 2° ex definitione Ecclesiae in *Conc. Lateranensi,* cap. *Firmiter; in Conc. Florent.* in Decreto unionis; *et in Trident. sess. 13.* in omnibus fere capitibus. — Accedit his omnibus unanimis traditio utriusque Ecclesiae Latinae et Graecae.

II. Solus panis *triticeus* et solum vinum *de vite* sunt materia valida Sacramenti Eucharistiae. Constat ex *Conc. Florent.* in Decreto supra citato, ubi dicitur: *Tertium est Eucharistiae Sacramentum, cuius materia est* PANIS TRITICEUS *et* VINUM DE VITE. — Concordat etiam perpetua traditio et praxis utriusque Ecclesiae Latinae et Graecae.

277. — III. Aqua modicissima vino permiscenda est, atque hoc non necessitate Sacramenti, sed praecepti ecclesiastici.

Ratio I[mi] deducitur 1° ex perpetua Ecclesiae praxi et universali Patrum traditione; 2° ex Declaratione Conciliorum, et praesertim *Florentini,* quod declarat materiam calicis *esse vinum de vite, cui modicissima aqua misceri debet;* et *Conc. Trid. sess. 22. c. 7.*

Ratio II[di] deducitur ex eo quod Christus, in institutione huius

Sacramenti, solum vinum designaverit, et Concilia, huius mixtionis mentionem faciendo, de solo praecepto loquantur, uti *Trident.* loco citato; accedit doctrina *Catech.* eiusdem *Concilii,* qui postquam docuit hanc mixtionem non posse sine peccato mortali praetermitti, addit: *Ea (aqua) tamen si desit, sacramentum constare potest.*

278. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An sit materia valida panis ex siligine seu secali confectus?*

Resp. Controvertitur. Alii *affirmant,* quia siligo, aiunt, videtur esse ex eadem specie ac triticum, licet sit diversae qualitatis. — Alii vero multo *communius,* et *probabilius negant;* quia panis siliginis est speciei diversae, nec a divitibus adhiberi communiter solet. In praxi igitur haec materia sub gravi prohibetur. — *Vide S. Lig. n. 200.*

QUAER. 2° *An sit materia valida panis ex farre seu spelta effectus?*

Resp. Pariter *controvertitur* ac de siligine. Unde illa quoque materia ut dubia, et proinde ut graviter illicita habenda est. — *S. Lig. ibid., et alii communiter.* — Attamen animadvertendum est, dari in variis regionibus diversas veri frumenti species, quae sub nomine *speltae* veniunt. Unde videtur esse attendendum ad communem hominum aestimationem.

279. — QUAER. 3° *An panis tam azymus quam fermentatus sit materia valida et licita Eucharistiae?*

Resp. 1° *Quoad validitatem, affirmative.* Ratio est, quia uterque est panis verus, ac simpliciter etiam in Scriptura panis dicitur; et uterque ex farina triticea et aqua naturali efficitur. Constat etiam ex definitione Ecclesiae. Sic enim *Conc. Florent.* in Decreto unionis: *Definimus in azymo, sive in fermentato pane triticeo, corpus Christi confici.*

Resp. 2° *Quoad liceitatem,* Latini tenentur sub gravi consecrare in *azymo*, et Graeci in *fermentato*, singuli iuxta Ecclesiae suae ritum. Constat 1° ex praxi utriusque Ecclesiae; 2° ex *Conc. Florent.* in Decreto citato, ubi additur: *Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem.*

QUAER. 4° *An peccet graviter Sacerdos consecrans in vino acescente?*

Resp. Affirm., licet illud vinum sit adhuc materia valida Sacramenti. Imo committitur peccatum mortale, non tantum si vinum sit aceto proximum, sed etiam si certo incipiat acescere et corrumpi, quia etiam sic gravis irreverentia Sacramento videtur irrogari. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 207.* — Constat etiam ex Rubrica *tit. 4. n. 2.,* ubi sic dicitur: *Si vinum coeperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre...., conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.*

Probabiliter tamen dicunt *Gobat, Sporer, Lacroix,* quod deficiente alio vino liceat sine scrupulo, prout solent viri probi, adhi-

bere vinum paulisper acescens, seu non notabiliter acidum (*a*). — *S. Lig. ibid.* — Unde Rubrica non videtur accipienda cum tanto rigore, ut comprehendat omnes etiam primos gradus acrimoniae, sed tantum illos qui proxime incipiunt constituere vinum acescens. — *S. Lig. Hom. apost. Append. 3., Exam. ordinand. n. 98.*

280. Quaer. 5° *An vinum congelatum sit materia valida?*

Resp. Controvertitur. Affirm. probabilius. Ratio est 1° quia remanet substantialiter vinum, cum retineat eumdem colorem, saporem, odorem; 2° quia ex Rubrica Missalis species vini congelatae post consecrationem debent liquefieri admotis pannis calefactis, et deinde sumi, quippe quod est verum Sacramentum *(Rubr. de defect. §. 10. n. 11.)*. Ergo supponit speciem vini congelati retinere Sanguinem Christi; ergo sacrae species non mutantur substantialiter per congelationem post consecrationem; ergo nec ante. — *Ita S. Lig. n. 207.*, ubi dicit esse sententiam veriorem ob rationem ex citata Rubrica deductam.

Quaer. 6° *Quaenam quantitas aquae sit in calice immiscenda?*

Resp. Sufficit aquae modicissima quantitas, ut dicit *Conc. Florent. supra n. 277. Probabiliter* potest infundi aqua usque ad octavam partem vini, imo usque ad quintam partem iuxta *Lugo, D. 4. n. 38.* Addit *Busembaum* sufficere, ut aqua tertiam partem non excedat. Sed in praxi haec ultima sententia non est admittenda, quamvis tertia pars non corrumpat vinum, si sit generosum. Generatim consulendum est, ne Sacerdos excedat octo vel decem guttulas. Quod si casu nimiam aquae quantitatem infuderit, iterum aliqua quantitas vini adiici poterit. — *S. Lig. n. 210.*

II. *De materia proxima seu de usu materiae requisitae in ipsa consecratione.*

281. **Principia.** — I. Ad validam consecrationem praeter materiam aptam requiritur 1° ut materia consecranda sit *physice praesens;* quia id necessario exigunt pronomina demonstrativa formae *hoc, hic:* aliter enim forma foret falsa, quia demonstraretur praesens id, quod non esset praesens; 2° ut per intentionem Ministri in individuo sit determinata: quia sicut non consecrat Minister, nisi intendat consecrare; ita nec hanc materiam consecrat, nisi illam determinate intendat consecrare. Non requiritur tamen determinatio actualis, sed virtualis sufficit. — *S. Lig. n. 211-214.*

II. Ad licitam consecrationem requiritur, 1° ut Sacerdos nullatenus recedat ab usu Ecclesiae praesertim Rubricis Missalis Romani determinato: hinc imprimis necesse est, ut materia consecranda sit decens et munda ob reverentiam tanto Sacramento debitam;

(*a*) Vix reipsa cum his cohaerere praecedentia videbuntur. Nam si probabiliter licet adhibere *vinum paulisper acescens*, quomodo gravis culpae reus est quisquis vinum adhibeat, quod *incipit* acescere?

2° ut sit reposita in altari et in corporali, imo et in petra sacra, iuxta *Benedictum XIV. de Sacrificio Missae, sect. 2. n. 139.*; 3° ut ciborium vel calix consecrandus sit discoopertus; 4° ut fiat tempore canonis Rubrica praescripto. — *Vide S. Lig. n. 218. et 219.*

282. **Resolves.** — 1° Valide consecrantur hostiae sub aliis latentes, aut aliter tectae. Item valide consecratur vinum in calice velo, palla, aut quavis ratione cooperto; quia sufficit ad veram materiae praesentiam, ut per pronomina *hoc* vel *hic* demonstrari possit. — *S. Lig. n. 212.*, etc. *et alii communissime* (*a*).

** (*a*) Addi solet hic quaestio: *quid agendum, si particulae non consecratae misceantur consecratis?* Busembaum apud S. Alphonsum (*Lib. 6. n. 216.*) duplicem sententiam innuit, scilicet *vel totus cumulus ad altare est deferendus, ut sacerdos intendat consecrare non consecratas, vel potius totum cumulum consecret sub conditione, si non sint consecratae.*

Et posteriorem sententiam sequitur S. Alphonsus, subdens: *Et hoc potius faciendum est, quia in consecrando hostias non consecratas deficit vera determinatio materiae, nec potest verificari verbum* hoc, *unde debent consecrari omnes hostiae sub conditione, ut valide consecrentur. Ita Lugo Disp. 4. n. 136., Salmant. Cap. 4. n. 129. cum Laymann, Dicast., Aversa, Leand., Diana etc.*

Displicet, quod S. Doctor post Salmant. patronis huius sententiae accenseat Laymann, et Aversa, qui manifeste stant pro opposita. Sic enim Laymann (*Lib. 5. Tr. 4. Cap. 2. n. 12.*): *Potest, ac debet totus cumulus ad altare deferri, ut sacerdos intendat consecrare illas tantum, quae consecrationem non acceperunt.* Et Aversa (*De Euch. Q.2. Sect.2.*): *Si admisceantur aliquae hostiae non consecratae aliis consecratis..., et sacerdos determinet consecrare illud, quod consecratum non est,.... non valere et non sufficere, censet Lugus..... Videtur tamen valere et sufficere.*

His accessit Marcus Struggl (*Tr. 10. Q. 1. art. 2. n. 32.*) inquiens: *In tali casu totum illum cumulum hostiarum esse in alia missa consecrandum cum hac intentione: Hoc totum volo consecrare, secundum quod est consecrabile. Ita Laymann, Tamburini, et plures alii.* Et revera sic habet Tamburini (*meth. celebr. miss. Lib. 2. C. 1. §. 3. n. 10.*): *Si accidat per alicuius incuriam misceri particulas consecratas cum non consecratis, consecretur totus cumulus cum intentione consecrandi eas, quae consecratae non fuerint.* Nec aliter Kresslinger (*Append. ad Anacl. Tr. 14. Dist. 4. Q. 4. add. 4.*): *Respondeo, talem cumulum adhuc posse consecrari taliter, ut intentio consecrandi feratur ad non consecratas.* Allegat deinde quinque alios, inter quos et Felicem Potestas. Ex quibus satis colligitur, utram harum sententiarum quis amplectatur, satis gravi eum inniti auctoritati.

Illud tamen videri *singulare* potest, quod Lugo, qui auctor haberi potest sententiae a S. Alphonso cum Salmanticensibus magis probatae, dubitet deinde, an licite id fiat. *An vero* (inquit n. 139.) *posset licite consecrare sub conditione omnes, ut non maneret mixta illa alia non consecrata, non video necessitatem sufficientem ad reiterandam formam sub conditione super illas omnes hostias consecratas... Alioquin liceret etiam iterum sub conditione consecrare calicem, in quem post consecrationem casu infusa fuisset gutta vini non consecrati; quod tamen nemo admittet.*

S. Alphonsus (*l. c.*) post Salmanticenses mere respondet, *licite id fieri posse, ut dicunt Salmanticenses, Laymann, Dicast., Diana, et Leander*; nec quicquam aliud addunt Salmanticenses. At vero omisso Laymann, quem abs re utpote contra sentientem, citari diximus, Dicastillus enimvero difficultatem non solvit. Nam Lugo (*l. c.*) ad vitandum inconveniens, et difficultatem repetitae consecrationis, ut ut conditionatae, super particulas,

2° Valida est consecratio, si Sacerdos putet unam tantum vel duas hostias consecrandas adesse, cum sint plures sive a se, sive ab alio appositae; ratio est, quia Sacerdos semper praesumitur velle consecrare, quidquid est decenter consecrabile. Unde si celebrans advertat post consecrationem duas hostias esse simul iunctas, utramque ut consecratam sumat iuxta Rubricam Missalis. Si vero ante consecrationem, postquam obtulit, id advertat, alteram seponat, et post Missam ipse vel alius sumat tamquam panem benedictum. — *S. Lig. n. 216., et alii omnes.*

3° Idem dicendum, si quis ad altare plures hostias consecrandas attulerit, vel ante Sacrificium monitus fuerit de consecrandis hostiis iam super altare positis, vel animadverterit ab alio afferri ut consecrentur, etsi dum consecrat, non ita expresse earum meminerit, aut etiam ad oblationem non detexerit, modo sint praesentes in corporali; quia intentio praecedens virtualiter perseverat. — *S. Lig. n. 216.*

4° Non consecrarentur hostiae, inscio Sacerdote, etiam in corporali positae (*a*), quia Sacerdos penitus inscius intentionem illas consecrandi non habuit.

5° Si parvae hostiae pro communicando populo afferantur Sacerdoti paulo post factam oblationem, licite eas consecrare poterit, suppleta oblatione mentaliter. — *S. Lig. ibid.*

283. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An censendum sit consecratum ciborium ex oblivione extra corporale relictum?*

Resp. Controvertitur. I^a Sententia *probabilis affirmat.* Ratio est, quia iam adfuit voluntas positiva consecrandi illud ciborium in

quas certo constat esse consecratas, proponit, ut *dentur singulis in communione duae ex illis particulis: sic enim certum esset, singulos accipere aliquam hostiam consecratam.* Verum Dicastillus (*De Euch. Disp. 4. n. 139.*) mere reponit, hanc viam a Lugo indicatam pluribus et gravibus inconvenientibus subiici: atque adeo potius tolerandum illud inconveniens, consecrandi nempe conditionate etiam particulas certe consecratas. At haec responsio, ut patet, non probat contra Lugo eiusmodi consecrationem non esse illicitam. Hinc nihil mirum, quod alii praeferendam duxerint diversam Laymanni sententiam, nec multum detulerint rationi, quam huic sententiae Lugo obiecerat. *Si sacerdos,* ait Lugo (*l. c. n. 139.*) *solum dirigeret verba ad illam hostiam, quae non erat consecrata, et de illa sola vellet loqui, tunc non haberet intentionem conditionatam consecrandi, sed absolutam, quam diximus probabiliter impossibilem, eo quod non posset designari ullo modo hostia, de qua vult sacerdos loqui.* At enim qui sententiam Laymann sequuti sunt, *probabilem* istam impossibilitatem designandi hostiam non vident. Quod quidem multo facilius apparebit, si animadvertatur, formulam consecrationis non esse mere indicativam, sed transubstantiationis effectricem, adeo ut particulae *hoc* vel *hic* deserviant ad determinandam potius, quam ad indicandam materiam, ad quam fertur sacerdotis consecrantis intentio: quae quidem materiae determinatio in casu nullam reipsa videtur difficultatem praeferre.

(*a*) Erunt tamen, qui huius resolutionis cohaerentiam desiderent cum principiis, quibus innititur praec. resolutio secunda.

principio Missae, nec illa voluntas fuit retractata; ergo perseveravit virtualiter tempore consecrationis.

II[a] SENTENTIA negat. Ratio est, quia intentio illa consecrandi extra corporale fuisset peccatum grave, et proinde Sacerdos illam habuisse non praesumitur (*a*).

(*a*) Ista ratio supponit generale hoc principium, quod non possit in sacerdote praesumi intentio consecrandi, quoties circumstantia quaepiam, licet eidem sacerdoti ignota, intercedat, quae si ab ipso nosceretur, eum a consecrando deterreret, ne scilicet ageret illicite. Atqui eiusmodi principium neminem puto aut admisisse unquam, aut aliquando admissurum. Et sane illicitum, et quidem ex DD. sententia graviter illicitum est, in calice non consecrato, aut in corporali non benedicto missam celebrare, aut materiam utique validam sed illicitam, v. gr. panem fermentatum in latina Ecclesia consecrare. Porro quisnam contendat, si eiusmodi calix aut corporale, aut materia sacerdoti id non advertenti porrecta fuerit, non posse praesumi, eum intentionem celebrandi illicite habuisse, atque adeo valide non consecrasse? Addiderim autem, immerito quosdam (*Vid. S. Alphonsum Lib. 5. n. 217.*) secundam opinionem ceu *communem* tradere. Facile enim et pro prima haud pauciores DD. allegari possent.

** Contra brevem hanc Notam quindecim columnas (*Pag. 379-386.*) VV. scripserunt. Duce autem Roncaglia, sistunt in exemplis, quae afferuntur in Nota, *calicis non consecrati, aut corporalis non benedicti, aut panis fermentati,* in quibus (uti ratiocinantur) si quidem intentio deesset, gravissimum et prorsus vitandum sequeretur incommodum aut omnino irriti aut mutili sacrificii. In hisce ergo adiunctis (inquiunt) semper praevalet intentio sacrificium perficiendi. Hoc autem incommodum abest, si solum agatur de particulis, quas consecratio non attingat; quoad istas igitur intentio vitandi defectum contra rubricas, quae semper alioquin praesumi in sacerdote debet, praevalere intentioni consecrandi debet. Particulae ergo extra corporale positae non sunt habendae ceu consecratae.

Resp. Ista Roncagliae argumentatio nimis se prodit infirmam, quippe quae, etsi valere quidpiam posset in iis exemplis sistendo, vim tamen omnem amittit, si exempla mutentur. Et sane finge cum Elbel (*De Sacram. Conf. 12. n. 49.*), sacerdotem pyxidem non detexisse, aut pyxidem non esse consecratam, aut pyxidem extra corporale mansisse. Equidem, ut (*l. c.*) Elbel advertit, in hisce adiunctis per se illicite particulae consecrarentur. At enim in duplici priori hypothesi pyxis super ara seu corporali iacebat, et in tertia hypothesi basis pyxidis fortuito, dum sacerdos eam propius vult admovere, sub corporali atque adeo extra illud manet. Interim vero sacerdos ista adiuncta, quae per se consecrationem redderent illicitam, aut ignorat aut nullo modo advertit; et alioquin intentionem consecrandi particulas intra canonem quoque renovat, imo in tertio casu cum actuali intentione et pyxide detecta particulas consecrat. Quaero: concludemusne, in triplici ista hypothesi particulas non habendas esse uti consecratas, ob eam nempe rationem, quod (praeter intentionem absolutam ad perficiendum sacrificium necessario ponendam) praesumi alias nunquam possit intentio consecrandi, quoties quaepiam circumstantia, utcumque ignorata, consecrationem efficeret illicitam?

Nimirum ut apte de his iudicetur, opus est ut diversae distinguantur hypotheses, quae utique diversum patiuntur aut etiam exigunt iudicium. Equidem nemo abnuerit, fieri posse, ut v. gr. praemonitus in sacrario Sacerdos de particulis consecrandis, suam tunc intentionem apposuerit; veruntamen particulae non dubie sed certe censendae sint non consecratae, si v. gr. clericus, Missae deserviens, allatas a se particulas in cornu epistolae lignea aut chartacea capsula clausas reliquerit. Et utique ratio hic

In praxi ciborium illud denuo consecrandum erit sub conditione in alia Missa. Possunt etiam illae particulae absumi post utramque Communionem, sed ante purificationem. — *S. Lig. n. 217.*

QUAER. 2° *An censeatur consecratum ciborium positum quidem in*

reddatur, quod unica illa praedicta sacerdotis intentio ad eiusmodi in iis adiunctis consecrationem nullatenus se porrexerit. Num vero concludendum idcirco erit, si quid vel leve ex iis, quae in rubricis praescribuntur, fortuito et inadvertenter excidat, semper in sacerdote praesumendam esse absentiam intentionis, utcumque idem sacerdos bona fide agens etiam actualem inter consecrandum intentionem habeat, propterea quod (ut aiunt) generalior in ipso praesumatur intentio nunquam consecrandi in iis adiunctis, in quibus non sine aliqua culpa quispiam rei conscius consecraret? Si ita se res habet, *dicendum esset,* uti bene advertit Reuter (*Part. 4. n. 155.*), *quod deficeret intentio in operante, quoties operatur contra legem invincibiliter ignoratam, aut hic et nunc non cognitam. V. gr.* (subdit) *in baptizante, ordinante, contrahente matrimonium, deesset intentio, quando subiectum sacramenti suscipiendi non haberet dispositionem requisitam ad fructum sacramenti, a conferente invincibiliter ignoratam.* Atqui admitti haec nullo modo possunt, et rationem addit (*Ibid.*) ipse Reuter, *quia gravia incommoda inde sequerentur, adeoque ex voluntate Christi debet adesse nihilominus intentio.*

Et Reuter quidem (*l. c.*) gravia *haec incommoda dicit non sequi ex intentione non consecrandi hostias extra corporale positas:* idque verissime dictum putabimus, si supponamus, eiusmodi defectum non manere occultum, sed statim animadverti. At enim finge, quaeso, neque sacerdotem neque alios defectum advertisse; et proinde eas particulas adorari, in tabernaculo reponi, et fidelibus eucharisticum panem petentibus distribui, imo et ad infirmos pro viatico deferri. Numquid vero minus gravia haec acciderent incommoda? Gravissima itaque illa ratio, qua Reuter evincebat falsitatem illius principii generatim sumpti, nempe deesse in operante intentionem, quoties operatur contra legem invincibiliter ignoratam, haec, inquam, ratio et in casu nostro vim suam omnem manifeste retinet.

Inquirendum potius videtur, num et quomodo conciliari queant sententiae Doctorum in hac quaestione, ut videtur, dissidentium. Porro ad id valde conferre potest, si inspiciatur, num de eadem an de diversa hypothesi Auctores disputent. Quis enim non videt, etiam de pyxide extra corporale sita multiplices hypotheses fingi posse? Et quidem duas ex his extreme oppositas cogitare possumus, de quibus vix aut ne vix quidem possibilis videtur dissensio. Altera est de pyxide, quam sacerdos non advertat extra corporale esse sitam, et quam simul actuali cum intentione consecret. Quis enim valide consecratas particulas negare aut dubitare posset? Altera est de particulis a clerico allatis, sed deinde ab ipso ex oblivione relictis in cornu epistolae capsula inclusis, utcumque in sacrario sermo cum sacerdote de iis consecrandis iniectus fuerit. Neque enim videtur posse eas quispiam consecratas censere.

Dubium igitur superest de casu quando sacerdos quidem virtualem tantummodo intentionem inter consecrandum habuisse supponatur, nec tamen particulae situ tam dissito aut minus decenti sint repositae, ut plane inverisimilis sit coniectura de intentione circa ipsas. Huius porro quaestionis solutio non aliunde petenda videtur, quam ex perpensa praecedenti actuali sacerdotis intentione, quousque videlicet sese porrexisse putanda illa sit, atque adeo quousque sese porrexerit et intentio virtualis; non magis enim virtualis extendi praecedenti actuali potest; quocirca reipsa validitas aut invaliditas consecrationis ex hac dicenda est pendere. Reiecta autem, ut superius vidimus, ea norma commensurandi intentionem,

corporali, sed quod ex oblivione remansit clausum tempore consecrationis?

Resp. Affirm. Ratio est, 1° quia certe possunt valide consecrari hostiae in ciborio clauso, ut supra dictum est; 2° quia Sacerdos semper censetur habere intentionem absolutam consecrandi quidquid ipso sciente est supra corporale, et est honeste consecrabile, et habetur per modum continui. — *Ita Reuter,* etc.

Obiicies: Ex dictis in quaesito praecedenti, *probabiliter* non est consecratum ciborium extra corporale relictum, quia Sacerdos non censetur velle peccare; *a pari* in praesenti casu ob eamdem rationem.

Resp. Neg. paritatem. Licet enim Ecclesia velit ciborium aperiri pro maiori reverentia, attamen cum haec irreverentia non videatur notabilis, possitque hoc frequentius contingere, praeceptum hoc non adeo urget, sicut praeceptum non consecrandi extra corporale. Asserit *Reuter* hanc esse communem Doctorum sententiam.

284. — QUAER. 3° *An censeantur consecratae guttae vini inhaerentes calici sive exterius sive interius?*

Resp. 1° Guttae exterius inhaerentes nunquam censentur consecratae. Ratio est, quia merito praesumitur, intentionem Sacerdotis esse consecrare illud unum, quod est licite consecrabile; illicite autem et irreverenter, et absque ulla utilitate illae guttulae consecrarentur. Ergo... — *Ita omnes.* — *S. Lig. n. 215.*

Resp. 2° *Probabilius* nec consecratae censentur guttae interius inhaerentes, et omnino a maiori quantitate separatae. Ratio est, quia non videtur esse intentio Ecclesiae, adeoque nec Sacerdotis, consecrare nisi vinum, quod per modum unius potabile est, et in calice reperitur congregatum. — *Ita communius* cum *Suarez, Laymann,* etc., contra *alios.* — *Vide S. Lig. ibid.*

QUAER. 4° *Quale sit peccatum consecrare hostiam fractam vel maculatam?*

quae desumitur ex voluntate non faciendi quidquid *per se* foret utcumque illicitum, illud iam superesse videtur, ut dicamus, eam virtualem intentionem sufficere ad consecrandas illas particulas, circa quas sacerdos, non advertens tunc indebitum particularum situm, actualem intentionem habere potuerit. Itaque si ibi collocatae particulae sint, ubi sacerdos, non advertens esse extra corporale, satis tamen praesentes putare potuerit, atque adeo actualem intentionem eas consecrandi habere, dicemus intentionem eas consecrandi non defuisse; secus vero, si particulae eo loci iaceant, ut sacerdos non potuerit satis praesentes censere, atque adeo actualem intentionem eas consecrandi habere.

Et ex his iam patet, quid dicendum sit de tot illis Auctoribus, quos VV. (*Pag. 380-384.*) ingenti labore congesserunt, ut confirmarent, opinionem S. Doctoris Alphonsi posse dici communem. Inspiciendum est nimirum de quanam hypothesi loquantur. Si enim de iis adiunctis agant, in quibus fateri omnes debent, intentionem sacerdotis non posse praesumi, manifestum est, eos perperam nobis obiici. Quod si ulterius quis contendat, sententiam, quam de peculiari hypothesi Auctores tulerunt, transferendam es e, ceu generale quoddam principium, ad quamlibet aliam hypothesim, suum hunc sibi paralogismum habeat

Resp. Secluso scandalo, est tantum veniale (*a*), nisi macula vel fractura sit enormis. Si tamen deprehendatur aliqua fractura vel macula etiam notabilis in hostia post oblationem, licite talis hostia consecrabitur (*b*), quia iam per oblationem fuit aliquatenus Deo dicata et sanctificata. — *S. Lig. n. 204., et alii communiter* (*c*).

(*a*) S. Alphonsus (*cit. n. 204.*) dicit, esse veniale, si fiat *sine rationabili causa.*

(*b*) S. Alphonsus limitat, *nisi scandalum populi timeatur.*

** (*c*) Addi solet hic quaestio, *An consecratio unius speciei sine altera sit valida.* Et S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 196. dub. 3.*) duplicem casum distinguit: primum, *si id casu accidat;* alterum, *Si sacerdos positivam habet intentionem consecrandi unam tantum speciem sine altera.* Quoad primum autem respondet: *Nemo dubitat, quin valida sit, si id casu accidat.* Quoad alterum vero respondet: *Negat Lugo De Euch. Disp. 19. n. 103., quem sequitur Renzi.... Alii communiter affirmant.*

Verum prorsus immerito absurda haec opinio tribuitur Ioanni Lugo, qui disertissime (*Ibid. n. 104.*) scribit: *Omnes sacerdotes consecrantes, sive per errorem, sive ex industria, unam speciem sine alia, valide consecrant.* Porro qui *ex industria unam speciem sine alia consecrat,* profecto *positivam habet intentionem*, prout S. Alphonsus habet, *consecrandi unam tantum speciem sine altera.*

Utique Lugo postquam scripserat (*Ibid. n. 102.*), ab omnibus reiici sententiam eorum, qui dixerunt, *consecrationem unius speciei fore invalidam, quia absque ullo fundamento contra veritatem verborum id asserit: cum enim consecratio cuiuslibet speciei sit absoluta, statim habet suum effectum ante consecrationem alterius speciei,* deinde de illa ipsorum sententia (*Ibid. n. 103.*) subdit: *Caeterum sententia haec, si debito modo explicetur, prout ab eius Auctoribus fortasse intelligebatur, non est absurda, sed vera.* Verum id non affirmat de hypothesi S. Alphonsi, scilicet, *si sacerdos positivam habet intentionem consecrandi unam tantum speciem sine altera;* sed de hypothesi omnino diversa, sacerdotis videlicet consecrantis et quidem etiam consecrantis non unam tantummodo, sed ambas species, exclusa tamen penitus et efficaciter intentione offerendi sacrificium.

Videlicet explicat Lugo, quomodo de sacrificio Missae ratiocinandum sit non secus, ac de sacramento matrimonii dicere solemus, ita institutum nempe a Christo Domino fuisse matrimonii sacramentum, ut pro baptizatis ratio sacramenti a ratione matrimonii disiungi nullo modo possit: et a pari rationem sacramenti in Eucharistia ita se habere, ut ex Christi Domini institutione simul rationem sacrificii habeat. Proinde quemadmodum nullum inter Christianos existere potest matrimonium, quod non sit sacramentum; ita nullo modo fieri posse, ut Eucharistiae conficiatur consecratio, et simul haec non habeat rationem sacrificii. Inde vero consectarium, quod quemadmodum irritum et invalidum esset matrimonium illius, qui vellet utique illud contrahere, simul tamen absolute et efficaciter nollet recipere sacramentum; ita invalida foret etiam utriusque speciei consecratio, si sacerdos, formam proferens, absolute et efficaciter vellet intentione sua sacrificium excludere.

Ita Lugo: *Suppono id, quod communiter nostri Theologi supponunt, et docent, Christum scilicet ita instituisse hoc sacramentum, ut simul illud instituerit in ratione sacrificii nec voluerit fieri sacrificium sine sacramento, nec sacramentum sine sacrificio...; ita ut sacerdotes neque extra sacrificium consecrare possent, neque absque consecratione possent sacrificium offerre, ut probat Suarez....*

Hanc vero doctrinam sic applicat hypothesi consecrantis unam speciem (*l. c. n. 104.*): *Consequens est, ut qui vult consecrare hostiam solam,*

ARTICULUS II.

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIAE

Sicut in Sacramento Eucharistiae duplex est distincta materia, ita duplex quoque est forma consecrationis, una panis et altera vini.

285. **Principia.** — I. Forma pro consecratione panis consistit in his verbis: *Hoc est enim Corpus meum.* Haec autem verba, aut aequivalentia, sunt omnino formae essentialia, si verbum *enim* excipias.

Constat 1° ex universali praxi Ecclesiae, et ex eius praecepto in Missali Romano; 2° ex *Concilio Florent.* in Decreto unionis, et *Trid. sess. 13. c. 1.*; 3° ex ipsa institutione divina; nam Christus transubstantiavit panem in Corpus suum praedicta verba proferendo.

II. Forma pro consecratione vini ista est: *Hic est enim Calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium Fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Constat pariter 1° ex praxi et praescripto Ecclesiae; 2° ex variis Evangelistis, qui etsi non omnino eadem verba referant, perfecte tamen quoad hunc sensum concordant.

et non offerre sacrificium, sed excludendo oblationem sacrificii, nihil faceret, quia non habet potestatem ad consecrandum nisi per modum sacrificii. De facto tamen omnes sacerdotes consecrantes, sive per errorem, sive ex industria, unam speciem sine alia, valide consecrant: quia non excludunt omnino efficaciter intentionem sacrificandi, sed volunt consecrare meliori modo, quo possunt, atque ideo volunt saltem implicite per consecrationem hostiae, v. gr., inchoare sacrificium taliter, ut quantum est ex se, possit compleri per consecrationem calicis, si apponatur: unde iam habent tunc aliquam intentionem offerendi partialiter in consecratione hostiae. Caeterum si Sacerdos... praevidens, non posse offerri sacrificium absque consecratione utriusque speciei, et praevidens non posse consecrari utramque, vellet consecrare unam, excludens omnino intentionem offerendi etiam partialiter, vel inchoandi sacrificium per illam consecrationem, per voluntatem omnino efficacem modo explicato; tunc dicimus, quod non consecraret, quia voluntas consecrandi debet esse ad minus voluntas implicita offerendi partialiter, seu inchoandi oblationem sacrificii; et in hoc sensu praedicta sententia vera esset.

Lugo igitur non dicit invalidam unius speciei consecrationem, quando solum quis positivam intentionem habeat unam speciem sine altera consecrandi; nam validam esse affirmat, licet *ex industria* unam speciem sine altera consecret; sed invalidam pronunciat, quando in hac ipsa unius speciei consecratione quis quamlibet voluntatem etiam partialiter inchoandi sacrificium, seu partialiter offerendi efficaciter excludat, non secus ac si voluntatem recipiendi sacramentum quis efficaciter excluderet, dum matrimonium contrahere intendit. Quae quidem sacramenti efficax voluntas exclusa censetur, quando quis eo animo sit, ut si sciret, celebrari verum matrimonium non posse, nisi simul sacramentum recipiatur, iam et ipsum contractum matrimonii nollet.

286. **Resolves.** — 1° Valida, sed illicita est consecratio, si consecrans dicat: *Hic cibus est Corpus meum, hic calix est Sanguis meus.* — Item si proferas *Colpus* pro *Corpus* (*a*), *meus* pro *meum, es* pro *est, calis* pro *calix, Sanguis* pro *Sanguinis,* etc... Hinc deducitur, non posse excusari a peccato veniali, qui debitam diligentiam non adhibet ad verba consecrationis rite pronuntianda. — *S. Lig. n. 221.*

2° Invalida erit consecratio, si dicas: *Hic* (adverbialiter) *est Corpus meum, hoc Corpus est meum,* vel *hic Sanguis est meus,* quia haec verba non habent sensum, quo id significent, quod operari debent. — *S. Lig. ibid.*

3° Dubia est consecratio, si dicas: *Haec est Caro mea; illud est Corpus meum; ille est Sanguis meus.* — *S. Lig. ibid.*

4° Verba formae proferri debent in persona Christi *formaliter* et *assertive,* seu *recitative* simul et *significative,* non vero historice tantum: scilicet proferenda sunt verba Christi applicando eorum significationem ad materiam praesentem, ut haec transubstantietur in Corpus et Sanguinem Christi. Attamen scrupulus non est habendus, an verba sensu debito proferantur; nam quivis Sacerdos praesumitur habere intentionem id faciendi, quod Christus fecit et instituit, et sic intendit sufficienter verba consecratoria proferre in utroque praefato sensu. — *Elbel, n. 34.* — *S. Lig. de Euch. n. 220....,* etc.

387. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An omissio vocis* ENIM *in forma consecrationis sit gravis?*

Resp. Controvertitur. I^a^ Sententia *probabiliter negat*, quia vox illa non reperitur in verbis a Christo prolatis, et aliunde quoad Ecclesiae praeceptum non videtur constituere materiam gravem. — *Ita S. Lig. n. 220.*

II^a^ Sententia *affirmat,* et hanc *S. Lig.* dicit non esse improbabilem. Ratio est, quia in re tam gravi non videtur dari levis materia in quacumque mutatione deliberata. Sed haec sententia parvi facienda videtur (*b*).

Quaer. 2° *An in consecratione requirantur ut essentialia illa verba antecedentia:* QUI PRIDIE QUAM PATERETUR, etc... SIMILI MODO, etc...?

Resp. Neg. cum sententia communi, quam tenet *S. Lig. n. 222.* — *Lugo, etc.* Ratio est, quia haec verba historice tantum proferuntur,

(*a*) Excipe, nisi imperfectus pronunciandi modus e naturali vitio oriatur sacerdotis, cui litterae alicuius pronuntiatio sit difficilis, vel impossibilis.

(*b*) Quando agitur de imponenda obligatione, aut etiam de asserenda reatus gravitate, prorsus inutile est probabilitates ad eum finem in medium proferre. Nemo quippe tenetur hasce probabilitates ceu propriae conscientiae normam adhibere, neque licite Confessarius cum aliis hac uti norma potest. Multo vero magis id valet, quando istae probabilitates insuper sint incertae, obque solidi fundamenti defectum claudicantes seu nutantes appareant. Quoad culpae gravitatem quam caute incedere oporteat, confer DD. unanimem sensum *in not. ad n. 152. vol. I.*

nec ullam efficaciam sacramentalem habere videntur. Attamen si aliquando ob dubiam consecrationem forma repetenda sit, iuxta Rubricas incipiendum erit ex verbis: *qui pridie*, et *simili modo* (*a*). — *Vide S. Lig. n. 222.*

QUAER. 3° *An in consecratione calicis sola haec verba:* HIC EST CALIX SANGUINIS MEI... *sint de essentia formae?*

Resp. Affirm. Ratio est 1° quia verba consecrationis panis sunt haec: *Hoc est Corpus meum.* Ergo *a pari* verba consecrationis vini sunt tantum haec alia: *Hic est sanguis meus*, vel alia aequivalentia. 2° Quia sola illa verba *per se* exprimunt praesentiam sanguinis Christi sub speciebus vini. — *Ita communiter* contra *aliquos.* — *Vide S. Lig. n. 223.* (*b*).

QUAER 4° *An valeat forma, si dicatur:* HOC ENIM CORPUS MEUM, *subintelligendo* EST, *ut in lingua latina frequenter fieri solet?*

Resp. Neg. Nam licet in continua oratione verbum substantivum facile subintelligi possit, in casu tamen praesenti fieri nequit; tum quia non habetur oratio continua, tum praesertim quia in re de qua agimus, forma non habet tantum sensum assertorium, ut in sermone communi, sed etiam vim transubstantiationis efficientem. — *S. Lig. n. 223., et alii communissime.*

** (*a*) Nemo reipsa asseruit, verba illa, *Qui pridie etc.* requiri tamquam pertinentia ad essentialem consecrationis formam; Scotus tamen contendebat, esse necessaria, quia secus verba essentialia, *Hoc est corpus meum,* potiusquam ad Christum, ad ipsum sacerdotem referri videntur.

Porro VV. (*Pag. 931. n. 92.*) ad hunc locum P. Gury monendos lectores censuerunt, S. Alphonsum (*Lib. 6. n. 222.*) de Scoti opinione scripsisse: *Non audeo dicere improbabilem.*

Resp. Sed secus visum est aliis. Nam de ea Vasquez (*In 3.Part.Disp.198. Cap. 1. n. 3.*): *Haec tamen sententia Scoti* (inquit) *tamquam improbabilis merito ab omnibus reiicitur.* Et Suarez (*In 3. Part. Tom. 3. Disp. 59. Sect. 1.*): *Sed haec sententia est certe improbabilis.* Et Coninck (*Quaest. 78. n. 25.*): *Repugnat communi sensui aliorum Doctorum, nec ulla est ratio id asserendi.* Et Lugo (*De Euch. Disp. 4. n. 39.*): *Haec sententia ab omnibus reiicitur.* Escobar autem (*Lib. 20. Sect. 2. Probl. 33. n. 220.*): *Merito quidem fere omnes auctores contra Scotum insurgunt, cuius fundamentum manifesta laborat infirmitate.* Et haec, ne plura inutiliter congerantur, satis esse possunt.

** (*b*) Referunt hic VV. (*Pag. 931. n. 92.*) hoc S. Alphonsi iudicium (*Lib. 6. n. 223.*): *Utraque sententia est speculative probabilis. Sed in praxi certum est, quod sacerdos graviter peccaret, si non proferret omnia verba, quae in consecratione calicis habentur; et si forte tantum prima verba dixisset, utique deberet sub conditione integram repetere formam... iuxta rubric. tit. 16. n. 3.*

Ad quae alii forte advertent, utique nihil ambigendum de iis, quae ad praxim spectant. Quod vero *speculative* utraque sententia dicenda sit probabilis, reprehendi equidem non poterit, quisquis de hoc valde dubitet. Conf. Lugo (*De Euch. Disp. 11. n. 61.*), ubi merito dicit, sententiam quorundam negativam *habere contra se validissima argumenta.* Confer et Suarez (*Disp. 60. Sect. 1.*) dicentem, opinionem illam contra se habere *argumentum urgentissimum.*

CAPUT III.

DE MINISTRO EUCHARISTIAE

Agendum 1° de potestate Ministri; 2° de eiusdem obligatione; 3° de requisitis ad rite ministrandum; 4° de modo S. Eucharistiam ministrandi infirmis; 5° de modo eam asservandi.

ARTICULUS I.

DE POTESTATE MINISTRI EUCHARISTIAE

Minister Eucharistiae duplex est, scilicet alius consecrationis, alius dispensationis.

288. **Principia.** — I. Omnis et solus Sacerdos est Minister Eucharistiae conficiendae. Constat 1° ex *Scriptura;* Christus enim Sacramentum instituens, omnibus et solis Apostolis cum ipso recumbentibus, et proinde omnibus et solis, qui in sacerdotio illis successuri essent, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem, Luc. 22. 19;* ergo omnes et soli Sacerdotes hanc potestatem a Christo acceperunt; 2° ex *Conc. Trid. sess. 22. Can. 2. 3;* 3° tandem ex universali et perpetua Ecclesiae traditione.

II. Soli sacerdotes seu presbyteri sunt Ministri ordinarii dispensationis Eucharistiae. Constat 1° ex *Conc. Trident. sess. 13. c. 8.* ubi dicitur: *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a Sacerdotibus Communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent;* 2° ex praxi universali Ecclesiae.

289. — III. Diaconi vi suae ordinationis sunt Ministri Eucharistiae *extraordinarii,* ita ut possit eis committi huius Sacramenti dispensatio. Constat 1° ex praxi priorum saeculorum, in quibus Diaconi passim ex commissione Episcoporum, vel Presbyterorum, sive generali sive particulari, Eucharistiam ministrabant; 2° ex variis Conciliis, v. gr. *Nicaeno I. generali, Carthaginiensi IV.* etc.... — *S. Lig. n. 237.*

IV. Iure ordinario solus Parochus, aut illius Superior, potest Eucharistiam dispensare. Ad hoc enim requiritur iurisdictio, non quidem pro valore actus ut in absolutione, sed pro debito ministrandi ordine. Constat 1° ex Conciliis, praesertim ex *Carthag. I. Can. 7.,* et ex *Milevitano, Can. 18...,* etc...; 2° ex universali Ecclesiae praxi. Hinc qui sine licentia saltem praesumpta Parochi Eucharistiam ministrat, ius eius in re gravi violat, ideoque graviter peccat. Quando tamen Parochus concedit aliis licentiam celebrandi in sua Ecclesia, semper censetur concedere licentiam quoque ministrandi Euchari-

stiam, nisi contrarium exprimat; hoc etiam praxi communi confirmatur (*a*). — *S. Lig. n. 250. et seq.*

Non tamen ita facile praesumenda est licentia, si agatur de susceptione Eucharistiae *ex obligatione.* — *Vid. S. Lig. n. 235.* Quare quoad Communionem Paschalem consuetudo servanda erit (*b*); item Viaticum extra casum necessitatis sine licentia Parochi ministrare illicitum est.

290. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An ut Diaconus ministret, necessitas debeat esse extrema?*

Resp. Neg. cum sententia communi; sed sufficit necessitas gravis, nempe cum nullus adest Sacerdos, qui commode Eucharistiam ministrare possit. — *Ita S. Lig. n. 236.* — *Lugo.* — Sed ad id commissio Episcopi vel Parochi requiritur.

QUAER. 2° *An vel in quibusnam circumstantiis Religiosi sanctissimam Eucharistiam ministrare possint?*

Resp. 1° Semper Eucharistiam ministrare possunt in suis Ecclesiis vel per se vel per alios Sacerdotes, excepto die Paschatis (*c*). Sic ex privilegiis SS. Pontificum, praesertim *Pauli III. et Pauli IV.*

Resp. 2° Non possunt autem Eucharistiam ministrare 1° In suis Ecclesiis die Paschatis, ut modo dictum est. Intellige, si sermo sit de personis saecularibus, Monasterio non inservientibus (*d*), etsi iam antea praecepto annuae Communionis in propria parochia illae satisfecerint. Ita saepius *S. C. C.* Aliqui tamen asserunt, adesse constantem consuetudinem in contrarium, quae ius adstruat. — *S. Lig. n. 240.* (*e*). 2° In aliis Ecclesiis, nisi de licentia saltem

(*a*) Imo consuetudo habet, ut in quacumque ecclesia sacerdos missam celebret, Eucharistiam fidelibus, qui eiusdem participes fieri cupiant, distribuere possit.

(*b*) Alibi (*Vol. I. n. 480.*) adnotatum est, ex iure et universali Ecclesiae praxi communionem paschalem in propria cuiusque paroecia sumendam esse. Si qua autem alicubi consuetudo diversa vigeat, haec sane consensum eorum, qui ius habent de hisce disponendi, supponit.

(*c*) Romae excipitur etiam feria quinta *in Coena Domini.*

(*d*) Inservientes, qui paschalem communionem in ecclesiis Regularium sumere possunt, non quilibet intelligendi sunt, sed qui perpetui Regularium commensales sunt, et in monasteriis habitant, seu ut habet Syn. Trid. (*Sess. 24. c. 11.*) qui *actu serviunt, et intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt.*

(*e*) Ita sane S. Alphonsus (*l. c.*): *Roncaglia* (*Tr. 18. C. 4. q. 2. r. 2.*) *et Wigandt* (*Tr. 12. Exam. 4. n. 48.*) *asserunt, in hoc constantem esse consuetudinem in contrarium, quae iurisdictionem praebet.* Verum haec assertio reipsa est solius Roncagliae; nam Wigandt mere dicit, quod *moderna praxis id non improbat.* Roncaglia vero indisciplinatae illius assertionis testes utique appellat Card. De Lugo (*De Euch. Disp. 18. n. 50.*), et Fagundez (*De III. Praec. Eccl. Lib. 1. C. 5. n. 9.*). Sed enim horum neuter quidpiam habet de eiusmodi *consuetudine constanti;* uterque autem hoc unum dicit, interdictum illud, ne Regulares *in die Paschatis* Eucharistiam distribuant, probabiliter intelligi posse solum de communione, qua praecepto paschali fideles satisfaciant, non autem de communione, quae fiat ex

praesumpta Parochorum, aut Superiorum. 3° Nec, excepto necessitatis casu, extra Ecclesias in periculo mortis, nisi de licentia expressa Parochorum. Si autem facere id praesumant, excommunicationem latae sententiae incurrunt ex Const. *Apost. Sed.* Romano Pontifici reservatam.— *Elbel, n. 57.*— *Lugo,* etc.— *S. Lig. n. 240.*

devotione. Dixi autem *assertionem indisciplinatam;* nam cum DD. illi facultatem distribuendi Eucharistiam die paschatis tribuant Regularibus tamquam Constitutionibus pontificiis non contrariam; nihil huc ea pertinent, quae *de consuetudine iurisdictionem conferente* DD. disputare solent.

Caeterum praedicta Constitutionum Apostolicarum interpretatio satis improbabilem se prodit. Nam cum Summi Pontifices Regularibus privilegium concesserunt, ut etiam tempore paschali, excepto tamen die Paschatis, Eucharistiam fidelibus possent distribuere, manifestum est, non eam datam fuisse facultatem, qua reliquis diebus praeter diem Paschatis fideles Eucharistiam a Regularibus accipientes praecepto paschali satisfacerent, sed permissum fuisse, ut communionem ex devotione possent accipere. Ergo exceptio *diei paschatis* pertinet ad communionem etiam ex mera devotione sumendam, non vero ad communionem, qua praecepto ecclesiastico satisfiat. Et cum ita iam pluries hanc quaestionem definiverit S. Congregatio Concilii (Resolutiones vid. apud Benedictum XIV, *De Synod. Lib.9. Cap. 16. n. 3.*), haec in controversiam redire ulterius non debent.

** Monent VV. (*Pag. 931. n. 94. cum Not. 1.*), S. Alphonsum (*Lib. 6. n. 240.*) solum referre iudicium aliorum; verum ipsius sententiam sumendam esse ex Hom. Apostol. (*Tr. 12. n. 41.*); et sic evanescere difficultatem, quam P. Ballerini movet.

Resp. 1° In Nota difficultas movebatur circa assertiones Roncagliae, et de S. Alphonso mere notabatur, quod minus forte ad rem Roncagliae sociasset Wigandtum. Quae vero in Nota de Roncaglia dicuntur, silentio suo VV. probasse videntur. Caeterum num S. Doctor mere referret, an etiam putaret, rationem habendam assertionum Roncagliae, penitus tacebatur. Equidem verba S. Alphonsi ista sunt: *Refert Bened. XIV De Syn. Lib. 7. c. 42., declarasse S. C., non posse Regulares die paschatis ministrare Eucharistiam ex devotione communicantibus. Sed Roncaglia, et Wigandt asserunt, constantem esse consuetudinem in contrarium, quae iurisdictionem praebet.* Hic porro dicendi modus eorum esse videtur, qui priori loco relatis censent obstare ea, quae dein cum particula *sed* adversativa subdunt.

Resp. 2° Quod VV. addunt, sententiam S. Alphonsi desumendam esse ex *Hom. Apost.;* ego vero suspicor, non defuturos, qui tolerabiliorem putent sententiam, quam ex Opere morali retulimus. Verba S. Alphonsi (*Hom. Ap. Tr. 12. n. 41.*) eiusmodi sunt: *Imo apud Bened. XIV. adest Decretum Sacr. Congreg. 9. Iul. 1644., et confirmatum die 11. Iunii 1650., quo sancitum est, posse Episcopos prohibere Regularibus, ne die Paschatis ministrent Eucharistiam saecularibus, etiamsi ipsi satisfecissent praecepto Ecclesiae. Et quamvis die 31. Iun. 1687. eadem S. Congregatio ad instantiam parochorum Lovaniensium, qui contendebant, Patres Soc. Iesu non posse ministrare Eucharistiam toto tempore Paschali, responsum fuit, posse ministrare, excepto die Paschatis, tamen intelligendum est, praesupposita Episcopi prohibitione.* Atqui hanc sententiam vel maxime implexam dixeris. Habita enim ratione contextus, postrema illa S. Doctoris verba, *praesupposita Episcopi prohibitione,* insinuant, ideo solum Regulares non posse *die Paschatis* Eucharistiam ministrare, quod Episcopi obstet prohibitio, quasi nempe Regulares iure suo, nisi id prohibeat Episcopus, Eucharistiam ea die ministrare possint. Atqui admitti hoc nulla ratione potest. Et sane idem Benedictus XIV. (*De Syn. Lib. 9. C. 16. n. 3.*) diserte memorat, in privilegio Regularibus quoad Eucharistiam ministran-

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE EUCHARISTIAM DISPENSANDI

291. Principia. — I. Parochus seu quivis Sacerdos habens curam animarum, tenetur ex iustitia Eucharistiam subditis ministrare non solum in Paschate et in morte, sed etiam quoties rationabiliter petunt, seclusa tamen legitimi impedimenti causa. Ratio est, quia ad Parochum spectat ex quasi contractu providere, non solum ut fideles adimpleant praecepta, sed etiam ut non careant praesidiis, quae profectui spirituali valde prosunt. — *S. Lig. Hom. apost. n. 8.*

II. Sacerdos quilibet, sive secularis sive regularis, tenetur, deficiente Parocho, Eucharistiam morituro ministrare; secus in aliis casibus. Ratio *primi* est, quia quilibet ex charitate tenetur proximo suo in tanta extremitate constituto per hoc salutare et efficacissimum remedium succurrere. Ratio *secundi* patet. Nulla enim intervenit obligatio, sive ex iustitia, cum nullus sit contractus, sive ex charitate, cum non supponatur adesse casus necessitatis.

dam tributo a Paulo IV., et S. Pio V., *excipi expresse solam diem Paschatis resurrectionis dominicae.* Et infra subdit, quod *saepius Sacra Congregatio censuit, sola die solemnitatis Paschatis absolute prohiberi Regulares, ne Eucharistiam in suis Ecclesiis porrigant saecularibus etc.* Et rursus (*Ibid. n. 5.*): *In Apostolicis privilegiis facultas fit Regularibus ministrandi in suis Ecclesiis sacram Eucharistiam personis secularibus, expresse et nominatim excepta die Paschatis Resurrectionis Domini.* Ergo, seposita quoque Episcopi prohibitione, nequaquam licet Regularibus die Paschatis secularibus Eucharistiam porrigere; ex praemissis enim id iure superiore et generaliore, Pontificio nempe, manifeste cautum est. Enimvero si Regularibus fas non est Eucharistiam die Paschatis secularibus distribuere, tum quia privilegia ipsis quoad huius sacramenti administrationem concessa hunc diem expresse excipiunt, tum quia Apostolicae Constitutiones Eucharistiae per eam diem administrationem diserte ipsis interdicunt, tum denique quia per multiplicia S. Congregationis Decreta huius administrationis interdictum declaratum et iterato confirmatum est, satis profecto liquet, hoc ipsum non esse ullatenus repetendum ab aliqua, quae supponatur, Episcopi prohibitione.

At enim dices: 1° Nonne Benedictus XIV. (*De Syn. l. c. n. 5.*) haec habet: *Nullus autem Regularium querimoniae esset locus, si Episcopus illis interdiceret, ne solemni Resurrectionis die ulli secularium sacram Eucharistiam audeant ministrare?* 2° Nonne Decretum S. Congregationis 9. Iul. an. 1644. dicit, *posse* (Episcopos) *iisdem* (Regularibus) *prohibere, ut personis secularibus die Paschatis non administrent dictum Eucharistiae Sacramentum?*

Resp. Conc. Antec.; Neg. Consequentiam. Utique nullus Regularium querelis superesset locus, quippe qui nosse debent, Eucharistiae administrationem tot Apostolicis sanctionibus ea die sibi esse interdictam. Itemque posset utique Episcopus exigere et urgere, ut quod tot Decretis Apostolicis sancitum est, executioni mandetur. At non inde sequitur, Regularibus Eucharistiae administrationem licere, si nulla Episcopi prohibitio intercesserit.

292. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An Parochus teneatur etiam investigare infirmos Eucharistiam non petentes, ut eam ipsis ministret?*

Resp. Affirm., saltem si sint in gravi mortis periculo. Ratio est, quia officium est boni Pastoris curare, ut ovibus suis in tanto periculo constitutis tam salutare remedium suppeditetur. Colligitur praeterea ex Iure canonico, *Tit. de celebratione Missarum.*

QUAER. 2° *An Parochus teneatur per seipsum Eucharistiam subditis ministrare?*

Resp. Neg. Sufficit enim, si provideat, ut quisquis *opportune* petit, aut indiget, eadem non fraudetur. Potest igitur obligationem etiam per alios adimplere. Attamen praecavere debet, ne videatur otiosus et incuriosus, si munia sua habitualiter per alios adimpleat.

QUAER. 3° *An graviter peccet Parochus, quoties Eucharistiam denegat rationabiliter petenti?*

Resp. Neg. Si enim raro id faciat, v. gr. erga unum aut alterum, secluso scandalo aut gravi petentis contristatione, non peccabit nisi venialiter. Ratio est, quia nec gravis iniuria, nec grave damnum sic infertur, et si adsit damnum, illud facile reparari potest. — *Ita omnes.* — *Recole dicta de Sacramentis in genere, n. 216.*

QUAER. 4° *An Parochus teneatur Eucharistiam, etiam cum vitae periculo, ministrare, v. gr. tempore pestis vel morbi contagiosi?*

Resp. Neg. valde probabiliter cum *S. Lig. n. 233.* — *Vide dicta n. 214.*—Affirmant tamen quidam innixi doctrinae *Benedicti XIV. de syn. dioec., l. 13. c. 19.*

293. — QUAER. 5° *Quandonam Parochus censeatur excusari ab Eucharistia subdittis petentibus ministranda?*

Resp. Legitime excusatur, 1° quando subditi ob aliquas circumstantias non rationabiliter petunt, v. gr. si petant ante Missam, quando facile possunt expectare etc.; 2° si ipse parochus ob infirmitatem, aliasve occupationes necessarias impeditus sit, etc. Attamen caute agendum est, quia in his fideles facile possunt scandalum accipere, et a Sacramentis saepius recipiendis arceri. — *Ita omnes.*

ARTICULUS III.

DE REQUISITIS AD LICITAM SANCTAE EUCHARISTIAE DISPENSATIONEM

294. **Principia.** — I. Praeter iurisdictionem (*a*), requiritur ut Minister sit liber ab omni excommunicatione, interdicto et suspensione a Sacris; secus enim graviter peccaret, et irregularitatem contraheret.

II. Requiritur, ut Minister sit in statu gratiae, quia augustissi-

(*a*) Iam advertimus (*Sup. in not. ad n. 289.*), consuetudinem invaluisse, ut quivis sacerdos in quavis ecclesia missam celebrans, Eucharistiam petentibus ministrare possit.

mum et sanctissimum Christi Corpus impuris manibus tractari non debet. Unde toties peccat Sacerdos, quoties reus peccati mortalis Communionem distribuit, licet probabiliter non tot peccata committat, quot sunt personae in eadem distributione Eucharistiae communicantes. — *S. Lig. n. 30. et seq.* — Excusant tamen a gravi peccato gravissimi Theologi, v. gr. *Lugo, de Sacramentis, D. 8. n. 155. et alii* apud *S. Ligorium, lib. 6. n. 35.*

III. Requiritur, ut Minister Eucharistiam distribuat ritu Ecclesiae consueto. Hinc generatim loquendo, omittenda est huius Sacramenti administratio, quando more a *Rituali Romano* vel loci consuetudine praescripto fieri nequit. — *Vide S. Lig. n. 241. et seq.*

295. **Resolves.** — 1° Minister Eucharistiae cum magna reverentia tractare debet augustissimum hoc Sacramentum, quo praesente venerantes tremunt Potestates, et supplex adorat tota Curia caelestis. Sed non satis est, ut Sacerdos digne et devote sanctam Eucharistiam tangat, et fidelibus ministret; si enim Parochus sit, aut eius adiutor, ad ipsum spectat curare, ut asservetur in loco honesto, seu in tabernaculo decenti. Omissio notabilis curae ad hoc debitae facile mortalis evadere potest. — *Elbel, n. 76.* — *S. Lig. Hom. apost. n. 81. et alii omnes.*

2° Eucharistia non est ministranda nisi cum habitu decenti, id est cum stola, superpelliceo et lumine.

3° Iuxta communem sententiam peccat graviter, qui extra casum necessitatis distribuit Communionem sine ulla veste sacra; quia hoc est valde indecens et contra grave praeceptum Ecclesiae. — *S. Lig. n. 241.* — Si tamen sola stola omittatur, videtur pluribus et gravibus Theologis esse tantum veniale, quod sat probabile videtur. — *S. Lig. ibid.*

4° Veniale tantum reputatur ministrare Eucharistiam sine lumine, vel sine praemissa solita confessione, *Confiteor,* etc. — *Ita communiter cum S. Lig. n. 241.* — Similiter veniale tantum habetur Eucharistiam transferre sine vestibus sacris, de loco ad locum, v. gr. de altari ad aliud. — *Reuter, n. 168.* — *Mazzotta.*

296. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An Sacerdos laborans infirmitate in pollice et indice, Eucharistiam aliis digitis ministrare possit?*

Resp. Negandum videtur, saltem *probabilius*, secluso casu gravissimae necessitatis (*a*). *Ita S. Lig. n. 244.* — Ratio est, quia licet tota manus sit consecrata, attamen index et pollex ex ritu Ecclesiae ad hoc munus exercendum specialiter sunt destinati.

(*a*) Paulo severius exigi heic videtur necessitas *gravissima.* De hac re ita scribit La Croix (*Lib. 6. P. 1. n. 480.*): *Probabile est, sacerdotem licite distribuere Communionem posterioribus digitis, si nequeat primis ob chiragram vel aliud impedimentum, uti habent Toletus, Arriaga, Leander, aliique cum Gobat... Quia licet soli primi digiti inungantur, tamen tota manus videtur consecrata; hinc infert Gobat, sacerdotem peccaturum tantum venialiter, qui* sine causa *digitis ultimis tangeret hostiam.*

QUAER. 2° *Quid faciendum, si Hostia in terram decidat?*

Resp. Locus, in quem sancta Hostia decidit, statim tegendus est aliqua re munda, et postea abluendus. Si cadat in mappam, seu linteolum, quo manus communicantis obteguntur, locus signandus est, et postea pari modo abluendus. Ita Rubrica, quae tamen iuxta communem sententiam non obligat sub gravi; graviter tamen obligaret ad abluendum locum, in quem decidissent sacrae species vini, quippe iste imbibitur; non est tamen opus eas comburere (*a*). — *S. Lig. n. 250. — Lacroix, n. 484.*

QUAER. 3° *Quid faciendum, si Hostia decidat in vultum, barbam, aut vestes communicantis?*

Resp. In praefatis casibus omittenda est purificatio; quia melius est vitare admirationem, turbationem aut offensionem populi, quam servare Rubricam, sub levi tantum obligantem. — *S. Lig. n. 250., et alii communiter.*

QUAER. 4° *Quid faciendum, si Hostia decidat in sinum vel intra vestes mulieris?*

Resp. Ipsa mulier Hostiam extrahere debet, et porrigere Sacerdoti, a quo deinde illam in os recipiat. — *Sic Bened. XIV, de Sacrificio Missae, sect. 2. n. 176.* Digiti vero mulieris abluantur, et ablutio in piscinam deiiciatur. Si mulier nequeat facile Hostiam ibidem extrahere, seorsim recedat, v. gr. in aliquod sacellum, vel in sacristiam, etc.

297. — QUAER. 5° *Qua hora Communio dispensari possit?*

Resp. Regulariter ministrari debet horis, quibus Missam sive ex consuetudine, sive ex peculiari Indulto celebrare licet. At *communiter* cum *S. Lig.* docetur, *posse* ministrari qualibet hora diei; excepta tamen parte diei extrema, idest sub noctem. Ratio est, quia de hac re nulla extat prohibitio *(S. Lig. lib. VI. n. 259.)*. — Nec obstat Decretum S. C. Rituum datum *mense Dec. 1816,* permittens administrationem Communionis a tempore ad tempus quo in qualibet Ecclesia Missae celebrantur *in die magni concursus.* Decretum enim illud non est exclusivum, cum S. C. responsum dederit iuxta postulatum, in quo agebatur praecise de die *magni concursus ad Indulgentiam plenariam seu Iubilaeum lucrandum.*

Addendum heic est, ex decreto *S. Congr. Rituum* anno 1641, dandam non esse Communionem in Missa Nativitatis Domini, quae media nocte celebratur. Apud *S. Lig. ibid.* Attamen facultas id permittendi quandoque ex privilegio conceditur; et nuperrime nonnullis Galliae Episcopis concessum est ea lege, ut nullum scandali periculum adsit.

(*a*) Postrema ista verba: *Non est opus eas comburere,* licet desumpta e S. Alphonso (*Lib. 6. n. 250.*), non desinunt esse obscura. Ad quid enim spectat vox, *eas?* Clarius itaque apud *La Croix* (*Lib. 6. P. 1. n. 484.*), quem S. Alphonsus heic allegat: *Addit Pasqualigus, non esse opus comburi hoc, in quod sacer sanguis inciderit, sed satis esse ablui.*

298. — QUAER. 6° *An Communio extra Missam dari possit?*

Resp. Danda est, generatim loquendo, in quantum fieri potest post Communionem Sacerdotis. Sic ex *Rit. Rom.* (*a*). Ex usu tamen recepto facile dari potest Communio ante vel post Missam, vel etiam alio quovis tempore, quo Missa celebrari potest, ut supra dictum est. Imo ubi est magna communicantium affluentia, expedit differre Communionem ad absolutum Sacrificium, ne qui Missae adsistunt, diutius, quam par sit, in Ecclesia detineantur et taedio afficiantur. Facillime concedenda est Communio extra Missam infirmis, pueris, senibus, et iis omnibus qui, ob stomachi debilitatem, ieiunium protrahere nequeunt (*b*). *Ita S. Lig. n. 249.* cum *aliis communiter* post *Benedict. XIV, de Sacrificio Missae, sect. 2. n. 162.* — Imo ob hodiernam consuetudinem nullum modo existit praeceptum dandi Communionem intra Missam tantum. — Sic *Billuart, diss. 7. art. 4.* — Quinimo pro certo habendum est, ob consuetudinem, quae ubique invaluit, quaeque a Parochis abrogari non potest, nullum extare praeceptum, vi cuius Communio solum intra Missam distribui debeat. — *Sic. S. C. Rit. 7. Dec. 1844, in Ianuens.*

299.— QUAER. 7° *An Communio dari possit cum paramentis nigris immediate ante vel post Missam defunctorum* (*c*)?

(*a*) Rituale Romanum non tractat de communione *generatim* ministranda, sed de distribuenda a sacerdote Missam celebrante. Et ad hanc dumtaxat spectant verba illa: *Communio autem populi intra Missam statim post Communionem sacerdotis celebrantis fieri debet* (*nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda*), *cum orationes, quae in Missa post Communionem dicuntur, non solum ad sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent.* Alioquin enim idem Rituale priori loco praescribit modum, qui extra missam servandus est in Communione impertienda.

(*b*) Adde et eos (plerique omnes autem hi sunt), qui domesticis aut curis aut negotiis pressi, ni quantocius expediantur, sacra mensa fraudari saepe cogerentur.

(*c*) In praec. editione an. 1866 advertimus, de huius, ac de sequentis quaestionis argumento egregium Commentarium scripsisse nuperrime R. D. Aloisium Marchesi Congreg. Mission. sacerdotem, et S. R. C. Consultorem; in quo allatis ac pari tum iudicio tum diligentia expensis, S. C., quae circumferuntur, decretis, concludendum censuit: *Non esse contra ritum, in Missis defunctorum cum paramentis nigris, Sacram Communionem fidelibus ministrare, etiam ex particulis praeconsecratis, extrahendo pyxidem e custodia. Posse etiam in paramentis nigris ministrari Communionem immediate post missam defunctorum; data autem gravi necessitate* (putaverim, quando secus fideles carere sacra communione cogantur) *etiam immediate ante eandem missam: in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem. Missas vero defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris: adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu quo die 2 Novembris SS. Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium adorationi sit expositum pro solemni oratione quadraginta horarum:* Sacram autem Rituum Congregationem ad haec rursus respondisse: *Dilata.*

Demum die 23 Iul. an. 1868 SS. D. N. PP. Pius IX confirmavit Decretum sacrae Rituum Congregationis die 27 Iun. eiusd. an. 1868 editum, quo

Resp. 1° Post Missam dari potest, si Sacerdos nondum discesserit ab altari, in quo celebravit; tunc vero non dat benedictionem iis qui communicarunt. — *Ita ex Decreto S. R. C. confirmato a SS. D. N. Pio IX, 23. Iul. 1868.*

istis quaestionibus finis imponitur. Quod quidem Decretum eo libentius heic placet describere, quod totius quoque controversiae quandam historiam exhibeat. Sic porro se habet.

— Post liturgicas recentiores leges a summis Pontificibus Pio V, Clemente VIII, Paulo V, et Urbano VIII conditas, gravis exarsit controversia inter Doctores et Rubricistas: « An in Missis defunctorum aperiri possit tabernaculum ad Fideles pane eucharistico reficiendos. » Sacrorum Rituum Congregatio prima vice interrogata, in una Albingaunen. 24 Iulii 1863, ad IV. respondit: « *Non esse contra ritum ministrare communionem in Missa de Requiem, vel post illam cum paramentis nigris, omissa benedictione, si administraretur post missam.* » Verum controversia nondum composita identidem sacra Rituum Congregatio peculiaribus in casibus responsa dedit, quin unquam ad generale Decretum deveniret. Interea ex nonnullorum doctorum placitis, tum pervasit opinio, posse nempe fidelibus sanctam Eucharistiam ministrari particulis tantum in Missa pro defunctis consecratis; tum in aliquibus locis mos invaluit missas defunctorum celebrandi in paramentis violaceis, ut non solum intra Missam, sed etiam ante vel post eamdem pietati fidelium sacra Eucharistia refici cupientium satisfieret. Quapropter Episcopis praesertim sacrorum Rituum Congregationem saepissime rogantibus ut per generale Decretum quid hac in re faciendum sit statueret, sacra eadem Congregatio die 12 Aprilis anni 1823. in una Panormitana edixit ut gravis haec quaestio *videretur peculiariter et ex Officio.* Quod iterum obtinuit anno 1837. in una Mutinen. ubi ad III. Dubium: « *An mos qui perdurat adhuc communicandi in Missis defunctorum cum particulis praeconsecratis, possit permitti, vel etc.* » responsum est: *Dilata et servetur rescriptum in Panormitana 12. Aprilis 1823.* Nihilominus ob temporum ac rerum circumstantias isthaec peculiaris negotii huiusmodi salebrosi disquisitio ad aetatem usque nostram dilata fuit; siquidem in Conventu die 16 Septembris anni 1865 collecto cum ageretur de usu coloris violacei in Missis defunctorum in altari ubi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, responsum fuit tertio: « *Dilata, et reproponatur una cum alio dubio, an Sacerdos possit aperire ciborium ad communicandos fideles cum paramentis nigris.* » Tandem novis supervenientibus sacrorum Antistitum precibus die 3 Martii anni 1866, in Ordinariis sacrorum Rituum Congregationis Comitiis propositum fuit Dubium una cum sententia quam ex officio aperuit alter e Consultoribus: « *An sacerdos possit aperire ciborium ad communicandos fideles in paramentis nigris?* » Verum Emi et Rmi Patres Cardinales responderunt: *Dilata, et scribat alter Consultor, nec non Assessor, reassumptis omnibus ad rem facientibus; habita praesertim ratione relate ad opportunitatem.* Typis traditis communicatisque hisce sententiis tum Rmi Assessoris tum alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris specialiter deputati, sacrorum Rituum Congregatio in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum coadunata est: ubi Emus et Rmus D. Cardinalis Nicolaus Clarelli-Paracciani loco et vice Emi et Rmi Cardinalis Constantini Patrizi Praefecti absentis idem proposuit Dubium, et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature accurateque perpensa etiam quoad opportunitatem responderunt: *Affirmative, seu posse in Missis defunctorum, cum paramentis nigris, sacram communionem fidelibus ministrari, etiam ex particulis praeconsecratis, extrahendo pyxidem a tabernaculo. Posse item in paramentis nigris ministrari communionem immediate post Missam defunctorum; data autem*

Resp. 2° Iuxta idem Decretum dari potest Communio etiam ante missam, *si adsit rationabilis causa,* omissa tamen benedictione. Causa autem rationabilis nunquam non adest, si qui communionem tunc petant. Ut plurimum enim contingit quosdam inter petentes adesse, qui secus aut sine Communione discederent, aut, diutius immorando, haud leve sive in rebus domesticis, sive in gerendis negotiis incommodum necessario subirent.

QUAER. 8° *An Communio dari possit cum paramentis nigris* INTRA *Missam* DE REQUIEM?

Resp. Affirm., tum si Communio detur cum solis Hostiis in eadem Missa consecratis, tum si detur ex praeconsecratis, quae in tabernaculo asservantur. Ita S. R. C. Decretum sup. citatum.

300. — QUAER. 9° *An possit dari Communio cum paramentis violaceis, etiam ante vel post Missam?*

Resp. Controverti de hac quaestione diu potuit praesertim propter Responsum, quod ferebatur, S. Rit. Congr. in causa *Oritana* (mendose apud S. Alphonsum *Lib. 6. n. 249. Dub. 2.* legitur *Pritana*) an. 1670. Verum et hoc dubium sustulit S. Congregationis praedictum decretum, quo statuitur, in missis defunctorum violacea paramenta adhiberi non posse, nisi in quapiam Ecclesia die 2 Novembris S. Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium adorationi pro solemni Oratione quadraginta horarum sit expositum.

301. — QUAER. 10° *Quomodo ministranda sit Communio extra Missam?*

Resp. 1° Si communio ministranda sit immediate ante vel post Missam, agendum est sicut in ipsa Missa; sed reversus sacerdos ad altare, dicere potest: *O sacrum convivium,* etc.; deinde dicit: *Domine exaudi,* etc. — *Dominus vobiscum,* etc., cum Oratione pro tempore; denique digitis ablutis, et S. Ciborio in tabernaculo reposito benedicit iis, qui communicarunt cum formula: *Benedictio Dei omnipotentis, Patris,* etc., ut in *Rit. Rom.*

Resp. 2° Si alio tempore distribuenda sit, 1° duae, iuxta *Rituale Romanum,* accendendae sunt candelae. Si tamen tempus urgeret, nec facile duae candelae accendi possent, una sufficeret. 2° Sacerdos, lotis manibus, superpelliceo et stola indutus coloris Officio il-

rationabili causa, immediate quoque ante eamdem Missam; in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem. Missas vero defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris; adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu quo die 2 Novembris Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium adorationi sit expositum pro solemni Oratione Quadraginta Horarum, prout cautum est in Decreto sacrae huius Congregationis die 16 Septembris anni 1801. Et ita decreverunt, ac ubique locorum, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, servari mandarunt die 27 Iunii 1868.

Facta autem per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. relatione, Sanctitas Sua Decretum sacrae Congregationis approbavit et confirmavit die 23 Iulii anni eiusdem —

lius diei convenientis, ministrat, ut supra, et ad altare reversus reliqua, ut supra, prosequitur; deinde dat benedictionem manu dextera, non vero cum pyxide, nisi super infirmos.

Versiculi autem *Domine exaudi*, etc., *Dominus vobiscum*, etc., cum Oratione propria sunt de praecepto. *S. C. Rit.* 24. Sept. 1842. — Huiusmodi autem preces voce saltem mediocriter elata dicendae videntur, cum iis a ministro respondendum sit.

302. — QUAER. 11° *Quid faciendum, si minister Sacerdoti desit: an vir communicaturus, vel mulier supplere potest?*

Resp. 1° Sane quilibet communicaturus, si sit vir, Sacerdoti inservire potest; vel etiam ipse Sacerdos supplere potest, dicendo *Confiteor*, et respondendo *Amen*.

Resp. 2° Mulier supplere non potest, nisi sit Monialis, quae iuxta morem receptum intra claustrum, respondet : tunc igitur ipse Sacerdos omnia peragere debet. Nec dicas, quod in necessitate mulier Missae respondere potest, modo a longe stet; nam in Missa Sacerdos solus omnia respondere non posset. — *Ita communiter.* — *Bouvier, de Eucharistia, c. 4. art. 2.* — *Gousset, n. 212.*

QUAER. 12° *An dari possint plures particulae uni communicanti, vel una maior devotionis gratia*, etc.?

Resp. Neg. Hoc enim expresse fuit prohibitum Decreto *S. Congreg. Conc.*, approbato ab *Innocentio XI*, die 12 Februarii 1679. Verba autem Decreti (apud Benedictum XIV) haec sunt: *Episcopi, Parochi, seu Confessarii admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiae formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas.*

303. — QUAER. 13° *An particulae frangi possint, si deficiant; et quid agendum si supersint, nec sit tabernaculum, in quo reponantur?*

Resp. ad 1um *Affirm.* ex communi sententia, et praxi generali, modo adsit causa iusta, v. gr., si desit alia Missa vel fideles expectare non possint. Immo cum postulatum a S. R. C. fuisset, *Utrum ex toto sequi valeat Regula Ritualis Parisiensis sic expressa: Si quando Communio danda est, inventus non fuerit sufficiens numerus Hostiarum, poterunt aliquot Hostiae dividi in plures particulas quae singulis distribuantur? S. Congregatio respondit: Servetur consuetudo dividendi consecratas, si adsit necessitas. Die 16 Martii 1833, in Veronensi.* Attamen Sacerdos Hostias tunc dividere debet tantum in duas vel ad summum tres partes, quia secus vix posset cum debita reverentia Communio dari. — *Lacroix*, *n. 508.*

Resp. ad 2um Sumendae sunt a celebrante ante ablutiones, si facile fieri possit. Secus ad tabernaculum proximum cum ritu consueto deferendae forent; neque committendum, ut plures Hostiae fidelibus ministrentur. — *Vide infra n. 315.*

QUAER. 14° *An ad fideles communicandos possit Sacerdos, deficientibus Hostiis minoribus, detrahere partem maioris a se sumendae?*

Resp. 1° *Affirm.* in casu Viatici moribundo deferendi, ratione urgentis necessitatis. — *Ita omnes.* — 2° *Affirm.* etiam si esset com-

municaturus unus vel alter fidelis, qui secus non absque incommodo Communionem expectare deberet. — *Ita communiter cum S. Lig. n. 217.*

ARTICULUS IV.

DE MODO EUCHARISTIAM INFIRMIS MINISTRANDI

304. **Sequentia statuit Rituale Romanum.** — I. Praemoneat Parochus, ut aegri cubiculum mundetur, et in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, in qua sanctissimum Sacramentum decenter deponatur. Parentur luminaria, duo vascula, alterum cum vino tradendo post Communionem infirmo, ut facilius sanctam Hostiam deglutiat, alterum cum aqua ad abluendos Sacerdotis digitos; praeterea linteum mundum ante pectus communicandi reponendum. Saepe additur vas aquae benedictae, quoties cum sanctissimo Sacramento deferri non solet. Saepe etiam vinum non adhibetur.

II. Eucharistia deferri debet ab Ecclesia ad privatas domos aegrotantium, decenti habitu, superposito mundo velamine, *manifeste,* atque *honorifice,* cum omni reverentia, semper lumine, et tintinnabulo iugiter agitato praecedente. Sacerdos autem indutus superpelliceo et stola, impositoque prius ab utroque humero oblongo velo decenti, utraque manu accipiat vas cum sanctissimo Sacramento ante pectus gerendum, et deinde baldachinum, seu umbellam subeat, si haberi possit, et nudo capite procedat. Eundo autem dicit *Miserere* et alios Psalmos, et redeundo *Laudate Dominum de caelis,* et alios Psalmos et Hymnos; sed haec de consilio tantum.

III. Sacerdos cum domum infirmi advenerit, dicat: *Pax huic domui.* Resp.: *Et omnibus habitantibus in ea.* Tunc depositum super mensam SS. Sacramentum adorat; aspergit aqua benedicta infirmum et cubiculum, dicens: *Asperges me,* etc., et alias orationes in *Rit. Rom.* positas. Postea interrogato et adhortato infirmo SS. Eucharistiam de more porrigit. Sed si agatur de Viatico, non dicit: *Corpus Domini,* etc.; sed: *Accipe, frater, viaticum Corporis Domini N. I. C.,* etc., ut in *Rituali.*

IV. Imminente morte, pleraeque preces, vel etiam omnes omittuntur. Sacerdos, ablutis digitis, perfectisque orationibus, si remaneant particulae, benedicit infirmum cum ciborio, nihil dicens. Ex *Rit. Rom.* ablutiones debent infirmo dari. — Sacerdos redux ad Ecclesiam, ciborio super altare posito, recitat vers. et orationem de SS. Sacramento.

305. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An Eucharistia possit deferri infirmis nocte?*

Resp. Neg. Hoc enim expresse prohibetur, excepto necessitatis casu. Sic enim *Rit. Rom. Noctu autem hoc Sacramentum deferri non debet, nisi necessitas urgeat.* Urgente vero necessitate, deferendum est qualibet hora noctis, sed sine strepitu et campanulae so-

nitu. Citata autem verba Ritualis non spectant ad Communitates, quae SS. Eucharistiam in domestico Sacello asservant, quia irreverentiae periculum, propter quod lex lata est, tunc abest.

QUAER. 2° *An Eucharistia deferri possit infirmis secreto?*

Resp. Neg. generatim loquendo. Constat ex *Rit. Romano,* ubi dicitur: *Deferri debet hoc sanctum Sacramentum manifeste atque honorifice.* Excipiuntur tamen quaedam circumstantiae, v. gr. loca haereticorum, ubi *manifeste* deferri nequit. Item aliquando etiam in locis catholicorum, si aliter aegroto sanctum Viaticum deferri absque incommodo quopiam non possit. Id tamen absque licentia Episcopi, ubi consuli possit, fieri non debet.

306. — QUAER. 3° *An Sacerdos, urgente necessitate, possit Viaticum ministrare sine ulla veste sacra?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia non est praesumendum, Ecclesiam, quae mater tam benigna est, voluisse, ut in administratione Viatici ritus illi cum moribundorum detrimento serventur. Sacramenta enim primario ad animarum salutem instituta sunt. — *S. Lig. n. 241.*

QUAER. 4° *An urgente necessitate, in deferendo Viatico liceat currere?*

Resp. Affirm. probabiliter. Ratio est, quia urgens necessitas deferendi Viaticum moribundo, excusare potest a maiori decentia in incessu. — *Ita S. Lig. n. 242. — Lacroix.*

QUAER. 5° *An liceat tempore pestis porrigere Eucharistiam medio aliquo instrumento?*

Resp. Affirm. probabiliter, quia tanta necessitas a consueto Ecclesiae ritu excusare videtur. — *S. Lig. n. 244.*

307. — QUAER. 6° *An liceat deferre Eucharistiam cum capite cooperto in itinere?*

Resp. Neg. ob reverentiam Sacramento debitam. Idcirco in delatione SS. Sacramenti ad infirmos, sive de die id fiat, sive de nocte, neque alicuius infirmitatis neque alio praetextu birretum seu etiam parvus pileolus adhiberi potest. — *S. Congr. Rit.* 5 Martii 1633; — 23 Ian. 1695; — 23 Ian. 1700.

Quapropter Sacerdos rheumate vel alia infirmitate laborans, debet abstinere a deferendo SS. Sacramento, vel id muneris alteri committere, vel aperto capite nihilominus incedere, nisi usus pileoli ipsi indultus fuerit. — *S. Congr. Rit.* 23 Maii 1846. — Usus tamen pileoli non adeo difficile conceditur in itinere, licet minus intra civitatem vel oppidum. Iuxta plures Episcopus concedere potest licentiam deferendi pileolum in itinere; sed facultas pileolo utendi per civitatem vel oppidum, est iuris apostolici. — *De Herdt, Sacrae Liturgiae Praxis, tom. 1. part. 1. n. 50.* S. Sedes dispensationem ab illa lege concessit pro dioecesi Coloniensi, tempestate praesertim hiemali. *Die 3 Novemb. 1862. — V. Analecta Iuris Pontif., 53ᵉ livraison, Nov. et Déc. 1862.*

S. Lig. Hom. apost. tr. 15. n. 12. haec habet: *Probabiliter, di-*

cit Pasqual., posse Episcopum dispensare ut Viaticum deferatur cum pileolo in capite, cum longe et per villas progrediendum est.

QUAER. 7° *An Sacerdos deferre possit S. Eucharistiam insidens equo?*

Resp. Affirm., si deferenda sit ad infirmum longe distantem, vel per iter arduum, aut si periculum sit in mora. Sed equus debet esse mansuetus, ita ut absit periculum lapsus et irreverentiae. Nunquam autem licet pyxidem dare portandam laico, quantumvis sacerdos sit fatigatus; sed tunc in bursa collo suspensa illam gestare debet. Constat ex *Rit. Rom. de Eucharistia*, necnon ex decisione *S. Congr. Rit.* Et in antecessum, *Ut Viaticum, ob locorum distantiam, difficultatem itinerum, viarum asperitatem, a Parocho deferri possit equitando*, S. Rit. Congr. *indulget,* de consensu tamen Episcopi. Die 23 Ian. 1740, *in Laudensi. — Vide S. Lig. n. 242. 243.*

308. — QUAER. 8° *An pluries deferri possit Eucharistia infirmis non ieiunis, seu per modum Viatici?*

Resp. Affirm., et non solum si recurrat novum mortis periculum, sed etiam si idem perduret. — *Ita communis* et vera sententia, ait *S. Lig. n. 285.* Confirmatur auctoritate *Bened. XIV* qui, *de Syn. l. 7. c. 12.* testatur, nullum Theologum alicuius nominis hanc sententiam negare; et addit *ibid. n. 5: Episcopus insinuet Parochis, posse et debere Viaticum in eadem infirmitate iterum ac tertio administrari, praesertim si aegrotus exposcit; et si velit, poenam decernat in Parochos qui aegrotis devote postulantibus iterum et tertio Eucharistiam deferre detrectant, falsis praetextibus.*

QUAER. 9° *An Eucharistia frequenter deferri possit decumbentibus?*

Resp. Affirm. per se. Hoc tamen a circumstantiis pendet, scilicet a particularibus eorum dispositionibus, a frequentia maiori vel minori, qua ad mensam Eucharisticam antea accedebant (*a*). Parochus debet, quantum in ipso est, infirmos ad frequentem Communionem adhortari. — *Gousset, n. 235.*

QUAER. 10° *Quid agendum Sacerdoti, si ad infirmum cum SS. Sacramento adveniens, eiusque confessionem excipiens, eum indispositum invenerit?*

Resp. Imprimis satagere debet Confessarius, prouti melius poterit, poenitentem ad meliorem frugem adducere. Si res non succedat, et v. gr. infirmus aut occasionem proximam peccati abrumpere, aut restitutionem gravem et certo debitam non promittat, absolvi sane non potest. Quid autem de Communione? Inducendus enixe est poenitens, ut, peracta confessione, declaret publice, se nolle adhuc S. Eucharistiam suscipere. Quod si hanc declarationem

(*a*) Quod quispiam, dum bona valetudine utebatur, minus frequenter ad SS. Eucharistiam accedere consueverit, id enimvero non foret ratio sufficiens, cur aegrotanti communio frequentior, siquidem eam exoptet, neganda videatur.

praestet, iam evanescit difficultas; patet enim Eucharistiam ei ministrandam non esse. Si vero id declarare deneget, atque communicare velit, Eucharistia eidem, licet indisposito, ministranda est, ad servandum nempe intactum confessionis sigillum. — *Gousset, n. 237. et alii.*

ARTICULUS V.

DE MODO S. EUCHARISTIAM ASSERVANDI

309. **Haec tenenda.** — I. In qualibet Ecclesia parochiali et cathedrali servanda est S. Eucharistia, ut opportune petentibus semper dari possit. Sic expresse *Rit. Rom.*, etc. Potest enim asservari de iure communi in Ecclesiis Regularium vota solemnia emittentium. In aliis autem Ecclesiis asservari nequit absque speciali Papae licentia. Sic statuerunt *SS. Congreg. Concilii et Episc.* apud *Ferraris,* verbo *Eucharistia, art. 1. n. 46.*

II. Asservanda est Eucharistia in tabernaculo mundo, bene clauso, et in pyxide decenti super corporale reposita, et albo velo cooperta. Porro tabernaculum, in quo reconditur SS. Sacramentum, cooperiri debet conopeo ex tela serica, vel ex lana aut gossipio. — *Rit. Rom.* — *S. Congr. Rit.* 21 Iul. 1855.

III. Nullibi conservanda est S. Eucharistia sine lumine, quod semper ardere debet. Sic enim in *Rituali Romano* statuitur: *Lampades coram eo* (tabernaculo) *plures, vel saltem una diu noctuque perpetuo colluceat.* Sic etiam definitum per *S. Congreg. decreta,* quae volunt, ut si Ecclesia sit nimis pauper, instituatur *collector eleemosynarum,* ut oleum sufficiens habeatur. — *Vide Ferraris,* verbo *Eucharistia, art. 1. n. 45.*

310. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An aliae res sacrae in tabernaculo reponi possint?*

Resp. Neg. Constat ex Rit. Romano *de Eucharistia.* Hinc nec Reliquiae, nec Chrisma, nec Oleum infirmorum in eo reponi possunt.

Quaer. 2° *An ciborium debeat esse consecratum, et argenteum?*

Resp. ad 1um Non debet necessario esse consecratum, sed sufficit, ut sit benedictum. Constat ex *Rit. Rom.,* in quo benedictio pyxidis adnotatur inter ea, quae unctione Chrismatis non indigent. Item ex *Pont. Rom.* — *Vide S. Lig. n. 248. et infra n. 396.*

Resp. ad 2um Nihil iure communi statuitur. Et videretur quidem aequiparandum calici et patenae, quae debent esse ex auro, vel argento, vel saltem ex stanno, si Ecclesia sit valde pauper. Sed non potest esse ex aere, nec ex ligno, aut vitro, etc. (*De Consecr. dist. 1. c. 45.*). Caeterum si vasa sacra non sint ex auro, intus deaurari debent.

QUAER. 3° *An graviter peccet qui negligit asservare lumen coram Sanctissimo Sacramento?*

Resp. Affirm. per se, si tempus sit notabile. — *Ita communiter Theologi cum S. Lig. n. 248.* Imo plures auctores dicunt, *notabile* tempus esse, *si integro die id fiat.* — Sic *Busemb.,* cuius verba refert et implicite approbat *S. Lig. ibid.*

311. — QUAER. 4° *An requiratur oleum olivarum ad lampadem Ecclesiae nutriendam, vel aliud oleum ex vegetalibus, v. gr. ex nucibus, vel ex mineralibus, ut petroleum, sufficiat?*

Resp. Generatim oleo olivarum utendum est; ubi vero haberi nequeat, aliud oleum ex *vegetalibus,* quantum adiuncta ferunt, ab Episcopo permitti potest. Constat ex recenti decisione *S. Congreg. Rit.,* quae est huiusmodi.

Nonnulli Reverendissimi Galliarum Antistites, serio perpendentes in multis suarum dioeceseum Ecclesiis difficile admodum et nonnisi magnis sumptibus comparari posse oleum olivarum ad nutriendam diu noctuque saltem unam lampadem ante Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, ab Apostolica Sede declarari petierunt, utrum in casu, attentis difficultatibus et Ecclesiarum paupertate, oleo olivarum substitui possint alia olea, quae ex vegetalibus habentur, ipso non excluso petroleo. Porro sacra Rituum Congregatio, etsi semper sollicita, ut etiam in hac parte quod usque ab Ecclesiae primordiis circa usum olei ex olivis inductum est, ob mysticas significationes retineatur; attamen silentio praeterire minime censuit rationes ab iisdem Episcopis prolatas; ac proinde exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, subscriptus Cardinalis Praefectus eiusdem Sacrae Congregationis rem omnem proposuit in ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis. Eminentissimi autem et Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis ac diligentissime examinatis, rescribendum censuerunt: Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiae Episcoporum ut lampades nutriantur ex aliis oleis quantum fieri possit vegetalibus. Die 9 Iulii 1864.

Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per me infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit. Die 14 iisdem mense et anno.

Ex hac responsione S. Congr. sequitur etiam petroleum non excludi, et urgente necessitate, ab Episcopo permitti posse.

312. — QUAER. 5° *Quid faciendum de fragmentis Hostiarum, quae reperiantur?*

Resp. 1° Si Sacerdos inveniat fragmenta sui praesentis Sacrificii, ea sumere debet, etiam post ablutiones, sive sint parva, sive magna, quia ad idem sacrificium spectant. Sic ex Rubrica Missalis, *tit. 7. n. 2.* — Hoc autem servandum est, non solum immediate

post Missam, sed etiam si Sacerdos sit in sacristia, adhuc tamen indutus vestibus sacris. — *Ita communiter S. Lig. n. 251., post Bened. XIV, de Sacrificio Missae.*

Si vero Sacerdos iam sit exutus vestibus sacris, fragmenta reponere debet in tabernaculo, si adsit, vel reservare alteri Sacerdoti eodem mane celebraturo. Si neutrum fieri possit, ipse ea sumat. — *S. Lig. ibid.*

Resp. 2° Si autem reliquiae fuerint in alia Missa consecratae, non sunt sumendae post ablutiones, sed in loco decenti reponi debent. Ratio est, quia Rubrica Sacerdoti *non ieiuno* permittit tantum sumere illas reliquias, quae ad *idem sacrificium spectant.* Si tamen hoc fieri non possit, et adsit grave periculum irreverentiae, tunc eas Sacerdos absumat. — *Ita communiter.* — *S. Lig. ibid.*

Resp. 3° Si laicus fragmenta inveniat, moneat quamprimum Sacerdotem, si quis prope sit, vel eum accersat, si inveniri queat. Sacerdos autem fragmentum reverenter colligens, reponet in ciborio, vel in loco decenti et tuto, si tabernaculum desit, ut in proxima Missa sumi queat. Si autem Sacerdos non possit haberi, colligatur reverenter fragmentum ab ipso laico in charta vel linteolo mundo, mediante spinula, et reponatur inter corporale, aut in vase decenti, donec Sacerdos advenerit.

313. — Quaer. 6° *Quid agendum, si inveniatur in altari, vel alibi, Hostia certo vel dubie consecrata?*

Resp. 1° Si Hostia credatur certo consecrata, et aliunde videatur munda et recenter consecrata, reponenda est cum aliis in ciborio. Potest etiam sumi a celebrante ante ablutiones. Si autem non sit munda, vel si extracta a loco non mundo fuerit, aut non sit recenter consecrata; non est immiscenda cum aliis, sed celebrans eam sumere poterit ante ablutionem; quod si nimiam repugnantiam experiatur, Hostiam seorsim in tabernaculo reponet in vase mundo, donec corrumpatur, et corrupta in sacrarium deiiciatur. Sic ex *Rubrica Missalis, tit. VII. de Defectibus.*

Resp. 2° Si dubie sit consecrata, sumenda est a Sacerdote in Missa ante ablutiones; quod si nimiam nauseam ipsi provocet, reponenda est in tabernaculo, seorsim, donec corrupta fuerit, ut modo dictum est. — Sic Rubrica Missalis (*a*).

** (*a*) Postremis hisce Gury verbis opponunt VV. (*Pag. 932.*) id, quod S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 217.*) disserit occasione hostiarum, quae dubie sint consecratae. *Dicit Tournely* (idest Collet), inquit S. Doctor, *in praxi illas particulas esse sumendas post sanguinem; et ego addo post ablutionem, sed ante purificationem: quia reliquiae sanguinis sunt certe sacramentum; sed hostiae illae... sunt dubiae.*

Resp. Gury dum dicit, *ante ablutiones*, videtur utique denotare voluisse tum *purificationem*, tum *ablutionem*, quas melius S. Alphonsus distinguit; quamquam in verbis S. Alphonsi forte illud occurrit, quod solemus appellare ὕστερον πρότερον; prius enim Sacerdos se *purificat*, et deinde *digitos abluit* iuxta rubricam, quae dicit n. X. *Super altare porrigit ca-*

QUAER. 7° *Quid faciendum, si infirmus sacras species reiecerit?*

Resp. 1° Si appareant, debent sedulo in vase mundo colligi, in Ecclesiam deferri, et in loco tuto et bene clauso servari donec sint omnino corruptae, ita ut in sacrarium sine irreverentia proiici possint.

Resp. 2° Si non possint discerni, utpote sordibus omnino permixtae, os quidem infirmi detergendum est; quidquid vero fuerit reiectum, stuppis colligatur; deinde combustis stuppis, cineres in sacrarium sunt proiiciendi. — *Reuter, n. 169.* — *Gousset, n. 232.*

314. — QUAER. 8° *An, vel quando renovandum sit ciborium?*

Resp. 1° Ciborium certo renovandum interdum est, ne species consecratae corrumpantur. Imo *renovandum est frequenter,* ut praescribit *Rit. Romanum.*

Resp. 2° Iuxta *Bened. XIV* renovandae sunt particulae consecratae *singulis octo* aut saltem *quindecim diebus (de Sacrificio Missae, App. 3. §. 6. n. 5.).* Et haec est praxis communior, utut Caeremoniale Episcoporum renovationem particularum octavo quoque die faciendam praescribat.

315. — QUAER. 9° *Quomodo renovandum sit ciborium?*

Resp. Renovatio ciborii facienda est in ipso Missae Sacrificio. Celebrans, sumpto pretiosissimo Sanguine, antiquas Hostias sumet, licet multae sint; potest autem 20 aut 30 Hostias sic consumere, iuxta *Elbel, n. 77.;* imo 50 vel 60, iuxta *Lacroix, n. 501.* — Raro autem eveniet, ut plures sint, quia consecrari non debet, nisi quantum sufficiens esse videatur. Si autem aliquando multo maior quantitas Hostiarum absumenda foret, Sacerdos eas in pluribus Missis divisim aut etiam plures Sacerdotes successive celebrantes sumere possunt.

Particulas autem minutiores in ciborio repertas coniiciet Sacerdos in calicem, easque, superinfuso vino, sumet, et novas Hostias in ciborio omnino vacuo deponet. Potest etiam vinum in ciborium infundere ad minimas particulas colligendas. Vinum tamen non erit e ciborio bibendum, sed in calicem refundendum. — *Lacroix, n. 502.*

Si Sacerdos ex inadvertentia sumpsisset prius ablutionem, adhuc

licem ministro in cornu epistolae, quo vinum fundente, SE PURIFICAT; *deinde vino et aqua* ABLUIT *pollices et indices super calicem etc.* Quocirca dicemus, S. Doctorem voluisse potius dicere: et ego addo *post purificationem, sed ante ablutionem,* nequaquam autem *post ablutionem, sed ante purificationem.*

Caeterum Rubricae favere videntur sententiae Gury potius, quam S. Alphonsi. Nam ubi tractant (*De Defect. §. III. n. 4. 5.*) de sacerdote, qui consecraverit hostiam aut *corruptam,* aut *non triticeam,* praescribunt, quod *si illam priorem* (corruptam scilicet, vel non triticeam) *non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis et Sanguinis.* Porro nuspiam in Rubricis invenitur, nomine *sumptionis Corporis et Sanguinis* etiam *purificationem* comprehendi.

posset purificare ciborium, et sumere reliquias, eo quod pro sumptione moraliter una reputatur. — *Ita Lacroix, n. 502.* — *Elbel, n. 77.* — *Tambur., de Communione, c. 2. n. 34.*

Particulae consecrandae debent esse recentes. Optandum foret ut non excederent quindecim dies, vel ad summum, mensem a tempore quo confectae sunt. Incuria Parochorum et aliorum hac in re grave peccatum constituere potest. — *Gardellini.* — Consuetudo consecrandi Hostias a tribus vel sex mensibus confectas, est ingens abusus omnino tollendus. Quod si huiusmodi abusum tolerare videatur Parochus, eius Vicarii, aut alii Sacerdotes, istis Hostiis uti nequeunt. — *S. Congr. Rit.* 16 Decembr. 1826.

CAPUT IV.

DE SUBIECTO EUCHARISTIAE

Solus homo baptizatus Eucharistiam sacramentaliter recipere potest; quia solus baptizatus est capax Sacramentorum. Hinc infidelis Eucharistiam recipiens, vere quidem, sed *materialiter* tantum, non vero *sacramentaliter* eam reciperet. Homo autem baptizatus, sed *indispositus*, sumit quidem *sacramentaliter*, sed non *spiritualiter*, idest recipit, sed sine fructu. Baptizatus vero *dispositus* tum *sacramentaliter*, tum *spiritualiter*, seu cum fructu sumit. — *Ita Conc. Trident., sess. 13. c. 8.*

Agendum 1° de obligatione Eucharistiam sumendi; 2° de dispositione ad eam digne recipiendam requisita.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONE SUSCIPIENDI EUCHARISTIAM

316. **Principia.** — I. Sumptio realis Eucharistiae neque pueris, neque adultis est necessaria necessitate medii ad salutem. Constat 1° ex praxi universali Ecclesiae, quae Communionem neque parvulis praebet, neque adultis infirmitate impeditis, v. gr. ad vomitum proclivibus, phreneticis, etc.; 2° ex definitione Ecclesiae pro parvulis; et inde infertur etiam pro adultis (*a*). Sic enim *Conc. Trident. sess. 21. Can. 4: Si quis dixerit parvulis, antequam ad an-*

(*a*) Hoc tamen argumentum cuipiam forte minus firmum videbitur; quinimo utens aphorismo quod *exceptio firmat regulam in contrarium,* potius concludet, canone Tridentini subinferri Eucharistiae necessitatem pro adultis; *necessitatem*, inquam, non quidem absolutam, sed quatenus divina oeconomia sic dispositum novimus, ut ordinarium vitae spiritualis conservandae medium in usu spiritualis huius alimoniae situm sit, iuxta illud Christi Domini (Ioan. VI): *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Vid. infr. n. 318.*

nos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem, anathema sit.

II. Sumptio Eucharistiae necessaria est necessitate praecepti divini; eruitur ex verbis Christi, *Ioan. 6. 54: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Constat etiam ex verbis Christi, *Luc. 22. 19: Hoc facite in meam commemorationem* (*a*) — *S. Lig. n. 295.*

317. — III. Sumptio Eucharistiae necessaria est etiam ex praecepto Ecclesiae. Probatur ex Concilio Lateranensi IV, cap. *Omnis, de poenit. et remiss.*, ubi dicitur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, semel saltem in anno confiteatur..., suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ab eiusmodi susceptione duxerit abstinendum.* Constat etiam ex *Trident., sess. 13. Can. 9.*

IV. Sumptio Eucharistiae non est necessaria sub utraque specie nisi pro solis Sacerdotibus in actu celebrationis Missae. Probatur ex *Trident. sess. 21. Can. 1.* ubi sic: *Si quis dixerit, ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christifideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae Sacramenti sumere debere, anathema sit.* Constat etiam ex universali Ecclesiae praxi, licet prioribus saeculis diversa fuerit.

318. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quonam tempore urgeat praeceptum divinum communicandi?*

Resp. 1° Obligat *per se* in articulo vel periculo proximo mortis, et quidem sub gravi. Ratio est, quia Eucharistia instituta est ut viaticum confortans adversus hostes salutis. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 295.*

Resp. 2° Obligat *per se* etiam saepius in vita. Constat ex eo quod Eucharistia instituta sit per modum cibi spiritualis, quo anima nutriatur et confortetur; cibus enim saepius sumendus est. Eruitur etiam ex Scriptura sacra supracitata, necnon ex Conciliis modo allatis. Christus tamen quoties ad hoc Sacramentum accedendum sit, non determinavit, sed Ecclesiae suae id statuendum reliquit. Ecclesia autem communionem annuam tempore Paschali statuit. Unde per Communionem semel in anno eo tempore sumptam praecepto divino simul et ecclesiastico satisfit. — *S. Lig. n. 295.*

Resp. 3° Obligat hoc praeceptum *per accidens* aliquando et forte etiam saepius in anno, si Eucharistia necessaria sit ad superandam aliquam gravem tentationem. Hoc tamen raro evenit, cum ad hoc sufficere possint alia media, orationes, poenitentiae, etc. — *S. Lig. n. 295.*

319. — QUAER. 2° *An teneatur quis suscipere sacrum Viaticum,*

(*a*) Auctor (*sup. n. 288.*) iam monuerat, haec verba *omnibus et solis Apostolis cum Christo recumbentibus, atque adeo omnibus et solis, qui in sacerdotio illis essent successuri,* dicta fuisse.

instante mortis periculo, si paucis ante diebus ex devotione communicaverit?

Resp. Affirmandum videtur, saltem *probabilius.* Ratio est, quia hoc praeceptum, ex interpretatione Ecclesiae, urget in periculo mortis, ut contra hostes spirituales hoc divino praesidio muniamur. Ergo non impletur per Communionem ante morbum factam; quia licet quis opus praescriptum impleverit, non tamen implevit tempore quo tenebatur.—*S. Lig. n. 285.—Billuart,— Salmant.*, etc.

Negant tamen *plures* cum *Lugo, D. 15., n. 39.* Ratio horum est, quia praeceptum Communionis in substantia iam adimpletum est. — *S. Ligorius* dicit hanc sententiam esse satis *probabilem*, saltem si periculum mortis naturaliter accidat, quia per breve illud tempus antecedens iam moraliter coepit imminere, quamvis fuerit ignoratum.

Quaer. 3° *An qui mane communicavit ex devotione, teneatur aut possit, urgente periculo mortis, Viaticum sumere.*

Resp. Triplex est sententia *probabilis* iuxta *Benedict. XIV. de Synodo, lib. 7. c. 11.*

I[a] Sententia *affirmat* teneri, quia tunc suscipiendum est Viaticum ad adimplendum praeceptum divinum, quod cum nondum urgeret, quo tempore sumpta est communio, impleri idcirco per eam sumptionem non potuit.

II[a] Sententia dicit non teneri, sed posse communicare: 1° quidem *non teneri;* quia tempus, quo communicavit, est moraliter idem, cum sit eadem dies; 2° *posse;* quia licet rigorose non videatur teneri, non ideo tamen prohibetur, quippe favores sunt ampliandi.

III[a] Sententia contendit *nec teneri, nec posse* communicare. Ratio est, quia cum praeceptum obliget ex intentione Ecclesiae, praxis Ecclesiae est, ut nemo bis in die communicet; nec adest ratio, cur casus iste sit excipiendus. — *Vide S. Lig. n. 285.* — In praxi igitur pro libertate standum est (*a*).

** (*a*) Hisce VV. opponunt (*Pag. 932. n. 96.*) haec S. Alphonsi (*Lib. 6. n. 285. Dub. 3.*): *Caeterum probabilior mihi videtur sententia Lugonis Disp. 16. n. 53 et 54., qui distinguit inter morbum naturalem et violentum, et ait, quod si quis fuerit vulnere percussus, vel ex alto ceciderit, potest communicare* (*immo tenetur, iuxta nostram sententiam*), *quia hic revera non accepit viaticum in mortis articulo constitutus: secus vero, si quis iam in aegritudine positus mane ex devotione communicavit.*

Resp. Trans. Antec.; et Neg. Consequentiam. Nam S. Doctor iam praemiserat (*Ibid.*): *Omnes has tres sententias probabiles putat N. P. Benedictus XIV* (*De Syn. Lib. 7. c. 12.*), *sic dicens: In tanta opinionum Doctorum discrepantia, integrum erit parocho eam sententiam amplecti, quae sibi magis arriserit.* Porro non deperit sane, si qua aliis sententiis inest probabilitas, propterea quod opinando S. Doctor scripserit, *aliquam ex iis sibi videri probabiliorem.* Ergo integrum parocho aeque manet sententiam, quam malit, eligere.

Dixi autem, Trans. Antecedens. Nam Lugo, cuius sententiam S. Alphon-

320. — Quaer. 4° *An possit dari Eucharistia aegro, qui tussi laborat?*

Resp. Affirmative, quia periculum, ne sacrae species simul cum phlegmatibus reiiciantur, plerumque abest. Et ratio est, quia via,

sus ait se praeferre uti probabiliorem, potiusquam hanc sententiam habeat, eam omnino reiicit. Allata enim opinione, quae concedit, bis posse eodem die communionem dari, subdit (*De Euch. Disp. 16. n. 52.*): *Contrariam ergo sententiam docent vel in communi vel etiam in particulari Doctores omnes, qui, dum dicunt, etiam illum, qui paulo ante communicavit, posse postea, adveniente periculo, iterum communicare, addunt exceptionem:* Nisi eadem die communicasset. *Sic loquitur Suarez, qui addit, contrarium non solum esse contra omnes Doctores, sed etiam contra Ecclesiae consuetudinem.* Tum allatis similibus aliorum suffragiis, concludit: *Eodem modo loquuntur alii omnes, nemine concedente pro eadem die: e qua communi auctoritate non videtur facile recedendum.*

Et utique Lugo postquam haec scripsit (*l. c. n. 53.*): *Si sermo sit de illo, qui iam in aegritudine positus communicavit ex devotione illa die, non video, quo modo possit dari iterum communio eadem die,* alium casum, ut habet S. Alphonsus, distinguit, et scribit (*l. c. n. 54.*): *Si vero sermo sit de illo, qui mane bene valebat, et vulnere percussus, vel subito morbo correptus vespere moritur, apparentius dici posset, quod posset iterum communicare; quia revera nondum accepit Eucharistiam in mortis articulo constitutus:* quae verba S. Alphonsus exscripsit, quasi veram Lugonis sententiam exprimerent.

Reipsa tamen ibi Lugo mere proponit difficultatem, quam sibi solvendam assumit. Hinc eandem illam paragraphum concludit, inquiens: *Praeceptum Viatici accipiendi non obligat ad accipiendum illud, quando accipi non potest: tunc autem accipi non potest eadem die propter Ecclesiae prohibitionem, quia prohibetur, ne quis pluries eadem die communicet.*

Pergit deinde Lugo eandem sententiam confirmare ad finem usque eiusdem sectionis (*n. 55. ad 60.*); et praesertim (*n. 57.*) rationi respondet, quam in obiecta sibi difficultate addiderat. *Per communionem*, inquit, *factam paulo ante mortem, etiam sine periculi aut mortis cogitatione, satisfactum est reipsa praecepto communicandi in fine vitae: sicut de facto satisfacit, qui bene valens, sciens, se cras occidendum, hodie communicat... Cum ergo periculum non augeatur ex eo, quod homo sciat, instare mortem (nam periculum reipsa est, licet ignoretur), fatendum est, illum etiam, cui instabat mors eadem die, reipsa communicasse in mortis periculo, licet id ignoraret, atque adeo satisfecisse praecepto Divino. Merito ergo Ecclesia non dispensavit in prohibitione communicandi bis eadem die, cum nulla esset necessitas secundae communionis.*

Ad praecipuum autem fundamentum contrariae sententiae, quod desumitur ex obligatione praecepti Divini de viatico sumendo, quae debet praeferri praecepto humano prohibenti bis communicare eadem die, Lugo (*Ibid.*) reponit: *Respondetur facile, in illo casu satisfactum esse iam Divino praecepto per primam communionem, ut diximus. Adde, etiamsi non fuisset satisfactum, non obligaret Divinum praeceptum ad sumendum iterum eadem die, stante prohibitione contraria Ecclesiae, sicut non obligat ad celebrandum sine vestibus sacris propter Ecclesiae prohibitionem: Unde Vasquez et alii, qui dicunt, nondum fuisse satisfactum praecepto Divino, non concedunt tamen, quod debeat aut possit accipi communio iterum eadem die, sed sequenti.*

Illud etiam solvit, quod obiiciunt (*Ibid. n. 60.*), *hanc sententiam esse nimis rigidam. Respondeo* (inquit), *magis rigidam esse contrariam, cum obliget sub peccato mortali ad accipiendam iterum communionem eadem*

per quam sputa tussiendo expelluntur, non est oesophagus, idest via per quam cibus ac potus in stomachum traiicitur, sed est arteria aspera, per quam respiratio ad pulmones usque se protendit. Si tamen tussis adeo sit assidua, ut impediat, quominus hostia possit in stomachum transmitti, tunc a Communione erit abstinendum. — *Ita Rituale Romanum.* — *S. Lig. n. 292.*

Quando vero aeger iugi vomitu laborat, communicare nequit, nisi forte per sex saltem horas liber a vomitu fuerit. In dubio autem, an infirmus sit sacram particulam revomiturus, ei dari non debet. — *S. Lig. n. 291.*

Quaer. 5° *An in periculo mortis Communio tribuenda sit pueris, qui nondum ad sacram Synaxim admissi sunt* (*a*)?

---

die..., qua idem infirmus iam communicaverat. Nam quod aliqui mediam viam sequentes dicunt, posse quidem, sed non debere ex obligatione accipi secundam communionem, non videtur id satis consequenter dici. Si enim praeceptum viatici sumendi non obligat, non apparet, unde habeatur illa licentia pluries communicandi contra prohibitionem universalem, cum neque ex consuetudine aut ex lege aliqua probari possit.

(*a*) Solent Doctores hoc loco potiusquam de pueris vita periclitantibus, generatim de ipsis inquirere, utrum et quando praecepto sumendae Eucharistiae obligentur.

Cuius quaestionis obvia, facilisque solutio prostare sane videbitur in hoc Decreto Oecumenici Concilii Lateran. IV. sub Innocentio III. (Cap. *Omnis utriusque sexus*): *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata semel in anno confiteatur proprio sacerdoti..., suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum.* Eo vel magis, quod ad hanc obligationem firmandam accessit Canon Tridentinus anathemate eos feriens, qui illam negarent. Sic enim S. Synodus (*Sess. 13. Can. IX.*): *Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum iuxta praeceptum S. Matris Ecclesiae, anathema sit.*

De obligatione igitur, quam esse gravem nemo diffitetur, satis constat. Restat inquirendum, quandonam pueri ad annos discretionis pervenire censeantur, et quaenam discretio in rem praesentem sit exigenda. Hoc autem duplici ex capite nosse licet.

Primo quidem ex sensu Doctorum. E quibus S. Thomas, qui paulo post Synodum Lateranensem floruit, haec scripsit (*3. q. 80. a. 9. ad 3.*): *Quando iam pueri* incipiunt aliqualem usum rationis *habere, ut possint devotionem concipere huius sacramenti, tunc potest eis hoc sacramentum conferri.* In quibus fac bene advertas illas voces: *incipiunt habere,* et *aliqualem usum rationis.* Neque te moveat, quod S. Doctor exigat pueros capaces *devotionis.* Iam enim in corpore articuli dixerat, *aliquam* dumtaxat devotionem exigi. *Aliqui* (ait) *dicuntur non habere usum rationis dupliciter: uno modo, quia habent debilem usum rationis, sicut dicitur non videns, qui male videt: et quia tales possunt* aliquam *devotionem huius sacramenti concipere, non est eis hoc sacramentum denegandum.* Ex quibus etiam patet, *aliqualem usum rationis* perinde esse ac *debilem usum rationis.* Et quidem ex eodem S. Thoma deducta est celebris penes plurimos scriptores regula, pueros tunc huius sacramenti participes fieri posse, cum panem a pane distinguere norunt. Sic enim S. Doctor (*In 4. Dist. 9. Q. 1. a. 5. q. 4.*): *Dicendum quod pueris carentibus usu rationis, qui non possunt distinguere inter cibum spiritualem et corporalem, non*

Resp. 1° *Neg.*, si usum rationis nondum adepti fuerint. Ratio est, quia hoc est contra praesentem Ecclesiae disciplinam.

Resp. 2° *Affirm.* quoad pueros, qui sunt rationis compotes. Imo non solum Communio dari eis potest, sed etiam debet. Ratio est,

debet Eucharistia dari... Pueris autem iam incipientibus habere discretionem etiam ante perfectam aetatem... hoc potest dari, si in eis signa discretionis appareant et devotionis.

Hoc ipsum reperis apud Dominicum Sotum, ubi (*In 4. Dist. 12. art. 9. in fin.*) scribit: *Quae autem sit legitima aetas in qua possint parvuli Sacramentum hoc suscipere, nulla est certior regula, quam dum iudicio prudentum et maxime Confessarii apparet puer bivium literae Pythagoricae Y attigisse, ut scilicet discernere possit inter bonum et malum, atque adeo inter hunc cibum et alios saeculares.*

Et ne plures hic afferantur, satis sit audivisse Mart. Ledesma, qui communem omnium sententiam sic (*In S. Thom. q. 80. a. 9. dub. 6.*) expressit: *Dico ex omnium consensu, quod omnibus habentibus usum rationis est danda Eucharistia, quantumcumque cito habeant illum usum rationis; esto quod adhuc confuse cognoscat ille puer, quid faciat.*

Et accedit Catechismus Romanus (*De Euch. n. 62.*), qui demum ab Eucharistiae sumendae praecepto eos solummodo excipit, qui carent usu rationis. *Verum* (inquit) *quamvis haec lex Dei et Ecclesiae auctoritate sancita ad omnes fideles pertineat, docendum est, eos tamen excipi, qui nondum rationis usum propter aetatis imbecillitatem habent.*

Alterum, e quo innotescat, *quinam sint anni discretionis,* esto communis non Doctorum tantummodo sed omnium hominum sensus. Et sane non solum Doctores, sed omnes homines in hoc consentiunt, *usum rationis* seu *annos discretionis* etiam in puero requiri, ut capax censeatur et reipsa sit 1° peccandi mortaliter, 2° valide nuncupandi vota, quae gravem obligationem inducant, 3° valide (spectato iure naturae) contrahendi, 4° sponsalium vinculo se obstringendi, 5° poenitentiae sacramentum suscipiendi. Et siquidem circa haec vix ulla extat controversia, et illud unum demum cavetur, ut certa regula, qua de sufficienti rationis usu seu discretione praesumatur, ex communiter contingentibus definiri debeat, atque ita v. gr. valida censenda sint sponsalia a puero octavum annum agente (expleto scilicet septennio), nisi probetur, quempiam praeter ordinarias naturae leges serius rationis usu potitum esse; equidem non apparet, cur tantopere haerere debeamus, ubi de sensu legis in Conciliis Lateranensi et Tridentino latae definiendo agitur.

Et reipsa nihil haesitans ita de hac re definivit S. Antoninus, puerumque, ubi peccandi mortaliter capax esset, legi recipiendi sacramenta tum Poenitentiae tum Eucharistiae subditum declaravit. Ita ille (*Part. 3. Tit. 14. Cap. 12. §. 5.*): *Sed cum est doli capax* (puer), *cum scilicet potest peccare mortaliter, tunc obligatur ad praeceptum de Confessione et per consequens de Communione, quae simul dantur.*

Undenam igitur (inquies) quorundam dissensio Auctorum, qui cum Ecclesiae Decreta aeque omnes venerentur, quasi tamen ab iis discedunt, et tempus accedendi ad Eucharistiam aliquanto protrahunt? Respondeo, tribus de causis id factum videri, quas tamen probari omnibus posse vehementer dubites. Ac primo quidem nonnulli (quod specialibus locorum forte temporumve adiunctis tribuendum dixeris) multo serius, quam fere nunc contingat, rationis usum aliquem advenire sunt opinati. Hinc S. Antoninus (*Part. 2. Tit. IX. Cap. VIII. §. 2.*) quaerens, *Quis* (iuxta decretum Lateranense) *dicatur annus discretionis, in quo quis tenetur confiteri,* ac praemittens, quod *Glossa super dicto capitulo* omnis *dicit, annum discretionis esse, quum est doli capax: idem Richardus in 4.. et quidam alius in 4.*

quia hinc quidem pueri in tali periculo constituti tenentur ex praecepto divino communicare; inde vero utilitas Eucharistiae tunc maiorem dispositionem non exposcit. Graviter igitur errant Parochi

idem sentit dicens, quod doli capax est, quando habet usum rationis, et cognoscit peccatum; cuius signum est, quod dat interroganti ordinatas responsiones; Hostiensis autem... dicit, quod tenentur pueri ad confitendum, quum sunt doli capaces, et non aliter; deinde illos refutat, qui dicebant, annum discretionis esse octavum annum, quia (inquit) *in pluribus octavo anno puer nondum habet usum rationis.* Unde hoc infert: *Certum est autem, quod ante usum rationis nullus peccare potest, nec legibus adstringitur; unde nec talis per consequens confiteri tenetur.* Suam autem sententiam sic subdit: *Et cum pari praecepto quilibet obligetur ad Communionem, sicut ad Confessionem, ut patet per ipsam Decretalem, dicit B. Thomas in 4. Sent., quod pueri circa undecimum vel duodecimum annum, si appareant in eis signa devotionis, ita scilicet quod sciant discernere panem materialem a sacramentali, possunt communicare: quod dicit, quia praesumitur iam habere usum rationis, et non antea.* In quem locum ex S. Thomae codice forte minus emendato irrepsit error; textus enim S. Thomae (*In 4. Dist. 9. Q. 1. art. 5. q. 4.*) non habet *undecimum vel duodecimum*, sed *decimum vel undecimum*, prouti praeter alios legerunt etiam Tabiena (*V. Communicare n. 6.*), et Sylvester (*V. Eucharistia III. n. 7.*). Sed parum hoc est; nam alii (*Vid. Ledesma l. sup. c.*) in pueris ante decimum quartum annum eiusmodi discretionem adhuc desiderari autumarunt.

Aliam causam huius quasi discessus a Lateranensi ac Tridentina sanctione reperimus apud Sotum; quippe qui utcumque concedat (*In 4. Disp. 12. art. 9. in fin.*), pueros sacrae synaxis capaces esse anno aetatis decimo, ac probet sententiam Paludani, qui etiam anno nono (*Vid. Tabiena V. Communicare n. 6.*) idoneos illos putat, quin et octavo anno *vivacissimum* puerum a sacra mensa prohiberi non posse statuat, tamen generali quodam principio praestituto, neminem Ecclesiae legibus obligari nisi duodecimo aetatis anno, pueros neque Confessionis neque Communionis praecepto ligari ante hanc aetatem docet. Sic enim ille (*l. c. art. 11.*): *Sed si quaeras, utrum universi christiani isto praecepto* (scil. Later. Synodi) *obligentur, respondetur primum quod pueri non obligantur usque ad duodecimum annum, quando aliis tenentur ecclesiasticis legibus. Etenim licet paulo ante rationis crepusculum possint illud suscipere, tamen ad obligandum ad sacramentum tam Poenitentiae quam Eucharistiae maior aetas requiritur.* Et post Sotum Valentia (*Tom. 4. Disp. 6. Q. 8. Punct. 4.*) id ipsum sic tradit: *Animadvertenda sunt hic quaedam. Primum est, ante annum duodecimum non obligare id Ecclesiae praeceptum, ut bene notat Sotus. Etsi enim ante quoque aliquibus contingat habere eam discretionem rationis ut possit quidem eis dari Eucharistia..., non tamen ante illud tempus aetatis habent eam discretionem, ut etiam teneantur recipere Eucharistiam, vel etiam confiteri, inquit Sotus.* Attamen et ipse (*l. c. Punct. 2.*) concesserat, pueros generatim loquendo ad Eucharistiam decimo anno admitti posse. *Tempus vero* (inquit), *quo ad Eucharistiam admitti possunt pueri, illud est, cum eiusmodi pollere incipiunt rationis usu, ut possint satis discernere hunc caelestem cibum a caeteris. Quod ordinarie contingere solet circa decimum aetatis annum, ut notat Sotus.*

Tertiam denique causam aliter opinandi, ac ferre lex Lateranensis videatur, cernere licet apud Suarezium. Quamvis enim hic sibi probari affirmet opinionem Soti et Valentiae, nimirum pueros idoneos esse posse ad Communionem, non tamen idcirco ad id lege esse adstrictos; verum rationem non petit cum Soto ex generali quopiam principio de ecclesiasticis

qui Viaticum huiusmodi pueris administrare nolunt.— *S. Lig. n. 301. — Billuart, diss. 6. art. 1. — Gousset, n. 233.*

321. — Quaer. 6° ***An communio in periculo mortis danda sit amentibus, semifatuis, delirantibus et sensibus destitutis?***

legibus ante annum duodecimum non obligantibus, sed aliis utitur adminiculis, quibus forte magna ex parte deberi videtur confusio in hanc quaestionem inducta. Praestat ipsum audire (*De Sacr. Disp. 70. Sect. 1.*): *Addit vero Soto et mihi etiam probatur, non statim ac hi pueri perveniunt ad aetatem, in qua possunt licite communicare, ad id obligari, sed post aliquod tempus, v. gr. post unum vel alterum annum.* Sic porro rationem horum reddit: *Nam et usus Ecclesiae ita videtur hanc legem declarasse; et rationi consentaneum est, ut Ecclesia non obliget, cum primum potest: sed facultatem concedat expectandi per aliquod tempus vel propter maiorem reverentiam Sacramenti, vel propter maiorem fructum percipientis, vel ne hi pueri exponantur periculo transgressionis: securius autem hoc fiet, si consilio Confessoris fiat; sic enim non discordabitur etiam a verbis legis.*

Dixi porro, valde dubitandum, num tres istae dilationis causae probari queant. Et quod ad primam spectat, vel pauca illa, quae superius attigimus circa definiendum annum discretionis, satis superque evincunt, S. Antonini de hac re opinionem communi omnium sensui adversari. Et quidem ex iis, quae communiter traduntur de aetatis ac porro discretionis in pueris sufficientia tum ad contrahendas sive voti sive sponsalium obligationes, tum ad peccandum graviter, et Poenitentiae sacramentum recipiendum, a fortiori argui potest quoad sumendae Eucharistiae capacitatem. Quis enim non videt, ad habendum illum *aliquem* (ut ait S. Thomas) devotionis sensum, qui ad digne sumendam Eucharistiam unice requiritur, multo minorem discretionem sufficere, quam aut ad concipiendos affectus sacramento Poenitentiae valide recipiendo necessarios, aut ad vim percipiendam gravis obligationis in votis ac sponsalibus requiratur?

Quod vero attinet ad Soti opinionem, quae pueros ligari negat ecclesiasticis legibus ante duodecimum aetatis annum, haec, uti patet, contra se communem habet doctorum sententiam. Qua de re etiam Suarez (*De Poenit. Disp. 36. Sect. 2. n. 3.*) ita habet: *Quidam existimant, eos* (pueros) *non obligari hoc* (Confessionis) *praecepto; quin potius Soto dicit, pueros ante duodecimum annum non obligari hoc praecepto; cuius nullam affert rationem... Dicendum vero est, omnem illum, qui scit peccare mortaliter, obligari hoc praecepto; unde sicut non potest certa aetas designari, in qua homo pervenit ad usum rationis, et inter bonum et malum valet discernere, sed alii citius, alii tardius ratione utuntur* (*quod prudentis viri iudicio discernendum est*), *ita non potest certa aetas praescribi, in qua homo incipit obligari hoc praecepto. Haec est communis doctrina.... Consentiunt etiam Glossa et Canonistae in dict. Cap.* Omnis utriusque sexus, *et idem tandem sentit Soto D. 18. q. 1. a. 3. in fine. Probatur ex verbis textus,* Cum ad annos discretionis pervenerit; *anni enim discretionis significant aetatem, in qua homo scit peccare. Secundo, quia isti obligantur praecepto iuris divini; sed hoc praeceptum est determinatio illius praecepti, ut dictum est. Tertio, isti possunt obligari aliis praeceptis Ecclesiae, saltem quoad vim directivam, quidquid Soto dicat; tenentur enim audire sacrum in festis, et abstinere a carnibus in die prohibito: cur ergo non obligabuntur hoc praecepto maxime necessario?* Quod vero ait Suarez, tandem etiam Sotum in hoc convenire, id ad definiendum annum discretionis et obligationem confitendi pertinet. Haec enim (*l. c.*) habet Sotus: *De verbo autem illo Decretalis,* Postquam ad annos discretionis pervenerint, ***nil opus est disputare. Haud enim designat cer-***

Resp. 1° *Quoad amentes,* 1° Si fuerint perpetuo amentes, nunquam Communio eis danda est. Sic ex *Rituali Rom. de Euch.* — 2° Si lucida intervalla saepius habeant, et desiderium communicandi manifestaverint, Communio eis dari poterit; imo et debebit,

tum tempus, ut duodecim aut quatuordecim annorum, sicut ad contrahendum matrimonium, sed cum primum puer fuerit doli capax, sic scilicet, si inter bonum et malum discernere coeperit, et prudentium iudicio mortaliter peccet. Et ratio est clara: nam cum necessitas praecepti Confessionis tam divini quam humani ex eius necessitate ad salutem oriatur; cum primum homo necessitatem salutis incurrit, tenetur etiam ad Confessionem tum semel in anno, tum et in articulo mortis. Verum est tamen, quod usque ad annum aetatis duodecimum Ecclesia per censuras neminem ad Confessionem cogeret, licet noverit, etiam ante posse peccare...; nam a septem annis, ubi desinit infantia et incipit pueritia, peccare possunt. Quae postrema cum iis congruunt, quae superius ex ipso protulimus, nempe puerum vivacem etiam *octavo anno* posse Communionis esse capacem.

Demum, ut Suarezii opinionem attingamus, enimvero haec forte minus rationabilis, quam praemissae S. Antonini et Soti videri merito poterit. Et sane istae post praestituta ab illis principia, saltem sibi cohaerent. At vero Suarez cum Soto quidem admittit, uno, alterove anno expectari posse etiam quando pueri ad recipiendam Eucharistiam iam antea accedere licite possent; attamen rationem non recipit a Soto allatam, pueros videlicet non teneri ad servandas ecclesiasticas leges ante annum duodecimum; quin expresse eam reiicit ac refutat. Quo igitur pacto, quave ratione pueros etiam ex sua sententia ad Communionem idoneos eximit a Communionis obligatione, quam Synodi oecumenicae Lateranensis ac Tridentina adeo manifeste edicunt? Recurrit nempe, ut superius vidimus, 1° ad usum Ecclesiae, 2° ad rei congruentiam: cuius congruentiae triplicem rationem affert, nempe 1° maiorem reverentiam, 2° maiorem percipientis fructum, 3° periculum transgressionis.

Porro ut a postremo hoc exordiamur, si censet, Ecclesiam noluisse pueros ante annum duodecimum obligare ob periculum transgressionis, quia nempe aetas minus matura facile omittet implere praeceptum; cur reiicit doctrinam Soti, qui hac omnino de causa negabat, immaturam illam aetatem obligationis capacem esse? Cur eidem Soto opponit obligationes vel Confessionis, vel abstinentiae a carnibus, vel audiendi Missam, quibus adstringi pueros ante XII. annum contendit? Quinimo siquidem Ecclesia ob hanc causam differt, ut ipse putat, obligationem Communionis, potiori iure differendae aliae obligationes forent; multo enim facilius, ut experientia suadet, pueris transgredi accidet praeceptum audiendi Missam diebus festis, aut carnibus abstinendi.

Quod autem dicitur de maiori reverentia, leve est. Nam aut sufficientem praestare reverentiam censetur puer ante duodecimum annum, aut non. Si sufficientem non affert, cur ipse Suarez concedit, eum etiam tunc posse ad Communionem accedere? Si vero sufficientem praesefert, cur eum a gravi hoc praecepto eximit? Decursu aetatis, inquit, *maior* accedet reverentia. At enim nimis haec ratio probat. Nam pari iure alius opponet, maiorem reverentiam vicesimo, quam duodecimo anno praesto fore. Licebitne idcirco maioris reverentiae praetextu Communionem ad eam usque aetatem, posthabita Ecclesiae lege, differre? S. Thomas, uti superius diximus, *alicuius*, non autem *maioris* devotionis capacem Decreto Ecclesiae adstringi docet; atque, ut inquit Paludanus (*Vid. Tabien. V. Communicare n. 6.*), *ignorantiam in pueris compensat innocentia.*

Ratio vero petita ex maiori percipientis fructu, si Communio differa-

secluso irreverentiae periculo. — *S. Thom. part. 3. qu. 80. art. 9. — Catech. Conc. Trid. — S. Lig. n. 302.*

Resp. 2° *Quoad semifatuos*, ipsis danda est Communio, quando sufficientem habent discretionem, ut caelestem hunc cibum ab aliis

tur, in primis eodem, ac praecedens, vitio laborat, et nimis probat. Insuper ideo etiam claudicat, quod supponat quodammodo, fructum maiorem, qui adultiore aetate forte speretur, minori, qui citius percipiatur, quasi impediri. Id autem per se falsum omnino est. Meminisse denique oportet, Eucharistiam accenseri Sacramentis Novae Legis, quae gratiam tum sanctificantem tum sacramentalem conferunt *ex opere operato,* quandocumque obicem in suscipiente non reperiunt. Etsi vero coniici forte possit, maiorem aliquem fructum, qui *ex opere operantis* accedat, a minus tenera aetate esse expectandum, at nonne ab hac ipsa aetate, qua vitia corruptae naturae adolescere incipiunt, timendum erit plus aliquid obicis, quando contra tenerioris innocentia aetatis, ut aiebant veteres DD., ignorantiam compensat? Sed praeterea fac in memoriam revoces singularia huius Sacramenti charismata, propriosque fructus (*Sup. n. 275.*) et quod ex Christi institutione spiritualis vitae alimentum ac robur sit, peccatorumque ac vitiorum antidotum. Porro praestabitne imaginario maioris cuiusdam fructus obtentu puerilem aetatem eximiis hisce ac simul necessariis praesidiis, uberrimaque gratiarum copia, qua praeservetur atque communiatur eius innocentia, privasse?

Denique quod obiicitur de communi usu, qui sit legis interpres, si quidem accipiatur pro consuetudine, qua pueri ad Confessionem prius, quam ad Eucharistiae participationem fere admittantur, hoc facile conceditur; nec huius consuetudinis iusta ratio deest. Quippe cum ex omnium consensu ad Confessarium maxime spectet iudicium, an pueri sint doli capaces, atque adeo ad Sacramentorum perceptionem idonei, et simul sic absit periculum, ne incapacibus sacramentum conferatur, utique ad Confessionem in antecessum sapientissime mittuntur. At si intelligatur consuetudo differendi communionem ultra eam aetatem, qua eiusdem capax sit puer, hanc melius abusum tum negligentiae tum praeiudicatae quorumdam opinioni adscribendum dixeris, quam Ecclesiae consuetudinem.

Et sane ipse Suarezius (*cit. Disp. 70. Sect. 1.*) haec praemiserat: *Fere omnes in hoc conveniunt, non posse generaliter definiri hanc obligationem per hominum aetates, seu annorum numerum... Saepe ante duodecimum aetatis annum sunt multi ita doli capaces, atque ita instructi in rebus fidei,* UT SINE DUBIO HOC PRAECEPTO OBLIGENTUR. Et subdit deinde, id *decimo quoque anno, nono scilicet expleto* contingere. At enim si ipso fatente conveniunt fere omnes Doctores (Sotum nempe excipiemus, quem etiam ibidem Suarezius confutat), obligationem desumendam ab aetate esse; quorsum nobis obtruditur ceu legitima Ecclesiae consuetudo, eorum abusus, qui ulterius ac aetas exigat, Communionem differunt? Addit (*ibid.*), *rationi consentaneum esse, ut Ecclesia non obliget, cum primum potest.* Quae sane egregie dicta fateremur, ubi de mente Ecclesiae indiciis plane incertis coniectandum foret. At postquam mentem suam Ecclesia manifestissime aperiens ad sumendam Eucharistiam non solum obligare potuit, sed reipsa omnes obligavit, quicumque ad annos discretionis pervenissent, et insuper hanc obligationem negantes anathemate perculit; quisnam, quaeso, locus dubitandi de hoc iam superest? Aut dicemus Ecclesiam, cum obligavit vix dum potuit obligare, quidpiam minus rationi consentaneum peregisse?

Nihil autem opus est quosdam morari, qui post Suarezium huc revocant verba illa Lateranensis Decreti: *Nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi per-*

distinguant; sed raro, scilicet tantum in articulo mortis, et ubi urget strictum communicandi praeceptum. — *S. Lig. n. 303., et alii communiter* (*a*).

ceptione duxerit abstinendum: quasi vero ex his libera fiat confessario potestas eximendi ab obligatione illos, qui alioquin sunt capaces, et obligantur. Nam utique, ut verbis utar S. Antonini (*Part. 2. Cap. 9. §. 1.*), *secundum quod potest Confessor ex confessione eorum percipere de usu rationis eorum maiori vel minori, sic potest et debet eis consulere vel arctare* (scil. obligare) *ad Communionem:* ubi parentes quoque, ac magistros scholarum monet (*ibid.*), quod *debent bene eos hortari, si vident eos habere bonam discretionem vel dimittere in iudicio Confessorum suorum:* ac demum illud etiam gravissimum addit: *Retrahendo autem eos solum ex hoc, quod sunt parvi, et quia non est de more patriae, quantumcumque habeant usum rationis, quod communicent, graviter peccant.* At aliud est, quod Confessarii iudicio deferatur circa sufficientem usum rationis, aliud quod usum rationis adeptos eximere Confessarius ab obligatione possit. Quo autem spectent citata Innocentii III. verba, obvium est; *quando scilicet* (ut notat Gonzalez, *In Decret. Lib. V. Tit. 38. Cap. VII.*) *Confessarius differt absolutionem, ut experiatur an propositum poenitentis firmum sit, aut quia ipsum absolvere iniustum iudicaverit, donec poenitens occasionem proximam peccandi vitaret: quibus in casibus fidelis non communicans in paschate minime erit reus praecepti ecclesiastici, nec poenas impositas in praesenti textu patietur.* Et pari modo obvium est, ea verba ad pueros non spectare; cum enim dicat Innocentius, *Nisi forte... de consilio Confessarii duxerit abstinendum,* absonum est id de pueris illis intelligere, qui non suo sed alieno arbitratu in his ducuntur.

Caeterum abiecta semel anomala illa Soti opinione de pueris a quavis ecclesiastica lege ante annum duodecimum exemptis, et posthabitis aliis ratiunculis, quibus dilationem pueris ex communi sententia obligatis concedi posse contendit Suarez, restat sententia, in quam post S. Thomam communiter, prout affirmat etiam S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 301.*), conveniunt Doctores, pueros decennes *regulariter* et aptos esse ad Eucharistiae participationem, et idcirco huius obligationis esse capaces. Quam in rem idem S. Alphonsus postquam ex Synodo IX. Mediolanensi retulit monitum S. Caroli, *ut Parochi illos, qui decennium attigerint* (N. B. *attigerint,* non *expleverint*) *accersant, instruant ad cognitionem Eucharistiae, doceantque ut quam reverenter ad eam accedant,* rationem sic reddit, cur dictum fuerit *regulariter : Nam* (inquit) *ut advertunt DD., citius possunt obligari pueri, qui ante talem* (scil. decennii) *aetatem perspicaciores conspiciantur. Unde recte Bonacina reprehendit parochos, qui indiscriminatim non admittunt ad Communionem nisi pueros in certa aetate constitutos.*

(*a*) Antiquiorem Henrico Henriquez neminem reperi, qui doceat, iis *qui sufficientem habent discretionem, ut caelestem cibum ab aliis distinguant,* Communionem semel dumtaxat per annum permittendam esse. Et Henriquez quidem pro more suo longam Auctorum seriem (*Sum. Lib. 8. Cap. 42. n. 3.*) quasi pro ea opinione *in nota* allegat. Verum isti affirmant quidem unanimiter, Eucharistiam praebendam esse hisce semifatuis, inter quos Henriquez Aethiopes quoque recenset; nemo tamen illorum paschalem solummodo communionem concedit. Et hinc factum videtur, ut deinde quidam alii huic opinioni quasi *communiter* receptae adhaeserint; quamquam Laymann ab iis discedens (*Lib. 5. Tr. 4. Cap. 5. n. 4.*) dixerit, *ad minimum* in paschate ad Eucharistiam admittendos hos esse. Interim vero solida huius doctrinae ratio nulla affertur; et e contrario Henriquezium merito sic exagitat Ioan. Sanchez (*Disp. Select. 26. n. 5.*): *Nec scio, qua ratione censeat Henriquez, frequentiam Communionis esse fatuis* (eos in-

Resp. 3° *Quoad delirantes,* ipsis Communio dari potest, si communicare valeant, secluso irreverentiae periculo. Optima autem praxis est, ut infirmo antecedenter detur particula non consecrata, et sic appareat, an decenter communicare possit. — *S. Lig. n. 292.*

Resp. 4° *Quoad destitutos sensibus:* ipsi sane a praecepto dispensantur, cum nullius legis observandae sint capaces. Sed non ideo dispensatur Pastor ab obligatione Eucharistiam ipsis ministrandi, si ante rationis amissionem dispositi fuerint. Sacramenta enim *ex opere operato* in eis operantur, qui cupierunt ea recipere, antequam usum rationis amitterent. Excipe tamen, si adsit periculum irreverentiae, aut si timeatur, ne Hostiam deglutire non valeant. — *Ita communiter.* — *Gousset, n. 232.*

322. — QUAER. 7° *An communio danda sit surdis-mutis, obsessis, et epilepticis?*

Resp. 1° *Quoad surdos-mutos: Affirm.,* si ex signis constet, eos discretionem habere, et esse sufficienter instructos. Si vero non qualicumque, sed sufficienti aliqua discretione gaudeant, saepius communicare poterunt. — *Ita communiter cum S. Lig. n. 303.*

Resp. 2° *Quoad obsessos,* distinguendum est: neganda est ipsis Communio, quando non sunt sui compotes; secus concedenda est. Imo expedit, ut tales saepius iuxta prudentiam Confessarii communicent, cum Eucharistia sit speciale remedium ad daemones arcendos.

Resp. 3° *Quoad epilepticos:* Communio eis dari non potest, quando versantur in *paroxysmo* actuali ob proximum irreverentiae periculum; caeteris autem temporibus non est deneganda. — *Ita communiter cum S. Lig. n. 303.*

323. — QUAER. 8° *An dari possit Communio capite damnatis?*

Resp. Affirm. Docet quidem *Benedictus XIV., eam consuetudinem sequendam esse, quae in unoquoque loco respective esse dignoscitur, de Synod. l. 7. c. 11.;* sed *magis conformem pietati christianae* vocat usum SS. Eucharistiam illis ministrandi, et *S. Pii V.* testimonium hac de re profert. Pium hunc usum nuperrime commendaverunt plura Galliae provincialia Concilia, v. gr. Concilium Suessionense, Auscitanum, etc. Hanc praxim quam maxime suadet *Gousset, n. 230.*

Vide ea, quae speciatim ad Communionem Paschalem attinent, in *Tract. de Praeceptis Ecclesiae, n. 489. et seq.*

telligit quos Henriquez semifatuos appellat) *negandam, si semel concedat in paschate dari debere: si enim quando semel communicant, nullam committunt irreverentiam, nec committent pluries communicando, cum tam homo suscipiens quam sacramentum susceptum semper unum et idem sint. Neque imaginari possum, quomodo hodie communicando oriatur de novo irreverentia, quae heri suscipiendo Eucharistiam non fuit orta, dum actio sit eadem in specie, sacramentum idem, et homo, qui suscipit, sit cum eodem usu rationis hodie, quo fuit heri. An irreverenter accedit secunda vice, qui accedit cum gratia comparata ex prima communione?*

ARTICULUS II.

DE DISPOSITIONIBUS REQUISITIS IN SUBIECTO EUCHARISTIAE 1° QUOAD ANIMAM, 2° QUOAD CORPUS

§. I. *De dispositionibus animae.*

324. **Principia.** — I. Ad recipiendum Eucharistiae sacramentum requiritur status gratiae, saltem prudenter existimatus. Secus gravissimum committitur sacrilegium. Ratio patet ex rei natura, necnon ex verbis Apostoli *1. Cor. 11. 28: Probet autem seipsum homo, et sic de Pane illo edat, et de Calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.*

II. Non sufficit, ut status gratiae acquiratur per contritionem perfectam, sed requiritur ut praemittatur confessio peccatorum mortalium et absolutio sacramentalis recipiatur, excepto necessitatis casu, nempe vel quando deest copia Confessarii, nec potest omitti Communio absque gravi nota vel suspicione, vel quando a Sacerdote celebrandum est, ut populus die festo Missae intersit. — *Trid. sess. 13. c. 7. — Vide S. Lig. n. 256, et seq.*

325. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quandonam Confessarii copia deesse censeatur?*

Resp. Censetur deesse, 1° Si nullus Confessarius sit praesens, et spectatis circumstantiis debilitatis, aetatis, negotiorum, distantiae, aëris, brevitatis temporis, etc., sine gravi difficultate adiri absens non possit.

2° Si alius Confessarius non adsit, nisi ignarus idiomatis, vel carens iurisdictione, vel cui non possis confiteri sine gravi damno tuo vel alieno. Attamen in his casibus contritio perfecta requiritur. Non censetur autem deesse copia Confessarii, si absit is, cui soles confiteri, sed debet deesse quilibet approbatus. — *S. Lig. n. 264.*

Rarissime autem occurrit causa excusans a confessione pro laicis. Facilius quidem adesse potest quoad Sacerdotes; sed cavendum sane, ne vano praetextu aut pudore et verecundia deterriti chimaericam impossibilitatem sibi fingant.

QUAER. 2° *Quaenam requiratur distantia, ut Sacerdos deesse censeatur?*

Resp. Non potest rigorose determinari, sed pendet a circumstantiis. Alii requirunt distantiam duarum leucarum; alii leucam unam cum dimidio vel quadrante; alii leucam unam tantum. Sed praeter rationem itineris saepe urgent aliae rationes, v. gr. infirmitas, vel temporis brevitas. Sic sacerdos iamiam celebraturus potest excusari a confessione, etiamsi Confessarius distet 50 passibus. — *S. Lig. n. 264.*

326. — QUAER. 3° *An qui recordatur peccati mortalis, quod ex inculpabili oblivione in confessione non declaravit, teneatur illud ante Communionem confiteri?*

Resp. 1° *Neg.* certo, si poenitens iam sacrae mensae assideat, vel adsit causa gravis communicandi, et difficulter iterum confiteri possit. Ratio est, quia etiamsi adesset praeceptum confessionis, non urgeret cum tanto incommodo. — *Ita omnes.*

Resp. 2° Si poenitens possit sine incommodo confiteri vel Communionem omittere, *controvertitur: probabilius* neque confiteri tenetur, neque a Communione abstinere; quia peccatum involuntarie omissum certe est remissum, etsi indirecte tantum; ac proinde Communioni sumendae nullatenus obstat. Nec dicas, urgere *Trident.* praeceptum confitendi ante Communionem; poenitens enim, cum iam fuerit rite confessus et iustificatus per Sacramentum Poenitentiae, est sufficienter probatus etiam iuxta mentem *Concilii Trident.*— *S. Lig. n. 257., de Eucharist. — Collet, — Pontas, — Gousset, n. 249., et alii* contra *alios,* qui communius et non *improbabiliter* oppositum tenuerunt. — *S. Lig. priori* sententiae magis accedit, secundam tamen in praxi suadendam censet (*a*), modo causa aliqua aliud non suadeat. — *Hom. apost. n. 23.*

327. — QUAER. 4° *An Sacerdos, qui celebravit, vel laicus, qui communicavit conscius peccati mortalis, absque confessione, ob urgentem necessitatem,* QUAMPRIMUM *confiteri teneatur?*

Resp. 1° *Quoad Sacerdotem affirm.* Sic enim expresse *Tridentinum, ibid. c. 7: Quod si, necessitate urgente, Sacerdos absque praevia confessione celebravit,* QUAMPRIMUM *confiteatur.*

Resp. 2° *Quoad laicum neg. probabilius.* Ratio est, quia *Concil. Trident.* loquitur tantum de Sacerdotibus, ut ex textu patet. — *Ita communissime,* ait *S. Lig. n. 268.*

QUAER. 5° *Quomodo intelligendum sit praeceptum illud Sacerdotibus impositum confitendi* QUAMPRIMUM (*b*)?

Resp. Probabilius sufficit, si Sacerdos intra triduum confiteatur; quia cum hoc praeceptum sit tantum ecclesiasticum, vox *quamprimum* intelligi moraliter potest, prout intelligitur in aliis legibus humanis, ubi illud verbum, aut aliud simile, ex communi interpretatione ad spatium trium dierum protenditur. — *S. Lig. n. 266.,*

(*a*) Non sic intelligas, quasi *in praxi* docere cum secunda sententia debeas, adesse in casu obligationem rursus ante communionem confitendi; sensus nempe S. Alphonsi hic est, *consultius esse* rursus confiteri; praesertim quod culpae omissae memoria tranquillam conscientiae pacem, eamque devotionem impediat, quae ad degustandam divini huius cibi suavitatem, uberemque fructum percipiendum apprime conducit.

(*b*) Duplicem de hac re propositionem habes ab Alexandro VII damnatam. Nam XXXVIII est: *Mandatum Tridentini factum sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum;* XXXIX vero: *Illa particula,* Quamprimum, *intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.*

et alii. — Attamen Sacerdos non potest iterum celebrare, antequam fuerit confessus; quia non fuit excusatus a confessione nisi propter *instantem* necessitatem. Hinc si urgeat eadem necessitas celebrandi die sequenti, et possit confiteri (a), confessionem ad alium diem remittere nequit.

328. — QUAER. 6° *An teneatur confiteri* QUAMPRIMUM *Sacerdos celebrans post confessionem, in qua* INCULPABILITER *alicuius peccati mortalis oblitus est?*

Resp. 1° *Neg.*, si meminerit peccati post celebrationem; quia non celebravit conscius illius peccati, ut loquitur *Trident.* — *Ita communiter.*

Resp. 2° *Neg. probabilius,* etiamsi meminerit peccati ante celebrationem; quia cum confessionem praemiserit, licet alicuius peccati gravis fuerit oblitus, non potest tamen dici celebrasse conscius peccati mortalis sine praevia confessione. Hanc sententiam probabilem dicit *S. Lig. n. 267.* post *Lacroix et alios* contra *Suarez, Lugo,* etc.

QUAER. 7° *An teneatur confiteri* QUAMPRIMUM *Sacerdos celebrans* SACRILEGE, *non urgente necessitate, vel si haec urgeat, non deficiente copia Confessarii?*

Resp. Neg. Ratio est, quia praeceptum *Conc. Trident.* ordinatur tantum ad incutiendum metum iis, qui praetextu necessitatis confessionem differunt, non vero celebrantibus *sacrilege,* quibus praeceptum huiusmodi valde raro prodesset; qui enim contempto praecepto divino audent sacrilege celebrare, facilius sane praeceptum Ecclesiae contemnerent. — *Ita communissime et verius S. Lig. n. 266.*

QUAER. 8° *An affectus ad aliquod peccatum veniale totum fructum Communionis impediat?*

Resp. Neg. Ratio est, quia voluntas bene potest pios motus experiri erga Deum et Sacramentum, licet affectum aliquem leviter deordinatum ad rem particularem retineat; proinde communicans cum tali affectu non privatur omni fructu Eucharistiae. — *S. Lig. n. 270., et alii communius.*

§. II. *De dispositionibus corporis.*

Duplex dispositio requiritur ex parte corporis, scilicet 1° ieiunium; 2° decentia.

(a) Si vero eadem necessitas celebrandi urgeat sequenti die, imo et tertia dein, aut etiam quarta, etc. die, nec etiam per ipsos dies adsit copia Confessarii; sacerdos non secus, ac prius, excusabitur.

PUNCTUM I.

De ieiunio ad Communionem requisito.

329. **Principia.** — I. Ex praecepto Ecclesiae ad Communionem requiritur ieiunium *naturale,* seu abstinentia *totalis* post mediam noctem a re qualibet, quantumvis minima, quae sumitur per modum cibi et potus, certis tamen exceptis casibus. Constat 1° ex universali Ecclesiae consuetudine et unanimi traditione; 2° ex omnibus Catechismis et Ritualibus ab Ecclesia approbatis; 3° ex Conciliis et praesertim ex *Conc. Constantiensi, sess. 13.*

II. Ad ieiunium illud frangendum iuxta communem sententiam tres requiruntur conditiones, nempe I[a] Ut quod sumitur, *ab extrinseco* sumatur (*a*); quia quod non provenit ab extrinseco, etsi voluntarie deglutiatur, non dicitur *manducatio:* res enim quae manducantur, ab extra proveniunt. Hinc sanguis effluens ex ore, lingua, gingivis, etc. non frangit ieiunium. — *S. Lig. n. 279. — Elbel, n. 91.,* etc.

II[a] Ut quid sumatur *per modum comestionis aut potationis.* Ratio est, quia iuxta sensum communem hoc tantum modo frangitur ieiunium naturale. Unde quidquid per modum respirationis aut salivae hauritur, ieiunium nullatenus frangit. Sic ieiunus remanes, licet per respirationem pulverem vel muscam diglutieris. — *S. Thom. — S. Lig. n. 280.*

III[a] Ut res sumpta habeat *rationem cibi, aut potus,* id est, ut sit quid alterabile in stomacho, et aptum ad nutritionem. Ratio est, quia secus iuxta communem concipiendi modum non est comestio, neque potatio. Nemo enim dicitur manducare ferrum, vitrum, lignum, etc. — *Ita communiter Theologi cum S. Thoma, part. 3. q. 80. art. 8. — S. Lig. n. 281.*

330. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An traiectio reliquiarum cibi, quae inhaerent inter dentes, frangat ieiunium?*

Resp. 1° *Neg.* si sit *involuntaria,* quia non habet rationem cibi. Constat etiam ex Rubrica Missalis, *de defect. n. 3. — Ita omnes.*

Resp. 2° Si sit *voluntaria,* controvertitur.

I[a] SENTENTIA *probabilis negat;* quia tales reliquiae non sumuntur per modum cibi, licet ex proposito, sed per modum salivae. — *Sic S. Thom. in 4. Dist. 8. q. 1. art. 4. q. 2. ad 3. — Vide etiam Rubr. tit. 9. n. 3.*

II[a] SENTENTIA *affirmat;* quia huiusmodi traiectio, cum ex industria fiat, nova comestio videtur. — *Ita Roncaglia,* etc. Hanc sententiam dicit probabiliorem *S. Lig. n. 279.* (*b*).

(*a*) Adde: *et in stomachum traiiciatur.*

** (*b*) Etiam pro secunda hac sententia solent allegari illa ex S. Thoma (*3. q. 80. art. 8. ad 4.*): *Reliquiae tamen cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem huius sacramenti, quia*

Quaer. 2° *An guttulae aquae aut iusculi degustati cum saliva mixtae frangant ieiunium si deglutiantur?*

non traiiciuntur per modum cibi, sed per modum salivae; et eadem ratio est de reliquiis aquae vel vini, quibus os abluitur, dummodo non traiiciantur in magna quantitate, sed permixtae salivae, quod vitari non potest. Ad quae Seraphinus Caponi scribit: *Ipsum* (S. Doctorem) *recte intelligendum esse velim, ac vigilantissime ponderandum illud, quod ipse propterea caute multum expressit, scilicet ly* permixtae salivae, *et ly* quod vitari non potest.

Fatendum tamen est, aliter deduci posse ex alio loco (*In 4. Dist. 8. Q. 1. art. 4. q. 2. ad 3.*), in quo diversum adhibet principium: *Ieiunium naturae* (inquit S. Doctor) *dicitur per privationem actus comestionis..... Comestio autem.... dicitur a sumptione exterioris cibi, quamvis terminetur ad traiectionem cibi in ventrem, et ulterius ad nutritionem: et ideo quae interius geruntur sine exterioris cibi sumptione, non videntur solvere ieiunium naturae, nec impedire Eucharistiae perceptionem, sicut deglutio salivae: et similiter videtur de his, quae intra dentes remanent, et etiam de eructationibus.* Porro principium hic assumptum, illud est, ad ieiunium solvendum opus esse, ut adsit *exterioris cibi sumptio;* quam negat adesse in reliquiis illis traiiciendis. Hoc autem valet, uti patet, tum si casualiter, tum si non casualiter traiiciantur. Qui quidem sensus elucet etiam ex obiectione, quam ibi S. Doctor solvit. Haec enim est huiusmodi: *Si quae cibi reliquiae in ore remaneant, non impeditur quis a sumptione corporis Christi: quia hoc posset accidere sacerdoti etiam dum est in ipsa celebratione sacramenti... Ergo nec cibus in os missus debet perceptionem huius sacramenti impedire in parva quantitate sumptus.* Porro si S. Doctor putasset, ieiunium solvi per eas reliquias voluntarie in stomachum traiectas, respondere debuisset saltem distinguendo Antecedens, utrum nempe casualiter etc.

Insuper S. Alphonsus advertit (*Lib. 6. n. 279.*) huic sententiae non repugnare rubricas missalis (*De Defect. n. 3.*), ubi sic dicitur: *Si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae.*

Recte tamen idem S. Alphonsus monet, etiam Doctores, qui censent per reliquias istas voluntarie traiectas non solvi ieiunium, tamen consilium praebere, ut expuantur, uti v. gr. Suarez (*Disp. 66. Sect. 4. v. Tertio*); tum addit, *in hoc non esse scrupulose agendum, ut sapienter advertit Suarez. Unde* (subdit) *libenter sequor sententiam Lugonis* (*Disp. 15. n. 36*)..., *quod reliquiae a dentibus divulsae, quae sensibiliter in lingua percipiuntur, equidem sunt expuendae: non vero est obligatio adhibendi diligentiam ad reliquias illas ex dentibus extrahendas, etiamsi praevideantur deglutiendae, si non extrahantur...; alias enim haec obligatio esset innumeris scrupulis et perplexitatibus obnoxia, ad quod certe non praesumitur ecclesia voluisse obligare.* Immo Lugo (*l. c.*) addit: *Neque enim debemus eas ex dentibus extractas diligenter intra oris angulos quaerere, ut expuantur; quia omissive nos in iis habere non est comedere, sed permittere, ut cum saliva vel respiratione traiiciantur.* Sed sollicitae istae admonitiones patefaciunt satis, qualemcumque hanc expuendi obligationem, in eam, quam Laymann (*Lib. 5. Tr. 4. C. 7. n. 18.*) melius appellat *decentiam,* recidere. Non facile enim compones, hinc quidem violari ieiunium per traiectas istas reliquias, inde vero prope nullam imponi curam, ne traiiciantur. Et cum cura id saltem expuendi, *quod sensibiliter in lingua percipitur,* scrupulos illos innumeros anxietatesque inducere possit, an illud reipsa, vel an totum reiectum fuerit; iam suppetiae quaerendae videbuntur ab alia sententia S. Thomae, quae cum neget, iis reliquiis solvi ieiunium, a quavis molesta sollicitudine eximit.

Resp. 1° *Neg*., si casu praeter intentionem traiiciantur, modo non sint in magna quantitate. Idem dicendum de guttulis, quae involuntarie traiiciuntur os lavando. Ratio est, quia non sumuntur per modum nutritionis. Constat etiam ex Rubrica Missalis, *de defect. n. 3.*

Resp. 2° *Affirm.*, si ex proposito deglutiantur. Ratio est, quia tunc nihil deest ut rationem cibi aut potus habeant (*a*). — *S. Lig. n. 279.*

331. — Quaer. 3° *An solvat ieiunium pulvis tabaci sumpti per nares?*

Resp. Neg., etiamsi aliquid in stomachum transmittatur. Ratio est, quia licet talis materia sit nutritiva, tamen non sumitur per modum comestionis. — *Sic communiter.* — *S. Lig. n. 280.*

Quaer. 4° *An solvat ieiunium fumus tabaci aut similis?*

Resp. Neg. cum sententia communiori et probabiliori, quia fumus tabaci neque est cibus nec potus, neque sumitur per comestionem aut potationem; secus dicere deberemus, frangere ieiunium etiam eos, qui in culina ciborum fumum tum ore tum naribus attrahunt. Et hoc valet, etiam si fumus voluntarie immittatur in stomachum. — *Ita S. Lig. ibid.*— Idem videtur dicendum de succo seu odore camphorae, qui per modum fumi tabaci hauritur (gallice: *cigarette de Raspail*).

332. — Quaer. 5° *An solvat ieiunium, qui sumit folium tabaci, vel aroma, ut dentibus conterat, et phlegmata expuat?*

Resp. Neg. probabiliter, etiamsi deglutiatur praeter intentionem aliquid modicum succi salivae inseparabiliter mixti; quia si casu id deglutiatur, non per modum cibi, sed per modum salivae traiicitur. Omnes autem conveniunt, huiusmodi masticationem ante Communionem esse indecentem; unde non videtur excusanda a culpa veniali, nisi rationabilis aliqua causa intercedat. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 6° *An possit communicare, qui positive dubitat utrum post mediam noctem cibum aut potum sumpserit, aut in ipso die aliquid deglutierit?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia in casu non constat

(*a*) Haec intellige de eo, qui apposite guttulas illas deglutire velit. Nam licet *vitari non possit*, ut ait S. Thomas (*3. q. 84. art. 8. ad 4.*), quominus haustae guttulae cum saliva permisceantur, et *Ecclesia* (utar verbis Card. De Lugo *De Euch. Disp. 15. n. 34.*) *per hoc praeceptum noluerit prohibere, quod deglutiamus salivam; esset enim durissimum praeceptum et iudaicam superstitionem redolens, si oporteret nihil omnino cum saliva... traiicere: anxiissima enim diligentia opus esset in expuenda millies aqua, ad abluendum os semel accepta, ne aliquid cum saliva remaneret;* at non ideo salivae permixtio immutat naturam actus, potationis scilicet, quando non ad salivam deglutiendam, sed ad iusculum vel aquam traiiciendam animus studiose fertur. Eadem ergo materia (permixtae cum saliva guttulae) idemque traiiciendi actus cum eadem utrobique advertentia franget vel non franget ieiunium, prouti e duobus permixtis elementis aut huius aut illius traiectio studiose intenditur.

de violato ieiunio, et proinde non constat Communionem esse interdictam; factum enim violati ieiunii esset probandum, prius quam invocetur lex prohibens Eucharistiam non ieiuno. — *S. Lig.* tamen *n. 22.* cum aliis hoc admittit tantum pro dubio negativo (*a*).

333. — Quaer. 7° *An liceat edere et bibere statim post Communionem?*

Resp. Olim quidem post Communionem praecipiebatur ieiunium usque ad *Sextam.* Sed hoc praeceptum iamdudum abrogatum est. Attamen ex decentia mora aliqua servari debet inter sumptionem huius Sacramenti et alios cibos, saltem quamdiu species consecratae in stomacho nondum plane corruptae perseverant, nisi tamen adsit aliqua rationalibilis causa aliquid statim sumendi: secus talis comestio ob irreverentiam a veniali culpa non excusatur. — *S. Lig. n. 287., et alii communiter.*

Quaer. 8° *An sit illicitum expuere post Communionem?*

Resp. Neg. per se, modo nullum Hostiae fragmentum in ore remanserit. Nullum enim est periculum irreverentiae erga species sacras; quandoquidem via, per quam sputa in os confluunt, non est oesophagus, seu via cibi et potus, sed est via respirationis. Omnes tamen conveniunt congruum esse, ut communicantes per aliquod temporis intervallum ab expuendo abstineant. — *S. Lig. n. 283.*

Quaer. 9° *Quandonam liceat aliquem non ieiunum communicare?*

(*a*) Ratio tamen ab eodem S. Alphonso addita aeque rem evincit etiam in casu dubii *positivi*, quando scilicet habentur hinc inde probabilitates. *Non teneris* (inquit) *ab illa* (*Eucharistia*) *abstinere, quamdiu non es certus, et tanto magis, si nullam habeas rationem probabilem, te comedisse: tunc enim manes in possessione tuae libertatis.* Id confirmatur ex *Lib. 1. n. 38. 39.*, ad quem locum ipse S. Alphonsus lectorem remittit. Nam nihil hic distinguit inter dubium *positivum* ac *negativum;* et ratio adiecta, quod *eo casu lex prohibens Communionem non videtur certa, et tamquam dubia non obligat,* ex mente S. Alphonsi, uti patet, pro utroque dubio valet.

** Ad haec confirmanda (ut videtur) VV. (*Pag. 932. n. 97.*) afferunt ea, quae S. Alphonsus sic habet in Hom. Apost. (*Tr. 15. n. 35.*): *Dubium tamen, an degluliverit aliquid a media nocte, non impedit a communione, ut diximus Tr. 1. n. 19.; quia* (*ut ibi probavimus*) *hoc praeceptum non est positivum, ut ieiunus accedat ad Communionem, sed est negativum, ne communicet post ieiunii fractionem; quare quoties non est certum de ieiunii fractione, non possidet iam prohibitio, sed libertas communicare volentis.* Tum ex Op. Moral. (*Lib. 1. n. 39.*) iidem VV. exscribunt ea, quae S. Alphonsus in eandem rem ex Eusebio Amort attulerat, hisce verbis: *Potest communicare, quia melior est conditio possidentis, quamdiu in contrarium non dantur praesumptiones tam fortes, ut operans probabilius credat iam sonuisse duodecimam.* Et exinde factum putabimus, ut VV. quaestionis statum immutaverint. Nam S. Doctor (*Lib. 6. n. 282.*) quaestionem sic movet de dubio tantum negativo: *Utrum autem in dubio* negativo, *an transacta vel ne sit media nox, possit aliquis communicare.* Ipsi vero quaestionem sic faciunt (*l. c.*) de dubio positivo: *An possit communicare, qui positive dubitat, utrum post mediam noctem cibum aut potum sumpserit etc.;* et dubium, prout a S. Doctore propositum fuerat, tacite praeteriverunt.

Resp. Non ieiunus licite communicat 1° in periculo mortis, ex quacumque causa proveniat; 2° in periculo ne Eucharistia pereat, vel male tractetur, v. gr. ab haereticis, impiis; 3° in periculo proximo gravis scandali ex omissione Sacrificii vel Communionis; 4° in necessitate perficiendi Sacrificium vel Communionem, v. gr. si pro speciebus vini Sacerdos sumpserit aquam, etc. . . — *S. Lig. n. 284. et seq.*

334. — QUAER. 10° *An requiratur moralis certitudo periculi mortis, ut Viaticum non ieiuno ministrari possit?*

Resp. Neg., sed sufficit dubium prudens, seu probabilitas periculi (*a*), praesertim quando timendum est, ne aeger repentina morte corripiatur. Imo graviter arguendi sunt Parochi et parentes aut cognati infirmorum, qui ex incuria aut vano timore administrationem sacri Viatici ita protrahunt, ut absque Eucharistia decedere periclitentur. — *S. Lig. Hom. apost. n. 46.*

QUAER. 11° *An liceat aliquando dare Communionem infirmo non ieiuno, nec periculose decumbenti* (*b*), *si morbus sit diuturnus?*

Resp. Negandum est, attenta praxi actuali Ecclesiae, nisi morbus sit eiusmodi, qui per se periculum mortis inducere possit. Attamen Theologi nonnulli id aliquando permittunt, si morbus sit diuturnus, nec unquam aeger omnino ieiunus communicare valeat, modo raro fiat, v. gr. aliquoties in anno. — *Sic Elbel, n. 90.* — Sed contradicit sententia communissima Theologorum cum *Suarez,* qui asserit, solum Papam hac in lege dispensare posse. Reipsa S. Pontifex raro et gravi tantum de causa dispensare solet. Videtur vero tunc adesse ratio sufficiens cur interdum Eucharistia post

(*a*) Eandem hanc doctrinam aliis verbis traditam reperies apud DD., qui vel pro uno eodemque habent *articulum* et *periculum* mortis; vel supposita inter haec duo distinctione, quae nonnullis placuerat, docent, non solum in *articulo,* sed etiam in *periculo* mortis hanc a communi lege exceptionem valere. Nam eiusmodi distinctio ita se habet, ut *articulus sit, quando mors proxime instat, et moraliter est certa et fere inevitabilis: periculum autem sit, quando est probabile dubium, et frequenter solet in tali casu mors accidere.* (Vid. Suarez *In 3. P. Tom. IV. Disp. 26. Sect. 4. n. 2.* — Lugo *De Poenit. Disp. 18. n. 20.* — Sanchez *In Decal. Lib.2. Cap.13. n. 1.*). Porro S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 561.*) eiusmodi *periculum* seu *probabile dubium* adesse censet etiam *in morbo periculoso,* qui nempe per se par est ad periculum mortis adducendum. Simul atque igitur satis constet, eiusmodi morbo quempiam correptum esse, ut Eucharistia illi etiam non ieiuno praebeatur, nihil opus est eo usque differre, quando nulla aut exigua vitae spes reliqua est, sed statim a communi Ecclesiae lege infirmus eiusmodi exemptus censeri potest ac debet. Et scite post alios DD. S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 285. dub. 3. in fin.*) monet, *in hoc non esse scrupulose procedendum, cum in Concilio Constantiensi Sess. 13. simpliciter infirmi excipiantur a lege ieiunii.* Sic autem se habet Concilii Constantiensis decretum: *Huiusmodi sacramentum non debet... a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a iure vel Ecclesia concesso vel admisso.*

(*b*) Hoc extende ad eos, qui licet non decumbant morbo, naturale tamen ieiunium servare ad aliquot horas nequeunt.

mediam noctem infirmo administrari possit. Et quidem iuxta doctissimos Theologos Romae interrogatos, nullum dubium est quoad casum Communionis annuae seu Paschalis, quae non mero Iure ecclesiastico, sed etiam divino praecipitur, quia divinum mandatum humano praestantius est.

335. — Quaer. 12° *An liceat Communionem iterum ministrare infirmo non ieiuno, qui iam Viatico munitus est?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia hoc Sacramentum aegrotis non datur praecise ad satisfaciendum praecepto, sed in praesidium contra tentationes, quae tempore mortis magis urgent. Quamobrem id licet, non solum si novum recurrat periculum, sed etiam si idem perduret. — *Ita communiter cum S. Lig. n. 385. — Recole dicta supra, n. 308.*

Quaer. 13° *Quanto tempore distare debeat una Communio ab alia, si aegrotus non ieiunus communicet?*

Resp. Sententia communior docet distare debere octo diebus circiter. Sed non *improbabiliter* plures cum *S. Lig.* dicunt infirmum assuetum saepius ex devotione communicare, bis in hebdomada Communionem absque ieiunio suscipere posse (*a*). Verum

(*a*) Quod mos frequenter ex devotione communicandi ratio sufficiens haberi queat, cur saepius non ieiuno Eucharistia praeberi possit, admitti utique poterit. Sed quod restringi ad has personas hoc ita debeat, ut aliis, qui saepius communicare non consueverunt, negandum sit, etsi id cupiant et postulent, ecqua, rogo, ratio evincit?

** Ad hunc locum VV. (*Pag. 932. n. 98.*) advertunt, S. Alphonsum (*Lib. 6. n. 285. Dub. 1.*) magis liberaliter locutum esse, et DD. sententias attulisse, qui etiam quotidianam communionem infirmis, licet non ieiunis, putant concedi posse. Tum in Nota subiecta iidem VV. lectorem remittunt ad *Hom. Apost.* (*Tr. 5. n. 47.*), ubi S. Doctor post allatas alias opiniones addit: *Non improbabiliter Laymann, Escobar, Roncaglia, et Hurtadus fidenter dicunt, Viaticum posse etiam sequenti die replicari, cum infirmus solitus erat saepe communicare, et cum imminet morale mortis periculum; imo Castropal., Armilla, Tamburin., et Dicastillus admittunt universe, posse replicari quolibet die.* Et haec quidem opportunissime commemoranda veniunt, ut quorundam aut timidorum nimis, aut morosorum difficultatibus occurratur.

Addunt deinde VV. (*l. c. in Not.*), 1° ex doctrina *S. Alphonsi nullatenus sequi, quod Ballerini innuere videtur, denegandum esse viaticum aliis similiter dispositis, qui antea non ita saepe communicare consueverant.* Et 2° mox subdunt: *Facile autem concedet P. Ballerini, haud communiter fieri, ut quis repente ad quotidianam communionem admitti queat.*

Resp. Ad 1. P. Ballerini nullatenus dixit, aut innuit, ex verbis seu doctrinis aut Gury, aut S. Alphonsi (de quo ibi ne verbum quidem) sequi illud consectarium, sed censuit non inopportunum monitum, ne quis forte nimis timidus aut morosus (quod haud inverisimiliter potest contingere) idem consectarium deducat.

Ad 2. Resp. 1° In Nota non fit sermo de *communione quotidiana,* sed de utcumque frequentiori iuxta Responsum P. Gury. 2° Num *communiter fiat,* ut quis repente ad frequentiorem aut quotidianam communionem admitti queat, est quaestio impertinens, cum in Nota mere significetur, ex antecedente rariori Eucharistiae usu non consequi, ut aegrotanti frequen-

ad locorum, personarum, statutorumque particularium circumstantias attendendum est. Facilius autem concedi potest Communio infirmis religiosis, vel aliis personis piis in monasterio degentibus, sive sint ieiunae, sive non, quam caeteris; quia tunc minor habetur apparatus, populique admiratio, cum sacra Eucharistia non sit publice per plateas deferenda.

PUNCTUM II.

De corporis decentia.

336. **Principia.** — I. De iure naturali is requiritur exterior habitus et ea corporis compositio, quae internam animi reverentiam et devotionem exhibeat. Ratio patet: debetur enim huic augustissimo Sacramento non solum interna, sed etiam externa veneratio, cum ipse Christus, mediis speciebus, sensibili quodam modo in eo existat et tractetur.

II. Nulla prorsus corporis macula per se impedit a Communione, cum Eucharistia sit tantum cibus animae, neque puritas minuatur corporis maculis, quae ad bonitatem vel malitiam moralem nihil conferunt. — *S. Lig. n. 274. et 275.* — Decentia tamen et reverentia tanto Sacramento debita exigit, ut si sordes exterius apparentes possint auferri, diligenter auferantur.

III. Nulla est obligatio abstinendi a Communione propter maculas corporis occultas, vel etiam apparentes exterius, sed indelebiles. — *S. Lig. ibid.* — Si tamen maculae externae, hic et nunc indelebiles, sint valde notabiles, et brevi cessare debeant, decebit, ubi commode fieri potest, Communionem differre. Quando vero diutius durant, non est ratio cur aliquis alimonia caelesti privetur. — *Ita communiter.*

337. **Resolves.** — 1° Mulieres accedere debent ad sacram Communionem in ornatu sancto, modestiam redolente; si quae valde indecentes se sacrae mensae sisterent, Communio eis neganda esset, cum debitis tamen cautionibus ad scandala, quantum fieri potest, praecavenda.

2° Lepra, fluxus sanguinis, et similia, quae sine patientis culpa eveniunt, per se non prohibent a Communione, quia labes illae non obstant devotioni, quae est dispositio requisita ad Communionem. — *S. Lig. ibid.*

tius porrigi ea non possit. 3° Etiam consideratio illa, *an admitti queat* REPENTE etc., impertinens est. Nam utique generatim quoad alios, citiusne, an serius, ad frequentiorem communionem sint admittendi, alicuius temporis experimento definiendum videbitur. At quoad homines tam gravi infirmitate laborantes, ut communio per modum viatici non ieiunis detur, estne locus quaerendi, num *repente* an *non repente* frequentius isti communicent?

3° Sacerdos infectus lepra, aut alia infirmitate horrorem excitante, celebrare potest, sed non in publico; sic enim ex Iure canonico statuitur. — *S. Lig. ibid.*

4° Convenit ex decentia et humilitate christiana, ut milites communicaturi ad sacram mensam, depositis armis, accedant. Nulla tamen lege ad id obligantur. — *S. Lig. ibid.* — Idem dicatur de laicis *chirothecas* (gants) deferentibus.

APPENDIX I.

DE COMMUNIONE FREQUENTI

338. —Nomine Communionis frequentis communiter cum *S. Lig.* intelliguntur sensu strictiori Communiones illae, quae praeter dies Dominicos vel festos fiunt diebus ferialibus etiam sine praevia confessione.

Nulla regula omnino certa circa frequentem Communionem statui potest. Quaedam igitur generatim tantum indicabimus.

Certum est frequentem Communionem, etiam quotidianam, semper fuisse in Ecclesia optatissimam. Constat 1° *ex communi suffragio Patrum,* qui semper enixe eam fidelibus commendarunt. Constat 2° *ex Conc. Trid. sess. 22. c. 6.,* ubi ait: *Optaret quidem sancta Synodus ut singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius Sacrificii fructus proveniret.* Constat 3° *ex Decreto Innocentii XI. ann. 1679,* necnon ex communi Doctorum suffragio. Igitur Communio frequens est magnopere laudanda, atque a Parochis, nec non a Confessariis enixe fidelibus suadenda. Certum est insuper, non posse generaliter constitui dies ad sacram Eucharistiam suscipiendam; nec illos esse ab ea arcendos, qui frequenter accedere cupiunt, nisi indigni videantur. Totum hoc igitur relinquendum est iudicio Confessariorum, qui pro conscientiae puritate et fructu e sacra mensa percepto, id quod singulis magis profuturum existiment, praescribere debent. — *Ita ex eodem Innoc. XI. Decreto.*

339. — Referre iuvat praecipua, quae de hac re habet *S. Ligorius* in libro *Praxis Confessarii* (qui versus finem Operis maioris reperitur):

« Loquimur hic dumtaxat de modo, quo Confessarii debent se
» gerere in concedenda Communione suis poenitentibus. In hoc
» quidam errant ob nimiam indulgentiam, alii ob nimium rigorem.
» Non est dubium, quin error sit, ut advertit *Bened. XIV.* in au-
» reo suo libro *de Synodo,* concedere Communionem frequentem
» iis, qui saepe in peccata gravia labuntur, nec solliciti sunt de
» agenda poenitentia ac de sua emendatione, aut iis, qui accedunt

» ad Communionem cum affectu ad peccata venialia *sine ullo de-* » *siderio se ab iis liberandi.*

» Expedit quidem concedere Communionem aliquibus, qui es- » sent in periculo labendi in peccata lethalia, ut vires recipiant ad » resistendum; sed respectu earum personarum quae non existunt » in tali periculo, et contrario committunt ordinarie peccata ve- » nialia deliberata, et nulla in eis emendatio neque desiderium » emendationis affulget, optimum erit non permittere eis Commu- » nionem plusquam *semel in hebdomada;* imo poterit expediens esse » illis aliquando per integram hebdomadam Communionem inter- » dicere, ut maiorem concipiant horrorem in suos defectus et ma- » iorem erga Sacramentum hoc reverentiam ... » (*n. 149.*)

340. — « Errant certe quidam Directores, et multum se elon- » gant a spiritu Ecclesiae, dum sine ullo respectu ad exigentiam » aut progressum, negant indiscriminatim Communionem frequen- » tem, non alia ratione ducti, quam quia frequens est. Ipse *Ca-* » *techismus Romanus* explicans desiderium *Conc. Trident.*, ut omnes » adstantes Sacrificio communicent, docet esse officium Parochi se- » dulo hortari fideles ad Communionem non modo frequentem, » sed quotidianam, cum obligatione instruendi illos, quod sicut » corpus, ita et anima eget quotidiano alimento ... Insuper in De- » creto Innocentii XI. imponitur Episcopis, ut diligentissime caveant, » ne alicui Communio denegetur, etiam quotidiana, et quaerant, ut » par est, in suis subditis hanc alere devotionem.

» Fatentur ultro quidam spiritus *rigidiores*, licitam quidem esse » communionem quotidianam; sed dicunt requiri ad hoc debitam » dispositionem. Sed scire ab ipsis desideramus, quidnam intelligant » hoc nomine *debitae* dispositionis? Si intelligunt *dignam*, ecquis » unquam deberet amplius ad Eucharistiam accedere? Solus Iesus » Christus digne Eucharistiam sumpsit, quia solus Deus digne Deum » potuit recipere. Si vero convenientem dispositionem, iam supe- » rius dictum est, quod iis, qui actualia habent peccata venialia, » aut affectum ad illa sine desiderio emendationis, aequum est » frequentem communionem denegare. Sed si postea loquamur de » illis, qui sublato iam affectu etiam ad venialia (*a*), et superata » maiori parte pravarum suarum inclinationum (*b*), magnum com-

(*a*) *Sublatus* dicitur *affectus ad venialia*, non quidem quando in venialia quis amplius non labitur; haec enim perfectio non hominis in terra viatoris est, sed beati in caelis comprehensoris; verum quando quis, etsi subinde ex infirmitate in venialia labatur, mox tamen dolere, ac relapsum praecavere studiose solet.

(*b*) Revocanda hic in memoriam sunt verba Trid. Synodi (*Sess. 5. Decret. de Pecc. origin. n. 5.*): *Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, haec sancta Synodus fatetur, et sentit: quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus non valet: quinimo qui legitime certaverit, coronabitur.* Superasse igitur pravas inclinationes non est eas extinctas habere,

» municandi desiderium habent, inquit S. Franciscus Salesius, quod » hi praevio sui directoris consilio, recte possent communicare quo- » tidie. » *(n. 150.)*

« Et quamvis aliquo die a Communione abstinere sit etiam » virtus, tamen inquit *P. Granata*, in suo *Tract. de Communione*, » esse communem Doctorum opinionem, quod melius sit accedere » quotidie ad Communionem ob amorem, quam abstinere ob reve- » rentiam. Et hoc confirmat *S. Thomas, part. 3. quaest. 80. art. 10.* » *ad 3.* dicens : *Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam huius* » *Sacramenti, et quod quotidie sumatur, et quod aliquando absti-* » *neatur. Amor tamen et spes, ad quae semper Scriptura nos pro-* » *vocat, praeferuntur timori.* Imo recte ait P. Barisonus, quod ille » qui ad Eucharistiam accedit cum desiderio crescendi in amore » divino, etiam reverentiae actum exercet erga Iesum Christum, » imo hic facit actum positivum, quando ille qui abstinet, facit tan- » tummodo negativum.... V. P. Magister Avila non dubitat dicere: » quod illi qui damnant eos, qui saepius ad Eucharistiam accedunt, » daemonis officio funguntur. » *(n. 151.)*

341. — « Caeterum considerando relatas doctrinas, videtur non » posse Director sine scrupulo negare Communionem frequentem, » etiam quotidianam, quibusdam animabus eamdem desiderantibus, » ut proficiant in divino amore; semper vero ac illae vivendo alie- » natae ab affectu cuiuscumque culpae venialis, incumbunt insuper » multum orationi mentali (*a*), et conantur tendere ad perfectio- » nem, et amplius non labuntur in peccata etiam venialia plane » voluntaria... Excipe, ordinarie loquendo, unum diem in quavis » hebdomada, ut facere solent aliqui prudentes Directores, et ex- » cipe tempus illud, quo privare velint suos poenitentes Commu- » nione ad probandam eorum obedientiam (*b*), aut humilitatem, » aut ob aliquam iustam causam... » *(n. 152.)*

aut earum vim utcumque etiam vehementem non persentiscere, sed iis ad violandam legem Dei non abduci. Quocirca huiusmodi de pravis inclinationibus victoria recidit in praecedentem conditionem hominis, qui a culpis venialibus saltem plene deliberatis pro virili cavere satagit. Neque enim hoc ab eo praestari potest, qui semet, idest pravas inclinationes suas abnegare per iuge laboriosumque adversus eas certamen non conetur.

(*a*) Haec conditio non est indiscriminatim ab omnibus exigenda. Et contingit sane non raro, ut animas reperias singulari conscientiae puritate praestantes, constanterque vitam innocentia morum apprime nobilem traducentes, quae tamen mentalis orationis exercitio non incumbunt, sive quia aliis distinentur occupationibus, sive quia mirabilis Deus in Sanctis suis non omnes eadem via ad se animas attrahit, easque caelesti luce gratiae suae pascere ac dirigere, ac communire novit. Vid. de hoc argumento eximium opusculum R. D. Iosephi Frassinetti, cui titulus: *Il Pater noster di S. Teresa di Gesù: Trattato della Preghiera del sacerdote Giuseppe Frassinetti.*

(*b*) Haec probandae obedientiae ratio nec passim nec omnibus indiscriminatim committenda videtur, sed ad summum aliquando, et quidem

« Et quamvis anima aliqua caderet aliquando in veniale pecca-
» tum voluntarium ob meram fragilitatem, sed cito postea doleret,
» emendationemque proponeret, si deinde Communionem deside-
» raret ad robur accipiendum a Sacramento, ne cadat, et ad pro-
» grediendum in via perfectionis, qua de causa ei esset deneganda
» Communio?...

viris, qui non modo diuturna experientia in directione animarum et impenso in via spirituali studio exercitati fuerint, sed insuper qui divini luminis copia, et caelesti illo dono, quod discretionem spirituum appellant, singulariter emineant. Secus enim praeter alia incommoda effectus plane oppositi scopo, qui praetendebatur, facillime consequentur. Alioquin vero num deest aptior alia materia, circa quam exerceri virtus obedientiae possit?

Quod vero in re praesenti prorsus intolerabile videri merito debet, illud est, quod facultatem concedendi aut negandi accessum ad sacram communionem temere sibi usurpare non dubitent etiam feminae, quae in monasteriis aut pia aliqua Congregatione potestatem forte aliquam exerceant vel in moniales sibi subiectas vel in puellas, quae in iisdem monasteriis educantur, vel etiam mere scholas aut sodalitates ibidem frequentant. Iste nimirum abusus olim iansenianis fraudibus in aliqua Galliae monasteria invectus, nescio quomodo, haud minima ex parte sensim sine sensu recentiores praesertim feminarum Congregationes pervasit, ut *magisterium spiritus*, ac quemdam veluti *episcopatum* feminae sibi vindicent. Atque ita dum *regimen animarum* a S. Gregorio *ars artium* appellatur, dum Synodorum decreta ac pontificiae Constitutiones ad spiritualem huiusce coetus culturam deputari praecipiunt lectissimos quosque e clero, qui doctrina, prudentia, iudicii maturitate, gravitate, rerum spiritualium experientia, etc. polleant, atque adeo Episcopi non confessarios omnes, sed paucos quosdam tamquam ad id muneris prae omnibus idoneos approbant; dum in Ordinibus Religiosorum ad *Patris Spiritualis* officium non nisi gravissimi, si qui sint, et iudicio prudentiaque conspicui deliguntur; dum et Sancti admonent, ut qui spirituale iter aggredi instituit, ita in duce viae assumendo satagat, ut unum e millibus seligat; dum fatemur omnes, in ipsis theologicis disciplinis difficillimam eam partem haberi, quam *asceticam* vel *mysticam* nuncupant, quippe quae singulares quasdam iudicii, discretionis, etc. dotes exigat; nihilominus gravissimum hoc, difficillimumque officium subinde iam fere totum imbecillitati et ignorantiae feminei ingenii commissum cernimus. Cumque imbecillitatem mentisque inopiam, ubi auctoritas aliqua potestasque accedat, eo audacior subsequi consuescat temeritas; hinc in monasteria quasi postliminio revocatas aliquas videre erat ex illis scenis, quae in ianseniana historia alias ad risum nos, iustamque simul indignationem provocabant. Vidisses scilicet, omnem ad hoc industriam conferri, ut moniales confessariorum curae, instructioni, directioni subtraherentur; quo scilicet totum spiritus magisterium a veneranda omnium matre tamquam ab unico fonte hauriretur; quem in finem vel in ipsis Constitutionibus advertere erat, praetextis coloribus, ac subdola arte insinuari callidissime, ne Confessarii opera praeterquam ad peccatorum absolutionem, adhiberetur, reliqua vero omnia matris spiritualis providis reservarentur curis; adeo ut quae pars maxime ardua ecclesiastici magisterii habetur, haec deferenda iam esset ad mulieres; de quibus alioquin Apostolus praescribebat (1. Tim. 2.): *Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto...: sed esse in silentio.*

Quamquam et illud perperam dixisses, spiritualibus hisce matribus reliquum dumtaxat praeter materiam absolutionis reservatum fuisse. Istis quippe matribus ac magistris totius conscientiae ratio plenissime reddenda

342. — » Notandum insuper id quod *S. Franc. Salesius* in hoc » proposito dicit *(Vita devota, c. 21.): Si quaerunt a te, cur ita* » *frequenter communices, respondeas illis, quod duplex personarum*

praescribebatur. Ad quod sane pertinebat non solum omnes aperire animi motus, pravasque inclinationes ac tentationes, sed etiam lapsus ac peccata. Et quod omnem fidem praetergreditur, cum vel in coetibus Religiosorum, qui hanc legem de reddenda conscientiae ratione servant, prudenter caveatur, ut quaedam materia, si quid in eis peccatum forte fuerit, confessioni sacramentali apud ipsum Superiorem peragendae reservetur, quo scilicet decentiae ac verecundiae consulatur; levitas atque imprudentia muliebris eo usque progressa fuerat, ut et quae pertinent ad vitia castitati contraria, ea femineae curiositati enarrari in familiari colloquio deberent, adeo ut in ipsis quoque Constitutionibus (obtento praetextu docendi modum, quo praestandum id foret) huius enarrationis necessitas expresse inserta appareret. Qui quidem abusus quam similes forent confessionibus, quas a monialibus suis celeberrima Mondonville (ut tradit historia ianseniani Instituti S. Infantiae) solebat excipere, facile quisque videt.

Sapientissime itaque S. Congregatio E. et R., quae ne viris quidem religiosis, si mere laici hi sint, directionis spiritualis officium aut munus vel excipiendi conscientiae rationem etiam scripto redditam, vel etiam mere cognoscendi de subditorum tentationibus, permisit (Vid. *Method. S. Congr. E. et R. in approbandis novis Institutis, etc., pag. 30, 31.*), quaeque id muneris quoad moniales ita proprium voluit esse Confessarii, ut rationem conscientiae ab iis ne Directoribus quidem aut Superioribus reddendam probaverit (*Ibid. pag. 28, 29.*), huiusmodi abusus a Congregationibus mulierum auferendos curavit. In primis itaque materiam, de qua monialibus permittatur, ut rationem aliquam moderatrici seu superiorissae reddant, ad duo restrinxit capita, nimirum *ad exteriores* seu publicas *transgressiones Constitutionum,* et *ad progressum in virtutibus* (*Ibid. pag. 26. n. 3., et pag. 28. n. 16.*). Deinde vero hanc ipsam conscientiae manifestationem *non obligatorie,* sed *facultative dumtaxat* concessit (*Ibid.*), idest ne quoad duo illa quidem capita obligationem ullam manifestandi conscientiam adesse voluit, sed libero cuiusque arbitrio permisit. Denique, quod maximi momenti est, hanc non absolute concessit, sed semper addidit, se id permittere *in praesens;* quo aperte significatur, ad experimentum quoddam haec interim tolerari. Et id quidem prudentissime cautum est, tum quia manifestum est, moderatrici media artesque non deesse, quibus ad id, quod *facultativum* dicitur, moniales, quae offensam illam habere nolint, facile cogat, tum quia argumentum *de progressu in virtutibus* facillimum ac prope necessarium transitum praebet ad defectus contra virtutes, et sic incommodum confessionum a monialibus moderatrici de peccatis quibusvis peragendarum obvio praetextu redire forte posset.

Caeterum ex spirituali hoc magisterio, conscientiarumque inspectione moderatricibus istis commissa ecce illud incommodum, unde huius Notae occasio sumpta est. Nam dum Constitutiones Religiosorum Ordinum, quae reddendam conscientiae rationem praescribunt, simul severissime interdicunt Superioribus, ne notitia inde hausta ad externam gubernationem ullatenus utantur, haud huius freni patiens sperari poterat ingenium femineum. Hinc quod ad prudens Confessarii iudicium pertinet, quae cuique monialium frequentia SS. Communionis sit consentanea, hoc sibi officium monasterii praeses utpote conscientiarum moderatrix arripit; ideoque quod haec monialis semel, illa ter, ista bis in hebdomada, alia quotidie ad S. Communionem accedere valeat, decretorio mulierculae arbitratui definiendum relinquitur.

Sed et alius exinde deterrimus exsistit abusus, quem sane ex tanta

» *genus debet saepius communicare, perfecti scilicet ut ad perfectio-*
» *nem valeant pervenire, fortes ne debiles fiant, debiles ut fortes eva-*
» *dant, infirmi ut curentur, bene valentes ne infirmentur.... Qui*
» *mundanis negotiis non sunt implicati, debent saepius communicare.*

potestate ingenio sui impoti facta pronum erat exspectasse. Nam quae tamquam gravissima poena olim gravioribus peccatis, atque atrocioribus criminibus per Synodorum canones iudicio Episcoporum infligi subinde consueverat, ut delinquentes a sacra synaxi arcerentur; hoc tanquam telo feminea mens criterii inops ad leviusculas quasdam culpas, sive veras sive phantasticas, ulciscendas utitur. Neque id solum cum monialibus subiectis monasterii praeses factitare levi negotio solet, sed iuxta proverbium, *a bove maiori discit arare minor*, etiam singulae magistrae puellarum, quae in monasteriis educantur, hanc temere sibi potestatem assumunt; et ubi putares, levem aliquam puellae inobedientiam, aut molestiam aliquam alteri alumnae factam, aut silentii violatam legem congrue puniri posse subtracto pomo aut dulciario aut etiam parte ientaculi, levissima ista capita caelestem Eucharistiae cibum et gratiam sacramenti insipienter iuxta et crudeliter subtrahunt.

Neque hoc satis. Quandoquidem enim feminae imbecillitas hanc suae auctoritatis opinionem iam imbibit, ut iuxta phrasim Apostoli (1. Cor. IV. 1.), dispensationem mysteriorum Dei sibi concreditam sacramentorumque usum quoad puellas alumnas in sua prorsus potestate arbitrioque omnino residere existimet; non quoad Eucharistiae solum, sed etiam quoad sacramentum Poenitentiae caecam tyrannidem exercet. Et quod inauditum in ecclesiastica disciplina est, quod ne scelestissimis quidem malefactoribus uspiam denegatum fuit, hoc levem aliquam ob noxam puellis interdicitur, ne qua die reliquae alumnae confitentur, quaepiam delinquens ad confessarium accedendi copiam habere possit. Haec nimirum, aliaque huiusmodi contigisse oportebat, quando suis cuique debitis gradibus atque officiis non servatis, res ad id loci perducatur, de quo Scriptura sacra prophetavit (Eccl. X.): *Est malum, quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis; positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum. Vidi servos in equis, etc.*

Neque vero quis heic obiiciat, approbatas ab Apostolica Sede fuisse aliquas Monialium Constitutiones, in quibus non modo permittitur, sed praecipitur imo, ut totius conscientiae ratio praesidi monasterii plenissime reddatur. Quid in re disciplinari hoc argumentum valeat, ab similibus disce exemplis, quae innumera ad manum habes. Poterant olim Parochi et sibi et ovibus suis confessarium deligere e sacerdotibus, quem vellent; sed post Tridentinam Synodum eligere non possunt nisi ab Ordinario approbatum. Poterant olim Regulares Mendicantes confessiones excipere quorumlibet fidelium etiam invitis et reluctantibus horum Ordinariis; dein vero statutum est, ne hoc ministerium, nisi a locorum Ordinariis fuerint approbati, exercere possint. Poterant olim Episcopi post institutum a se processum de virtutibus ac miraculis honores caelitum alicui tribuere ac decernere, dein autem id Sedi Apostolicae reservatum est. Vacantibus olim Sedibus Episcopus delectus tradebatur a Metropolita; dein vero institutio Episcoporum a Sede Apostolica quaerenda et expectanda est. Moniales olim severa clausurae disciplina non adstringebantur, deinceps autem solemnis votorum professio, nisi ubi servari potest clausurae severitas, non permittitur. Paucis: Apostolica Sedes pro sapientia sua ac potestate sibi a Christo Domino tradita, diversisque pro adiunctis modo ista, modo alia disciplina utitur; ad oves autem dominici gregis, quaecumque illae sint, non de his iudicare, sed Pastori fideliter ac peramanter obedire pertinet.

» *quia habent opportunitatem; qui vero huiusmodi negotiis detinen-*
» *tur, quia egent Communione....* » *(n. 153.)*

« Quod si postea dignoscatur, non obstante frequentia Communionis, animam nihil proficere in via perfectionis, neque se emendare a culpis deliberatis, licet venialibus, ut si adhaereat voluptatibus sensuum in videndo, audiendo, edendo, cum aliqua vanitate vestiendo, tunc certe consulto restringendus erit usus Communionis, etiam ut serio cogitare incipiat de sua emendatione, » et suae perfectioni spirituali consulere. Caeterum advertendum » est quod, licet ut possit quis ad Communionem accedere, requiratur ut *cum magna devotione accedat*, nihilominus non est necessarium, ut illa sit summa et sensibilis.

343. — » Sufficit Directori detegere in intimo voluntatis sui » poenitentis quamdam alacritatem ad exequenda quaecumque Deo » placuerint. Qui a Communione abstineret, quia non sentiret in » se magnum quemdam fervorem, inquit doctus *Gerson,* esset comparandus illi qui nimis frigescens nollet ad ignem accedere, quia » nullum in se calorem experitur. Unde docet *P. Granata* cum » *Caietano,* personas pusillanimes, quae ob inordinatum timorem » suae indignitatis Communionem omittunt, magnum suo proprio » progressui inferre praeiudicium. Neque ad prosequendas Communiones, inquit *S. Laurentius Iustinianus,* oportet ut anima sentiat, » aut aperte in se discernat augmentum fervoris, quoniam non raro » hoc Sacramentum operatur absque eo quod ipsi advertamus.... » *(n. 155.)* (*a*).

344. — Ex dictis, iuxta mentem *S. Lig., et aliorum* ab ipso relatorum, doctrina de Communione frequenti paucis et generalibus regulis constringi sic potest.

I^a *Regula.* — Communio *menstrua* nemini sat disposito deneganda, imo omnibus maxime consulenda est, etiamsi vitam degant negotiis saecularibus implicatam; secus enim valde difficile est, diu in divina gratia perseverare ob innumeras occasiones, et rerum aeternarum quasi obliterationem. — *Ita communiter.*

II^a *Regula.* — Communio hebdomadaria permittenda est, imo et consulenda iis, qui graves culpas ex habitu non committunt: attamen illis, si pluribus vitiis levibus laborent, nec ullatenus sint de emendatione solliciti, aliquando utile erit Communionem aliqua hebdomada interdicere, ut scilicet aliqua alacritate ad vitia abiicienda excitentur (*b*). — *S. Lig. n. 149.*

(*a*) Commendandum enixe fidelibus est Opusculum Rmi D. De Ségur: *La SS. Comunione:* in quo solidis principiis, et ratione ad communem omnium captum accommodatissima diluuntur sophisticae ratiunculae, quibus et se personae quaedam pusillanimes, et alios quidam pseudo-ascetici a frequenti SS. Eucharistiae participatione deterrere solent.

(*b*) Cave tamen ne fallaris a *principio,* quod Auctor quoque paulo post appellat *falsissimum,* quasi nempe Communio debeat haberi ceu *merces virtutis,* cum sit *medium ad virtutem acquirendam.*

III^a *Regula.* — Communio *frequens,* seu *pluries* in hebdomada, permitti potest, aut etiam consuli iis fidelibus, qui licet debiles, officia boni christiani servant, tum Deum amare, colere et orare gestiunt, tum orationi mentali, cum possunt, aliquod tempus libenter quotidie tribuunt, nec in culpas deliberatas saepius labuntur. — *S. Lig. n. 150. 153.*

IV^a *Regula.* — Communio *quotidiana* concedenda iis est qui carent affectu etiam in culpas leves, malasque cupiditates maiori ex parte superarunt, et ad christianam perfectionem serio tendere conantur. Expedit tamen, si causa subsit, interdum semel, et aliquando etiam pluries in hebdomada Communionem iis subtrahere. — *S. Lig. n. 130. — Vide Casus, tom. II, n. 13. et seq.*

Denique notandum est, auctores frequenti Communioni adversantes, falsissimo principio inniti. Supponunt enim Communionem esse *mercedem virtutis;* at iuxta doctrinam SS. Patrum, Eucharistia *medium est acquirendae virtutis.*

APPENDIX II.

DE COMMUNIONE SPIRITUALI

345. — Communio spiritualis dicitur *pium desiderium Eucharistiae Sacramentum suscipiendi*, cum *realiter suscipi non potest.* Hinc ad eam requiritur 1° *actus Fidei,* quo spiritualiter communicaturus Christum vere in Eucharistia praesentem sibi exhibeat; 2° *actus mentis,* quo sibi in animo fingat iam iam ad sacram mensam accedere, et Hostiam de manu Sacerdotis accipere (*a*); 3° *actus desiderii*, quo exoptet Christum in Sacramento suscipere et cum ipso toto corde uniri. Haec Communio Sanctis valde in deliciis fuit, et commendatur a *Conc. Trid. sess. 13. c. 8.* Haec piis fidelibus valde utilis est. Etenim si Deus praemio afficit pium cuiuscumque virtutis desiderium, quanto magis desiderium ipsummet possidendi! A Confessariis igitur fidelibus suis poenitentibus sedulo in-

(*a*) Phantastica haec repraesentatio nequaquam necessaria est. Potissima enim pars perutilis huius et suavissimae praxis in eo residet, ut quis in mente volvens tum quae immensam Domini nostri charitatem permoverunt ad hanc caelestem dapem nobis parandam, tum quae ad eiusdem participationem nos invitant, impelluntque, in ardens prorumpat desiderium hac mensa fruendi, atque eiusmodi affectui cum actibus fidei, humilitatis, amorisque insistens, effusissimam Domini Salvatoris benignitatem magna cum fiducia roget, ut illam gratiarum ubertatem, quam praesentia sua animam nostram invisens tribuere consuescit, etiam nunc misericorditer elargiri dignetur. Nam alioqui phantasticae repraesentationes non omnibus faciles accidunt, et si forte languidae sint, languescent, ac misere arescent illi etiam affectus, in quibus praecipuus imo totus huius pii exercitii fructus residet.

sinuanda, et vehementissime commendanda est. Communio spiritualis omni tempore et in omni loco fieri potest, tam mane quam sero. Tempus tamen opportunius est ipsius Missae tempus, quo scilicet Sacerdos communicat; tunc enim cum augustissimum Sacramentum oculis exhibeatur et vividius menti repraesentetur, ardentius corda divino amore inflammabit. — *Scavini,* etc.

PARS SECUNDA

DE EUCHARISTIA UT SACRIFICIO

---

346. — Eucharistia non solum *Sacramenti,* sed etiam *Sacrificii* rationem habet. Qua de re Catechismus Romanus *De Euch. n. 71: Differunt autem plurimum inter se hae duae rationes. — Sacramentum enim consecratione perficitur: omnis vero Sacrificii vis in eo est, ut offeratur. Quare sacra Hostia dum in pyxide continetur, vel ad aegrotum defertur, Sacramenti, non Sacrificii rationem habet. Deinde etiam, ut Sacramentum est, iis qui divinam Hostiam sumunt meriti causam affert, et omnes illas utilitates, quae supra commemoratae sunt. Ut autem Sacrificium est, non merendi solum, sed faciendi quoque efficientiam continet: nam ut Christus Dominus in passione sua pro nobis meruit, ac satisfecit, sic qui hoc Sacrificium offerunt, quo nobiscum communicant, Dominicae passionis fructus merentur, ac satisfaciunt.*

Eucharistia, ut Sacrificium, *Missa* nuncupatur a verbo *mittere,* quia Christus ibi est Hostia a Deo missa; vel iuxta alios quia in fine Sacrificii populus dimittitur, dicente Sacerdote vel Diacono: *Ite, Missa est.*

Agendum 1° de natura et virtute Sacrificii Missae; 2° de applicatione Sacrificii Missae; 3° de obligatione Missam celebrandi; 4° de tempore et loco celebrationis; 5° de modo celebrandi.

CAPUT I.

DE NATURA ET VIRTUTE SACRIFICII MISSAE

Sacrificium generatim sumptum sic communiter definitur: *Oblatio externa rei sensibilis cum eius destructione vel immutatione, soli Deo facta per legitimum Ministrum in supremi eius dominii protestationem* (a).

(a) Non generica sacrificii ratio, sed specialis holocausti definitio forte hisce traditur. Sed haec ad Theologiam scholasticam melius pertinent.

347. **Principia.** — I. Missa est verum novae legis Sacrificium. Est enim oblatio a Christo instituta, in qua mystice mactatur ipse Christus, et offertur ut victima Deo Patri in recognitionem eius supremi dominii. Constat etiam ex definitione Ecclesiae in *Trid. sess. 22. Can. 1: Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum et proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam Christum nobis ad manducandum dari, anathema sit.*

II. Sacrificium Missae rationes omnium sacrificiorum antiquae legis perfecte continet. Est enim 1° *Latreuticum,* quatenus specialiter Deo offertur in agnitionem supremi eius dominii. — 2° *Eucharisticum,* quatenus Deo offertur in gratiarum actionem pro beneficiis ab eo collatis. — 3° *Propitiatorium* et *satisfactorium* vel *expiatorium,* prout Deo offertur ad obtinendam tum veniam peccatorum, tum remissionem poenae illis debitae. — 4° Denique *impetratorium,* prout Deo offertur ad beneficia ab eo per merita Christi impetranda. Constat ex *Conc. Trid. sess. 22. Can. 3.*

348. — III. Incruentum Missae Sacrificium idem profecto est ac sacrificium cruentum Crucis, non solum quia eadem victima offertur, sed etiam quia eadem est formalis Sacrificii ratio, per protestationem videlicet supremi dominii, quod Deus in vitam mortemque habet. Quocirca Sacrificium Altaris a sacrificio Crucis differt non quidem essentialiter, sed tantum *accidentaliter,* quoad modum scilicet offerendi. — 1° Enim in sacrificio Crucis mors *realis* intercessit; in hoc vero *mystica* tantum. — 2° Illud per se ipsum Redemptor obtulit in ara Crucis; hoc autem offert Sacerdotum ministerio. — 3° Illud fuit meritorium, quia in eo solutum est pretium nostrae redemptionis; per hoc vero merita Christi applicantur.

349. **Quaesita.** — QUAER. 1° *In quo consistat essentia Sacrificii Missae* (*a*)?

Resp. Controvertitur. Probabilius consistit in sola consecratione, quia in sola consecratione inveniuntur omnia requisita ad Sacrificium constituendum, nempe oblatio et mystica victimae destructio seu immolatio. — *Ita communius.* Non pauci tamen tenent, essentiam Sacrificii consistere in consecratione et partialiter in sumptione, quia in consecratione ponitur victima, et in sumptione consumitur. Quam opinionem uti probabiliorem habuit *S. Lig. n. 305.*

QUAER. 2° *Pro quibusnam possit offerri Sacrificium Missae?*

Resp. 1° Certum est posse offerri hoc sacrificium pro omnibus fidelibus vivis et defunctis, etiam pro peccatoribus *non excommunicatis*, sed tantum quoad fructum impetrationis (*b*). Constat ex *Trident.*

(*a*) Haec parum ad praxim conferunt, nisi forte ubi de praecepto audiendae Missae agatur. Verum cum de his fere probabilia afferantur, vix quidpiam etiam quoad illud deduci potest.

(*b*) Hic forte confunditur fructus *impetrationis* cum fructu *propitiationis,* qui in eo residet, quod Deus sacrificio placatus concedit gratiam et

Resp. 2° *Probabilius* licet Missam celebrare etiam pro excommunicatis toleratis, quia licet Ecclesia nihil ipsis indulgeat, fideles tamen non prohibentur cum illis communicare etiam in divinis, ut in *Tractatu de Censuris* dicetur. Idem etiam de infidelibus tenendum est (*a*). — *S. Lig. n. 309.*

Resp. 3° Non licet offerre Sacrificium nomine Ecclesiae pro excommunicatis *vitandis*, quia specialiter prohibitum est *Iure can., c. 2. de sent. excomm.* — Licite autem potest Sacerdos pro iis offerre Missam nomine proprio. — *S. Lig. n. 308.* — *Lacroix, n. 33.* — *Suarez,* etc.

350. — Quaer. 3° *Quotuplex sit fructus Sacrificii Missae?*

Resp. Fructus Missae distinguitur ex duplici capite, nempe ex parte offerentis, et ex parte victimae.

I. *Ex parte offerentis.* Cum duplex sit offerens, Christus nempe et Sacerdos, hinc duplicis generis est fructus Missae ex parte offerentis. Prior provenit ex Christo offerente, et dicitur *ex opere operato,* quia recipitur intuitu meritorum Christi et eius promissionis.

donum poenitentiae, et consequenter crimina et peccata etiam ingentia dimittit: manifestum est autem ad hunc percipiendum fructum pro peccatoribus sacrificium offerri.

(*a*) Benedictus XIV (Const. *In Superiori* 8 Martii 1755, §. 27.) loquens de disciplina Orientalium, qui in sacra liturgia memoriam Regis faciunt, licet sit infidelis, haec habet: *Si quis autem quaereret, qua ratione id tolerari possit, ubi certo constet, Reges illos, pro quibus orant, et quorum commemorationem in liturgia faciunt, infideles esse; huic Ven. Card. Bellarminus responderet (uti reipsa respondit...) nequaquam vetitum esse* ex natura rei, *ut aiunt Theologi, orare in Missa etiam pro infidelibus; quandoquidem sacrificium crucis pro omnibus oblatum fuit. Et sane D. Thomas in 4. Sent. Dist. 12. q. 2. art. 2. q.a 2. ad 4. docet, quod quamvis S. Augustinus in libro* de Origine animae *scripserit, sacrificium pro iis tantum offerri, qui sunt membra Christi, haec tamen sententia ita accipi debet, ut eos omnes complectatur, qui vel iam Christi membra sunt, vel tales evadere possunt. Quare idem Cardinalis subdit, rem totam ex interdicto Ecclesiae esse dimetiendam:* Certum est ex natura rei, si nulla sit prohibitio Ecclesiae, licere offerre pro huiusmodi hominibus; *de infidelibus loquitur. Cumque huiusmodi prohibitio extet quoad excommunicatos, adeoque quoad haereticos et schismaticos, non vero quoad infideles, qui excommunicatione non ligantur; hoc satis esse ait, ut de his commemoratio fieri possit in Missa, atque etiam pro his sacrificium offerri iuxta manifestam hac de re traditionem, et Constitutionem Apostolicam.* Sed quaeret aliquis, utrum, si Rex infidelis est, ut in Graecia, ubi Turca dominatur, et in India, et in Iaponia, et apud Sinas, ubi ethnici regnant, liceat sacerdotibus, qui ibi sunt, expresse offerre pro Rege. Respondeo: Existimo licere, modo Rex ille non sit excommunicatus, ut sunt Reges haeretici, sed paganus sive ethnicus. Nam haec traditio, immo et Constitutio, apostolica est, ut paulo ante ostendimus. Neque exstat, quod sciam, ulla Ecclesiae manifesta prohibitio. *Ad haec non inutiliter subiiciendus occurrit textus Tertulliani ad Scapulam Cap. 2., ubi sic legitur:* Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro et ipsius, sed quomodo praecepit Deus, pura prece; non enim eget Deus, conditor universitatis, honoris aut sanguinis alicuius. *Verum relictis in sua probabilitate huiusmodi assertionibus,* etc. Huc usque Benedictus XIV.

Alter provenit ex Sacerdote offerente, quatenus recipitur intuitu meriti et devotionis Sacerdotis celebrantis, et fructus *ex opere operantis* nuncupatur. Inde fit ut Sacrificium oblatum a sancto Sacerdote, quatenus consideratur *ex opere operato*, non prosit magis, quam si ab indigno ministro offerretur; quia Sacrificium, sic spectatum, est opus Christi, et solum a meritis Christi fructus dimanat. Quare hoc sensu recte dici potest, Missam mali Sacerdotis tanti valere, quanti valet Missa boni Sacerdotis. Secus vero dicendum, si attendatur meritum *ex opere operantis;* quo enim dignior est Sacerdos et maiori devotione praeditus, tanto maior Missae fructus evadit.

351. — II. *Ex parte victimae.* Ex hoc capite triplex distinguitur fructus Sacrificii, scilicet generalis, specialis, specialissimus.

1° Fructus *generalis* ille est, qui respondet Sacrificio, quatenus est opus positum a Sacerdote, prouti operatur nomine totius Ecclesiae. Et omnes quidem Fideles, quamvis Sacerdos de eis non cogitet, hunc fructum percipiunt; sed ipsis tribuitur per modum *impetrationis* tantum (*a*), non vero, ut videtur, per modum *satisfactionis*, quia ex millenis Sacrificiis, quae quotidie offeruntur, quivis iustus, etiam inscius, immensae poenae remissionem consequeretur, quod incredibile apparet. — De fructu hoc generali, abundantiori seu specialiori modo participant adstantes Sacrificio, et *a fortiori* ad illud cooperantes, v. gr. Sacerdoti inservientes, etc. Iste autem fructus, utpote *ex opere operantis,* eo uberior est, quo maior est devotio et sanctitas assistentium et cooperantium. Hinc licet plures Missam audiant, vel ei ministrent, quisque totum fructum suae devotioni proportionatum percipiet, haud secus ac si solus esset audiens vel ministrans.

2° Fructus *specialis* est ille, qui advenit ei vel illis, quibus Sacerdos specialiter Sacrificium applicat. Hi *ex opere operato* participant de Sacrificio, ut est *impetratorium*, et *propitiatorium;* imo etiam, modo nihil obstet, ut est *satisfactorium.*

3° Fructus *specialissimus* ille est, qui obvenit Sacerdoti offerenti, quatenus est persona privata offerens. Si enim cooperatores quilibet e Sacrificio suum percipiunt fructum omnino specialem, multo magis hunc percipere debet Sacerdos, qui sacrificat. An vero hunc fructum applicare aliis Sacerdos possit, incertum est (*b*). — *S. Lig. n. 312.*

352. — Quaer. 4° *An valor Sacrificii Missae sit infinitus?*

Resp. 1° Est certe *infinitus,* si spectetur *in se,* seu in re oblata et in excellentia dignitatis Christi offerentis. Ipse enim Christus in

(*a*) Heic quoque *impetrationem* sic intellige, ut etiam propitiationem complectatur.

(*b*) Illud tamen certum est, non posse sacerdotem fructum hunc specialissimum ita alteri applicare, ut aliud hinc stipendium recipiat; quod tamen intellige, nisi hoc ipsum cum consensu dantis aliud stipendium fiat.

hoc Sacrificio est simul victima et principalis offerens. Quare Missa est oblatio victimae infiniti pretii facta a Christo primario offerente, qui meritum habet infinitum.

Resp. 2° Non potest esse *infinitus* quoad applicationem singulis hominibus factam, seu quoad effectum aut fructum. Ratio est, quia creaturae percipiendi infinitum fructum non sunt capaces; potest autem applicatio esse maior vel minor, prout dispositio seu capacitas illius, cui applicatur, maior vel minor extiterit.

Controvertitur autem, utrum applicatio fructus Sacrificii sit ad certum gradum restricta, vel fiat *indefinite* iuxta capacitatem illorum, pro quibus offertur.

I^a Sententia multo *probabilior* contendit, applicationem fieri *indefinite* iuxta capacitatem fidelium, pro quibus offertur. Et haec est sententia hodie communissime recepta, ait *S. Lig. n. 312.* — Ratio est, quia valor Sacrificii est in se infinitus: unde per se potest applicari innumeris hominibus, quin exhauriri possit. Ergo si Sacrificium offeratur pro 100 vel 1000, singuli tantum percipient fructum, quantum perciperet unicus ille, pro quo solo offerretur (*a*).

II^a Sententia tenet, fructum Missae ad certum gradum esse restrictum. Ratio affertur, quia licet Missa in se et quoad sufficientiam sit infiniti valoris, tamen effectus est limitatus et restrictus

(*a*) Quamvis ex communissima hac recentiorum sententia sacerdos unum idemque sacrificium pro pluribus applicare possit, non tamen fas ipsi est plura recipere stipendia. Id enim Ecclesiae decretis est interdictum; et rationem S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 312.*) addit, quia stipendium datur pro ministri sustentatione: quoties itaque ministro sua tribuitur sustentatio, deficit titulus, cur aliud stipendium recipiat. Immo (ut recte monet idem S. Alphonsus) cum et oppositae sententiae aliqua, extrinseca saltem, non desit probabilitas; sacerdos, qui stipendium ab uno accipit, idem sacrificium applicare pro aliis nisi sub conditione non deberet, dummodo scilicet nihil conferenti stipendium detrahatur. Huius tamen conditionis appositio, quam tutioris cautelae causa S. Alphonsus suggerit, impedire nequaquam potest aut debet, quominus sacerdos pro aliis quoque idem sacrificium applicet, quin et per eiusdem sacrificii applicationem alteri cuipiam obligationi, quam *aliter ac per acceptum stipendium*, ac proinde *alio quam iustitiae titulo* contraxerit, satisfacere possit. Qua de re Card. De Lugo (*De Euch. Disp. 19. n. 249.*) ista habet: *Non apparet, cur sacerdos non satisfaceret suo debito, conformando se cum illa opinione, quam adversarii fatentur esse probabilem: sicut qui promisit ieiunium, satisfaceret ieiunando tali vel tali modo, etiamsi esset sub opinione, an illud esset ieiunium, dum tamen probabile esset, quod erat ieiunium. Ergo qui promisit* (ex liberalitate) *sacrum applicare pro aliquo, satisfaciet applicando applicatione probabili.* Nimirum cum alibi (*Vol. 1. n. 80.*) cum communissima DD. sententia praestitutum sit, eum, qui probabiliter alicui satisfecit obligationi, quae non sit e iustitia aequalitatem exigente, ita ab obligatione liberari, ut ad nihil ulterius teneatur; nunc autem longe probabilior, et communissima recepta sit sententia, idem sacrificium etiam pro aliis praeter offerentem stipendium aeque valere; ratio patet, cur Card. De Lugo obligationi sacrificii alio, quam iustitiae, titulo, v. gr. ex gratuita ac liberali promissione, ac porro ex mera fidelitate debiti, posse hoc pacto satisfieri dixerit. *Vid. et not. seq.*

in certa quantitate ex voluntate Christi, qui hoc Sacrificium instituit, ut *ex opere operato* certum effectum, sive certum satisfactionis gradum produceret, independenter ab hominum dispositione. Attamen huius sententiae patroni concedunt, posse hunc gradum fructus augeri *ex opere operantis,* id est iuxta maiorem devotionem offerentis Sacerdotis et personae, pro qua offertur (*a*). Caeterum eiusmodi restrictionem factam a Christo fuisse, isti gratuito prorsus affirmant.

353. — QUAER. 5° *An Missa prosit defunctis ex infallibili promissione Christi?*

Resp. Affirm. Etenim Missa utiliter offertur pro defunctis, ut constat ex *Trid. sess. 22. c. 2. et Can. 3.* Porro id fieri nequit, nisi ex Christi promissione, quae perhibetur *Matth. 26. 28: Hic est Sanguis meus.... qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Constat etiam ex verbis formae in Ordinis collatione: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini. Amen.* — Attamen poena temporalis non remittitur defunctis certa lege, sed solum per modum suffragii iis prodest, prout Deo placuerit illud acceptare. — *Vide Perrone, tom. 8. n. 282.*

QUAER. 6° *An Missa* de Requiem *magis prosit defunctis, quam Missa de Sanctis?*

Resp. Neg. quoad substantiam, seu *ex parte Sacrificii;* quoad accidentalia utique, seu *ex parte orationum,* quarum defectum devotio supplere potest. — *S. Lig. n. 309.,* post *S. Thomam, Suppl. q. 71. art. 9.*

(*a*) Insuper isti DD. etiam concedunt, diversos sacrificii fructus, *Latreuticum* nempe, *Eucharisticum, Impetratorium,* et *Satisfactorium* valide a celebrante dividi, seu diversis applicari posse. Et id quidem etiam *licite* fieri docent in Missa libera, seu quam celebrans pro nemine in particulari tenetur offerre.

In Missa autem, quae ex sola fidelitate et liberali promissione debeatur, divisionem illam putant omnino licitam, si sacrificium Missae fuit liberaliter promissum diversis ad diversos fines. Ratio, quia liberalis promissio est ita interpretanda, ut sit promittenti quam minime onerosa; ut dicitur *L. 99. Quidquid adstringendae,* ff. *De Verb. oblig.*

Denique in Missa debita ex sola obedientia, seu mandato Superioris, aut statuto Ordinis, licet dividere fructus, qui non tendunt directe ad finem praescriptum. Ratio, quia obligatio legis vel praecepti non est extendenda ultra finem legis iuxta communem DD. sententiam ex *Cap. Intelligentia, De Verb. signif.* Unde quando Superior aut statutum Ordinis Missam praecise praescribit in honorem SS. Trinitatis, aut alicuius Sancti, aut in gratiarum actionem, fructus satisfactorius, et in ultimo casu etiam impetratorius potest a sacerdote pro altero applicari liberaliter, ut docent Gobat et Sporer cum aliis ex auctoritate S. Francisci Borgiae, qui cum esset Generalis Praepositus Societatis Iesu, rescripsit ann. 1564 suis subditis in haec verba: *Quando Superiores iniungunt Missas pro aliis, quam pro defunctis, clarum est, applicationem ad liberandam animam liberam sacerdoti manere.*

Notandum hic Missam *de Requiem* et *in nigris* applicari posse pro vivo; modo qui eleemosynam tribuit, expresse oppositum non declaraverit. — *S. C. Rit.* 29 Nov. 1856.

CAPUT II.

DE APPLICATIONE SACRIFICII MISSAE

Applicatio Sacrificii Missae est intentio, qua Sacerdos vult, ut Sacrificii fructus in utilitatem certae personae cedat.

354. **Principia.** — I. Ut pars fructus *generalis* percipiatur, necessaria non est Sacerdotis applicatio; sed sufficit, ut ipse velit celebrare iuxta mentem Ecclesiae: semper enim implicite talis applicatio in intentione generali celebrantis includitur. Item ut ipsi Sacerdoti fructus *specialissimus* proveniat, necesse non est, ut eum sibi specialiter applicare velit; hic enim ipsi *per se* semper applicatur. Imo sunt, qui fructum hunc ita putant illius esse proprium, ut alteri applicari non possit.

II. Requiritur tamen applicatio Sacerdotis, ut fructus *specialis* seu *ministerialis* alicui obveniat. Sacerdos enim, et quidem solus, personam Christi gerit; ergo sicut ipse solus in persona Christi Sacrificium pro aliis offert, ita etiam solus fructum eiusdem applicat.

III. Quamvis Sacerdos nemini Missam promiserit, aliquam applicationem fructus specialis facere debet. Ratio est, 1° quia in sua ordinatione accepit ex Christi institutione potestatem Sacrificium conficiendi, et consequenter eius fructum applicandi; remaneret autem inutilis illa potestas, si Sacerdos ea non uteretur; 2° insuper si nulla fiat applicatio, non est ratio, cur uni prosit magis, quam alteri: idcirco fructus non applicatus remanet in thesauro generali Ecclesiae, et proinde minus utilis evadit. — *Billuart, diss. 8. art. 4.*

355. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An applicatio fructus Missae debeat esse actualis?*

Resp. Neg.; sed sufficit, ut sit habitualis, scilicet ut semel facta non retractetur. Ratio est, quia applicatio ista fit per modum donationis, adeoque per intentionem semel habitam Sacerdos iam donavit fructum Sacrificii sui, et proinde ei, cui donavit, debetur, et cum Missa celebratur, eidem obvenit, nisi donatio revocetur. — *S. Lig. n. 335.* — Expedit tamen applicationem Missae facere, antequam inchoetur. Quod si id vel ante consecrationem, vel saltem in consecratione secundae Speciei Sacerdos non fecerit, non potest postea Sacrificium ulli specialiter applicare. — *S. Lig. ibidem.*

Quaer. 2° *Si Sacerdos immemor prioris intentionis novam celebrando eliciat, quaenam valida censeri debeat?*

Resp. In genere definiri nequit. Videat Sacerdos, qualis intentio

in eius mente praedominans fuerit (*a*). Caeterum in praxi parvi refert; etenim cum alterutra certo valida sit, satis erit alia vice Sacrum ei applicare, cui applicatum non fuit.

QUAER. 3° *An intentio celebrantis debeat esse explicite determinata?*

Resp. Neg. Sufficit enim, ut determinetur implicite. Sic valet applicatio, si dicas: Offero hoc Sacrificium pro eo, qui dedit stipendium, — pro quo Superior vult Sacrum fieri, — pro quo exigit fundatio, — pro maximo peccatore, — pro anima graviori tentatione afflicta, — pro anima purgante maiori auxilio indigente, aut magis Deo grata, — pro omnibus animabus Purgatorii, — pro eo, cui applicare teneor, — pro persona vel intentione, scripto vel mente determinata in principio hebdomadae, etc. — E contrario non valet ista applicatio: Offero, ut Deus Sacrum istud applicet. — *V. Casus, t. II, n. 325. et seq.*

356. — QUAER. 4° *Si Sacerdos acceperit stipendia a 10 personis, an satisfaciat celebrando cum intentione confusa et indeterminata?*

Resp. Neg. omnino; quia requiritur intentio determinata saltem ad certam personam; alioquin nulla est ratio, cur uni potius quam alteri Missa applicetur, et sic nulli applicaretur. — *S. Lig. n. 335.* — Attamen si quamlibet Missam intenderet applicare decem illis personis, singulis decimam partem cuiuslibet Missae applicando, obligationi satisfaceret; quia fructus Sacrificii est divisibilis, et unicuique tribuitur, quod ei debetur: unusquisque enim in singulis decem Missis decimam fructus partem percipiens, facto decimo Sacro, iam totum sibi debitum fructum est adeptus (*b*). — *S. Lig. n. 335., cum aliis multis.*

357. — QUAER. 5° *Quomodo determinanda sit applicatio, quando stipendia a multis ignotis dantur, ut in piis peregrinationibus evenire solet?*

(*a*) Quae intentio emineat, sic Lugo (*De Sacr. Disp. 8. n. 121. 123*) explicat: *Si hodie velis sacrum crastinum omnino applicare pro Petro, ita ut haec applicatio ex nunc praeferatur cuilibet ex oblivione huius faciendae: cras vero applices sacrum pro alio, non censebitur revocata applicatio hodierna, quia fuit magis universalis et revocatoria crastinae... Si utraque voluntas esset aequalis, praevaleret posterior. Nam sicut posterius testamentum semper praevalet priori, etiamsi quando fit posterius, non recordetur homo prioris a se facti; sic si heri applicasti sacrum hodiernum pro Petro, et hodie immemor illius voluntatis applicas pro Paulo per voluntatem aeque absolutam, et efficacem, videtur praeferenda haec posterior.*

(*b*) Auctor ita respondet ex sententia illorum, qui docent, limitatum tantummodo percipi e Missa fructum, quem scilicet divina dispositio praestituerit; quam tamen opinionem nulla solida ratione inniti ipse (*sup. n. 352.*) dixerat. Verum iuxta probabiliorem et communissimam sententiam, de qua superius (*n. 352. cum not.*) dictum est, debitum fructum unusquisque totum e singulis decem Missis perciperet. Quocirca decimo sic peracto Sacro, quisque fructum percepisset decuplo maiorem, quam si pro singulis una applicata Missa fuisset.

Resp. Intentio facienda est pro iis, qui priora dederunt stipendia. Hoc facile succedit, quando idem Sacerdos omnibus obligationibus est satisfacturus; nec obest, quod ipse partem celebrandarum Missarum aliis Sacerdotibus forte distribuat: quia illas eodem ordine, quo accepit, distribuere potest; et sic sufficienter applicatio determinata videtur. Difficultas maior videtur adesse, si Sacrista vel alius multa stipendia a diversis collegerit, et pecuniam confusam pluribus Sacerdotibus distribuat; qui casus obvius et frequens est. Quomodo enim tunc facienda erit Missae applicatio? Respondeo: nihil aliud faciendum est, neque aliud moraliter fieri potest, quam ut applicatio fiat iuxta ordinem temporis, quo stipendia a fidelibus erogata sunt, iuxta axioma, quod aliquando in iustitiae materia usurpatur: *Qui prior tempore, potior iure.* Imo nec necessarium est, ut Sacerdos ad hoc explicite attendat; siquidem sic velle agere censetur, cum id expostulet naturalis aequitas. Hinc si ex cumulo communi, v. gr. ex arca in Ecclesia posita, vel a Missarum distributore, stipendia pro 20 Missis acceperis, nulla alia cura tibi incumbere debet, nisi ut Sacrum vigesies facias *ad dantis intentionem*. Distributor ipse eamdem implicitam intentionem habere censetur, ut stipendia iuxta temporis antiquitatem successive eroget. Potest tamen Sacerdos praefatum ordinem intentione expressa interrumpere gravi aliqua de causa, v. gr. si qua alia Missa urgeat, vel maius stipendium acceperit, ut Sacrum non differat, etc.

358. — Quaer. 6° *An valeat applicatio facta vivo quem credis mortuum, si tantum pro eo iam mortuo celebrare debuisses?*

Resp. Neg. prorsus. Ratio est, quia obligatio cadit in applicationem defuncto faciendam, ad eius animam a poenis Purgatorii sublevandam; finis autem ille non obtinetur, dum pro vivo Sacrificium offertur. Unde Sacerdos ob eiusmodi errorem iacturam stipendii sui subire debet (*a*).

CAPUT III.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI

Sub triplici respectu haec obligatio spectari potest: 1° ratione sacerdotii; 2° ratione officii; 3° ratione stipendii.

(*a*) Auctoris resolutio ad casum forte chimaericum spectat. Quidquid sit de casus probabilitate, resolutio, si in se spectetur, paullo severior videri merito poterit. Ratio est, quia *satisfactorius* sacrificii fructus etiam vivo prodesse potest, et a purgatorii poenis eximere. Praeterea vivus capax est, et particeps fit eorum quoque fructuum, quorum capaces mortui non sunt. Et exinde est quorundam usus, qui hoc praesidium sibi sollicite quaerentes, praestitutas a se Missas vel omnes vel magna ex parte praemittere satagunt, dum in vivis degunt.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI RATIONE SACERDOTII

359. — *Dico:* Omnes Sacerdotes ratione sacerdotii iure divino tenentur sub gravi aliquando celebrare. Evincitur ex verbis Christi *Luc. 22. 19: Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis, teste Concilio Tridentino, Christus Apostolis eorumque successoribus praecepit, ut Sacrificium offerrent. Insuper Sacerdotes omnes in sua ordinatione accipiunt non solum potestatem, sed etiam *munus* et *officium* sacrificandi illi adnexum. Hinc Apost. *Hebr. 5. 1: Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia.* Porro in re gravi quisque tenetur graviter munus susceptum exsequi. Ergo... — *Sic S. Thom. part. 3. q. 82. art. 10. — Vide S. Lig. n. 313.*

360. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quoties in vita vel in anno Sacerdos celebrare teneatur?*

Resp. Non clare constat. *Probabilius* videtur non teneri ad celebrandum, nisi ter vel quater in anno, seu in festis solemnioribus. Imo non improbabile apparet, sacerdotem suo muneri fecisse satis, si quibuscumque tandem diebus ter vel quater in anno Sacrificium offerat. — *S. Lig. n. 313.*

QUAER. 2° *An eximatur ab omni peccato, qui tantum quater in anno celebrat?*

Resp. Neg. Non videtur enim excusandus ab aliquo peccato veniali. Sic communiter iuxta mentem *Conc. Trid. sess. 25. c. 14. de Reform.*, ubi dicitur: *Curet Episcopus ut ii* (Presbyteri) *saltem diebus dominicis et festis solemnibus Missas celebrent.* Imo exoptat sancta mater Ecclesia, ut Sacerdos singulis diebus Sacrificium offerat, et pii Sacerdotes rarissime illud omittere solent.

Hinc merito concludit *S. Lig. n. 359: Quapropter nescirem a culpa levi excusare Sacerdotem illum, qui quotidie celebrare posset (una hebdomadis die excepta ob reverentiam), et sine ulla iusta causa, sed tantum ob desidiam, a celebrando abstineret: Sacerdos enim non tantum pro se celebrat, sed etiam pro bono totius Ecclesiae populique christiani, cuius minister et intercessor est constitutus, iuxta illud Apostoli:* OMNIS PONTIFEX *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.*

Merito igitur auctor eximii operis *De Imitatione Christi* ait, *l. 4. c. 5: Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos laetificat, Ecclesiam aedificat, vivos adiuvat, defunctis requiem praestat, sese omnium bonorum participem efficit.* Sic etiam *S. Bonaventura, de praeparatione ad Missam, c. 5: Sacerdos qui non celebrat, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude et gloria, Angelos laetitia, pec-*

catores venia, iustos subsidio et gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi speciali beneficio, et seipsum medicina et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI RATIONE OFFICII

361. — *Dico* I: Omnes animarum Pastores iure naturali et divino aliquando celebrare pro ovibus suis tenentur. Ratio est, quia eas pascere debent. Constat etiam ex *Conc. Trident. sess. 23. c. 1. de Reform.*, ubi sic: *Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre...*, etc.

Dico II: Iidem iure ecclesiastico pro ovibus suis celebrare tenentur omnibus diebus Dominicis et festis, quibus fideles Missam audire debent. Constat ex pluribus Ecclesiae Decretis, praesertim vero ex Constitutione *Benedicti XIV: Cum semper* die 19 Augusti 1744. Ad hoc autem tenentur non solum Parochi saeculares, sed et Regulares; itemque ii, qui ad tempus vel amovibiliter, v. gr. ob absentiam vel infirmitatem Parochi, ad huius supplendum officium deputati sunt, ut Viceparochi. — *Bened. XIV, Constit. cit.* — Imo Parochus duabus parochiis praepositus duplicem Missam recurrentibus festis tenetur applicare, nisi unio duarum parochiarum sit *plenaria* et *exstinctiva,* ita ut ex duabus Ecclesiis parochialibus una prorsus ob exstinctionem tituli alterius evaserit. — *S. Congr. Conc.* 11. Mart. 1774. — Onus illud *a fortiori* Episcopis incumbit post adeptam Sedis possessionem, non vero Vicariis capitularibus. — *S. Congreg. Rit.* 12. Novemb. 1831. Missionarii autem et Vicarii apostolici Missas applicare minime tenentur, quamvis id ex charitate deceat. — *S. Congr. de Propag. Fide,* April. 1862 (*a*).

362. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An Parochus valde pauper possit stipendium accipere pro Missa die Dominica celebranda?*

Resp. Neg. per se. Constat ex declaratione *Bened. XIV,* in praefata Constitutione (*b*). — *S. Lig. n. 325.*

Quaer. 2° *An obligatio Missam pro populo celebrandi sit personalis?*

(*a*) Nempe prodierat olim e Congregatione de Propaganda Fide responsum, quasi Missionarii stricta charitatis obligatione ad id tenerentur. Sed posterius, anno scilicet 1862, ea resolutio ab ipsa S. Congreg. fuit abiecta. Caeterum *charitatis* titulus, de quo Auctor, aeque missionarios urget, uti patet, ac omnes per totum orbem sacerdotes. Unde non officium missionariorum proprium, sed omnibus commune ab Auctore hic indicatur.

(*b*) Attamen in eiusdem Constitutionis §. 8. Benedictus XIV Episcopis facultatem tribuit dispensandi *ad hoc, ut* (Parochi egentes) *etiam diebus festis eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, et pro ipso sacrificium applicare possint*, ea tamen conditione, ut infra hebdomadam pro populo missam applicantes suppleant quidquid diebus festis omissum est.

Resp. Affirm. Ratio est, quia ea Parocho incumbit ut Pastori. Hinc Parochi debent per seipsos applicare Missam pro populo diebus Dominicis et festivis; nec ulla valet in contrarium consuetudo.

Ad dubium *S. Congr. Concil.* oblatum:

Quid censeri debeat de consuetudine, vi cuius Parochus diebus Dominicis et festis Missam privatam pro pio aliquo benefactore applicat, et, nullo legitimo impedimento detentus, onus celebrandi Missam in alium Sacerdotem transfert?

Sacra Congregatio respondit: *Consuetudinem, de qua agitur, non esse attendendam.* Die 25 Septembris 1847, *in Mechlinien.* — *Vide D. Bouix, tract. de Parocho, p. 590.*

363. — QUAER. 3° *An praedictae obligationi satisfaciat Parochus per Missam privatam?*

Resp. Affirmandum omnino videtur, quia reapse praeceptum Ecclesiae adimplet; nec tenetur Missam solemnem, aut aliqua certa hora fixam celebrare: quamvis Episcopus praescribere possit, ut Parochi per seipsos solemniorem Missam legant aut cantent. — *Ita D. Bouix, ibid. p. 591–592.*

Insuper Parochus diebus Dominicis et festis Missam celebrare debet in propria Ecclesia, et non in alia, quacumque consuetudine in contrarium non obstante. — *Sic S. Congr. Concil.* 15 Septemb. et 17 Novemb. 1629. — *D. Bouix, tract. de Parocho, p. 591.* (*a*).

QUAER. 4° *Si Parochus Vicarium deputaverit ad Missam pro populo celebrandam, an stipendium ipsi tribuere debeat?*

Resp. Affirm., quia ad Parochum pertinet curare, ut Missa parochialis seu pro populo celebretur, nec Vicarius tenetur stipendio carere.

QUAER. 5° *An Parochus vel Episcopus infirmus, aut alia de causa a celebratione impeditus, teneatur diebus festis per alium pro populo celebrare?*

Resp. Affirmandum est, quia onus illud non est tantum personale, sed simul reale, non secus ac onus praedicandi, quod consequenter per alium impleri potest et debet. — *S. Lig. n. 327.* — *S. Congr. Rit.*, 11 Maii 1720.

QUAER. 6° *An Parochus, qui non potuit sibi alium substituere ad celebrandum pro populo, uno vel altero die infra tempus Secessus* (Retraite pastorale), *teneatur postea ad totidem Missas applicandas pro populo?*

Resp. Affirmative ex responso *S. C. Conc.* ad DD. Maupoint, Episcopum S. Dionysii (Bourbon) *die 14 Dec. 1859.*

364. — QUAER. 7° *An Pastores animarum teneantur pro populo celebrare in festis a Pio VI. suppressis?*

(*a*) Alicubi tamen consuetudo habet, ut si qua alia in ecclesia eidem parocho subiecta solemne festum celebretur, ipsi iure quopiam honos servetur missam in cantu cum duplicato stipendio celebrandi.

Resp. Affirm. Ratio est, quia Ecclesia illis diebus solum eximit fideles ab obligatione audiendi Missam, et abstinendi ab operibus servilibus; unde urgere pergit obligatio Parochi pro populo celebrandi, sicut prius urgebat. Constat ex variis Declarationibus S. Poenitentiariae.

QUAER. 8° *Quaenam sint festa a Pio VI. suppressa?*

Resp. Sunt sequentia: festa Apostolorum praeter SS. Petri et Pauli solemnitatem; duae feriae, quae Pascha et Pentecosten sequuntur; Inventio S. Crucis; festa S. Annae, S. Laurentii, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Sylvestri, S. Michaelis, et S. Iosephi. — *Vide dicta tom. I, n. 476.*

365. — QUAER. 9° *An Pastores animarum in Gallia teneantur Missam celebrare pro ovibus diebus festis suppressis, et in Dominicam translatis ex concessione Pii VII. anno 1802.*

Resp. Affirm. Constat ex variis decisionibus Sanctae Sedis, praesertim ex Declaratione *S. Congreg. Concilii Trid.* a *Gregorio XVI* approbata, in responso ad *illmum DD. Bouvier, Episc. Cenomanensem,* data die 14 Iunii 1841, nec non ex responsione ad illmum Archiep. Tolosanum die 6 Augusti 1842; iterum ex decisione *S. Congreg.* die 25 Septembris 1847.

Quapropter ut obligationi huic satisfaciat Parochus, non illi sufficit applicare Missam pro populo Dominicis, ad quas remittitur seu transfertur solemnitas Epiphaniae Domini N., Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Patroni loci (non autem Titularis Ecclesiae), et Immaculatae Conceptionis, ubi ex Indulto Apostolico festum illud 2ª Dominica Adventus celebratur; sed praeterea tenetur applicare Missam ipso die, quo praefatorum festorum Officia communiter in Ecclesia recitantur (*a*).

366. — QUAER. 10° *Daturne aliqua praescriptio vel consuetudo contra obligationem applicandi Missam pro populo in festis suppressis aut translatis?*

Resp. Neg. Aperte constat ex Declaratione *S. Congreg. Concilii* die 25 Septembris 1847, et praesertim ex Constit. Pii IX: *Amantissimi,* 3 Maii 1858 (*b*).

(*a*) Quoad dies festos translatos excipiendum est, nisi simul cum solemnitate translatum in dominicum diem officium quoque fuerit. Ita Constitutio SS. D. N. PP. Pii IX. 3 Maii 1858: *Quod vero attinet ad festos translatos dies id unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicum diem, una tantum Missa pro populo sit a parochis applicanda; quandoquidem Missa, quae praecipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.*

(*b*) De ista obligatione quoad festa reducta haec Pius IX statuit:.... *Quamobrem hisce litteris declaramus, statuimus atque decernimus, Parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere, tum omnibus Dominicis aliisque diebus qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam qui ex huius Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de*

QUAER. 11° *Quaenam sint festa a Pio VII. suppressa, et in diem Dominicam translata pro Gallia?*

Resp. Sunt sequentia: Circumcisio, Epiphania, solemnitas Corporis Christi, Purificatio, Annuntiatio, Nativitas, et Immaculata Conceptio B. Mariae Virg., festa SS. Petri et Pauli, et Patroni Paroeciae. — *Recole dicta tom. 1, n. 476.*

ARTICULUS III.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI RATIONE STIPENDII

367. **Principia.** — I. Licite accipi potest stipendium seu eleemosyna pro Missa, quam quis pro alio legere non tenetur. Stipendium enim non datur tanquam pretium vel compensatio Missae, sed ut medium ad Ministri sustentationem. Constat etiam ex Scriptura sacra *(1. Cor. 9. 13.): Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant?*

II. Sacerdotes ex iustitia tenentur Missam celebrare, et determinate applicare ad intentionem eorum, qui ad hoc stipendium erogaverunt. Etenim intervenit cum iis pactum onerosum, quod titulo iustitiae, non secus ac in quovis alio contractu, servari debet. Unde Sacerdos, qui sive per se sive per alium Ministrum omittit applicare iuxta intentionem illius, qui stipendium erogavit, ad restitutionem stricto iure tenetur.

III. Non potest Sacerdos per unicam Missam duplici stipendio satisfacere, sed pro singulis Sacrificium distinctum offerre debet. Ratio est 1° quia non constat certo, Sacrum pro pluribus oblatum singulis tantum prodesse, quantum prodest pro uno solo applicatum, licet id longe probabilius sit; 2° quia sic Sacerdos in percipiendo honorario rationem honestae sustentationis excederet (*a*); 3° quia hoc ipsum constat ex propositione 8ª ab *Alexandro VII.* damnata, quae sic se habet: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa accipere, applicando petenti partem etiam specialissimi fructus ipsimet celebranti correspondentem.*

368. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quodnam censeatur iustum sacerdotis celebrantis stipendium?*

Resp. Quantitas stipendii iusti universaliter determinari non potest. Licet exigere stipendium statutum ab Episcopo vel a consuetudine. — *S. Lig. n. 319.* Cui regulae etiam Regulares sub gravi

praecepto festorum numero sublati ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur et transferrentur.

(*a*) Secundum hoc argumentum tunc videri satis firmum potuit, quando stipendii mensura sacerdotis sustentationi *honestae* (quae scilicet conditionem sacerdotis deceat) congrua videri potuit.

conformare se debent ex S. Congreg. Decreto apud *Benedictum XIV*, Instit. 56. n. 10. — *S. Lig. n. 320.* — Et quidem Episcopus saltem quoad eleemosynas manuales prohibere potest, ne stipendium minus taxa statuta accipiatur.— *Benedictus XIV, ibid.* (*a*). — Attamen, sicut ex charitate vel amicitia stipendium minus admitti potest, ita etiam ex dantis liberalitate maius recipere fas est. Potest pariter Sacerdos plus recipere pro labore extraordinario, v. gr. pro Sacro celebrando tali hora vel tali loco incommodo, etc.

QUAER. 2° *An graviter peccet Sacerdos, qui accepto stipendio, Missam celebrare differt?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia violat contractum in re gravi. Constat etiam ex Decretis *S. Congreg. Concilii ann. 1652. — S. Lig. n. 317.*

369. — QUAER. 3° *Quaenam dilatio gravis censeatur?*

Resp. Controvertitur; gravis sane videri potest dilatio, quae tres menses excedit. — *Ita communiter* cum *S. Ligorio*, contra *alios*, qui annum integrum requirunt. — *Probabilius* autem non peccat graviter Sacerdos, qui Missam promissam intra duos menses celebrat. In Missis autem celebrandis pro recenter defunctis, dilatio unius mensis gravis reputanda est iuxta *S. Ligor., Salmant., Lugo,* etc. — Insuper ad Episcoporum quoque statuta est attendendum. Certe vero peccat graviter Sacerdos quoties Missam pro aliqua instante gratia impetranda petitam ac promissam intra tempus circumstantiis aptum celebrare omittit; et idcirco tenetur acceptum stipendium restituere, licet deinceps celebraverit.

Caeterum quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat, et consentiat, ut illae tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, id non prohibetur. — *Sic S. Congreg. Concilii. — Cavalieri, t. 5. p. 107., ad duodecimum.*

(*a*) Decreta, quae Benedictus XIV (*Instruct. 56. n. 20.*) refert, spectant tantummodo ad *onera perpetua Missarum*; atque in iis statuitur, *ne maiorem aut minorem pecuniae summam pro Missis perpetuis in posterum statui* (*Regularium Praefecti*) *paterentur*. Taxa tamen, ibi ab Innocentio XIII statuta, nempe annuorum 60 scutatorum, modo non servatur nec servari potest ob immutatum pecuniae valorem; quod idem contingit quoad adventitiarum Missarum stipendia, quae tunc *Romae ad decem romanos asses pertingebant,* nec immutanda esse decrevit tum S. Congregatio, ut idem Benedictus XIV (*l. c. n. 23.*) narrat. Licet autem nunc duplo maius tribuatur stipendium, quis dixerit, ad decentem sacerdotis sustentationem par illud esse? Et mirum sane, quod quidam tam stupidi nunc reperiantur, ut conclament adversus clericorum divitias; quando ob pecuniarum valorem tam longe nunc immutatum, aucta quidem et operarum, et artificum, et publicis seu privatis officiis addictorum stipendia cernimus; stipendia vero clericorum sustentationi statuta hactenus definiri novimus illa mensura, quae congrua cum foret aliquot ante saecula, vix ad aegerrimam traducendam vitam modo sufficit!

QUAER. 4° *An peccet graviter Sacerdos omittens celebrare Missam, si stipendium pro illa acceptum non sit materia gravis?*

Resp. Affirmandum videtur, nisi forte stipendium adeo tenue sit, ut Missa gratis promissa appareat. Ratio est, quia qui dedit stipendium, notabile detrimentum spirituale patitur. — *Ita S. Lig. et alii communiter* contra *alios.*

370. — QUAER. 5° *An vel quomodo peccet omittens Missam gratis promissam?*

Resp. 1° Non peccat, quoties non adest verae promissionis contractus, sed promittens benevolum tantum propositum ostendit.

Resp. 2° *Probabilius* peccat venialiter tantum, quando vera intercessit promissio, quia simplex promissio non obligat sub gravi, nisi, ut ait *Lugo,* promittens expresse sub gravi, et ex iustitia se obliget.

QUAER. 6° *An possit Sacerdos per unum Sacrum satisfacere pluribus Missis gratuito promissis?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia Missae gratuito promissae nequaquam obligationem contractus proprie dicti, ne titulo quidem merae fidelitatis, inducunt (*a*). Insuper valde probabilius applicatio Sacrificii pluribus facta, tantum singulis prodest, quantum uni soli prodest. Aliunde non urget hic ratio iustitiae, quae exigit, ut pars tutior eligatur; nulla enim percipitur retributio. — *Ita Elbel, de Contr. n. 337.,* etc.

QUAER. 7° *An simoniae reus sit Sacerdos, qui praecipue intuitu stipendii celebret?*

Resp. Neg. per se, nisi nempe stipendium ut verum celebrationis pretium habeat; verum a peccato excusari non potest, cum odiosum sit, quod sacro ministerio pecuniae lucrandae causa quis abutatur. Attamen non peccat Sacerdos, qui accessorie celebret intuitu retributionis accipiendae, praesertim si ipsi necessaria sit. Nec ulla labe maculatur qui accepto stipendio ad celebrandum determinatur, licet alias Sacrum fuisset omissurus; tunc enim non ratione stipendii, sed obligationis adimplendae movetur. — *Ita communiter.*

371. — QUAER. 8° *An Sacerdos possit Missam alteri celebrandam committere stipendium minus dando, quam ipse acceperit?*

Resp. Neg. Ratio est, quia ob speciem turpis lucri id prohibuit *S. Congregatio Concilii* Decreto approbato ab *Urbano VIII*, et confirmato ab *Innocentio XII,* ubi haec habentur: *Omne damnabile lucrum Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem Missae sibi retenta, celebrandam committat.* Hinc et *Alexander VII.* damnavit sequentem propositionem sub n.° 9 ex-

(*a*) Auctor supponere hic videtur, sacerdotem ne obligationem quidem fidelitatis, quae cuiuslibet verae *promissionis* propria est, assumere voluisse, atque adeo ne ullum quidem promissionis proprie dictae contractum intercessisse.

pressam: *Post Decretum Urbani potest Sacerdos cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Imo *Benedictus XIV*, Epistola encyclica *Quanta cura,* die 30 Iunii 1741, poena suspensionis ipso facto incurrendae et Sedi Ap. reservatae damnat Sacerdotem, qui pro Missis celebrandis stipendia colligens maioris pretii iuxta consuetudinem vel statuta locorum, Missas ibi, vel in locis ubi minora stipendia tribuuntur, celebrari curet, parte sibi retenta. — *V. S. Lig. n. 321.*

Excipe 1° nisi excessus stipendii traditus fuerit intuitu personae, amicitiae, paupertatis, gratitudinis, propinquitatis; 2° aut si alter Sacerdos omnino sponte et non rogatus, excessum remittat. — *S. Lig. ibid.*, etc., *et alii communiter.*

372. — Quaer. 9° *An qui retinet partem stipendii, teneatur ad restitutionem?*

Resp. Affirm. Ratio est, 1° quia hoc deducitur ex propositione damnata ab *Alex. VII.* superius relata. Propositio enim dicebat, Sacerdotem retinentem partem stipendii posse satisfacere per alium; ergo sequitur, contradictoriam esse veram, illum scilicet non posse satisfacere: satisfactio autem non respicit tantum honestatem actus, sed etiam eius iustitiam; qui autem obligationi iustitiae non satisfacit, ad restitutionem tenetur; 2° quia Sacerdos dividens stipendium, agit contra voluntatem dantis: voluntas enim dantis est, non solum ut Missa celebretur, sed ut pro tali stipendio celebretur. Neque enim gratuito erogare quidpiam ei vult, qui non celebrat. — *Ita S. Lig. n. 322.* inquiens, hanc sententiam esse tenendam. Cui autem fieri debeat restitutio, num danti scilicet eleemosynam, an celebranti, *controvertitur.* Potius celebranti facienda videtur. — *S. Lig., ibid.*

Quaer. 10° *An Sacerdos, cui offertur pingue stipendium pro hodierna Missa, possit, hoc retento, rogare alium Sacerdotem ut celebret pro ipso, promittens celebrare die sequenti pro eodem, qui pro ordinaria eleemosyna est celebraturus?*

Resp. Controvertitur. I^a Sententia *negat*, quasi hoc non possit excusari a specie turpis lucri (*a*). — *Ita S. Lig. n. 322. dub. 4.;* qui tamen addit, de gravi peccato damnandum id non videri.

(*a*) Pro hac opinione S. Alphonsus nil profert, nisi auctoritatem Concinae, qui rem prudentum iudicio remittit, si sacerdos sit pauper: quasi vero paupertas *speciem turpis lucri* auferre a sacris ministeriis queat! Caeterum secunda sententia non solum rationum soliditate et pondere auctoritatis longe est probabilior, sed et communissima piorum prudentumque sacerdotum praxi comprobatur.

** Plura invenerunt VV. (*Pag. 386-388.*), quae in hac Notula reprehenderent. Veruntamen admittunt (*Pag. 387.*), licitam per se esse hanc intentionum permutationem, etiam suis retentis ab utroque sacerdote stipendiis. Ita illi: *Non diffitemur, neque hoc reprobat S. Doctor, posse sacerdotem, per se loquendo, cum alio permutare intentionem, retento ab utro-*

IIª SENTENTIA *affirmat* cum *Lacroix, n. 134., et aliis.*

373. — QUAER. 11° *Quomodo taxandae sint Missae, pro quibus legendis testator summam aliquam pecuniae reliquit?*

Resp. Taxandae sunt iuxta loci consuetudinem vel dioecesis le-

que proprio stipendio. Et reipsa occasiones id ab alio sacerdote postulandi non sunt adeo infrequentes, ut contingit v. gr. si stipendium pro missa certo quodam die celebranda acceperis, qua die inopinato accidat ut vel pro infirmo, aut pro defuncto, aut pro sponso et sponsa, etc. celebrare missam debeas. Quandoquidem vero fatentibus VV., S. Alphonsus nihil reperit, quod in eiusmodi intentionis permutatione per se reprehendi possit, iam facile per se ea concidunt, quae ab VV. obiiciuntur.

Concina (*De Euch. Diss. 2. Cap. 6. §. 2. n. 16.*) sic de hac re: *Nec video, quomodo a specie turpis mercimonii hoc excusari possit. Eo enim haec dierum et Missarum permutatio tendit, ut lucrum maius pariat. Unicus permutationis finis est mercimonium.* Paulo obscurior est sensus, nam vox *mercimonium* per se idem significat, ac *merx.* Sed opem ferunt VV., qui *speciem* interpretantur pro *apparentia; turpe* vero *mercimonium* intelligunt (*Pag. 387.*) *turpe lucrum.* Illud interim satis mirum, quod anteactis temporibus nemo hanc turpitudinem viderit, quousque aliquid lucis mundo demum Concina intulerit! Notant VV. (*l. c.*), paucos ex Auctoribus hanc quaestionem attigisse. At vero cum et VV. ipsi, et S. Alphonsus (ut ipsi fatentur), nihil improbandum in hac missarum mutatione invenerint, nonne patet, idcirco ea de re vix ab aliquibus tractatum fuisse, quia nempe nulla suberat ratio, cur honestas eius in dubium vocaretur? Sed propius ad rem.

Missum nunc fiat, alias saepius subesse causas, uti diximus, ob quas hanc intentionis mutationem postulari contingit: nec solet alioquin inquiri, uter sacerdos maius acceperit stipendium. Sed enim cur denique est *turpe lucrum?* Respondet Concina : *quia maius lucrum quaeritur;* et VV.: *quia alium sacerdotem quaerit, ne iulium amittat.* At vero, quid si maius stipendium, quod sibi oblatum divina providentia sacerdos putet, servare velit, ut opem ferat infirmo, vel egenae vetulae subveniat, vel opus morale S. Alphonsi aut sibi emat, aut alteri sacerdoti donet? Nam intentionem, retento proprio stipendio, mutare, S. Alphonso probante, honestum est. Atqui etiam velle honesto medio uti ad pauperibus succurrendum, est honestum. Ubinam ergo turpitudo? Quod si VV. cum Concina sibi fingunt, inordinate, ob finem nempe minus honestum, id fieri; utique operantis finis per accidens adiunctus dicetur pravus, non vero opus in se spectatum.

Addunt VV. (*l. c.*): *In Nota iactari pondus auctoritatis; at quaenam sint istae auctoritates, non indicari.*

Resp. Quod per tot saecula unus extiterit *rigidissimus* (ut S. Alphonsus ait) Concina, qui *turpis,* ut inquit, *mercimonii* reatum hic invenerit, iam satis superque evincit, contra ipsum stetisse tum eos, qui quaestionem attigerunt, tum eos, qui nullam de hoc quaestionem esse movendam ipso facto docuerunt. Nonne et S. Alphonsus (ut VV. fatentur) reatum hac in re nullum reperit, nisi ad inordinatum quempiam finem, quo forte moveatur sacerdos, recurratur? Et omnium contra unum Concinam suffragium numquid non aliquod habet auctoritatis pondus?

Instant VV. (*l. c.*) aientes, mirari se, quod in Nota ceu minus cohaerens notetur, Concinam excepisse casum pauperis, *quasi scilicet paupertas speciem turpis lucri auferre possit.* Nam, inquiunt VV., si sacerdos pauper id agit, non lucri cupidine permotus agit, sed ut consulat necessitati; et tunc species turpis lucri reapse aufertur.

Resp. Haec Concinae excusatio illud confirmat, quod superius dictum est, haud recte traduci generatim uti reum illum actum, qui, per se cum

gem pro Missis privatis vigentem. Si autem taxavit ipse testator, sed infra loci morem, aut taxae receptae normam, ab Ordinario iuxta debitam proportionem Missae sunt reducendae. — Sic statuit *S. Congr.* apud *S. Ligorium n. 320.* — *Gousset, n. 295.*

QUAER. 12° *An Sacerdotes divites stipendium accipere possint?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia quisque operarius, sive dives sive pauper, mercede sua dignus est, ut dicit ipse Christus *Luc. 10. 7.*, et iuxta Apost. *1. Cor. 9. 13.* Aliunde si stipendium accipere non possint, et alioqui non tenentur sine stipendio celebrare, cum lex nulla adsit quae eos ad sic celebrandum obliget, saepius fideles Missas obtinere non poterunt. Constat insuper ex universalis Ecclesiae praxi. — *S. Lig., et alii communiter.*

374. — QUAER. 13° *An moderator diarii religiosi certum numerum Missarum a cliente* (abonné) *Sacerdote celebrandarum acceptare loco annui stipendii possit?*

Resp. Affirmative. Constat ex Declaratione *S. Poenitentiariae.* Cum enim moderator cuiusdam diarii religiosi a *S. Poenitentiaria* postulasset, *utrum tuta conscientia suum diarium dare possit Sacerdotibus ea conditione, ut celebrent numerum Missarum respondentem pretio, quod ab aliis pro diario solvitur? S. Poenitentiaria die 6. Octobr. 1862. praefato dubio mature perpenso, respondit: Affirmative, dummodo Missae celebrentur.*

Consequenter illicitum non est dare libros de rebus ad Religionem spectantibus pro Missis celebrandis, dummodo aequalitas inter Missarum stipendia ac pretium operum servetur. Eadem enim ratio currit tum pro folio periodico, v. gr. singulis mensibus edito, tum pro integris operibus, quae una vice eduntur et divulgantur.

indifferens censeri possit, bonus aut malus pro finis diversitate evadere potest. Neque enim sola paupertas honestum finem potest praebere Sacerdoti, ob quem stipendium sibi oblatum in suos usus servandum honeste iudicet. Quod vero huiusmodi actus per se honestus vocabulis illis invidiae plenis pingatur, *lucri, mercimonii,* id enimvero praestabat fervidae Concinae phantasiae reliquisse; neque enim eiusmodi dicacitates ceu rationes theologicae sunt habendae.

Addunt VV. (*l. c.*), nescire se, undenam constiterit, *pios, prudentesque sacerdotes communissime observare praxim a S. Alphonso improbatam.*

Resp. Quisquis non est in hoc mundo peregrinus, is plane novit, non infrequentes esse occasiones permutandi inter sacerdotes intentionem, ut voluntati offerentis stipendium pro missa statuto die celebranda satisfiat. Pii tamen prudentesque sacerdotes dum sic agunt, non praxim servant a ferventi Concinae ingenio *turpis lucri et mercimonii* coloribus depictam, sed eam, quam ipsi VV. testantur, a S. Doctore Alphonso non improbari.

Denique VV. memorant, S. Congregationem Concilii an. 1860 circa quaedam dubia de Missae stipendiis respondisse: *Consulat (orator) Theologos, praesertim S. Alphonsum de Ligorio, et Benedictum XIV, eorumque sententiis se conformet.*

Resp. 1° Inter dubia S. Congregationi proposita praesens quaestio haudquaquam reperitur. Ergo ad rem id non facit. 2° Nonne ipsi VV. fatentur, hanc praxim a S. Alphonso non improbari?

375. — Quaer. 14° *An Sacerdos ad bonos libros divulgandos possit per stipendium certis Missis a se celebrandis aequivalens eos emere et postea vendere pretio currente in librorum commercio, ita ut notabile lucrum inde percipiat?*

Resp. Neg., quia quaelibet negotiatio occasione Missarum celebrandarum ob turpis lucri speciem interdicitur (*a*). Constat etiam ex responsione *S. Poenitentiariae* die 19. Novembris 1863. Cum enim haec fuissent postulata: 1° *Sacerdos sub praetextu libros religiosos divulgandi, potestne, tuta conscientia, hos emere et postea vendere pretio currente apud bibliopolas, ita ut 20, 30 vel 40 pro centum lucretur?* — 2° *Potestne Missarum stipendia accipere pro venditis libris, et ementi offerre gratuito libros lucro percepto proportionatos?* — 3° *Idem Sacerdos potestne vendere praedictos libros aliis Sacerdotibus stipendio Missarum carentibus, cum obligatione Missas pretio horum librorum respondente celebrandi, ita ut ipse lucrum 30, 40 vel 50 pro centum obtineat?*

S. Poenitentiaria, praefatis dubiis mature perpensis, rescripsit, *quodlibet negotiationis vel mercaturae genus relative ad Missas celebrandas Sacerdotibus prohiberi Iure canonico*, et speciatim constitutione *Benedict. XIV. Apostolicae servitutis. Quod si praedicto Sacerdoti dubium quodpiam remaneat, illud S. Poenitentiariae exponat* (*b*).

(*a*) Iuxta praecedentis quaestionis solutionem perinde est, tum si pro libris acquirendis pretium rependas, tum si Missarum a te celebrandarum stipendia cedas. Ergo nihil huc pertinet circumstantia librorum, qui *concessis Missarum stipendiis* acquirantur. Turpitudinis ergo ratio petenda est ex *negotiatione*, quae Clericis per sacros canones interdicitur.

** Exinde cum propositum fuerit dubium, *an illicite agant ii, qui pro missis celebratis recipiunt stipendii loco libros vel alias merces, seclusa quavis negotiationis vel turpis lucri specie?* S. Congr. Concilii 9. Sept. 1874 respondit: *Negative.*

** (*b*) Huc faciunt responsa S.Congregationis Concilii 9. Septembris 1874.

1. *An turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis incitamentis et praemiis, vel alio quocumque modo, Missarum eleemosynas colligunt, et Sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros, aliasve merces rependunt?* S. Congr. Resp. *Affirmative.*

2. *An haec agendi ratio ita cohonestari valeat, vel quia nulla facta imminutione, tot Missae a memoratis collectoribus celebrandae committuntur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus, eleemosynis Missarum carentibus, subvenitur?* S. C. Resp. *Negative.*

3. *An huiusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandae et coercendae, ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum et incrementum impenditur?* S. C. Resp. *Affirmative.*

4. *An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam coercendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemo-*

376. — Quaer. 15° *An administratores Ecclesiarum possint aliquid sibi retinere ex missarum eleemosynis pro expensis altarium, luminum,* etc.?

Resp. Neg., nisi Ecclesiae alios reditus non habeant; et tunc

synas Missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem praemii nomine? S. C. Resp. *Affirmative.*

5. *An turpi mercimonio (concurrant), ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii, qui a dictis bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro missis celebrandis libros, aliasve merces, harum pretio sive imminuto sive integro?* S. C. Resp. *Affirmative.*

At enim (inquies) quomodo istae Resolutiones et praesertim haec quinta, cohaerent cum allatis superius (*n. 374 et Not.*), quarum altera e S. Poenitentiaria, altera ab eadem S. Congr. Concil., et quidem eodem die 9. Sept. 1874., prodiit?

Resp. Optime inter se Responsa cohaerent ratione habita gravium incommodorum, quae subesse, vel abesse possunt. Ut enim in hisce discutiendis animadvertendum fuit, in primis non negligenda est intentio eorum, qui Missarum stipendia offerunt. *Certe si fideles, Missarum stipendia offerentes, facultatem facerent, ut per sacerdotes Diariis nomen daturos celebrari illae possent, dubitandum non esset, Diariorum moderatores licite agere. Offerentium enim est praescribere non solum celebrationem, sed etiam celebrationis tempus, locum, et personas; facultatem autem concedere, ut per alios sacra peragantur, sine limitatione temporis vel locorum, ii tantum possunt, qui Missas adventitias tradunt. Sed non raro accidit, ut ad Diariorum Moderatores tradantur etiam Missae perpetuae, atque etiam ex dissitis regionibus: quo in casu, nisi qui eas fundarunt vel legarunt, permiserint, ut eae quovis tempore et loco litentur, qui transmittunt, ea facultate omnino carent. Alioquin vero piorum fundatorum mens, quorum plerumque pietas erga aliquod Sanctuarium vel Ecclesiam fertur, nisi expressa fuerit, non est facile praesumenda. Ex quibus apparet, quantopere dedeceat, ut Diariorum Moderatores, propria auctoritate, cui, quo loco, et quo tempore ipsis placuerit, Missas celebrandas committant, quasi eleemosynarum sint domini, qui eas pro lubito erogare valeant. Et magis adhuc improbanda videbitur haec agendi ratio, si animadvertatur, Moderatores hosce, ut petentibus satisfacere possint, non exiguum quendam Missarum numerum, sed ingentem earum cumulum necessario congerere sibi debere, contra mentem Benedicti XIV, qui in Apostolica Constitutione, quae incipit* Quanta Cura, *huiusmodi Missarum collectiones improbat, cum innumera ex iis incommoda evenire possint: inter quae illud prae caeteris adnotandum, fieri non posse, ut tot susceptis obligationibus intra breve tempus satisfiat.*

Hinc ratio patet, cur S. Congr. Conc. 24. Apr. 1875 ad Quaesitum seu Dubium, *An, et quomodo sustinendum sit Decretum Episcopi Calatanisiaden., absolute prohibens Sacerdotibus suae Dioecesis, ne libros vel Diaria religiosa pro Missis celebrandis vel celebratis recipiant in casu,* respondendum censuerit, *Negative in omnibus;* et nihilominus 9. Sept. 1874 in Resp. ad 5. sup. relato morem recipiendi libros pro celebrandis Missis improbaverit. Nimirum in postremo hoc casu cooperatio apparet ad improbatam ibi praxim colligendi et committendi Missas celebrandas; quae prava circumstantia alioqui cum abesse possit, hinc non generatim haec diariorum seu librorum receptionem pro celebratis Missis interdicendam esse censuit.

Quinimo ad dubium ipsi S. Congregationi denuo propositum, *An, et quomodo improbandi sint moderatores vel administratores Diariorum religiosorum, qui Sacerdotibus Missas celebrandas committunt, retento ex*

nullatenus excedi debet valor expensarum, quae pro ipso Missae Sacrificio necessariae sunt (*a*). — Ita statuit *S. Congreg. Concilii* (apud *Lacroix, n. 95. et S. Lig. n. 322.*). Archipresbyter autem non tenetur ad ministranda utensilia celebrantibus adventitiis, nisi expensis eorum solutis. — *Sic S. Congreg.* die 18. Martii ann. 1686. — *S. Lig. n. 322.*

QUAER. 16° *An restituere debeat, qui accepto stipendio ad Missam in altari privilegiato celebrandam, eamdem in alio altari celebrat?*

Resp. Negandum videtur; sed tenebitur ad lucrandam indulgentiam plenariam defunctis applicabilem, ut sunt indulgentiae *Viae Crucis*, etc.... Sic enim proportionata compensatio tribuitur. Si tamen stipendium maius ordinario ad hoc acceperit, excessum restituere tenetur. — *Ita S. Lig. n. 229. — Elbel, n. 210. — Sporer, n. 137. et 355.*

Si autem quis accipiat stipendium, ut celebret in loco certo, v. gr. ad Statuam miraculosam, vel in Sacello ut populus Missam audiat, vel certo tempore v. gr. die sabbati in honorem B. Virginis, ita ut locus et tempus per se intendantur, non potest retinere stipendium nisi Missam tempore et loco praescripto legerit (*b*). Ratio est, quia alias dans stipendium graviter invitus censetur. Secus vero, si tempus et locus per se non intendantur.

377. — QUAER. 17° *An obligatus ex stipendio ad celebrandum in altari privilegiato pro defuncto debeat legere Missam* de Requiem, *quando ritus id permittit?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia ad indulgentias lucrandas id requiritur. Diebus vero quibus prohibentur Missae *de Requiem*, Sacerdos lucratur indulgentias legendo Missam diei, ut pluries a *S. Congr.* declaratum est. Ita ad postulatum: *Utrum qui celebrant in altari privilegiato pro singulis diebus debeant semper uti paramentis nigris, diebus non impeditis, ut privilegii indulgentiam consequantur? respondit* S. Rit. Congreg. *Affirmative, die 11. Aprilis 1840* (*c*). — *S. Lig. n. 339.*

earum eleemosynis pretio Diariis ipsis respondente in casu? curr. An. 1875. Mens. Mai. responsum est: *Negative, dummodo nihil detrahatur fundatorum vel oblatorum voluntati circa stipendii quantitatem, locum, ac tempus celebrationis Missarum, exclusa quacumque studiosa collectione eleemosynarum Missarum, et dato, cui de iure, testimonio de secuta Missarum celebratione.* In quo S. Congregationis Responso simul incommoda indicantur, quorum causa alias eadem S. Congregatio hanc praxim improbaverat.

(*a*) Decretum addit et sequentia: *Et nihilominus eo etiam casu curandum est, ut ex pecuniis quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.*

(*b*) Haec postrema particula paulo severior forte videbitur; neque enim generatim eo usque protendenda videtur voluntas illius, qui eiusmodi pacta praestituit: quod et doctrina confirmat, quae seq. quaestione 18. proponitur.

(*c*) Iuxta aliud eiusdem S. Congr. responsum sacerdos ad lucrandam

QUAER. 18° *An obligatus ex stipendio ad legendam Missam de Requiem, vel votivam, satisfaciat si aliam Missam dicat?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia Missa eadem est quoad substantiam; et si adsit iusta ratio, nullum erit peccatum. Hinc si Rubricae non permittant ea die legi Missam vel *de Requiem* vel votivam, debet legi Missa diei, et sic vere satisfit obligationi. Qui autem absque legitima ratione id facit, a peccato veniali excusari non potest; nec propria devotio ut ratio sufficiens habetur. — *Ita S. Lig. n. 328.*, etc.

QUAER. 19° *An stipendium percipi possit pro Missa in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum celebranda?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia non omnes Sacerdotes tenentur hac die Missam applicare pro omnibus defunctis, imo nec celebrare obligantur. Possunt igitur Missam applicare ad libitum et pro omnibus defunctis in Purgatorio degentibus, vel pro aliquibus tantummodo. Constat ex Decreto *S. Congr.* die 4. Aug. 1663. Hoc autem posito, nihil prorsus obest, quominus stipendium pro Missa accipi possit. — *Ita communiter S. Lig. n. 338.* (*a*).

indulgentiam diem expectare debet, quo Missam de Requiem celebrare possit, dummodo tamen eiusmodi dies intra eam hebdomadam recurrat.

** (*a*) Quaestio fieri solet de sacerdote, qui Missam applicet pro eo, qui primus stipendium offerat. Qua de re S. Alphonsus scribit (*Lib. 6. n. 337.*): *Dicunt Lugo* (*De Poenit. Disp. 13. n. 137.*) *et Palaus* (*Tr. 22. Quaest. unic. Punct. 6.*) *applicationem Missae factam pro primo offerente esse validam, sed illicitam ex prohibitione Clementis VIII., quam promulgavit Paulus V. die 15. Nov. 1605., vetans hanc consuetudinem, tamquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis obnoxiam, atque a vetusto Ecclesiae more nimium abhorrentem. At probabilius, ut recte ait Croix Lib. 6. P. 2. n. 222., talis applicatio non solum erit illicita, sed saepe invalida, quia saepe accidet, quod Missa tunc dicatur pro causa, quae adhuc non existit, putà si stipendium offeratur pro liberatione a carcere, ab infirmitate etc., quae causa cum nunc non adsit, effectus Missae suspensus remanere deberet, quod non videtur credibile.*

Atqui hac in re S. Alphonsum decepit La Croix, dum sibi contrarium finxit Lugo, qui alioquin eandem cum illo doctrinam tradit. En verba Lugonis (*l. c.*): *De applicatione Missae sub illa conditione* (scil. pro eo, quem Deus nunc iam praevidet ipsi oblaturum primum stipendium etc.) *sunt duae sententiae satis communes, altera concedens esse validam, altera negans.... Posteriorem sequitur Diana cum aliis...., quorum tamen plures non loquuntur de illo casu, sed de applicatione anticipata Missae pro eo, qui postea primus venerit, non referendo conditionem ad scientiam Dei iam praesentem. Et quidem si prior sententia intelligatur cum moderatione quadam, scilicet quod sacerdos applicet sacrum hodiernum, non indifferenter pro quocumque primo venturo et oblaturo stipendium, sed pro primo, quem Deus iam videt oblaturum stipendium ad sacrum faciendum pro necessitate aliqua iam tunc existente, scilicet pro aliquo iam nunc defuncto, non pro necessitate postea futura; tunc speculative loquendo nihil est, quod impediat valorem talis applicationis, ut fateri videntur ipsi adversarii.*

Porro hoc ipsum est, quod post Vasquez, Aversa, etc. nec Croix, neque S. Alphonsus reiiciunt, dummodo videlicet causa, pro qua offeretur dein

APPENDIX

PRO SACERDOTIBUS SOCIETATIS IESU

378. — I. Sacerdos Societatis neque pro se neque pro alio stipendium Missarum, quas legit, acceptare potest. Idem servandum etiam de aliis quibuslibet sacris ministeriis. Constat ex *Instituto Societatis passim. Vide* praesertim *Epitomem nov. ed., p. 185. — Lacroix, l. 4. p. 136.*

II. Si pecunia pro Missis offeratur Sacerdoti Soc. vel Communitati, potest per Superiorem admitti, non quidem cum obligatione, sed cum promissione dicendi titulo gratitudinis aliquas Missas, vel etiam unam aut alteram singulis annis. *Ita Castropalao.* Sicque declarasse *Mutium Vitelleschi* Generalem testatur *Burghaber* centuriae 3. cas. 25. — *Lacroix, l. 6. part. 2. n. 146.*

III. Item potest pecunia accipi liberaliter oblata, et vicissim liberaliter possunt promitti Missae, ita tamen ut posterior promissio, non sit velut compensatio seu solutio reciproca quasi pro stipendiis, sed mero eleemosynae titulo pecunia admittatur; adeo ut offerens plane intelligat, accipi non posse alio nomine, et hoc eodem eleemosynae titulo ipse largiatur. — *Lacroix, l. 6. part. 2. n. 146.*

379. **Hinc resolves.** — 1° Sacerdos Soc., cui pecunia offertur pro Missis legendis, potest dicere offerenti, se Missas gratis lecturum ad ipsius intentionem, et vicissim rogare ipsum ut liberaliter applicare velit pecuniam oblatam ad hanc vel istam piam causam; sic offerens habebit duplicatum fructum: ordinarium scilicet Missae, deinde cooperationis ad illam piam causam. — *Ita* expresse *Lacroix, ibid.*

2° Titius Sacerdos Soc. legere potest Missas ad intentionem Sempronii Sacerdotis saecularis, qui stipendia pro Missis legendis acceperit, quando hic nec ea utpote consumpta restituere possit, nec satisfacere pro omnibus Missis; quia in istis circumstantiis Titius censetur gratis ex pura charitate Missas celebrare, uti ex declaratione *Claudii Aquaviva* colligit *Lacroix, l. 4. n. 138.*

3° Si Titius Sacerdos Soc. non recipiat quidem stipendium, attamen circa illud disponat, v. gr. dicat Caio: da stipendium huic pauperi, et ego ad intentionem tuam legam Sacrum; vel si dicat Sempronio: tu accepta stipendium, ego vice tui Sacrum legam;

stipendium, iam nunc existat. Quinimo cum Lugo (*l. c. n. 138. 139.*) censeat ea Clementis VIII. seu potius Pauli V. prohibitione comprehendi etiam casum, quo ipse validam putat applicationem, aliaque ipse incommoda in huiusmodi anticipata applicatione reperiat, forte videri severior potest etiam S. Alphonso, qui post Collet hanc anticipatam applicationem (*l. c. n. 337. in fin.*) nullo modo improbare videtur.

illicite agit, quia dum sic disponit circa stipendium per contractum *facio ut des,* virtualiter accipit stipendium illudque redonat alteri; quorum utrumque est contra votum paupertatis (*a*). — *Pellizzarius,* — *Lacroix, l. 4. n. 138.* — *Sanchez*, etc.

4° Si Paulus vir Soc. pro Cappellano ex fundatione obligato in canenda Missa suppleat, minime peccat, quamvis Cappellanus suos proventus recipiat, quia Paulus de nulla re disponit. Idem dicendum est, si concionetur, aut aliunde munus exerceat pro aliquo, qui inde consueta honoraria percipiat. — *Lacroix, l. 4. n. 139.*

380. — 5° Si Sempronius Parochus, accepto iam stipendio, roget Titium Sacerdotem Soc., ut pro eo suppleat in Missa legenda, Titius licite supplebit, modo nihil de stipendio disponat. — *Lacroix, l. 4. n. 139.* — *Vasquez.* — *Salas.* — *Castropalao,* contra *Sanchez.* — Ratio est, quia stipendium a Titio ne virtualiter quidem recipitur, cum nihil disponat circa illud, estque omnino indifferens illi, qui stipendium erogavit, a quolibet Missa legatur. — *Confirmatur:* si Titius iturus Parisios in favorem Sempronii, gratis ferret litteras, ad quas ferendas Sempronius esset mercede conductus, utique Titius non ageret contra paupertatem, nec censeretur sibi acquirere, et Sempronio donare mercedem. Ergo similiter in nostro casu. — *Lacroix, ibid.*

Dices: Sempronius non habet ius vel titulum retinendi illa stipendia, nisi mediantibus Missis Titii; ergo Titius legens Missas, confert illi ius et titulum retinendi stipendia, ac proinde idem est ac si stipendia acceptaret et daret Sempronio.

Resp. Neg. ant.; nam Sempronius ius et titulum retinendi habet vi contractus innominati: *do ut facias,* quo obligatur ad Missas legendas sive per se, sive per alium; hoc autem onere levatur a Titio, qui tantum ponit Missas velut conditionem, sine qua non posset Sempronius frui illo iure et titulo retinendi stipendia.—*Lacroix, ibid.*

Dices iterum: Saltem obstat Decretum VIII. *Congr. XII.* prohibens ipsimet Generali, ne Missas, quae ad eius intentionem cele-

(*a*) Casum primum sic intellige, ut Titius eo pacto strictam obligationem Caio imponat; nam si mere roget, ut ex liberalitate id Caius praestet, in id recidimus, quod in prima Resolutione definitum est, et rursus Resol. 5. definitur. Quoad secundum autem ratio illicitae dispositionis iuxta opinionem Mich. Vasquii, Ioan. Salas, et Castropalai contra Sanchez (*Vid. Lacroix Lib. 4. n. 139.*) facile cessat, quando Titius a Sempronio rogatus de aliqua Missa celebranda, hoc liberaliter faciat, nihil curans aut quaerens, num Sempronius stipendia pro iis Missis acceperit, num sibi ea retineat, etc. Quosdam potius illud movet, quo titulo Sempronius stipendia retineat forte accepta. Sed et haec difficultas (quae alioqui nihil attingit causam Titii Missas gratuito celebrantis) facilem habet solutionem. Tribuens enim stipendia hoc unum a Sempronio exigit, ut onus Missarum celebrandarum assumat. Quod autem ipse vel per se vel per alium satisfaciat, et hic alius aut exacto stipendio aut gratis celebret, nihil ille curat, nisi forte Sempronium ad Missas celebrandas elegerit, quia, ut ait cit. Lacroix, *creditur devotius legere.*

brantur a sacerdotibus Societatis, applicet secundum intentionem cuiuscumque alterius, qui inde lucrum reportare possit.

Resp. Neg. anteced.; nam in positivis non valet illatio a maiori vel a pari; adsunt autem rationes, cur haec prohibeantur Generali, non autem aliis, v. gr. necessitates Societatis, etc.: ergo illud Decretum quoad alios nihil facit. — *Lacroix, ibid.*

QUAER. *Quaenam in Soc. sit obligatio quoad Missas aut preces iniungi consuetas?*

Resp. 1° Religiosi Soc., qui preces et Missas iniunctas non persolvunt, *per se* loquendo non peccant, quia nullum stricte imponitur praeceptum, neque alia est obligatio, nisi ex Regula, quae *per se* sub peccato non obligat. — *Suarez, et alii communiter.* — Attamen peccabunt Superiores, si ex negligentia non curent, ut designentur qui Missas celebrent, vel orent, praesertim pro benefactoribus et fundatoribus. Sic responsum est Roma anno 1604. Non satisfaciunt vero Regulae, qui Missas legendas per alios legunt, quia est onus personale. — Sic responsum *Prov. Rheni ann. 1634* (*a*). — Attamen satisfacit rogans alium, ut vice sua hodie vel hac hebdomada celebret, alio ipse die vel alia hebdomada compensaturus. Item satisfaciunt, qui praevidentes difficultatem pro hebdomada sequenti, Sacra in hebdomada, quae praecedit, anticipant. — *Lacroix, l. 6. part. 2. num. 168.*

Resp. 2° Missae pro defunctis Soc. iniunctae non obligant sub mortali, sive determinentur per generales Ordinis Constitutiones, sive ex particularibus Regulis, sive ex Superiorum praescripto. Ratio est, quia ista habent tantum rationem simplicis mandati, nisi praeceptum obedientiae accedat. — Sic ex iudicio omnium, ut testatur *Pelliz. tom. 1. tract. 5. c. 9. n. 12.* — *Lacroix, ibid. n. 169* (*b*).

Resp. 3° Missae affixae tempori, v. gr. quae legi debent qualibet hebdomada vel quolibet mense, si hoc tempore ob impedimentum vel morbum non potuerint celebrari, non necessario postea supplendae sunt, sed omitti possunt. Sic responsum est *Prov. Rheni anno 1585.* E contrario si ex negligentia omissae sint, postea suppleri debent. — Sic responsum est *Prov. Tolosanae ann. 1629.* — *Lacroix, ibid. num. 171.*

(*a*) Ius viget in Societate, ut responsa Praepositi Generalis ad alicuius Provinciae postulata, nisi alibi rite promulgentur seu intimentur, pro ea tantummodo Provincia valeant, ad quam data fuerunt.

(*b*) Auctor haec ad litteram transcripsit ex Lacroix; Lacroix vero ex Pellizzario; sed huius textum obtruncatum exhibuit. Nam Pellizzarius eo loco hanc rationem reddit: *Quia praescriptio horum suffragiorum communiter non transcendit obligationem simplicis Regulae aut obedientiae, et consequenter habet rationem simplicis ordinationis.* Tum subdit, haec colligi ex Suarezio (*De Relig. Tract. 10. Lib. 8. Cap. 2. n. 5.*), qui propterea infert, *hasce obligationes non obstringere sub peccato.* Ergo excluditur et pressa obligatio sub levi, solaque superest obligatio Regulae, quae per se non obligat sub peccato.

Resp. 4° Si Missae vel preces indicentur ad tempus indefinitum, satis est eas dicere ad duos vel tres menses. — Sic responsum est *Prov. Neapol. ann. 1603. — Lacroix ibid. n. 172.*

CAPUT IV.

DE TEMPORE ET LOCO CELEBRATIONIS

ARTICULUS I.

DE TEMPORE CELEBRATIONIS

381. **Principia.** — I. Licet celebrare quotidie, imo laudabile id est, nisi obstet celebrantis indignitas, aut specialis Ecclesiae prohibitio. Prohibet autem Ecclesia, ne celebretur Missa in die Parasceves, seu Feria VI. Hebdomadae maioris; item ne absque necessitate plura Sacra fiant in eadem Ecclesia Feria V. et Sabbato eiusdem Hebdomadae. Sic ex variis Congregationis Rituum Decretis constat (*a*). — *S. Lig. n. 350.*

Non licet *ordinarie* et speciali privilegio secluso, celebrare ante auroram nec post meridiem, nec ante Officii matutini recitationem (*b*). Sic enim in Rubricis Missalis habetur: *Missa privata saltem post Matutinum et Laudes quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.* — Licet tamen Missam ante auroram inchoare, modo ante auroram non absolvatur. Licet pariter celebrationem ultra meridiem protrahere, modo saltem meridie incipiatur; tempus enim aurorae et meridiei non *mathematice,* sed *moraliter* accipiendum est. — *S. Lig. n. 341., et alii.*

III. Pari modo privilegium celebrandi una hora ante auroram vel post meridiem, intelligi debet de una hora ante vel post tem-

(*a*) Decreta ista cavent, ne praeter conventualem in Ecclesiis legatur ulla Missa privata. Quibus tamen decretis non interdicitur, quominus in Ecclesiis Regularium, qui privato oratorio careant, feria V. maioris hebdomadae alia Missa pro distribuenda infirmis Communione Paschali celebretur. Id tamen clausis ianuis faciendum praescribitur.

(*b*) Haec particula ex §. XV. non ad celebrandi horam sacerdotibus communiter praescriptam, sed ad ordinem inter Breviarii recitationem et celebrationem Missae pro canonicis, qui canunt in choro, servandum spectat. Quocirca subditur ibidem, quando alias post recitationem *Primae* aut *Tertiae,* aut *Sextae,* celebrari Missa debeat. Quoad aliam autem Rubricam (§. 1. *de Ritu servando,* etc.), ubi dicitur: *Sacerdos celebraturus Missam,... saltem Matutino cum Laudibus absoluto, Orationi aliquantulum vacet: et orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat;* adverti posset, quod sicut ad omittendas orationes, de quibus sermo, nemo adhuc censuit, necessarium esse *privilegium;* ita et de Matutini recitatione vi illius contextus existimari haud absurde posset.

pus pro aliis non privilegiatis assignatum: alioquin enim privilegium parum prodesset. — *Ita S. Lig. n. 346., et alii communiter.*

382. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An peccet graviter, qui celebrat ante auroram aut post meridiem?*

Resp. Affirm., si multum praeveniat, aut protrahat tempus ab Ecclesia statutum; secus vero, si mutatio sit levis; immo si iusta adsit causa, omni culpa vacabit. Qualis autem censeatur immutatio notabilis, *controvertitur*. Iuxta communiorem et probabiliorem sententiam gravis non habetur, nisi celebratio hora integra ante vel post tempus statutum incipiatur. — *S. Lig. n. 346.*

QUAER. 2° *Quandonam liceat tempus celebrationis antevertere?*

Resp. 1° In necessitate, v. gr. ut morituro ministretur Viaticum, quo casu liceret etiam media nocte celebrare. 2° Ubi est mos rationabilis, v. gr. ut opifices et famuli summo mane possint Sacrum audire. 3° Vi privilegii a Papa vel Episcopo concessi (*a*). — *Vide S. Lig. n. 343. et seq.*

QUAER. 3° *Quale peccatum sit celebrare Missam ante recitationem Matutini?*

Resp. Probabilius est peccatum veniale tantum, quia in hoc nulla apparet gravis deordinatio, nisi ex contemptu et habitualiter absque ulla causa fiat. Causa autem quaelibet rationabilis ab omni peccato excusat. — *Ita S. Lig. cum aliis communiter* (*b*).

383. — QUAER. 4° *An liceat saepius in die celebrare?*

Resp. Neg. generatim loquendo ex hodierna praxi Ecclesiae, licet olim prohibitum non fuerit. Constat ex variis locis Iuris can. et ex Decreto *Bened. XIV.* 16 Martii 1746.

Excipe 1° festum Nativitatis Domini in quo licet celebrare tres Missas; 2° si Pastor ante ablutionem moneatur de communicando infirmo, et suam iam Hostiam sumpserit, nec alius Sacerdos ieiunus reperiatur. *Ita communiter. — S. Lig. n. 351.*

QUAER. 5° *Quandonam liceat Missam bis in die celebrare de licentia Episcopi?*

Resp. Permittente Episcopo Missa bis ab eodem Sacerdote celebrari potest diebus Dominicis et Festis de praecepto, si gravis causa seu aliqua necessitas id exigat, non vero ob solam consuetudinem. — *Bened. XIV.* Const. *Declarasti nobis,* et Const. *Consuluisti de celebrat. Missae.* Fuit autem reprobatus a S. C. Rit. abusus bis ce-

(*a*) S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 344.*) alios addit casus, videlicet 1° *post Missam solemnem in festivitate, si solemnis protrahatur ad horam et amplius post meridiem, imo probabiliter etiam post duas horas...., ne magna pars populi Missa careat; 2° Ex causa itineris per horam post meridiem vel ante auroram; 3° Sic etiam causa funeris alicuius magnatis, vel concionis, vel publicae supplicationis.*

(*b*) S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 347.*) dicit, circa hanc quaestionem tres adesse DD. sententias; quarum secunda tenet nullam in hoc adesse culpam, *quia nulla apparet lex sub culpa hoc praecipiens; et rubrica est tantum de consilio, non de praecepto.* Vid. Not. praec.

lebrandi in eadem Ecclesia, in qua iam plura Sacra facta fuerant, et fuit responsum: *Non expedit, et est abusus eliminandus.—22. Maii et 11. Sept. 1841.*

QUAER. 6° *Quandonam censeatur adesse necessitas bis in die celebrandi?*

Resp. In triplici casu iuxta communem Theologorum sententiam, nempe 1° cum Parochus duas habet parochias regendas, nec incolae unius in Ecclesiam alterius se conferre possunt, nec habetur copia alterius Sacerdotis, qui in alterutra celebrare queat; 2° cum in eadem parochia aliqua pars populi nimis distat ab Ecclesia, et facile convenire posset in aliquod Sacellum, vel in aliam Ecclesiam; ad Episcopum Lingonensem an. 1847. responsum fuit, ad id sufficere, si communitas aliqua constans viginti personis uno milliario ab Ecclesia distet. —*Revue des sciences ecclésiastiques. Tom. 6. Juillet 1862, p. 93. 94.* 3° Cum populus in Ecclesiam parochialem nimis angustam confluere totus non potest, nec adest alius Sacerdos, qui aliam Missam celebrare possit: tunc enim Episcopus Parocho permittere potest, ut bis in eadem Ecclesia Sacrum faciat. — *V. Bouix, de Parocho, n. 470.* — Item *Revue des Sciences ecclésiastiq. ibid.*

QUAER. 7° *An qui binas Missas celebrat possit duplicatum stipendium accipere?*

Resp. Neg.; idque stricte prohibuit Pius IX. — *Ita S. C. Conc.* 25. Sept. 1858. *in una Galliarum.* — An vero supplementum pensionis, quod plerumque tribuitur Sacerdoti binas Missas celebranti *intuitu defatigationis,* habeat rationem stipendii?

S. Congr. Conc. respondit *negative* mense Martio 1861.

QUAER. 8° *Liceretne in hoc casu duplex stipendium accipi ea lege, ut alterum stipendium in pium usum expendatur?*

Resp. Negative sine Indulto Summi Pontificis, quod quidem Pontifex Archiepiscopo Coloniensi concedere noluit. — *Ita S. C. Conc.* 21. Martii 1863.

384. — QUAER. 9° *An liceat in nocte Nativitatis Domini celebrare omnes tres Missas ante auroram?*

Resp. Neg. sine licentia Episcopi ex iusta causa, vel sine indulto Apostolico. Id enim expresse prohibet Rubrica Missalis, quae sic habet: *Prima Missa dicitur in nocte; secunda in aurora; et tertia in die.* Constat etiam ex Decreto *S. Congr. Rit.* edito *die* 18. Decemb. 1702. quod ita se habet: *Non licet in media nocte Nativitatis Domini celebrare successive duas alias* (Missas) *et Communionem sacram exhibere. — S. Lig. n. 343.*

QUAER. 10° *Per quale temporis spatium Missa lecta durare debeat?*

Resp. Regula generalis est, Missam nec longiorem esse debere dimidia hora, ne adstantes taedio afficiantur, nec breviorem tertia horae parte, quia secus non poterit decenter celebrari. Non excusabis autem a peccato mortali Sacerdotem, qui sacrum faciens non attingat horae quadrantem, iuxta illud distichon usu receptum :

Uno si fuerit brevior tua Missa quadrante,
Mortalis culpae crederis esse reus.

Rationem affert *S. Ligorius*, quia tam brevi spatio committere necessario debet duos graves defectus, alterum gravis irreverentiae erga Sacramentum, alterum gravis scandali erga populum. Optandum est autem, cunctisque Sacerdotibus enixe commendandum, ut in Sacro faciendo dimidiam horam expleant (*a*).

385. — QUAER. 11° *Quantum temporis, peracto Sacro, gratias Deo agendo impendi debeat?*

Resp. Nulla datur regula omnino certa. Sed benigniores quartam horae partem saltem requirunt. — *S. Lig.* enixe suadet, ut saltem semihora huic pio exercitio impendatur a Sacerdote, qui fidelibus exemplum praebere debet (*b*). De ea re S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 400.*),

ARTICULUS II.

DE LOCO CELEBRATIONIS

386. **Principia.** — I. Non licet communiter celebrare, nisi in Ecclesia, eaque consecrata vel saltem benedicta, quae non sit polluta, execrata aut interdicta. Constat ex Conc. Trident. *sess. 22. Decreto de observandis et vitandis in celebratione Missae.*

Quoad Ecclesiam pollutam et execratam vide infra *Quaer.* 2° et 3°. De Ecclesia vero interdicta in *Tractatu de Censuris* versus finem dicemus *n. 1002. et seq.*

(*a*) De ea re ita S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 400.*): *Exclamant Concionatores, exclamant Scriptores recte docentes, quod Missae absolutio infra quadrantem non potest excusari a culpa gravi; sed quot sunt ii qui curam habent haec vitandi? Huiusmodi corruptela non quidem calamo, sed lacrymis esset persequenda, dum quotidie cernimus maximam partem Sacerdotum hoc tremendum Sacrificium peragere peius quam tractant res temporales levioris momenti, ita oscitantes ut nullam de tanto mysterio fidem habere videantur.*

(*b*) Ita S. Alphonsus (*Prax. Confess. n. 156.*): *Curet* (*Confessarius*) *insinuare* (*poenitenti*) *ut post Communionem immoretur in gratiarum actione pro eo tempore quo potest. Paucissimi sunt Directores qui sedulo id faciant, scilicet inculcare suis poenitentibus ut per aliquod notabile tempus post susceptam Eucharistiam gratias agant, et ratio est quia paucissimi sunt Sacerdotes qui post Missae Sacrificium cum Iesu Christo in gratiarum actione subsistant; et ideo pudet eos aliis insinuare quod ipsi non faciunt. Gratiarum actio ordinarie per integram horam durare deberet, fiat saltem per dimidiam, in qua anima in amando et petendo se exerceat. Dicit S. Theresia quod post Communionem Iesus existit in anima tanquam in throno misericordiae, ut illi gratias elargiatur, dicens: Quid vis ut tibi faciam? Et alibi: Post Communionem non omittamus tam praeclaram opportunitatem negotiandi. Non solet sua divina Maiestas male rependere hospitium, si bene in anima excipiatur.*

II. Episcopus non potest amplius, ut olim, concedere facultatem celebrandi in domibus privatorum, neque in Oratorio privato. *Trid. sess. 22. in Decr. modo citato.* Constat etiam ex declaratione *S. C. Conc.* 27. Maii 1617. 23. Ian. 1847. in qua dicitur: *non licere ulli Episcopo huiusmodi licentias concedere, ne pro actu quidem transeunte; hanc facultatem esse soli Rom. Pontifici reservatam (Revue des Sciences eccl. Sept. 1862. tom. 6. p. 265.).* Hinc sequitur, temperandam esse doctrinam S. Ligorii paulo magis Episcopis faventem (*a*). Excipitur tamen, si graves adsint causae et urgentes, et per modum actus transeuntis tantum. — *S. Congr. Conc. modo cit.* 27. Maii 1617. et 20. Decemb. 1856.

III. Potest tamen Episcopus facultatem concedere Sacrum faciendi in Oratoriis publicis, et ibi peragendi caeteras functiones sacras, quae non sunt stricte parochiales. Attamen permittere non potest, ut ibi asservetur SS. Eucharistia absque Pontificis Indulto, nisi adsit immemorabilis consuetudo: ita *S. C.* 27. Aprilis 1709. Privilegium tamen est Regularibus vota solemnia emittentibus, ut SS. Eucharistiam in suis Ecclesiis asservent.

387. **Quaesita.** — Quaer. 1° *In quibus Oratoriis Episcopi possint dare licentiam celebrandi?*

Resp. Permittere possunt, ut id fiat in omni loco religioso et pio. Locus autem *religiosus* ille dicitur, in quo pietatis et misericordiae opera exercentur, et Episcopi aut alterius Praesulis ecclesiastici auctoritate erectus est. Talia sunt monasteria, quaelibet religiosae Communitates, Seminaria, etc.... Locus vero *pius* ille vocatur, qui ad pietatis et misericordiae opera constituitur, et deputatur etiamsi sine Episcopi aut ecclesiastici Praesulis auctoritate. Unde Hospitalia et Orphanotrophia quaelibet haberi debent ut loca pia, in quibus proinde Episcopus permittere potest erectionem Oratorii, etiamsi eiusmodi loca a potestate civili erecta et constituta fuerint (*b*). — *Sic S. C. Conc.* 27. Martii 1847. — Recole dicta *de Oratoriis privatis et publicis, tom. 1. n. 348.*

388. — Quaer. 2° *Quomodo Ecclesia polluatur, et quomodo reconciliari debeat?*

Resp. ad 1um *Polluitur,* seu *violatur* Ecclesia, quando in ea exercentur actiones quaedam turpes vel indecentes et loco sacro iniuriosae, ob quas indecens reputatur, ut ibi offeratur Hostia immaculata, et divina Officia celebrentur, donec reconcilietur.

(*a*) Ego vero nescio, cur S. Alphonsus dicatur plus aequo Episcopis hac in re favere. Nam (*Lib. 6. n. 359.*) solum *in casu necessitatis,* vel *ob iustam causam,* et *per modum actus transeuntis* facultatem dispensandi Episcopis attribuit, idque gravissimis atque omnino pluribus praeeuntibus doctoribus affirmat, adeo ut potuerit concludere, eam doctrinam posse communem appellari. Porro hoc ipsum est, quod et Auctor hoc loco proponit.

(*b*) Adde et Oratoria, quae in carceribus erigantur, utut carceres *pia loca* dici non soleant.

Polluitur itaque Ecclesia 1° per homicidium voluntarium et iniustum (*a*); 2° per effusionem sanguinis humani ex percussione, aut vulnere graviter iniurioso; 3° per effusionem humani seminis voluntariam (*b*); 4° per sepulturam non baptizati, seu infidelis. Excipe probabilius, si sit catechumenus; quia non censetur infidelis. Item si sit infans, cuius parentes sint christiani, quia tunc parentes pro ipso Baptismum desiderant. —*Ita Pichler.* — *Gousset, n. 310.* contra *alios;* 5° per sepulturam baptizati nominatim excommunicati; non vero si sit quidem excommunicatus, sed non vitandus. De his constat ex Iure canonico. — *Vide S. Lig. n. 362.* Sed ut Ecclesia censeatur polluta, haec crimina debent esse notoria, ita ut nullo modo celari possint. Debent etiam patrari in ipsa Ecclesia, non vero tantum in turri, tecto, in sacristia, aliisve cameris Ecclesiae adhaerentibus. — *S. Lig. n. 362. et 364.*

389. — *Resp.* ad 2um 1° Si Ecclesia fuit tantum *benedicta,* reconciliari potest a Sacerdote delegato ab Episcopo cum orationibus consuetis, et cum aqua ab Ordinario benedicta. Si tamen talis aqua facile non haberetur, ab ipso Sacerdote delegato ad Ecclesiam reconciliandam benedici posset. — *S. Lig. n. 363* (*c*).

2° Si vero Ecclesia illa fuerit *consecrata*, reconciliari debet ab ipso Episcopo, vel a Sacerdote delegato a Papa iuxta ritum Pontificalis Romani. Attamen si non possint omitti divina Officia sine gravi incommodo, Episcopus aliquo impedimento detentus delegare potest Sacerdotem ad Ecclesiam benedicendam simplici benedictione, donec ipse eam consecrare possit. — *Cabassut,* etc.

Oratoria autem privata, licet benedicta et ad cultum deputata, non censentur pollui; et ideo reconciliatione non indigent.

390. — Quaer. 3° *Quomodo Ecclesia execretur, vel ad cultum idonea reddatur?*

Resp. 1° Ecclesia execratur, cum amittit suam benedictionem,

** (*a*) Bene advertunt VV. (*Pag. 933. n. 99.*) petendum ex Busembaum esse (*Lib. 6. Tr. 3. C. 3. Dub. 4. Res. 1.*) quousque se protendat hoc loco homicidium *iniustum.* Sic autem Busembaum ex Lugo: *Ecclesia, uti et coemeterium, violantur seu polluuntur...* 1. *Per factum in ea homicidium mortaliter malum, seu iniuriosum, saltem immunitati Ecclesiae, quale etiam est, quod alias iustum esset per sententiam iudicis: nisi tamen Reipublicae perturbator aliter capi non posset.*

(*b*) Intellige *illicitam* vel per se vel ratione loci sacri. Non pollueretur igitur per copulam maritalem, quando iusta adesset causa eam habendi, v. gr. ad vitandam incontinentiam. *Vid. alibi dicta, ubi de Sacrilegio.*

** (*c*) S. Alphonsus (*l. c.*), ut bene advertunt VV. (*Pag. 933. n. 100.*), non dicit, aquam ab ipso sacerdote benedici posse, *si aqua ab Ordinario benedicta facile non habeatur;* sed post alios AA. dicit absolute: *Aqua autem potest benedici ab ipso sacerdote. Imo* (subdit) *Benedictus XIV De Synod. Lib. 13. c. 15. n. 2. ait: Si simpliciter benedicta* (*Ecclesia*) *fuerit, tunc idem Gregorius IX* (*in Cap. Si Ecclesia De Consecr. Eccl.*) *statuit, nulla praeobtenta delegatione per simplicem sacerdotem, adhibita aqua benedicta, quam sanctam sive lustralem vocant, posse Ecclesiam pollutam reconciliari.*

vel consecrationem. Censetur autem execrari, quando totaliter vel ex maxima parte corruit, vel destruitur, ita ut de novo, saltem ex maiori parte, aedificari debeat, aut si omnis parietum crusta, vel maior saltem pars simul auferatur. — *S. Lig. n. 368.*

Resp. 2° Ecclesia execrata, iterum benedicenda vel consecranda est, iuxta ritum et formam praescriptam pro benedictione vel consecratione Ecclesiarum.

Altare autem fixum consecrationem amittit, cum mensa seu lapis superior a stipite suo amovetur. — *Sic S. Congr. Rit.* 15. Maii 1819. Altaria sive portatilia sive fixa suam consecrationem amittunt per fractionem tumuli, in quo reconduntur sacrae Reliquiae, vel per earumdem amissionem. — *S. Congr. Rit.* 23. Septemb. 1848. Nec sufficit in illis tumulari alias Reliquias authenticas; sed altaria denuo sunt consecranda. — *Sic S. Congr. Rit.* 7. Decemb. 1844.

Demum vasa sacra, et aliae res consecratae execrantur, quando formam suam amittunt, nec amplius ad usum inservire possunt.

Ex dictis porro patet, quale sit discrimen inter pollutionem Ecclesiae et eius execrationem. Polluta Ecclesiae parte, integra Ecclesia pollui censetur, etiam cum coemeterio adiacente. E contrario execrata Ecclesia, non ideo execratur coemeterium, nec altaria fixa et integra consecrationem amittunt.

CAPUT V.

DE MODO CELEBRANDI

Nempe 1° de requisitis ad Missam; 2° de Rubricis.

ARTICULUS I.

DE REQUISITIS AD MISSAM

391. — Haec requiruntur: 1° altare lapideum, fixum vel portatile, ab Episcopo consecratum; 2° mappa triplex ex lino vel cannabe confecta; 3° vestes sacrae, seu ab Ordinario benedictae; 4° calix et patena consecrata; 5° corporale lineum vel ex cannabe, ab Ordinario benedictum; 6° palla pariter linea vel ex cannabe; 7° purificatorium lineum; 8° Missale cum pulvillo; 9° Crucifixus, non vero sola crux; 10° candela duplex accensa ex cera; 11° bursa, velum, manutergium, ampullae vitreae; 12° minister masculus.

Vestes porro benedicendae ab Ordinario sunt *amictus, alba, manipulus, stola, casula*, et probabilius etiam *cingulum*. Caetera paramenta benedictione non indigent. Cum corporali autem probabilius benedici debet et palla: secus autem dicendum est de

purificatorio *ex decret.* 7. *Septembr. 1816* apud Gardellin. n. 4376. Quoad mappas Vid, Quaest. — *Vid.* ˋ. *Lig. a n. 376. ad n. 389.*

Quod candelas autem attinet, in Missis privatis non licet plures, quam duos cereos accendere, nisi celebret Episcopus, vel nisi solemnitas quaedam extraordinaria aut SS. Sacramenti expositio maiorem numerum exigat. — *De Herdt.*

392. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An mappae necessario debeant esse benedictae?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia id in Rubrica praescribitur, et quidquid dicant nonnulli, non apparet ratio sufficiens agendi contra Rubricam, qua sic statuitur: *Altare operiatur tribus mappis.... ab Episcopo vel ab alio habente potestatem benedictis.* Celebrare tamen supra mappam non benedictam, culpam venialem non excedit, et proinde urgente rationabili causa omni culpa caret, iuxta *S. Lig. n. 375.*

QUAER. 2° *An sit mortale celebrare sine ulla veste sacra, aut sine stola, vel alba, casula, manipulo vel cingulo?*

Resp. 1° Est mortale celebrare sine ulla veste sacra in omni casu ex quacumque causa. 2° Item celebrare sine casula, vel alba, aut stola et manipulo simul. 3° Probabiliter non est mortale celebrare sine manipulo, vel sine manipulo benedicto. Item celebrare sine amictu, saltem pro iis qui illo non utuntur ad tegendum caput, sed tantum humeros. Idem etiam dicendum de celebratione sine cingulo (*a*); unde ab his omnibus causa rationabilis facile excusat.

** (*a*) Auctor ista sumpsisse videtur ex Busembaum (*Lib. 6. Tr. 3. C. 3. Dub. 5. n. 3.*), qui postquam dixit, quod Filliuccius *concedit, in necessitate sine una vel altera ex minoribus* (*vestibus*), *v. gr. stola vel cingulo, celebrare, non esse mortale*, subdit: *Vide Dianam,... ubi contra Filliuc. et Henr. cum aliis sex docet esse probabile, quod ex parvitate materiae excusari possit a mortali, qui* (*secluso scandalo et contemptu*) *aliquam harum* (scil. vestium minorum) *citra necessitatem omittit.* Porro cum parvitas materiae a tanto excuset, sed non a toto; ergo Dianae sententia eo recidit, ut omissio cuiuspiam ex minoribus (secluso contemptu et scandalo) venialis sit culpa. Quod vero concedit Filliucci, in necessitate *non peccari ob id mortaliter,* intelligi potest, immo et debet, quod excuset etiam a veniali. Neque enim rationi consonat, gravem obligationem cessare necessitatis causa, et nihilominus manere obligationem levem. Et sic videntur intelligendi illi, qui statuunt cum Suarez (*Disp. 82. Sect. 3. Dub. 1. in fin.*), quod *praetermittere in casu necessitatis unum vel alterum ex his vestimentis praesertim minoribus, ut stolam vel cingulum, viri graves censent, non esse peccatum mortale.*

Quod autem attinet ad levitatem culpae ob materiae levitatem, etiam S. Alphonsus memorat sententiam Escobar, qui (*Lib. 21. Sect. 2. n. 485.*) haec habet: *Censeo cum communi Doctorum, omissionem cuiuslibet sacrae vestis sufficientem esse peccati mortalis materiam.... Fateor tamen, primam sententiam satis esse probabilem. Nam cum gravitas obligationis circa hanc materiam, vel illam, multum pendeat ab arbitrio prudentum, et tot viri prudentes arbitrentur, obligationem gerendi cingulum vel manipulum esse levem; probabiliter quis potest ipsorum arbitrio adhaerescere.* Primam autem sententiam sic idem Escobar refert (*l. c. n. 483.*): *In*

393. — Quaer. 3° *An color vestium sit de praecepto?*

Resp. Affirm., quia omnes Rubricae, quae respiciunt caeremonias Missam concomitantes, ut praeceptivae habentur (*a*). Attamen haec Rubrica obligare sub gravi non videtur, nisi scandalum adsit, v. gr. si die Paschatis vel alio solemni Missa celebraretur vestibus nigris. Hinc causa non adeo gravis ab hoc praecepto excusare potest. — *S. Lig. n. 378.*

Quaer. 4° *Quinam colores in paramentis requirantur?*

Resp. Requiruntur paramenta *albi, rubri, viridis, violacei* et *nigri* coloris. — Omnino reprobantur paramenta ex telis sericis vitreis confecta. Sic *S. Congr. Rit.* 11. Sept. 1847. *in Atrebatensi.* — Pariter reprobantur paramenta varii coloris (gallice *de toutes couleurs*), quae propter flores cuiusque coloris immixtos non pauci volunt, omni festo posse adhiberi. Haec *S. Congreg. Rit.* prohibuit die 23.

quolibet praecepto, praesertim humano, materiae levitas a mortali excusat. Ergo excusabit in isto, quod humanum est, et non ad substantiam sacrificii, sed ad ornatum pertinet. Et allatis huius sententiae patronis, addit: *Hi consequenter asserunt, celebrare cum cingulo vel manipulo non benedicto, veniale peccatum esse ob materiae levitatem. Quod non improbabile censent Lugo et Aversa.*

Quod demum Gury ait in fine, ab his omnibus, scilicet venialibus culpis, *excusare causam rationabilem,* intelligendum videtur de illa necessitate, ob quam Suarez, ut dictum est, cum aliis itidem excusabat. Equidem hac de re sic disserit Tamburini (*meth. celebr. Miss. Lib. 1. C. 3.* §. *1. n. 4.*): *Gradus necessitatis non est hic valde districte accipiendus. Quare necessitas audiendi, et celebrandi Sacrum die festivo, fervor devotionis, et tentatae voluntatis tentationem eo remedio superandi, imo et sacerdoti non diviti opportunitas eleemosynae, satis superque, in praedicta parvitate, etiam a veniali celebrantem excusabit.* Quam quidem doctrinam S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 377.*) non improbat, imo ut probabilem tradit.

Quocirca haec responsio Gury fere cum doctrina S. Alphonsi convenit, quam alioquin VV. (*Pag. 933. n. 101.*) opponunt. Dixi fere; nam quaedam dissensio solum de manipulo apparet. Qua in re si Gury placuit, Suaresii, aliorumque gravium Doctorum iudicium sequi, id enimvero et VV. aequo animo ferre possunt.

(*a*) Generale hoc principium circa obligationem Rubricarum propriam utique ceu probabilius habet S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 378. Dub. 5.*); verum, ut alibi diximus, hoc ipsum alii DD. negant. Utcumque sit, principium *mere probabile* non est eiusmodi, ut firmiores inde conclusiones deduci queant: hic ergo praeceptum seu obligationem habemus mere probabilem. Adde autem, quod ipse S. Alphonsus (*l. c.*) pro sententia negante strictam circa usum colorum obligationem, Doctores affert sane plures, quam pro affirmante. Caeterum idem S. Alphonsus post Lacroix (*Lib. 6. P. 2. n. 340.*) laudat sententiam Sporer, *satius nempe esse quocumque die facere sacrum in quocumque colore, quam illud omittere;* hinc (subdit S. Alphonsus) *recte* (Sporer) *dicit, a fortiori excusare omnem rationabilem causam.* Exinde poterit quispiam concludere, quod si Missam votivam, ut satisfacias obligationi, celebrare debeas, ecclesiae autem rector ad vitandam incongruam, ut obiicere solent, colorum diversitatem congrua tibi paramenta dare nolit, consilio Sporeri tuto uti poteris: praesertim quia licet praeceptum aliquod heic vigere teneas, tamen etiam Auctor monet, ab eo causam non adeo gravem excusare posse.

Sept. 1837; atque adeo illum colorem tantummodo repraesentare possunt, qui primarius est et praedominans.

Prohibentur omnino paramenta *flavi* et *caerulei* coloris. — *Sic S. Congr. Rit.* 12. Nov. 1831. — Permittuntur tamen paramenta ex aurea tela (*drap d'or*), quae iuxta usum *Urbis* pro albo et rubro colore adhibentur.

394. — Quaer. 5° *An calix et patena sub gravi vel sub levi tantum consecrari debeant; et ex quanam materia sint conflanda?*

Resp. ad 1um Consecrari debent *sub mortali*; praeceptum enim circa rem gravem versatur. — *S. Lig. n. 379.* — *Gousset, n. 323.*

Resp. ad 2um Ex praesenti disciplina, calicis saltem cuppa debet esse aurea, vel argentea intus inaurata. In casu vero necessitatis calix ex stanno vel ex cupro adhiberi posset. Patena esse debet ex auro, vel argento inaurato.

Quaer. 6° *An calix et patena consecrationem amittant, si inauratio pereat?*

Resp. Affirm. (*a*). Igitur post novam deaurationem consecratione nova indigent. Sic ex recenti Declaratione *S. Congr. Rit.* die 14. Iunii 1845. Roganti enim Leodiensi Episcopo, *utrum calix et patena suam amittant consecrationem per novam deaurationem, et sic indigeant nova consecratione,* S. Congr. respondit, *Affirmative, amittere nimirum, et indigere iuxta exposita.* Exinde controversia dirimitur, quae prius existebat.

Ceu abusus autem habendum est, quod Sacerdos *execrari* velit praedicta vasa sacra, antequam ea reficienda vel iterum refundenda tradat artifici. Debent ergo ei tradi, si opus sit, quin Sacerdos vel directe manu, vel aliquo mediante instrumento conetur ea execrari. — *Sic S. Congr. Rit.* in Decreto gen. die 23. April. 1822.

395. — Quaer. 7° *An alba, amictus, mappulae, corporale, purificatorium, palla necessario debeant esse ex lino vel cannabe?*

Resp. Affirm. quoad omnia. Sic ex praxi et praecepto Ecclesiae. — Attamen ex Decreto generali *S. Congr. Rit.* die 19. Maii 1819. *amictus, albae, mappulae,* si quae ex gossipio haberentur, adhiberi interea poterant, usquedum consumerentur, non renovandae tamen, nisi ex lino vel cannabe. Praecipiebatur vero, ut *corporalia, pallae, purificatoria* post lapsum unius mensis a publicatione Decreti tantummodo linea vel ex cannabe confecta adhiberi possent.

396. — Quaer. 8° *An pyxis necessario consecrari debeat?*

Resp. Neg. cum sententia veriori et communi. Ratio est, quia in Rituali Romano benedictio pyxidis inter ea recensetur, quae non

** (*a*) Auctor affirmatione hac absoluta non tam videtur voluisse quaestionem solvere de calice in statu amissae inaurationis, quam de statu eiusdem, prouti necessaria deauratione, qua indiget, est denuo perficiendus, videlicet de statu, in quem necessario transire debet. Nam alioquin satis constat, in quaestione, an calix et patena, si inauratio pereat, eo ipso exsecrati maneant, Doctores inter se dissentire: et communiorem esse sententiam, quae id negat. Vid. S. Alph. *Lib. 6. n. 370. Dub. 1. et 2.*

indigent unctione chrismatis. — *S. Lig. n. 384.* In praxi tamen iuxta probabiliorem sententiam consulendum est, ut pyxis benedicatur. Hoc enim et Rubricae conforme est et rationi. – Idem dicendum est de circulo seu lunula, in qua reponitur Hostia consecrata, cum in Ostensorio exponitur. — *S. Lig. n. 385.*

QUAER. 9° *Quale peccatum sit celebrare cum corporali non benedicto?*

Resp. Hoc excusari nequit a mortali, nisi urgeat gravis necessitas celebrandi. In casu autem necessitatis posset etiam sine corporali celebrari. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 386.* Pariter mortale est uti corporali valde immundo; veniale vero si valde immundum non sit. Imo in necessitate, nempe si urgeat praeceptum audiendi Sacrum, nullum esset peccatum. — *S. Lig. n. 376.*

397. — QUAER. 10° *An sit mortale celebrare sine palla, vel cum palla non benedicta?*

Resp. Controvertitur. Iª SENTENTIA probabilis *affirmat.* Ratio est, quia olim palla erat ipsum corporale, quo calix operiebatur: unde licet nunc sit separata a corporali, aeque necessaria ea est, ac illud.

IIª SENTENTIA, ipsa quoque probabilis, *negat.* Ratio est, quia hodie non eadem currit ratio reverentiae pro palla ac pro corporali, quod immediate sacras Species tangit. In necessitate, palla deficiente, purificatorium aut bursa ad calicem operiendum adhiberi potest. — *Vide S. Lig. n. 388.*

QUAER. 11° *An liceat uti palla panno serico cooperta, et auro contexta?*

Resp. Affirm. Licet enim id probibeatur, rogantibus tamen pluribus Galliae Episcopis, concessum est, ut adhiberi possit. Hinc ad postulatum: *An non obstantibus Decretis a* S. Congr. Rit. *editis, liceat uti palla a parte superiori panno serico cooperta, et auro contexta?* Respondit S. Congregatio: *Permitti posse, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris, aut referat aliqua mortis signa.* Die 10 Ianuarii 1852.

QUAER. 12° *An purificatorium sit benedicendum?*

Resp. Neg. cum sententia communiori et probabiliori. Ratio est, quia in Rituali nulla adest benedictio propria purificatorii, sicut nec veli, nec bursae. Imo si purificatorium facile haberi non possit, probabiliter licitum est celebrare sine eo, eiusque loco adhiberi posse strophiolum mundum, quod postea ad profanum usum non adhibeatur. — *S. Lig. n. 389.* — *Suarez.* — *Gavantus,* etc.

398. — QUAER. 13° *Quale peccatum sit celebrare sine ministro?*

Resp. Est mortale iuxta omnes. Attamen communiter dicunt Doctores, licitum esse celebrare sine ministro, urgente necessitate ministrandi Viaticum. Idem concedunt alii, ut populus audiat Missam de praecepto. — *Ita Lugo.* — *S. Lig. n. 319.,* etc. (*a*).

(*a*) Dispensari tamen hac in re a Romano Pontifice etiam citra necessitates in textu adnotatas, posse et subinde solere, exempla quaedam suadent.

QUAER. 14° *An Sacerdos aliquando celebrare possit, respondente muliere?*

Resp. Affirm., si necessitas urgeat, praesertim apud moniales, modo mulier respondeat a longe, nec immediate ministret ad altare porrigendo urceolos, etc.; hoc enim non posset excusari a mortali, quia Ecclesia omnino interdicit mulieribus celebranti ministrare. — *S. Lig. n. 392.* — Confirmatur Decreto *S. Congr.* die 26. Aug. 1836. Ad postulatum enim huiusmodi: *Potestne Sacerdos, omnibus prius sibi commode dispositis, quae ad Sacrificium occurrere possunt, ne mulieres inserviant altari, uti ministerio mulieris tantum pro responsis?* Sacra Congr. Rit. respondit: *Affirmative, urgente necessitate.*

399. — QUAER. 15° *An sit mortale celebrare sine cruce; et qualis crux esse debeat?*

Resp. ad 1um *Neg.:* hoc enim grave non apparet. — *Ita communiter Theologi.*

Resp. ad 2um Crux, quae requiritur in celebratione Missae, non debet esse exigua, sed praeeminere inter candelabra, ita ut Sacerdos et populus facile et commode eam intueri possint. Sic *Bened. XIV.* Constit. *Accepimus* 16. Iulii 1746. Si in altari, in quo Missa celebratur, adest magna statua Crucifixi, haec sufficit, nec addatur oportet alia crux in medio candelabrorum. — *S. Congr. Rit.* 16. Iunii 1683. — Si Missa celebratur in altari, ubi SS. Sacramentum publice est expositum, crux exponi vel non exponi poterit iuxta locorum consuetudinem. — *Ita Bened. XIV. de Sacrificio Missae.*

400. — QUAER. 16° *Quale peccatum sit celebrare sine lumine, et an aliquando licitum sit?*

Resp. ad 1um Mortale est celebrare sine ullo prorsus lumine. Cum unico tamen cereo accenso celebrare veniale tantum erit. — *Ex cap. Littera* §. *ult. de celebratione Missae.* — *S. Lig. n. 394.*

Resp. ad 2um In casu unico licitum est sine ullo lumine Sacrum peragere, scilicet quando peracta consecratione lumen extinguitur, nec aliud haberi potest: tunc enim urget ratio perficiendi Sacrificii.

QUAER. 17° *An liceat celebrare cum candelis ex sebo, vel uno lumine cereo?*

Resp. ad 1um *Neg.* excepto casu necessitatis; et sunt, qui hoc ut peccatum mortale reprobant. — *S. Lig. n. 594.* (*a*).

Resp. ad 2um *Neg.* pariter cum sententia communiori et probabiliori; sed si fiat, veniale non excedit, et quaecumque causa rationabilis ab omni culpa excusabit; quocirca deficiente altero cereo, Sacerdos etiam ex mera devotione celebrare poterit. — *S. Lig. ibid.*

(*a*) *Dicunt Pasqualigus, Gobat, et alii* (*quibus consentit Suarez loquendo de lumine ex oleo*), *non esse illicitum celebrare cum candelis ex oleo vel sebo etiam ex sola devotione, si aliae haberi non possint.* — Ita S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 394.*).

401. — QUAER. 18° *An saltem licitum sit perseverare in usu novarum candelarum ex stearina* (stéarine) *confectarum?*

Resp. Neg. Constat ex duplici Declaratione *S. Congr. Rit.*, scilicet die 14 Septembris 1843 *in Massiliensi;* et 7 Septembris 1850 *in Divion.*

ARTICULUS II.

DE RUBRICIS

402. — Maxima cura et sollicitudine Sacerdotes servare debent leges Ecclesiae, quae spectant ad modum Missam celebrandi, cum inter omnes res sacras haec omnium sit sacratissima, adeoque summa reverentia digna. Hac de re audiendus est Clemens XI, in *Epistola encyclica ad omnes Orbis Episcopos* die 10 Martii 1708:

Maiori super dicendi modum diligentia ac studio curare debet (Episcopus), *ut Missae Sacrificium quo nihil sanctius, nihil divinius excogitari potest, per solos Presbyteros celebretur, non tantum ea puritate quae ipsos decet qui singulis diebus Deo Patri caeleste holocaustum Unigeniti Filii qui nostram mortalitatem induit, offerunt, verum etiam sacras caeremonias in Rubricis praescriptas sedulo pieque observent. Id etiam necessario requiritur ne Sacerdos inter homines Deumque positus ad ipsius iracundiam sedandam, si negligenter immodesteque suo munere fungatur, Deum magis irritet.*

403. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An omnes Rubricae Missae sint praeceptivae?*

Resp. 1° Iuxta communem sententiam (*a*) omnes Rubricae, quae

(*a*) Vix reipsa apparet, cur Auctor hanc opinionem dicat *communem,* et in eam rem S. Alphonsum alleget. S. Alphonsus, ut alibi advertimus, scribit (*Lib. 6. n. 399.*) circa hanc quaestionem *quatuor adesse Doctorum sententias. Prima* dicit, omnes rubricas esse directivas; et pro hac duos allegat. *Secunda* docet, rubricas omnes esse praeceptivas; et pro ista affert octo. *Tertia* censet, alias esse praeceptivas, alias etiam ad Missam spectantes, esse directivas; et pro hac citat novem Auctores. *Quarta* demum tenet, praeceptivas esse, quae servantur intra Missam, directivas vero, quae extra; et pro hac tres profert. Porro coniunctis Auctoribus *secundae* et *quartae* sententiae, habemus *undecim;* et coniunctis Auctoribus *primae* et *tertiae,* habemus itidem *undecim.* Quomodo ergo dicitur *communis* opinio, quae sumpta secundum omnes suas partes, patronos non habet nisi tres, sumpta vero secundum singulas partes non habet plures, quam eius adversa? Depromunt etiam hoc S. Pii V decretum: *Mandantes ac districte omnibus et singulis... in virtute S. obedientiae praecipientes, ut caeteris omnibus rationibus et ritibus ex aliis Missalibus... in posterum penitus omissis,... Missam iuxta ritum, modum, ac normam, quae per Missale hoc a nobis nunc traditur, decantent ac legant: neque in Missae celebratione alias caeremonias vel preces, quam quae hoc Missali continentur, addere vel recitare praesumant.* Porro 1° manifestum est, his mere praescribi usum *unius* Missalis romani; 2° In Missali autem habentur etiam ea, quae extra Missam facienda aut dicenda sunt; et nihilominus Auctor cum S. Alphonso contendit, hasce rubricas esse mere *directivas;* 3° Immo S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 412.*) tamquam probabile censet, quod non est ve-

servantur *intra Missam*, sunt *praeceptivae*, cum rem adeo sacram respiciant. Obligant autem *sub gravi* vel *sub levi*, pro gravitate vel levitate materiae, ut infra dicetur. — *S. Lig. n. 399.*

Resp. 2° Rubricae vero, quae servantur *extra Missam*, id est ante vel post Sacrum, habentur communiter ut mere *directivae* (*a*), ut v. gr. orationes pro praeparatione vel gratiarum actione; possunt enim aliae orationes recitari. *Controvertitur* tamen quoad orationes, quae ex Rubrica recitandae sunt, dum vestes induuntur; sed cum communi sententia tenendum est, ait *S. Lig. n. 410.*, earum omissionem esse venialiter culpabilem. Alii tamen tenent cum *Suarez,* hanc omissionem omni culpa vacare.

404. — QUAER. 2° *An Sacerdos infirmus celebrare possit, licet non omnes Rubricas servare queat?*

Resp. Affirm., si paucas et leviores tantum omittat, imprimis si privatim celebret. Imo plures gravis notae auctores permittunt infirmo celebranti, ut etiam baculo utatur, si indigeat, etc. (*b*).

QUAER. 3° *An usus parvi cochlearis pro aqua in calicem infundenda sit omnibus licitus?*

Resp. Servandam esse Rubricam (*c*). — *Sic S. Congr. Rit.* 7. Septemb. 1840, *in Rupellen.* ad 13.

QUAER. 4° *Potestne Sacerdos, SS. Eucharistiam fidelibus distribuens, eorum mento patenam supponere eadem manu, qua pyxidem tenet?*

titum ex aliqua causa vel devotione addere unam collectam; cum tamen quamlibet additionem decretum videatur interdicere. — Concludamus igitur, Pium V utique praescribere, ut serventur, quae continentur in romano Missali, sed prouti in Missali proponuntur, vel praecipientia nempe, vel mere dirigentia; additiones vero interdici, non quae sumantur ex eodem Missali romano, sed quae ex aliis Missalibus, ut reipsa S. Pii verba et contextus clarissime suadent.

** (*a*) Opponunt hic VV. (*Pag. 933. n. 103.*), S. Alphonsum (*Exam. Ordin. n. 112.*) *aliquas* tantum ex DD. sententia censuisse *directivas;* unde concludendum, alias ergo haberi, quae censendae sint *praeceptivae.*

Resp. Ut vere habeantur ut praeceptivae eiusmodi rubricae, oportet, ut certo de eo constet, quia praecepta mere probabilia nullam habent vim obligandi, prout S. Alphonsus uti certum docet.

(*b*) Haec refert et approbat S. Lig. (*n. 402.*): *Dicit Lacroix* (*Lib.6. Part.2. n. 402.*) *cum Vasquez, Dicastillo, et Gobat, eum, qui non posset celebrare sine baculo, licite posse illo uti. Additque Gobat, quod si quis nequiret celebrare nisi utroque brachio super altari innixo, licite sic celebraret privatim, non autem publice, nisi hoc faceret ex necessitate. Hoc tamen puto non excedere veniale, a quo videtur excusari posse, qui ob infirmitatem nequiret rectus stare, et ex sua devotione vellet celebrare, modo vitetur populi admiratio. Dicunt etiam Lacroix* (*n. 427.*) *et P. Concina* (*pag. 510., n. 4.*) *quod si quis non possit elevare Hostiam, sed possit reliqua, potest celebrare privatim, et etiam publice, si adsit necessitas, et populus moneatur; sed puto satis esse populum tantum monere, si quis ex devotione celebret.*

(*c*) Rubrica nihil habet de cochleari, sed mere dicit, benedicendam ampullam aquae, et dein guttulas calici infundendas.

Resp. Negative (S. Congr. Rit. 12 Augusti 1864. *in Lucionen.*).

405. — Quaer. 5° *Quamnam Missam legere debeat Sacerdos celebrans in alia Ecclesia?*

Resp. En *S. Congr. Rit.* de hac re decisiones:

1° Servetur Decretum *in Varsavien.* die 7. Maii 1746., nimirum Missam concordare debere cum Officio, quod quis recitavit, dummodo cum colore Ecclesiae, in qua celebrat, aptetur (12. Nov. 1741). Alioquin quando inibi est duplex, celebrari debet de Sancto, cuius particularis illa Ecclesia celebrat Officium (4. Septemb. 1746).

2° Sacerdos in alia Ecclesia celebrans non potest dicere Missam votivam cum colore, qui officio huius Ecclesiae convenit, nisi ritus praefatae Ecclesiae id permittat (11. Sept. 1747).

3° In Oratoriis privatis Missa debet semper concordare cum Officio celebrantis (12. Mart. 1831).

406. — Quaer. 6° *Licetne orationes addere praeter orationes a Rubrica assignatas vel permissas?*

Resp. Negative. Sic declaravit *S. Congr. Rit.* 12. Aug. 1854, *in Lucionen.* (*a*).

Quaer. 7° *Utrum in Missa quotidiana defunctorum liceat orationes alias subrogare his, quae in Missali apponuntur?*

Resp. Ultimo loco semper dici debet oratio *Fidelium omnium* (S. Congr. Rit. 2. Sept. 1741, *in Aquen.); et quoad primam orationem servetur Ordo Missalis,* id est, dicatur semper: *Deus qui inter apostolicos* (S. Congr. Rit. 27. Aug. 1836, *in Veronen.*) — Variari autem potest secunda oratio *Deus veniae largitor,* cui subrogabitur alia, v. gr. pro quo applicatur Missa, etc.... (*S. Congr. Rit.* 25. Sept. 1837, *in Mutinen.*).

407. — Quaer. 8° *An aliquando liceat Missam interrumpere?*

Resp. 1° Numquam licet Missam interrumpere *essentialiter*, ita scilicet ut Sacrificium inceptum remaneat truncatum, nisi gravissima seu extrema urgeat necessitas, ut in casu imminentis incendii, aut hostis ad necandum irruentis; tunc enim Sacerdos, omissa calicis consecratione, posset sumere Hostiam iam consecratam, vel eam secum effugiendo auferre. Quod si utramque consecrationem perfecerit, utramque speciem statim sumat, si possit; vel si non possit, secum auferat in loco vicino citissime sumendam. — *S. Lig. n. 352. et seq.*

Resp. 2° Licet interrumpere *accidentaliter,* nempe aliquid inter-

(*a*) S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 411-412.*) postquam statuit, peccare graviter, si quis animo introducendi novum ritum adderet in Missa novas publicas preces, subdit: *Si vero ex importuna devotione addantur plures collectae ex eodem Missali...., id non excedit culpam venialem. Ita communiter.... Probabiliter autem dicunt Croix et Pasqualigus, quod licet satius sit servare rubricam, non tamen est vetitum ex aliqua causa vel devotione addere unam collectam.*

ponendo iusta de causa *ante Canonem*, 1° Ob concionem post Evangelium, ob preces pro defunctis recitandas, ob proclamationes Bannorum faciendas, vel ob processionem excipiendam, etc. 2° In gratiam supervenientis Principis, vel turbae peregrinorum die festo, si alias Missam audire nequeant. Tunc si oblatio facta non fuerit, Sacerdos de novo incipere potest ut totum Sacrum audiant. 3° Si Sacerdos recordetur de aliquo impedimento, v. gr. se non esse ieiunum, vel in statu gratiae, vel esse irregularem, modo Missa sine scandalo aut nota abrumpi possit. — *S. Lig. ibid.*

Resp. 3° Non licet tamen interrumpere, etiam *accidentaliter*, incepto Canone, et *a fortiori* peracta consecratione, nisi gravissima de causa, v. gr. si moribundus baptizari vel absolvi debeat. Alia autem Sacramenta ministrare inter consecrationem et communionem non licet, quia non sunt tantae necessitatis. Attamen S. Viaticum ministrari posset moribundo, qui prope esset; ita ut Sacerdos vestes sacras exuere non deberet. — *S. Lig. ibid.* — Sed ad hoc etiam requiritur, ut celebrans altare e conspectu suo non amittat (*S. Congr. Rituum* 19. Decembris 1829).

408. — Quaer. 9° *Quid agendum, si Sacerdos morbo vel morte correptus Sacrum perficere nequeat?*

Resp. 1° Si Sacerdos deficiat ante consecrationem, nihil ab alio Sacerdote agendum est, quia Sacrificium proprie non fuit inceptum.

Resp. 2° Si vero deficiat post consecrationem etiam unius tantum speciei, tunc alius Sacerdos ieiunus, si adsit, supplere debet; si non adsit ieiunus, suppleat alius etiam non ieiunus, et Sacrum perficiat; quia praeceptum de integritate Sacrificii procuranda gravius urget. Imo etiam Sacerdos irregularis vel excommunicatus supplere deberet. Attamen si statim alius Sacerdos inveniri non posset, post interiectam unam horam probabiliter amplius non foret quaerendus, quia deesset unio moralis, et proinde non censeretur idem Sacrum. Si autem Sacerdos morbo inter celebrandum correptus perficere Sacrum valeat post aliquam interruptionem, melius ipse, quam alius, perficiet, etiamsi ieiunus non sit. — *S. Lig. n. 355.*

409. — Quaer. 10° *An Sacerdoti celebranti assistere possit Presbyter* stola *indutus?*

Resp. Neg. 1° si agatur de Missa privata etiam novi Sacerdotis prima vice celebrantis. — *Ita S. Congr. Rit.* 11. Martii 1837. — 2° Pariter si agatur de Missa solemni (*S. Congr. Rit.* 15. Martii 1721) (*a*). — Excipiuntur tamen Canonici, quando solemniter loco Episcopi celebrant, aut quando ipsis suffragatur immemorabilis consuetudo. — *Sic S. Congr. Rit.* pluries.

Resolves. — 1° Illicitum est celebrare capite cooperto. Constat ex c. *Nullus de Cons. dist. 1.* Et quidem iuxta sententiam commu-

(*a*) Duo decreta heic allegata minus ad rem facere videntur, ac proinde minus apta sunt ad id confirmandum, quod Auctor affirmat.

nem mortale est celebrare totam Missam capite cooperto; celebrare vero cum pileolo (*calotte, berrettino*) usque ad Canonem, secluso contemptu et scandalo, solum veniale est; imo probabiliter etiam veniali culpa caret, si etiam sine dispensatione fiat usque ad Canonem tantum ex rationabili causa et in loco privato, vel etiam in loco publico, si ratio adstantibus manifesta sit, et Sacerdos celebrare non possit sine notabili incommodo. Illicitum est tamen celebrare integram Missam capite sic cooperto absque licentia apostolica. Sic expresse *S. Lig. n. 397.* post *alios.* — *Craisson, Manuale Iuris can. t. 3. n. 3688.*

2° Illicitum est de iure communi celebrare cum capillatura ficta (*perruque*); idque sub poena suspensionis a divinis Officiis. Ita ex *Innoc. XI* Decreto, in quo insuper prohibetur Episcopis et Nuntiis apostolicis, ne hanc concedant licentiam. — *S. Lig. n. 386.* — Sed haec prohibitio abiit in desuetudinem pluribus in locis, ut in Gallia, ut patet ex consuetudine contraria. — *Bouvier, de Sacrificio Missae, c. 7. art. 7.* — *Craisson, n. 3692.*

3° Non excusatur a veniali Sacerdos, qui omittit benedictiones, inclinationes, genuflexiones, etc.... Idem dicito de eo, qui advertenter non genuflectit ad terram, vel contra Rubricae praescripta mutat ordinem benedictionum, aut haec nimis celeriter peragit. — *Lacroix,* etc.

4° Est peccatum grave, nisi levitas materiae excuset, omittere partes Missae, quae dicuntur ordinariae, seu quae semper recitantur vel aguntur. Unde communiter dicunt Doctores, esse mortale omittere confessionem cum aliis in principio Missae, Epistolam, Evangelium, Collectas principales, Offertorium, fractionem Hostiae, et illius mixtionem cum sanguine (*a*).

5° Mortale est omittere in canone Missae quamlibet orationem, vel eius verba ita mutare, ut sensus varietur, vel aliquod verbum omittere, quo sublato, reliqua verba sensum non faciant. — Idem dicendum, si omittatur *Pater noster* vel *Agnus Dei;* idem de *Libera nos; Domine, non sum dignus;* et *Quid retribuam;* idem de *purificatione* patenae et calicis post sumptionem (*b*). — *S. Lig. n. 405.* — *Salmant.*

410. — 6° Veniale est omittere unam ex tribus Collectis principalibus. Si omissa sit prima oratio, ipsa cum Secreta, ut videtur,

(*a*) Haec fere ad verbum desumpta sunt ex S. Alphonso (*Lib. 6. n. 404.*). Sed quod ait, *communiter DD. dicere, esse mortale,* etc., non ita debet intelligi, quasi *communis sententia* gravem reatum asserat in singulis, quae dein recensentur. Namque ipse S. Alphonsus subdit: *Licet non omnia haec reperies apud omnes hos auctores.* Ita v. gr. Sporer ibi citatus non memorat nisi *totam epistolam cum graduali et Alleluia:* tum *totam postcommunionem.*

(*b*) Hic revera non habes nisi opiniones, pro quibus duo, tres, quatuorve auctores allegantur: et quidem qui inter hos eminent non ii sunt, quibus multum deferre necesse sit. Hos habes apud S. Alph. (*Lib.6.n.405.*).

est recitanda, non postea (*a*). Mortale vero non erit omittere alias orationes, quae praeter eam (*b*) in Missa adduntur. — *S. Lig. n. 406.*

7° Mutilare verba aut syncope intermediare, salvo sensu et secluso scandalo, non est plus quam veniale. — *S. Lig. n. 407.*

8° Omittere partes extraordinarias, scilicet quae non in omni Missa dicuntur, non est nisi veniale. — *Ita communiter*, nisi tot partes omittantur, quae simul sumptae notabilem materiam constituant. — Unde veniale tantum erit omittere *Gloria, Credo, Collectas, praeter propriam Missae, Tractum* vel *specialia* circa *Praefationem*, vel *Communicantes* (*c*). — *Ita communiter.* — Item celebrare Missam votivam vel *de Requiem*, quando id iuxta Rubricas non licet, veniale est, nisi fiat mortale ratione contemptus, vel scandali, si v. gr. Missam *de Requiem* in festis solemnibus Paschatis, aut Nativitatis Domini legas. — *S. Lig. n. 420.*

9° Lotio manuum ante Missam fieri debet saltem sub veniali (*d*), et sub gravi, si manus sint valde immundae propter reverentiam Sacrificii. — Omittere vero lotionem post Missam, nullum erit peccatum. — *S. Lig. n. 409.*

10° Licet nullum sit peccatum omittere orationes ante et post Missam; attamen Sacerdos, qui sine ulla alia praeparatione ad sacrificandum accederet, aliqua culpa non careret. — *S. Lig.*

11° Peccaret Sacerdos, si in purificatione calicis sola aqua uteretur, sed venialiter tantum iuxta communem sententiam. — *Ita S. Lig. n. 408.* — *Lacroix, n. 423.* etc. — Plures etiam a peccato veniali excusant Sacerdotem, si sit *abstemius*. Sic *Tamburinus.* — *Vide plura de Rubricis et Caeremoniis* apud auctores.

(*a*) Pro hac regula solus Suarezius (apud S. Alph. *Lib. 6. n. 405.*) allegatur.

(*b*) In hoc Auctoris contextu vox *eam* ad *primam* orationem refertur. At non ita S. Alphonsus, e quo Auctor exscribit. Nam S. Alphonsus intelligit *primam collectam propriam.*

(*c*) Sporer huc revocat *Sequentias quorumdam festorum, imo et prophetias in feriis quatuor temporum, cum sint partes Missae valde extraordinarie accidentales* (*Theol. Sacrament. Part. II. Cap. 6. Sect. IV. n. 426.*).

(*d*) Haec nonnullorum opinio est.

FINIS TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

TRACTATUS

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

411. — Quanti sit momenti hic Tractatus, omnibus perspectum est, tum quia caeteris Theologiae moralis partibus necessitate praestat, tum quia earum difficultates continet, resumit, explanat.

Necessarium procul dubio est regenerationis Sacramentum, sine quo nemo potest in regnum caelorum introire; sed non minoris necessitatis pro adultis est Sacramentum, quo amissam per peccatum vitam spiritualem recuperamus. Imo Baptismus semel in vita tantum requiritur, dum Poenitentia toties, quoties homo Christianus in letale peccatum lapsus fuerit, necessaria est.

Hinc merito a SS. Patribus et Conciliis Poenitentia *secundus Baptismus* vel *secunda post naufragium tabula* nuncupatur. Et sane quid hominibus plerisque profuisset immensum regenerationis beneficium, si veste nuptiali a pessima peccati fera denudatis secundam aut etiam multiplicem redemptionem non suppeditasset *miserator et misericors Dominus?* Morti aeternae sub diabolica tyrannide sane addicti fuissent. At clementissimus Deus, apud quem *est misericordia et copiosa redemptio, cuiusque bonitatis infinitus est thesaurus et misericordiae non est numerus*, miserrimis naufragantibus iugem manum porrigit, et secundam hanc nobis exhibet tabulam, qua apprehensa, iterum atque iterum et absque ullo numeri limite e naufragio salvemur. *Misericordiae* igitur *Domini quia non sumus consumpti,* et beatam spem semper expectare valemus. Sedes ergo poenitentialis vere thronus gratiae et tribunal misericordiae appellanda est.

In hoc maxime Tractatu quaedam apparet diversitas opinionum inter Theologos. Plus enim forte aequo alii in rigorem, alii vero in benignitatem propendisse videntur. Nos vero vestigia Ducis ac Magistri *S. Alphonsi de Ligorio* fideliter de more prementes, media via incedere, non declinantes neque ad *dexteram rigorismi,* neque ad *sinistram laxitatis* (*a*) pro modulo nostro conabimur;

(*a*) Neminem sane reperies, qui firmissime non credat, quin et aliis omnino persuasum velit, tutissimam se atque adeo *mediam* inter laxitatem ac rigorem viam terere. Imo non defuit, qui hoc ipsum in operis sui fronte uncialibus literis proclamatum vellet, uti v. gr. Eusebius Amort, qui operi suo morali hunc titulum praefixit: *D. Eusebii Amort* THEOLOGIA MORALIS INTER RIGOREM ET LAXITATEM MEDIA. Et haec quidem protestatio indicium

memores tamen illius principii *S. Antonini, part. 2. tit. 4. c. 4.*: *Melius Domino reddere rationem de nimia misericordia, quam de nimia severitate.*

Agendum 1° de essentia Sacramenti Poenitentiae; 2° de eius subiecto, seu de actibus poenitentis; 3° de eiusdem Ministro seu de Confessario.

PARS PRIMA

DE ESSENTIA SACRAMENTI POENITENTIAE

SEU DE EIUS NATURA MATERIA ET FORMA

CAPUT I.

DE NATURA POENITENTIAE

412. — Poenitentia generatim spectata idem sonat ac dolor animi, quem quisque experitur, postquam aliquid fecerit vel omiserit, quod non factum vel non omissum fuisse vellet. *Stricto* autem et *proprio* sensu poenitentia est animi dolor, quatenus ad Deum offensum, nobisque infensum, refertur (*a*).

est bonae voluntatis; quae alioqui suum procul dubio a divina largitate praemium sortietur. At enim quid valet praeterea? Cum enim rigoris ac laxitatis notio certos quosdam supponat limites, a quibus vel ad dexteram declinetur, vel ad sinistram; dabitur utique quid laxum rigidumve sit, definire, quando aut Ecclesiae auctoritate aut alio quopiam indicio de iis limitibus, idest de veritate certo constet. At ubi fax ista, quae certam viam demonstret, non praeluceat, ubi incomperta sit semita, quae sola sit terenda utpote sola certe recta; undenam scis, quaeso, hos quidem ad dexteram, illos vero ad sinistram deflexisse? Dumque putans te *mediam* tenere, alios in laxum quid, alios in rigidum abiisse ploras, nonne contigisse contra potuit, ut ipsemet a recta via aberraveris, atque adeo alter tibi videatur in laxitatem prolapsus, quia tu in rigorem, alter vero in rigorem, quia tu in aliquid laxitatis incidisti? Illud itaque unum superesse videtur, ut modeste de nostro quisque iudicio sentientes, munus impingendi notas rigoris aut laxitatis iudici illi relinquamus, cuius est et viam rectam certa sententia demonstrare. Nobis vero sanctum illud sit, quod est in proverbio: *In dubiis libertas, in omnibus charitas;* adeo ut magna cum charitate aliis eam libertatem permittamus, quam et nobis permittendam censemus, videlicet ut neque *laxi* audiamus, quando legis seu obligationis, quae certa ratione non constat, iugum et non admittimus ipsi, et aliis imponendum non censemus; neque iterum *rigidi*, quando evincimus non adeo firmam esse vim sive auctoritatis sive rationis ab obligatione eximentis, ac propterea legem servandam existimamus.

(*a*) Fac probe distinguas duplicem sensum, quo *offensa Dei* est obiectum *formale* modo *charitatis*, modo *poenitentiae;* secus enim forte in doctrinam falsam incides, quae poenitentiam ibi solum reperit, ubi sit

I. Poenitentia, ut virtus, definitur: Virtus moralis inclinans ad peccati detestationem, quatenus est offensa Dei, et ad propositum efficax in posterum illud vitandi, et divinae iustititiae satisfaciendi.

Poenitentia necessaria est peccatori necessitate medii ad salutem. In praesenti enim oeconomia repugnat, peccatorem impoenitentem a Deo in amicitiam recipi.

Est etiam necessaria necessitate praecepti divini, ut ex multis testimoniis S. Scripturae patet, v. gr. *Luc. 13. 5: Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis,* etc.

Effectus autem poenitentiae (*a*) duplex est: 1° remissio peccatorum, ut constat ex sexcentis S. Scripturae locis; 2° remissio poenae aeternae. Homo enim iustificatus poenae aeternae obnoxius esse nequit. Constat etiam ex *Trid. sess. 6. c. 7.*

II. Poenitentia, ut Sacramentum, definitur: Sacramentum novae legis per modum iudicii a Christo institutum, ad peccata post Ba-

contritio charitate perfecta. Bene de his Card. De Lugo: *Aliud longe diversum est detestari peccatum, quia adversatur Deo, seu quia malum est Dei saltem extrinsece, et quia displicet Deo, quod pertinet ad charitatem: aliud vero detestari peccatum, quia offendit Deum, seu quia irritat Deum et avertit eum ab homine, quod pertinet ad istam aliam virtutem Poenitentiae.... Nam etiam inter homines distinguuntur haec duo, et possum ego nolle offendere alium, ne eum rationabiliter reddam mihi aversum, licet alioquin nullam habeam nec habere expetam cum ipso amicitiam; amicitia enim tendit ad vitandum malum illius, quia malum illius est; at vero haec alia virtus tendit formaliter ad vitandam offensam, non quia malum illius est, sed potius quia malum et inhonestum mihi est habere alium rationabiliter mihi aversum* (*De Poenit. Disp. 2. n. 52.*).

Clarius autem Poenitentiae obiectum sic in antecessum (*ibid. n. 50. 51.*) explicaverat: *Ad tollendam offensam inclinat alia virtus etiam inter homines, quae prohibet dare alicui sufficientem et rationabilem causam indignationis et aversionis..., et inclinat ad tollendam etiam illam, quando posita est, exhibendo satisfactionem sufficientem per obsequia, per veniae petitionem, et alia similia pro quantitate offensae; ea enim satisfactione posita, offensa extinguitur; nam si offensus durus esset in acceptanda satisfactione, prudentes tamen iam non censerent, ipsum manere rationabiliter aversum, sed omnino irrationabiliter.... Hoc supposito dicimus, dari aliam virtutem similem hominis ad Deum, quae inclinat ad habendum pacem cum Deo, seu ad vitandam offensam Dei et ad tollendam illam modis omnibus, quando posita est: cuius obiectum formale est bonitas pacis cum Deo, seu non habere Deum aversum et indignatum. Cum autem Deus omnibus peccatis offendatur; omnia illa odio habet haec virtus sub ea ratione formali, quia offensae Dei sunt; et omnia illa conatur tollere, ut iterum habeat Deum pacatum et placatum, et ideo dicitur virtus reconciliativa, quia tendit ad hoc, ut Deum aversum nobis reconciliet.... Quod vero haec virtus sit Poenitentia, probatur ex eo, quod, etc.* Et hoc quidem sensu intelligendus est Auctor, cum mox subiicit, Poenitentiam esse virtutem moralem, quae inclinat ad detestationem peccati, *quatenus est offensa Dei;* nempe quatenus Deum nobis aversum et indignatum efficit.

(*a*) Intellige de poenitentia *perfecta,* nimirum quae adducat ad ea obsequia, quibus ex immensa misericordia sua placari se atque cum homine peccatore reconciliari Deus ipse revelavit.

ptismum commissa homini contrito et confesso per absolutionem sacerdotalem remittenda.

Hoc Sacramentum in eo praecipue ab aliis differt, quod per modum iudicii administretur: adest enim poenitens simul reus, testis et accusator; et Sacerdos, iudex ferens sententiam.

413. **Statuenda.** — I. Poenitentia est verum novae legis Sacramentum.

Constat 1° ex ratione theologica; in ea enim reperiuntur omnia, quae verum Sacramentum constituunt, scilicet 1° *Signum sensibile* per confessionem, vel certe per Sacerdotis absolutionem, etc. 2° *Institutio Christi modo permanenti,* ut patet ex textu *Ioan. 20. 23: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* 3° *Promissio gratiae;* patet ex remissione peccatorum, siquidem peccata sine infusione gratiae remitti nequeunt.

Constat 2° ex constanti traditione, et doctrina Patrum, quibus accedit expressa definitio Ecclesiae; sic enim *Trid. sess. 14. Can. 1: Si quis dixerit in catholica Ecclesia Poenitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsis Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit.* Idem patet ex *Concilio Florentino* in Decreto ad Armenos: *Quartum Sacramentum est Poenitentia.* — *Vide* dicenda infra *de necessitate confessionis, n. 464.*

II. Sacramentum Poenitentiae habet vim remittendi omnia peccata post Baptismum commissa.

Constat 1° ex Scriptura sacra; nam Christus generaliter, sine distinctione ulla aut restrictione dat potestatem remittendi peccata: *Quorum remiseritis peccata....* Imo, *Matth. 16. 19.* Christus dicit Petro: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* Et *cap. 18. 18.* ait omnibus Apostolis: *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.*

Constat 2° ex traditione, Patribus universis, necnon ex definitione Ecclesiae in Conciliis, praesertim in *Trid. sess. 14. Can. 1.* supra citato.

414. — III. Partes necessariae Sacramenti Poenitentiae sunt 1° contritio; 2° confessio; 3° absolutio; 4° satisfactio, quatenus a poenitente acceptanda est. Sacramentum enim Poenitentiae fuit institutum per modum iudicii reconciliativi; hoc autem haberi nequit sine confessione dolorosa culpae, atque animi dispositione ad satisfactionem iniunctam subeundam, et sine Sacerdotis absolutione. — Satisfactio autem, quatenus imponenda aut implenda, est tantum pars integralis huius Sacramenti; quia effectus primarius, nempe gratia et remissio peccatorum quoad culpam et poenam aeternam, sine satisfactione haberi potest (*a*).

(*a*) Haec distinctio, per quam satisfactio modo dicitur *necessaria* imo et *essentialis* pars sacramenti, prout nempe consideratur propositum eam

IV. Actus vero poenitentis ad peccatorum remissionem requisiti, sunt 1° contritio; 2° confessio; 3° satisfactio. Constat ex *Conc. Trid. sess. 14. Can. 4: Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem, requiri tres actus in poenitente,* QUASI MATERIAM

implendi, modo pars tantum *integralis,* prouti attenditur eiusdem executio, ab nonnullis invecta est Auctoribus, quo melius defenderent, actus poenitentis esse *materiam ex qua,* atque adeo pertinere *ad essentiam signi gratiam causantis.* Nam cum satisfactio communiter a DD. dicatur pars *integralis* (*Vide Lugo de Poenit. Disp. 12. n. 40.*), Synodus vero Tridentina (*Sess. 14. Cap. 3.*) eam simul cum contritione et confessione recenseat *quasi materiam huius Sacramenti,* sequi inde videbatur, nomine *materiae* ibi non designari essentiale sacramenti elementum, sed etiam partes poenitentiae integrales, prout eas reipsa appellat Catechismus Concil. Trid. (*De Poenit. §. 21.*); quem quidem loquendi modum adhibet et Melchior Canus, in Concilio Trid. Theologus (*Relect. de Poenit. p. 6. q. 15.*), ubi nihil haesitans scribit: *Contritio non est pars essentialis huius sacramenti, sed integralis. Non autem quaelibet integralis pars ad esse totius necessaria est, ut patet de satisfactione, sine qua verum sacramentum consistit;* eamque doctrinam Andreas Vega, alter Conc. Tridentini Theologus, teste Card. de Lugo (*De Poenit. Disp. 14. n. 3.*) dixit *communem.*

Verumtamen qualiscumque haec evasio quoad satisfactionem non caret alia difficultate. In ista enim sententia materia Sacramenti non foret reipsa satisfactio, sed propositum satisfactionis, idest propositum ponendae materiae. Insuper si ad materiam Sacramenti id pertinet, ad quod praestandum poenitens *in animi* (ut A. ait) *dispositione* paratus esse debet; alius concludere poterit, eadem prope ratione materiam sacramenti esse ieiunium quadragesimale, auditionem Missae, omnia denique, quae lex divina aut humana praecipit: nam et haec omnia in proposito poenitentis inesse debent.

Caeterum nec mens nobis est, nec Notae brevitas sinit vel leviter attingere implicatissimas eas quaestiones, quae de huius sacramenti materia in scholis agitari in utramque partem consueverunt. Notissimum est profecto, Tridentinam Synodum consulto abstinuisse ab iis verborum formulis, quae utrilibet dissidentium opinioni adversari viderentur. Exinde autem satis elucet, vim decretoriam inesse non posse argumentis, quae pro alterutra opinione tum ex eiusdem tum ex florentinae Synodi doctrina, ex eo praesertim quod actus poenitentis nomine *materiae* vel *quasi materiae* appellantur, elicere quidam conati sunt, quasi scilicet vox *materia* necessario notionem importet elementi gratiam causantis: quae suasio quosdam eo usque impulit, ut aliquam gratiae causalitatem quaererent etiam in *peccato* (*Vid. Lugo De Poenit. Disp. 12. n. 22. et 37.*), propterea quod et ipsum huius Sacramenti materia existat. Atqui hoc ipsum est, quod de *materiae* notione alii negant; et *Theologi bene multi* (utar enim verbis Romani Theologi in not. ad Bibliothecam Lucii Ferraris *V. Absolutio, Art. 2. n. 10.*) *non materiam ex qua sacramentum fit, sed circa quam sacramentum versatur, actus poenitentis constituunt.* Quam quidem sententiam iis rationibus communiunt (*Vide Maldonatum De Poenit. P. 3. q. 3. ad Thesim 7.*), ut vel ipse Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 12. n. 29.*), licet pro opposita opinione totis viribus pugnet, difficultatibus tamen pressus concedere debuerit, causalitatem sacramenti probabiliter posse soli absolutioni attribui; *Licet actus poenitentis* (inquit) *sint partes sacramenti, non requiritur, quod omnes sacramenti partes causent gratiam, sed sufficit, quod illam causet sacramentum per aliquam sui partem: hoc autem sacramentum causat gratiam per solam absolutionem Sacerdotis, in quo est potestas clavium ad absolvendum et ad destruenda peccata. Ita videntur sentire plures,*

Sacramenti Poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem, et satisfactionem, quae tres Poenitentiae partes dicuntur .... anathema sit.

V. Sacramentum Poenitentiae est necessarium *necessitate praecepti in re,* et de *necessitate medii in voto,* saltem *implicito,* ad remittenda peccata mortalia post Baptismum commissa. Ita in lege nova pro divina bonitate et providentia statuit summus legislator Christus Dominus.

Hinc inquinatis peccato mortali post baptismum commisso Sacramentum Poenitentiae necessarium est ad salutem saltem de *necessitate praecepti;* poenitentia vero seu contritio (*a*) cum voto Sacramenti, seu cum serio proposito saltem implicito peccata confitendi, data opportuna occasione, semper necessaria est *necessitate medii.*

415. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quandonam Sacramentum Poenitentiae institutum fuerit?*

Resp. Fuit institutum quando Christus post suam Resurrectionem insufflavit in discipulos suos dicens: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ...,* etc. Tunc enim, ut declarat Conc. Tridert. sess. 14. cap. 1., contulit eis potestatem iudiciariam, quam ante Passionem tantum promiserat. Unde *Trid.* dicit, istud Sacramentum fuisse institutum *praecipue* post Resurrectionem.

416. — Quaer. 2° *An vel quatenus conveniant iudicium sacramentale et forense?*

Resp. Partim conveniunt et partim differunt, ut patet ex utriusque forma.

quos affert Suarez Disp. 18. Sect. 2. n. 11., qui dicit, hanc esse solutionem probabilem. Et reipsa a Suarezio (*l. c. n. 1. et 12.*) pro hac sententia allegantur cum Scoto Maior, Gabriel, Vega, Ferrariensis, Capreolus, et S. Bonaventura, imo et S. Thomas; quem postremum contendit quidem, in Summa (*3. q. 86. art. 6.*) aliter sensisse (*ibid. n. 13.*); ast alii ex resp. ad 1. et ad ultim. forte colligent, S. Doctorem plura quidem, non tamen contraria ibi addidisse. Cum enim loquatur de actibus causatis a gratia, *quae culpam remittit,* profecto hi eiusdem gratiae, qua peccata remittuntur, causa esse non possunt, cum effectus prior esse sua causa non queat. Allegatis autem a Suarezio cum plures alii post Maldonatum adiungi possint, tum etiam excludendi non videntur gravissimi imo et primae notae Theologi Franciscus de Victoria, Melchior Canus, Dominicus Soto, Franciscus Toletus, Vega, et, aliis omissis, Martinus Navarrus, propter ea nimirum, quae de vi contritionis mere existimatae scripserunt: neque enim ea cum sententia, quae actus poenitentis habet ceu *materiam ex qua,* conciliari ullatenus poterunt.

Sed de his iam satis; quae ideo innuenda erant, ne, cum ratum esse debeat, heic agi de meris scholae opinionibus, plus aequo deinde aliquid tribuatur doctrinis, quae mera sunt harum opinionum consectaria; neque enim plus roboris ac firmitatis, quam praemissae ferant, inesse conclusionibus potest.

(*a*) Si *contritio* intelligatur hic, quae charitate perficitur, *semper* est ad iustificationem necessaria, quando confitendi peccata non suppetat copia; nam, uti infra dicitur, cum sacramento sufficit et contritio imperfecta.

1° In iudicio enim *sacramentali* sic proceditur: 1° Inter duas solas personas, scilicet iudicem et reum, res tota peragitur. Reus, accusator et testis est ipse poenitens; iudex vero est Sacerdos, qui causa cognita fert sententiam, quam Deus ratihabet, si debitae non desint conditiones. 2° Causae instructio et sententiae prolatio clam omnino habentur. 3° Iudex ad strictissimum silentii sigillum circa crimina et totum causae processum obstringitur.

2° In iudicio autem *forensi*, talis est processus: 1° Praeter Deum et iudicem adsunt assessores, qui consilio iudicem iuvant. 2° Sunt accusatores, qui reum tergiversantem convincunt. 3° Sunt procuratores et advocati, qui defendunt. 4° Sunt apparitores, satellites, et aliquando carnifices, qui sententiam exequuntur.

Praeterea datur etiam alia essentialis differentia inter utrumque iudicium, scilicet quod iudicia forensia tendant ad puniendum reum, sintque iudicia vindicativa; iudicium vero sacramentale tendat ad absolvendum reum, sive ad reconciliandum peccatorem cum Deo.

CAPUT II.

DE MATERIA SACRAMENTI POENITENTIAE

417. — Ut in caeteris Sacramentis, ita in Sacramento Poenitentiae, duplex est materia, alia remota, alia vero proxima.

Materia *remota* sunt omnia peccata post Baptismum commissa; quae dicuntur materia *circa quam,* quia circa illa destruenda versatur absolutio. Est autem vel necessaria, vel mere sufficiens et libera.

Materia *remota necessaria* sunt omnia peccata mortalia post Baptismum commissa, nec unquam vi clavium adhuc directe remissa; quia ex praecepto divino huiusmodi peccata clavibus subiicienda sunt. — Materia autem sufficiens et libera sunt omnia peccata venialia (*a*). Dicitur *sufficiens,* quia quaelibet peccata etiam minima obiectum veniae sacramentalis esse possunt. Dicitur autem *libera,* quia nullum est praeceptum ea clavibus subiiciendi. De his constat ex perpetua praxi et traditione Ecclesiae, necnon ex definitione *Conc. Trid. sess. 14. c. 5.*

Materia vero *proxima* Sacramenti Poenitentiae sunt tres actus poenitentis, scilicet contritio, confessio et satisfactio, quae dicuntur *quasi materia* huius Sacramenti, quia sunt instar materiae sensibilis, quae in aliis Sacramentis formae subiicitur (*b*); per hos enim

(*a*) Adde omnia peccata, sive mortalia sive venialia, alias iam rite clavibus subiecta, ut Auctor mox habet (*q. 1.*).

(*b*) Diversimode tamen materiam in aliis sacramentis formae subiici, sic docet S. Thomas: *Sacramentalibus signis in aliis sacramentis adhibetur forma verborum ad eorum sanctificationem, quia gratiam continent et causant; sed exterior poenitentia non est signum gratiam causans; et ideo non oportet, quod sanctificetur per aliquam formam ver-*

actus peccata proponuntur verbis formae destruenda. Constat praesertim ex *Conc. Trid. sess. 14. Can. 4.*

418. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An sint materia sufficiens Sacramenti Poenitentiae peccata iam rite confessa et per absolutionem remissa?*

Resp. Affirm. Hoc est certum apud omnes, inquit *S. Lig. num. 427.*

Ratio est, 1° quia peccatum, licet remissum, est semper peccatum commissum; et sicut potest repeti cum fructu eiusdem peccati contritio, ita et confessio; et tantum *per accidens* fit quod peccatum, utpote iam remissum, non remittatur, cum tamen per se, utpote commissum, sit capax remissionis. — Nec obstat, quod tunc Sacramentum peccatum hoc non deleat: nam sufficit, ut habeat effectum in *actu primo,* nempe praebeat gratiam deletivam peccati, quamvis per accidens in *actu secundo* peccatum non deleat. Aliunde Sacramentum non magis carebit aliis effectibus, nempe augmento gratiae, remissione poenae, etc., quam si quis perfecte contritus ea primum clavibus subiiceret.

2° Praeterea sententia iam lata potest confirmari ad maiorem securitatem, maioremque consolationem et animae quietem, ut aliquando in civilibus fieri solet; et si forte peccatum clavibus submissum non adhuc fuerit remissum, tunc remitti poterit.

3° Constat etiam ex Declaratione *Bened. XI, in Iure canonico, Extrav. I. de Privil. c. 1.: Licet,* inquit, *de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen... ut eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputamus salutare.* Constat insuper ex praxi constanti fidelium, approbante Ecclesia (*a*).

419. — QUAER. 2° *An adultus baptizandus sub conditione in dubio baptismi praecedentis, peccata iam accusata confiteri debeat?*

Resp. Neg. Ratio est, quia illa peccata iam remissa sunt per Sacramentum Poenitentiae, si validus fuit prior Baptismus; si au-

borum: sed verba, quae a Sacerdote absolvente proferuntur, immediate feruntur ad eum, qui se subiicit sacramento: unde ipse sanctificatur virtute absolutionis, et gratiam suscipit; non autem sanctificatur eius confessio, ut ex ea gratiam accipiat, sicut erat in baptismo de sanctificatione aquae (*In 4. Dist. 22. Q. 2. art. 1. q. 1. ad 3.*). Dixi autem (*in not. ad n. 414.*) his contraria non videri, quae S. Doctor tradidit in Summa (*3.q.86. art. 6.*). Nam licet in corpore articuli remissionem culpae aliquo modo esse dicat *effectum actuum poenitentiae;* attamen subdit (*ibid. ad 1.*), id intelligendum de actibus, *qui sunt ibi ut effectus gratiae operantis, simul producti cum remissione culpae.* Et clarius (*ibid. ad ultim.*): *Actus poenitentiae virtutis habet, quod sine eo non possit fieri remissio culpae, in quantum est inseparabilis effectus gratiae, per quam principaliter culpa remittitur, quae etiam operatur in omnibus sacramentis.* Si itaque actus eiusmodi est effectus gratiae, qua culpa remittitur; non potest sane, utpote posterior, dici causa gratiae culpam remittentis.

(*a*) Ioannes XXII. (*Extrav. vas electionis, de haereticis*) oppositam sententiam damnat uti *falsam* et *erroneam.* Vid. Croix (*Lib. 6. P. 2. n. 589.*).

tem non fuit validus, non sunt materia confessionis, et per secundum Baptismum remittentur. — *Reuter, n. 118.*

QUAER. 3° *An adultus praefatus accusare debeat peccata nondum confessa, seu ab ultima confessione commissa?*

Resp. Controversum hucusque inter scriptores fuit. I[a] SENTENTIA *probabilis negabat,* quia (inquiebant) posita probabili prioris Baptismi invaliditate, peccata ista probabiliter non sunt materia capax Sacramenti Poenitentiae; ergo etiam probabiliter non sunt clavibus subiicienda: obligatio enim confitendi peccata, sequi non potest nisi consequenter ad Baptismum rite collatum. Hinc si forte haec peccata non remittantur per secundum Baptismum invalidum ob prioris validitatem, remitti poterunt sive per contritionem perfectam, sive *indirecte* per absolutionem cum attritione. — *Lacroix, n. 323. de Baptismo, et alii.*

II[a] SENTENTIA etiam *probabilis affirmabat,* quia urget obligatio confitendi peccata, quoties non constat, ea ante Baptismum validum commissa fuisse. Concludebat porro Auctor, in praxi confessionem admodum suadendam esse (*a*). Nunc vero fac attendas ad novissi-

(*a*) Haec praxis in praec. Editione exhibebatur insuper uti conformior instructioni, quam alias dederat S. Officii Congregatio, dum ordinem in reconciliandis hisce adultis servandum docebat. Quae quidem instructio sin minus necessariam, saltem opportunissimam supponebat confessionem. Veruntamen addebatur, quod si reipsa probabilis esset prima sententia, quae alioquin consentanea videri potuit generali principio de non imponenda Confessionis obligatione, quando moraliter (ut ait S. Alphonsus *Lib.6.n.505.*) de ipsa non constat; committendum non fuisset, ut ad Confessionem non necessariam ille urgeretur, cui ipsa tam dura appareret, ut forte difficultate victus a reconciliatione absterreri posset.

Nunc vero pro secunda sententia accessit S. Inquisitionis Responsum 17. Dec. 1868. Ad Postulatum enim nomine Episcoporum Angliae oblatum, *An debeat... Confessio sacramentalis a neo-conversis in Anglia exigi, et an debeat esse integra?* ad utramque dubii partem responsum est: *Affirmative; et dandum esse decretum latum sub feria V. die 14. Iunii 1715.*

Quod quidem responsum non spectare solum ad specialia Angliae adiuncta, evincit praecedens responsum anni 1715. Propositum nempe fuit *Dubium, an plena fides sit adhibenda Carolo Wipperman de Rostoch in Ducatu Muxlemburgh praedicanti et lectori theologiae lutheranae quietisticae superintendenti et doctori primario sectae lutheranorum quietistarum, S. fidei reconciliato in S. O. Parmae, et circa nonnullos errores detectos in eius baptismo; an ipsi credendum sit circa ea, quae narrat, et quatenus affirmative, tum ut ipsius saluti, tum etiam ut caeterorum illius sectae seu regionis, praesertim si fuerint ignorantes, saluti pariter consulatur.*

Quaeritur, an dictus Wipperman sit rebaptizandus, et quatenus affirmative, an absolute vel sub conditione; et quatenus affirmative, an teneatur confiteri omnia peccata praeteritae vitae; et quatenus affirmative, an confessio praeponenda sit, vel postponenda baptismo conferendo sub conditione.

SSmus auditis votis Eminentissimorum dixit: Carolum Ferdinandum esse rebaptizandum sub conditione, et collato baptismo, eius praeteritae vitae peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur.

** Quamvis haec quaestio ad Vindicias Alphonsianas nihil pertinere

mum S. Congr. responsum, quod anno 1868 labente de hac re editum est.

420. — Quaer. 4° *An adultus baptizandus et absolvendus conditionate, primum baptizari vel absolvi debeat?*

videatur, quippe de ea S. Doctor Alphonsus ne verbum quidem habet; silendum tamen de ea VV. non censuerunt, et huic argumento quatuor columnas (*Pag. 463–465.*) dedicant, fortassis ut exemplo huius doctrinae in Compendio Gury expositae, quae dein antecedenti Decreto minus consona apparet, nemo miretur, quod et in Opere morali S. Alphonsi quaedam probentur opiniones, quae reprobatae per antecedentia aut subsequentia Ecclesiae Decreta reperiuntur.

Quod nunc interest, digna, quae animadvertatur, est conclusio, quam ex allato Decreto VV. deducunt. *Decretum,* inquiunt (*Pag. 465.*), *S. Inquisitionis probat, non semper dubiam confessionis obligationem pro nulla esse habendam.* At enim, si res ita est, iam nulla Compendii Guryani luculentior exoptari potuit apologia. Nam VV., nisi eorum verba sensu vacua dixeris, supponunt, obligationem Confessionis per se esse dubiam. Porro dubia dici non potest, nisi vere probabilis censeatur sententia, quae obligationem negat. Ergo iam recte ex VV. suffragio Gury post Lacroix dicendus est scripsisse, sententiam, quae integrae Confessionis obligationem negat, esse probabilem!

Sed ulterius. Ne dubia obligatio habeatur pro nulla, effici non potest nisi vi alicuius principii, quod in casu tutiorem partem necessario sequendam esse statuat. Atqui si de Confessionis integritate agitur, ecce occurrit nobis S. Alphonsus, inquiens (*Hom. Apost. Tr. 16. n. 29.*): *Nemo tenetur ad leges dubias... Nec obstat hic dicere, quod in sacramentorum materia non possimus sequi opiniones solum probabiles: quia hoc procedit cum agitur de valore Sacramenti; secus de* (confessionis) *integritate.* Porro quaestio praesens est, num confessio, eaque integra a neophyto sit exigenda.

Sed adhuc ulterius. Decretum S. Inquisitionis hic accipiatur oportet vel ut nova lex iuris mere ecclesiastici, vel ut iuris divini Declaratio. At vero quis affirmet, novam in casu ab Ecclesia conditam esse legem? Ubinam huius legis promulgatio? Erit igitur iuris divini Declaratio. At enim nescio enimvero, cuinam venire in mentem queat, attribuendam S. Inquisitioni esse declarationem, vi cuius obligatio *dubia,* nullo accedente altiori principio, per se dici *nulla* non possit.

Meliori itaque consilio, ut videtur, sua VV. studia contulissent ad rationes afferendas, quibus evinceretur non quidem *dubiam* Confessionis obligationem *non esse nullam*, sed potius confessionis obligationem in casu non esse dubiam. Sed, quod dolendum est, nihil horum ipsi praestiterunt.

Caeterum aliquot utique rationes allatas cernimus in supplici libello, qui de hac quaestione Sedi Apostolicae an. 1868. oblatus est, et cuius partem etiam VV. (*l. c.*) referunt. Verum illas ad speciales Angliae circumstantias forte spectare haud immerito suspicaberis. Exigendi enim a neophytis integram totius vitae confessionem istas, ceu causas necessarias, exhibuit: *Habetur difficultas conversorum, intellectum ad obsequium fidei ipsius captivandi, nisi per animi humilitatem et submissionem, quas in Sacramento Poenitentiae Christus Dominus reponere dignatus est. — Habetur etiam impossibilitas sciendi, nisi per integram peccatorum manifestationem, utrum neo-conversus rite sit ad ipsum baptismum dispositus, velitque ex. gr. restitutionem famae vel bonorum (si ad eam teneri contigerit) facere, occasionem proximam peccandi vitare, a matrimonio nulliter contracto resilire, etiamsi per Sanctae Sedis dispensationem (uti in casibus quotidie frequentioribus matrimonii post divortium civile contracti) illud sanari nequeat. — Habetur insuper necessitas suae saluti per iustificatio-*

Resp. 1° *Per se* parvi interest. Ratio est, quia si iam fuit valide baptizatus, absolutio producet effectum suum, sive ante sive post Baptismum conditionatum conferatur; si vero prior Baptismus fuerit invalidus, nullus erit effectus Sacramenti Poenitentiae sive ante

nem in sacramento Poenitentiae prospiciendi, a cuius integritate nemo in infantia semel baptizatus possit eximi, attenta praesertim diligentia iuniorum e Clero Anglicano circa ritum baptizandi fideliter servandum, et attento proinde maiori numero eorum, de quorum baptismatis infantilis valore non licet dubitare. Cum vero certum sit, quod post plures annos, confessionis integrae obligatio vim suam sit amissura, si in praxi sequi valeant Theologi uti tutam opinionem auctorum praefatorum (aientium nempe cum Lacroix, dubiam in casu esse confessionis obligationem), *Archiepiscopus Westmonasteriensis et Episcopi Angliae enixe rogant etc.* Ita quidem supplex libellus.

Porro si vel hoc unum spectetur, eam scilicet a iuniori Clero Anglicano diligentiam in ritu baptismi servando adhiberi, ut *de infantilis baptismi valore dubitare non liceat;* quis iam non videat, quando constet, cuipiam baptismum rite sic collatum fuisse, rem eo iam adduci, ut, cum baptismi iterandi vix ulla tunc appareat causa seu necessitas, sacramentalis confessionis integritas ad iustificationem a peccatis postmodum commissis prorsus sit necessaria? Sed neque caeteris, quae adducuntur, rationibus suam propter Angliae adiuncta vim deesse existimandum est. Quamquam enim rationes, quae petuntur ex necessitate vel vincendi difficultatem in captivando intellectum in obsequium fidei, vel cognoscendi, utrum neophytus sit rite ad baptismum dispositus, paratumque animum gerat ad implendas, si quae forte adsint, obligationes restituendi famam aut bona aliena, aut vitandi proximas peccati occasiones, aut resiliendi ab illegitimo, quod sanari alioqui non possit, matrimonio, quamquam (inquam) eiusmodi rationes, si in se spectentur, ad inferendam sacramentalis confessionis necessitatem parum efficaces generatim videri queant, eo vel magis, quod eandem confessionis necessitatem inducerent, etiamsi neophytus a iudaismo vel mahumedismo, aut idololatria conversus ad fidem esset; quippe de illa animi comparatione constare in quibuslibet neophytis debet, quicumque ad baptismum accedant; quamquam insuper, si presse Decreto Inquisitionis inhaereamus, parum confessio conferre videatur ad praedictos fines, praecognoscendi scilicet neophyti idoneas ad baptismum suscipiendum dispositiones, propterea quod confessio iuxta Decreti tenorem non praecedere, sed subsequi baptismum debet; et insuper, etiamsi praecederet, tamen cum notitia per sacramentalem confessionem hausta sane non sit eiusmodi, qua in foro externo uti liceat ad definiendum, sit nec ne, neophytus ad baptismum recipiendum rite dispositus; nihilominus dubitandum non videtur, quin specialissima rerum in Anglia conditio efficiat, ut iis necessitatibus, nisi per confessionem sacramentalem, occurri non possit. Quod idem profecto et de gravissimo incommodo dici potest, quod postremo loco tangitur, scilicet de periculo, ne obligatio confessionis vim suam hac de causa paulatim sit amissura. Et sane nuspiam alibi timor theologos incessit, ne, dum statuunt, ad confessionem eum non teneri, qui solum materiam dubiam habet aut etiam dubie necessariam (Vid. S. Alph. *Lib. 6. n. 473–474.*), adduntque pro lubito eam materiam praeteriri posse, si quidem aliam materiam afferens confiteri velit, nuspiam (inquam) timor incessit, ne futurum exinde sit, ut decursu temporum integrae confessionis obligatio vim suam sit omnino amissura. Et tamen id in Anglia fuisse eventurum verba Postulati seu supplicis Libelli pro certo testantur. Alioquin vero diffiteri profecto nemo poterit, et si nullum de hisce Decretum prodiisset, attamen manifestam huius praxis utilitatem propterea apparere,

sive post secundum Baptismum suscipiatur: unum enim tantum e duobus Sacramentis efficaciam in casu habere potest.

Resp. 2° Ex convenientia melius est sequi ordinem naturalem, scilicet baptizare primum *conditionate,* et dein *sub conditione* absolvere. Attamen expedit confessionem Baptismo ad meliorem baptizandi dispositionem praemittere, absolutionem autem immediate post Baptismum conferre. — *Ita communiter in praxi* (*a*).

421. — QUAER. 5° *An peccatum accusatum tantum in genere, aliquando sit materia sufficiens ad confessionis* VALIDITATEM *vel* LICEITATEM (*b*); *v. gr. si quis dicat:* PECCAVI, *vel Me accuso* DE OMNIBUS PECCATIS MEIS?

quod Neophytus in re sat difficili strenue semetipsum abnegans iuxta verba Christi, non secus scilicet atque illi, qui relictis omnibus Christum sequebantur, facile deinde gressus post eam de se victoriam, uberioribusque gratiae viribus roboratus in via Domini constanter ambulabit, imo et curret.

Porro cum Decretum anni 1715 in Nota relatum, cui recentior responsio anni 1868 innititur, non ad Angliam, sed ad Germaniam referatur, et nihilominus, ut ibi legitur: *SSmus auditis votis Emorum dixit, Carolum Ferdinandum esse rebaptizandum sub conditione, et collato baptismo eius praeteritae vitae peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur;* iam satis apparet, statum quaestionis omnino a VV. postulasse, non quidem ut contenderent, obligationem *dubiam* in casu *non esse nullam,* sed utique ut ostenderent, obligationem heic *dubiam* ex intrinseca ratione dici non posse. Sed de his suo loco.

(*a*) Si quid tamen valet Responsum supra (*in Not. praec.*) allatum in causa Caroli Wipperman, ordo, quem A. *naturalem* dicit, sequendus erit.

(*b*) Quaestio de *liceitate* seiungi a quaestione de *validitate* potest solum quoad sacerdotem, qui utique absolvere valide, et simul illicite aliquando potest. Nam quod attinet ad poenitentem, si mala hic fide agat, cum illicita tum invalida erit confessio; si autem cum bona fide, confessio illicita non erit.

Caeterum ad quaestionem hanc lucide enucleandam praestat distinguere, quid ad intrinsecam iudicii sacramentalis essentiam requiratur ac sufficiat, quid vero ad necessitatem divino praecepto impositam. Si huius itaque iudicii essentia tantum spectetur, nemini nunc dubium esse potest, non modo formulas ab A. allatas, *Peccavi, me accuso de omnibus peccatis,* etc., sed et quodvis aliud poenitentiae signum sufficere. Unde consentiunt omnes, ut valide absolvantur aut milites instante praelio, aut nautae imminente naufragio, aut infirmi in mortis articulo, etc., satis esse, quod v. gr. apprehensione manus, tunsione pectoris, aut aliter quomodocumque poenitentiae indicium praebeant.

Tota igitur quaestio vertitur circa obligationem, quam positiva Christi lex inferat. At vero haud valde difficilis erit solutio, si quidem ex nativo proprioque fonte petatur, nimirum ex authentica eiusdem legis interpretatione, quae in Tridentinae Synodi doctrina prostat. Et sane S. Synodus (*Sess. 14. Cap. 5.*) utique ex necessitate iudicii a sacerdote ferendi *cum causae cognitione*, colligit, peccata *non in genere dumtaxat, sed in specie singillatim declaranda;* colligit, non modo peccata omnia, *sed etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quae speciem peccati mutant.* Verumtamen nunquam non addit expresse, se id affirmare de materia necessaria, nempe de *peccatis mortalibus*, quae numquam rite clavibus subiecta fuerint. Nam quod ad materiam mere sufficientem spectat, *venialia* profecto cum laude a piis hominibus in confessione dici, sed si-

Resp. 1° Quoad *validitatem* 1° *affirm.* certo in casu *necessitatis*, seu quando poenitens, v. gr. moribundus, nullum peccatum in specie accusare potest. — *Ita communissime cum S. Thoma.* — 2° *Affirm.* saltem multo *probabilius etiam extra casum necessitatis*, si materia necessaria seu in specie declaranda deficiat. Ratio est, quia

mul *taceri citra culpam* docet: et siquidem taceri materiae huius mere sufficientis substantia potest, a fortiori taceri et genus et species et circumstantiae etiam speciem intra culpae levitatem mutantes poterunt. Quae quidem doctrina tam clare ibi proposita elucet, ut cum nonnulli difficultates plures moverint adversus sufficientiam confessionis *peccati in communi* (*Vid. Lugo De Poenit. Disp. 17. a n. 6.*), nemo tamen unus extiterit, qui in eam rem suppetias a Synodi eiusdem doctrina quaeri posse censuerit.

Difficultates videlicet petierunt vel ex eo, quod eiusmodi confessio nullam novam notitiam det confessario, cum solum manifestet peccatorem in genere, quod quidem iam sciebat confessarius, cum omnes simus peccatores; vel ex eo quod iudex non possit prudenter iudicare nisi cognita causa in particulari; vel demum ex eo, quod in casu nihil appareat, ad quod directe terminetur absolutio. Quas quidem obiectiones postquam Card. De Lugo (*l. c. n. 11. seqq.*) facili negotio solvit etiam cum agitur de materia confessionis necessaria in casu necessitatis, deinde doctrinam extendit (*ibid. n. 17.*) ad confessionem *peccati venialis in genere.* Unde patet, merito Ioannem De Dicastillo (*De Sacr. Poenit. Disp. 9. n. 760.*) ex his conclusisse, *non solum in casu necessitatis, sed etiam per se loquendo confessionem peccati venialis in genere* (idem dicito de peccatis etiam gravibus alias per absolutionem remissis) *esse per se sufficientem materiam absolutionis in eo, qui solum habet venialia.* Et consentit Suarez (*De Poenit. Disp. 23. Sect. 2. n. 10.*), tum quia nullum est praeceptum confitendi venialia in specie, tum quia confessio venialis peccati in specie non magis conscientiam declarat, quam si quis in genere se peccasse venialiter dicat, nec magis variat iudicium confessarii. Ad id vero quod Suarez (*ibid.*) addiderat, hoc speculative verum esse; sed in praxi declarandam speciem, ut certa sit materia; egregie Dicastillo (*l. c. n. 762.*) reponit: *Si hoc speculative verum est, etiam practice verum erit. Tunc enim tantum in re morali dicitur aliquid speculative quidem verum sed non practice, quando id, quod in speculatione consideratur, non potest exhiberi in praxi, quin aliqua contingat variatio. Quando vero omnino invariatum potest reduci ad praxim ea ratione, qua consideratur in speculatione, si speculative verum est, practice quoque verum censeri debet. Quapropter cum confessio venialis in genere possit in praxi exhiberi eo modo, qui speculative censetur sufficiens, erit quoque practice censendus talis.* Caeteroquin autem vix apparet, quid sibi velit Suarezius, dum *certam postulat materiam.* Numquid enim certum non est peccatum, aut non subiicitur certe clavibus? Quod si certam vult esse materiam, quatenus in exponendis peccati adiunctis tutiores sequendae sint opiniones, id enimvero contra communem omnium sententiam, communemque asseritur praxim, quae praecepto confessionis satis fieri tenet, quando praeceptum probabiliter impletur iuxta dicta *Vol. I. n. 80.*

Haec autem adnotanda erant, non modo ut sua veritati iura serventur, sed etiam quia aliquando praxi deservire utiliter possunt, ut ex dicendis in resolutionibus patebit.

** 1° Obiiciunt hic VV. (*Pag. 934. n. 104.*) quasi oppositam hanc doctrinam S. Alphonsi: *Curet* (*Confessarius*), *si poenitentem sine peccato vult absolvere, aut eum disponere ad dolendum praesertim de aliqua levi culpa...., aut ei insinuare, ut confiteatur de aliquo peccato graviori vitae anteactae contra aliquod praeceptum; sufficit enim ut confiteatur in ge-*

essentia Sacramenti non mutatur pro variis casibus. — *Lacroix, n. 620.* — *Reuter, n. 303.* — *Lugo, disp. 17. n. 8.*

Resp. 2° Etiam quoad *liceitatem affirm.* saltem probabiliter. Ratio est, quia ubi desunt peccata mortalia, nulla est obligatio caetera

nerali absque numero, ut habeat materiam certam, super qua inniti possit absolutio.

Resp. *Transeat totum; et Nego consequentiam.* Concedimus enim, laudabilem esse eam Confessarii curam, itidemque sufficere confessionem alicuius peccati anteactae vitae contra aliquod praeceptum. At negamus, aut constare aliter non posse de dolore poenitentis, aut deesse absolutioni materiam certam, si in casu non exprimatur speciale praeceptum, quod violatum fuerit.

2° Referunt VV. (*Pag. 479–480. in Not.*), *dilutam iam fuisse doctrinam* heic traditam, in Ephemeride *Nouvelle Rèvue théologique Tournai 1869. Tom. 1. pag. 67.;* et ad hanc lectorem remittunt.

Resp. Liceat et nobis tum Cl. VV., tum alios remittere ad egregium Opusculum Sacerd. Stephani Apicella, cui titulus: *Ai Confessori, studio sull'Assoluzione a darsi a chi nell' attual confessione non offre materia necessaria. Scafati. Tipogr. Pompeiana 1874.* Ibi invenient difficultates adversus thesim nostram perdocte solutas. Interim binas inde sumptas, quas ceu potissimas VV. promunt, difficultates perpendemus.

3° Post Tornacenses itaque obiiciunt VV. (*Pag. 480. in Not.*), ex absolutione, quae datur aut militibus instante praelio, aut moribundis, nonnisi *vitio logico* deduci, *validam* ac *licitam* esse *generalem* accusationem extra casum necessitatis.

Resp. Deducitur vitio logico *quoad validitatem,* Nego; *quoad liceitatem,* Transeat. Nimirum, ut in Nota dicitur, quaedam pertinent ad intrinsecam sacramenti essentiam, apta scilicet et sufficiens materia tum proxima tum remota, ac forma; quaedam vero solum ad necessitatem praecepti, ut v. gr. confessionis *integritas.* Porro quod attinet ad essentiam, falsum est, ad efficiendum sacramentum extra necessitatem non sufficere elementa, quae in necessitate sufficiunt; nam essentia non est mutabilis, eandemque per se semper intrinsecam virtutem retinet. Logice igitur quoad elementorum essentialium sufficientiam a casu necessitatis ad alios casus arguitur. Utique vitiose a casu necessitatis quis argueret ad alios casus quoad res meri praecepti; quia a servandis legibus quis excusari potest in necessitate, non vero extra necessitatem. At falso nobis adscribitur eiusmodi argumentatio. In casu enim licitam dicimus *confessionem in genere,* non quia tunc quis a lege excusetur, sed quia lex per se nihil ulterius exigit.

4° Addunt VV. (*l. c.*) cum Tornacensibus: *Natura Sacramenti, quod fit per modum iudicii, exigit, ut materia omnino determinata sit per distinctam peccatorum accusationem.*

Resp. Exigit iuxta normam a S. Concilio Tridentino propositam, C., secus, Nego. Videsis quae de Tridentini Concilii doctrina in Nota dicta sunt.

5° Subdunt cum Tornacensibus VV. (*l. c.*): *Iste confitendi modus, qui alioquin protestanticum usum redolet, et poenitentis et Confessarii laxitati et negligentiae favet.*

Resp. Istiusmodi obiectiones, seu forte melius dicteria, parum methodum theologicam redolent. Itaque quoad *usum protestanticum,* consulant Bellarminum, Valentiam etc. etc. etc., et inde addiscant, quid sibi protestanticus usus velit. Quoad reliqua satis sit reposuisse, neque laxitatis neque negligentiae incusari eos posse, qui normam a S. Tridentina Synodo propositam servant.

6° Instant VV. cum Tornacensibus: Etsi esset probabilis doctrina, de

peccata in specie declarandi, cum venialia omnino omitti possint. Concilium enim Trident. nihil prorsus hac de re determinavit, nisi quod sola peccata mortalia essent materia necessaria confessionis. Generatim tamen in praxi expedit (quod et fieri communiter ab omnibus solet), venialia etiam in specie confiteri ratione directionis a Confessario tradendae, etc. Quod spectat autem ad accusationem generalem de peccatis vitae anteactae, quam poenitentes pii subiicere solent in fine confessionis ad certiorem Sacramenti materiam reddendam, satis est sane, si quis dicat: *Accuso me de peccatis vitae praeteritae*, vel *totius vitae meae.*

422. — Quaer. 6° *An poenitente materiam sufficientem dubiam tantum praebente, Confessarius teneatur exquirere certam de vita praeterita, ut absolvere possit?*

Resp. 1° *Affirm.,* si velit absolvere, quia secus Sacramentum pe-

qua sermo, non liceret tamen ea uti; quia obstat Propositio 1. ex damnatis ab Innoc. XI: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore.*

Resp. *Nego suppositum,* scilicet hic agi de sacramenti valore. Ubi enim essentialia servantur, nullum dubium de sacramenti valore superest. Atqui, ut saepius dictum est, hic essentialia servantur. Praesens itaque quaestio est non de sacramenti essentia, sed de materia praecepti; quocirca huc facit, quod de huiusmodi quaestionibus respondet S. Alphonsus (*Hom. Apost. Tr. 16. n. 29.*): *Nec obstat hic dicere, quod in Sacramentorum materia non possimus sequi opiniones solum probabiles; quia hoc procedit cum agitur de valore sacramenti; secus de integritate.*

7° Demum contra sententiam Suaresii in Nota relatam, scilicet quod *confessio peccati venialis in specie non magis declarat conscientiam, nec variat confessarii iudicium,* obiiciunt VV., variari posse Confessarii iudicium, 1° quia cum recidivo in venialia potest *negare* absolutionem; 2° quia forte *mortale* aliquando erit, quod poenitens iudicat veniale; 3° quia venialia v. gr. in pueris possunt non esse satis certa.

Resp. *Transeat totum,* et Nego consequentiam, quippe quae latius praemissis immenso patet intervallo. Neque enim ex eo, quod *aliquando per accidens* prosit culpam aliquam specifice novisse, concludere licet, id *semper* necessarium esse; sed ad Confessarii prudentiam spectabit, si quando opus sit, ea scitari, quae ad rem faciant. Caeterum ex eo, quod VV. advertunt, forte *mortalem* esse culpam posse, quam poenitens *venialem* credit, numquid morosa haec methodus rem eo non adduceret, ut necessaria omnium peccatorum venialium confessio semper censeatur? Quod vero caput est, ignorare VV. non possunt, hanc quaestionem eo maxime spectare, num specifica alicuius peccati confessio necessaria sit, quando specificae levium culparum confessioni generica peccatorum anteactae vitae confessio adiungitur, nullo specifice peccato expresso. Nam quod attinet ad consuetas venialium confessiones, quaestio dicenda potius est mere speculativa, cum prorsus praeter morem fidelium sit dumtaxat *generice* veniales culpas accusare. At secus contingit de generica illa peccatorum anteactae vitae confessione. Porro manifestum est, quoad istam praemissas VV. observationes ne minimum quidem ad rem facere. Et de hoc quidem argumento dignum est, quod legatur laudatum Rev. D. Apicella Opusculum. Inter alia enim aptissimis rationibus ostendit, quam inaniter in generali hac accusatione quidam exigant alicuius in specie peccati confessionem ea de causa, ut Confessarius idoneum iudicium exerceat.

riculo nullitatis exponeretur. Excipe, nisi casus occurrat, in quo poenitens conditionate absolvi possit, qua de re inferius.

Resp. 2° *Neg.*, si nolit absolvere, sed dimittere poenitentem cum sola benedictione; quia poenitens, qui materiam certe sufficientem non affert, ius ad absolutionem non habet. — Item si poenitens videatur habere dolorem dubium de solis venialibus, non tenetur ordinarie Confessarius magnam diligentiam adhibere, ut illum ad dolorem commoveat, licet multo melius id faciat. — Secus autem dicendum esset, si de mortalibus dubiis ageretur, ob poenitentis periculum.

423. — Quaer. 7° *An sit necessario absolvendus poenitens, qui non affert materiam* NECESSARIAM?

Resp. Neg. per se, si poenitens absolutionem non petat; sed etiam sine absolutione ei permitti potest sacrae Synaxis susceptio; quia cum sit in statu gratiae, non requiritur Sacramentum Poenitentiae ad illum disponendum. Attamen *ordinarie* expedit talem absolvere, ut et gratiae sanctificantis augmentum, et gratias sacramentales, facilioremque peccatorum venialium, ac poenarum remissionem recipiat, etc. — *Lacroix, n. 1889., cum aliis.*

Si vero non receperit Sacramentum a notabili tempore, vel si indigeat auxiliis specialibus ad tentationes v. gr. superandas, aut si ipse poenitens id cupiat, aut postulet, est absolvendus (*a*).

424. **Resolves.** — 1° Materia sufficiens et licita confessionis sunt venialia, aut mortalia alias confessa, secundum *speciem suam* etiam genericam (*b*), praescindendo a numero et a circumstantiis quibuslibet. Ratio est, quia sic habetur confessio peccati determinati, saltem unius in specie; nec est obligatio addendi numerum venialium, vel mortalium iam remissorum. Nihil enim est in forma absolutionis, quod determinationem alicuius peccati exigat. — *Reuter, n. 202.*

2° Si quis de nullo peccato se accuset in particulari, et dicat, v. gr. *nihil scio*, nisi quod saepe debui peccare sicut caeteri ho-

(*a*) Quoties apparet, poenitentem etiam cum materia mere sufficienti accessisse, ut sacramentum recipiat, et dispositus deprehenditur, vix enimvero est intelligere, quorsum quidam tot misceant disputationes, sitne absolvendus, nec ne, aut quando absolvendus, quando non absolvendus. Nam liberum utique fuerit sacerdoti confessionem excipere, vel non excipere. At postquam confessionem excepit, et poenitentem rite dispositum habet, quisnam, quaeso, aut quaenam iura hanc confessario potestatem faciunt, ut pro arbitratu suo absolvat vel non absolvat? Et etiamsi ius (quod sane non totum pendet a periculo secus imminenti, aut a materiae maiori, minorive gravitate) poenitenti per confessionem acquisitum seponas, quae sana ratio suadere potest, ut sine ulla causa fidelem augmento sanctificantis gratiae, reliquisque caelestibus donis, quae huius sacramenti sunt fructus, confessarius pro ingenio suo fraudet?

(*b*) Species *generica* a quibusdam intelligitur etiam *genus peccati subalternum*, uti si confitearis, te peccasse contra *iustitiam*, aut *religionem*, aut *fidem*. *Vid. Dicastillo, De Poenit. Disp. 9. n. 743.*

mines, examinetur ut pueri examinari solent. Si nihil ab ultima confessione elici possit, interrogetur de vita praeterita...., an unquam sit mentitus in vita sua.... an unquam parentes offenderit, aut iratus fuerit, vel proximo detraxerit, etc. etc.?

3° Cum mulierculis, devotulis et aliis eiusmodi, qui nonnisi confuse et de valde levibus confitentur, curandum, ut culpam aliquam de vita praeterita aut in specie, aut saltem in genere addant. Tunc vero ad dolorem et propositum excitare eos conaberis, et absolutos in pace dimittes. — *Elbel, n. 19.*

4° Ad maiorem securitatem et certiorem percipiendum fructum poenitentibus suadendum est, ut praeter peccata dubia aut etiam levia quotidiana, semper ex iam confessis subnectant saltem generice (*a*) aliud certum peccatum, de quo vehementius doleant, ne forte Sacramentum periculo frustrationis exponatur. — *Elbel, n. 19.*

5° Monendi vero sunt poenitentes, qui praedictam praxim servant, ne tantum ex quadam consuetudine peccatum vitae praeteritae clavibus iterum subiiciant, praesertim si peccatum illud leve sit; quia subest timor, ne satis doleant, et proinde scopum prospiciendi validitati et fructui Sacramenti non attingant (*b*).

6° Sufficit iuxta omnes confessio *in genere,* si Confessarius plane agnoscat aliunde poenitentem, v. gr. ex recenti confessione totius vitae, etc...., et sciat, illum accusare se velle de peccatis iam sibi notis; tunc enim satis erit dicere: *Me accuso de omnibus peccatis meis iam tibi notis;* vel simpliciter: *de omnibus peccatis vitae praeteritae.*

CAPUT III.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIAE

Forma Sacramenti Poenitentiae duplex distingui potest: alia *essentialis* pro valore Sacramenti, et alia *praeceptiva* tantum seu *rubricalis.*

425. — I. Forma *essentialis* consistit in verbis: *Te absolvo a peccatis tuis.* Constat ex *Conc. Trid. sess. 14. c. 3.,* ubi ait: *Docet Sancta Synodus, Sacramenti Poenitentiae formam, in qua praecipue*

(*a*) Prudentissime insinuatur, ut generica confessione contentus sit confessarius. Grave enim subinde poenitenti contingit, quod confessarius graviorum in specie peccatorum confessionem extorquere velit; neque novum est, poenitentes quosdam molestissimae huius confessariorum importunitatis pertaesos perraro deinceps ac sola veluti necessitate compulsos ad confessionem accessisse.

(*b*) Non tamen hac de causa se nimis vexare ac poenitentes confessarius debet. Si enim de iis agatur, qui non gravia modo, sed et levia peccata cavere aliqua cura solent, hi habituali, ut ita dicam, peccati odio afficiuntur, ac facillime in actum exeunt, licet fieri possit, ut minus in ipsis sensibilis dolor existat, quam in aliis, qui ad peccatum detestandum maiori quadam affectuum mutatione indigent.

ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo, etc.; *quibus quidem, de Ecclesiae sanctae more, preces quaedam laudabiliter adiunguntur.*

426. — II. Forma *praeceptiva* seu *rubricalis* consistit in iis precibus, quae antecedunt vel subsequuntur formam essentialem. Sic autem habetur in Rituali Rom.: *Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Amen.*

Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Dominus noster I. C. te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis (suspensionis), et interdicti, in quantum possum et tu indiges; deinde (*a*): *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Passio Domini nostri I. C., merita B. M. Virginis et omnium Sanctorum et quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen.

Elevatur manus a verbo *Indulgentiam* usque ad verbum *Passio Domini;* et fit signum crucis in poenitentem dicendo: *In nomine Patris....* Vox *suspensionis* omittitur pro laicis. Pia autem est consuetudo, ut Confessarius ante confessionem, dum benedicit poenitentem, dicat: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua,* vel similem orationem recitet. — Sed hoc sub obligationem non cadit.

In praxi facile omitti possunt preces *Misereatur* et *Indulgentiam,* ut constat ex *Rit. Rom.* Imo iuxta communiorem sententiam absque peccato semper omitti possunt. Idem etiam dicunt de orationibus, quae absolutionem sequuntur; sed cum iuxta sententiam probabilem haec elevent bona opera poenitentis ad meritum satisfactionis sacramentalis, convenit ut quam rarissime omittantur. — Verba autem *Dominus noster.....* non videntur posse omitti sine culpa veniali, nisi necessitas urgeat, cum dicat Rituale Rom.: *In confessionibus frequentioribus satis erit dicere: Dominus noster.....*

(*a*) Vox ista, *deinde,* diversis characteribus etiam in Rituali notatur; idque indicare videtur, ipsam non ad ea, quae sacerdos pronunciare debet, sed mere ad ordinem eorum designandum pertinere.

Et sane ut ordo iste servetur, postulat notissima lex, quae praescribit, poenitentes prius a censuris, postea a peccatis esse absolvendos.

Fuerunt tamen, qui putarent, vi cuiusdam Responsi S. Congr. Rituum contrarium esse tenendum. Cum enim propositum fuisset dubium, *An in forma absolutionis ante verba* – Ego te absolvo a peccatis tuis – *dicendum sit, vel omittendum verbum* – Deinde –; S. Congregatio die 27. Febr. 1847. respondit: *Detur Decretum in Veronensi die 11. Martii 1837.* Hoc autem Decretum eiusmodi est: *Nihil innovandum.* E quo responso ut quis concludat, eam vocem a sacerdote absolvente esse pronunciandam, oportet profecto ut iste praestituat, verba *Nihil innovandum* verbis postulati *dicendum sit,* esse synonyma.

usque ad *Passio Domini.....* exclusive. — *S. Congr. Rit.* 27. Februarii 1847.

427. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An valida sit absolutio, si Sacerdos dicat tantum:* ABSOLVO; *vel* ABSOLVO A PECCATIS TUIS; *vel* TE ABSOLVO?

Resp. ad 1um *Neg.* Ratio est, quia solum verbum *absolvo* non prae se fert sensum ullum determinatum, et in nullum subiectum cadit; ergo nequit esse forma valida.

Resp. ad 2um *Affirm. probabilius,* ut videtur, saltem speculative. Ratio est, quia his verbis subiectum sufficienter determinatur: pronomen enim *te* satis exprimitur in verbo *tuis.* — *Ita Lugo, D. 13. n. 26.* — *S. Lig. n. 430. ut probabilius*, etc. Negant autem non pauci, quorum sententia, ut ait S. Ligor. *ibid.*, utpote tutior sequenda est.

Resp. ad 3um *Affirm. probabilius,* cum sententia communi. Ratio est, quia totus effectus Sacramenti in his verbis exprimitur, quin addatur *a peccatis tuis.* — Praeterea videtur constare etiam ex *Catechismo Conc. Trid. De Sacr. Poenit. n. 14.,* ubi dicitur tantum: *Est autem forma:* EGO TE ABSOLVO. Et nihil aliud ibi additur. — *Roncaglia, Lugo,* etc. — Non improbabiliter tamen negant nonnulli cum *Lacroix,* et huic sententiae in praxi standum est.

QUAER. 2° *An valida sit forma deprecatoria: v. gr. absolvat te Deus?*

Resp. Neg. saltem *probabilius* cum *S. Lig. n. 430. — Lacroix, n. 639., et aliis communissime.* Ratio est, quia Sacramentum Poenitentiae institutum est per modum iudicii; proinde voluit Christus, ut Sacerdos tamquam iudex ferret sententiam, et hanc exprimeret: ergo peccata remitti debent ab ipso Sacerdote tanquam Christi ministro; ergo non sufficit, quod Deum deprecetur, ut ea remittat. Ergo, etc. Insuper ex *Conc. Florent.* sola forma indicativa, ut vera forma Sacramenti Poenitentiae, praescribitur.

428. — QUAER. 3° *An necessaria sit elevatio manus et formatio signi crucis in absolutione impertienda?*

Resp. 1° Certum est non requiri *ad validitatem* Sacramenti, quia nec ad materiam pertinet, nec ad formam. Constat ex *Conc. Florent.* et *Trid.* nec non ex Theologorum, *saltem* post *Concil. Trident.,* unanimi consensu.

Resp. 2° Nec requiritur sub mortali *ad liceitatem* iuxta communem sententiam, contra paucos; quia est tantum Rubrica, quae gravis non videtur. Imo plures graves auctores asserunt, hoc omitti posse sine peccato; sic *Busembaum* relatus et implicite approbatus a *S. Lig. n. 425., et alii multi.* Saltem omitti potest sine peccato elevatio manus, dum recitantur preces, quae absolutionem formalem praecedunt.

QUAER. 4° — *An Sacerdos possit valide plures absolvere unica forma, dicens:* EGO VOS ABSOLVO A PECCATIS VESTRIS?

Resp. Affirm., quia omnia requisita ad validitatem reperiuntur. Et licite quoque id fieri potest in casu necessitatis, v. gr. in naufragio, ante praelium, vel in ipso praelio, etc.; essetque talis absolutio multiplex, non quidem *formaliter*, sed *virtualiter* et *aequivalenter*, et essent tot Sacramenta, quot homines forent, qui per aliqualem confessionem et sufficientem dolorem essent dispositi. — *Lacroix, n. 645., et alii omnes.*

429. — Quaer. 5° *Quaenam praesentia poenitentis reputatur moralis in ordine ad absolutionem?*

Resp. Talis esse debet, ut verba *Absolvo te* iuxta moralem hominum aestimationem censeantur cadere in poenitentem; reputatur autem praesentia moralis sufficiens illa, intra quam homines communi voce, quamvis altiori, loqui possunt et solent. Multi eam extendunt ad 20 passus, praesertim si poenitens non sit extra aspectum Confessarii. In necessitate absolvi potest et debet poenitens, quoties aliquo sensu percipitur. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 429.*

Hinc 1° absolvendus est ille, qui videtur e tecto ruere, in flumen cadere, in mare submergi, saltem si non procul a Confessario distet. 2° Si Confessarius ob periculum infectionis, aut ob aliam causam, non possit cubiculum infirmi ingredi, illum e ianua absolvere debet. 3° Si poenitens recederet a Confessario non adhuc absolutus, se absolutum existimans, absolvendus esset, si parum distans aspiceretur, aut certo sciretur adesse intra vicinam turbam; revocandus tamen foret, si commode fieri posset.

430. — Quaer. 6° *An per verba:* Te absolvo a peccatis tuis, *possit Confessarius valide absolvere poenitentem tam a censuris quam a peccatis?*

Resp. Affirm., quia haec verba, *absolvo te a peccatis tuis*, involvunt absolutionem a quocumque vinculo orto ex peccatis; et nihil obstat, quominus Confessarius dirigere possit intentionem ad absolutionem tum peccatorum, tum censurarum. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 430.* — *Lacroix, n. 1567.*, etc.

Quaer. 7° *An valida sit absolutio, si Confessarius absolvat prius a peccatis, quam a censuris?*

Resp. Affirm., quia censura non obstat validitati Sacramenti, sed tantum licitae susceptioni, vel administrationi. Peccaret autem graviter, qui prius absolveret a peccatis, quam a censuris, quia contra gravem Ecclesiae prohibitionem ageret. Excipe, si non agatur de *excommunicationibus*, sed tantum de *suspensionibus* et *interdictis*; quia istae censurae non privant per se receptione Sacramenti Poenitentiae. — *S. Lig. n. 430.* — *Lacroix, et alii communiter.*

Quaer. 8° *Utrum stola requiratur ad Sacramentum Poenitentiae?*

Resp. Etsi Ritualis Rubrica videatur esse *directiva* et non *praeceptiva*, sacra tamen Congregatio Rituum ad confessiones in Ecclesia audiendas usum stolae praecipit (11. Sept. 1847.) *in Palav.*

APPENDIX

DE FORMA CONDITIONATA (*a*).

431. — *Dico* I. Certum est, validam esse *in omni casu* absolutionem sub conditione de *praesenti* vel *praeterito* impertitam, modo adsint alia requisita ad Sacramenti validitatem: conditio enim nullo modo mutat sensum formae sacramentalis, quam nullatenus afficit; sed afficit tantum voluntatem Confessarii, qui non intendit absolvere, nisi impleatur apposita conditio; hac autem impleta, forma evadit absoluta; et proinde nihil reperitur, quod eius validitati officere possit. — *Ita S. Lig. n. 431.*, ubi dicit *omnes de hoc convenire.* — *Billuart, diss. 6. art. 10.* §. 7. ubi asserit *esse sententiam communissimam.* — *Collet, de integr. conf.* §. 5. — *Antoine, c. 2.*, etc. Inter paucos adversarios est adnumerandus *Pontas, verbo Absolutio, cas. 5.*, sed merito carpitur a *Collet* adnotatore, *ibid.* (*b*).

432. — Adversarii generatim distinguunt inter conditionem *facti*, v. gr. *si vivis,* et conditionem *iuris,* de quibus Confessarius iudicare debet, v. gr. *si sis dispositus.* Permittunt conditionatam absolutionem in priori casu, quia conditiones iudicio Confessarii non subiiciuntur; in posteriori autem prorsus reiiciunt. Hinc

Obiiciunt 1° Forma Sacramenti Poenitentiae debet esse iudicialis; atqui si forma sit conditionata, non est iudicialis; nam iudicium de natura sua est absolutum, adeo ut nulla censeatur sententia iudicis civilis, qui forte dicat: Hoc tibi adiudico, si tuum sit. Ergo, etc.

Resp. 1° *Neg. min.* Minime enim destruitur forma iudicii per appositam conditionem, etiamsi conditio cadat in dispositiones poenitentis. Et sane Sacerdos iudicat 1° de peccatis expositis; 2° de poenitentia imponenda; 3° de dispositionibus probabilibus poenitentis; 4° de opportunitate impertiendi absolutionem, licet conditio-

(*a*) Mirabitur quis fortasse, et quaeret, quorsum Auctor praeter et suum et aliorum morem de hoc argumento, quod levioris operae hucusque videbatur indigere, operosius pertractet. Sed obvia succurrit responsio; ubi scilicet et quando novus aliquis error enasci et serpere incipit, occurrendum ipsi sane est illico, et monstrum, antequam adolescat ac viribus augeatur, in cunabulis *ictu,* ut ait Horatius, *fulmineo* prorsus perimendum est.

(*b*) Auctor allegat hic Scriptores, qui, teste S. Alphonso, communiter habentur uti rigidiores; quo scilicet subindicet, certam adeo ac perspicuam esse eam doctrinam, ut ab ipsa ne rigidiores quidem discedendum putaverint. Hoc tamen argumenti genus fallax subinde est. Compluribus enim exemplis ostendi posset, rigidissimos quosque, qui putantur, scriptores non raro in eas laxitates declinasse, quas nemo inter benignissimos admisit unquam.

natam, ob maximum poenitentis bonum. Ergo non deest materia iudicii.

Resp. 2° Non datur rigorosa comparatio inter iudicium civile et iudicium sacramentale; imo in plerisque differunt, ut patet ex dictis supra, *n. 416.* Illud autem potissimum attende, quod sententia iudicis civilis effectum suum semper sortitur, et executioni mandatur; quando in foro Poenitentiae sive sententia absolute feratur, sive conditionate, tamen effectus semper ab occultis conditionibus soli Deo notis dependet. Quocirca sententia Confessarii ex natura sua est conditionata, etiamsi modo maxime absoluto feratur, cum plane ipsi ignotum maneat, num effectus secuturus sit.

433. — *Obiiciunt* 2° In controversiis de valore Sacramentorum *pars tutior semper sequenda est.*

Resp. 1° *Neg.* suppositum, scilicet quaestionem hanc controversiae subiectam esse, cum sententia adversariorum nulla polleat probabilitate, neque intrinseca neque extrinseca.

Resp. 2° Falsum est tutiorem partem semper esse sequendam in *favorem Sacramenti;* nam cum Sacramenta sint *propter homines,* dantur casus in quibus exponendum est Sacramentum periculo nullitatis ad subveniendum hominibus in necessitate spirituali constitutis.

Duplex autem hypothesis fingi potest, quando simul concurrant necessitas et dispositio dubia poenitentis. Prima est absolutionis simpliciter denegandae; secunda absolutionis modo quocumque concedendae. En tibi adstat moribundus dubie dispositus. Eia! edissere, quid ages? Sinesne, hunc poenitentem absque absolutione e vivis excedere? Numquid sic notam crudelitatis effugies? Si enim forte satis dispositus fuerit, licet dubites, nonne damnas salvandum? Si vero absolvas hunc poenitentem, quomodo, quaeso, absolves? Forma absoluta, ais. Optime; sed dic, amabo, numquid firmius feres iudicium de dispositionibus poenitentis? Numquid iudicabis *certo dispositum,* quem cognoscis *dubie dispositum?* Age nunc igitur, excludas quantum volueris conditionem et *oralem* et etiam *mentalem;* eritne ideo certior sententia tua sacramentalis? Velis igitur, nolis, si tunc absolvas, necessario *conditionate absolves,* et *non aliter.* Imo sententia sacramentalis in Poenitentia *per se* et ex natura sua necessario est conditionata, cum supponat in poenitente conditiones requisitas, quae deesse possunt.

434. — *Dico* II. Certum pariter est, absolutionem conditionatam esse quandoque licitam; si enim valida sit, etiam licita esse debet, urgente necessitate. — *Ita communissime Theologi, — S. Lig. ibid. —La-croix, l. 6. p. 1. n. 78. — Elbel, —Sporer, —Salmant.,* etc.

Reiicienda autem est, ut plane laxa, doctrina nonnullorum, qui tenent, conditionatam absolutionem impertiri posse levi qualibet ex causa, ac nulla urgente necessitate, etiamsi de sufficienti dispositione poenitentis mortalibus quoque peccatis gravati quomodocum-

que dubitetur. Nemo quippe non videt, quot sacrilegia induceret huiusmodi praxis. Confessarius siquidem iam non esset prudens dispensator Sacramentorum, sed proiiceret *margaritas ante porcos;* et hac absolvendi facilitate efficeret, ut poenitentes in peccatis tabescerent. — *S. Lig. n. 432.*, etc.

Verum non magis admittenda est doctrina eorum, qui cum *Collet, et aliis quibusdam,* tenent non esse impertiendam absolutionem sub conditione nisi in extrema necessitate seu in extremo vitae periculo; huiusmodi enim doctrina summe noxia est poenitentibus, qui difficile ad Confessarium reverti possunt, et dimissi absque absolutione periculum aeternae damnationis incurrunt.

In quanam ergo necessitate impertiri possit aut debeat absolutio sub conditione, iuxta doctrinam et praxim communem statuendae videntur sequentes regulae.

435. — I[a] *Regula.* Absolutio dari potest et debet sub conditione, quoties absolute concessa exponeret Sacramentum periculo nullitatis, et absolute negata exponeret poenitentem periculo gravis damni spiritualis.

II[a] *Regula.* Etiamsi eiusmodi necessitas non urgeat, dari tamen absolutio potest sub conditione, quoties absolute concessa exponeret Sacramentum periculo nullitatis, et absolute negata privaret poenitentem aliquo bono spirituali *notabili*, licet non *necessario.*

Hinc servatis debitis conditionibus, urgente necessitate, vel stante gravi et proportionata causa, licet absolvere conditionate in sequentibus casibus: 1° in dubio, an poenitens sit vivus, vel mortuus; 2° in dubio materiae sufficientis, v. gr. urgente praecepto confessionis annuae (*a*), etc.; 3° in dubio iurisdictionis ex parte Confessarii; 4° in dubio utrum poenitens rite fuerit absolutus; 5° in dubio usus rationis in pueris, amentibus, etc.; 6° in dubio utrum poenitens sit moraliter praesens; 7° in dubio an moribundus sensibus destitutus Sacramenti capax sit (*b*); 8° in dubio de dispositione poenitentis, urgente non tantum *extrema*, sed etiam simpliciter *gravi* necessitate spirituali.—*S. Lig. n. 432. — Vide casus infra resolvendos n. 639.* (*c*).

(*a*) Nemo ex his putet, Auctorem voluisse hoc loco docere, praecepto annuae confessionis etiam eos obligari, qui non modo nullam materiam necessariam, sed neque certe sufficientem afferant.

(*b*) Ad duplex dubium hic casus refertur, scilicet 1° an qui reperitur sensibus destitutus, christianus sit, nec ne; 2° an capax sit absolutionis ratione dispositionis.

** (*c*) Doctrinae heic expositae, scilicet quod liceat sub conditione absolvere etiam (N. 3.) *in dubio iurisdictionis ex parte Confessarii,* et (N. 8.) *in dubio de dispositione poenitentis*, VV. (*Pag. 934. n. 105.*) quasi oppositam obiiciunt doctrinam S. Alphonsi, qui (*Lib. 6. n. 432.*) quoad primum caput scribit: *Sed hoc non admitterem, nisi poenitens diu deberet carere absolutione.* Quoad alterum vero: *Sed huic doctrinae sic generaliter traditae nec valeo acquiescere: nam dico non posse absolvi sub conditione*

436. — Contra praemissa *Ob.* 1° Praxis illa absolvendi conditionate, praesertim dubie dispositos, est periculorum plena, fomentum iniquitatum, etc...

Resp. Dist. Praxis illa est periculorum plena, etc., si adhibeatur *promiscue* sine discretione et extra casum necessitatis, vel gravis utilitatis, *concedo;* si vero traditae regulae serventur, *nego.*

Ob. 2° Poenitens dubie absolutus perget ad Eucharistiam suscipiendam, et sacrilege communicabit; hoc autem permitti nequit. Ergo.

Resp. 1° Non erit sacrilega Communio, sicut non est sacrilega confessio; supponitur enim poenitentem in bona fide versari. Ad summum Communio erit nulla, seu nullos fructus producet.

Resp. 2° Non erit inutilis Communio illa; varios enim virtutum actus et conatus, saltem nonnullos, ad Deum diligendum, et malum fugiendum in communicante facile excitabit. Imo iuxta communem sententiam etsi communicans sit in statu peccati mortalis, tamen si ad Communionem cum attritione et bona fide accedat, statui gratiae restituetur. Nec difficile erit ipsi attritio; accessus enim ad sacram Mensam, et Corporis Christi receptio, facillime in communicantibus bona fide pios motus doloris et amoris ciere solent.

437. — *Ob.* 3° Poenitens dubie absolutus non amplius confitebitur peccatum suum, et si non fuerit vere dispositus, in peccato morietur.

Resp. Peccatum illud dubie absolutum remitti poterit 1° per Eucharistiae susceptionem, ut modo dictum est; 2° in proxima confessione cum aliis *indirecte,* etiamsi poenitens peccatum suum clavibus nunquam iterum subiiciat. Nec dicas, quod forte ille non amplius ad Sacramentum Poenitentiae accedet; casus enim iste rarus tanquam quid *per accidens* habendus est. Multo autem maiori periculo salutis fuisset expositus poenitens, si dimissus fuisset absque absolutione in gravi illa necessitate, quam semper ad talem absolutionem impertiendam requirimus.

Ob. 4° Non licet uti opinione probabili in administratione Sacramentorum, ut constat ex prop. I[a] ab *Innoc. XI.* damnata. Ergo non licet dare absolutionem dubie valituram.

Resp. Dist. Ubi periclitatur tum valor Sacramenti, tum bonum hominis, *conc.;* secus autem, ubi urget necessitas, aut alia causa gravis. — *S. Lig. n. 28. 57. et lib. 1. n. 59., et alii communiter.* —

peccatorem recidivum in culpas letales, qui non probatur dispositus per signa extraordinaria..., nisi prudenter timeatur, quod peccator ille non amplius ad confessionem redibit, et in peccatis suis tabescet.

Resp. Gury non absolute ea proponit, sed, uti praemittit, *urgente necessitate, vel stante gravi proportionata causa.* Quaenam autem sit causa proportionata explicat in Resolutionibus (*n. 439.*), ad quas lectorem remittit. Porro in hisce Resolutionibus lector eos prudentes limites reperiet, quos quasi ad corrigendam Gury doctrinam VV. ex S. Alphonso referunt.

In propositione damnata non agitur nisi de partibus essentialibus Sacramenti, nempe de valore materiae et formae, prout a ministro dependent. — *Ita communiter* cum *Goritia, tabella V. de Consc.*— Hic autem materia a poenitente ministratur, et proinde a ministro independens est. Secus enim plerumque poenitentes absolvi non possent, cum saepius nonnisi probabiliter de eorum dispositionibus constet.

438. — *Ob.* 5° Praxis absolvendi conditionate est saltem restringenda ad casus rarissimos extremae necessitatis, scilicet ubi moribundus est iam sensibus destitutus, vel ubi est iamiam moriturus; nam ipsiusmet culpa et maxima culpa est, si dubie dispositus videatur. — *Ita Auctor anonymus Epistolarum adversus eximium librum* Card. Gousset, cui titulus : *Justification de la doctrine de saint Liguori.*

Resp. In obiectione plura falsa supposita inveniuntur. Etenim 1° Falsum est, poenitentem dubie dispositum esse certo indispositum, saltem *per se;* est enim contradictio *in ipsis terminis.* 2° Falsum est poenitentem semper esse in culpa quod non videatur certo dispositus: nam potest esse sufficienter dispositus, quin hoc Confessarius certo resciat; siquidem quoties non est certo *indispositus*, potest esse vere dispositus. 3° Possunt propter salutem poenitentis adesse graves rationes ob quas dari potius, quam omitti absolutio debeat, ut supra dictum est. Aliunde quandoque summa foret imprudentia in Confessario, si absolutionem differret ad extremam necessitatem, in qua vix aut forte ne vix quidem poenitens erit capax Sacramenti.—*Vide Gousset, Lettres à M. le Curé***, Epist. 8.*

439. **Resolves.**— 1° Absolvendus est *sub conditione* poenitens in *mortali* constitutus, quoties prudenter dubitatur de impertita, aut rite data absolutione: nec potest de hoc facile certitudo haberi.— *Ita communiter Theologi.*

2° Absolvendi sunt *sub conditione* moribundi *omnes,* de quorum indispositione vel incapacitate certo non constat, ut infra fusius dicetur ubi de integritate confessionis et de ministro. — *Ita* etiam fere *omnes.*

3° Item poenitentes dubie dispositi, qui versantur in gravi mortis periculo, v. gr. mulier in partu difficili, nauta aut alius quivis longam navigationem suscepturus ...., miles ante praelium ...., infirmus ante operationem chirurgicam valde laboriosam ...., et *a fortiori* reus capite plectendus, etc. — *Ita communiter cum S. Lig. n. 432.*

4° Absolvi possunt *sub conditione* semifatui in dubio de usu rationis, aut sufficientis dispositionis, praemissa seria diligentia ad eos, quantum fieri potest, disponendos, in sequentibus praecipue casibus, 1° si versentur in periculo mortis; 2° si urgeat praeceptum annuae confessionis; 3° si confessi sint aliquod peccatum mortale. Ratio est, quia exponuntur periculo proximae damnatio-

nis, si mors urgeat, vel periculo remanendi diu in peccato mortali. Aliunde non est via et spes, quod dilata absolutione brevi dispositi redeant, et securius absolvantur, sicut de aliis forte sperari potest. Imo absolvi poterunt conditionate pluries in anno, etiamsi afferant tantum levia, ne tamdiu gratia sacramentali priventur, aut remaneant in peccato mortali, si forte in illo versentur. — *Ita S. Lig. n. 432. — Lacroix, n. 1797., et alii multi contra alios.*

5° Probabiliter etiam absolvi possunt *sub conditione* sponsi dubie dispositi, proxime matrimonium contracturi: quia secus illud Sacramentum sunt certo profanaturi, et animo deiecti ob denegatam absolutionem, ad confitendum non redibunt, et in peccatis contabescent.

6° Absolvi etiam *conditionate* probabiliter possunt aliquando poenitentes pii, in dubio an materiam sufficientem clavibus subliciant. Verum multo magis praestat, ut materiam certam ex vita anteacta praebeant, et sic gratia Sacramenti non priventur, iuxta sup. dicta, n. 424. — *S. Lig. n. 442.*

PARS SECUNDA

DE SUBIECTO SACRAMENTI POENITENTIAE

SEU DE ACTIBUS POENITENTIS

Tres numerantur, scilicet 1° contritio; 2° confessio; 3° satisfactio.

CAPUT I.

DE CONTRITIONE

440. — Contritio *est animi dolor et detestatio* (*a*) *de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero.* Sic *Trid. sess. 14. c. 4.* — Detestatio peccati, in qua praecipue consistit contritio, praeteritum respicit; propositum vero circa futurum versatur. Haec definitio praescindit a nova lege, in qua contritio efficaciam nullam

(*a*) Disputant DD., ut videre est penes S. Alphonsum (*Lib. 6. n. 435.*), consistatne contritio in dolore, an in detestatione, et quis ordo inter haec duo intercedat. At parum id refert; nec verendum est, ut alterutrum desit. Mutuo enim se supponunt, et alteri alterum necessario adiungitur. Quippe, ut ait S. Alphonsus, qui suum detestatur peccatum, vellet nempe se non peccasse, hic necessario de ipso dolet; et rursum qui de peccato dolet, illud necessario detestatur. Caeterum latius patere videtur detestatio, quam dolor. Hic enim proprie ad peccata a se patrata, illa vero ad propria et aliena et tum ad praeterita, tum ad futura referri potest.

habere potest, sine voto confessionis. Idem *Trid.* paulo infra addit: *cum voto praestandi reliqua .... quae ad rite suscipiendum hoc Sacramentum* (Poenitentiae) *requiruntur.* Hinc congruit definitio *S. Thom., Supplem. qu. 1. art. 1.: Dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi et satisfaciendi.*

Hinc dicendum 1° de contritione stricte dicta; 2° de proposito.

ARTICULUS I.

DE CONTRITIONE

441. — Contritio duplex distinguitur: 1° *Perfecta,* quae est detestatio peccati ex motivo speciali charitatis perfectae, seu bonitatis Dei propter se summe dilecti (*a*).

(*a*) Opinati sunt nonnulli (*Vid. S. Alphons. Lib. 6. n. 436., et Scavini, Tr. 1. Disp. 1. Cap. 2. art. 1. §. 1. q. 1.*) ad perfectam contritionem *probabilius* non sufficere, ut eliciatur ex motivo alicuius tantum attributi divini, sed requiri, ut procedat ex motivo offensae divinae bonitatis, quatenus haec bonitas omnes Dei perfectiones complectitur. Quam quidem opinionem tribuunt Card. De Lugo, Suarezio, Vasquezio, etc.

Verum auctoritas, e qua totum huius opinionis robur exsistit, penitus deficit. Allegati enim DD. non disputant, num contritionis motivum ex aggregato divinarum perfectionum peti potius debeat, quam ex peculiari aliqua Dei perfectione, sed utrum ad perfectam contritionem sufficiat motivum alterius virtutis praeter charitatem, v. gr. si dolor sit (ut ait Suarez, *De Poenit. Disp. 2. Sect. 3. n. 4. et Disp. 4. Sect. 2. n. 13.*) ex motivo *obedientiae,* vel *religionis,* vel *poenitentiae,* vel *gratitudinis,* etc.; quia nempe ut ait Lugo (*De Poenit. Disp. 5. n. 3.*) peccatum est *contra eius praeceptum,* cui obedire tenemur, vel contra eius *cultum,* etc. Quarum virtutum motivum *formale,* uti patet, a motivo charitatis diversum est.

Caeterum cum formale obiectum charitatis sit summa Dei excellentia atque infinita perfectio, propter quam super omnia diligendus est amore *appretiativo;* haec autem infinita perfectio ac summi boni excellentia in singulis eluceat attributis; merito proinde Ripalda (*De Virt. Theol. Disp. 35. Sect. 1.*) ex communi sententia Theologorum, quos (*ibid. n. 4.*) allegat, thesim statuit: *Obiectum formale charitatis est bonitas divina prout naturae Dei, et attributis communis, et propria.* Quod brevius expressit S. Thomas (*De Virt. q. 2. art. 4. ad 5.*) dicens, eiusmodi obiectum esse *bonum divinum.*

Praetereundum vero hic non est, obiecta aliarum, quas diximus, virtutum, obedientiae scilicet, gratitudinis, religionis, etc., sin minus perfectae contritionis, imperfectae certo motivum esse aptissimum; imo facili negotio poenitentes hac via pertrahi ad motivum perfectae charitatis posse. Si enim simul cum motivo obedientiae, vel religionis, iustitiae, etc. addatur consideratio infinitae excellentiae Dei, cui aut illata iniuria, aut negata obedientia fuit, aut cultus demptus, facillime ad perfectionem charitatis devenietur. Et haec quidem ad manum confessario sint oportet, ut opportune poenitentes ad perfectiora provehendi facilis ipsi ratio suppetat.

** Quinque et viginti columnas ad impugnandam hanc Notam VV. exararunt (*Pag. 399-411.*). Verumtamen cardinem quaestionis vix aut ne vix quidem attigerunt. Scripserat S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 432.*): *Quaeritur ex quo motivo debeat elici actus perfectae contritionis?* Et respondet: *Pri-*

2° *Imperfecta* seu *attritio*, quae est detestatio peccati orta ex alio motivo, v. gr. ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu inferni, aut ex amore beatitudinis aeternae. — *Trid. sess. 14. c. 4.*

ma sententia, quam tenent plures, dicit, posse elici ex motivo cuiuscumque attributi divini offensi, iustitiae, sapientiae, misericordiae etc. Et merito hanc probabilem putant Suarez et Lugo. Ratio, quia ille, qui diligit divinam iustitiam vel misericordiam propter Deum, iam Deum diligit..., ergo qui dolet de peccato ob Dei misericordiam vel iustitiam offensam..., iam propter Deum dolet.... Secunda sententia vero communis et probabilior, quam tenent Suarez, Vasquez (qui vocat oppositam erroneam) et Croix cum Arriaga, Dicastillo, et aliis passim, docet contritionem debere omnino procedere ex solo motivo charitatis, nempe divinae bonitatis offensae, quatenus haec complectitur omnes Dei perfectiones.

Porro, quoad primam sententiam, falsum est, aut Suarez, aut Lugo, aut Vasquez in citatis locis disserere de actu, *quo diligatur aut iustitia, aut misericordia etc. propter Deum;* sed agunt de dolore elicito non ex motivo ullo charitatis, sed ex motivo alterius virtutis, non theologicae sed *moralis,* cuiusmodi est *Religio, iustitia, obedientia* etc.; et quaerunt, an hic dolor sit perfecta illa contritio, quae iustificandi vim habet.

Ita Vasquez (*Quaest. 85. art. 2. n. 45,* qui est locus a S. Alphonso allegatus): *Sententiam recentiorum, qui docent contritionis actum... non esse dilectionem Dei, neque necessario ex dilectione Dei proficisci,* NIHILOMINUS IUSTIFICARE,... *erroneam esse censerem.* De dolore autem, qui *non est Dei dilectio neque ex dilectione Dei proficiscitur,* praemiserat (*l. c. n. 35.*): *Quatenus est contra Dei iustitiam, est odium a* POENITENTIAE SPECIALI VIRTUTE, *et sic odium* (*peccati*) *sub hac ratione est compensatio offensae ex iustitia, qualis nostra apud Deum reperiri potest.* Qua de re infra (*ibid. n. 38.*) addit: *Neque alius modus iustitiae videtur nostri esse erga Deume quam erga suum praeceptum, quod praestat* OBEDIENTIA,.... *vel deniqus* RELIGIO *in exhibendo tamen cultum Deo debitum, quod etiam ut par, potestativae iustitiae a scholasticis constituitur.* Nullum ergo hic vestigium invenitur *dilectionis Dei ex motivo alicuius attributi,* de qua S. Alphonsus.

S. Doctor deinde allegat Lugo *De Poenit. Disp. 5. n. 3.* Porro neque Lugo verbum ullum habet de illa *dilectione Dei ex motivo unius attributi.* En eius verba: *Aliqui Theologi docent, sufficere ad contritionem, quod dolor sit vel ex motivo charitatis* (et hoc etiam Lugo cum omnibus DD. admittit), *vel ex motivo obedientiae, vel religionis, vel poenitentiae: scilicet quia peccatum displicet Deo, quem diligimus* (et hoc est motivum charitatis), *vel quia est contra eius praeceptum, cui debemus obedire, vel contra eius cultum, vel denique quia est contra ius Dei, quod tenemur observare, quod dicunt esse motivum poenitentiae.... Hanc sententiam dicit esse probabilem P. Suarez, et sibi aliquando placuisse..., licet P. Suarez solum loquatur de dolore orto ex motivo iustitiae....* Huic porro dolori ex motivo vel *obedientiae,* vel *religionis,* vel *poenitentiae,* vel *iustitiae,* in quo nihil Lugo reperit illius dilectionis ob aliquod divinum attributum (de qua S. Alphonsus), et quas immo exhibet ceu virtutes morales (*n. 6.*), ipse opponit *motivum charitatis,* quin tamen quidpiam addat de motivo *ex omnibus Dei perfectionibus.* Ita ille (*n. 3.*): *Alii tamen Theologi communiter docent, requiri omnino dolorem ex motivo dilectionis Dei.* Et rursus (*ibid. n. 10.*): *Dicendum omnino est cum communi sententia, contritionem sufficientem ad iustificationem debere oriri ex peculiari motivo charitatis, scilicet Dei super omnia dilecti.*

Neque magis ad scopum S. Alphonsi faciunt ea, quae affert ex Suarez,

Tria hic exponenda sunt: 1° necessitas; 2° dotes; 3° efficacia contritionis.

§. I. *De necessitate contritionis.*

442. **Statuenda.** — I. Contritio vel perfecta cum voto Sacramenti, vel imperfecta cum ipso Sacramento, est omnino peccatori

qui (*De Poenit. Disp. 4. Sect. 2. n. 13.*) loquens de peccati detestatione, quae est ex *motivo proprio iustitiae,* scribit: *Aliquibus probabiliter visum est, hunc actum per se et sine formali amore, sufficere ad rationem contritionis. Et est quidem sententia probabilis, et aliquando mihi simpliciter placuit. Nunc autem re melius inspecta, videtur contraria sententia eligenda.* S. Alphonsus, ut patet ex ipsius verbis supra allatis, motivum iustitiae hic intelligit *divinum iustitiae attributum,* quod sit obiectum dilectionis. Atqui nihil magis alienum est a Suarezii sententia; quippe qui iustitiam hic intelligit virtutem, qua peccator iniuriam Deo illatam vult recompensare. Unde scribit (*Disp. 2. Sect. 3. n. 4.*): *Cum haec virtus poenitentiae sit quaedam iustitia ad Deum, obiectum eius erit ius divinum.*

Neque dissimiliter statum quaestionis praesefert Dicastillus, quem tamen in scopum suum S. Alphonsus affert. Sic enim Dicastillus (*De Poenit. Tr. 8. Disp. 2. n. 106.*): *Nunc quaerimus, an, ut perfecta sit poenitentia, sufficiens (ad remissionem peccatorum) requiratur actus dilectionis Dei; et hoc negant aliqui, existimantes perfectam poenitentiam esse posse sine ea dilectione. Putant enim sufficere, quod sit* EX MOTIVO ALIARUM VIRTUTUM; *in quam sententiam aliquando fatetur Suarez se inclinasse:.... loquitur autem de motivo, secundum quod ipse putat constitui actum specialis poenitentiae. Et idem putant alii recentiores de aliis motivis, praesertim iuxta varias sententias constituendi motivum specialis poenitentiae.* Porro contra istos deinde (*Ibid. n. 112.*) hanc thesim ponit: *Asserendum omnino est, poenitentiam nunquam esse contritionem sufficientem ad remissionem peccatorum extra sacramentum sine formali actu dilectionis Dei, atque hunc actum esse de intrinseca ratione contritionis perfectae, quae ab attritione distinguitur.* Non verum est itaque (quod S. Alphonsus supponit), Dicastillum disputare, utrum aliquod tantum divinum attributum, an vero omnium perfectionum aggregatio sit charitatis atque adeo perfectae contritionis obiectum formale, secundam vero sententiam contra primam propugnare.

Caeterum si quaeratur, quonam pacto S. Alphonsus, nemine ipsi praeeunte, novam faciem quaestioni heic agi solitae affinxerit, opinionesque allegatis Doctoribus tribuerit, de quibus nihil ipsi dixerant, imo ne cogitaverant quidem; forte non prorsus a vero abludet, qui putet, id S. Doctori contigisse mere ob minus dexteram interpretationem verborum Croix, e quo et allegationes mutuatus est. Scripserat nempe Croix (*Lib. 6. P. 2. n. 722.*): *Haec contritio (sufficiens ad iustificationem sine sacramento) debet procedere ex motivo bonitatis Dei, adeoque esse odium peccati, quia Deo malum est. S. Thom., Arriaga, Dicastillus, aliique communissime contra paucos, qui dixerunt hanc contritionem posse procedere ex motivo solius religionis, iustitiae, vel alterius virtutis respicientis Deum, praescindendo ab omni poena vel praemio; adeoque sufficere detestari peccatum, v. gr. quia est contra Dei cultum, contra ius Dei etc.; quam sententiam probabilem dicit Suarez, et ut probabilem defendunt Aversa et Lugo: e contra Arriaga dicit, non esse intrinsece probabilem,... Vasquez vocat erroneam.*

Porro hinc S. Alphonsum sumpsisse et nucleum quaestionis et allegationes, haud obscure colligitur non modo ex eius verbis sup. descriptis, sed etiam ex editione anni 1748., ubi scribit (*Lib. 6. Tr. 4. C. 1. Dub. 2.*

necessaria necessitate medii ad iustificationem et salutem consequendam.

1° Constat ex *Scriptura sacra,* Matth. 3. 2: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum.* — Luc. 13. 3: *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* — Et *ibid.* 5: *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* — Eccl. 2. 22: *Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini et non in manus hominum.* — Apoc. 2. 5: *Age poenitentiam et prima opera fac; sin autem venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris.* — Act. Apost. 3. 19: *Poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra.*

2° Constat ex *Conciliis,* praesertim ex *Conc. Trident. sess. 14. c. 4: Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Et *sess. 6. c. 6.,* ubi *odium* et *detestatio de peccato* inter praecipuas dispositiones ad iustificationem recensentur.

443. — II. Supposito peccato mortali contritio *necessaria* est *necessitate praecepti,* saltem aliquando in vita. Hoc enim praeceptum colligitur ex verbis sacrae Scripturae supra relatis, ex verbis S. Ioann. Bapt. initio suae praedicationis, et praesertim Christi ipsius in Evangelio. Intelligitur autem cadere sub *praeceptum* ea contritio,

Not. A.): Quaer. II. Ex quo motivo potest procedere contritio? Aliqui putant, procedere posse ex quocumque attributo divino offenso; sed communissime, ait Croix Lib. 6. P. 2. n. 722. cum D. Thom., Dicastillo, et aliis, contritionem procedere debere ex motivo Bonitatis Dei offensae. Quocirca contritionem, quam Croix dixerat (ex paucorum sententia) procedere *ex motivo religionis, iustitiae, vel alterius virtutis respicientis Deum,* S. Doctor interpretatus est pro contritione, quae procedat *ex quocumque attributo divino offenso;* quod deinde magis explicuit in Edit. an. 1757. dicens, esse contritionem, quae *procedit ex motivo cuiuscumque Attributi divini offensi, iustitiae, sapientiae, misericordiae;* et rationem reddidit, ut sup. vidimus, quia *qui diligit divinam iustitiam.... propter Deum, iam Deum diligit;* exinde *qui dolet de peccato propter iustitiam offensam, iam propter Deum dolet:* quae quidem quantopere aliena sint a sensu, quo Croix post Suarez, Lugo, Vasquez, Dicastillo etc. loquebatur de contritione ex motivo iustitiae, religionis, quisque per se videt.

Aptius sane Lugo (*l. c. n. 9.*) innuit, quomodo contritio ex motivo aliarum virtutum trahi utcumque possit ad motivum dilectionis Dei, *quatenus* (inquit) *amare dicitur esse velle bonum alicui: cum enim per religionem velimus cultum Dei, per poenitentiam velimus eum non offendere, per obedientiam velimus eius voluntatem implere, etc., haec omnia videntur continere dilectionem Dei.* Quae deinde reiiciens thesim contra statuit (*Ibid. n. 10.*), quam superius retulimus. Hi enim actus pertinent ad virtutes non quidem *theologicas,* sed *morales,* et motivum suppeditant non quidem perfectae contritionis, sed attritionis, non secus ac dolor ex motivo ingratitudinis erga Deum beneficentissimum.

Hisce autem praemissis, facilis ad quinque et viginti VV. columnas responsio. Nam 1° quae congerunt circa formale charitatis obiectum sive adaequate sive inadaequate spectatum, nihil pertinent ad argumentum Notae, quam impugnare instituunt. 2° Utrum ad rem faciant allegationes Vasquezii, Suaresii, et Lugo, quos S. Alphonsus citavit, ex dictis satis patet.

quae requiritur ad iustificationem, nempe contritio perfecta extra Sacramentum vel attritio cum Sacramento. — *S. Lig. n. 337.* — *Billuart, diss. 4. art. 3., et alii omnes.*

III. Praeceptum contritionis obligat, modo *per se,* modo *per accidens.*

1° Obligat *per se,* quando urget necessitas gravis se reconciliandi cum Deo, scilicet in periculo etiam probabili mortis, idque ob praeceptum finem ultimum consequendi; item quando quis versatur in statu peccati, ob proximum periculum moriendi in hoc misero statu (*a*), vel in graviora labendi (*b*).

2° Obligat *per accidens,* quando urget aliud praeceptum, quod sine contritione adimpleri nequit, praesertim in sequentibus casibus, scilicet, quando urget praeceptum confessionis annuae, quando urget praeceptum actus charitatis, quando quis reus peccati gravis Sacramentum suscepturus aut ministraturus est, quoties recipitur Sacramentum Poenitentiae, etiam devotionis causa. — *S. Lig. ibid.*

444. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An praeceptum contritionis obliget statim post patratum mortale peccatum?*

Resp. Neg. contra *paucos* antiquiores (*c*), quia praeceptum con-

(*a*) Haec non ita generatim sunt accipienda, quasi homo ad hoc obligetur statim post peccatum; id enim, ut A. ipse paulo post docet, est contra communem Thh. sententiam post S. Thomam, iisdemque rationibus excluditur, quibus S. Thomas (*In 4. Disp. 17. q. 3. art. 1. q.ª 4.*) necessitatem confitendi statim post peccatum reiicit. Excepto autem mortis articulo communior, ut ait Palaus (*De Poenit. Disp. unic. Punct. 3. n. 9.*), sententia saltem dilationem eam admittit, quam et Ecclesiae praeceptum de annua confessione (Vid. Laymann, *De Poenit. Cap. 2. n. 6*); quam quidem doctrinam S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 473.*) etiam S. Thomae attribuit.

(*b*) Ista quoque obligatio eliciendi contritionis actum ad praecavenda alia peccata, est mera quorumdam opinio. Quocirca servandum illud est Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 15. n. 55. 56.*): *Propter varietatem sententiarum non possumus imponere illi* (sc. poenitenti) *certam obligationem.*

Videnda de hoc argumento ea sunt, quae habet Suarez (*De Poen. Disp. 15. Sect. 6. n. 7. 8.*), et Card. De Lugo (*l. c. et Disp. 7. n. 240. 242.*); e quibus concludere est, vel nullam evinci eliciendae ea de causa contritionis necessitatem; vel eius omissionem non esse peccatum ab eo distinctum, in quod quis ob medium illud omissum labatur.

(*c*) Immerito tamen eorum plerisque haec opinio tribuitur; e quibus, v. gr. Alensis, Paludanus ac Thomas de Argentina affirmant quidem, poenitentem teneri *semper* per totam vitam conteri de peccatis commissis; sed explicant ita, ut ad id teneatur *negative,* idest ne rursus sibi complaceat de peccato, cum memoriae occurrit. Quam sententiam sic exponit Caietanus (Sum. V. *Contritio*): *Ex hoc autem, quod peccata memoriae occurrunt, sicut non tenetur ad confitendum, ita nec ad conterendum. Utrumque enim est praeceptum affirmativum, obligans tempore necessitatis, quod non constituit memoria; sed tenetur semper ad non approbandum, ad non complacendum: quia ista sunt praecepta negativa, quae obligant semper et ad semper.*

** Egregium nimirum Cardenae facinus fuit, ut (*Part. 4. Diss. 6. n. 47.*) contra communem sententiam tum praemissos tum plures alios Auctores

tritionis est affirmativum, nempe, *Poenitentiam agite;* porro praeceptum affirmativum non obligat singulis momentis: ergo praeceptum contritionis non statim post patratum peccatum urget. Insuper sic multiplicarentur peccata pro numero instantium dilationis; quod sensui communi fidelium adversatur (*a*). — ***S. Lig. n. 437.*** — ***Elbel, n. 54.*** — ***Billuart,*** etc.

QUAER. 2° *Quaenam dilatio contritionis peccatum grave inducat?*

Resp. Non conveniunt Theologi: admittitur quidem communiter, dari gravem contritionis dilationem independenter a praecepto confessionis annuae; quanta autem debeat esse haec dilatio, ut gravis censeatur, determinari certo non potest: alii illam producunt ad annum; alii ad sex menses; alii cum *S. Ligor.* ad mensem: nulla tamen ratio sive auctoritas huic ultimae sententiae favet (*b*). Quin ipse S. Alphonsus peccatores praesertim rudes ab hoc peccato di-

congereret, e quibus vix aut ne vix quidem unum reperire est, qui reipsa ad rem faciat. Hanc autem obligationem statim post peccatum adhibendi medium iustificationis inde contendit oriri (quod neque ante neque post eum quispiam somniavit), quia (*ut ait n. 53.*) *Christus in evangelio praecepit omnibus hominibus, quod semper vigilent, et sint parati pro expectanda hora mortis, quia nesciunt diem neque horam.*

(*a*) Haec ratio discrete est intelligenda. Neque enim DD. dicere solent, eum, qui v. gr. restitutionem aut confessionem annuam culpabiliter differt, singulis instantibus denuo peccare, sed quoties advertens obligationem, ac potens eam implere, id negligit. Immo hoc ipsum tunc solum contingit, quando actus sequentes virtute seu efficacia praedecentis propositi non consequantur. *Vid. De Peccatis, tom. 1. n. 166.*

** (*b*) Pro ista menstrua contritionis obligatione VV. (*Pag. 394. n. 106.*) triplex promunt ex S. Alphonso argumentum. 1° Quia singulis mensibus tenemur actum charitatis elicere, ut S. Doctor habet (*Lib. 2. n. 8., et Hom. Apost. Tr. 16. n. 10.*). — 2° Quia alias difficulter posset homo diu mandata divina servare (*Lib. 2. n. 8.*).— 3° Accedit auctoritas S. Thomae, allegantis S. Gregorium M., et aientis: *Sine gratia iustificante, quod diu maneat absque peccato mortali, esse non potest.*

Resp. ad 1. Alibi (*Vol. 1. n. 218. q. 2. in Not.*) ostensum est, eiusmodi obligationem absque fundamento sive rationis sive auctoritatis, immo et contra principia ab omnibus recepta urgeri.

Ad 2. Resp. Si contritio esset unicum medium vitandi peccata, *Transeat;* Secus, *Nego*. Vid. Suarez (*De Poenit. Disp. 15. Sect. 6. n. 7.*), et Lugo (*De Poenit. Disp. 15. n. 51. 52.*).

Ad 3. Respondeo utendo verbis S. Alphonsi (*Lib. 6. n. 437.*), qui postquam dixit se putare, *nullo modo excusari a mortali, qui existens in mortali per notabile tempus differret poenitentiam,* subdit deinceps: *Quale autem sit hoc notabile tempus, valde Doctores discrepant... Salmanticenses, Palaus, cum Laymann et Elbel, Lugo, Henno etc. putant excusari, qui satisfacit confessioni annuali: et huic opinioni videtur adhaerere S. Thomas in 4. Dist. 17. Q. 3. art. 1. q. 4.* Ergo iuxta ipsum S. Alphonsum obiecta verba S. Thomae, interprete sui ipsius et S. Gregorii M. eodem S. Thoma, de illis intelligenda veniunt, qui obligationi annuae confessionis non satisfaciant.

Caeterum revocanda et hoc loco sunt, quae *Vol. 1. l. c.* sunt adnotata, videlicet, non esse iniiciendam gravis aut obligationis aut culpae conscientiam, ubi per certam rationem id non constet: et hoc enim est firmissimum eiusdem S. Alphonsi principium.

latae poenitentiae, ob inadvertentiam, ut plurimum, imo fere semper excusari posse addit n. 437. (*a*).

445. — QUAER. 3° *An ille qui in articulo mortis suscipit Sacramentum Poenitentiae cum attritione, teneatur insuper elicere actum contritionis perfectae?*

Resp. 1° Non videtur teneri ad actum contritionis explicitum, cum moraliter certus sit, se fuisse iustificatum per solam attritionem cum Sacramento. — *Ita Lugo, et alii communiter* contra *nonnullos.*

Resp. 2° Tenentur autem iuxta quosdam, qui dicunt praeceptum charitatis perfectae urgere imprimis in articulo mortis. Quidquid sit, expedit, ut moribundi excitentur, quantum fieri potest, tum ad actum charitatis, tum ad actum contritionis perfectae. — *S. Lig. n. 437.* (*b*).

(*a*) De hac re ita Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 15. n. 55.*): *De hoc peccato omissionis poenitentiae debitae per totum annum sive per se ex praecepto virtutis poenitentiae,... sive per accidens ad vitandum periculum novi peccati, non oportet interrogare poenitentem, nec etiam eum admonere in particulari.... Et probari potest exemplo praecepti diligendi Dei, de quo etiam non interrogantur poenitentes in particulari, an dilexerint Deum super omnia, nec admonentur de illa obligatione illius praecepti aliquando implendi; tum quia ex ipso discursu confessionis satis apparet, quomodo se habeat poenitens erga Deum; tum quia propter varietatem sententiarum non possumus imponere illi certam obligationem.*
Immo omittendam interrogationem, monitionemque sic prosequitur: *Talis interrogatio vel admonitio inutilis, imo noxia videtur. Nam vel poenitens ignorat invincibiliter illam obligationem; et tunc melius est relinquere illum in bona fide, quam iniicere in malam fidem, ex qua prudenter timeri potest scandalum ipsius. Rarissimi enim erunt ex talibus peccatoribus, qui propter illam notitiam postea moveantur ad dolendum de peccatis ante finem anni; sed potius caeteris peccatis illud etiam adiicient omittendo poenitentiam, quam deberent habere. Si autem poenitens sciebat talem obligationem, frustra monebitur de illa.* Demum proponit obiectionem, in qua solvenda tangit et obligationis incertitudinem. *Dices: oportebit tamen interrogare de omissione...; quia si sciebat obligationem, vel culpabiliter ignorabat illam, omissio fuit peccatum, et per consequens explicanda in confessione. Sed contra, quia neque ex hoc capite oportet interrogare distincte: nam LICET CONCEDERETUR DARI TALEM OBLIGATIONEM, Confessarius tamen audita confessione poenitentis, ex peccatis, quae per totum annum commisit, sufficienter intelligit, ipsum non satisfecisse obligationi, SI QUAE ERAT, dolendi frequenter de peccatis... Frustra ergo magis distincte interrogaretur vel admoneretur, praesertim in tali materia, CIRCA QUAM NEC IPSE CONFESSARIUS POSSET ALIQUID CERTUM STATUERE CIRCA TAXANDAM OBLIGATIONEM pro tempore sequenti* (*Ibid. n. 56.*).

** (*b*) Promunt hic VV. (*Pag. 935. n. 107.*) ea, quae habet S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 437.*): *Utraque sententia*, inquit S. Doctor, *est probabilis; sed prima* (secunda hic penes Gury) *omnino est consulenda.... Imo dico, esse omnino sequendam ab eo, qui esset in actuali articulo mortis. Tunc enim quisque tenetur elicere actum charitatis..., cui nemo potest satisfacere, si, occurrente memoria peccati, ex eodem charitatis motivo peccatum non detestetur.*
Resp. Si utraque sententia, ut S. Doctor testatur, est probabilis; ergo

QUAER. 4° *An ad consequendam gratiam in Sacramento, praeter dolorem requirantur actus expliciti Fidei et Spei?*

Resp. Neg. Ratio est, quia nullo probabili argumento probari potest, hos actus explicite requiri (*a*). Caeterum poenitens eliciens actum doloris, etiam *explicite* aliquo modo et *exercite* hos actus elicit, etsi non *reflexe;* quia tunc sine dubio credit *exercite,* et sperat sibi per Sacramentum Poenitentiae, virtute meritorum Christi, peccata remittenda esse. — *S. Lig. n. 439., et alii communiter* contra *aliquos.*

446. — QUAER. 5° *An peccet, qui confitetur veniale aliquod sine dolore?*

Resp. Neg. Probabilius, modo dolor circa alia, vel saltem unum non deficiat, et poenitens non subiiciat scienter alia peccata tanquam materiam absolutionis (*b*). Ratio est, 1° quia ratione validi-

obligatio alterutrius imponi nequaquam potest. Obligatio enim dicitur a ligando. Atqui (ut centies repetit S. Doctor) lex dubia non obligat. Ergo lex mere probabilis non obligat.

Quod vero additur de obligatione actus charitatis in mortis articulo, distinctione indiget. Si enim sermo sit de homine in statu peccati, qui nullum aliud medium iustificationis habeat, adesse obligationem iustificationis adipiscendae per contritionem charitate perfectam, *conceditur;* secus autem, *Negatur.* Vid. quae de hoc argumento habentur *Vol. 1. n. 219. Resol. 2. in Not.*

(*a*) Quidam exigebant hos actus, quia a Synodo Tridentina expresse memorantur, ubi describitur processus iustificationis (*Sess. 6. Cap. 6.*): quae ratio evinceret necessitatem quoque audiendi praeconem fidei, cum ibi dicatur: *fidem ex auditu concipientes,* et insufficientiam insuper doloris charitate perfecti sine imperfecto, quia ibi additur: *timore divinae iustitiae concutiuntur!*

Ad rem Suarez (*De Poenit. Disp. 4. Sect. 2. n. 7.*): *Denique Sess. 6. Cap. 6. plures actus Concilium numerat in dispositione peccatoris, quos necesse non est semper omnes formaliter concurrere, sed sufficit virtualiter seu implicite, ut actum spei.*

Et tamen sunt confessarii, qui praeiudicio illo abducti exigunt a poenitentibus, ut ante peccatorum confessionem formulas consuetas actuum virtutum theologalium recitent, nisi forte etiam eos dimittant, ut prius huic putatae necessitati satisfaciant. Quod quidem eo mirabilius est, quod in formula consueta actus fidei non reperies ea, quae Concilium dixit credenda, scil. *Deum per Christum sibi propitium fore, etc.*

(*b*) Distingue cum Suarezio (*De Poenit. Disp. 20. Sect. 6. n. 7.*) duplicem modum, quo quis veniale aliquod confiteri potest sine vera attritione vel proposito emendationis: 1° Si confessario aperiat hunc ipsum doloris et propositi defectum; et tunc nec sacerdos a tali peccato debet absolvere, nec in hunc finem poenitens, *si prudens sit,* debet illud dicere, quasi scilicet materiam sacramenti, cum revera esse talis non possit. Potest tamen licite dici vel ob humilitatem, vel ob consilium, vel ob excitationem ad veram poenitentiam; sed hic modus nihil attinet ad rem praesentem; 2° Si veniale, de quo non dolet, aperiat, sicut caetera, ceu materiam absolutionis. *Et tunc* (inquit Suarez) *multi putant esse peccatum mortale... Sed licet negari non possit, quin illud sit aliqua culpa, nihilominus non censeo mortalem, quia materia talis culpae levis est: quia defectus illius doloris vel propositi per se et natura sua non est contrarius gratiae et iustificationi, qui est primarius effectus huius sacramenti per formam significatus...: neque etiam impedit remissionem aliorum peccatorum ve-*

tatis Sacramenti sufficit, ut praebeatur aliqua materia certa, nempe ut adsit dolor de aliquo veniali, cum venialia non sint materia necessaria Sacramenti Poenitentiae, et aliunde cum non privent gratia et amicitia Dei, alia sine aliis remitti possunt; 2° quia nulla inde iniuria Sacramento infertur, si ex bono fine, seclusa omni levitate, declarentur. Imo plerumque utiliter aperiuntur ea quoque venialia, quorum dolor non habetur saltem certus, ad maiorem videlicet conscientiae manifestationem et directionem, ad aliquam concipiendam confusionem, etc. — *Vide S. Lig. n. 449.*

447. — QUAER. 6° *An contritio debeat praecedere confessionem?*

Resp. 1° Debet certo praecedere *absolutionem*, vel saltem ipsi coexistere, ut patet. Practice autem loquendo, requiritur ut dolor praecedat saltem absolutionem, quia nullus poenitens se indispositum sentiens absolutionem petere, aut recipere potest.

Resp. 2° Ad Sacramenti valorem non debet dolor necessario praecedere *accusationem;* ratio, quia adsunt omnia requisita ad Sacramentum, modo dolor absolutionem praecedat: nec praeceptum praemittendi dolorem peccatorum confessioni probari potest. — *Lugo, Suarez, et alii communissime.* — Caeterum quando Theologi dolorosam confessionem requirunt, nihil aliud videntur exigere, nisi ut confessio non sit mera peccatorum narratio, sed ut sit accusatio sui in ordine ad absolutionem obtinendam. — *S. Lig. n. 445* (*a*).

nialium, de quibus vera fit accusatio capax verae absolutionis, non obstante obice alicuius peccati venialis. Vid. etiam Lugo (*De Poenit. Disp. 14. n. 48.*).

Caeterum et ea levis culpa, de qua Suarez, saepius aberit, vel quia poenitens ad hunc doloris defectum aut ad defectus eiusdem inordinationem non advertit, vel quia raro abest omnis displicentia, licet haec efficax satis non sit; qua in re difficile saepe est deceptionem vitare.

(*a*) Ita S. Alphonsus: *In tantum Laymann cum aliis* (scil. Coninck et Palao) *requirunt, ut confessio sit dolorosa, sive quod dolor confessionem praecedat, in quantum exposcunt, ut confessio non sit mera peccatorum narratio, sed habeat rationem confessionis sacramentalis; et ad hoc sufficit, ut confessio fiat animo obtinendi absolutionem, et deinde dolor manifestetur saltem per petitionem seu expectationem absolutionis.* Quae postrema occurrunt obiectioni Coninckii, quod *dolor debeat esse sensibilis.* Cui quidem difficultati cum varii varie respondeant (*Vid. Lugo Disp. 14. n. 14–18.*), ut S. Alphonsi verba indicant, alius forte posset etiam illud reponere, nihil in praesens illis subtilitatibus opus esse, si iuxta alibi dicta (*sup. in Not. ad n. 414.*) opinionem praeferas, quae actus poenitentis mere habet ut materiam *circa quam,* atque adeo soli absolutioni attribuit, quod *signum sit gratiae efficax.*

Caeterum de Coninckii opinione ita Lugo (*De Poenit. l. c. n. 13.*) scribit: *Haec sententia singularis est, et habet contra se omnes alios theologos... Habet etiam contra se praxim fidelium, hi enim si forte peccata absque dolore confessi sunt, et postea confessarii exhortatione permoti excitantur ad dolorem habendum de peccatis, putant se sufficienter satisfacere, si tunc doleant ante absolutionem; imo ad hunc finem confessarii solent poenitentes tunc potissimum ad dolorem movere* (quod habet et praxis in Rituali Romano praescripta), *ut se disponant ad absolutionem va-*

QUAER. 7° *Per quantum temporis spatium actus doloris moraliter perduret ad valide suscipiendum Sacramentum?*

Resp. Hoc determinari nequit: iuxta sententiam communem,

lidam suscipiendam; nec obligant eos post dolorem tunc conceptum ad repetendam confessionem, quae absque dolore praevio facta est. Quae quidem palam faciunt, ad inanes scrupulos amandandam esse quorumdam confessariorum sollicitudinem, qui postquam poenitentem ad dolorem excitaverint, extorquere omnino ab eo rursus aliquam confessionem, saltem per aliquot verba, volunt, v. gr. *De peccatis narratis me accuso.*

** Et reipsa ita et S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 445. in fin.*) habet: *Addunt vero Salmanticenses, quod tantum ad sedandos scrupulos solent Confessarii, si de interna indispositione poenitentis dubitent, excitare illum ad dolendum de peccatis paulo ante explicatis, quod fit, si dicatur: De peccatis narratis doleo, et me accuso.* Haec autem S. Doctor immediate iis subdidit, quae sup. in hac Nota leguntur; quaeque S. Doctor dixerat, ut ostenderet, nullam in hac quaestione nisi verbo tenus extare inter Doctores discordiam: *Non igitur,* ita ipse, *hae sententiae sunt duae, sed una.*

Veruntamen ecce VV. (*Pag. 935. n. 108.*) opponunt ea, quae alibi S. Alphonsus (*Hom. Apost. Tr. 16. n. 20.*) sic habet: *An dolor praecedere debeat confessionem? Affirmant Laymann,... tum quia dolor debet esse sensibilis, et nequit talis fieri nisi confessione: tum quia confessio.... debet esse dolorosa, alias esset simplex peccatorum narratio. Alii autem communius negant..., et ipsis favet Rituale... Et recte respondent ad primam rationem, dicendo, dolorem non tantum per confessionem fieri sensibilem, sed etiam aliis signis et verbis. Sed ad secundam rationem nullam convincentem afferunt responsionem; unde propter illam dico esse probabilem primam sententiam, proptereaque in praxi sequendam. Conveniunt autem communiter..., sufficere si poenitens post actum doloris dicat: Iterum me accuso de omnibus peccatis confessis.*

Resp., non satis apparere, quorsum ista VV. proferant. Numquid enim, ut quispiam doctrina S. Alphonsi aliquando possit uti, hoc etiam onus subeat necesse erit, ut omnia demum S. Doctoris scrutetur opuscula? Ubi vero diversorum S. Doctoris Operum sententiae non admodum, uti in praesenti, sibi cohaerere videantur, quonam enimvero pacto vitabis VV. querelas, qui, utramlibet denique eligas S. Doctoris sententiam, alteram adversam tibi opponere non dubitant? Et sane ad ea, quae VV. obiiciunt ex Opere *Hom. Apost.*, posset quis iuxta ea, quae ex Opere morali (*Lib. 6. n. 445.*), atque adeo duce S. Alphonso respondere: *Nego Antecedens*, scilicet quod in alterutra sententia confessio *non queat dici dolorosa;* et consequenter *Nego Antecedens,* quasi nempe *probabilis sit contraria opinio;* ac proinde *Nego Consequentiam,* quod nempe haec *sequenda sit*, atque adeo, nisi forte ad inanem sedandum scrupulum, necesse sit illud addere: *Iterum me accuso* etc. Cur enim VV^m reprehensioni iste foret obnoxius? Nam et si praeelegisset sententiam, quae *in Hom. Apost.* traditur, nonne promptum erat VV., ea, quae in Opere morali leguntur, obiicere?

Sed enim et gravius quidpiam, quod in praesenti advertatur, occurrit. Sensa nimirum S. Alphonsi, quae ex Opere *Hom. Apost.* VV. hic obiiciunt, reperire est etiam in Opere morali eiusdem S. Doctoris anterioribus annis edito, videlicet tum in Editione anni 1748 (*Lib. 6. Tr. 4. Cap. 1. Dub. 2. Not. A. Q. III.*), tum in altera anni 1757. (*Lib. 6. n. 445.*); quo eodem anno edidit Opus italice scriptum cum titulo: *Istruzione e pratica per un Confessore;* quod opus deinde anno 1759. latine versum edidit cum titulo: *Homo Apostolicus instructus* etc. Porro cum haec eadem sensa non reperiantur in posterioribus Editionibus Operis moralis, uti patet ex textibus superius allatis ex *Lib. 6. n. 445.*, manifestum est, ipsum S. Doctorem,

perseverare potest per unum, aut etiam plures dies, modo elicitus fuerit intentione confessionis faciendae (*a*), et non fuerit per aliud

sententia mutata, illum locum emendasse. At vero si res ita se habet, quonam tandem aequitatis iure, quonam veritatis studio, aut quonam sanae doctrinae zelo, iam VV. adversus eum, qui doctrinam ab ipso S. Doctore expolitam ac reformatam proponat, illa depromunt et opponunt, quae idem S. Doctor abiecerat?

(*a*) Quod A. innuit, dolorem eliciendum esse *ex intentione confessionis*, id aliquam ad summum probabilitatem habet. Et sane etiam S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 447.*) diffiteri non potuit, *probabiliorem* esse sententiam, quae dolorem valere docet, etsi quis illum eliciat nihil tunc cogitans de sacramento, quod oblata dein occasione suscipiat.

De hoc argumento confer Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 14. n.37–40.*), qui non modo istius intentionis necessitatem validissimis rationibus excludit, sed insuper advertit, iuxta Suarezium ac Reginaldum, qui contrariae opinioni patrocinantur, sufficere, quod praecedens dolor, etsi sine intentione confessionis elicitus, moveat deinde ad confessionem aut in confessione aliquo modo exprimatur: quae quidem, uti patet, plane in communem Card. De Lugo sententiam recidunt.

Quae autem in contrarium ratiuncula affertur (*apud S. Alph. l. c.*), quod per intentionem ordinari materia ad sacramentum debeat, sicut ablutio ad baptismum, et instrumentorum tactus ad S. Ordines, primo quidem supponit, eodem sensu dolorem esse materiam sacramenti, ac sit ablutio in baptismo, *materiam scilicet ex qua,* quod ad meram opinionem pertinet (*Vid. sup. Not. ad n. 414.*): deinde ipso S. Ordinis exemplo refutatur; nam valida habetur Ordinatio infantis, qui certe per intentionem, cuius capax non est, tactum instrumentorum ad sacramentum ordinare non potest.

Nec magis urget ratio petita ex Prop. I. ab Innoc. XI. proscripta, tum propter modo dicta de indole materiae in hoc sacramento, tum propter ea, quae A. (*sup. n. 437.*) de hac propositione adnotaverat.

** Quatuordecim columnis pugnant VV. (*Pag. 411–418.*) contra istam Notam. Paucis, prout res ferat, haec omnia perstringamus.

Ac 1. Aliquot Scriptores VV. colligunt (*Pag. 416–418.*), qui vel *absolute* tenent, vel uti *probabilius* docent requiri, ut dolor *ex intentione confessionis* eliciatur.

Resp. S. Alphonsus contra istos sententiam oppositam, ut notatum est, *probabiliorem* censuit. Deferant ergo VV. hunc S. Doctori honorem, ut propter eum et cum eo rationes illorum Auctorum ut minus solidas habeant.

2. Conqueruntur VV. (*Pag. 414–416.*) quod *ratiuncula* appellatum sit S. Alphonsi argumentum, nempe quod *sicut minister, ita suscipiens debet ordinare materiam ad sacramentum;* tum contrarium exemplum infantis, qui sine hac intentione valide ordinatur, *refutari* satis aiunt ex communi doctrina, quod infantibus ad valide sacramentum suscipiendum tum baptismi, tum confirmationis, tum etiam Ordinis nulla requiratur intentio, *cum suppleat in eis intentio Christi vel Ecclesiae,* ut inquit S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 80.*).

Resp. Ista *refutatio* per se cadit, quia nequaquam stat paritas. Aliud enim est voluntas suscipiendi sacramentum, aliud voluntas ordinans dolorem ad sacramentum. Postremum hoc, ut ipsi contendunt, pertinet ad essentiale sacramenti elementum constituendum, illud prius vero essentialibus sacramenti elementis est prorsus extrinsecum, ac interdum sola *habitualis* aut etiam mere *interpretativa* intentio sufficit. Porro id, quod ad intrinsecam sacramenti essentiam pertinet, profecto non potest Ecclesia supplere. Ergo si valida est infantis Ordinatio prouti certe valida est, cum tamen infans incapax sit contactum instrumentorum ordinandi ad sacra-

peccatum retractatus. Caeterum suadendum est poenitentibus, ut immediate ante confessionem actum contritionis prius elicitum renovent, praesertim si postea animum ad alia per notabilem moram converterint. — *S. Lig. n. 446.* (*a*).

mentum, manifesto liquet, istam intentionem ordinantem necessariam non esse. Et huc quidem revocari posset etiam illud, quod de implenda sacramentali satisfactione communiter dicitur. Nam si per intentionem partes omnes ordinari ad sacramentum debent, ergo id valebit etiam quoad satisfactionem. At vero ubinam habetur ista intentio coordinans, quando etiam S. Alphonsus (*Lib. 1. n. 163.*) admittit, poenitentiam sacramentalem vere impleri, etsi quis praecepti immemor, atque adeo nullam habens implendi intentionem, opus tamen praeceptum ponat?

3. Instant VV. (*Pag. 412-416.*) quod in casu urgeat damnatio Propositionis de usu materiae probabilis, relicta tutiore, tum quia probabilis est opinio de dolore eliciendo ex confessionis intentione, tum quia hic agitur de materia *ex qua:* reiiciendam autem damnatae Propositionis interpretationem a Gury allatam.

Resp. Quoad primum: afferant prius alias rationes, quibus *probabilitas quaepiam solida* evincatur opinionis de illius intentionis necessitate. Si enim argumentum a S. Alphonso allatum, quod omnium validissimum existimandum est, id roboris, ut vidimus, non habet; profecto quousque quaepiam alia ratio non appareat, retinere licet, has rationes deesse. Cumque notissimum sit, extrinsecam probabilitatem eatenus valere, quatenus intrinsecae innixa praesumitur; equidem ubi intrinseca desint argumenta, parum prodest allegationes ingeminare. Inaniter ergo hucusque urgetur illa damnatio.

Quoad secundum autem, in primis VV. (*Pag. 415.*), postquam asseruerunt, *probabilissimam* esse doctrinam, quae vult actus poenitentis esse materiam *ex qua,* inferunt inde, satis probabilem esse sententiam, quae dolorem statuit necessario ordinandum esse ad confessionem; at erit sane, qui his subdat, *Nego consequentiam,* ut ex dictis patet. Sed hoc omisso, utilius profecto VV. potiusquam Suaresii textus describerent, aliosque allegarent, qui Suaresium sunt sequuti, aliquid operae impendissent circa ea, quae superius (*Not. ad n. 414.*) de hoc argumento tacta sunt. Dictum utique ibi est, instituti nostri esse non posse, ut hanc quaestionem in brevi Compendio enodandam suscipiamus. Difficultates tamen quasdam innuimus, quibus neque Suaresius, neque alius adhuc satisfecit, sicut et argumentis a Maldonato, ibi allegato, productis responsum idoneum adhuc desideratur. Illud autem, quod duo illa Theologiae lumina, Suarius et Lugo, minus consecuti videntur, valde incertum est, num ab aliis sperandum sit. Porro cum ad alicuius sententiae probabilitatem exigatur, non solum ut solidis fulciatur rationibus, sed insuper ut contrariis rationibus solide satisfaciat, num iure succensebimus iis, qui forte eam opinionem nedum probabilissimam, sed ne solide quidem probabilem adhuc habeant?

Quoad tertium denique, facile patet, interpretationem Propositionis damnatae, quam Gury habet n. 437., ideo tantum memoratam fuisse, quod ibi explicetur, quid valeant illa Propositionis damnatae verba: *In sacramentis conferendis.* Et cum S. Alphonsus (*Lib. 1. n. 51.*), uti ipsi VV. advertunt, satis ostendat, idcirco controverti inter Doctores, num damnatio afficiat alios praeter Sacramenti ministrum; iam alia hinc ratio exsurgit, propter quam *ad abundantiam* constet, minus efficaciter illius propositionis damnationem obiici, etsi aliae ad id rationes non afferrentur.

** (*a*) Etiam hoc loco VV. (*Pag. 935. n. 109.*) Auctori dicenti, dolorem perseverare posse per unum aut etiam *plures dies*, opponunt S. Alphonsum, qui (*Hom. Apost. Tr. 16. n. 20*) affirmat, quoties confessio derivat ex

448. — Quaer. 8° *An requiratur novus actus doloris ad novam absolutionem recipiendam, quando poenitens statim post absolutionem peccatum mortale ex oblivione omissum confitetur?*

Resp. Controvertitur. I[a] Sententia *communiter* et *multo probabilior negat;* quia certo perseverat prior contritio, quae utpote universalis extendebatur ad omnia peccata, etiam ad omissa ex oblivione; nec alioquin requiritur, ut contritio explicite ordinetur ad Sacramentum. Praeterea dolor explicitus satis haberi videtur in ipso actu illud idem peccatum accusandi. — *Lugo*, — *Roncaglia*, — *Reuter*, etc. cum *S. Lig. n. 448.*

II[a] Sententia *affirm.;* quia per absolutionem completum est iudicium: ergo si impertienda sit nova absolutio, nova requiritur materia proxima; et quamvis dolor in se perseveret, non tamen perseverat in ordine ad secundam absolutionem. — *Bonacina*, etc. Haec tamen sententia levi fundamento innixa videtur (*a*).

peccatorum dolore, semper virtualiter perseverare dolorem *per unum vel alterum diem.*

At enim S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 446.*) admittit et approbat sententiam Roncagliae, qui (*De Poenit. Cap. 3. q. 2. Resp. 2.*) tradit dolorem sufficere, *etiamsi dolor praecesserit per aliquot dies.*

(*a*) Reipsa Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 14. n. 28–30.*) negat, partialem aliquam materiam proximam non posse eamdem duplici formae deservire. Ordinationem vero doloris ad confessionem, superius iam dictum est, necessariam non esse. Sed insuper negandum est, eiusmodi ordinationem hic deesse; nam qui de peccatis dolet cum intentione confitendi, satis ordinat singulorum dolorem ad eorumdem confessionem et absolutionem. Adde ulterius, pro secunda ista sententia perperam allegari (*apud S. Alphons. Lib. 6. n. 448. ex Croix, Lib. 6. p. 2. n. 711.*) Vasquez, Bonacina, et Filliuccium. Hi enim, cum dolorem iterandum dicunt, non de peccatis ex oblivione omissis, sed de iterata eorumdem peccatorum confessione disputant. Neque auctoritas igitur, neque solida ratio ulla suffragatur isti opinioni. Contra vero pro priori sententia, quam S. Alphonsus (*l. c.*) appellat *communem*, et *moraliter certam* a Roncaglia, *probabilissimam* a Sporer cum Elbel et aliis multis, ac demum *indubitatam apud omnes* ab aliis dici testatur, *stat*, ut ait Lugo (*l. c. n. 27.*), *et communis praxis. Nam licet unus vel alius confessarius fortasse admoneat poenitentem in praedicto casu de renovando dolore, alii tamen omnes communiter id non faciunt.* De qua communi confessariorum praxi testatur et Dicastillus (*De Sacram. Tr. 8. Disp. 6. Dub. 22. n. 160.*).

Duo autem hic omittenda non sunt. Primum est, praemissam doctrinam ex communi sententia valere non modo in casu, qui frequentior esse solet, alicuius peccati, quod quis in confessione obliviscitur, et mox deinde post absolutionem, vel paulo post confitetur; sed etiam duobus aliis in casibus, nempe tum quando moribundus propter instantis mortis periculum absolvendus est uno vel altero peccato audito, ac dein prosequenda est confessio de reliquis; tum etiam quando quis dimidiata confessione (qui tamen casus rarissimus accidet, ut suo loco dicetur) a Superiore absolvatur solum a reservatis, et dein a non reservatis absolvatur ab alio.

Alterum est, ne praedictam quidem Vasquesii, Bonacinae, ac Filliuccii sententiam de necessitate iterandi dolorem in iterata eorumdem peccatorum confessione iuxta plures necessario admittendam esse. Et sane Card. De Lugo plane contrarium sentit. Ac primo quidem sententiam hanc suam

QUAER. 9° *An dari possit Sacramentum Poenitentiae validum simul et informe, ob defectum sufficientis dispositionis?*

menti DD. consentaneam esse sic innuit (*l. c. n. 34.*): *Licet Auctores non agant expresse de hoc peccato, ex modo tamen, quo loquuntur, videntur hoc insinuare... Imo P. Ioann. Salas in Mss.° de Poenitentia, q. 84. art. 10. relata sententia aliquorum recentiorum, qui dicebant, requiri novum dolorem sicut novam confessionem ad valorem secundi sacramenti, ipse dicit, contrarium esse verius, et sufficere, quod partes sensitivae* (nempe confessio et in ipsa confessione doloris expressio) *sint novae,* etc. Mentem vero suam (*ib. n. 31.*) sic aperuerat: *Si vera sunt* (inquit) *quae adduximus in confirmationem primae partis, non apparet, cur aliquando circa eadem etiam peccata non possit repeti confessio et absolutio nova in virtute doloris praecedentis perseverantis adhuc moraliter et virtualiter* (scil. non retractati). Et (*seq. n. 32.*) concludit: *Ratio videtur eadem pro utroque casu.* His autem praeiverant tum Ioann. De la Cruz, et Petrus De Ledesma (*ap. Diana Tom. I. Tr. 3. Res. 88. n. 1.*), qui insuper testatur doctrinam hanc esse *communem.* Istis vero accessit et Dicastillus (*apud Diana l. c.*), cuius est haec thesis: *Asserendum est, non solum quando novum peccatum quis fatetur, quod oblivione non dixerat, sed quando eadem omnino peccata novae confessioni subiiciuntur, sufficere antiquum dolorem vel physice vel moraliter adhuc manentem.* Et quidem rationibus a Dicastillo allatis debetur, quod Diana, qui huic doctrinae adhaerere prius cunctabatur (*Vid. l. c. Res. 89. n. 3.*), deinde eam absolute amplexus fuerit. Post descripta enim Dicastilli argumenta (*l. c. Res. 88. n. 4.*) concludit: *Huc usque Dicastillus; cui ego nunc absolute adhaereo.* Tum vero addit, non modo id ipsum sensisse alium doctorem Salmanticensem (*Vid. ibid. Res 90. n. 2.*), sed praeterea se quoque auctore in eandem concessisse Leandrum, de quo (*ibid. Res. 95. n.4.*) scribit: *Idem Leander* (*De Sacram. Tom. I. Tr.5. Disp. 7. q. 4.*) *docet, etiam me citato et Cardinali Lugo, quod quando quis confitetur eadem peccata, a quibus iam directe fuerat absolutus, non tenetur habere novum dolorem eorumdem peccatorum; quia repetita confessione vocali, repetitur saltem virtualiter dolor praecedentis confessionis, perseverantis adhuc moraliter et virtualiter.* His demum adde Thomam Tamburini (*Method. Confess. Lib. I. Cap. 2. §. 5. n. 7.*), qui pro eadem doctrina laudat Iosephum De Ianuario: *Lege* (inquit) *Ianuarium* (*P. 1. Res. 30.*), *qui docet, eum qui peccata alias rite confessa et absoluta confitetur, non teneri iterum elicere actum doloris, si prior habitualiter* (*idest non retractatus*) *vel virtualiter perseverat.*

Caeterum eiusmodi doctrina non eatenus ad praxim deservire debet aut potest, quatenus aut confessarii aut poenitentes etiam in confessione peccatorum alias iam rite sacramento expiatorum minus solliciti de excitando dolore esse debeant. Absit hoc sane. Verumtamen utilis quandoque esse potest, quatenus ope illius, ut ait Diana (*l. c. Res. 89. n. 2.*) *confessarii sedabunt multos scrupulos, praesertim illorum, qui confitentur de peccatis venialibus ordinariis, et cum illis de aliquo peccato mortali alias confesso et absoluto.* Nam etsi timendum admodum non sit, ne dolor de gravibus praeteritis illi desit, qui alioqui affert solum venialia, atque adeo qui animum a culpa gravi aversum, tentationes constanter vincendo, manifestat; scrupuli tamen de doloris defectu haud raro anxios quosdam habent, praesertim si quempiam concionatorem forte audire contingat, qui zelo forte minus discreto contra iteratas sine dolore veterum culparum confessiones vehementer declamet. Has porro anxietates cum aliis adminiculis, tum etiam praesentis sententiae praesidio confessarius compescere opportune poterit.

** Respondendum hic quindecim columnis, quas VV. (*Pag. 418–426.*) huic Notae opponunt. Ac primo, non dubitant negare, perperam a S. Al-

Resp. Controvertitur. Negant nonnulli cum *Billuart, diss. 7. art. 1. — Elbel, n. 81.* Ratio eorum est, quia in Sacramento Poe-

phonso allegatos fuisse Vasquez, Filliuccium, et Bonacina. Nam, inquiunt (*pag. 420.*), *Filliuccius* (*Tract. 6. n. 76.*) *expressis verbis de peccatis oblitis loquitur,* non vero de peccatis alias confessis. — Resp. 1° Concedunt ergo, perperam a S. Alphonso allegari Vasquez, itemque Bonacinam. 2° S. Alphonsus cum Croix non allegat ex Filliuccio n. 76., sed 77., ubi non de oblitis, sed de alias confessis peccatis sermo est: et id quidem consultissime. Nam utique n. 77., ubi de peccatis alias confessis, novum dolorem eliciendum Filliuccius dicit; non vero n. 76, ubi de peccatis oblitis. Quocirca si allegassent n. 76., allegatio non solum frustranea, sed insuper falsa fuisset. Hinc porro argumentum contra VV.; si enim Filliuccius censuisset, novum dolorem eliciendum esse, etiam ubi de oblitis agebat, id non tacuisset, quemadmodum non tacuit, ubi de peccatis alias confessis; Atqui tacuit. Ergo.

2° Instant VV., aientes, iuxta Filliuccium (n. 76.) in confessione peccati obliti *fieri novum sacramentum.* Ergo Filliuccius non allegatur perperam. — *Resp.* Quaestio nunc non est, an in casu novum fiat sacramentum, sed utrum, cum novum fit sacramentum, necesse sit alium elicere actum doloris, an vero sufficiat praecedens. Primum illud *expressis verbis* dicit Filliuccius; de altero ne verbum quidem Filliuccius habet; quinimo, ut diximus, tacendo id negat. Ergo et Filliuccius perperam allegatur.

3° Ad ostendendum nihilominus, gravi auctoritate fulciri sententiam, quam S. Alphonsus (aiunt VV. *pag. 419.*) *merito vocat probabiliorem,* ipsi promunt octo auctores, nempe *Concina, Lacroix, Holzmann, Reiffenstuel, Billuart, Antoine, Reuter, et Voit.* — *Resp.* Sex inter istos immo sententiam contrariam, scilicet non necessariam esse doloris renovationem, vocant *probabiliorem* aut *certam.* Siccine ostenditur, spectata auctoritate, S. Alphonsum *merito* sententiam suam dixisse *probabiliorem?* Sed ne alii duo quidem sententiam S. Alphonsi dicunt *probabiliorem.* Nam Concina mere ait: *tutiora in hoc summo negotio sequere.* Alter vero, quem VV. putarunt Antoine, sed reipsa est Philippus de Carboneano, infelix infelicissimi Operis adnotator, scribit: *In praxi requiritur nova contritio,... quia oppositum non est omnino certum.*

4° Instant VV., allegatos Auctores sententiam S. Alphonsi saltem implicite habuisse uti *probabilem,* dum suam dicunt *probabiliorem;* Croix vero et Holzmann expresse ipsam dicunt probabilem. — *Resp.* Quoad primam partem, *Nego.* Neque enim vel unum auctorem proferunt aut proferre potuerunt, qui eam opinionem ceu probabilem defenderit; sed cum suam ipsorum non putarent omnino certam, hinc in praxi oppositam sectandam, ut tutius procederetur, suaserunt. Ita v. gr. Voit (*Vol. 2. n. 508.*): *Probabilissima est sententia* (haec verba VV. omiserunt), *quod necessario non sit eliciendus novus dolor.... In praxi tamen praestat novum elicere dolorem, ut tutius procedatur,* quae verba potius consilium sonant. Et Reuter (*Part. 4. Tr. 5. n. 282.*): *Etsi haec sententia videatur moraliter certa* (quae itidem verba a VV. omittuntur), *quia tamen opposita aliquibus videtur non omnino improbabilis..., consulendum est maiori reverentiae Sacramenti.* Quae itidem potius consilium praeferunt. — Quoad Holzmann autem et Croix, *Respond.* Horum uterque innititur allegationibus *Vasquez, Bonacinae, Amici, et Mastrii,* qui necessitatem novi doloris astruunt non pro casu nostro, sed de peccatis alias confessis, uti iam de S. Alphonsi allegationibus diximus. Ergo innituntur allegationibus, quae ad rem non faciunt.

Quoad intrinsecas vero rationes, Holzmann ait, *probabilius* quidem sed *non evidenter* soluta argumenta videri, quae ipse sibi obiecerat. — Sed huic facile respondetur, satis superque esse, quod solida obiectionum sit

nitentiae contritio est materia Sacramenti; igitur si insufficiens sit, invalidum erit Sacramentum. Si vero sufficiens sit, valet Sacra-

solutio; solidam autem esse ipse concedit. Quod si quid ipsi non satis *evidens* videatur, nobis vero facit satis, quod gravibus aliis Doctoribus *satis evidens* id visum fuerit.

Qua quidem in re singularis enimvero videri potest huius Auctoris ratio disputandi. Quaerit nimirum (*Part. 5. n. 511.*), *An una, eademque contritio ad duo vel plura numero sacramenta Poenitentiae sufficere possit.* Ubi non distinguit, num secunda confessio sit peccati *obliti*, an peccati alias *confessi.* Subdit autem (et haec omittere VV. non debuissent): *Respondetur, quod possit, si contritio adhuc physice perseveret tempore utriusque confessionis; imo etiamsi solum moraliter perduret. Prima pars est communis* ET CERTA. *Alteram tenent Card. De Lugo, Ioannes Bosco, La Croix Lib. 6. p. 2. n. 707., et alii quamplurimi contra alios infra referendos.* Porro Auctores, quos infra refert, solum de peccatis alias confessis tractant; cur ergo non concludes, secundam hanc thesis partem non attingere quaestionem de peccatis oblitis, atque adeo de his valere, quod statuit de prima parte, nempe doctrinam illam esse *communem et certam?* At enim ipse (n. 512.) *non certam* sententiam dicit, etiam quando post acceptam absolutionem poenitens redeat, ut peccatum oblitum confiteatur. Resp. Transeat; sed quid igitur ex hac rerum confusione extundes? Unum tamen satis constat. Nam ipse *certam* et *communem* dicit doctrinam de unius contritionis sufficientia ad duo vel plura Sacramenta, si contritio *physice* perseveret. Quaerere nunc omittamus, quid apud eum sibi velit *physica* ista perseverantia, et quorsum exigatur. Nam ipse scripserat paulo ante (*n. 510.*): *Si heri elicueris dolorem cum proposito hodie confitendi, dum hodie confiteris, non indiges novo dolore.* Nam physice ne, an moraliter dolor tunc perseverat? Quod nunc attinet, si ex eius CERTA sententia *una contritio* in casu sufficit pro *duabus* aut *pluribus absolutionibus,* quid igitur valebit obiectio eius (*n. 511.*), quod scilicet *Novum compositum requirit novas partes;* sive quod *ad novum sacramentum necessaria est nova entitative contritio?* Nonne ipse expresse contendit, *certum esse et commune,* quod *una* sufficit? Quomodo ergo (*n. 512.*) tantum robur hisce obiectionibus tribuit, ut propter eas *incertam* deinde velit esse doctrinam, quam ipse contendit esse *certam?* Sed iam dimittamus Holzmann cum sua hac rerum, quae sibi non cohaerent, obscura congerie: ad Croix transeamus.

Croix praeter inanes illas allegationes, de quibus dictum est, unicum hoc quasi e ratione profert argumentum (*n. 711.*): *Est* (inquit) *ferme similis ratio de peccatis, quae quis oblitus est, et de illis quae est antehac confessus:* videlicet cum (*n. 707.*) de utraque simul quaestione egerit, ratiunculas, quas sibi obiicit, ubi de peccatis iam confessis, valere contendit et pro casu peccati obliti; eoque maiorem vim putat accedere hisce ratiunculis, propterea quod nonnulli Auctores (ipse quatuor aut quinque affert) qui negant renovandum esse dolorem, ubi agitur de peccatis oblitis, tamen novum dolorem quoad peccata alias confessa exigunt. — Resp., facili negotio, ac potiori iure retorqueri in ipsum Croix argumentum posse. Et sane (omissis nunc iis, qui de peccatis oblitis nihil habent, uti Vasquez, Bonacina, et Io. Sanchez) quamplurimi equidem sunt (ut fatetur Holzmann), qui quoad peccatum oblitum negant novum dolorem necessarium esse. Ex his porro pauci illi eas rationes, quas reperiunt validas quoad peccatum oblitum, et statim confessum, non item satis validas reperiunt quoad peccata alias confessa. At vero eo ipso, quod qui dissentiunt quoad peccata alias confessa, tamen quoad confessionem peccati obliti cum aliis consentiunt, nonne potius concludi potest et debet, rationes, quae in casu peccati obliti afferuntur, tanti esse roboris ac perspicuitatis tantae, ut consensum extorserint etiam ab iis, qui in altera quaestione dissentiunt? Concluda-

mentum et est simul formatum, et ideo peccata statim remittit. — *Affirmant* tamen alii et quidem graves Theologi cum *Lugo, D. 14.*

mus ergo, neque Holzmann, neque Croix quidpiam aut ex auctoritate aut ex intrinseca ratione protulisse, quod probabilitatem ullam conciliet opinioni illi, quae contra communem sententiam affertur.

Caeterum, quod iam alias advertimus, optandum omnino erat, ut VV. curas suas ad aliquem scientiae profectum, veritatis nimirum inquisitionem potiusquam ad causam aliquam utcunque tutandam conferrent. Sic in praesenti, dum textus offerunt Auctorum, non dissimulassent, sententiam, quam impugnare student, ab Edmundo Voit dici *probabilissimam;* non dissimulassent, eandem Reuter visam esse *moraliter certam;* non dissimulassent, eandem ab Holzmann dici *certam et communem.*

Sed insuper cur tacuerunt aliorum Doctorum iudicia? Equidem

1° Dominicus Viva (*De Poenit. Q. 3. art. 3 n. 8.*) scribit: *Peccata oblita, quae immediate post absolutionem revelantur, non indigent novo dolore, ut iterum absolutio super iis conferatur, ut praxis fidelium ostendit.* Subdit autem (*Ibid. n. 9.*): *Rogabis, num opiniones istae circa dolorem... post primam thesim proscriptam ab Innoc. XI. sint practice probabiles? Respondeo opiniones hactenus expositas... esse practice probabiles,... quia licitum est sequi opinionem* MORALITER CERTAM. Et rursus (*ad Prop. 1. Innoc. XI. n. 26.*): *Quidquid sit autem,* num universim possit iterari absolutio super iisdem peccatis, non iterato dolore, ut multi autumant...; CERTUM *tamen videtur ex praxi Ecclesiae et Confessariorum, non esse necesse, quod qui post absolutionem statim reconciliantur, moneantur de novo dolore iterando.*

2° Felix Potestas (*De Poenit. Cap. 18. n. 3080.*): *Qui ante confessus, reconciliatur confitendo peccatum oblitum, licet novum sacramentum faciat, non tenetur novum dolorem elicere.... Haec sententia est mihi* MORALITER CERTA.

3° Elbel (*Conf. 3. De Contrit. n. 75.*): *Si subiiciat novum peccatum mox vel paulo post absolutionem perceptam, probabilissime non solum valide, sed etiam licite absolvitur absque novo dolore... Quare nimis scrupulose praxim huius opinionis damnare videntur Cardenas et Lacroix.*

4° Et Sporer (*Theol. Sacram. Part. 3. Cap. 2. n. 298.*): *Quando in Confessione oblitus es alicuius peccati mortalis, illudque paulo post datam absolutionem recordatus confiteris, etsi consultum, tutissimum sit renovare dolorem, non tamen necessarium est, ut de illo habeas novum dolorem. Ita...* COMMUNITER. Et (*n. 300.*) rursus: *Hoc certius: si propter instans mortis periculum dedisti alicui absolutionem, antequam omnia peccata confiteatur: potes ab aliis, quae postea narrabit, absolvere, tametsi novum dolorem de reliquis non eliciat.* Quae resolutio directe impetit ratiunculam, quae contra solet obiici, novam materiam pro novo sacramento requiri.

5° Marcus Struggl (*Tr. 11. Q. 2. art. 2. n. 25.*): *Docti et pii Confessarii, quando poenitens post collatam primam absolutionem proponit peccatum mortale, cuius prius fuit oblitus, eidem conferunt absolutionem, quin solliciti sint de novo poenitentis dolore. Estque haec sententia, etsi agat de valore sacramenti,* IN PRAXI SECURA.

6° Martinus Stoz (*Lib. 1. Q. 1. art. 7. n. 52.*): *Lubens admitto, eum, qui paulo ante confessus, iterum confitetur peccata, quae exciderant..., non teneri elicere novum dolorem.*

7° Mazzotta (*Tr. 6. Disp. 1. Q. 3. C. 1. §. 3. q. 3.*): *Idem dolor potest sufficere..., si quis statim post absolutionem addat novum peccatum oblitum, et iterum absolvatur sive ab eodem, sive ab alio Confessario: et similiter si quis morte instante absolvatur nondum integre confessus, et postea... compleat confessionem, potest iterum sine novo dolore absolvi.*

n. 65. — *Lacroix, n. 672.*; et hoc dicit probabilius *S. Lig.*

COMMUNITER, *idque* INDUBITATUM *apud DD. inquit Moya. Neque obstat prop. cit. damnata ab Innoc. XI., quia haec sententia est probabilissima, quidquid dixerit Croix.*

8° Babenstuber (*Tr. 8. P. 6. Disp. 4. art. 3. n. 57.*): *Quando quis alicuius peccati in confessione oblitus..., deinde vero illud vel statim vel paulo post... confitetur, debet Confessarius rursus impertire absolutionem... In quo casu neque poenitens, neque Confessarius de novo dolore solet esse sollicitus. Ita* COMMUNITER *Theologi.*

9° Roncaglia (*Tr. 19. C. 3. q. 3.*) de hac doctrina: *Haec fundamenta* ADEO TUTA *mihi apparent, ut haec sententia nullatenus mihi videatur subiacere censurae illius damnatae opinionis, qua dicebatur, in Sacramentis conficiendis sequi licere opinionem probabilem, relicta tutiore.*

10° Giribaldi (*Tr. 7. C. 5. Dub. 8. n. 63.*): *Licet unus aut alter (confessarius) poenitentem admoneat de renovando dolore; alii tamen magis communiter id non faciunt, atque ita in praxi observari potest, ut quando poenitens redit ad dicenda peccata oblita, non cogatur novum actum contritionis elicere.*

11° Illsung (*Tr. 6. Disp. 6. Q. 3. art. 5. n. 43.*): *Quando quis unius peccati est oblitus, et illud vel statim, vel paulo post ad sacerdotem rediens confitetur..., confessarius debet denuo impertire absolutionem...; sed in tali casu communiter nec poenitentes nec confessarii solliciti sunt de novo dolore. Ergo non requiritur novus dolor.*

12° Honoratus Fabri (*Tr. IX. Cap. 2. n. 10.*): *Idem dolor ad plures absolutiones sufficit, ut cum quis post absolutionem aliquod peccatum aperit, cuius ante non meminerat.*

13° Tamburini (*Meth. Conf. Lib. 1. Cap. 2. n. 9.*): *Si post collatam rite absolutionem poenitens recordetur, afferatque aliquid, quod confiteri oblitus fuerit,... non est necesse, ut iterum doleat.*

14° Gobat (*Tr. 6. n. 165.*): *Quando in confessione oblitus alicuius peccati, illud paulo post datam absolutionem confiteris, non est opus, ut de illo habeas novum dolorem.* COMMUNITER.

15° Escobar (*Lib. 14. Sect. 2. n. 116-118.*): *Quis dum confessionem gerit, unius aut alterius peccati letalis obliviscitur, et statim post absolutionem recordatur, et aperit illud: hic.... novo doloris actu non indiget.* Sed hic abs re ceu contrarios allegat Vasquez et Bonacina, qui, ut diximus, non de hac quaestione disserunt, sed de alia diversa.

16° Dicastillo (*Tr. 8. Disp. 6. Dub. 12. n. 160.*): *Asserendum est, quando novum peccatum quis fatetur, quod oblivione non dixerat... sufficere antiquum dolorem vel physice vel moraliter manentem... Hanc sententiam sequitur Ledesma, et testatur esse magis* COMMUNEM. Et rursus (*n. 165.*): *Nostra sententia ex praxi Ecclesiae et Confessariorum potest confirmari, quia pauci sunt (si tamen sunt) qui sint solliciti de monendo poenitente, ut in reconciliationibus renovet dolorem, ut recte notavit Lugo.*

17° Aversa (*De Poenit. Q. 9. Sect. 1.*): *In praxi observari potest, ut quando poenitens redit ad dicenda peccata oblita, non cogatur novum actum contritionis elicere.*

18° Ferraris (*V. Poenit. art. 2. n. 37.*): *Qui in confessione oblitus est alicuius peccati mortalis..., potest paulo post absolutionem illud confiteri absque eo quod habeat novum dolorem. Gobat cum Dicast. testatur de COMMUNI.*

19° Et ne diutius hisce immoremur, videsis à praemissis allegatos *Diana* (*Tom. 1. Tr. 3. Res. 88.*), *Mezger* (*Tr. 18. Disp. 46. art. 4. n. 7.*), *Gabriel. a S. Vinc.* (*De Poenit. Disp. 4. q. 2.*), *Salmanticenses* (*Th. Schol. Tr. 24. Disp. 7. n. 116 et 121.*), *Ledesma, Salas, Henriquez, Arriaga, Platelium* (*apud Mazzotta l. c.*), *Ioannem De la Cruz, et Ios. De Ianuario*

n. 444. (*a*). — Ratio autem eorum est, quia dari potest certus gradus inferior dispositionis, qui satis sit ad Sacramenti materiam, non tamen ad actualem iustificationem sufficiat (*b*). — *Recole dicta de Sacram. in gen. n. 191. et 232.*

§. II. *De dotibus contritionis.*

449. — Dotes necessario requisitae ad validitatem contritionis, tum perfectae, tum imperfectae, quatuor numerantur, scilicet 1° ut sit interna; 2° supernaturalis; 3° summa; 4° universalis.

I. *Interna* seu *vera,* id est corde et animo vere concepta, iuxta illud *Ioelis, 2. 13: Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* Contritio enim iuxta *Trident.* est *animi dolor...;* animus autem rationalem voluntatem significat.

II. *Supernaturalis,* id est elicita per auxilium gratiae, et ex motivo quod aliquatenus ad Deum referatur (*c*). Dolor enim ex motivo

(*apud Tamburini l. c.*), *Perez et Bosco* (*apud S. Alphonsum Lib. 6. n.448.*). Et quidem fac sedulo advertas, praelaudatos DD. *absolute* eam tradere doctrinam, et tamquam *extra controversiam* in praxi servandam: eorum autem plerosque post damnatas ab Innocentio XI propositiones scripsisse, imo et expresse de hac damnatione mentionem iniecisse. Cumque auctoritates, quae opponi consueverunt, prorsus ad rem non faciant, obiectae autem ratiunculae nullo negotio solvantur, immo saepius *argumento ad hominem* contra obiicientes retorqueri possint; manifestum est, hanc doctrinam etiam in praxi tutissimam haberi posse.

Quoad sex autem columnas, quibus VV. (*Pag. 423-426.*) lectorem detinent circa alteram Notae partem, nempe circa renovandum dolorem peccati alias confessi, vere nullum operae pretium est immorari. Aiunt, non videre se, quomodo ea doctrina ad sedandos quorundam scrupulos conferre possit. At id viderunt alii; et forte VV. ipsi ne assecuti quidem omnino videntur, quo sensu in Nota ea sententia ad sedandos scrupulos conferre posse dicatur.

(*a*) *Hanc sententiam* (inquit Lugo *De Poenit. Disp. 14. n. 68.*) *docet S. Thomas..., et Thomistae communiter, Capreolus, Paludanus, Caietanus, Soto, Cano, Ledesma, Sylvester, Richardus, quos affert Suarez..., qui eandem ex parte sequitur; et hanc etiam amplectuntur communiter recentiores Thomistae et Henriquez... et Card. Toletus..., et alii, quos refert et sequitur Antoninus, Diana...; qui omnes consequenter docent, talem confessionem validam non esse postea repetendam.*

Multiplices casus, quibus contingere id posse isti vel illi Theologi censuerint, refert idem De Lugo (*ibid. n. 69.*); qui tamen in duplici tantum circumstantia hoc admittere videtur, scilicet 1° quando quispiam duplicis peccati reus, ex invincibili oblivione de altero tantum doleat, et hoc solum confiteatur; 2° quando quis ex ignorantia invincibili crederet, non esse peccatum mortale accedere ad sacramentum sine dolore de omnibus, dum tamen dolor adesset de aliquo. (*Vid. ibid. n. 74. et 89.*).

(*b*) Haec tamen ratio potius quam pro casibus, quos Card. De Lugo admisit, facit pro iis, quos ipse non probavit.

(*c*) Hac loquendi forma voluit A. comprehendere etiam moralem honestatem, cui peccatum opponitur, iuxta doctrinam scilicet Tridentinae Synodi, quae peccati quoque turpitudinem ceu aptum doloris motivum recenset.

Adverti autem hic potest, quod sicuti ut actio sit meritoria, necesse

mere humano elicitus, v. gr. ex timore infamiae, nihil conferre potest ad obtinendam iustificationem.

Motiva autem idonea ad quatuor reduci possunt: 1° ad timorem poenae; 2° ad spem praemii; 3° ad turpitudinem peccati; 4° ad bonitatem Dei.

III. *Summa,* ut scilicet peccator *appretiative* detestetur crimen suum plus quam omne aliud malum, et animo paratus sit omnia potius perdere et pati, quam peccatum patrare.

IV. *Universalis,* nempe extendi debet ad omnia peccata gravia vel ex motivo universali unico, vel ex pluribus motivis particularibus, quae saltem simul sumpta se extendant ad omnia mortalia commissa, etiam memoriae non occurrentia. Ratio est, quia nullum peccatum actuale remittitur sine dolore; unum autem mortale sine alio remitti nequit, cum remissio fiat per infusionem gratiae, quae cum mortali simul stare non potest.

450. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An contritio intensive summa esse debeat?*

Resp. Neg. Ratio est, quia intensitas est quid mere accidentale: gradus enim doloris, seu affectus vel conatus maior aut minor, non pertinet ad essentiam contritionis, quae absque eiusmodi intensitatis gradu tota existere potest. Praeterea undenam scires, hunc vel illum intensitatis gradum fore attingendum? Insuper intensitas doloris non est semper in nostra potestate. Hinc aliquando quoad sensum vehementius movemur e malo temporali quam ex offensa Dei, licet voluntas prompta sit potius omnia mala temporalia pati, quam Deum offendere. Sufficit igitur, ut sit *appretiative* summa, id est ut peccatum aestimatione seria prae caeteris odio habeatur. — *S. Lig. n. 433-442.* (*a*).

non est, ut quis agat ex motivo supernaturali, idest ope fidei cognito (*Vid. Vol. I. n. 32. q. 6. et 8.*); ita consequenter concludit Ripalda (*De fid. Disp. 17. n. 209.*), posse attritionem, disponentem ad iustificationem sacramentalem, elici ex directione prudentiae infusae aut ex directione cognitionis, quae piam affectionem fidei, quaerentis nimirum in sacramento iustificationem, dirigat. Quandoquidem (ut inquit ipse *n. 187.*) *dispositio ad iustificationem sacramentalem sufficiens fieri potest sine fide theologica stricta. Nam ad iustificationem sacramentalem sufficit dolor elicitus a virtute morali, cui peccatum opponitur* (nempe ex peccati turpitudine iuxta Trid.). *At virtutum moralium actus salutares et supernaturales fieri posse absque stricta fide, S. Scripturis, Conciliis, Patribus, rationibusque theologicis, nec non gravium Theologorum iudicio conforme in superioribus praemisimus.* Quam doctrinam esse S. Thomae iam vidimus (*loc. sup. cit.*) in Tract. *De Actibus Humanis.* Eadem de re videnda sunt quae tradit idem Ripalda *De Ente Supernaturali Disp. ultim. n. 458-460., et Disp. 22. n. 100.*

(*a*) Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 5. n. 84-87.*) postquam conclusit, *merito reiici communiter* opinionem, quae exigit contritionem *summe intensam*, itidemque reiiciendam, utpote multis fallaciis ac periculis obnoxiam, opinionem, quae contritionem exigit *saltem intensiorem actibus, quibus afficitur homo erga alia obiecta;* subdit nihilominus: *Non negamus expedire, ut peccator conetur summa intensione dolere: tum ut cer-*

Quaer. 2° *An requiratur comparatio* FORMALIS *in appretiatione inter varia mala et peccatum, vel Deum?*

Resp. Neg. Sufficit enim ut peccator sincere et vere peccata detestetur, et nolit amplius peccare. Imo valde imprudenter agunt Confessarii, qui ad dolorem, summusne sit, explorandum, poenitentibus quasdam comparationes proponunt valde periculosas, v. gr. mallesne vivus comburi, vel omnia martyrum tormenta subire, aut reptilia venenosa manducare, quam iterum peccare? Tales enim comparationes vividius phantasiam movent, et accedente valida tentatione, facile amittitur vera dispositio, quae antea existebat. — *S. Lig. n. 433. — Elbel, n. 79.* (*a*).

tior sit de poenitentia, tum ut plenius satisfaciat non solum pro culpa, sed etiam pro poena: in quo sensu accipi debent Patres, qui summum dolorem exigunt.

(*a*) Non unus est S. Alphonsus, aut Elbel, qui has comparationes cavendas monent; imo S. Alphonsus id *commune omnibus* merito dicit. *Hoc est commune apud omnes* (inquit *l. c.*) *cum S. Thoma et S. Bonaventura, etc. apud Croix, Lib. 6. P. 2. n. 731., nempe non expedire comparationem explicitam inter peccatum et alia mala..., et tanto minus eligere infernum,* etc. Unde patet, minus probandas esse quasdam contritionis formulas, in quibus videsis eiusmodi comparationes, *potius mille mortes*, vel etiam *potius infernus*, etc. Et hoc quidem monitum usui esse potest et concionatoribus. Si enim post excitatos poenitentiae aut charitatis affectus, imprudenter ad illas comparationes prosiliant, id facile assequentur, ut fervor, in auditoribus accensus, cito tepescat, imo et frigescat et forte penitus extinguatur. Specialem porro divinae gratiae auxilium ad ardua quaeque aggredienda ac vincenda sperari utique potest ac debet, quando urget hora, non vero quoties temere per vanas phantasias periculis se quisque committat.

Bene Navarrus (*Man. Cap. 10. n. 4.*) eiusmodi comparationes appellat *tentationes damnosas et supervacaneas.* Et (*Cap. 1. n. 17.*) imprudentiam ipsarum sic notat: *Nemo... tenetur ad conferendum speciatim, reputando secum, quod malit illud et illud mortis genus et poenarum pati, quam peccare aut peccasse. Immo id esset imprudentiae: sicut et imprudens foret confessarius, qui interrogat poenitentem, malletne potius filios suos vel se mortem obiisse, quam peccasse; aut sitne paratus potius mori vel perdere filios, quam mortiferum peccatum admittere. Quoniam nimia est eiusmodi tentatio... Quocirca satis est confessario, ut videatur ei poenitens sufficientem peccatorum poenitudinem habere.*

Quin S. Thomas non imprudentiae modo, sed *stultitiae* eum morem sic arguit (*Quodl. 1. Art. 9.*): *Contritus tenetur IN GENERALI velle pati magis quamcumque poenam, quam peccare.... Sed IN SPECIALI descendere ad hanc poenam vel ad illam non tenetur; quinimo STULTE faceret, si quis se ipsum vel alium sollicitaret super huiusmodi particularibus poenis. Manifestum est enim, quod sicut delectabilia plus movent in particulari considerata quam in communi, ita terribilia plus terrent, si in particulari considerentur; et aliqui sunt, qui minori tentatione non cadunt, qui forte maiori caderent; sicut aliquis audiens adulterium, non incitatur ad libidinem; sed si per considerationem descendit ad singulas illecebras, magis movetur. Et similiter aliquis non refugeret pati mortem pro Christo; sed si descenderet ad considerandum singulas poenas, magis retraheretur. Et ideo descendere in talibus ad singula, est inducere hominem in tentationem, et praebere occasionem peccandi.*

QUAER. 4° *Quaenam temporis diuturnitas ad veram ac summam contritionem concipiendam exigatur?*

Resp. Nulla *per se,* quia diuturnitas non pertinet ad essentiam actus, sed est ipsi mere accidentalis: quamobrem satis est ut actus sit substantialiter impletus; quod minimo etiam tempusculo fieri potest. Tutius tamen est actum contritionis elicere intensiorem et productiorem; ne forte ex levitate aut nimia festinatione nullus quoad substantiam concipiatur. — *S. Lig. n. 433. — et alii communiter.*

451. — QUAER. 4° *An contritio de venialibus debeat gaudere quatuor iisdem dotibus?*

Resp. 1° Debet gaudere necessario tribus prioribus; scilicet 1° debet esse *interna,* quia contritio quae ex intimo corde non elicitur, vera non est; 2° debet esse *supernaturalis,* quia, ut dictum est (*a*), contritio naturalis nequit esse medium ad effectum supernaturalem; 3° debet etiam esse *summa,* seu debet peccator detestari peccatum veniale plus quam mala naturalia omnia (*b*).

Resp. 2° Non debet autem necessario esse *universalis,* sive in Sacramento, sive extra Sacramentum. Ratio est, quia cum peccatum veniale non sit incompossibile cum gratia sanctificante, unum veniale potest remitti sine aliis. — *S. Lig. n. 449.*

QUAER. 5° *An attritio* FORMIDOLOSA , *seu ex metu gehennae concepta, sufficiat ad iustificationem in Sacramento Poenitentiae?*

Resp. Affirm. modo sit vere *supernaturalis,* absolute *efficax,* et tantum *materialiter* non vero *formaliter* seu *serviliter servilis.* Ratio est, 1° quia huiusmodi attritio est vera conversio ad Deum, et vera aversio a peccato; 2° quia hoc clare eruitur ex *Concilio Tridentino, sess. 14. c. 4.,* ubi dicit, attritionem conceptam ex metu gehennae et poenarum esse honestam , et disponere peccatorem ad iustificationem in Sacramento Poenitentiae obtinendam (*c*).

(*a*) Quo sensu id intelligendum sit, vid. *sup. ad n. 449.*

(*b*) Verissime hoc dicitur; et si quidem de veniali quis ita doleat, ut difficultate occurrente paratus sit illud rursus patrare, v. gr. *mentiri, ut discordias vel reprehensiones vitet,* profecto non rite dolet. At enim si vitanda est tum quoad se tum quoad alios tentatio illa, de qua sup. (*ad q. 2.*) dictum est, multo magis cavendum illud est, cum de solis venialibus agitur: et imprudentissime faceret confessarius, qui ad explorandam vim doloris de venialibus, percontaretur, an poenitens mala omnia perpeti potius velit, quam in unam aut alteram e consuetis venialibus culpis relabi.

(*c*) De hac doctrina S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 440.*) verissime sic statuit contra Merbes, Juvénin, Antoine, et si qui sunt alii eiusmodi: *Certum et commune est apud doctores, non requiri contritionem perfectam, sed sufficere attritionem.*

Nec movere debet, quod quidam hanc doctrinam ceu novam et a Melchiore Cano primum invectam traduxerint (Vid. Bened. XIV. *De Synod. Lib. 7. Cap. 13. n. 6.,* et Perrone *De Poenit. n. 90. in not.*). Nimirum si proiectis Iuveninio, Ludov. Habert, Le Drou, Vanespen, Witasse et aliis huiusmodi , adiissent suis oculis v. gr. Suarezium (*De Poenit. Disp. 20. Sect. I. n. 9.*); profecto reperissent pro ea doctrina allegatos S. Thomam,

Attritio porro vocatur *serviliter servilis*, ubi quis de peccato quidem dolet, illudque vult vitare ob poenas, quas a Deo infligendas novit; adhuc tamen paratus esset peccare, si poenae istae non subsisterent. Dicitur vero *simpliciter servilis*, ubi quis ob poena-

Scotum, Paludanum, Capreolum, Durandum, Adrianum, S. Antoninum, Sylvestrum, etc. Cano sane antiquiores.

Sed et multo plures DD. in eandem rem affert Iosephus Benaglio in opere plane egregio, cui titulus: *Dell' attrizione quasi materia e parte del Sacramento della Penitenza, ecc. Milano 1846* (*Cap. 5. Art. 11. Vol. 2. pag. 101.*). Qui quidem et illud (*Cap. 4. art. 7. et Cap. 5. art. 13.*) palam facit, omnia demum quaecumque ad praedicti paradoxi praesidium ex memoratis Iuveninio, Habert, etc. corrogata habentur in citato loco Operis *De Dioecesana Synodo,* ea nutare prorsus, ac insuper perperam Ioanni Morino attribui. Quidquid enim sit de aliis huius scriptoris opinionibus, at quod ad attritionem attinet, non solum eius sufficientiam ipse cum communi Thh. sententia professus est, sed etiam eiusdem doctrinae antiquitatem, imo et perpetuitatem vindicavit.

Et placet sane locum illum afferre, ubi Dominicum Soto, cui *non ita multum vetus doctrina de attritione, quae in sacramento fieret contritio,* visa fuerat, modeste reprehendit: quippe principia adhibet in hisce materiis nunquam non habenda prae oculis. Sic itaque Morinus (*Comm. hist. De Poenit. Lib. I. Cap. 13. n. 19.*): *In his Dominici Soti verbis duo mihi dura videntur et intellectu difficilia. Prius est, sententiam, quae asserit attritionem fieri in sacramento contritionem veram esse, a Patribus tamen non agnitam. Si ageretur de novo aliquo et sublimi problemate theologico,* εὐπαράδεκτον (credibile) *sane esset, aliquid ab insignibus Theologis et Philosophis inventum esse, quod antiquos latuisset. Verum cum agatur de via et modo recuperandae salutis aeternae per Sacramentum Poenitentiae, num scholastico aliquo philosophemate salutis adipiscendae ratio inveniri potest nova et facilior ea, quam Patres ab Apostolis acceptam successoribus suis tradiderunt? Si Patres solam contritionem agnoverunt necessariam ad salutem per Sacramentum Poenitentiae consequendam, ingenii mei hebetudo non assequitur, qua ratione, quave auctoritate freti Scholastici post mille saltem et ducentos annos novam et faciliorem viam ea, quam Patres nobis tradiderunt, praescribere potuerunt... Posterius, quod mihi durum videtur, est, Patres solum contritionem existimasse necessariam ad Confessionem. Licet enim Antiqui nomen Attritionis non agnoverint, nedum axioma,* Attritionem in Sacramento fieri Contritionem; *rem tamen ipsam hoc axiomate significatam non modo docuerunt, verum etiam ut principium et omnis disciplinae poenitentialis fundamentum maximopere commendarunt.* Huc usque Morinus.

Caeterum quod laudatus Benaglio sibi veniam fecerit recedendi penitus ab iis, quae de hoc argumento in Opere Lambertiniano *de Synodo* leguntur, merito sibi factam ad id facultatem censuit ex iis, quae ipsemet Benedictus XIV. in fine Praefationis editionibus postremis praefixae in haec verba edixit: *Ubi neque a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, neque a Nobis ipsis aut in Bullario aut alibi, Apostolica auctoritate quidquam definitum est, ac generaliter omnibus in rebus, quibus nullum ex publica Ecclesiae auctoritate pondus accessit, nihil nos definire ac veluti decretorium exhibere intendimus. Ea enim nobis et semper fuit, et adhuc mens est, ut sententiam nostram proponentes, hanc eatenus tueamur, quatenus illi ex rationibus et auctoritatibus, quae nos ad eam amplectendam impulerunt, satis roboris et firmitatis adesse cognoscatur; libentique animo subscribimus doctrinae... Melchioris Cani, qui... de libris agens, qui a Summis Pontificibus conscripti publicantur, haec ait: Cum edunt li-*

rum quidem timorem a peccato abstinet, non tamen ita dispositus est, ut vellet peccare, si poenae illae non essent. Prior malus est, non qua timor est poenarum, sed ob pravam animi dispositionem. — *Scavini.*

452. — QUAER. 6° *An sufficiat attritio ex metu poenarum Purgatorii pro peccatis venialibus?*

Resp. Affirm. cum sententia communissima et moraliter certa; quia rationes omnes superius adductae pro sufficientia attritionis ex metu gehennae, hic quoque valent.

QUAER. 7° *An sufficiat attritio ex metu poenarum temporalium huius vitae pro peccato subeundarum, prout a Deo infliguntur?*

Resp. Affirm. probabilius, modo sit supernaturalis (*a*). Ratio est,

bros de re qualibet Romani Pontifices, sententiam suam, ut homines alii docti, exprimunt, non tamquam Ecclesiae iudices de fide pronunciant. Et allata historia Innocentii IV. qui Commentaria in libros Decretalium scripsit, dum Pontificatum gerebat, subdit: *Neque profecto Innocentius hoc sibi unquam arrogavit, ut quidquid in eo Opere scripsisset, pro re definita haberetur; sed facile passus est, opiniones suas, quas tamquam privatus doctor proposuerat, ab aliis doctoribus oppugnari; ut patet ex... illius vita, multoque magis ex ea, quam sibi amplissimam hac in re licentiam sumpserunt posteriores Canonistae, dum sententias ab Innocentio suis Commentariis insertas saepe deserere et in alia omnia ire non dubitarunt.*

(*a*) Dum attritio supernaturalis exigitur, excluditur opinio eorum, qui sufficere aiebant attritionem naturalem, idest (ut indicat Suarez, *De Poenit. Disp. 20. Sect. 2. n. 7.*) *quae solis naturae viribus eliciatur, sive illa sit concepta ex motivo aeterno et honesto, ut est fugere poenas inferni vel turpitudinem peccati, sive ex motivo temporali et indifferente, ut est vitare infamiam vel temporale detrimentum, quia haec etiam temporalia damna dantur a Deo propter nostra peccata.* Cui falsae opinioni Suarez deinde (*ibid. n. 8.*) thesim opponit, quod attritio elici debeat ex gratiae auxilio. Vid eundem Suarezium, *Disp. 4. Sect. 1. n. 3. 4.*

Caeterum licet S. Alphonsus (*n. 443.*) non diffiteatur, hanc sententiam ab aliis *probabilissimam*, ab aliis etiam *moraliter certam* censeri (ex Croix, a quo ea sumpsit, addi poterat, eandem ab aliis dici *omnino certam*); attamen tria in contrarium advertit: 1° quod Cardenas dubitet, *an sit moraliter certa;* 2° quod contrarium senserint Canus, Pasqualigus, et Hurtadus apud Diana; 3° quod Tridentinum *copulative* dicat *gehennae et poenarum,* non vero *disiunctive* distinguat *gehennae vel poenarum.* Unde concludit: *Cum secunda* (sententia) *non careat sua probabilitate, saltem extrinseca, puto satius in praxi eam servandam esse.* Exinde etiam Auctor *probabiliorem* tantum dicit sententiam, quam proponit.

Sed reipsa rationes istae S. Alphonsi nec quidpiam detrahunt firmitati doctrinae, quam ex communi DD. Auctor refert, nec ullam vel tenuem probabilitatem oppositae conciliare possunt.

Quod itaque attinet ad primum, in praec. edit. ob inexactam allegationem dictum est, perperam allegari Cardenam, utpote qui male sibi cohaerens susque deque permisceret omnia. Nunc melius ad rem. Resp. Cur Cardenas dubitaverit, an sententia affirmans sit moraliter certa, rationem hanc ipse affert (*Cris. Part. 4. ad Prop. 1. Innoc. XI. Disp. 2. q. 2. n. 69.*), *quia non desunt* (inquit) *authores, qui eum modum attritionis negant esse sufficientem: et opinio affirmativa non nititur fundamento infallibiliter certo, sed solum probabili.* Atqui 1° eos extitisse *authores* falsum est;

1° quia constare videtur ex verbis Tridentini, ubi dicit: *Attritio ex metu gehennae, et poenarum concipitur:* distinguit enim inter

2° itidem deesse sufficiens moralis certitudinis fundamentum, ex communi gravissimorum doctorum iudicio falsum deprehenditur. Ergo istud Cardenae suffragium nihil causae prodest.

Quoad secundum vero, notissimum est, Canum (Vid. Faure *Dubitat. Theol. Dub. IV. Sect. IV.*) et Hurtadum in contraria, ac S. Alphonsus dicat, sententia fuisse, adeo ut Diana, ad quem ipse remittit, imo doctrina Hurtadi ad communem sententiam confirmandam utatur (*Vid. Tom. 1. Tr. 3. Resol. 108. n. 2.*). Pasqualigum vero Diana ne nominat quidem, nec Pasqualigus (quoad inspectis eius scriptis nosse licuit) ullum de hac controversia verbum habet. Quocirca totum, quantum est, deficit fundamentum, cui *extrinseca illa probabilitas* superstruebatur. Caeterum falsas istas allegationes non ex se S. Alphonsus protulit, sed bona fide sumpsit ex Croix (*Lib. 6. P. 2. n. 884.*); qui utrum indiligenter has ipse adnotaverit, an aliunde infeliciter sit mutuatus, parum nostra nunc refert.

Quoad tertium denique patet, eam quoque rationem omni destitui efficacia; et contra communem omnium sensum *per se* evinceret, ad attritionem non sufficere metum gehennae, nisi insuper accederet metus malorum temporalium.

Quod vero subindicat (*ibid.*) S. Alphonsus, in Tridentini Concilii contextu vocem *poenarum* non significare nisi poenas inferni; id manifeste repugnat eidem contextui; mox enim ibi subiicitur exemplum timoris, quo concussi Ninivitae ad Ionae praedicationem plenam terroribus poenitentiam egerunt. Porro praedicatio Ionae plena terroribus iuxta sacram Scripturam (*Ion. 3. 4.*) haec fuit: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.*

** Respondendum nunc viginti illis et octo columnis, quas VV.(*Pag.426–440.*) huic Notae opposuerunt. Ac primo (*Pag. 427–428.*) quidem advertunt, S. Doctorem ideo dixisse, *negativam sententiam tutius in praxi esse servandam, quia non caret sua probabilitate saltem extrinseca.* Ergo cum agatur de validitate, huc pertinet Propositio 1ª. inter damnatas ab Innoc. XI. — *Resp.* Rursus hic negandum est, huic negativae sententiae ullam vel levem probabilitatem suffragari sive intrinsecam, sive extrinsecam; idque inferius magis patebit. Ergo Propositio illa damnata nullum hic locum habet.

Assumunt deinde VV. (*Pag. 428–433.*) vindicandos Auctores, quos S. Alphonsus pro negativa allegavit; sunt autem *Pasqualigo, Hurtad.* (VV. addunt *Diana;* sed de Dianae sententia nec S. Doctor, nec Nota quidquam habet), *Canus, Cardenas* et *Concina.* — *Resp.* Quid sibi velint VV., dum scribunt, *Vindicantur,* difficile noscitur. Nam 1. Concedunt, *Pasqualigum* ne verbum quidem habere de hac re, sed allegatum a S. Alphonso fuisse ob errorem typographicum, qui irrepserat in librum Croix, unde suas allegationes S. Doctor sumpsit. Paritne id probabilitatem opinioni S. Alphonsi? — 2. Hurtadi verba (apud Diana) ipsi VV. (*Pag. 430.*) ista referunt: *Aliqui docent,* ET MERITO, *attritionem ob malum temporale cum respectu ad Deum... sufficere ad effectum sacramenti;* S. Alphonsus contra ait, Hurtadum apud Diana negare hanc attritionem sufficere. Num sic vindicatur, ceu recta, S. Alphonsi allegatio? — 3. Ex Concina VV. (*Pag. 433.*) afferunt istud iudicium: *Hanc opinionem* (scil. affirmativam) *existimo non modo falsam et laxam, sed contentam in Decreto Innocentiano.* — *Resp.* Plane egregie! Sed *affirmativam* hanc sententiam nonne dicit S. Alphonsus sibi *videri probabiliorem?* Neque hoc satis. Concina (*Manual. Lib. 11. Cap. 7. §. 5.*) de sufficientia attritionis, quam et S. Alphonsus tuetur, ut *moraliter certam,* ita iudicat: *Haec iactata moralis certitudo est facti falsitas luce meridiana clarior, est commentum, imaginaria et manifesta chimaera, improbata ab Alexandro VII.* Quaero nunc a VV.: Estne hic eiusmodi patronus, cuius iudicia aliquam addere aut demere sententiis proba-

poenas gehennae et alias poenas; 2° quia in eiusmodi metu omnes verae attritionis conditiones adesse possunt. — *S. Lig. n. 443.*

bilitatem valeant? Hinc vero VV. intelligant, cur in Nota Concinae suffragii nulla habita ratio fuerit. — 4. Quoad Canum, diximus in Nota, constare eum frustra allegari, ex iis, quae habet Faure. Sic ergo paucis: Canus (*Relect. De Poenit. Part. 6.*) haec habet: *Si quaeras, quando ex attrito fiat contritus virtute sacramenti: Respondeo, id primum evenire, quocumque attritionis genere homo sit attritus, si existimat, sese praestitisse, quod necessarium erat, ignoratque invincibiliter, se non habere sufficientem dispositionem.* Porro (*Ibid.*) inter attritionis species eam quoque memorat, *quae ex timore infamiae proficiscitur, vel cuiuscumque mali temporalis, ut qui detestatur peccatum, et proponit confiteri, ne eiiciatur ab Ecclesia, vel ne mulctetur pecunia etc.* Unde sic arguitur: Canus hic docet sufficere attritionem ex motivo mere humano. Ergo a fortiori admittit sufficere attritionem ex metu poenarum, quas alibi (*Part. 3.*) vocat *spirituales,* aut *supernaturales, ad quas credendas necessarium est auxilium Dei, et quae cognoscuntur lumine fidei.* Obiiciunt hic VV., doctrinam hanc esse falsam. — *Resp.* Non quaeritur hic, verane, an falsa sit haec Cani doctrina, sed quae sit eius doctrina, et num apte ad rem a S. Alphonso allegatus fuerit. Vid. Dicastill. (*De Poenit. Tr. 8. Disp. 6. n. 6.*), et Candidus (*Disp. 24. art. 11. n. IV.*). — 5. Demum quid valeat sententia Cardenae, in Nota enunciatum est, et ex dicendis patebit.

Addunt VV. (*Pag. 437–438.*) articulum cum titulo: *Exponuntur solidae rationes sententiae negativae faventes.* — *Resp.* 1. Si rationes solidae non deessent, S. Alphonsus non dixisset, huic opinioni inesse probabilitatem *saltem extrinsecam.* Nam solidae rationes etiam intrinsecam pariunt probabilitatem. 2. Omnes istae rationes, quas e Croix VV. colligunt, in hoc desinunt, ut aliquo, si fieri possit, modo vis frangatur argumenti, quod contra desumunt Doctores ex Concilio Tridentino. Atqui id nullatenus est solidas pro thesi rationes afferre. Ergo toto illo articulo nulla ratio reipsa nec solida, nec minus solida continetur. Caeterum si Croix solidam aliquam rationem pro negativa sententia ad manum habuisset, equidem de affirmativa non scripsisset (*Lib.6. P. 2. n. 884.*): PROBABILISSIMUM *est, quod... sufficiat etc.*

Et haec quidem satis sint, ut constet de veritate eorum, quae in Nota dicta fuerant, videlicet rationes a *S. Alphonso allatas* nullam, ne tenuem quidem probabilitatem negativae opinioni conciliare. Duo nunc restant: 1. Ut tollatur scrupulus, quem S. Alphonso iniecit dubitatio Cardenae de certitudine morali affirmativae sententiae; 2. Ut pondus perpendatur allegationum, quas VV. (*Pag. 433–438.*) addiderunt.

Cardenae itaque scrupulis opponemus *Card. Toletum,* qui (*In S.Thom. Part. 3. q. 85. art. 5.*) disputans de poenae timore, et quidem (ut ait) *non solum cum quis timet poenam inferni, sed peccati turpitudinem, et amissionem bonorum temporalium,* postquam statuit, contra Lutherum, *hunc timorem et detestationem esse bonam et utilem, et per eam cum sacramento dari gratiam,* concludit: *Ista doctrina est catholica, et contraria est haeretica.* Toleto autem addantur *Suarez,* qui (*De Poenit. Disp. 5. Sect. 2. n. 15.*) scripsit: *Quae sententia vera est.* — *Illsung,* iuxta quem (*Tr. 6. Disp. 6. Q. 3. n. 29. et 39.*) *Conclusio haec est de fide.* — *LLamas* Hieronym., qui (*Meth. Cur. Part. 2. C. 2. §. 6.*) ait esse *certum, et haereticum esse id negare.* — *Seraphinus a Conceptione,* qui (*De Poenit. Lib. 1. Disp. 5. Dub. 2. n. 461. 462. et 485.*) affirmat esse *veritatem catholicam.* — Elbel, qui (*Conf. 3. n. 59.*) hanc sententiam dicit *communissimam et moraliter certam.* — *Georgius Gobat,* qui (*Tr. 6. n. 47.*) scribit, *nequaquam dubitandum, quin sit vera et supernaturalis attritio, proportionata obtinendo effectui sacramenti.* — *Arriaga,* qui (*apud Croix l. c.*) defendit eandem *doctrinam, ut certam.*

453. — Quaer. 8° *An ad iustificationem in sacramento Poenitentiae oblinendam cum attritione etiam initium amoris requiratur?*

— *Paulus de Palacio,* qui (*In Cap. 16. S. Matthaei*) scribit: *Certissima sententia est.* — *Michel August.* Can. Reg. qui (*Theol. Can. mor. Tom. 4. Tr.4. P. 2. Q. 1. Punct. 1. Sect. 2. n. 18.*) apposite *Cardenam confutat,* quasi *haec doctrina finibus probabilitatis contineatur.* — *Aversa*, qui (*De Poenit. Disp. 2. Sect. 14.*) dicit *apertissimam ex S. Scripturis.* — *Holzmann,* qui (*Tr. 4. n. 532.*) ait: *Doctrina haec a PP. Gobat et Elbel pronunciatur moraliter certa; quibus et ego adstipulor.* — Et uti *certam* tradit et *Martinonus* (*Disp. 48. Sect. 7. n. 82.*). — Itemque Iacobus Granadus (*Contr. 7. De Poenit. Tr. 2. Disp. 8. Sect. 1. n. 5.*) ipsam pro *certa* docet. — *Ithuriaga*, cuius (*Dissert. Moral. XI. n. 19.*) haec sunt verba: *Sententia haec non mere probabilis est, sed vera et moraliter certa, aeque ac certa est sententia de attritione concepta ex metu gehennae.* — *Dominicus Viva*, qui (*ad Prop. 1. Innoc. XI. n. 26.*) eandem sententiam, *utpote moraliter certam*, licite nos posse sequi affirmat. — *Mazzotta*, qui (*Tr. 6. Disp. 1. Quaest. 3. Cap. 3. §. 1. n. 2.*) ait: *Quae sententia est probabilissima auctoritate et ratione, ita ut Gobat dicat indubitatam, et Arriaga omnino certam: quare non subiacet Prop. 1. damn. ab Innoc. XI, quidquid dixerit Croix...*

His vero addendi sunt ii plurimi, qui *eandem doctrinam absolute,* ac *nulla iniecta dubitatione,* sed *tamquam extra controversiam docent,* imo ceu a Tridentina Synodo traditam habent. Quam in rem Ithurigia (*l.c.n.18.*): *Certo certius mihi est, Tridentinum describens attritionem, quae ex metu gehennae et poenarum concipitur, hac loquendi ratione usum fuisse, ne ad attritionem ex metu gehennae restringere velle videretur ea, quae de attritione ibidem docet; quae propterea extendi debere puto ad attritionem, quae generatim ex metu poenarum etiam aliarum concipiatur... Sic et Ninivitarum exemplum accommodatius cadit etc.* Sic itaque et Ferraris (*V. Poenitentia art. 2. n. 13.*), — Moya (*Disp. 5. Q. 4. n. 2. 3.*), — Giribaldi (*Tr. 6. C. 3. Dub. 7. n. 43, et Tr. 7. C. 4. Dub. 5. n. 29.*), — Dominicus Soto (*In 4. Disp. 17. Q. 2. art. 5., et De Nat. et Grat. Lib.2. Cap. 14.*), quo postremo loco diserte *gratia informatam* hanc attritionem docet, contra ac nonnulli ei attribuerint, — Fagundez (*De 2. Eccl. Praec. Lib. 2. C. 4. n. 9.*), — Navarrus (*Enchir. Cap.1.n.8., et Cap.2.n.58.*), — Ioannes Medina (*Quaest.4.*), — Villalobos (*Tr. 9. Diff. 22.*), — Sloz (*Lib. 1. Cap. 2. q. 1. art. 5. n. 8.*), — Reiffenstuel (*De Poenit. Dist. 6. Q. 4. n. 42 et 43.*), — Escobar (*Th. Mor. Tr.7. Exam. 4. C. 7. n.35.*), — Muszka Nicol. (*De Sacram. §. 2. n. 29.*), — Marin (*Tr. 22. Disp. 7. Sect. 4. n. 55.*), — Reginaldus (*Lib. 5. C. 3. n. 28.*), — Anton. a Spiritu Sancto (*Direct. Conf. Tr. 5. Disp. 3. Sect. 2. n. 69.*), — Babenstuber (*Tr. 8. P. 6. Disp. 4. art. 3. n. 13.*), — De Blanchis (*Disp. 6. Pag. 267. et 271.*), — Thomas Hurtadus (*De Poenit. Disp. 6. Diff. 5.*), — Soarez Franc. (*De Poenit. Tr. 3. Disp. 1. Sect. 3. §. 2. n. 92.*), — Candidus (*Disq. Mor. 24. artic. 11. Dub. 3. n. 5.*), — Card. Brancatus (*In 4. Sent. De Poenit. Disp.9. art. 3. §. 10.*), — Krisper Cresc. (*Theol. Schol. Scot. Tr. 12. Dist. 3. q. 1. n. 2.*), — Mastrius (*De Poenit. Disp. 5. Q. 6. n. 138., et Theol. Mor. Disp.21. Q. 2. n. 40.*), — Voit (*Vol. 2. n. 493 et 495.*), — Honoratus Faber (*De Poenit. C. 1. n. 17.*), — Clericatus (*De Poenit. Decis. 14. n. 5. seq.*), Ulloa (*Disp. 6. C. 1.*), — Dicastillo (*Tr. 8. Disp. 6. n. 6-8.*), — Sporer (*Part.3. Cap. 2. n. 227 et 239.*), — Bonacina (*De Sacram. Disp. 5. Q. 5. Sect. 1. Punct. 3. n. 1.*), — Petrus De Fay (*De Poenit. Q. 9. art. 1. Disp. 3.*), — Marchant (*Tr. 4. Tit. 2. Q. 4.*), — Becanus (*Part. 5. Tr. 2. Cap.35. Q. 1. n. 6.*), — Maurus Berardusius (*Summa Coron. Cap. 3.*), — Roncaglia (*Tr. 19. Cap. 1. Q. 2. Regula 1.*), — Potestas (*n. 3063.*), — Ochagavia (*De Poenit. Tr. 1. n. 18.*). Hisce adde et Nugnum (*apud Candidum l. c.*), et Madernum (*apud Giribaldi l. c.*), et Gaspar. Hurtad. (*apud Escobar l. c., et Diana Tom. 1. Tr. 3. Res. 108.n.2.*).

Resp. Neg., si per initium amoris intelligatur aliquis gradus charitatis perfectae, qua Deus super omnia diligitur. Ratio est, quia

His adiunge et eos, qui eandem doctrinam dicunt *probabilissimam*; cuiusmodi sunt Tamburini (*Meth. Confess. Lib. 1. Cap. 1. n. 11.*), Reuter (*Part. 4. n. 283.*), Gormaz (*De Poenit. Sect. 5. n. 454.*), Mazzotta (*l. c.*) etc.

Nunc vero iam scitari subit: amittentne haec omnia suam vim hac demum de causa, quia, ut dixit S. Alphonsus, *Cardenas dubitat, an haec sententia sit moraliter certa?* Sed enim, inspecta ea S. Doctoris paragrapho (*Lib. 6. n. 443.*), satis apparet, haud operosius circa hanc quaestionem versatum illum fuisse; verum, nisi quod Concinae opinionem adhibuit, caeterum supellectilem, nisi quam ex Lacroix excerpsit, nullam aliam ad manum habuit. Porro neque ea supellex S. Doctori, neque aliis ea S. Doctoris paragraphus ad plenam huius controversiae cognitionem suppeditandam par esse potuit. Sed veniamus ad ea, quae obiiciuntur.

Pro magno habet Cardenas (*Cris. 4. Diss. 2. C. 6. n. 70.*), quod Lessius (*in 3. P. S. Thom. Q. 1. Dub. 5. n. 18.*) de sufficientia huius attritionis dixerit, *hoc esse satis probabile*. VV. autem (*Pag. 434.*) eandem doctrinam dictam fuisse *probabilem* etiam a Diana (*Tom. 1. Tr. 3. Res. 108.*), et a Tanner (*De Poenit. Q. 6. Dub. 4. n. 21.*), imo etiam a Lugo, qui (*Disp. 5. n. 137.*) adhibet vocem *videtur*, quae est opinantis. Ergo (concludunt *Pag. 434–435.*) etiam opposita sententia censetur ab his uti *probabilis*, et a Tanner uti *probabilior*. — *Resp.* cum Cardenas: *Nego Consequentiam. Ex duabus propositionibus contradictoriis*, ita Cardenas (*Tr. 1. Disp. 2. Cap. 2. n. 10.*), *potest una esse probabilis sine eo quod altera sit probabilis: quam conclusionem ut omnino certam propugno. Haec conclusio est communis inter Authores.* Nimirum tunc utraque erit probabilis propositio, cum par aliqua aut auctoritas aut ratio intrinseca utrinque militet. Atqui in casu pro negativa sententia nec ratio ulla intrinseca, nec auctoritas allegari potest. Ergo. Et reipsa nec Lugo, nec Tanner, nec Diana quidpiam contra afferunt. De Authoribus autem, quos *aliquos* inaniter iactat Cardenas, paulo post. Interim adverte, quod de thesi nostra Lugo non dicit *videtur*, sed CENSEO.

Instant VV., et (*Pag. 437–438.*) afferunt haec ex Billuart (*De Poenit. Diss. 4. art. 1.*): *Contritio debet esse supernaturalis... Hinc inferes, quod qui dolet de peccato..., quia ex illo sequitur dispendium famae, vel bonorum temporalium, et similibus motivis naturalibus, insufficienter... conteratur; secus, si doleat de peccato..., ut est inductivum poenarum purgatorii, inferni, amissionis gratiae, gloriae, etc.* Etsi vero VV. nullam hic subiiciant conclusionem, at in Summario Additionali (*Col. 83.*) sic concludebant: *Billuart igitur attritionem ex metu poenarum temporalium huius vitae, etiamsi ut a Deo inflictae considerentur... non admittit, eo quod huiusmodi attritio non sit supernaturalis.* — *Resp.* 1° Falsum est, ut ex contextu patet, ibi Billuart *de dispendio famae etc.* disserere quasi de poenis, quae considerentur ceu inflictae a Deo. Falsum est ergo, ibi hasce a Billuart excludi. — *Resp.* 2° Neque exclusae putari illae debent, quia in posteriori textus parte expresse non indicantur. Et hic in VV. nonnihil displicet ratio agendi. Notetur in textu Billuart illud ETC. Apud VV. non apparet num illud sit Billuartii, an VV.; in Summario autem Additionali scribitur litteris diversis a litteris textus Billuartii; et sic crederes, illud non esse Billuartii, sed Scriptorum, qui se reliqua omittere indicent. Veruntamen reipsa illud est Billuartii. Et cum otiosum dici non debeat, num inanis est coniectatio, Auctorem subindicare tacite ibi et poenas temporales ut a Deo inflictas, voluisse? At enim coniecturis nihil opus; nam ipse Billuart sic sententiam suam postea expresse effert (*l. c. art. 4.*): *Dolere de peccato,... seclusa charitate, vel quia... est inductivum mali temporalis, vel quia est inductivum gehennae, vel quia est exclusivum gloriae, vel quia est malum et offensa Dei, tot sunt modi attritionis.* Billuart ergo

ad rite suscipiendum sacramentum non praerequiritur necessario actus, qui extra sacramentum essentialiter iustificet. Atqui actus

non confirmat, ut aiunt VV. (*Pag. 433.*), sententiam S. Alphonsi; sed ab ea recedit.

Obiiciunt VV. (*Pag. 438.*): *Amort* (*Tr. 13. §. 2. Q. 6.*) non habet uti sufficientem dolorem ex metu poenae temporalis, etiamsi per fidem cognoscatur ut a Deo immissa: quia scilicet *hic dolor non est supernaturalis.* — *Resp. Transeat totum.* Amort habet ut motivum mere *naturale*, etiamsi quis doleat *ex metu suppliciorum in altero mundo* (quae verba VV. melius non omisissent), et reddit rationem, quia hoc *motivum non decet filium Dei:* mox insuper (*Quaest. 7.*) negat, sufficere *attritionem ex metu poenarum inferni,* quia hic metus non *indicat animum amici aut filii, sed servi, nec voluntatem peccandi excludit.* Porro quid, quaeso, ponderis tribuendum demum videbitur auctoritati Scriptoris, qui ad hasce anomalias declinat? Et hunc igitur simul cum Concina VV. sibi habeant.

Instant VV. (*Pag. 435.*), secundum Coninck (*De Poenit. Disp. 4. Dub.5. n. 39.*) *eiusmodi attritionem posse esse suspectam:* quae quidem Coninckii verba etiam Reuter nonnihil turbaverunt. — *Resp.* Suspectam dixit Coninck, quasi per se non sufficiat, *Nego;* nam ipse expresse sufficientem esse affirmat. Suspectam dixit ob motivum extrinsecum, quod per accidens se habere posset, *Transeat.* Idipsum et de metu gehennae dicitur, qui per accidens in timorem serviliter servilem declinare potest; multo autem magis id valere potest quoad attritionem ob turpitudinem peccatorum, cui facilius deesse universalitatis dos potest. Verum ista pertinent non ad quaestionis cardinem, sed ad monita opportuna iis, qui catechesim populo explicant, ut genuinam attritionis notionem tradant.

Demum VV. ad confirmandam, ut aiunt, sententiam S. Alphonsi alios auctores (*Pag. 433–438.*) producunt, ac praesertim Toletum, Vasquez, et Leon. Iansen. Dixi *praesertim* hos; nam quae multa afferunt ex *Suarez, Tamburini, Roncaglia,* et *Henno,* nihil ea habent ad rem, et mere ad molem libri augendam conferunt.

Quod itaque ad Toletum attinet, eius sententiam iam supra exposuimus, ubi attritionem, de qua sermo, esse sufficientem ipse non dubitat appellare *doctrinam catholicam,* contrariam autem *haereticam.* Quae autem VV. (*Pag.433.*) promunt ex eiusdem *Instruct. Sacerdot.* (*Lib.3.Cap.4.*), haec aut nimis, aut nihil probant. Nam duplicem lectionem loci, quam obiiciunt, VV. ipsi referunt. Prima sic habet: *Prima quidem attritio, si talis sit, ut cognoscat poenitens, se non detestari peccatum, ut est Dei offensa,* SED TANTUM UT EST ALICUIUS MALI CAUSA, ET POENAE INFERNI, *quamvis bonus actus iste sit, tamen non sufficit ad Sacramentum.* Atqui haec *nimis* probant; quia excludunt attritionem etiam ex metu inferni conceptam. Altera vero: SED TANTUM UT EST ALICUIUS MALI TEMPORALIS CAUSA. Haec autem *nihil* probant, quia non excludunt poenas temporales, quae lumine fidei intelligantur a Deo inflictae. Et VV. quidem primam lectionem praeferunt; quia, ut ratiocinantur, *motivo offensae Dei non temporalis tantum mali, sed etiam aeterni motivum* opponitur: et sic non dubitant Toleto errorem prope haereticum et certe Tridentini verbis oppositum affingere. Atqui canones hermeneuticae 1° non consentiunt, ut summo viro (videant VV. quid in elencho Scriptorum de eo dixerit egregius P. Haringer) ista absurda tribuantur. 2° Nec consentiunt, ut ipsi tribuatur doctrina, quam ipse alibi, ut vidimus, appellat haereticam. Ratio autem ad primam praeferendam lectionem a VV. allata non est bona; 1° quia verba illa – *non ut est offensa Dei* – in utraque lectione requirerentur, utpote quae Toletus apponit, ut prima haec attritionis species distinguatur a sequentibus, in quibus peccati detestatio est ob motivum *offensae Dei.* 2° Praemittit Toletus, quod *aliqua attritio sufficiens sit.* Ergo apposite dicendus est omi-

charitatis, atque adeo ***dolor, qui ad rationem contritionis sufficiat, quantumcumque parvus sit, omnem culpam delet***, **ut ait S. Thomas** ***Suppl. q. 5. art. 3.*** **Ergo, etc.** ***S. Ligorius, n. 440.*** **hoc dicit esse moraliter certum.**

sisse in textu adducto mentionem *inferni*, quem superius memoraverat, ne secus dicamus, Toletum iam omnes attritionis species exclusisse.

Quoad obiectum Vasquesium, negandum est, temporales poenas, quas ut insufficientes ad attritionem reiicit, eas esse, de quibus hic disputamus. Sic enim scribit de timore, quem refutat (*In 3. P.Q. 92. art. 1. Dub. 3.n.3.*): *Sicut timor, qui est poenae temporalis, dicitur mundanus, qui ita de se est principium boni sicut et mali, ita et dolor huius rationis; unde altior debet esse ratio, quae moveat ad attritionem.* Unde sic: Dolor peccati, qui pro obiecto habet poenas, fidei lumine cognitas ut a Deo pro peccatis immissas, nec *mundanus* dici potest, neque *est principium boni aeque ac mali.* Atqui hunc solum timorem reiicit Vasquez. Ergo. Et *confirm.* Nam (*ibid. n. 4.*) prosequitur: *Hanc sententiam, quod attritio, ut sit dispositio huius sacramenti, non est dolor de peccatis ob poenam temporalem, docet Canus Relect. de Poenit. Part. 6. §. Altera quoque attritio.* Atqui haec Cani attritio est, *quae ex timore infamiae proficiscitur,... ne quis eiiciatur ab Ecclesia, aut mulctetur pecunia etc.* ut superius retulimus, et uno verbo, est timor mundanus. Ergo.

Inanis autem est obiectio, quod Vasquez ad attritionem requirat *aliquod motivum aeternum:* quam difficultatem VV. instaurant, quoad Canum, qui et ipse admittit metum ex poenis aeternis. — *Resp.* Bene Lugo (*Disp. 5. n. 137.*) scripsit, non arridere sibi Vasquez, quippe qui sic excludere videtur *poenas purgatorii.* Atqui absurdam hanc exclusionem *poenarum Purgatorii* neque Vasquesio neque Cano fas est affingere. Hinc Dicastillus (*Tr. 8. Disp. 6. n. 8.*) negat, Vasquium dissentire; quippe *dolor ob malum temporale sic respiciens Deum... involvit rationem formalem aliquo modo aeternam, et ad aeternum finem ordinabilem.* Et Ithuriaga (*Diss. XI. n. 22.*) in eandem rem: *Nos motivum aeternum adsignamus, iustitiam nempe Dei vindicativam.* Et etiam Cardenas (*P. 3. Tr. 4. Disp. 71. n. 2.*): *Praemitto, dolorem peccatorum, qui elicitur ex timore malorum temporalium, quatenus a Deo infliguntur in poenam peccati, non elici ex motivo humano: id enim motivum est supernaturale.* Hinc Diana (*Tom.1.Tr.3.Res. 108.n.5.*) non dubitat Vasquium cum Hurtado associare quoad Purgatorii poenas. Et Candidus (*l. c. n. IV.*) ubi *metum poenarum* revocat ad *motivum aeternum* (poenarum autem istarum censu comprehendit, ut vidimus, etiam temporales), etiam Canum allegat inter eos, qui hanc attritionem supernaturalem esse affirmant, sicut ipsum allegat et Thomas Hurtadus.

Caeterum quod ad Canum attinet, brevi res confici citra ullum dubium potest. Et sane cum (*Part. 6.*) generatim hoc praemisisset: *Non quaelibet attritio est sufficiens, ut accedens ad Sacramentum poenitentiae gratiam consequatur;* quadruplex deinde attritionis genus sic recenset: *Primo cum quis habet attritionem conditionatam, idest quae oritur ex velleitate, qua homo vellet placere Deo, et ipsi reconciliari. — 2. Altera quoque attritio est,... quae v. gr. ex timore infamiae proficiscitur, vel.... ne eiiciatur ab Ecclesia, vel ne mulctetur pecunia etc. — 3. Deinde etiam attritio efficax ex timore poenarum supernaturalium...* — Demum 4. *Etiam attritio, quae procedit ab amore naturali Dei super omnia.* Unde facile ratiocinium: Prorsus absurde fingeretur, Canum, in Concilio Tridentino theologum, nullam rationem habuisse attritionis, quae pro obiecto habet purgatorii, aut temporales huius vitae poenas, quae per fidem ut a Deo inflictae apprehendantur. Ergo attritio concepta ob istas poenas ad praemissum aliquod attritionis genus revocari debet. Atqui revocari non potest, nisi ad

Concedi autem potest, initium aliquod amoris requiri, quatenus attritio, ut ad sacramentum disponat, excludere debet (ut sancta Synodus loquitur) peccandi voluntatem; alioquin autem, ut ait S. Thomas (2. 2. q. 17. art. 8.), *aliquis introducitur ad amandum Deum per hoc, quod timens ab ipso puniri, cessat a peccato, ut Augustinus dicit* (*a*).

attritionem efficacem ex timore poenarum supernaturalium, quae (ut Canus subdit) idonea dispositio est ad Sacramentum. Ergo.

Denique quod spectat ad Leonard. Iansen, cuius verba VV. (*Pag.436.*) referunt, iste affirmat, hanc attritionem *speculative sufficere*, sed non practice, quia *Canus, Hurtadus, et Vasquez probabiliter negant etc.* — Difficultas igitur innititur tribus inanibus allegationibus; respondendum ergo est: *Nego suppositum.* Addit iste Iansen: *Si quis cum tali dolore bona fide confessus est, secundum Tamburini, Lugo, Sporer, La Croix non tenetur repetere confessionem, quia dolor ille* PROBABILISSIME *est sufficiens. At oppositum mihi magis probatur, quia legi certae non satisfit per solutionem incertam.* Legi itaque satisfieri Iansen iste non censet ne per *probabilissimam* quidem solutionem: scilicet iste Iansen non recordabatur damnatae propositionis: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

Quod autem de Iansen, idipsum notandum est de quibusdam aliis, qui attritionis huius sufficientiam veriti sunt *certam* appellare, permoti nempe inanibus allegationibus. Ita v. gr. Leander (*De Poenit. Disp. 7. Q. 14.*) tamquam contrarios refert Suarez, Reginaldum, et Vasquez. Item Suarez et Reginaldum ceu contrarios allegat Thómas Hurtadus (*De Sacram. Disp. 6. Sect. 2.*), dum interim pro communi sententia Canum citat et Sotum. Ita Vegam, quem merito Suarez (*l. c.*) pro se allegat, Escobar (*l. c.*) ceu contrarium exhibet. Mazzotta vero (*l. c.*) contra se citat Canum, et non secus, ac S.Alphonsus, ob errorem typographicum apud Croix, Cano addit Pasqualigum. Exinde autem illud Cardenae (*l. c.*), *non deesse authores*, qui *sufficientiam* etc. negant, quod transcriptum dein cernis a Tamburini, et Reuter, qui generatim nominant *aliquos.* Scite animadvertit hic Marin (*Tr.22. Disp. 7. Sect. 4. n. 55.*), plerosque eorum, qui pro adversa parte afferuntur, non de attritione supernaturali, de qua in praesens, sed de concepta ex motivis mere humanis disputantes reperiri; quod manifeste apparet v. gr. de Reginaldo et Suarezio, quorum ea loca afferuntur, in quibus dolorem ex motivis mere naturalibus reiiciunt; quocirca inaniter hic obiiciuntur.

(*a*) Eodem sensu aliquod initium charitatis S. Thomas (*ibid.*) reperit in spe. Sic enim se habet integer allegatus textus: *In via generationis spes est prior charitate. Sicut enim aliquis introducitur ad amandum Deum per hoc, quod timens ab ipso puniri, cessat a peccato, ut Augustinus dicit; ita etiam spes introducit ad charitatem, in quantum aliquis sperans remunerari a Deo, accenditur ad amandum Deum, et servandum praecepta eius.* In poenitente autem saltem adesse *spes veniae* debet, ut Synodus Tridentina expresse declarat. Verum, uti patet, hic agitur de charitate, non quae in actibus aut timoris seu attritionis aut spei includatur, vel quae hos actus necessario comitetur, sed quae ex illis affectibus enasci potest.

Alii fuerunt, qui charitatem inchoatam excogitarunt eiusmodi, quae Deum diligeret, sed *non super omnia.* At enim ista est charitas, quae creaturam praefert Creatori; quod cum penitus destruat essentiam *Propositi* ad veram poenitentiam necessarii, potiusquam poenitentem ad iustificationis recipiendam gratiam aptius disponat, ineptum prorsus ad hoc beneficium consequendum per se reddit.

Sunt denique, qui illud initium amoris seu inchoatam charitatem exi-

§. III. *De efficacia contritionis.*

454. **Principia.** — I. Contritio perfecta hominem *per se* iustificat, etiam extra Sacramentum Poenitentiae (*a*). 1° Constat ex ratione; contritio enim includit necessario charitatem perfectam; porro amare Deum perfecte, est cum Deo coniungi; coniunctio autem cum Deo necessario disiunctionem a peccato operatur, cum non possit quis unum extremum amplecti, quin ab extremo opposito totaliter recedat. Ergo.... 2° Constat ex Scriptura sacra. *Prov. 8. 18: Ego diligentes me diligo.* — *Ioann. 14. 21: Qui diligit me, dili-*

gunt, quae *ad veram* (ut aiunt) *conversionem peccatoris ad Deum* necessaria est. Sed nisi explicent, quid sit ista inchoata charitas, profecto nobis vendunt verba sensu vacua. Illud interim advertatur, ambiguam istam phrasim *verae conversionis ad Deum* esse technam, qua in damnatis suis Institutionibus Iuvénin utitur (*l. c.* §. *IV.*) ad subinferendam necessitatem dilectionis Dei super omnia, de qua *in not. praec.* dictum est. Admitti itaque potest et debet vera ad Deum conversio, quae consistat, ut ait S. Thomas, in voluntate servandi praecepta Dei. At nisi haec voluntas supponatur procedens ex motivis merae attritionis, rursus in eam perfectae charitatis seu contritionis delabemur necessitatem, quam alioquin scholae catholicae non admittunt, non quasi affectus poenitentis positive perfectum eum amorem excludat, sed quatenus ad voluntatem servandi legem Dei aliis motivis honestis satis excitari potest.

Caeterum cur S. Alphonsus dicat, praemissam thesim esse *moraliter certam*, ratio est manifesta. Nam quaestio eo demum recidit, an in poenitente praerequiratur contritio charitate perfecta. Atqui hanc non praerequiri, sententia est post Tridentinam Synodum in scholis receptissima ut *moraliter certa*. Thesis porro directe, et immediate impetit quorumdam opinionem, qui adstruebant velut necessariam, charitatem quandam utique praedominantem (qua scilicet Deus diligitur super omnia), quae tamen non sufficeret ad hominem iustificandum, et idcirco componi posset cum statu peccati mortalis. Ita v. gr. Gaspar Iuvénin in damnatis suis Institutionibus theologicis (*Part. 8. Dissert. V. Cap. 4. art. 2.*); qui deinde (§. V.) non dubitat asserere, *hanc contritionem conceptam ex inchoata tantum charitate Dei super omnia in casu necessitatis satis esse ad iustificationem impii cum solo sacramenti voto; satis vero non esse extra casum necessitatis cum solo sacramenti voto, ut quis sanctificantem gratiam recipiat.* Haec porro recidunt in ea Baii et Francisci Sylvii paradoxa, de quibus paulo post (*in not. ad seq. n. 454.*) dicemus.

(*a*) Contraria doctrina damnata est tum in Propositionibus 31. 32. et 70. Michaëlis Baii, contendentis *perfectam charitatem consistere posse sine remissione peccatorum, et cum reatu aeternae damnationis;* tum expressius in Prop. 71., quae est huiusmodi: *Per contritionem etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum coniuncta, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione sacramentorum.* Haec refutavit Bellarminus *De Poenit. Lib. 2. Cap. 13.*

Damnatae huic doctrinae affinis est sententia Francisci Sylvii, qui (*In Suppl. S. Thomae q. 5. art. 1.*) docuit, *non semper nec frequenter vel ordinarie contritionem habere coniunctam remissionem peccatorum, antequam recipiatur Sacramentum, licet sit cum dilectione Dei perfecta et super omnia coniuncta.* Vid. Card. De Lugo, qui (*De Poenit. Disp. 5. n. 98. et seq.*) et hanc et alias absonas huius scriptoris opiniones refellit.

getur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. — *1. Petr. 4. 8: Charitas operit multitudinem peccatorum.*

II. Contritio *perfecta* non remittit peccata mortalia, seu hominem non iustificat, nisi cum voto confessionis: peccata enim remitti non possunt nisi per medium a Christo institutum; atqui Sacramentum Poenitentiae in re, vel saltem in voto, est unicum medium a Christo institutum ad remittenda peccata post Baptismum patrata. Ergo, etc. (*a*). Constat insuper ex *Conc. Trid. sess. 14. c. 4.*

III. Attritio tanquam praerequisita dispositio sufficit ad obtinendam peccatorum veniam in Sacramento Poenitentiae. Constat enim ex eodem *Tridentino, sess. 14. c. 4.* attritionem disponere ad iustificationem in Sacramento Poenitentiae.

IV. Attritio autem extra Sacramentum peccatorem iustificare non potest. Iustificatio enim consistit in perfecta hominis coniunctione cum Deo; sed attritus, licet a creaturis discedat, primosque conversionis ad Deum gressus exordiatur, nondum tamen est perfecte ad ipsum conversus, et per amorem coniunctus. Nec propria virtute iustificat attritio in Sacramento, sed est tantum praerequisita conditio; ipsum autem Sacramentum per gratiae infusionem iustificat: quare in Sacramento poenitens est *actu* attritus et *habitu* fit contritus (*b*).

455. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An votum confessionis debeat esse* EXPLICITUM *in contritione*?

Resp. Neg. cum sententia *communi*, quam tenent *Billuart, diss. 1. art. 4. §. 2.* — *Salmant., c. 2. n. 23.* — Ratio est, quia ad remissionem sufficit, ut quis vere coniungatur toto corde cum Deo per contritionem perfectam; Deus enim, ut patet ex dictis, reiicere nequit peccatorem toto corde et ex perfectissimo motivo ad se accedentem; atqui fieri potest aliquando, ut peccator eliciat actum perfectae contritionis, quin cogitet de confessione, sive ex inadver-

(*a*) Quo sensu haec sint intelligenda, habes ex Lugo (*De Sacram. Euch. Disp. 3. n. 3.*), ubi de voto baptismi et poenitentiae sic disserit: *Dicitur contritio baptismus in voto, non quidem quia habet suam efficaciam in ordine ad iustificationem ab ipso reali baptismo, sed quia includit in se implicitum votum baptismi suscipiendi, si fieri possit, sicut et implendi omnia alia praecepta. In quo etiam sensu dicitur contritio iustificare in ordine ad claves, seu in ordine ad sacramentum poenitentiae, non quod accipiat vim iustificandi a sacramento, sed quia quando extra sacramentum iustificat, habet in se votum implicitum subiiciendi clavibus peccata mortalia, ad quod manet homo obligatus etiam postquam iustificatus est per contritionem.*

(*b*) Quandoquidem vero perfecta contritio virtute propria iustificat, et simul est dispositio ad sacramentum; idcirco qui perfecte contritus ad sacramentum accedit, duplici sanctificantis gratiae dono ditatur, primum scilicet vi contritionis, et iterum deinde vi sacramenti. — Quod autem A. ex usitata scholae phrasi ait, in sacramento *attritum fieri contritum*, intellige *contritum habitu*, per infusionem nempe gratiae sanctificantis, quae vi absolutionis confertur, hominemque habitualiter conversum ad Deum efficit.

tentia vel oblivione naturali, sive ex ignorantia invincibili (*a*). Ergo ad remissionem peccati per contritionem non est essentiale, ut votum confessionis sit explicitum.

456. — QUAER. 2° *An contritio remittat non tantum culpam, sed etiam poenam culpae debitam?*

Resp. 1° Remittit certo poenam aeternam, quia homo iustificatus per contritionem nequit remanere reus aeternae damnationis.

Resp. 2° Iuxta maiorem vel minorem eiusdem intensitatem remittit etiam partem poenae temporalis deletis mortalibus vel venialibus debitae. Proinde contritio perfecta valde intensa etiam omnem poenam potest abolere; sed non necessario ex natura sua hanc efficaciam habet. Eruitur ex *Trident. sess. 6. c. 14. et Can. 30.* — Item ex *sess. 14. de Poenit. c. 8. et Can. 12.*

457. — QUAER. 3° *An attritio remittat peccata venialia extra Sacramentum?*

Resp. Controvertitur. *Probabilius* affirmandum videtur. Ratio est, 1° quia ex *Conc. Trid.* variis modis remitti possunt peccata venialia: ergo non sola contritione perfecta remittuntur; 2° quia in opposita sententia non facilius remittentur peccata venialia, quam mortalia: hoc autem sensui communi adversatur; 3° quia vis remittendi venialia communiter tribuitur Sacramentalibus; falso autem tribueretur, si ad ea delenda contritio requireretur. — *Ita Suarez, disp. 11. sect. 3. — Lugo, disp. 9. n. 28., et alii multi.*

Negant tamen non pauci, quia ex *Trident. sess. 14. c. 5.,* peccata venialia *utiliter* in confessione accusantur; non autem accusarentur *utiliter,* si attritione remitti possent: ergo, etc. — Sed merito reponitur peccata venialia *utiliter* exponi in confessione aliis quoque de causis, nimirum ob remissionem poenae, ob meritum confusionis, ob emolumentum directionis, etc.

QUAER. 4° *An contritio vel attritio remittat venialia sine voto Sacramenti?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia Sacramentum ex institutione divina pro solis mortalibus necessarium est: ergo venialia deleri possunt absque Sacramento Poenitentiae; ergo nullum votum huius Sacramenti ad eorum remissionem necessario requiritur. — *Ita omnes.*

(*a*) Necessarium scilicet est confessionis votum seu voluntas, non secus ac ad perfectam contritionem requiritur voluntas implendi omnia praecepta Dei. Hoc autem votum seu implicita voluntas adesse potest, etiamsi quis actu de quibusdam praeceptis non cogitet, aut etiam ea invincibiliter ignoret.

ARTICULUS II.

DE PROPOSITO

458. — Definitio. Propositum est voluntas non peccandi de caetero.

Divisio. Duplex est: 1° *explicitum*, seu *formale*, quo quis de futuro cogitans statuit non amplius peccare; 2° *implicitum*, seu *virtuale*, quod in ipsa contritione includitur, quin futurum tempus prae oculis habeatur.

459. **Principia.** — I. Propositum saltem implicitum est omnino necessarium ad peccati remissionem; quia propositum est necessarium contritionis consectarium, ac saltem virtualiter in ipsa inclusum, ut ex huius natura et definitione constat.

II. Propositum verum triplici conditione gaudere debet; scilicet requiritur, ut sit firmum, efficax, et universale.

1° *Firmum*, scilicet poenitens habere debet sinceram voluntatem non relabendi in peccatum, non obstante quocumque incommodo (*a*), aut timore humano: secus enim non vellet totaliter et

(*a*) Praestat heic subiicere, quid de hac re monendum confessarium censent Auctores gravissimi.

Suarez (*De Poenit. Disp. 32. Sect. 2. n. 2.*): *Observant Doctores, non debere Confessorem proponere poenitenti omnes difficultates, quae in vitandis peccatis occurrere possunt; quia constituet illum in manifesto periculo non solum non habendi propositum efficax in futurum, sed etiam denuo peccandi. Satis ergo est, ut proposita IN GENERE foeditate peccati, Dei bonitate, et periculo damnationis, etc., poenitens concipiat GENERALE propositum nunquam iterum peccandi mortaliter.*

Huc faciunt illa Card. Caietani (*Sum. V. Confessio ad 12 qualit.*): *Non sunt autem poenitentes in tentationem praecipitandi a confessore nimis zelante et imprudenter investigante, an... intendit vitare mortalia supra omne vitabile, puta direptionem, occisionem, etc.; multos enim huiusmodi interrogatio induceret in tentationem.... Hortetur eum ad amorem Dei super omnia, et quod ex amore huiusmodi debeat dolere de praeterito et proponere vitationem de futuro... Et sic accendet cor poenitentis, et non ponet in periculum tentationis.*

Et Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 7. n. 199.*) quandam memorans infirmitatem spiritus, non habentis robur ad prorumpendum in generosum actum, subdit: *Quae infirmitas non est novum peccatum, ut constat in poenitentibus illis, quibus Confessarius non debet ponere ob oculos explicite circumstantias nimis difficiles, ut circa eas, si occurrent, proponant explicite in iis etiam non peccare.* Et inferius (*ibid. n. 238.*) de iis loquens, *qui ardenter honorem vel corporis voluptatem insectantur, qui licet dolore aliquo remisso peccata sua in confessione retractaverint, postea tamen, data occasione honoris vel voluptatis, facile relabuntur propter vehementiam affectus, quam non nisi in confuso et remisse correxerunt*, addit: *Imo nec audemus illis in confessione proponere distincte tentationes aut pericula peccandi, quae possunt occurrere, ut circa illa distincte proponant; quia prudenter timemus, quod iam neque in confuso priora peccata retractarent.*

Denique, ut alios praetermittamus, Laymann (*De Poenit. Cap. 4. n. 8.*)

sincere ad Deum converti. Non debet tamen Confessarius animum poenitentis tentare, adhibitis comparationibus ad perturbandam eius phantasiam idoneis (*a*).

2° *Efficax,* idest poenitens non tantum firmiter statuere debet, se amplius peccare non velle, sed etiam adhibere media necessaria ad peccatum vitandum, fugiendasque proximas occasiones, etc. etc. — Sufficit autem ut propositum sit efficax *affective,* id est, sufficit ut peccator sit animo paratus ad media necessaria adhibenda; quia futura de facto emendatio non est de essentia propositi (*b*).

3° *Universale,* seu extendi debet ad omnia peccata mortalia non patrata modo, sed etiam quae patrari possent. Ratio est, quia plena et vera ad Deum conversio dari nequit absque letalis cuiuslibet peccati aversione.

Quod autem ad peccata venialia spectat, requiritur et sufficit ad Sacramenti valorem, ut firmum adsit et efficax propositum saltem unum ex venialibus vitandi.

460. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An propositum ut sit firmum, debeat insuper constans reperiri?*

Resp. Neg.; saltem hoc non est absolute necessarium. Ratio est, quia propositum afficit praesentem voluntatem, quae ex natura sua alioqui variabilis est. Hinc ex relapsu post confessionem colligi per se nequit propositi infirmitas. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 451.* — *Lugo, disp. 14. n. 166.,* etc. contra *aliquos.*

Dixi: *saltem hoc non est absolute necessarium.* Nam si poenitens statim et sine ulla fere resistentia relabatur, indicium aliquod vel saltem suspicionem aliquando praebere potest, quod proposito vere firmo caruerit; qui enim firmiter proponit, fere non adeo facile sui propositi obliviscitur, sed constans saltem per aliquod tempus perseverare solet, et conatus adhibere ad resistendum tentationibus vel peccati occasionibus, et proinde ordinarie difficilius rariusque cadit. — *Ita S. Lig. n. 459.,* ubi *de Recidivo.* — *Lugo, disp. 14. n. 160.,* etc.

461. — QUAER. 2° *An firmum censeri queat propositum illius qui habet quidem animum non peccandi, pertimescit tamen, et quodammodo praevidet, se relapsurum?*

Resp. Affirm. generatim; non enim impedit sinceram voluntatem timor, qui ex praeterita fragilitate, et humanae voluntatis inconstantia ingeritur. Hinc verum habet propositum poenitens ille,

haec habet: *Non recte agit Confessarius, si poenitentem adigat ad specialem promissionem... de hoc vel illo peccato in posterum vitando, praeterquam in casu raro, si peccatum reipublicae, v. gr. sit valde perniciosum, etc.*

(*a*) Confer sup. dicta *in not. ad n. 450. q. 2.*

(*b*) Per ista monet Auctor, non admittendam eorum doctrinam, qui in antecessum ex operibus probationem exigendam putant; de qua deinde in Quaest. I. expresse disserit.

qui interroganti Confessario de voluntate non peccandi respondet: *Fragilis sum, formido lapsum, non tamen volo nunc, nec eligo casum:* quae sunt verba Gersonis apud Croix (*Lib. 6. P. 2. n. 1735.*) (*a*).

(*a*) Alibi Croix (*l. c. n. 1822.*) ita scribit: *Ostendi n. 1735, ad serium propositum etiam circa mortalia non requiri, ut credatur relapsus non secuturus; sed satis est nunc adesse seriam voluntatem, cum qua, quamdiu stabit, stare non possit voluntas relabendi, quamvis forte praevideatur per fragilitatem immutanda. Sicut S. Petrus non ideo iudicatus est indispositus ad Communionem, quod a Christo sciretur relapsurus; ita nec consuetudinarius censendus est indispositus ad absolutionem, quamvis MORALITER sciatur, esse relapsurum.*

His gemina habet Sporer (*De Poenit. n. 310.*): *Propositum* (inquit) *firmum voluntatis tantum non peccandi de caetero requiritur, non item necessario credulitas vel persuasio certa ex parte intellectus, ut nimirum poenitens certo credat, vel animo sibi persuadeat, se non amplius peccaturum, aut hoc vel illud peccatum non amplius patraturum, ut notant DD. communiter... Potest enim quis vere dolere et detestari peccatum, ac vere et absolute proponere, se de caetero non peccaturum...; tametsi valde timeat aut etiam existimet, imo certo credat, se ob expertam voluntatis suae inconstantiam, et fragilitatem suam denuo relapsurum, non omnia peccata mortalia, vel nec hoc quidem certum peccati genus evitaturum.*

Quae cum ita sint, vix apparet, cur S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 451.*) dicat, se non acquiescere sententiae (quam communem dici non diffitetur) cum aliorum gravissimorum DD. tum etiam Sporer; sed malle se cum Croix sentire. Nam si Croix haec (*l. c.*) addidit: *Si tamen consuetudinarius ipse desperet de sua emendatione, difficulter habebit verum propositum; hinc priusquam absolvatur, disponi debet, ut speret, non per vires suas, sed per Dei gratiam, cui si cooperetur, poterit, ut docuerunt innumera exempla ipsi similium;* etiam Sporer (*l. c.*) ista subiecerat: *Caeterum si poenitens spectata sua fragilitate, inveterata prava consuetudine, omnino impossibile iudicet, ut de caetero ab aliquo vel aliquibus peccatis mortalibus abstineat, inducendus efficaciter erit a Confessario; et attenta divinae gratiae efficacia, omnino sibi persuadere debet, non esse impossibile, atque in divina gratia sola, non in se confisus, firmum propositum concipere de caetero abstinendi, dicens cum Apostolo:* Omnia possum in eo, qui me confortat... *Quod si hoc facere nequeat, vel potius nolit, cum revera possit, iam tamquam vera contritione destitutus, de gratia Dei desperabundus, adeoque ad iustificationem et Sacramentum indispositus absolvi non poterit ex propria culpa.* Videsis apud La Croix (*l. c. n. 1823., 1824.*) solutos cavillos, quibus Iuvénin et Genettus communem doctrinam impetebant.

Quod ad praxim attinet, potissima occurrit difficultas, quando (ut fieri non raro solet) poenitens, bonae alioqui voluntatis, sed rei difficultate perterritus, dicat, *se non posse hoc vel illud promittere, ne dein fidem frangere videatur, aut non posse sibi fidere,* etc. Quod quidem contingit praesertim cum habentibus consuetudinem vane usurpandi nomina Dei ac Sanctorum, imprecandi, excandescendi ob occasiones iuges simul ac necessarias, etc.

Eiusmodi porro poenitens non modo erigendus est spe divini auxilii, sed edocendus, hoc unum ab eo exigi, ut hic et nunc voluntatem habeat non relabendi, praesertim cum incertum sit, an vitam diutius protracturus sit, etc., non secus ac ad validitatem voti sufficit praesens voluntas rem votam praestandi; confirmandusque est sui ipsius exemplo, qui non ideo minus sincere alias proposuisse se putet, quia deinceps relapsus fuerit. Sed praecipua Confessarii industria eo converti debet, ut ea videatur tantum exigere, quae poenitens haud aegre fateatur in sua esse potestate.

In praxi vero indolem geniumque poenitentis inspicies: reperies enim non raro peccatores asseverantes, se relapsuros, qui idcirco timent, ne propositum satis firmum non habeant, nec tamen aliud ostendunt praeter relabendi timorem, suique diffidentiam. Huiusmodi poenitentibus inculcandum est, non agi de his quae forte

Hoc autem assequetur tum proponendo media, quibus poenitens utatur sive dum tentatione pulsatur, sive dum pace fruitur; tum etiam inculcando, hoc solum demum ab eo postulari, ut caveat a culpis, quae scienter seu plena cum advertentia committantur: quod quidem animos recreare atque summopere erigere solet eorum, qui cum pravo laborent habitu blasphemandi, imprecandi, etc., impossibile quid a se exigi putant, si iubeantur, ne in eiusmodi verba amplius prorumpant, etc.

** Ex hac Nota VV. (*Pag. 440–443.*) argumentum sex implendi columnas sumpserunt. Quorsum vero? Nam scribunt (*Pag. 442.*): *Libenter concedimus S. Doctorem in re accidentali errasse.* Et rursus (*ibid.*): *Ultro fatemur, quosdam alios scriptores pro prima sententia allegatos minus recte citari.* Et rursus (*Ibid.*): *Istas allegationes S. Doctor a Salmanticensibus desumpsit, non satis advertens* etc. At enim cur ergo iidem VV. universum mundum tam acerbis implent clamoribus et querelis adversus eos, si qui adverterunt et monuerunt, subinde allegationes, quae apud S. Doctorem prostant, non respondere fini, propter quem afferuntur? Censuerunt tamen, monendos esse lectores (*Ibid.*), *nihil ergo S. Alphonso obiici posse, nisi quod minus recte aliquos auctores allegaverit, quos sibi contrarios putavit, qui potius cum ipso concordant: quem errorem nihil ad rem facere alioquin manifestum est.* Sed rursus, quorsum ista? Haec nimirum sunt hominum, quorum menti infixum altissime sit, quaecumque demum de S. Doctoris scriptis notentur, ea non ad quempiam disciplinae profectum, sed ad labefactandas eiusdem S. Alphonsi doctrinas directo studio tendere. Exinde illa ipsorum methodus disputandi, quae ad quidvis aliud, quam ad quaestiones theologicas luce aliqua aspergendas collineat. At non ita de hisce sentiendum fuit. Et postquam Divina Providentia praesertim S. Alphonsi opera uti voluit, ut, amandatis, quae manibus et docentium et discentium terebantur, infaustis Iuvénin, Merbes, Collet, Habert, Witasse, Genette, aliorumque eiusdem farinae scriptis, catholicarum scholarum doctrinae restaurarentur; profecto non irascendum, sed animus potius addendus iis videbatur, qui ad expoliendum magis, ac magis perficiendum S. Doctoris opus, utiliusque ipsum reddendum, aliqualem opellam suam in commune bonum conferrent.

Reprehendunt VV. (*Ibid.*), quod in Nota dicitur, S. Alphonsum *non diffiteri, primam sententiam dici communem:* quasi scilicet ea verba insinuent, aut *communem censeri ab S. Alphonso,* aut *ab aliis praeter Navarrum.* — *Resp.* Sensus Notae obvius est, S. Alphonsum nihil opposuisse, quominus prima illa sententia appellata fuisset *communis*. Num vero ab uno, an a pluribus *communis* dicta fuerit, parum refert. Si VV. alios ita loquentes cupiant, adeant v. gr. *Potestas* (*n. 3073.*); adeant Gobat (*Tr. 6. n. 489.*); hic reperient, hanc sententiam dici communem. Sed in hac re, pluribus non est opus; nam quod sit communis, ostendit etiam S. Alphonsus, qui alium, quem vere opponeret, non invenit nisi Concinam, qui (*De Poenit. Lib. 1. Diss. 3. Cap. 2. §. 4. n. VIII.*) fusissimis declamationibus eam insectatur. Caeterum cum manifeste appareat, S. Alphonsum in hac quaestione tam levis momenti, mere Salmanticenses et Concinam cum Croix adhibuisse, nec operose ipsi immoratum fuisse; utique quid ipse de ea iudicaverit, nosse ab eo possumus; non vero quaenam revera Doctorum extiterit communis sententia, quaerendum ab ipso est.

sint eventura, sed de actuali voluntate, et de fiducia in auxilio divino reponenda. — *Ita communiter.*

462. — Quaer. 3° *An ad sacramentum poenitentiae rite suscipiendum requiratur propositum explicitum?*

Resp. Iuxta *S. Lig.* (*n. 450.*) triplex est sententia. *Prima,* quam pauci quidam (*a*) tenent, absolute affirmat: quia licet dolor includat necessario propositum, attamen explicitum requiri videtur a Tridentino aiente: *Cum proposito non peccandi de caetero* (*b*).

Secunda sententia, quam Cardenas vocat *moraliter certam,* absolute negat. Ratio est, quia dolor, si ex motivo generali eliciatur, includit propositum plane efficax. Alioquin vero ex Tridentina Synodo quando attritio voluntatem peccandi excludit, sufficienter disponit hominem ad impetrandam gratiam in Sacramento. — *Elbel, n. 87.* — *Laymann, Cap. 4. n. 6.* — *Salmant. Cap. 5. n. 54.* — *Lugo, Disp. 14. n. 51.,* qui hanc sententiam dicit *esse communem inter recentiores.*

Tertia sententia, quam *communem* dici testatur *S. Ligor.,* docet quod, si poenitens cogitet de vita futura, debet formaliter proponere emendationem (*c*). Secus si poenitens nihil de futuro cogitet. Nam si cogitet de futuro, consentiunt omnes, vix fieri posse, ut

(*a*) Bene A. hanc opinionem *paucis* tribuit. Nam allegari utique pro ea vides *Petrum Lombardum, S. Thomam, Alensem, B. Albertum, Scotum, Durandum.* Verum vel Bellarminus ipse (*De Poenit. Lib. 2. Cap. 6.*) fatetur ingenue, vetustiores illos asseruisse utique necessitatem alicuius propositi, non distinxisse tamen inter formale et virtuale. Quocirca gratis pro hac potius, quam pro illa sententia allegantur. — Item apud S. Alphonsum (*n. 450.*) citantur pro eadem opinione *Suarez, Caietanus, Bonacina, Henriquez, Valentia, Reginaldus et Toletus.* Atqui Suarez (*De Poenit. Disp. 20. Sect. 4. n. 34.*) thesim contradictoriam statuit; itemque Caietanus (*Sum. V. Confessio, n. 12.*) et Bonacina (*Disp. 5. Q. 5. Sect. 1. Punct. 3. n. 9.*) plane oppositum docent; Henriquez vero (*Sum. Lib. 4. Cap. 24. n. 2.*) tertiam sententiam expresse tradit; et Valentia (*Disp. VII. Q. 8. Punct. 6.*) diserte affirmat, *expressum istud propositum non requiri necessitate medii ad iustificationem, sed quandoque peccatorem posse cum implicito tantum eiusmodi proposito iustificari;* et dicit, *quandoque,* quia singularissima opinione censuit, necessarium esse *explicitum,* quando urget *positivum* poenitentiae praeceptum: quasi scilicet ad implendum poenitentiae praeceptum non sufficeret poenitentia, quae ad iustificationem sufficit! Reginaldus denique et Toletus non ita primam praeferunt, ut alteram reiiciant.

(*b*) Argumentum, quod pro ista opinione desumitur ex verbis Concilii Tridentini, plane infirmum esse ostendit Lugo (*De Poenit. Disp. 14. n. 53.*), qui (*ibid.*) praeterea palam facit, ex doctrina Tridentina contrarium plane evinci.

(*c*) Haec obligatio prorsus inutiliter videtur inculcari. Nam si cogitatio de vita futura oboritur, frustra fit sermo de obligatione; quandoquidem, ut inquit cum aliis Bellarminus (*De Poenit. Lib. 2. Cap. 6.*), *fieri non potest, ut verus sit in animo dolor de peccatis admissis, quin continuo* (de futura vita cogitanti) *oriatur etiam propositum vitandi futura.* Si vero de futuro cogitatio non occurrat, frustra inculcatur obligatio, cuius nulla adest advertentia.

sincere poenitens simul propositum explicitum et formale non eliciat (*a*).

Suum autem de hisce iudicium sic S. Ligorius (*ibid.*) interponit: *Hae duae ultimae sententiae sunt quidem probabiliores; sed quia prima non caret sua probabilitate* (*b*), *in praxi ante factum tutius sequenda est.*

Cum autem, S. Alphonso teste (*l. c.*), plerique etiam eorum, qui pro prima sententia allegantur, consentiant *quod si bona fide cum vero dolore confessus fueris sine proposito formali, non teneris confessionem repetere;* utut addat, se his non posse acquiescere (*c*);

(*a*) Hoc tamen subinde contra fit in personis piis, praesertim quae diligenter a peccatis etiam levibus sed plene deliberatis cavent, solentque ad aliquem forte lapsum illico dolere, ac semet in rectam viam mox restituere. Cum enim propositum cavendi a peccatis non sit in ipsis nova quaedam voluntas, quae tunc accedat, dum ad suscipiendum sacramentum Poenitentiae se disponunt, sed ipsis iugiter et habitualiter firma insit; nil proinde mirum, quod de hac voluntate quodammodo rursus confirmanda forte non recogitent.

(*b*) Ita censuit S. Alphonsus, motus scilicet inanibus allegationibus, de quibus modo diximus.

(*c*) Ita S. Doctor: *Dico ante factum; nam dicunt Croix, Viva, Elbel, Gobat, et Bonacina cum Bellarmino, Suarez, Vasquez, Reginaldo, Henriquez, quod si bona fide cum vero dolore confessus fueris sine proposito formali, non teneris confessionem repetere... Nihilominus nec etiam valeo huic sententiae acquiescere; ratio, quia cum prima opinio sit sufficienter probabilis, poenitens, qui gravem culpam et certam perpetravit, tenetur de ea confessionem explere, non tantum probabiliter, sed etiam certe validam.* Ast haec aperte repugnant doctrinae, quam alibi ipse tradit (*Lib. 6. n. 505.*) hisce verbis: *Hic sedulo advertendum, non esse cogendos poenitentes ad repetendas confessiones,* NISI MORALITER CERTO CONSTET EAS FUISSE INVALIDAS, *ut recte dicunt Croix, Gobat, etc.* CUM COMMUNI *contra Antoine, qui inter rigidos auctores nostri temporis non infimum habet locum.* At vero in casu potius quam certo constet, confessionem fuisse invalidam, contra merito dices, moraliter certo constare, confessionem validam fuisse: quippe in neganda necessitate repetendi confessionem consentiunt, ipso fatente, tum primae, tum secundae, tum tertiae sententiae Auctores. Porro hanc necessitatem non negarent, nisi confessionem validam censerent. Doctores ergo *moraliter omnes* confessionem esse validam affirmant. Unanimis autem Doctorum consensus ex canone ab omnibus recepto moralem certitudinem parit. Ergo, etc.

Caeterum quod S. Alphonsus ad singularem illam conclusionem deflexerit, duplex videtur causa extitisse. Nam primo quidem deceptus a Croix primam illam sententiam pluribus adscripsit, qui eam nullatenus habent, uti (*in praec. nota*) iam vidimus. Deinde vero non satis advertit, primae illius sententiae patronos, quotquot demum sint, dum simul cum aliis, ipso fatente, docent, confessionem non esse repetendam, haudquaquam existimasse, propositum explicitum *necessitate medii* (ut inquit Valentia) esse necessarium, et idcirco ipsos ad tertiam potius sententiam pertinere, adeo ut prima illa sententia, prouti a tertia distinguitur, reipsa vix ullum patronum habeat, et idcirco nonnisi ex falso supposito aliqua ipsi probabilitas tribuatur.

** Incredibile plane videri poterit; ita tamen se res habet: quatuor et quinquaginta columnas (omissis nempe quatuor aliis, quae licet aliam habeant materiam, insertae illis sunt), VV. (*Pag. 443–472.*) de hoc argumento

iam patet, in hanc conclusionem, quae unica ad praxim deservit, sententias demum omnes atque Doctorum omnium suffragium convenire.

Accedit auctoritas Concilii Romani sub Benedicto XIII in Ba-

impleverunt, contendentes nimirum iure merito S. Alphonsum statuere, non esse certo validam, *atque adeo iterandam esse confessionem absque formali et explicito proposito peractam.* Paucis rem perstringemus. Huius autem Notae fructus sit ille, de quo *in Mon. Vol. 1.*, ut etiam haec quaestio iam ad statum transire queat rei iudicatae.

Sit itaque argumentum: Quisquis docet 1° *explicitum propositum nequaquam esse de essentia illius contritionis, quae*, ut ait Suarez *(De Poenit. Disp. 4. Sect. 3. n. 1.)*, *est ultima dispositio ad gratiam*, et 2. *detestationem peccati sine proposito formali*, ut ait idem Suarez (*l. c. n. 6.*) *esse sufficientem dispositionem ad gratiam*, ac 3. *sufficere propositum virtuale in dolore inclusum, ut validum sit sacramentum*, ut ait idem Suarez (*Ib. Disp. 20. Sect. 4. n. 34.*), hic profecto tenet, confessionem absque formali seu explicito proposito, et solum cum proposito virtuali seu implicito, peractam, esse validam, atque adeo non esse necessario iterandam. Atqui haec unanimis dici debet scholae catholicae sententia. Ergo.

Prob. Min. 1. Suarez (*Disp. 4. Sect. 3. n. 7.*): *Concluditur, formale propositum non peccandi de caetero non esse de essentia et formali ratione contritionis.* Et rursus (*ibid. n. 6.*): *Potest sola detestatio peccati sine proposito formali esse sufficiens dispositio ad gratiam.* Et rursus (*Disp. 20. Sect. 4. n. 34.*): *Existimo, sacramentum esse validum, et sufficere propositum virtuale in dolore inclusum.* Hinc patet, qua fruge VV. (*Pag. 447–449.*) septem columnas textibus Suarezii repleant. — Dices: Suarez (*Disp. 4. Sect. 3. n. 3.*) statuit, *formale propositum per se loquendo esse necessarium.* — Resp. *Disting.:* Statuit, esse necessarium ad valorem Sacramenti, *Nego;* aliis de causis extrinsecis *per se loquendo*, Transeat; quaestio autem praesens est de valore Sacramenti.

2. Petrus Soto in Trid. Synodo theologus (*De Sacr. Poenit. Lect. 17. prop. fin.*): *Patet aperte, dolorem integrum, qualis descriptus est, sufficere: in quo propositum hoc inclusum est. Satis itaque est, implicite haec habere.* — Aiunt VV. (*Pag. 447.*), *Petrum* Sotum impugnari a Suaresio (*Disp. 20. Sect. 4. n. 32.*), propterea quod (*Dist. 17. q. 1. art. 2.*) dixerit, *confessionem nunquam esse fictam ex defectu propositi, si tamen poenitens suum defectum confiteatur.* — Resp. 1. Qui habet opus cum *Dist. Quaest.* et *art.*, non est *Petrus* Soto, sed *Dominicus.* 2. Si Suarez impugnat Dominicum Soto, quia iste, ut ait idem Suarez, *nec virtuale propositum requirit;* quomodo VV. obiiciunt nobis Dominicum Sotum tamquam requirentem non modo *virtuale*, sed etiam *formale* propositum?

3. Vasquez (*In 3. P. Q. 86. art. 2. Dub. 4. n. 3.*): *Ut deleatur peccatum, propositum cavendi futura satis est, si sit virtuale... Haec sententia, meo iudicio, verissima est.*

4. S. Alphonsus (*Lib. 6. Tr. 4. Cap. 1. Dub. II. Not. A. Edit. an. 1748.*): *Hic operae pretium putamus notare, quaenam sint sententiae moraliter certae... Sunt. II. Sufficere propositum virtuale, seu implicitum in dolore concepto ex motivo generali.* Et rursus (*Edit. an. 1757. Lib. 6. n. 540.*): *Optime docent Croix, Viva et alii communiter quod si bona fide cum vero dolore confessus fueris sine proposito formali, non teneris Confessionem repetere.* Quaero: si ex tunc in caelum evectus S. Doctor fuisset, licuissetne suam hanc et communem aliorum doctrinam sequi?

5. Collet (*De Poenit. Part. 2. Cap. 4. n. 230.*): *Si novae vitae propositum (formale) ad essentiam contritionis pertineat, eo etiam inculpate omisso, deficiet substantia contritionis; sicque conclamata erit salus poe-*

silica Lateranensi celebrati anno universalis Iubilaei 1725. *Instructiones,* inquit S. Pontifex *(Tit. XXXII. Cap. 3.), ad Sacramentorum Poenitentiae, et Eucharistiae, a pueris primo suscipiendorum, usum, et cultum pertinentes, breves simul et claras dabimus*

nitentis, qui peccato super omnia detestando intentus, de futuro non cogitaverit. Atqui hoc mihi quidem absurdum, aliis vero doctioribus ridiculum videtur. Collet autem, ut norunt omnes, non potest laxis auctoribus accenseri.

6. Franciscus Sylvius (*apud Collet l. c. n. 231.*): *Dicendum cum Navarro... per accidens sufficere propositum implicitum... Unde si quis occupatus vel in examinanda sua conscientia, vel in detestanda vita praeterita,... non cogitet actu,* volo emendare vitam..., *sed bona fide eat ad Confessorem..., talis eius confessio est bona.*

7. Etiam rigidissimus Concina (*Epitom. Th. Christ. Lib. 11. Cap. 8.*): *Contingere tamen potest, ut poenitens ita vehementi dolore abreptus sit, ut de proposito non cogitet; at si adverteret, firmissimam resolutionem conciperet non peccandi de caetero. Sed nunc sermo est de iis, quae communiter contingunt.* Gemina habet alibi (*De Poenit. Diss. 3. C. 1. n. 18.*). Cum itaque hic valida asseratur confessio sine formali proposito, quorsum VV. etiam Concinam recensent (*Pag. 455.*) in articulo, cui titulus: *Vindicantur auctoritates a S. Alphonso allegatae?*

8. Cardenas (*Part. 4. Diss. 2. n. 80.*): *Est supra omnem probabilitatem omnino certum, quod hoc propositum virtuale sufficiat.... Cum ergo certum sit, id genus propositi virtualis sufficere; non habet hic locum ea damnatio, scilicet propositionis primae ex proscriptis ab Innoc. XI.*

9. Bonacina (*De Poenit. Disp. 5. Q. 5. Sect. 1. Punct. 3. n. 9.*): *Observa tamen, sufficere propositum virtuale, quo quis ita detestatur peccata, ut si menti occurrerent, firmum eliceret propositum illa praecavendi.* — Afferunt VV. (*Pag.451–452.*) Bonacinam (*l. c. Punct. 8.*) ubi utramque sententiam dicit probabilem. — Resp. 1. Quam sententiam ipse absolute praeferat, patet ex allatis eius verbis. Advertantur verba, quae habet in loco a VV. allegato (*n. 2.*): *Non videtur existimandum invalidum sacramentum susceptum ab eo, qui bona fide detestatur peccatum, illudque confitetur absque formali proposito.*

10. Laymann (*Lib. 5. Tr. 6. Cap. 1. n. 8.*): *In actu contritionis includitur etiam propositum, saltem implicitum, imposterum, si vita suppetat, servandi mandata Dei. — Sufficit tamen ad iustificationem implicitum votum seu propositum horum sacramentorum.* Et luculentius (*Lib. 5. Tr. 6. C. 4. n. 6.*): *Assertio VI. Ad iustificationem extra et intra Sacramentum, per se, ac necessario non requiritur expressum propositum servandi mandata Dei, sive a peccatis abstinendi, sed sufficit implicitum, quod in ipsa detestatione peccatorum virtualiter continetur.*

11. Viva (*Ad Prop. 1. Innoc. XI. n. 26.*): *Cum videatur, esse moraliter certum, non requiri in Sacramento Poenitentiae... propositum non peccandi de caetero formale, sed sufficere virtuale..., idcirco sequimur huiusmodi propositiones probabilissimas, omissis tutioribus.*

12. Resolut. Cas. Dioec. Bononiens. de mandato Bened. XIV. (*Pag. 151.*): *Dicendum est, defectum formalis propositi invalidam non reddere confessionem.*

13. Felix Potestas (*Tom. 1. Part. 4. n. 3072.*) absolute: *Pro valore Sacramenti... requiritur propositum de caetero non peccandi... Sufficit, quod propositum sit implicitum et virtuale.*

14. Trullench (*Lib. 4. Cap. 5. Dub. 5. n. 5.*) absolute: *Sufficit propositum virtuale. Nav. Bon.*

15. Andreucci (*Memorial. Confess. P. 1. C. 1. §. 3. n. 2.*) absolute: *Ad*

in Nostri huius Concilii fine. Claras autem instructiones daturam se S. Pontifex dicit, ut incommodis occurrat, de quibus in Appendice (n. 1.) sic legitur: *Sebbene i Parrochi non mancano sostanzialmente di somministrare il latte della cristiana pietà coll'ammae-*

valorem et effectum Sacramenti dicendum, quod... sufficit virtuale inclusum in ipso dolore ac detestatione, si dolor fuerit ex motivo aliquo universali... Neque haec opinio ullatenus videtur affici a proscriptione Prop. 1. damnatae ab Innoc. XI.

16. Petrus Catalani (*Part. 3. De Poenit. Q. 6. C. 4. n. 16.*): *Auctores primae sententiae* (quae nempe exigit *formale*) *non negant, validum esse sacramentum, si quis accedat ad illud bona fide ac peccata detestetur.... cum proposito virtuali tantum.*

17. Reiffeustuel (*Tr. 14. Dist. 6. Q. 4. n. 49.*): *Propositum non peccandi de caetero... regulariter quidem debet esse formale et explicitum.... Per accidens tamen potest etiam sufficere propositum virtuale ac implicitum. Ita communis.* Hinc argue: si ad valorem sacramenti essentialiter pertineret *formale* propositum, defectus eius, licet per accidens, valorem tolleret, quia tolleret essentiam. Atqui. Ergo.

18. Holzmann (*Part. 5. n. 501.*) absolute: *Per accidens saltem sufficere posse propositum virtuale et implicitum, communis est Doctorum sententia:... quo in casu qui habet propositum virtuale et implicitum,... censetur sufficienter dispositus ad recipiendam absolutionem sacramentalem; ut proinde valeat illud: Taciti et expressi eadem est efficacia.*

19. Fagundez (*De 2° Eccl. Praec. Lib. 2. C. 3. n. 14.*) absolute: *Communis sententia docet, non requiri formale (propositum), sed sufficere virtuale..., quod maxime verum est, quando poenitens ob inculpabilem inadvertentiam non meminit huius formalis propositi.*

20. Cuniliati (*Tr. 14. C. 4. §. 3. n. 6.*) absolute: *Propositum regulariter debet esse explicitum et formale... Dixi regulariter..., quod si dumtaxat ex inadvertentia omittatur, tunc censetur implicite contentum in dolore.*

21. Antonius a Spir. S°. (*Compend. Salmantic. Tr. 27. C. 2. Punct. 7. n. 79.*) absolute: 1. *Propositum aliquod saltem virtuale requiritur ad valorem huius sacramenti...* 2. *Propositum formale et expressum non requiritur ad validum sacramentum essentialiter.*

22. Rodriguez Emman. (*Summ. Tom. 1. C. 48. n. 4.*) absolute: *Poenitentia peccatorum, quam habet peccator sine proposito formali vitandi ea..., est sufficiens, ut ille peccator maneat iustificatus.*

23. Dupasquier (*Theol. Scot. Tr. 15. Disp. 3. Q. 2. Concl. 3.*): *Contritio debet esse cum proposito formali...; in aliquo tamen casu sufficere posset virtuale et implicitum. Est communis... Secus si quis ex toto corde peccata sua detestaretur non cogitans de futuro, et in eo statu moreretur, damnaretur defectu talis propositi formalis; sed hoc est falsum, et inconveniens, et durum.*

24. Billuart (*De Poenit. Disp. 4. artic. 1.*) absolute: *Propositum videtur, per se loquendo, debere esse explicitum... Per accidens tamen... sufficit implicitum seu virtuale... Ratio est, quia propositum formale non est de essentia contritionis, nec consequenter pars essentialis Sacramenti.* Primam partem huius textus afferunt etiam VV. (*Pag. 456.*); sed non debuissent recidere secundam, quae dirimit contra eos quaestionem.

25. Platelius (*Curs. Theol. Part. 5. C. 6. §. 2. n. 646.*): *Ex nullo capite probari potest necessitas propositi formalis distincti ab efficaci detestatione peccatorum virtualiter continente voluntatem efficacem non peccandi de caetero: cum hoc virtuale propositum abunde sufficiat ad explicanda Concilia indefinite requirentia propositum emendationis.*

26. Filliuccius (*Tr. 7. Cap. 7. n. 161.*) absolute: *Si quis bona fide de-*

strarli (i fanciulli) *nella medesima Dottrina; alcuni però lo fanno con modo così confuso, ed inetto, che sono cagione a' figliuoli, o che non lo comprendano bene, o almeno, che lo prendano indigestamente*

testetur peccatum, quod confitetur, et non advertat ad formale propositum in futurum..., confessio erit valida, et sufficit tunc propositum virtuale..., ut ex Medina et firmius ex Conc. Florentino et Tridentino probat Suarez.

27. Coninck (*De Poenit. Disp. 2. n. 58.*): *Non semper necessario requiritur propositum in posterum vitandi omnia peccata, quod sit distinctum ab actibus praecedentibus. Quia fieri potest, ut dum quis elicit priores illos actus* (scil. doloris), *nihil cogitet de vitandis peccatis in posterum: quo casu non poterit habere formale circa hoc propositum, et tamen iustificabitur.*

28. Marchant Petrus (*Trib. Poenit. Tr. 4. Tit. 3. Quaest. 4.*) ad quaestionem, *An ad veram contritionem sive attritionem requiratur formale propositum de caetero non peccandi,* respondet: *Ad veram contritionem sive attritionem sufficit virtuale propositum de caetero non peccandi, et mandata servandi, nec formale necessarium est.*

29. Mastrius (*Theol. Mor. Disp. 21. Q. 2. n. 32.*) absolute: *In casu naturalis oblivionis... expressum propositum cavendi peccata in futurum non est ad iustificationem necessarium, sed sufficit virtuale et implicitum.*

30. Giribaldi (*Tr. 7. Cap. 5. n. 75.*) absolute: *Respondeo ad sacramentum poenitentiae sufficere propositum virtuale inclusum in ipsa detestatione, sine formali et expresso. Colligitur ex Tridentino.*

31. Io. Medina (*Cod. de Poenit. Tr. 1. Q. 3. pr. fin.*) absolute: *Satis est, si* (poenitens) *virtualiter proponat, prout propositum virtualiter continetur in actu poenitentiae.*

32. Illsung (*Tr. 6. Disp. 6. Q. 3. art. 3. n. 34.*): *Tridentinum... tamquam sufficientem dispositionem ad iustificationem per sacramentum poenitentiae approbavit contritionem imperfectam..., si voluntatem peccandi excludat, absque discrimine, utrum illa exclusio fiat per virtuale propositum in illa inclusum, vel per formale...; satis tamen insinuat, magis requiri detestationem formalem, quam propositum formale.*

33. Salmanticenses (*Tr. 6. C. 5. n. 54.*) absolute: *Sufficit ad Sacramentum Poenitentiae propositum virtuale, quo quis ita detestatur peccare, ut si menti occurrerent peccata futura, firmum eliceret propositum illa praecavendi in futurum.*

34. Roncaglia (*Tr. 19. Q. 2. Cap. 1. q. 2. Resp. 2.*): *Si quis tota mente occupatus in detestandis peccatis praeteritis, nihil cogitaret de futura emendatione, atque ita sine proposito explicito reciperet Sacramentum Poenitentiae, putarem ipsius virtute iustificari. Ratio, quia... omissio propositi expliciti non esset ex defectu doloris, sed ex defectu advertentiae.*

35. Wagemann (*Synops. Theol. Mor. Part. 5. Tr. 2. C. 4. n. 53.*): *Est communior sententia, quod sufficiat propositum virtuale.... Potest haec sententia servire ad hoc, ut per oblivionem omittens quis formale propositum, et post sacramentum deprehendens defectum, possit acquiescere.*

36. Elbel (*De Poenit. Conf. 4. n. 86.*): *Ad sacramenti poenitentiae valorem probabilissime sufficit propositum virtuale.... Dixi probabilissime ad valorem etc. Etenim Stoz cum aliis probatissimis et classicis auctoribus hunc sententiam etiam in praxi vere tutam existimat, nec per eam exponi sacramentum periculo etc.*

37. Marcus Struggl (*Tr. 11. Quaest. 2. art. 2. n. 27.*) absolute: *Ad valorem Sacramenti poenitentiae, per se loquendo, non requiritur necessario propositum formale vitae melioris, tamquam actus distinctus a dolore, sed sufficit propositum virtuale, ipsi dolori universali identificatum.*

e con difficoltà. Dubitandum igitur non est, perspicue ibi doctrinae christianae capita tradi.

Porro in Instructione pro pueris ad Sacramentum Poenitentiae

38. Honoratus Fabri (*Th. Mor. Tr. 9. Cap. 2. n. 11.*): *Si attritio est ex motivo universali, cadente in omnia mortalia,... in illo actu contritionis includitur propositum non peccandi in posterum..., nec aliud requiritur a Concilio.* Et rursus (*ibid. n. 12.*): *Respondeo sufficere propositum virtuale, quod in ipsa detestatione includitur.*

39. Aversa (*De Poenit. Q. 2. Sect. 12.*): *Negari non potest, posse illum actum poenitudinis elici sine distincto actu propositi... At in illo casu fatendum est, peccatorem iustificari: per illum enim actum avertitur a peccato... et virtualiter habet animum non amplius peccandi... Ergo negari non debet, eum iustificari.* Et rursus (*Quaest. 11. Sect. 2.*): *Si poenitens bona fide confiteatur, non cogitans nec a Confessario admonitus de tali proposito eliciendo, satis erit si habeat dolorem sufficientem, qui virtualiter tale propositum includit, ut recipiat quoque effectum gratiae.*

40. Reuter (*Part. 4. Tr. 4. n. 290.*): *Regulariter loquendo requiritur etiam, ut propositum sit formale et explicitum... Dixi:* regulariter loquendo; *nam longe probabilius, imo iuxta Gormaz, Cardenam, et alios moraliter certo sufficit propositum virtuale in dolore universali contentum. Tridentinum enim etc.*

41. Henriquez (*Lib. 4. Cap. 24. n. 2.*) absolute: *Fieri potest, ut ex inadvertentia, aut quia nihil meminit de futura vita* (poenitens) *habeat veram dilectionem et contritionem, excluso omni affectu virtuali peccati, et iustificetur absque dicto formali proposito, quod satis in contritione includitur in eo, qui non recordatur.* Numquid itaque Henriquez non clarissime affirmat, validum sic esse sacramentum? Quorsum igitur VV. (*Pag. 455.*) columnam integram absumunt, ut in alium sensum verba eius accipiantur?

42. Castropalaus (*De Sacram. Poenit. Punct. 1. n. 8.*) absolute: *Propositum firmum et absolutum nunquam peccandi non oportet in poenitentia fieri actu distincto a detestatione et dolore: etenim qui serio et perfecte detestatur, et dolet peccati commissi, voluntatem saltem virtualiter habet nunquam iterum peccatum committendi.* Exinde (*Punct. 2. n. 15.*) addit: *Nullum peccatum sive mortale sive veniale remittitur absque proposito vel formali vel virtuali.*

43. Mansi (*Theol. Mor. Lib. 5. Tr. 6. Cap. 4. n. 6.*) absolute: *Sufficit ad iustificationem implicitum propositum de caetero non peccandi; quod in ipsa detestatione peccati virtualiter continetur.*

44. Ioan. Pontas (*V. Contritio, Cas. IV.*) absolute: *Certum quidem est, ad veram contritionem necessario requiri firmum non peccandi de caetero propositum... Sed ad essentiam contritionis non requiritur, ut propositum illud sit expressum et explicitum... Satis est igitur, ut propositum illud sit implicitum et virtuale.*

45. Babenstuber (*Tr. 8. Part. 6. Disp. 4. art. 1. n. 11.*) absolute: *Per accidens sive extraordinarie sufficit propositum virtuale... Ratio, quia fieri potest, ut poenitens, quando efficaciter dolet de peccatis commissis, nihil cogitet de peccatis futuris, vitaque in posterum emendanda. In quo eventu habet propositum virtuale inclusum in ipso dolore formali... Atqui tale propositum virtuale tunc sufficit, veluti consentiunt communiter DD., estque in hoc quoque casu eadem vis taciti et expressi.*

46. Wirceburgenses (*De Sacr. Poenit. Cap. 3. art. 5. n. 173.*) absolute: *Dico: Propositum formale, per se loquendo, necessarium est ad contritionem... Per accidens tamen sufficit virtuale. Conc. Trident.*

47. Ysambertus (*De Sacr. Poenit. Disp. IX. art. 3.*): *Sit haec Propo-*

accessuris, quae ad calcem eiusdem Concilii subiecta cernitur, haec *(Part. III. n. XXIX. Pag. 303.)* habentur:

Penitente. *Chi si confessa senza dolore de' peccati, e senza proposito di non peccar più, riceve il perdono?*

sitio: Propositum non peccandi de caetero, item confitendi sua peccata sacramentaliter, et satisfaciendi, in contritione requisitum, non debet esse necessario formale et explicitum, quasi, illo ut tali omisso, contritio sit insufficiens; sed virtuale et implicitum potest sufficere.... Est praedicta nostra propositio valde communis inter scholasticos... In moralibus (enim) virtuale et formale seu expressum coaequantur.

48. Reginaldus (*Lib. 5. Cap. 1. n. 7-8.*): *An sufficiat, (propositum) esse virtuale..., in utramque partem diversos authores referunt Bellarminus et Suarez... Quamvis autem pars negans non sit omnino reiicienda,... affirmans tamen videtur sequenda in praxi, et poenitenti consulenda.* VV. (*Pag. 454.*) duas solidas columnas iis implent, quae Reginaldus (*l. c.*) post Bellarminum fuse prosequitur, ut scilicet evincat, in praxi *affirmantem sententiam esse consulendam.* At enim praesens quaestio non est, quae sententia sit consulenda, sed an virtuale propositum sufficiat. Porro S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 540.*) Reginaldum recenset inter eos, qui confessionem cum virtuali proposito peractam negant esse repetendam. Num VV. etiam S. Doctorem refellere instituunt, et quidem in eo articulo, quo auctoritates a S. Doctore allegatas vindicare satagunt? Et reipsa Reginaldus conditiones perfecti doloris enumerans, scribit (*Ibid. n. 69.*): *Quinto ut peccandi voluntatem excludat, sitque cum proposito saltem virtuali vitandi de caetero peccata.*

49. Lessius (*In addit. S. Thom. Q. 1. Dub. 2. n. 6.*): *Dico secundo: Hoc propositum debet esse formale et expressum, si homo cogitet de modo vitae in posterum degendae. Si tamen haec cogitatio non occurrat, sufficit implicitum et virtuale propositum inclusum in serio dolore peccatorum.... Si enim virtualis poenitentia aliquando sufficit, cur non etiam virtuale propositum emendationis in dolore peccati inclusum?*

50. Navarrus (*Manual. Cap. 1. n. 1.*): *Antiquorum et recentiorum... sententiam secuti definimus, quod contritio est poenitudo... cum proposito non peccandi amplius ut minimum virtuali...* (*n. 11.*) *Dixi, ut minimum virtuali, eo quod sicut actus, qui pro poenitentia virtuali sufficit, ita eadem ratione sufficere videtur id, quod est propositum virtuale amplius non peccandi...* (*n. 6.*): *Interrogatus autem, an id... tenendum, nempe... sufficere propositum virtuale? respondi affirmative, modo ita eum poeniteat, quod si adverteret ad futura, proponeret de nunquam iterando ea, nec admittendo futura.*

51. Mazzotta (*Tr. 6. Disp. 1. Q. 3. Cap. 4. §. 1. n. 3.*): *Quaeres, An propositum debeat esse formale et expressum, an vero sufficiat virtuale et implicitum? Respondeo, sufficere etiam propositum virtuale et implicitum in actu doloris, dummodo hic sit elicitus ex motivo universali.... Haec sententia est tam recepta a Theologis, tamque firmis rationibus munita, ut non sit practice dubitandum de eius veritate.*

52. Tamburini (*Method. Conf. Lib. 1. Cap. 1. n. 7.*): *Propositum explicitum de caetero non peccandi, licet laudabiliter addatur, et in sententia multorum necessario...; at in probabili aliorum opinione satis est implicitum, hoc est illud quod involvitur in ipso actu detestationis... Nemo enim vult committere, quod ipsi displicet.* Cum mere dicat de *explicito, laudabiliter addi*, patet, necessarium ab ipso habitum nequaquam fuisse.

53. Esparza (*Lib. 10. Q. 88. art. 4.*): *Si contingere aliquo modo posset, ut poenitens conciperet contritionem... absque formali proposito non peccandi de caetero, consequeretur procul dubio verum effectum Sacramenti.*

Confessore. *Se non ha almeno il dolore imperfetto, cioè l'attrizione, col fermo proposito*, ALMENO IMPLICITO, *di non peccare mai più, certamente, se si confessa, la Confessione non vale, e non riceve il perdono de' peccati.*

54. Magister Candidus (*De Confess. Disq. 24. art. 12. n. III.*): *Dico secundo: Propositum implicitum et virtuale, quo quis ita detestatur peccata, ut si menti occurrerent peccata futura, firmum eliceret propositum et voluntatem absolutam illa praecavendi in futurum, est sufficiens ad valorem Sacramenti, et ad effectum illius consequendum.*

55. Voit (*Vol. 2. n. 511.*): *Per accidens subinde sufficit (ad consequendam gratiam... in confessione) propositum virtuale, quod includitur in serio dolore, vi cuius poenitens ita constitutus est, ut nolit amplius peccare.. Sic videtur conciliari cum nostra aliorum sententia, quod sufficiat propositum virtuale.*

56. Escobar (*Lib. 14. Sect. 2. n. 157.*): *Formale propositum non videtur mihi tam necessarium... Unde si quis bona fide vere detestetur peccatum, quod confitetur, et non advertat ad formale propositum, ita ut in omittendo non peccet, Sacramentum erit validum, et sufficiet propositum virtuale in dolore inclusum.*

57. Franc. Ant. a Goritia (*Tab. 151.*): *Sufficit propositum virtuale et implicitum, inclusum in ipso dolore, si pro casu quis ita acerbo dolore et vehementi contritione abreptus esset, ut nihil de vita in futurum instituenda cogitaret.*

58. Reding (*Theol. Schol. De Poenit. Q. 6. art. 2. Controv. 3. n. 5.*): *Thesis: Ex definitione Concilii Tridentini haud evincitur, propositum de caetero non peccandi, pro poenitentiae Sacramento requisitum, debere esse formale ac explicitum, sed per se loquendo ad huius Sacramenti valorem sufficit implicitum ac virtuale, dum tamen sit universale.*

59. Moya (*Tr. 3. De Poenit. Disp. 5. Q. 11. n. 4.*): *Vera sententia tradit, tam ad valorem, quam ad effectum Sacramenti sufficere propositum virtuale in dolore inclusum, dummodo talis sit dolor ut saltem implicite extendatur ad omnia peccata mortalia.*

60. Ulloa (*Disp. 5. Cap. 3. n. 47.*): *Quando audis, detestationem, dolorem, atque propositum requiri essentialiter constitutive ad Sacramentum Poenitentiae, ne intelligas de istis actibus formalibus determinate, sed vel de formalibus, vel virtualibus factis.* Et rursus (*n. 72.*): *Hoc propositum potest esse distinctum et indistinctum a duobus prioribus actibus, vel ab illorum altero.*

61. Paulus Mezger (*Tr. 18. Disp. 44. art. 2. §. 1.*): *Conclusio. Ut dolor sit efficax, ac proinde utilis ad remissionem peccatorum, sive intra sive extra Sacramentum, necessarium est propositum non peccandi de caetero, ordinarie quidem formale, per accidens et extraordinarie virtuale.*

62. Lucius Ferraris (*V. Poenit. Sacram. art. 2. n. 40.*): *Propositum non peccandi de caetero, quamvis per se loquendo debeat esse formale et explicitum,... tamen sufficit etiam, quod sit implicitum et virtuale. Scotus.*

63. Sporer (*Theol. Sacram. P. 3. C. 2. n. 316.*) absolute: *Ad contritionem etiam perfectam, extra vel intra Sacramentum iustificativam, per se universaliter necessario non requiritur formale, expressum propositum de caetero non peccandi mortaliter, sed sufficere potest etiam propositum virtuale in ipsa vera contritione formali semper inclusum.*

64. Granadus (*De Sacram. Controv. 7. Tr. 18. Disp. 3. Sect. 1. n. 6. — apud Diana Tom. 1. Tr. 3. Res. 109.*): *Ad attritionem existimo sufficere propositus virtuale, quod intrinsece clauditur in dolore... Quare qui ex animo dolet de peccatis propter poenas inferni, sufficienter dispositus ac-*

In quibus manifeste uti sufficientia ad veniam peccatorum in Sacramento consequendam aequiparantur tum dolor imperfectus seu attritio, tum propositum mere implicitum. Quinimo magis extra controversiam expressum ibi invenimus, id quod ad implicitum pro-

cedit ad Sacramentum Poenitentiae absque alio proposito formali non peccandi de caetero.

65. Villalobos (*Sum. Tom. 2. Tr. 9. Diffic. 19. n. 8.*): *Quando poenitens cogitat de peccatis futuris, tenetur habere propositum actuale ea evitandi, secus habebit virtuale; multo magis autem hoc sufficit, si de futuris non cogitat.*

66. Gobat (*Tr. 6. n. 205.*): *Quod per accidens fieri queat, ut sine expresso et formali proposito obtineatur, vel per attritionem una cum confessione, vel per contritionem extra confessionem quoque, remissio delictorum, est tam recepta a recentioribus theologis, tamque firmis munita rationibus, ut non sit practice dubitandum de eius veritate.*

67. Gormaz (*De Sacram. Disp. 4. Sect. 3. n. 223.*) absolute: *Assero secundo: Sufficit ad verum Poenitentiae actum, et ad valorem Sacramenti Poenitentiae propositum, quod solet vocari virtuale...* Et rursus (*n. 224.*): *Ille actus (doloris) absque formali proposito habet formalitatem propositi a Tridentino requisitam, et proinde est certo sufficiens... ad Sacramentum poenitentiae constituendum.*

68. Valentia (*Tom. 4. Disp. 7. Q. 8. Punct. 6. pr. fin.*): *Quae Maior, et Medina afferunt..., tantummodo evincunt, non requiri expressum istud propositum necessitate etiam medii ad iustificationem; sed quandoque posse peccatorem cum implicito tantum eiusmodi proposito, quod ipsa videlicet detestatione peccati praeteriti contineatur, iustificari: nempe extra tempus praecepti, vel etiam praecepti tempore, si tum aliquis subitaneo casu praepediatur, quominus de futuro cogitare possit.* — Circa Valentiam VV. (*Pag. 457-458.*) tres columnas insumunt; et licet supprimant verba heic relata, non negant, ex sententia Valentiae validum esse sacramentum sine formali proposito etiam tempore praecepti. At enim si VV. id concedunt, etiam illud igitur concedant, perperam allegari Valentiam pro sententia S. Alphonsi, qui contendit confessionem in casu esse repetendam.

69. Praepositus (*De Poenit. Quaest. 2. Dub. 3.*): *Formale propositum non requiritur, quia etiam sic invenitur verus dolor, et efficax.*

70. Meratius (*De Poenit. Q. 17. Sect. 2.*): *Sententia communis recentiorum est, sufficere propositum virtuale et implicitum.*

71. Dicastillo (*Tr. 8. Disp. 2. Dub. 6. n. 141.*): *Asserendum est, ad rationem contritionis perfectae esse quidem necessarium aliquod propositum non peccandi; non tamen esse necessarium propositum, quod sit actus distinctus ab actu poenitentiae ipsius.* Et rursus (*Disp. 6. Dub. 14. n. 212.*): *Sufficere propositum virtuale contentum in dolore..., iam communis est sententia in Schola hoc et praecedenti saeculo post Tridentinum.* Et rursus (*Disp. 2. n. 144.*): *Non ergo tam communiter oppositum docent theologi, ut absolute putat Lugo Disp. 5. n. 97.*

72. Toletus (*Lib. 3. C. 4. n. 2.*): *Hoc propositum debet esse expressum; et hoc est probabilius..., quamvis aliqui dicant sufficere primum actum; sed quod diximus, securius est.* Porro qui dicit, *securius est,* implicite per se et aliud sufficere fatetur. Confirm. ex his eiusdem Toleti (*In 3. Part. S. Thom. q. 85. art. 1.*): *In eo, quod homini displicet peccatum factum, ibi virtualiter inclusum est propositum quoddam amplius non committendi illud... Quamvis ergo in tali detestatione non sit propositum formale, quod etiam aliquando fit; tamen in ipsa virtualiter propositum hoc includitur.* Exinde eandem implicito, ac explicito vim ad effectum ob-

positum pertinet, quam quod ad attritionem. Quippe quoad istam in praecedenti quaesito innuitur, nondum a Sede Apostolica definitum fuisse, num coniuncta cum aliquo amoris initio esse debeat; de implicito autem proposito nihil tale ibi dictum reperis.

tinendum tribuit (*Ibid. q. 87. art. 1.*): *Non est necessaria formalis poenitentia, sed sufficit actus dilectionis, qui tamen sit virtualis poenitentia, ad delendum veniale.* Caeterum superfluum videri debet, de sententia Toleti circa hoc ambigere, quando constat, ipsum de poenitente non detestante peccatum supra omne detestabile, itemque de desiderante habere contritionem, quam non habet, absolute statuisse (*Sum. l. c. n. 6–7.*), eam contritionem, si poenitenti de defectu non constet, *ad gratiam in sacramento recipiendam sufficere.*

73. Lugo (*Disp. 14. n. 52.*): *Aliquando dolor est talis, in quo virtualiter includitur propositum requisitum; et tunc non exigitur ad valorem Sacramenti aliud propositum formale.* Et paulo post (*n. 53.*): *Verba Conciliorum Florentini et Tridentini, quae exigunt cum dolore propositum non peccandi..., intelliguntur de proposito formali vel virtuali et implicito. Quia nimirum potest esse dolor aliquis..., qui non affert secum tale propositum universale; ideo explicuerunt Patres dolorem non utcumque, sed cum proposito non peccandi, sive formali, sive virtuali.*

Seriem abrumpamus, non quasi totidem et amplius desint testes, sed 1° quia a bibliothecis per vim abstracti in exilio degimus; 2° quia ad omnium scholarum consensum ostendendum iam sufficere et producti hic possunt. Sed hos iam cum iis comparemus, qui quasi adversarii obiiciuntur, et quos a Bellarmino collectos (*De Poenit. Lib. 4. C. 6.*) habemus.

At enim (ut ipse S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 450.*) post alios diserte testatur) Bellarminus censuit, *quod si bona fide cum vero dolore confessus fueris sine proposito formali, non teneris confessionem repetere* (sunt S. Alphonsi verba). Et cum Bellarminus (*l. c.*) scribat: *Nobis communis ac trita a veteribus via semper visa est tutior et commodior*; nonne hinc aperte deducitur, eandem ac Bellarmini, veterum illorum extitisse de sacramenti sic suscepti validitate sententiam? Insuper missum nunc fiat, quo tandem iure Bellarminus veteres illos de *formali* potius, quam etiam de *virtuali* proposito interpretandos contendat, dum v. gr. Scotum diserte *virtualis* propositi sufficientiam docuisse tradunt et evincunt Mastrius, Ferraris, Dupasquier (*ll. cc.*); at nonne notissima est illorum quoque veterum doctrina de *virtuali poenitentia* in actu perfectae charitatis inclusa, vi cuius et peccatorum remissionem obtineri professi sunt? Et siquidem sufficit poenitentia, atque adeo contritio mere virtualis, nonne a fortiori id de proposito dicendum apparet?

Addit Bellarminus, propositi formalis necessitatem apertius ab Adriano VI, Caietano, Dominico Soto, et Cano tradi. — Resp. *Distinguo:* Ad valorem Sacramenti, *Nego*; Secus, *Transeat.* Et quoad Adrianum, Suarez (*Disp. 4. Sect. 3. n. 2.*) haec habet: *Adrianus in 4. Q. 1. de Poenit. ait, necessarium esse propositum saltem implicitum, exponens quod absolute dixerat Quodlib. 5. art. 3.* (qui locus a Bellarmino allegatur), *ad contritionem requiri propositum.* Ergo Adrianus demi ex iis debet. Quoad Sotum dici solet (et hoc etiam apud VV. legitur), sententiam de virtualis propositi sufficientia appellatam ab eo fuisse *errorem perniciosum.* En Soti locus (*De Nat. et Grat. Lib. 2. C. 14.*): *Neque vero silentio duxerim praetereundum, quod ex Nominalibus quidam addubitant, num in ratione contritionis necessarium sit propositum cavendi a vitiis in futurum. Atque id negant ex eo quod in bibliis sacris nihil comperiant de huiusmodi proposito. De quo profecto, si exile meum iudicium ullius esset momenti, condemnandi essent: non solum quia error est, sed quia perniciosus.* Estne

Caeterum ad pueros catechesi imbuendos etiam nunc Romae istae instructiones adhibendae praescribuntur.

463. — QUAER. 4° *Quale propositum requiratur, vel sufficiat pro venialibus?*

Resp. 1° Ad sacramenti valorem requiritur et sufficit habere efficax propositum saltem unum veniale vitandi; quia ad materiam Sacramenti sufficientem vel de uno dolere sufficit (a); ergo *a fortiori* sufficit propositum efficax vitandi omnia venialia, quae accusantur.

2° Sufficit sibi proponere emendationem de aliquo genere venialium, v. gr. de mendaciis, dicendo: *Nolo amplius mentiri.*

3° Sufficit velle vitare omnia peccata deliberata, quia vitari haec possunt; et semi-deliberata, in quantum fieri potest. — *S. Lig. Lib. 6. n. 449. dub. 2.*

4° Sufficit velle *firmiter* et *efficaciter* minuere frequentiam et

huiusmodi de virtuali proposito scholarum doctrina, ut apte ei Soti censura haec congruat? Sed (ne inutiliter his diutius immoremur) duo de tribus hisce theologis advertantur. Unum est, quod et isti communem doctrinam de efficacia poenitentiae virtualis profitentur. Sic v. gr. Caietanus (*Comm. in 3. 87. 1.*): *Virtualis displicentia vocatur, quae non est formaliter displicentia, sed est formaliter alius actus, puta dilectionis Dei, tantae vis, ut ex ea nata sit sequi displicentia peccati, ita quod si tunc occurreret memoria peccati, ex vi illius actus sequeretur formalis displicentia peccati: et sic omnis actus dilectionis Dei ex charitate procedens, potest dici virtualiter displicentia peccati mortalis.* Exinde infra subdit: *Si ex speciali dono Dei sola displicentia virtualis affuisset, sufficienter salvatur* (in iustificatione) *concursus displicentiae implicite et virtualiter.* Alterum est, tum Soto, tum Caietano, tum Cano, communiter probatam fuisse (ut notum est) doctrinam de sufficientia attritionis mere existimatae; atque, ut sup. vidimus, Sotum reprehendit Suarezius, quod gratiae Sacramenti consequendae non obesse putaverit cuiuslibet propositi defectum. Hinc nihil magis nedum a vero, sed et a verisimili alienum, ex horum sententia confessionem, cui formale propositum defuerit, esse repetendam.

Ex his vero quid concludere tandem fas erit? Habeant VV. sibi Amort, qui necessarium esse ad iustificationem propositum explicitum hoc magnifico utitur argumento (*Th. Mor. Tr. 13. §. 8. q. 12.*): *Ad iustificationem requiritur amor Dei; sed amor Dei est explicitum propositum servandi mandata. Ergo.* Cui argumento bene quis reponet: *Nego maiorem,* quia ad gratiam in sacramento recipiendam non praerequiritur charitas; *Nego minorem,* quia actus amoris Dei elici potest cum mera *implicita* voluntate mandata servandi. *Nego* demum Consequens, et Consequentiam, quia contra se habet unanimem, ut vidimus, catholicae scholae sententiam. Quae quidem scholae catholicae unanimis doctrina illud etiam efficit, ut scrupulum, quo permotus S. Doctor Alphonsus censuit, in casu confessionem esse repetendam, sine temeritatis nota, et debita S. Doctori servata reverentia, posthabere quisque possit.

(a) Confer Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 14. n. 141.*), qui docet, veriorem esse eorum sententiam, qui putant, sufficientem dolorem adesse posse de uno veniali, etiamsi nullus aut certe minus sufficiens sit dolor virtualis de aliis eiusdem speciei venialibus.

multitudinem venialium, quia, ut dictum est de contritione, propositum saltem in aliquod ex illis cadit (*a*).

In praxi tutius est elicere propositum de nonnullis peccatis determinatis, praesertim de gravioribus et de his praecipue, quae ex habitu patrantur, eisque peccatum aliquod vitae anteactae adiungere. — *Reuter, n. 295.*

Quando fideles, illi quoque, qui habentur ut pii, et frequenter confitentur, nullum aut fere nullum profectum facere post innumeras confessiones cernuntur, coniicere licet, eos proposita nimis generalia et confusa, et proinde torpida et languida concipere. — *Elbel, n. 112.*

Nec raro autem inveniuntur poenitentes, mulieres praesertim, quae diu examini conscientiae incumbunt, minimas culpas cum maxima anxietate requirunt, et confessiones suas ultra modum protrahunt, nec tamen de dolore et efficaci proposito valde sunt solliciti. Serio adhortandi hi sunt, ut omissa anxia cura declarandi omnia peccata venialia in specie et numero, ea duntaxat, quae conscientiam magis gravant, et quae potissimum extirpanda sunt, cum serio dolore et proposito emendationis clavibus subiiciant. Imo expedit, ut ex istis venialibus seligant unum aliquod praecipuum, ad quod detestandum et emendandum prae caeteris sedulo incumbant. — *Sporer, n. 339.* — *Elbel, n. 113.*, etc.

CAPUT II.

DE CONFESSIONE

Confessio est accusatio peccatorum post Baptismum patratorum, facta Sacerdoti approbato, in ordine ad absolutionem.

Tria huc spectant, scilicet 1° necessitas; 2° dotes; 3° iteratio confessionis.

(*a*) Huc faciunt illa S. Thomae (*3. q. 87. art. 1. ad 1.*): *Poenitentia de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis peccatis mortalibus. Sed ad poenitentiam peccatorum venialium requiritur, quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas humanae naturae non patitur; debet tamen habere propositum se praeparandi ad peccata venialia minuenda; alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quae sunt peccata venialia.*

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE CONFESSIONIS

464. **Principia.** — I. Confessio sacramentalis de iure divino est omnibus post Baptismum lapsis in peccatum mortale necessaria. Constat 1° ex Scriptura sacra; Christus enim dicit Apostolis, *Ioann. 20. 22: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* — Et *Matth. 16. 19.* dixit Christus Petro: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* — Et *18. 18.*, ait omnibus Apostolis: *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.* Unde sic: Christus instituit Apostolos et Sacerdotes iudices et medicos, sine quorum sententia et curatione nemo graviter lapsus post Baptismum potest reconciliari et sanari; atqui hoc duplici munere fungi non possunt, incognita causa: quomodo enim Sacerdotes discernerent inter peccata, et alia quidem remitterent, alia vero retinerent, nisi iudicium de singulis ferre possent? Quaenam esset ratio aliis condonandi, aliis autem veniam denegandi? Quorsum tenderet illa suprema clavium potestas Apostolis et eorum successoribus a Christo tradita? Illusoria nempe foret, si peccatores non tenerentur Sacerdotes adire, et ipsis peccata sua manifestare. Ergo necesse est, ut peccata mortalia post Baptismum commissa potestati clavium seu iudicio Sacerdotum subiiciantur. Ergo confessio de iure divino necessaria est.

Constat 2° ex *Conc. Trident. sess. 14. Can. 7.* his verbis: *Si quis dixerit in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia,* etc., *anathema sit.* — Adde innumeras alias Conciliorum et SS. Pontificum decisiones.

Constat 3° ex traditione et argumento praescriptionis. Confessio enim semper fuit in usu ab exordio Ecclesiae, ut constat ex innumeris testimoniis SS. Patrum, quae videri possunt apud auctores de Theologia Dogmatica tractantes. Ergo est instituta a Christo ut necessaria, et per Apostolos transmissa. Hoc evidens est iuxta notissimam *S. Aug.* Regulam *lib. 4. de Bapt. contra Donatist. c. 24.: Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Praeterea confessio peccatorum res est adeo ardua et difficilis, ut nunquam tot saeculis tam perseveranter et universim observata fuisset, nisi a Christo ut necessaria fuisset instituta.

465. — II. Confessio etiam *de Iure ecclesiastico*, saltem semel in anno, necessaria est omnibus fidelibus, qui graviter peccaverunt.

Constat ex Conciliis, sed praesertim ex *Conc. Later. IV.* sub *Innoc. III,* his verbis: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad an-*

nos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere....; alioquin vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura.

466. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quandonam urgeat praeceptum divinum confessionis?*

Resp. 1° Obligat certo *per se* in periculo, eoque magis in articulo mortis, et aliquando in vita. Ratio *primi* est, quia omnia praecepta positiva obligant saltem tempore necessitatis; secus enim nunquam obligarent, frustraque imponerentur. Ratio *secundi* est, quia praecepta affirmativa non obligant tantum in extrema necessitate, sed etiam quando eorum impletio rationabiliter necessaria iudicatur.

Resp. 2° Obligat saepe *per accidens* (*a*), scilicet 1° cum Eucharistia suscipienda est; 2° quando urget praeceptum se reconciliandi cum Deo, vel requiritur status gratiae, v. gr. ad Sacramenta administranda, vel ad ea recipienda, quae dicuntur *vivorum,* nec elici potest actus contritionis perfectae; 3° quando urget gravis tentatio, quae secus superari nequeat.

QUAER. 2° *An praeceptum divinum confessionis statim obliget ac patratum est peccatum; vel quonam tempore urgeat?*

Resp. 1° Non obligat statim post peccatum. Ratio est, quia talis obligatio nullo certo fundamento nititur. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 671.*

Resp. 2° Facile determinari nequit, quoties in vita et quo praeciso tempore urgeat praeceptum divinum. Quidquid sit, nihil dubitandum, quin ille satisfaciat, qui vel semel tantum in anno confitetur; quia non constat praeceptum divinum frequentius urgere; iuxta multos Christus reliquit obligationis tempus Ecclesiae determinandum. *(Plura de necessitate confessionis in Tract. de Praecept. Ecclesiae, tom. 1. n. 476. et seq.).*

ARTICULUS II.

DE DOTIBUS CONFESSIONIS

467. — Multae confessionis dotes ab auctoribus assignantur, quae ut plurimum ad eius validitatem non pertinent; praecipuae autem his versiculis continentur:

> Integra sit, simplex, humilis, discreta, fidelis,
> Vocalis, moerens, pura et parere parata.

1° *Integra,* id est, complectatur omnia peccata mortalia nondum confessa, ut mox dicetur.

(*a*) Sermo est, uti patet, de iis tantum, qui letalis culpae vinculo adstringuntur.

2° *Simplex,* id est, non intermixta sermonibus impertinentibus, nec fucata verbis, neque figuris adornata; sed nuda, clara et brevis peccatorum declaratio.

3° *Humilis,* id est, fieri debet cum vera humilitate cordis et corporis, scilicet genibus flexis, nisi excuset infirmitas, et nudato capite, si vir confiteatur; humilitas apparere debet etiam in modulo vocis, ita ut poenitens cum verecundia, non autem per modum fabulae aut nudae historiae sua peccata enarret.

4° *Discreta,* id est, debet fieri verbis honestis et discretis, maxime in explicandis peccatis contra castitatem; nec debent manifestari peccata aut defectus aliorum sine necessitate.

5° *Fidelis,* id est, sincera, sine mendacio, praesertim in materia gravi et necessaria ad iudicium sacramentale. Fidelitas autem seu sinceritas non tantum consistit in peccatis rite declarandis, quod pertinet ad integritatem, sed etiam in iis non exaggerandis vel in peccatis suppositis non adiiciendis.

6° *Vocalis,* id est, fieri debet confessio ipsa voce, non autem scripto, neque aliis signis, absque necessitate, vel gravi causa, v. gr. ob verecundiam vehementissimam, ob impedimentum linguae, etc.— *S. Lig. n. 492., 493.*

Caeterum confessio per scripturam est quidem per se valida; invalida tamen foret confessio et absolutio *per litteras.* Forma enim consistit in *verbis*, ut definivit *Eugenius IV. in Decreto pro Armenis;* porro forma materiae praesenti applicari debet. — Constat insuper ex propositione a *Clemente VIII.* damnata ann. 1602.

Quidquid autem in contrarium nonnulli theologi dixerint, certum est confessionem scripto factam esse validam. Nec obstat praefatum *Clementis VIII.* Decretum, quia illo tantummodo prohibetur propositio spectans simul et ad confessionem scripto factam, et ad absolutionem pariter scripto vel per internuntium datam ac missam. Qua de re egregie solideque disputavit *Suarez* in opusculis prima vice in lucem editis a piae memoriae Episcopo Brugensi *DD. Malou* (Bruxellis, 1859). Consentiunt etiam *Lugo, Coninck, Viva, S. Lig. l. 5. n. 489., et alii* (*a*).

7° *Moerens*, seu *dolorosa*, ut supra dictum est de contritione n. 442. *et seq.*

8° *Pura,* nempe ob finem honestum, seu ad veniam peccatorum gratiasque sacramentales obtinendas, non vero ad Confessarii compassionem commovendam, eiusve benevolentiam, aestimationem captandam, etc. (*b*).

(*a*) Decretum Clementis VIII. accipiendum est non modo *collective,* quando scilicet tum confessio tum absolutio facta et data fuerit in absentia, sed etiam *divisive,* quando nempe confessio fiat in absentia, absolutio autem detur a sacerdote praesente, et e converso, prout declaravit Paulus V. die 14. Iul. 1605. in Congr. S. Officii.

(*b*) Finis tamen aliquis secundarius, si inhonestus non sit, non impedit

9° *Parere parata,* id est, poenitens debet esse dispositus ad parendum monitis Confessarii tanquam iudicis (*a*) sententiam proferentis, puta in fugiendis occasionibus, in adhibendis remediis, in restitutione facienda, acceptanda poenitentia, etc.

Inter praefatas confessionis dotes praecipuae sunt integritas et contritio. Iam de *posteriori* satis dictum est; nunc autem speciatim de *priori* disserendum venit.

De integritate confessionis.

468. — Duplex distinguitur integritas, alia *materialis,* alia *formalis.*

1° Integritas materialis sita est in accusatione omnium peccatorum mortalium, quae menti occurrunt (*b*).

2° Integritas formalis consistit in accusatione omnium mortalium, quae quis hic et nunc, spectatis circumstantiis, moraliter confiteri potest, vel tenetur.

Hinc quoties habetur integritas materialis, habetur etiam formalis; sed non vice versa. *Dicemus* 1° de necessitate integritatis; 2° de causis ab ea excusantibus.

§. I. *De necessitate integritatis. 1° In genere; 2° de peccatis dubiis; 3° de circumstantiis peccatorum; 4° de peccatis oblitis.*

PUNCTUM I.

De necessitate integritatis in genere.

469. — I. Omnia peccata mortalia post Baptismum patrata, accusari de iure divino debent, quantum moraliter fieri potest.

Constat 1° ex verbis ipsis institutionis Sacramenti Poenitentiae; sic enim Christus Dominus, *Ioann. 20. 22: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Unde sic: His verbis Christus tum Apostolis, tum eorum successoribus iudiciariam contulit potestatem circa peccata remittenda.

primarium; et licet minime laudandus sit, non tamen illico pronunciandum est, eiusmodi confessiones esse invalidas.

(*a*) Confessarius tamquam *iudex* non dat monita, ut inferius A. docet, sed de causa cognoscit, et pro merito causae absolutionem aut impertit, aut negat, aut etiam differt. Quae autem Auctor subdit, ad Confessarium spectant tamquam *doctorem* seu *magistrum.* Obedientia vero iis debetur, non quia praecipit Confessarius, qui solum quoad iniungendam satisfactionem praecipiendi habet auctoritatem, sed quia ea poenitenti indicuntur, quae lex quaepiam sive naturalis sive positiva exigit.

(*b*) *Materialem* integritatem alii haberi dicunt, quando reipsa omnia, quae commissa sint, peccata exprimuntur. Si quid vero memoria excidat, tunc *formalem* servari docent. Ita v. gr. Laymann (*De Poenit. Cap. 8. n. 5.*), quem et Auctor (*infr. n. 470. II.*) sequutus videtur, ubi *materialis* integritatis defectum tribuit oblivioni.

Atqui inutiliter hanc potestatem eis contulisset, nisi omnia peccata singillatim ipsis fuissent declaranda. Iudex enim eiusmodi potestatem exercere nullatenus potest, causa incognita, nec discernere, remittenda ne sint, an retinenda peccata. Ergo ex ipsa confessionis institutione per formam iudicii, sequitur rigorosa obligatio omnia peccata mortalia quoad numerum et speciem declarandi.

Constat 2° ex verbis *Trid. sess. 14. c. 5: Universa Ecclesia semper intellexit institutam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post Baptismum graviter lapsis iure divino necessariam existere; quia Dominus noster Iesus Christus de terris ascensurus ad caelos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam praesides et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderint; quo, pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim Sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, si in genere duntaxat, et non potius in specie, ac singillatim, sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia,* quorum *post diligentem sui discussionem* conscientiam habent, *in confessione recenseri, etiamsi occultissima sint.* — Et *Can. 7.,* sic definivit: *Si quis dixerit in Sacramento Poenitentiae, ad remissionem peccatorum necessarium non esse de iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria ex debita et diligenti praemeditatione habetur, etiam occulta et quae sunt contra duo ultima Decalogi Praecepta, et circumstantias quae speciem peccati mutant, anathema sit.*

470. — II. Integritas materialis non semper necessaria est ad validitatem et fructum confessionis: interdum enim est moraliter impossibilis, sive ex inculpabili oblivione, sive aliis de causis: Deus autem impossibilia non iubet. Ergo, etc. Constat etiam ex *Conc. Trident. loco cit.* his verbis: *Reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa intelliguntur; pro quibus fideliter cum Propheta dicimus:* AB OCCULTIS MEIS MUNDA ME.

III. Ad integritatem confessionis praerequiritur diligens pro capacitate poenitentis examen de peccatis ab ultima confessione valida patratis; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media necessaria. — *Vide Appendicem de examine conscientiae, infra n. 507.*

471. **Resolves.** — 1° Tenemur in confessione mortalium accusare non tantum species genericas peccatorum, sed etiam species infimas; eae siquidem *proprie species* dicuntur; omnium autem specierum accusationem Tridentinum requirit.

2° Qui non potest speciem infimam patefacere, debet speciem superiorem, seu genericam, manifestare: v. gr. si quis sciens se peccasse contra castitatem, non recordatur de peccato specifico, dicere debet, se contra castitatem graviter peccasse.

3° Qui scit se peccasse mortaliter, sed ignorat aut non meminit

speciem etiam genericam peccati sui, dicere in genere debet, se peccasse graviter, non recordari autem, cuius peccati sit reus.

4° Qui recordari nequit de numero certo, tenetur accusare numerum probabiliorem, seu qui magis accedit ad veritatem, addendo particulam *circiter;* quia ubi deest certitudo, illud quod verisimilius est, accusare debet.

5° Qui nec summam peccatorum verisimilem exhibere potest, dicere tenetur, num frequenter an raro peccaverit; quoties *circiter* in mense, in hebdomada, in die, etc.

6° Confessarius nequit eximere ab obligatione integre confitendi ob magnum poenitentium concursum, v. gr. aliquo die festo solemniori. Constat ex dictis, necnon ex propositione 39ª ab *Innoc. XI.* damnata, quae sic se habet: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium; qualis, v. gr., potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae.*

7° Defectus sinceritatis circa unum tantum mortale, quod omittitur, constituit peccatum grave; quia praeceptum divinum confessionis in re gravi violatur.

472. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Qualis numerus censeatur comprehendi in particula* CIRCITER?

Resp. Non potest regula omnino certa id determinari; non tamen comprehenditur qualiscumque excessus, nec notabilis defectus: sed modicus tantum, maior tamen vel minor proportionate ad numerum expressum. Sic autem communiter statuunt Theologi: modicus excessus, vel defectus erit relative ad *quinque circiter* peccata, unitatem unam hinc inde addere vel demere; relative ad *circiter decem,* duas; relative ad *viginti,* tres vel quatuor; relative ad *quadraginta,* quatuor vel quinque; relative ad *centum* (*a*), quinque vel sex....; censebiturque prudenter (*b*) in primo casu poenitens quater, quinquies, vel sexies peccasse; in secundo vero octies, novies, decies, undecies vel duodecies peccasse; et similiter de aliis resolve. — *Vide S. Lig. n. 466.*

473. — QUAER. 2° *An debeat postea declarari excessus notabilis, si post confessionem reperiatur?*

(*a*) At enim quando peccatorum numerus ad hosce usque limites excrevisse creditur, apposite monent DD. (*Vid. S. Alph. Lib. 6. n. 466.*), melius nosci statum poenitentis posse exquirendo de lapsibus per dies, hebdomadas, menses, etc., quam si Confessarius de numero ferre velit iudicium, quod facile fallax erit.

(*b*) Prudenter sic censeret Confessarius, quando constaret, poenitentes accuratis hisce calculis uti. At enim poenitentes regulas istas fere non cognoscunt, et in re incerta saepius temere respondent. Alioquin vero Confessarius improbum laborem semper inquirendi, an poenitens iuxta illas regulas respondeat, suscipere non potest. Prae oculis igitur habendum est praemissum monitum S. Alphonsi (*Lib. 6. n. 466.*), ne scilicet Confessarius existimet, exactius quodpiam iudicium in hisce adiunctis esse quaerendum, aut sperandum.

Resp. Affirm. Ratio patet ex dictis; cum enim excessus notabilis non comprehendatur numero declarato cum particula *circiter*, poenitens non satisfacit obligationi confessionis quoad illum excessum. Ergo... — *Ita omnes.*

Quaer. 3° *Si quis erraverit notabiliter exaggerando numerum, an debeat postea id quoque in confessione declarare?*

Resp. Neg., si bona fide numerum istum notabiliter maiorem expresserit. Ratio est, quia plene et integre satisfecit obligationi confessionis; verus enim numerus in maiore fuit comprehensus, adeoque remissus. — *Reuter, n. 313., et alii communiter.*

474. — Quaer. 4° *An sit semper peccatum mortale mentiri in confessione?*

Resp. Per se tunc solum peccatur mortaliter, quando mendacium versatur circa materiam *necessariam* confessionis sine iusta causa celatam, aut circa materiam gravem falso suppositam, scilicet accusando peccatum grave non commissum.

Mendacium igitur circa res ad confessionem seu conscientiam poenitentis non pertinentes, non est *per se* mortale; quia nec est graviter poenitenti damnosum, ut supponitur, nec graviter Sacramento iniuriosum, cum ad ipsum non referatur. — *Ita communiter* cum *S. Lig. Hom. apost. n. 28.* — *Billuart,* contra *paucos* qui dicunt, omne mendacium in confessione esse mortale.

475. — Quaer. 5° *An officiat integritati confessionis, si quis accuset venialia Confessario ordinario, mortalia vero alteri?*

Resp. 1° *Neg., per se loquendo,* dummodo absolutionem nunquam recipiat, quin omnia mortalia uni manifestaverit, et ab eodem absolvatur. Ratio est, quia integra est illa confessio, quae omnia mortalia complectitur, cum venialia non sint necessario accusanda.

Resp. 2° In praxi autem attendendum est ad poenitentium circumstantias, et ad motiva quibus ducuntur. Non enim sunt damnandi, qui aliquando graviora peccata ignoto Confessario confitentur, leviora vero ordinario subiiciunt, si ex pudore, quo suffunderentur cum confessario familiariter cognito, periculo se committerent sacrilege confitendi (*a*). — *S. Lig. n. 471.*

476. — Quaer. 8° *An officiat integritati, si quis simulet aliam vocem, ne a Confessario agnoscatur?*

Resp. Neg. per se; dummodo enim omnia mortalia aperiat, confessionem integram peragit. Nec necesse est, ut a Confessario nominatim cognoscatur; sufficit enim ut Confessarius praesentem peccatorem absolvere intendat: intentio autem Confessarii *per se* sem-

(*a*) Quocirca Confessarius de hoc nunquam curiose inquirat, ac multo minus poenitentem conantem forte id dissimulare, interrogationibus vexet, neque si sciat, ostendat, sibi id displicere, sed potius probari sibi usum libertatis, quam amplissimam Ecclesia permittit, dum plurium confessariorum copiam fidelibus facit.

per ad poenitentem praesentem est determinata. — *Lacroix, de Sacram. in genere n. 68.*

PUNCTUM II.

De peccatis dubiis.

Dubium hic versari potest praecipue 1° circa actum peccati, seu circa peccatum commissum; 2° circa gravitatem peccati, tum ex parte materiae, tum ex parte assensus; 3° circa confessionem peccati certo commissi.

477. **Quaesita**. — Quaer. 1° *An necessario accusanda sint peccata mortalia dubie commissa?*

Resp. Neg. probabilius, si praehabito diligenti examine dubium perseveret: et hoc valet, etiamsi dubium sit vere positivum, seu vera detur probabilitas de commisso peccato. Ratio est, quia hic agitur de lege dubia, quae consequenter non obligat. Et sane ex *Trident.* accusari debent peccata mortalia quorum *habetur conscientia:* atqui non habetur conscientia peccatorum dubiorum; habere enim conscientiam importat notitiam certam peccati, cum conscientia nihil aliud sit, quam cordis scientia et iudicium de peccato commisso. Ergo. — *S. Lig. n. 473. — Sporer, n. 389. — Roncaglia, c. 2. de Integr. confessionis, quaest. 7. — Reuter, n. 305., et alii multi. — Vide S. Lig. n. 473.*

Contradicunt tamen alii; quia (ut aiunt) colligitur ex verbis *Concilii Trident.*, omnia mortalia esse accusanda prout *sunt in conscientia;* et proinde si dubia sint in conscientia, sunt etiam ut dubia confitenda. — At enim respondendum est, *in Concilio Trid.* non dici, esse accusanda peccata *ut sunt in conscientia,* sed *quorum conscientiam habemus.* In praxi tamen huiusmodi accusatio consulenda est, ait *S. Lig. n. 476.*

Quidam Theologi docent accusanda esse peccata *negative dubia;* sed hoc falsum est; nequit enim dari obligatio confitendi peccata *negative* dubia, cum huiusmodi dubium nullo solido fundamento innitatur, nec oriatur nisi ex inani suspicione, seu timore peccati commissi, ut scrupulosis, aut conscientiis timoratis frequenter contingit.

478. — Quaer. 2° *An sint accusanda peccata dubie gravia?*

Resp. Neg. probabilius per se, saltem speculative, etiam data vera probabilitate de peccati gravitate. Ratio eadem est, ac pro quaesito praecedente: non enim constat de peccato gravi commisso; nec proinde de obligatione confessionis constare potest. — *Ita iidem contra eosdem.*

In praxi autem duplex regula sequenda est:

I^a^ *Regula.* In dubio an materia peccati sit gravis, poenitentes rudes ordinarie debent dubia accusare, 1° quia fere non possunt per

seipsos conscientiam efformare; 2° quia plerumque non norunt distinguere venialia a mortalibus. Excipe tamen scrupulosos, qui mortalia committere frequenter non solent. Poenitentes vero instructi non tenentur dubie gravia accusare, quia per seipsos conscientiam efformare possunt; nihilominus ad haec quoque accusanda, ordinarie suaviter hortandi sunt (*a*).

IIª *Regula*. In dubio de consensu pleno aut advertentia perfecta 1° si poenitentes sint timoratae conscientiae, nec soleant graviter peccare, nullo modo tenentur peccata dubia confiteri, quia ipsis favet praesumptio, quae *ex ordinarie contingentibus* habetur; imo saepe sunt ab hac accusatione impediendi, si ad scrupulos propensi videantur (*b*); 2° si poenitentes mediam viam servent inter timoratam et laxam conscientiam, non sunt quidem obligandi, sed utique inducendi ad consensum dubium declarandum, quia illud prodest ad conscientiae tranquillitatem, etc.; 3° si poenitentes sint laxae conscientiae, generatim peccata dubia declarare debent, quia ipsis praesumptio adversatur. — *Vide S. Lig. n. 476.*

479. — Quaer. 3° *An necessario accusanda sint peccata gravia, certe quidem commissa, de quibus tamen dubites, an confessus fueris?*

Resp. 1° *Affirm.*, si dubium sit negativum, quando scilicet nulla ratio prudens suppetit existimandi, te illa iam confessum fuisse. Ratio, quia lex confitendi est certa, nec ulla ratio suadet huic legi satisfactum fuisse, iuxta dicta *de Consc. tom. I. n. 41.*

Resp. 2° *Controvertitur* autem, si dubium sit positivum, id est, si positiva et gravis ratio suadeat, peccatum iam esse declaratum. Alii dicunt huiusmodi peccatum esse declarandum, quia obligatio confessionis est certa, eius autem adimpletio dubia. — *Ita S. Lig. n. 477.* (*c*). — Negant tamen *alii* communissime cum *Suarez, Lugo,*

(*a*) Prodest haec aperuisse, ut confessarius pericula advertens, in quibus poenitens versatur, et monere ipsum, et illa removere possit.

(*b*) Haec animadversio potiusquam ad dubium mortalisne an venialis tantum culpa intercesserit, pertinere videtur ad dubium, an aliqua culpa affuerit. Nam alioqui scrupulosi non impediendi sunt a confessione venialium, quando certo de iis constat.

** (*c*) Hunc S. Doctoris locum obiiciunt VV. (*Pag. 936. n. 113.*), adduntque in subiecta ibi Nota, S. Alphonsum in *Quaest. rec. reform. n. 16.* haec scripsisse: *An teneatur poenitens confiteri mortale peccatum certo commissum, si tantum probabiliter reputet, illud confessum fuisse, negant Suarez, Lugo, Salmanticenses, et alii. Sed dico cum Concina et aliis, eum teneri peccatum illud clavibus subiicere, cum dubia sit confessio, et certa sit Confessionis obligatio.*

Resp. Satis sit etiam huc accersisse ea, quae Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 58.*) scribit: Communiter docent omnes, *non teneri* (*quempiam*) *ad confitendum illud* (*peccatum*), *quod probabiliter iudicat, se... confessum iam fuisse.* Et rursus (*ibid. n. 59.*): *Nihil frequentius apud theologos, quam excusare a reiteranda confessione eum, qui confessus est... iuxta probabilem aliquam sententiam de eius valore.* Quis itaque ei succenseat, qui sequi malit communem Theologorum doctrinam?

Quinimo cum S. Alphonsus quoque (*Lib. 6 n. 477.*) in Romana Edi-

Lacroix, Bonacina, etc. — *Recole dicta in Tract. de Consc. tom. I. n. 80.,* ubi prioris opinionis ratio tum infirma, tum etiam ad gravia incommoda perducens ostenditur (*a*).

480. — QUAER. 4° *An qui confessus est aliquod peccatum tanquam dubium, debeat illud repetere, si illud ut certum postea cognoscat?*

Resp. Controvertitur. I^a SENTENTIA *probabilior* et *communis* (*b*)

tione an. 1757. Benedicto XIV dicata a reiteranda confessione eiusmodi poenitentem deobligaverit, *ut etiam* COMMUNITER (ait) *dicunt Suarez, Sanchez, Navarrus, Bonacina, Filliuccius, Roncaglia, Viva; Tamburini, Croix, Lugo, Escobar, Granadus, et Fagundez, Salmanticenses cum Sylvestro, Henriquez, etc.;* quis enimvero non adhaereat S. Alphonso, dum illa theologiae lumina sequitur, potiusquam S. Alphonso adhaereat, dum sequitur Concinam? Numquid enim Concina aliquid novi protulit? Imo, cum res sit de generali quodam principio, num communem tantorum theologorum sensum posthabebimus, ut rigidissimi Concinae criterio clarioris intelligentiae privilegium tribuamus?

(*a*) Ita quidem quoad obligationem; nam quoad praxim nemo negabit, ad conscientiae pacem plurimum conferre, quod anxietas ad eiusmodi dubia consequens per confessionem deponatur; nisi tamen contra fiat, ut hoc pacto anxietas anxietati superaddatur. Quod quidem subinde cum iis contingit, qui post confessionem generalem diligenter pro eorum capacitate peractam dubitare incipiunt, num hoc vel illud peccatum declaraverint. Postquam enim eos confessarius bis, ter, aut quater patienter audierit, par est, ut illis prohibeat ne de praeterita vita ullatenus recogitent, nec quidpiam addant, nisi certissimi sint, quod grave aliquod peccatum nunquam sint rite confessi. — *Vid. S. Alphons. Lib. 6. n. 477.*

(*b*) *Communis* dici haec opinio olim potuit, quando, ut Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 92.*) scribit, *aliqui viri docti probabile iudicarunt, non teneri postea poenitentem confiteri ut certum, quod prius ut dubium confessus fuerat... In quibus erat Reverendissimus P. Nicolaus Ricchardius S. Palatii Magister, cum quo privatim rem hanc contuli; et ipse privatim etiam respondit, valde probabile sibi videri, non adesse talem obligationem; id quod alii etiam iudicarunt.*

At secus de sequenti aetate dicendum, adeo ut S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 478.*) plures DD. pro opposita, quam pro sua, ut dicit, *communi* sententia alleget. Et sane, ut inquit dolens et fere indignabundus Cardenas, vir placitis suis plus aequo forte addictus (*Disp. 51. n. 4.*): *Vix noster Lugo hanc rimulam aperuit, cum Recentiores, agmine facto, eam putarunt ostium amplissimum, per quam in eam sententiam tuto ingrederentur.* Et subdit mox horum DD. catalogum, in quo septem apparent omissi a S. Alphonso, qui alioquin alios decem nominat.

Caeterum Cardenas ad solvenda argumenta Card. De Lugo coactus est, contra S. Alphonsi imo et communem sententiam, affirmare, etiam illum, qui incertus de numero dixerat, *se decies circiter pl. min. peccasse,* teneri postea ad numerum certum, si detegatur, confitendum. Insuper ratio ab eo prolata pro sua opinione, quod nempe ex *Tridentino exprimi oporteat illam culpae gravitatem, e qua diiudicetur de poena secundum aequitatem imponenda,* iam prosterneret doctrinam, quam S. Alphonsus (*eodem n. 478. in fin.*) *probabilissimam et communissimam* dicit, scilicet non teneri quempiam ad confitendum iterum peccatum, quod nunc ut grave cognoscit, cum tamen nec ipse confessarius uti grave, cum facta est confessio, novisset.

** Quatuordecim columnis, et ultra, lectorem circa istam Notam deti-

affirmat. Ratio est 1° quia debemus accusare omnia peccata certa, quorum habemus conscientiam; 2° quia peccatum illud non fuit accusatum quoad substantiam: accusatio enim certa non includitur in dubia. — *S. Lig. n. 478.*

nent VV. (*Pag. 472–479.*), et duo contendunt: 1° *affirmativam sententiam S. Doctoris Alphonsi reapse communem esse dicendam* (*Pag. 479.*); 2° *validissimas rationes pro ipsa militare* (*Pag. 478.*).

Quoad primum resp., duplicem hic distinguendam esse quaestionem, alteram nempe *iuris*, alteram vero *facti*. Et ad quaestionem quidem *iuris* pertinet advertisse sedulo, hic non agi de *valore Sacramenti*, sed solum *de integritate materiali*. Huc igitur revocentur S. Alphonsi verba (*Hom. Ap. Tr. 16. n. 29.*): *Nemo tenetur ad leges dubias... Nec obstat hic dicere, quod in Sacramentorum materia non possimus sequi opiniones solum probabiles: quia hoc procedit, cum agitur de valore Sacramenti; secus de integritate.* Hinc conclusio: cum ad eximendam in casu obligationem confessionis sufficiat probabilitas, ad hanc vero obligationem imponendam etiam maior prae opposita probabilitas non sufficiat (Vid. sententiam S. Alphonsi in Not. ad n. 71–73. Vol. 1.); proinde contra affirmativam S. Alphonsi opinionem stant reipsa, non modo quicumque ab ea recedunt, sed etiam quicumque concedunt, saltem probabilem esse opinionem, quae praedictam obligationem negat; et contra eidem affirmativae opinioni non satis suffragantur, quicumque eam mere probabiliorem dicunt; quinimmo et isti dicendi erunt stare pro negativa, si quidem aliquid valeat argumentum, quo VV. alias, ut vidimus, utuntur, nimirum quisquis sententiam aliquam mere probabiliorem fatētur, eo ipso concedere, oppositam esse probabilem: quod tamen non semper verum esse, diximus.

Hisce praemissis, iam ad quaestionem *facti* accedamus. Recensitis Auctoribus, tum quos S. Doctor Alphonsus pro sua affirmativa opinione allegat, tum quos deinde VV. (*Pag. 474–478.*) addiderunt, septem et triginta habemus. Recensitis rursus, qui pro opposita negativa referuntur a S. Alphonso, a Cardenas, a Mendo, a Giribaldi etc., habemus triginta et octo, et quidem iis omissis, quos Lugo (*Disp. 16. n. 92.*) consuluisse se affirmat. Porro etiamsi nulla habeatur ratio eorum, quos VV. pro se producunt, cum tamen eam sententiam nonnisi ceu probabiliorem censeant, atque adeo potius stent contra ipsos; iam quaerere liceat: Num communis dici potest opinio, quae pro se triginta septem habet, contra se autem octo et triginta? Nonne melius dicendum est cum Wagemann (*Part. 3. Tr. 2. Cap. 5. n. 58.*), *In utramque partem aeque probabiliter ventilatur?* Ingens tamen (quod oblivioni tradendum est nunquam) inter utramque sententiam eminet discrimen; scilicet probabilitas sententiae negativae ad negandam absolute obligationem Confessionis in casu etiam ex S. Alphonsi certo suffragio sufficit; probabilitatem vero affirmativae ad asserendam obligationem sufficere, etiam S. Alphonsus absolute negat. Ergo si de hac controversia adhibito extrinseco auctoritatis argumento diiudicemus, concludamus oportet, iuxta certa S. Doctoris Alphonsi principia, *Lex dubia non obligat etc.*, sententiam eiusdem S. Doctoris, quae in casu obligationem Confessionis iniungendam dicit, non aliter esse tutam, ac tutum sit fideles ad servandas leges dubias obligare. Tutum erit praebere consilium, non tutum erit praeceptum indicere. At enim, inquies, quomodo igitur tam multi affirmativam sententiam dicunt *communem*, imo et *communissimam*, prouti habent v. gr. Voit, Scavini, et Frassinetti?

Resp. Haud aegre hoc phaenomenon potest explicari. Etsi enim Lugo (*Disp. 16. n. 52.*) scripserit, *paucos hanc quaestionem attigisse*, tamen hos paucos Cardenas (*Disp. 51. n. 3.*) potuit dicere *omnes theologos;* et exinde Illsung, v. gr. potuit (*De Sacr. Poenit. Q. 4. art. 5. n. 116.*) eam opinionem

II^a SENTENTIA *sat probabilis negat.* Ratio autem deducitur ex dictis *n. 472:* nam sicut exposito semel numero peccatorum dubio cum particula *circiter,* non teneris amplius ad certum numerum, quem postea detexisti, in confessione declarandum, modo excessus non

dicere *communem.* Hoc deinde plures exscripserunt, minus id advertentes, quod Cardenas (*l. c. n. 4.*) monuerat, *Recentiores* nempe *velut agmine facto rimulam a Lugo apertam ingressos, quasi ostium esset amplissimum.* Nec rursus mirum, quod alii, postquam Cardenas dixerat, ita sentire *theologos omnes,* etiam *communissimam* eandem opinionem putaverint; quod deinde et ab aliis exscriptum cernimus.

Sed veniamus ad rationes intrinsecas. VV., uti iam praemisimus, secundo articulo (*Pag. 478.*) hunc titulum praefigunt: *Perpenduntur validissimae rationes pro sententia affirmativa militantes.*

Resp. Istae validissimae rationes, si titulum istum omittas, ubinam sunt? Hanc demum unicam reperies: *Quemadmodum Cardenas, Billuart, et Cuniliati urgent obligationem iterandae confessionis, quia ex praecepto Concilii omnia peccata confiteri tenemur,* quorum conscientiam habemus: *ita et S. Alphonsus. In casu proposito, poenitens nunc conscientiam peccati habet, quod antea pro dubio habuit. Ergo idem peccatum ut certum confiteri tenetur.* Atqui huic rationi responderat iam Lugo (*l. c. n. 87.*): *Hoc argumentum vidimus probare, quod etiam peccatum vigesimum primum, cognitum postea ut certum debet confiteri poenitens, qui confessus est viginti, plus minusve, quia iam illud peccatum est certum in conscientia poenitentis.*

Et reipsa iste est scopulus, in quem impingunt quotquot demum rationes in eandem rem afferri consueverunt. Proinde Dicastillus (*Tr. 8. Disp. 9. n. 141.*) post fusissime perpensa hinc inde argumenta, concludit: *Propter efficax argumentum, quo probatur esse eandem rationem de peccato dubio et de numero incerto, magis rationi consonum existimo etiam talem numerum esse explicandum, si postea constet certo, quantus determinate fuerit etc.* Atqui, inquit Lugo (*l. c. n. 78.*), *quando poenitens non potens determinare numerum certum peccatorum, confitetur numerum verisimilem, v. gr. peieravi decies, plus minusve: si postea recordetur, se peierasse duodecim vicibus, non oportere id confiteri... docent communiter plures et graves Auctores;* et hanc doctrinam probat etiam S. Alphonsus (*Hom. Ap. Tr. 16. n. 34.*). Et nihilominus ecce Gobat (*Tr. 6. n. 443.*) obtestatur, disparitatem inter duos casus invenire se non potuisse: *Nec ego* (inquit), *et si diu, multumque me fatigans in vestiganda disparitate, ullam reperio.* Itaque ratio ista, ut aiunt, *validissima,* aut nimis aut nihil probat.

Subsumunt VV. (*l. c.*) iuxta S. Alphonsum esse disparem rationem, quia in altero casu *error non est circa substantiam* (sed circa numerum), *utique autem in altero* (est circa substantiam). — Respondet Lugo, cum dicis, *peieravi decies, plus minusve,* circa *nonum, decimum,* et *undecimum* periurium, eodem plane modo errorem circa substantiam versari, nimirum circa *factum.*

Obiiciunt insuper VV. (*l. c.*), firmam esse rationem a Cardenas allatam, quia maior numerus peccatorum auget reatum, et maiorem poenam exigit. — Resp. Id probaret, contra doctrinam S. Alphonsi, exprimendum in iterata confessione esse numerum quoque, quem quis prius verisimilem confessus est, et dein certum deprehendit. Addit vero contra hanc Cardenae rationem Illsung (*Tr. 6. Disp. 6. Q. 4. n. 116.*): *Haec ratio mihi videtur supponere falsum, quod ideo tantum peccatum negative dubium diversae speciei, vel plura, quam unum aut duo eiusdem speciei, sub dubio negativo dicta, deinde cognita repetenda essent, quia pro illis maior poenitentia fuisset iniuncta. Qua ratione non obstante multi negant, et ego*

sit notabilis; ita neque peccatum, quod tanquam dubium accusasti, teneris certo postea cognitum in confessione repetere: nullum enim est inter utrumque casum discrimen, cum etiam in numero dubio peccata quaedam ut dubia declarentur; nec species magis, quam peccatorum numerus, sit aperienda. Insuper peccatum dubium fuit directe remissum, cum remissum fuerit vi absolutionis, cui, ut erat in conscientia, subiectum est. Ergo necesse non est, iterum clavibus illud subiicere. — *Ita Lugo, disp. 16. n. 78.* — *Sporer, n. 397.* — *Elbel, n. 274.* — *Reuter, n. 332.*, etc.

481. — QUAER. 5° *An quis, non praemissa confessione, possit accedere ad sacram synaxim cum peccato mortali dubio seu probabili?*

Resp. *Affirm.* rigorose loquendo. Ratio est, quia *Conc. Trid.* requirit confessionem ante Communionem pro iis tantummodo, qui sunt conscii peccati mortalis. Hinc Sacerdos dubitans, an adhaeserit pravae cogitationi, seu iudicans probabiliter, se ei non adhaesisse, celebrare, praemissa tamen contritione, potest sine confessione, quamvis copiam Confessarii habeat. — *S. Lig. n. 475.* — In praxi tamen confessio suadenda est.

PUNCTUM III.

De circumstantiis peccatorum.

Circumstantiae varii generis in peccatis distinguuntur:

482. — 1° Aliae *speciem mutant,* quae scilicet ratione sui addunt actui malitiam specie distinctam ab ea, quam actus habet ratione obiecti; sic voti aut matrimonii circumstantia addit fornicationi malitiam sacrilegii vel adulterii.

2° Aliae sunt *aggravantes* tantum, sed notabiliter, aut leviter, prout vel notabiliter vel leviter intra eandem speciem malitiam actus peccaminosi augent ratione durationis, intensitatis, gradus, modi, temporis, personae, loci, etc.

3° Aliae sunt *imminuentes,* utpote quae minorem peccati malitiam reddunt, v. gr. defectus advertentiae, etc. — *Recole dicta de Act. hum. n. 27.*

483. **Principia.** — I. Certum est, accusandas esse circumstantias *speciem mutantes* (*a*). Ratio est, quia novum peccatum

cum illis (sicut et S. Doctor Alphonsus) *explicandas esse circumstantias mere aggravantes.*

Demum ad id, quod nonnulli obiiciunt, negativam sententiam habere contra se tum doctrinam antiquorum, tum praxim fidelium, respondet Wagemann (*l. c.*): *Antiqui ex professo non examinarunt sententiam, non habuerunt ante instructionem Tridentini, nitebantur falso principio:* in dubio tutior pars est eligenda. *Praxis est plerumque de dubio improprie tali, vel ad melius esse, cum sic etiam scrupuli exponantur, et vix potest detegi praxis universalis.*

(*a*) Intellige, si diversae speciei malitia, quam circumstantia inducit,

per se constituunt; et constat ex *Conc. Trid. sess. 14. c. 5. et Can. 7.*

II. Certum est non necessario accusandas esse circumstantias *leviter aggravantes*, aut *minuentes*, licet eas exponere melius sit (*a*). Ratio est, quia peccata venialia non sunt materia necessaria Sacramenti Poenitentiae.

III. Certum est etiam, exprimendas esse circumstantias, ratione quarum peccatum *ex genere suo veniale* evadit *mortale*. Item aperiendae sunt circumstantiae, quae peccatum ita minuunt, ut quod iis seclusis fuisset mortale, fiat earum ratione vel nullum vel veniale tantum.

484. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An necessario accusandae sint circumstantiae* NOTABILITER AGGRAVANTES *malitiam peccatorum mortalium intra eandem speciem?*

Resp. Duplex est sententia probabilis (*b*).

I[a] SENTENTIA *communior* et *probabilior negat absolute*. Ratio est 1° quia *Conc. Trid.* nihil aliud exigit, quam confessionem numeri et speciei peccatorum, et proinde videtur excludere obligationem confitendi alias circumstantias. Adde, quod secus tum poenitentes, tum Confessarii inter angustias semper fluctuarent, cum difficile sit distinguere, quaenam sint circumstantiae notabiliter aggravantes: nulla enim regula, plerumque saltem, assignari potest, ex qua dignoscantur v. gr. pro duratione, intensitate, modo, etc. — *Ita S. Lig. n. 467.*

Aliqui excipiunt circumstantias, quae respiciunt rei quantitatem, ut in furto (*c*); alii vero cum *S. Ligorio* putant, nec admittendam *per se* esse hanc exceptionem, modo quantitas ut gravis declaretur; eadem autem ratio est, quia quantitas non mutat peccati speciem.

II[a] SENTENTIA *affirmat*. Ratio est 1° quia currit eadem ratio pro accusandis circumstantiis aggravantibus, ac pro accusandis speciem mutantibus (*d*); 2° quia peccatum circumstantiis notabiliter aggravan-

gravis sit. Nam si levis fuerit, v. gr. levis irreverentia illius, qui in Ecclesia surripit pileum alterius, necesse non est, prout de venialibus statuitur, eam in confessione exprimere.

(*a*) Cum mica salis intelligatur hoc, oportet. Secus enim confessio etiam personarum alioquin piarum, quae pauca quaedam venialia solent afferre, ad mediam ut minimum horam pertrahetur, dum adiuncta omnia, e quibus leviter aggravari vel minui possunt culpae, diligenter exponere satagunt.

(*b*) Sedulo adverte, probabilitatem sententiae negantis etiam ab adversariis ultro concedi. Ex omnium ergo sententia probabile est, neminem ad id teneri. Non potest igitur obligatio ista urgeri: quam consequentiam vel rigidus Cabassutius heic admittit.

(*c*) Melius apponi exceptio potest, *nisi ratio extrinseca accedat*, v. gr. reservatio, quae certam quampiam furti gravitatem, vel gradum incestus afficiat.

(*d*) Hoc aperte falsum est; quia Tridentina Synodus confessionem praescribit quoad mutantes speciem, non item quoad alias mere aggravantes.

tibus adauctum, pluribus aequivalet (*a*); 3° quia si non accusarentur, Confessarius non posset proportionatam poenitentiam iniungere (*b*). — *Collet, sect. 3.* — *Billuart, diss. 7. art. 2. §. 3.* — *Concina, c. 6., et alii.*

Caeterum in praxi solent fideles, ordinarie loquendo, notabiliores circumstantias declarare; quod quidem sicut ad maiorem conscientiae pacem, sic etiam ad uberiorem fructum percipiendum confert, tum ratione humilitatis in ipsa confessione, tum ratione directionis, quam congruentiorem recipiunt (*c*).

485. — QUAER. 2° *An necessario accusanda sit circumstantia consuetudinis peccati?*

Resp. Neg. probabilius, per se loquendo. Ratio est, 1° quia nihil aliud est necessario declarandum praeter numerum et species peccatorum; 2° quia non est necessario explicanda consuetudo, sive

Si rationes aeque de utrisque circumstantiis probarent, sine causa Concilium limitasset totam doctrinam illam ad circumstantias, quae mutant speciem: debuisset enim de utrisque in genere loqui absque limitatione et discrimine. Ita Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 115.*).

(*a*) Haec quoque ratio nimis infirma est, tum quia in pluribus materiis frustra id requires, tum quia nemo unquam multiplicationem peccatorum in eodem actu quaesivit ex possibili materiae divisione.

(*b*) Huic rationi responderi potest, quod *non semper requiritur tam exacte aequalitas in poenitentia imponenda.* Ita Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 120.*).

Sunt etiam, qui Catechismi Romani (*De Poenit. n. 47.*) haec verba obiiciant: *Neque vero solum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quae unumquodque peccatum circumstant, et pravitatem valde augent vel minuunt.*

Sed reponi potest, haec ibidem ita explicari, ut necesse non sit, de circumstantiis *mere* aggravantibus intelligere. Et sane 1° mox subdit: *Quaedam enim circumstantiae adeo graves sunt, ut peccati mortiferi ratio ex illis tantum constet: quare haec omnia confiteri semper oportet.* Atqui ratio culpae letalis *ex circumstantia tantum* non habetur, nisi haec speciem mutet aut moralem aut theologicam. — 2° Id ex eo confirmatur, quod praescribat confitendas circumstantias *valde minuentes.* Nam etiam adversarii concedunt, tunc solum id valere, quando imminutio mutat speciem theologicam (*Vid. S. Alph. n. 468. ad prob. 3. ex ratione*). — 3° Catechismus doctrinam suam confirmat ex necessitate exprimendi circumstantiam *personae sacrae* in homicidio, et *matrimonii* in concubitu. Atqui haec spectant ad circumstantias speciem moralem mutantes. — 4° Denique si sermonem iniicit de furti gravitate, evinci non potest, ibi non agi de circumstantia mutante speciem *theologicam:* et quod dicit de *uno aureo,* non incommode accipi potest ut exemplum circumstantiae, quae (habita ratione quantitatis *absolutae*) levem facit culpam, atque adeo speciem diversam theologicam infert.

(*c*) Iuxta omnium tamen sententiam excipe, si sermo sit de peccatis contra sextum praeceptum. Nam praeter id, quod forte ad peccati speciem declarandam sit necessarium, nihil ulterius est inquirendum, nec permittendum, ut a poenitente enarretur. Dixi, *quod forte ad peccati speciem* etc.; nam et hoc DD. communiter monent, grave lutulentae huius materiae versandae periculum exigere interdum posse, ut etiam speciei inquirendae parcatur.

sub hoc nomine intelligatur habitus malus, sive intelligatur iteratio eiusdem peccati; consuetudo enim sumpta pro habitu ex malis actibus repetitis inducto, quamvis sit vitium, non tamen est peccatum (*a*): consuetudo vero sumpta pro iteratione eiusdem peccati iam alias declarati non facit ut peccatum iterum admissum, atque hic et nunc confitendum, sit vel gravius ex parte obiecti (*b*), vel diversum in sua specie. Excipe, si Confessarius interroget, ut constat ex Prop. 58. ab Innocentio XI damnata, quae sic legitur: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.*

Dixi *per se,* quia aliquando *per accidens* declarari debet, ut Confessarius iudicet de statu poenitentis in ordine ad absolutionem dandam, vel denegandam; quod tunc locum habet, quando poenitens prudenter dubitare potest de animi sui dispositione, vel merito timere potest, ne forte in hoc hallucinetur (*c*).

Caeterum in praxi praestat poenitentes hortari, ut peccandi consuetudinem Confessario non ordinario aperiant (*d*).

486. — Quaer. 3° *An declaranda sit circumstantia gradus incestus patrati cum consanguineis vel affinibus?*

Resp. 1° *Probabilius* incestus inter consanguineos et affines specie non differunt: ideo circumstantia consanguinitatis vel affinitatis necessario exprimenda non videtur. — *S. Lig. Hom. apost. Tract. 9. num. 7.*

Resp. 2° Iuxta communiorem DD. sententiam aperienda est circumstantia coniunctionis in primo gradu lineae rectae, nempe inter patrem et filiam, matrem et filium, socerum et nurum (*e*). Idem dicito de circumstantia primi gradus consanguinitatis in linea collaterali, nempe inter fratrem et sororem. Attamen contrariam sententiam probabilem vocat *S. Lig. n. 18.* (*f*).

(*a*) Potest tamen adesse peccatum negligentiae in adhibendis mediis ad vitium emendandum necessariis; quae quidem voluntaria negligentia efficit, ut voluntarii et imputabiles sint actus etiam indeliberati, ad quos prava consuetudo apta per se est impellere (*Vid. Not. ad n. 300. vol. I.*).

(*b*) Haec ratio minus ad rem videtur; quia etiamsi maior quaedam gravitas ex hac consuetudinis circumstantia accederet, attamen dictum iam est (*Vid. pr. n. 484.*) circumstantias mere intra eandem speciem aggravantes non esse necessario aperiendas. Faceret tamen ad rem ista ratio, quando circumstantia consuetudinis et simul negligentiae in ea emendanda efficeret, ut actus per se aut semi-deliberati, aut etiam penitus indeliberati reatum gravem in causa, idest in voluntaria negligentia assumerent (*Vid. not. praec.*).

(*c*) Non solum ob circumstantiam consuetudinis, sed quotiescumque poenitens advertat, se aut certe non rite dispositum ad gratiam sacramenti recipiendam, aut prudentem de istius dispositionis defectu rationem adesse, tenetur id aperire Confessario, ne videlicet sacramentum indigne recipiat.

(*d*) Commendandum sane semper est studium, quo poenitentes Confessarii opem ad vitiorum emendationem efficacius curandam requirunt.

(*e*) Eadem de causa adde etiam inter *socrum et generum, etc.*

(*f*) Suarez (*De Poenit. Disp. 22. Sect. 3. n. 12.*): *De gradibus consanguinitatis, quatenus sunt circumstantiae incestus,... probabilius est non*

Resp. 3° *Probabilius* autem caeteri gradus consanguinitatis vel affinitatis non sunt necessario declarandi. — *Ita communius.* — *S. Lig. n. 469. et seq.*

Quaer. 4° *An necessario accusanda sit circumstantia dignitatis personae, v. gr. si peccans sit Superior, Magistratus, Sacerdos, etc.?*

Resp. Neg. probabilius per se, id est, seclusa ratione scandali aut officii, vel obligationis particularis. Ratio est, quia circumstantia dignitatis personae peccantis non mutat speciem peccati per se, sed peccatum ad summum aggravat.

487. — Quaer. 5° *An necessario declaranda sit circumstantia peccati Confessarii cum poenitente commissi?*

Resp. Neg. probabilius, modo nullam relationem habeat ad confessionem. Ratio est, quia per hoc peccatum nulla fit iniuria Sacramento, cum ad confessionem nullum respectum habeat (*a*). — *S. Lig., de sexto praecept., n. 451.* — *Lugo, disp. 16. n. 451.* — *Lacroix,* etc.

Quaer. 6° *An necessario accusanda sit circumstantia temporis sacri?*

Resp. Neg. Patet ex praxi universali tum Confessariorum tum poenitentium; quippe constat, nec illos sollicitos esse de tali circumstantia interrogandi, nec hos illam declarare solitos. Circumstantia igitur temporis sacri non videtur explicanda, nisi quaedam specialiter prohibeantur ob reverentiam temporis, v. gr. ne quis die *Parasceves* ludos publicos, comoedias, aut ludicra spectacula exhibeat. — *S. Lig. lib. 3. n. 273.* — *Lugo, n. 520., et alii communiter.*

488. — Quaer. 7° *An satisfaciat integritati confessionis, qui peccatum recens accusat tanquam olim commissum?*

mutare speciem peccati, ut late Caietanus 2. 2. q. 154. art. 9., et Tom. I. Opusc. Tract. ult. Resp. 5. — Soto, et Cano.

Et Diana (*Tom. 1. Tr. 7. Resol. 107.*) allata eorum opinione, qui diversitatem speciei in incestu admittunt, subdit (*n. 2.*): *Verum iuxta opinionem D. Thomae 2. 2. q. 154. art. 9. et Caietani ibid., quia incestus inter consanguineos et affines non differunt specie in genere moris, et in iudicio sacramentali sufficit, ut ille, qui cum sorore peccavit, dicat:* Commisi incestum semel vel bis, *non explicando personam sibi coniunctam. Et quamvis gravior sit incestus cum filia vel matre, quam cum sorore vel nepte vel consobrina uxoris: tamen, quia ista gravitas auget malitiam intra eandem speciem, non est necessario confitenda. Et haec opinio D. Thomae magis placet, quam probabilem vocat Filliuc. in Quaest. Moral. Tom. 2. Tract. 30. Cap. 5. n. 97. Dicendum est igitur, cum Nugno, diversitatem graduum non facere diversitatem specificam in incestu, sed esse circumstantiam aggravantem, quam ego probabiliter puto non esse in confessione necessario explicandam. Et ita in terminis docet Gyptius, et ex nostris P. Megala, et alii.*

(*a*) Opinati sunt nonnulli, inter confessarium et poenitentem intercedere quandam spiritualem cognationem propter quam peccatum aliquam incestus malitiam contineat. Sed hoc communiter reiicitur (Vid. Lugo *De Poenit. Disp. 16. n. 359. et seqq.*). Facile tamen patet, omnino esse absterrendum tum eiusmodi poenitentem, ne apud illum sacerdotem ulterius confiteatur, tum eiusmodi Confessarium, ne illum poenitentem ulterius ad confessionem admittat.

Resp. 1° *Affirm. per se,* quia temporis circumstantia minime ad confessionem pertinet. Hinc obligationi confessionis satisfacit poenitens, qui nova peccata cum antiquis immiscet, vel qui confessionem generalem instituens, non discernit ab aliis peccata mortalia ab ultima confessione patrata, licet id de industria faciat ad tegendum tempus, quo peccata commisit. — *Ita communiter Doctores.* — *Vid. Lugo, D. 16. n. 53.* (*a*). — *Tambur. Meth. conf. l. 2. c. 1.*

Resp. 2° Si vero poenitens mentiatur circa tempus, v. gr. si neget se peccasse hodie, et declaret peccatum velut alio tempore determinato et remoto commissum, communius putant Doctores illum obligationi suae non satisfacere. Ratio est, quia actus quem posuit poenitens hodie, non est actus positus anno praeterito. Hinc dupliciter mentitur, scilicet celando peccatum hodie patratum, et accusando peccatum alio tempore commissum. — *Sic. Tamb. loco citato.*

Non desunt tamen Theologi, qui hoc mendacium leve putant. — *V. Lugo, ibidem* (*b*).

(*a*) Card. De Lugo (*Disp. 16. n. 47.*) allata nonnullorum opposita opinione, subdit: *Alii melius negant obligationem poenitentis, ut debeat explicare non fuisse se antea confessum illa peccata. Ita Bonac., Homob., Diana, Sanchez, Suarez, etc. Ratio..., quia peccatum idem est, sive antea illud confessus fuerit, sive non, nisi forte mutatio temporis afferat secum circumstantiam specie diversam... Quando vero peccatum idem est, non est cur debeat explicari ratio temporis. Cum ergo peccatum idem sit, sive antea illud confessus fuerit, sive non, nec illa circumstantia variet ullo modo peccatum, non est cur debeat necessario explicari.* Contrariae autem opinionis argumenta solvens (*n. 54.*) haec addit: *Nec obstat, quod* (*poenitens*) *dicat, se velle confessionem generalem facere: per hoc enim non dicit, se velle confiteri sola peccata antiqua, sed velle se etiam illa comprehendere; nam confessio generalis omnia peccata complectitur usque ad hanc horam. Nec etiam refert, quod Confessarius intelligat, illud esse peccatum antiquum, poenitens enim hoc non dixit; atque ideo intentio absolvendi non regulatur ab existimatione privata Confessarii, sed intendit absolvere a peccatis, quae poenitens detulit ad iudicium, quaecumque illa sint... Denique non refert, quod poenitens videatur implicite indicare, quod sint peccata antiqua; nam ipse vere habet animum loquendi de peccatis novis, et de illis vult loqui, licet desideret non intelligi quoad hoc a Confessario.*

(*b*) Apposite Lugo advertit (*l. c. n. 54.*), hunc casum a praecedenti distare. *Non est ergo idem* (ait) *loqui obscure, et expresse negare; quia in primo casu verba vere significant id, quod vult confiteri, atque ideo defert peccatum verum; in secundo autem casu verba non possunt significare verum peccatum, sed falsum.* Et *falsum* dixi, quia, ut opponunt contrariae sententiae patroni, reipsa sic videris et accusare peccatum, quod non fecisti, et illud tacere, quod fecisti.

Hoc tamen argumentum, quatenus urgeatur ad negandam sufficientiam huius confessionis, ipse Lugo (*ibid. n. 53.*) mere *probabile* appellat. Et sane, ut advertit Tamburinus (*Exped. Conf. lib. 2. Cap. 1. n. 6.*) eiusmodi inordinatio, qua videaris accusare peccatum nunquam commissum, et vere commissum tacere, aeque contingit (ultro fatentibus etiam adversariis) ex aliis quoque circumstantiis, quae falso addantur. Ita v. gr. si dicas, te occi-

489. — QUAER. 8° *An necessario accusandus sit actus externus peccati?*

Resp. Affirm., quia est quid unum et idem cum actu interno in genere moris, et duo haec *unum totale* constituunt. Aliunde actus externus est directe prohibitus lege divina, v. gr. *Homicidium non facies.* Insuper absque declaratione actus externi plerumque Confessarius munere suo fungi non posset, ut par est, circa monita praebenda, etc. Constat etiam ex consuetudine universali fidelium, quae legem in hoc sensu explicat.

490. — QUAER. 9° *An effectus peccati necessario in confessione sit exprimendus?*

Resp. Dissentiunt Doctores; sed *sententia (negans) verior semper mihi visa est,* inquit *Lugo Disp. 16. n. 440.;* qui rationem ex discrimine inter actum peccati externum et effectum peccati sic petit *(ibid. n. 449): Ratio magis communis huius differentiae est, quod actus externus, qui denominatur liber a libertate actuali actus interni, est vere et proprie peccatum: effectus vero postea consequutus, in somno verbi gratia, non est proprie peccatum, ut diximus, sed effectus peccati: in confessione autem explicari debent omnia et sola peccata: ideo debet explicari actus externus, quando est actu liber; non effectus postea sequutus.... quia non potest esse peccatum actuale in eo, qui actu non peccat; nec potest actu peccare, qui actu non agit; ille autem, qui dormit, dum eius inimicus veneno moritur, nihil tunc agit; ergo tunc non peccat.* Huc usque Lugo (*a*): reliqua apud ipsum vide, et non poenitebit.

disse Paulum, cum occideris Andream, aut peccasse cum advena, quando peccasti cum incola, aut furatum esse Lucio, cum furatus sis Caio, aut alicui detraxisse domi, cum detraxeris in via vel theatro, aut legisse haereticum librum auctoris Melanchthonis, cum liber esset Osiandri, aut percussisse Capuccinum, cum percusseris Carmelitam: quae quidem mendacia non obstare sufficienti confessionis integritati inde etiam patet, quod si inadvertenter prolata forte fuerint, nemo poenitentem cogit ad errorem in sequenti confessione emendandum. Et huc spectat, quod ait A., hoc mendacium a quibusdam Theologis leve putari.

Caeterum vix ullus harum opinionum usus ad praxim facit, nisi forte Confessarius cum eo, qui totius vitae peccata confiteri instituit, supervacuum ex adiunctis putet inquirere, num alias hoc vel illud peccatum confessus ille fuerit. Nam alioqui fideles theologicarum subtilitatum ignari nunquam consuescunt artificiis hisce uti. Quin et gnaris harum doctrinarum haud semper fas id foret sive propter circumstantiam, quae pro diverso tempore mutat speciem; sive propter casuum reservationem, quae adesse potest prouti alias absolutum, nec ne, peccatum rite fuerit; sive propter adiuncta occasionis proximae aut pravae consuetudinis, quae peculiari confessarii cura indigeant.

(*a*) Hic agitur mere de obligatione, non secus ac in quaestione, num exprimenda in confessione sint peccata dubie commissa, aut circumstantiae mere aggravantes. Et cum in praesenti quoque controversia prorsus dubia dicenda sit obligatio, uti evincit Doctorum dissensio; ex generali principio obligatio exprimendi in confessione effectum peccati imponi cuipiam nec debet, nec potest. Huc faciunt, quae S. Alphonsus (*Hom. Apost. Tr. 16.*

491. — Quaer. 10° *An poenitens declarare debeat diversas personas, cum quibus peccavit?*

Resp. Neg. per se. — Ita Bonacina, Disp. 5. Q. 5. Sect. 2. Punct. 2. §. 3. Diff. 3. n. 14. — Tamburinus, in Decal. l. 7. c. 7. — Lacroix, n. 1040., et alii communiter.

Ratio est, quia sufficit ut declaretur numerus peccatorum, et eorum species; peccata autem non ideo mutant speciem, quod cum pluribus patrata fuerint. Hinc qui fornicatus est cum tribus diversis, vel ter cum eadem, satisfacit dicendo, se ter fornicatum esse; nec tenetur sponte dicere, num complex unica fuerit, an plures, num fuerint meretrices, an aliae. — Attamen si Confessarius de hoc interroget, poenitens respondere tenetur, quia expedit, ut Confessarius sciat, utrum forte adsit proxima peccandi occasio, ut pronum est, si cum eadem persona pluries peccatum fuerit.

492. — Quaer. 11° *An ligatus voto castitatis peccans cum alio similiter ligato debeat utramque circumstantiam declarare?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia ibi sunt duo peccata plane distincta, nempe peccatum contra proprium votum, et peccatum cooperationis cum alio ad votum illius violandum. Idem prorsus dicendum de coniugato cum uxore alterius rem habente; duplex enim adulterium committit. — *Lacroix, n. 1063. — Lugo, disp. 16. n. 258. — Salmant., c. 6. n. 63.,* etc.

Quaer. 12° *An Sacerdos, vel Religiosus peccans contra castitatem, conditionem suam aperire debeat, vel solam voti castitatis circumstantiam?*

Resp. Controvertitur. Sufficit probabiliter, ut uterque circumstantiam voti manifestet, quia species obligationis non videtur mutari per specialem conditionem sive Sacerdotis, sive Religiosi (*a*). — *Lugo, disp. 16. n. 149. — Lacroix,* etc., contra *aliquos.*

493. — Quaer. 13° *An declaranda sit propinquitas personarum in peccatis odii?*

Resp. 1° *Affirm.,* si agatur de propinquitate *propiori* ob strictum virtutis pietatis vinculum. Hinc declarandum est odium grave in parentes, filios, avos, nepotes, affines in primo gradu (*b*), in pa-

n. 29.) habet quoad quaestionem de necessitate exprimendi circumstantias mere aggravantes: *Talis lex* (inquit) *est dubia; et nemo tenetur ad leges dubias, uti ostensum est. Nec obstat hic dicere, quod in Sacramentorum materia non possimus sequi opiniones solum probabiles; quia hoc procedit, cum agitur de valore sacramenti; secus de integritate.*

(*a*) Utriusque votum solemne est; utriusque ergo peccatum ad eandem sacrilegii personalis speciem pertinet. Controversiae igitur locus esse potest dumtaxat, quando alter solemni, alter autem simplici voto constringitur, cuius violatio probabilius ad sacrilegii presse sumpti speciem non reducitur. Sed de his, ubi de voto, sat alibi (*Vol. I. n. 286.*) dictum est.

(*b*) Virtus *pietatis* officium suum exercet proprie erga consanguineos, non autem erga affines. Vid. S. Thomam (*2. 2. q. 101. art. 1.*), et Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 16. nn. 303–308.*), qui nullam affinium mentionem iniiciunt.

trinos, in filios, in coniugem, et in fratres. — *Lugo, Disp. 16. n. 303. seqq., et alii communiter.*

Resp. 2° *Neg.* vero *probabilius*, si agatur de propinquitate remota, inter caeteros nempe consanguineos (*a*) aut affines. — *Lugo, ibid. et alii* contra alios qui declarandam putant circumstantiam propinquitatis etiam in quarto gradu consanguinitatis.

PUNCTUM IV.

De peccatis oblitis.

494. — Peccata ex oblivione inculpabili omissa accusari debent, si in poenitentis memoriam redeunt (*b*). Ex praecepto enim divino omnia peccata post baptismum commissa in confessione sacramentali declaranda sunt; nec praesens oblivio a tanta obligatione excusare etiam in posterum potest. Constat ex prop. 11ª ab *Alexandro VII.* damnata, infra *n. 497.* referenda.

495. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An peccata ex oblivione aut alia iusta causa omissa,* QUAMPRIMUM *accusanda sint?*

Resp. Neg. probabilius. Huiusmodi enim obligatio *moraliter* accipienda est, cum praesertim haec peccata iam deleta sint, nec proinde adsit periculum animae *in mora.* — *Ita communius.* — *Sporer,* — *Laymann,* etc.

Imo iuxta plures graves Theologos poenitens differre *probabiliter* potest confessionem horum peccatorum, donec ex *vi alterius obligationis* iterum confiteri teneatur. Sic ad varios menses, et etiam ad tempus annuae confessionis, differri posset. — *Ita Bonacina, Disp. 5. Q. 5. sect. 2. p. 4. n. 32.* Attamen nulla alia confessio, iis omissis, interponi potest. Ratio est, quia ad integritatem confessionis pertinet declarare in actuali accusatione omnia peccata mortalia nondum accusata, quae memoriae occurrunt, seu *quorum habetur conscientia,* ut dicit *Trid. sess. 14. c. 5.* Porro iuxta *Suarez, De Poenit. disp. 22., sect. 1. n. 1., Ea peccata sunt in praesenti conscientia, quae commissa post Baptismum per aliam confessionem non sunt rite clavibus subiecta* (*c*).

QUAER. 2° *An peccata ex oblivione omissa accusari debeant ante Communionem, si prius menti occurrant?*

(*a*) In peccatis contra alios cognatos aut consanguineos magis remotos (scil. praeter parentes et fratres) licet aggravet et augeat malitiam eiusmodi circumstantia, non tamen affert speciem diversam in confessione necessario explicandam. Ita Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 308.*). Dicit autem *non necessario explicandam* eam circumstantiam, quia haec malitia, etsi diversae speciei, non tamen gravis censetur.

(*b*) Hoc intelligendum est, prout per se patet, quoad materiam confessionis necessariam, nempe quoad peccata certo gravia.

(*c*) Reipsa non apparet, utrum verba Suarezii huc spectent. Nam rationem affert (*ibid. n. 6.*) cum S. Thoma, quod unum peccatum non potest remitti sine alio. Porro hic quaestio est de peccatis iam remissis.

Resp. Neg. probabilius, etiamsi poenitens absque incommodo confiteri possit. — *Recole dicta in Tract. de Euch. n. 326.*

QUAER. 3° *An poenitens qui recordatur peccati obliti, nec potest (aut non vult) confiteri, ante Communionem ad actum contritionis eliciendum teneatur?*

Resp. Neg. cum *S. Lig. n. 257.* — *Lugo, de Euch. disp. 14. n. 122.*, et cum *aliis communiter* contra quosdam alios. — Ratio est, quia nullum apparet fundamentum, cur ista contritio requiratur. Non enim requiritur ex praecepto, quia hoc nullibi praescriptum reperitur; neque ex necessitate probationis, quia peccatum iam per praecedentem confessionem indirecte deletum est, et proinde remissione non indiget.

496. — QUAER. 4° *An necessario absolvi debeăt iterum poenitens accusans peccatum grave in praecedente confessione ex oblivione aut alia legitima causa omissum, et iam indirecte remissum?*

Resp. Affirm. cum sententia communissima. Ratio est, quia omnia peccata mortalia ex institutione Christi sunt clavibus subiicienda, ut directe remittantur. Licet enim iam remissa sint, non tamen vi Sacramenti, seu vi absolutionis remissa sunt, sed tantum vi gratiae per sacramentum infusae, et concomitanter cum aliis peccatis. — *Sporer, n. 627.* — *Collat. Andeg. 3ª, q. 3ª*, etc. contra *paucos*, qui audiendi non sunt.

Licet Confessarius omittere possit absolutionem cum poenitentibus, qui ad eundem Confessarium redire solent; siquidem isti in alia confessione directe absolventur; melius est tamen omnibus absolutionem impertiri, quando facile fieri potest, ad poenitentis solatium et animi tranquillitatem, necnon ob fructum ex Sacramento percipiendum. Adde periculum, ne poenitens eumdem Confessarium amplius adire non possit.

§. II. *De causis ab integritate excusantibus in genere, et speciatim quoad moribundos.*

PUNCTUM I.

De causis ab integritate excusantibus in genere.

497. **Principia.** — I. Dantur causae aliquando ab integritate materiali confessionis excusantes, quia quandoque ea integritas est physice vel moraliter impossibilis.

II. Ut aliquis ratione impotentiae moralis censeatur ab integritate materialis confessionis excusatus, licet peccata menti occurrant, hae conditiones servandae sunt: 1° ut ea tantum peccata omittantur, quae declarari nequeunt, seu ex quorum manifestatione sequeretur gravissimum incommodum extrinsecum sive spirituale sive temporale vel poenitenti, vel Confessario, vel cuipiam tertio; 2° ut

non possit inveniri alius Confessarius, cui confessio integra fiat absque tali incommodo; 3° ut confessio sit hic et nunc necessaria (*a*). — *S. Lig. n. 487.*

III. Numquam excusat difficultas ipsi confessioni *intrinseca,* quantumvis gravis ea sit. Ratio est, quia confessio ex natura sua est essentialiter laboriosa, ac proinde si difficultas gravis, v. gr. magna repugnantia aut verecundia aut amissio propriae famae coram Confessario ab integritate excusaret, plerumque ab accusandis mortalibus fideles excusarentur, et proinde rueret maxima ex parte institutio Sacramenti Poenitentiae. Praeterea Ecclesia non posset reservare crimina atrocia; quia id incommodum non leve poenitentibus creat.

IV. Cessante causa excusante ab integritate materiali, praeceptum divinum confitendi omnia peccata mortalia omissa iterum urget; occurrente enim impedimento, non cessat simpliciter confessionis obligatio, sed tantum suspenditur; cessante igitur causa excusante, obligatio legis integre reviviscit: cumque praeceptum confessionis non sit affixum ad tempus aut ad circumstantiam, sed vitam integram afficiat; idcirco peccata nondum accusata postea, si fieri possit, necessario accusanda sunt. Constat aliunde ex propositione 11ª ab *Alexandro VII.* damnata, quae sic se habet: *Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

498. **Resolves.** — A materiali confessionis integritate praecipue excusant sequentia:

1° *Infirmitas extrema,* id est quando moribundus unum tantum vel alterum peccatum exprimere potest, vel usu linguae iam destitutus aliquo tantum signo poenitentiam ostendit, absolutionemque petit.

2° *Defectus loquelae;* sic ab integritate eximuntur muti, qui nec scripto (*b*) nec signis integre confiteri possunt; item peregrini penitus aut fere penitus ignari idiomatis regionis, in qua confitentur.

3° *Defectus temporis,* v. gr. si milites statim ad pugnam pergere debeant. Non autem excusat sola multitudo poenitentium, ut supra dictum est.

4° *Periculum vitae* poenitentis, Confessarii, aut tertii: v. gr. si adveniant hostes, si multi in periculo naufragii vel contagii versentur. Imo aliquando in summo plurium periculo, omnes, exhi-

(*a*) Ex communi DD. sententia adesse haec necessitas censetur, 1° si impleri praeceptum debeat annuae confessionis vel communionis; 2° si sumptio Eucharistiae aut Missae celebratio omitti sine nota aut scandalo non possint; 3° si secus carere quis diu debeat sacramentorum beneficio; 4° imo, ut addit Suarez (*De Poenit. Disp. 23. Sect. 2. n. 7.*), si quis secus magna utilitate, quam per se sacramentum affert, privandus foret.

(*b*) Auctor ipse (*infr. n. 503. q. 7.*) cum plerisque DD. negat adesse unquam obligationem confitendi per scripturam.

bito aliquo generali signo contritionis et confessionis, unica formae prolatione absolvi sic possunt: *Ego vos absolvo*, etc.

5° *Periculum famae*, v. gr. si Sacerdos mox celebraturus, et confessione generali indigens, non posset integre confiteri, quia adstantes rem suspicarentur.

6° *Periculum revelationis* seu violationis sigilli; v. gr. si Confessarius nequeat integre confiteri, quin peccata in confessione audita manifestet, etc.; vel si poenitens ex gravi causa timeat, ne Confessarius legem sigilli infringat. Posterior autem hic casus, si tamen unquam contingere dicendus sit, rarissimus est.

7° *Periculum scandali vel lapsus*, tum ex parte poenitentis, tum ex parte Confessarii: v. gr. si mulier certo cognosceret maximam Confessarii fragilitatem, etc. — *S. Lig. n. 479. et seq.*

499. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An sit obligatio confitendi peccatum mortale, quod explicari nequit sine complicis manifestatione?*

Resp. Affirm. probabilius, cum sententia communiore. Ratio est, 1° quia nulla datur legitima excusatio, ut praecepto integritatis derogetur: non enim dici potest praeceptum positivum restringi praecepto naturali non infamandi proximum; nam praeceptum charitatis (*a*) tantum prohibet, ne manifestetur crimen alienum sine causa; hic autem causa habetur, et quidem gravis, nempe integritas confessionis procuranda et conscientiae directio; 2° complex peccatum patrando amittit omne ius ad famam, quod habere poterat apud Confessarium, in ordine ad confessionem huiusce peccati; et ipse implicite huic famae detrimento ultro consentit, quando peccat (*b*). — *S. Lig. n. 489.* cum *aliis multis.*

(*a*) Obligatio, ne laedatur alterius fama per criminis occulti revelationem, ex virtute iustitiae potius, quam charitatis, repetenda videtur.

(*b*) Card. De Lugo postquam (*De Poenit. Disp. 16. n. 395.*) ostendit, minus firmam pro hac opinione esse rationem, *quod non sit grave damnum infamari apud unum confessarium*, quod, inquit, *supponit aliam sententiam falsam, quam impugnavi in Tractatu De Iustitia et Iure*, id ipsum et de rationibus ab A. allatis statuit (*Ibid. n. 397.*). *Alii*, inquit, *probant, quia poenitens utitur iure suo confitendo peccatum suum, et complex se exposuit huic manifestationis periculo, cum sciret obligationem, quam unusquisque habet confitendi integre peccatum suum. Sed haec omnia et similia continent petitionem principii, et supponunt probandum. Nam de hoc ipso est quaestio, an poenitens habeat ius ad infamandum complicem; et per consequens, an id faciens, utatur iure suo. Unde falso supponitur, quod complex se exposuit huic damno. Nam si poenitens non habet ius, vel id aliunde non probatur, non se exposuit ulli tali periculo.*

Neque vero firmius videtur argumentum, quod superioribus reiectis sufficere Lugo conatus est (*l. c. n. 398.*), nimirum quod *cum bonum confessionis integrae tale ac tantum sit, ut propter illud Christus obliget poenitentem ad manifestanda sua crimina et subeundam infamiam, consequens sit, ut propter illud idem bonum permiserit manifestationem criminis alieni.* Adeo enim dispar est causa famae propriae et famae alienae, ut ex omnium atque adeo etiam ex eius sententia tenear, si possim, alium

Alii tamen *haud pauci probabiliter negant,* docentes alium Confessarium, qui complicem non cognoscat, quaerendum esse (*a*); et si haberi nequeat, posse, imo debere omitti circumstantiam, ex qua complex detegeretur, donec alius Confessarius inveniatur. — *Ita Busemb., Diana, Navarr., Mazzotta, Medina, Elbel,* etc.

500. — QUAER. 2° *Quaenam sint causae excusantes a quaerendo alio Confessario, cui complex sit ignotus, ut requirunt secundae sententiae patroni* (*b*)?

confessarium quaerere, cui ignotus sit complex, nullatenus vero quaerere confessarium, cui ipsemet ignotus sim.

Accedit, quod externae Auctoritatis pondus, spectatis Doctorum tum numero tum insigni nomine (*Vid. apud eundem Lugo, l. c. n. 393.*), haud levius appareat pro opposita sententia, quae obligationem integrae confessionis, ex qua complex manifestaretur, diserte negat. Quocirca sufficiens ratio, qua quis ad eiusmodi circumstantiam confitendam adigatur, penitus deesse videtur.

At enim quamvis par utrique huic sententiae probabilitas suffragari videatur, non tamen par est utriusque causa. Mera enim probabilitas sententiae, quae integritatem exigit etiam cum complicis manifestatione, impar est ex generali canone ad certam obligationem inducendam. At vero nulla alia praeter hanc ipsam obligationem ratio adest, quae a servanda complicis fama excusare queat. Ergo, seclusis aliis incommodis, integra manere videtur obligatio circumstantiam illam tacendi, quando ex eiusdem confessione alterius infamia consequatur.

Dixi, *seclusis aliis incommodis;* nam (quod etiam A. innuit) si poenitens speciali de causa indigeat directione atque consiliis confessarii, quia v. gr. in complice proximam habet occasionem peccandi, alius vero confessarius non adsit, aut cui complicis persona sit ignota, aut qui idoneus ad apta consilia suppeditanda par sit ob incompertas poenitentis circumstantias, hic certe non tenebitur grave aliquod animae suae discrimen subire, quo alterius famae consulat. Veruntamen raro sane continget, ut eiusmodi directio ita sit necessaria, et adeo urgeat, ut nulla exquirendo consilio mora interiici possit.

(*a*) Obligationem quaerendi alium confessarium, cui complex sit ignotus, quando commode fieri id potest, communissime adstruunt etiam illi DD., quorum opinionem primo loco A. refert; nec nisi pauci quidam id consilii esse affirmarunt, quorum sententia ab omnibus reiicitur, ut videre est apud S. Alphonsum (*Lib. 6. n. 489.*) et Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 392.*). Controversia ergo inter DD. non eo spectat utrum liceat confiteri peccatum cum infamia complicis, quando adhibito alio confessario facile vitari hoc incommodum potest, sed potius utrum deficiente alio confessario, cui complex sit ignotus, silentio premenda sit circumstantia, quae complicem detegeret, ut ex dictis (in nota praecedenti) patet.

(*b*) Ex mente DD., prouti in notis praeced. diximus, quaestio sic potius proponi debet: *Quaenam sint causae excusantes a confessario, cui complex sit ignotus, quaerendo, iuxta eos nempe, qui negant complicis circumstantiam taceri unquam posse?* Hoc enim est inter duas sententias discrimen, quod cum utraque ad servandam complicis famam obliget poenitentem ad quaerendum confessarium, cui complex sit ignotus; si tamen hic desit, alii tacendam illam circumstantiam dicant, qua proximi fama laederetur, alii vero exprimendam eam esse contendant, ut confessionis integritas servetur. Hi autem postremi sunt, qui ob causas ab A. hic memoratas censent posthaberi posse complicis famam; nam alii easdem illas causas admittunt ceu sufficientes non quidem ut revelari proximi crimen

Resp. 1° Si urgeat periculum mortis, aut praeceptum annuae confessionis; 2° si grave sit poenitenti omittere confessionem aut communionem; 3° si quis difficulter alteri Confessario conscientiam aperiret; 4° si quis secus in peccato etiam per unam diem remanere deberet; 5° si quis alias privaretur beneficio alicuius indulgentiae extraordinariae; 6° si adeundo Confessarium, cui complex cognitus est, haberetur melior directio, consolatio notabiliter maior.

Hinc ratione petendi consilii, doloris leniendi, etc., saepe excusantur matres et uxores confessario manifestantes filiorum aut virorum peccata (*a*), utut iste illos cognoscat. Nimis enim durum esset, quod alium Confessarium illae quaerere tenerentur. Generatim itaque non habetur ut gravis obligatio Confessarium alium adeundi, complicis occultandi causa, nisi forte de crimine valde gravi agatur. — *S. Lig. n. 490.*, etc.

501. — Quaer. 3° *An liceat ipsi Confessario petere nomen complicis, v. gr. ad correctionem*, etc.?

Resp. Neg. saltem generatim loquendo, quia hoc et sine iusta causa inducit ad detrahendum proximo (*b*), et odiosum reddit Poenitentiae Sacramentum. Constat ex Bulla *Bened. XIV. Ubi primum*, in qua Pontifex, loquens de Confessariis, qui sub poena denegandae absolutionis nomen complicis requirunt, declarat, eos peccare graviter, et incurrere suspensionem ab audiendis confessionibus, sed ferendae tantum sententiae (*c*).

licite possit, sed quatenus in iis adiunctis liceat ad poenitentiae sacramentum etiam non servata confessionis integritate accedere, complicis nimirum circumstantiam servando confessioni, in qua laedendi famam alterius periculum absit. — *Vid. S. Alph. n. 490.*

(*a*) Quaestio praesens nequaquam fieri solet de istiusmodi causis, quae levissimi momenti censentur. Haec nimirum fere in familiis usuveniunt, et insuper non solent esse secreta. Finge potius uxorem, quae adulterium cum fratre mariti et quidem sacris ordinibus initiato patratum confiteri debeat.

(*b*) Si ex communi DD. sententia poenitens tenetur ad alium confessarium quaerendum, ne peccati complicem prodat, imo ex plurium iudicio hac de causa excusatur a confitenda circumstantia alias necessario exprimenda; patet profecto, multo minus licere Confessariis, ut nomen complicis a poenitente sponte exquirant.

(*c*) De hoc argumento quatuor extant Benedicti XIV. Constitutiones. Prima data est 7. Iul. 1745. ad Episcopos ditionis Lusitanae, in qua praxim exquirendi nomen complicis designat et damnat. Incipit: *Suprema omnium Ecclesiarum sollicitudo.* — Secunda data est 2. Iun. 1746; in ea confirmat priorem, et poenas in delinquentes statuit, praefinitque ordinem in huiusmodi causis procedendi. Incipit: *Ubi primum.* — Tertia data est 28. Septembris eodem an. 1746; in hac ad totam Ecclesiam extendit, seu potius extendi ac valere ea declarat, quae pro ditione Portugalliae decreverat. Incipit: *Ad eradicandum pravum zizanii semen.* — Quarta demum data est 9. Decemb. 1749. in qua nonnulla addit secundae quoad modum procedendi in eiusmodi causis.

Damnata praxis sic in prima Constitutione designatur. *Pervenit... ad aures nostras, nonnullos... confessarios, falsa zeli imagine seduci se pas-*

502. — Quaer. 4° *An per praedictas litteras Benedicti XIV, ita interdictum sit quaerere nomen complicis, ut in nullo casu id liceat?*

Resp. Neg. 1° quia ipse Bened. XIV supponit casus, in quibus id

sos, sed a zelo secundum scientiam longe aberrantes, perversam quandam ac perniciosam praxim in audiendis... confessionibus... invehere atque introducere coepisse; ut videlicet si forte in poenitentes incidissent socium criminis habentes, ab iisdem poenitentibus socii huiusmodi seu complicis nomen passim exquirerent; atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conarentur, sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent atque compellerent; imo etiam complicis eiusdem nedum nomen, sed insuper habitationis locum sibi exigerent designari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam tum procurandae complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum specioso praetextu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarunt: cum revera opiniones huiusmodi falsas et erroneas sequendo, VEL VERAS ET SANAS MALE APPLICANDO, *perniciem tam suis, quam poenitentium animabus conscriscerent: ac sese praeterea plurium gravium damnorum, quae inde facile consecutura fore praevidere debuerant, reos coram Deo... constituerent. Et vero iam sequuta fuisse multa eiusmodi damna infelici experientia compertum est: nec fieri potuit, quin ea de causa et obloquutiones et scandala, et non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius Ministerii odium et animorum ingens conturbatio in populo fideli orta sint.*

Poenae autem iuxta Constit. *Ubi primum* sunt: 1° poena excommunicationis ipso facto ac Romano Pontifici reservatae in quemlibet, qui *ausus in posterum fuerit docere, licitam esse eiusmodi praxim, prouti in relato... Brevi exponitur ac reprobatur, vel scribere aut loqui praesumpserit in eiusdem damnatae praxis defensionem; vel ea, quae in dicto Brevi contra eandem praxim decreta sunt, impugnare aut in alienos sensus temere detorquere seu interpretari.* — 2° contra eos vero, qui *conformiter ad praedictam reprobatam praxim poenitentes, qui peccatum seu crimen aliquod, cuius socium aut socios habuerint, ipsis in tribunali poenitentiae confiteantur, interrogare praesumant de nomine socii vel complicis, loco habitationis, vel aliis eiusmodi adiunctis sive circumstantiis expressiorem magisque individuam eiusdem complicis manifestationem concernentibus, eidem poenitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando,* decernitur, *ultra peccati letalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum confessionum, aliisque etiam gravioribus poenis fore subiiciendos;* quae, uti patet, sunt ferendae sententiae. Istae autem poenae in suo robore manent etiam post Const. *Apostolicae Sedis*, in qua excommunicatio, a Benedicto XIV. lata, confirmatur.

Quandoquidem vero in eadem Constitutione haec causa committitur tribunali S. Officii, hinc de obligatione denuntiandi delinquentes haec subduntur: *Quicumque vero alium quemlibet aliquo ex supradictis modis deliquisse cognoverit, eum intra terminum dierum in Edictis S. Officii eiusmodi inquisitionis praefigi solitum* (in edicto praefigitur mensis) *eidem S. Officio denuntiare teneatur: alioquin poenas non denuntiantibus per eadem edicta infligi consuetas* (poena haec erat excommunicatio reservata, modo per Const. *Apostolicae Sedis* sublata) *incurrant.*

Ab hac tamen denuntiandi obligatione sic eximitur poenitens, qui est in causa: *Verumtamen ab eiusmodi onere denuntiandi iustis de causis eximi volumus et eximimus personam ipsam poenitentem dumtaxat in causa propria, idest in casu, quod suum peccatum confitens a confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen complicis in eodem peccato...*

Causa autem ad S. Officii tribunal tunc solum pertinere dicitur, cum

liceat iuxta *veras* (ut inquit) *et sanas opiniones;* 2° quia aliquando poenitens necessario complicem revelare debet, nec tamen id nisi per Confessarium praestare potest. — *Vide Lugo, de Poenit. D. 17. n. 427. ad 432.* (*a*).

prava accedat suasio circa doctrinam damnatam; secus enim ad Ordinarium spectabit. *Quod si* (inquit) *confessarii de complicis nomine perperam interrogantis, absolutionemque, nisi sibi detegatur, denegantis actum contingat eiusmodi esse, ut quamvis imprudens et malus, simplex tamen et nudus actus fuerit, idest iis circumstantiis destitutus, quae de prava credulitate vel de mala adhaesione ad praxim... in dicto Brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eundem suspectum reddant, tunc istiusmodi delictum... neque S. Officii... cognitioni subiectum erit, sed de illo cognoscere, atque delinquentem confessarium per suspensionem ab audiendis confessionibus, vel alias canonicas et legitimas poenas pro delicti modo animadvertere, ad locorum Ordinarios in sua cuiusque Dioecesi omnino spectabit.*

Denique cum in secunda Constitutione tunc solum praeciperetur denuntiatio facienda tribunali S. Officii, cum suspicio pravae doctrinae subesset; in quarta Constitutione definitur, id semper servandum, *sive propter adhaesionem reprobatae praxi aut suspicionem erroneae opinionis, sive tantum per imprudentiam sine praedictis circumstantiis sacerdos putetur deliquisse,* ut scilicet in ipso S. Officii tribunali examen *de causae pertinentia* fiat, ac sententia feratur, relinquendane sit causa S. Officio, an reus ab Episcopo sit iudicandus.

Caeterum circa quartam hanc Constitutionem dubium quosdam incessit, videlicet, an lata ea sit pro sola Portugalliae ditione, an vero pro aliis quoque locis. Nam 1° Synopsis Bullae sic habet: *Sanctae Inquisitioni in Portugalliae et Algarbiorum regnis adiudicatur cognitio pertinentiae causarum contra Confessores,* etc. Et reipsa sermo in ea tantum miscetur (*Vid.* §. *1. 2.*) de controversiis in Portugallia excitatis, deque illius regionis Episcopis, adeo ut prorsus iis consulere voluisse Pontifex videatur. — 2° In ipsa Constitutione mentio quidem fit duarum Constitutionum, quae datae fuerant, pro iis regnis; at tertiae, qua declarabatur damnationem pravae tum praxis tum doctrinae pertinere ad totam Ecclesiam, nulla mentio iniicitur. — 3° Cum in tertia praecipiatur ea promulgationis ratio, quae propria est Decretorum ad provincias omnes pertinentium, scil. ut exemplaria publice Romae affigantur ad valvas Basilicarum, etc., in hac quarta, prout etiam in prima et secunda, nulla huius promulgationis mentio fit. — At enim contra facere videtur edendae Constitutionis ratio, quae valere pro aliis quoque locis videtur. Est enim huiusmodi (§. *6.*): *Quoniam delictum idem in certis quibusdam circumstantiis ad tribunal S. Officii, in aliis vero ad Ordinarii deferendum statuebatur*, quidam pacis ecclesiasticae studiosi insinuarunt, *in huiusmodi methodi executione novis perturbationibus aditum apertum iri, propterea quod nemo esset, qui in casu discrepantiae iudicium proferret;* ex quo fiebat, ut *dempto in aliquibus circumstantiis metu denunciationis eidem Inquisitionis Officio faciendae, id sane sublatum dici posset, quo maxime homines a tam pernicioso... delicto retraherentur.*

(*a*) Ad opiniones *veras* et *sanas*, quibus abuti quosdam consuevisse affirmat Benedictus XIV. in Const. *Suprema*, pertinet quod Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 432.*) ita statuit: *Potest Confessarius videre, ex occultatione complicis gravissima damna imminere, ad quae impedienda poenitens omnino tenetur: rursus videt, poenitentem per se ipsum immediate id non posse exequi, nec habere alium, per quem id possit, praeter*

QUAER. 5° *An sit obligatio confitendi peccatum, quod declarari nequit sine infamatione alterius, qui fuit occasio peccati, v. gr. si quis occiderit sororem suam ex crimine gravidam?*

Resp. Controvertitur ut in casu fere simili, de quo supra in quaesito primo dictum est. Affirmat *Lugo* cum aliis. Negat vero *Suarez* cum pluribus. Stat igitur hinc et inde aequalis probabilitas (*a*).

503. — QUAER. 6° *An vel quomodo surdi simul et muti confiteri teneantur?*

Resp. Muti et surdi tenentur aliquo modo confiteri, saltem per signa; nisi sint adeo ignari et hebetes, ut nihil extundi ab ipsis possit. Ratio est, quia praeceptum confessionis respicit omnes fideles, qui sua peccata ratione aliqua manifestare possunt.

Hinc 1° Muti sufficienter instructi tenentur integre confiteri, saltem signis, si haec a Confessario intelligantur; si autem sint minus instructi, aut difficulter a confessario intelligi possint, sufficiet ipsis unum tantum vel alterum peccatum manifestare, aut in genere significare, se esse peccatores et velle peccatum vitare.

2° Surdi, usum linguae habentes, tenentur ex parte sua confiteri peccata, quae memoriae occurrunt; sed Confessarius non tenetur eos interrogare ad procurandam confessionis integritatem, ob nimiam interrogandi difficultatem (*b*).

ipsum confessarium: quo casu certum est, teneri poenitentem ad illud medium unicum eligendum: quod si nolit, iam non est aptus ad absolutionem recipiendam. Vid. apud eundem Lugo (*ibid n. 433.*) exemplum Praelati Regularis, qui aliquando subditum hac ratione potest ad revelandum complicem obligare.

S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 491.*) ex sententia Fr. Philippi De Carboneano (*in not. seu append. ad Antoine, De Poenit. Cap. 1. art. 2. q. 6.*), addit, quod *Confessarii bene possunt et tenentur, ad integritatem confessionis servandam exquirere circumstantias necessarias, nempe quae vel speciem mutant, vel exquirendae sunt, ut poenitentis conscientiae consulatur; puta, si confessarius exquirat, an persona complicis sit in primo vel secundo gradu, an ligata voto, si sit ancilla, si habitet in eadem domo, licet veniat in cognitionem complicis.* Porro admitti utique haec poterunt, quatenus aliquid necessario cognoscendum sit, ut saluti poenitentis consulatur; licet in eo ipso cavendum videatur, ne plus, quam opus sit, ad peculiaria adiuncta v. gr. an sit ancilla, exquirenda descendatur. At quod attinet ad cognoscendam speciem peccati (ut modo omittamus gradum propinquitatis in incestu probabilius speciem non mutare, circumstantiam vero voti nimis insolitam esse, ut exquiri debeat, praesertim cum sponte, si adsit, aperiri soleat), meminisse prodest obligationis, qua iuxta omnes tenetur poenitens alium confessarium quaerendi, ne complicem peccati prodat, eademque de causa ex sententia gravissimorum DD. (*Vid. sup. not. ad n. 495. 500.*) licite eas circumstantias tunc taceri. Quocirca si interrogationes, ut in casu supponitur, facile inducant ad complicem prodendum, aegre admitti potest, eas adhiberi a confessario debere, aut etiam posse.

(*a*) Si probabile est, circumstantiam eiusmodi taceri posse, iam diximus (*Sup. in not. ad n. 500.*) praevalere alterius ius ad famam suam servandam.

(*b*) Adde et periculum revelationis. Id ipsum autem et de surdastris dicendum; quorum confessio si in ecclesia excipienda sit, ut fere cum fe-

QUAER. 7° *An muti scientes scribere, teneantur scripto confiteri ad procurandam confessionis integritatem?*

Resp. Communior sententia negat, tum ob periculum revelationis, tum quia scriptura est medium extraordinarium, quod nunquam in Ecclesia habitum est velut praescriptum, tum etiam quia, ut inquit *Diana,* talis modus confessionis de se est publicus, cum scriptura sit de se publica. — *Diana, t. 1. tr. 3. Resol. 72. n. 2.* (*a*).

minis necesse est, in dubio semper consulendum est potius sigillo sacramentali, quam integritati; ideoque confessarius nec de numero nec de circumstantiis, etc. interroget, et in imponenda satisfactione leve aliquod iniungat, ne suspicio gravis culpae ingeratur. Neque forte expedit, feminas horis intempestis arcessere, quando nemo alius versatur in ecclesia, tum quia non abest fortuitum revelationis periculum, tum etiam quia honestati omnino praestat prospicere.

** (*a*) Dolent VV. (*Pag. 936. n. 115. cum Not.*), quod Gury habeat, *Communior sententia negat etc.,* quando S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 479.*) contra scripsit: *Communior sententia affirmat.*

Resp. 1. In primis inspiciendum foret, utrum iure quidam Auctores pro alterutra allegentur. Ita v. gr. pro affirmante videsis citatum Toletum, qui tamen rotundis verbis scribit (*Lib. 3. C. 6. n. 5.*): *Quarto potest esse scripto, ut poenitens scribat, et confessor legat, quod in muto, aut alio impedito posset contingere; et est vera confessio, quamvis ad hanc nec teneatur poenitens, quia ex se est publica. Nam quod scripto mandatur, ex se permanens est.* Pari modo quosdam Auctores cernere licet ab his pro affirmante, ab aliis pro negante citatos.

2. Cum sat longa Auctorum series pro utraque opinione afferri facile possit, nil mirum, quod communiorem quidam affirmantem opinionem dixerint, alii autem negantem, prout scilicet in oculos isti potius quam alii Auctores incurrerunt.

3. Quod vero caput est, cum illi, qui affirmantem sententiam tenent, hanc nonnisi uti probabiliorem tueantur, ac fere non negent oppositae probabilitatem; iam quod attinet ad praxim, ad imponendam videlicet confessionis per scripturam obligationem, affirmativae sententiae vix aut ne vix quidem aliquid deferre ponderis fas est.

4. Idque eo magis valere debet, si inspicias, quidnam Auctores, qui affirmantem tenent, suggerunt, ut rite id fiat. Suarez v. gr. postquam (*De Poenit. Disp. 36. Sect. 6. n. 7.*) dixit, hanc sententiam sibi *videri probabiliorem,* hos modos id exequendi subdit: *Caietanus adhibet modum, quia potest poenitens in una charta scribere omnes species peccatorum, et in alia varios numeros, et postea in confessione signo ostendere peccatum et numerum. Petrus Soto adhibet alium, ut non antea scribat, sed coram Sacerdote, et statim rumpat. Quod enim Dominicus Soto ait, posse sacerdotem rapere chartam de manibus et publicare, nullius est momenti; nam etiam posset confessionem voce factam manifestare etc.;* quae Suarezii animadversio forte non omnibus probabitur; nam aliud est, quod sacerdos verbis revelare possit, aliud quod prolato poenitentis scripto dicta probare queat. Caeterum quisnam eiusmodi obligationes, et quidem mere probabiles, iniungi posse affirmet?

Addunt VV. (*l. c.*), pro affirmativa *validissimam* stare rationem. — Resp. De *validissima* hac ratione, quam VV. tacent, alii merito dubitabunt. Facto enim constat, neminem hucusque eiusmodi rationem, quae controversiam dirimat, pervidisse. Communiter ratio affertur, quod qui tenetur ad finem, tenetur ad media. Atqui, aiunt, implendi praecepti medium pro multis superest sola scriptura Ergo. At, omisso nunc communi

Permitti tamen id potest; at curandum, ut statim scriptura aboleatur.

504. — QUAER. 8° *An, vel quomodo confiteri teneantur ignari idiomatis loci, in quo confiteri volunt?*

Resp. Ignari idiomatis loci, in quo versantur, et carentes confessario, a quo intelligi possint, tenentur urgente praecepto annuae confessionis, et in articulo mortis, confiteri aliquo modo, saltem signis generalibus. Ratio est, quia urget praeceptum divinum et ecclesiasticum. Nam etsi materialiter integre confiteri nequeunt, tenentur tamen ad id quod possunt. — *S. Lig. n. 479.*, etc.

QUAER. 9° *An ignari idiomatis teneantur confiteri per interpretem, si possint?*

Resp. Neg., quia confiteri per interpretem est onus gravissimum et multis periculis obnoxium, v. gr. revelationis, irrisionis, etc. Excipe, si in periculo mortis poenitens idiomatis ignarus dubitet de contritione perfecta, quia in eo casu confessio foret medium ad salutem omnino necessarium (*a*). — *S. Lig. ibid.*

PUNCTUM II.

De confessione et absolutione moribundorum.

505. — I. Absolvi potest et debet, et quidem *absolute*, quilibet moribundus qui aliquo modo, voce vel signo confitetur, vel absolutionem petit. Ratio est, quia adsunt omnia requisita ad Sacramentum, et ad confessionem formaliter integram. — *S. Lig. n. 480., et alii communiter.*

responso, scil. ad *extraordinaria* eiusmodi media obligari neminem, placet responsum ad hominem. Cur enim, quaeso, non obligant ad utendum scriptura hominem labilis memoriae, ne contra praeceptum confessionem dimidiet? Cur hic quoque non valet illud: qui tenetur ad finem, et ad media tenetur?

(*a*) Non quidem S. Alphonsus, sed Busembaum scripserat, *non teneri quempiam per interpretem confiteri, nisi forte in periculo mortis, in quo aliqua minora confiteri sufficit.* Quibus S. Alphonsus subiicit (*n. 479.*): *sed etiam tempore mortis probabile est, eum non teneri.* Addit deinde ex Viva: *Nisi infirmus dubius sit de contritione, ut Viva q. 4. art. 3. n. 10. Sufficit tamen tunc dicere unum veniale, Salm... et Viva.* — Verum ista *Vivae* exceptio pertinet ad opinionem iam antiquatam, quae nempe dubium habet sacramenti valorem etiam in mortis articulo, nisi aliquod peccatum speciale clavibus subiiciatur; praesertim cum necessitas interpretis excludi penitus videatur illis verbis Conc. Lateran. (*C. Omnis utriusque 12. De Poenit. et Remiss.*): *Sua solus peccata... confiteatur, etc.* itidemque verbis Concilii Tridentini (*Sess. 14. Cap. 5.*), *quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem;* quibus accedit Responsum S. Congreg. 28. Febr. 1633. (apud Scavini *Tr. 10. Disp. 1. Cap. 2. art. 2.*) declarans, *poenitentem, qui non vult uti interprete, posse et debere absolvi.* Et sane mox A. ex communi sententia *omnia requisita ad sacramentum et Confessionem formaliter integram* adesse statuit, etiamsi poenitens aliquo tantum signo absolutionem petat.

II. Absolvi potest et debet, saltem *conditionate,* quilibet moribundus, in quo attritio et confessio praesumi possunt aliquo modo, quantumvis tenuiter probabili; quia in casu extremae necessitatis etiam in Sacramentorum administratione licet uti opinione etiam parum fundata. — *S. Lig. n. 482., et alii communius* contra alios.

III. Absolvi nullo modo potest moribundus, qui omnino recusat Sacramentum Poenitentiae, vel qui nullo modo praesumi potest attritus (*a*). Ratio luculentissime patet.

506. **Resolves.** — 1° Absolvendi sunt omnes moribundi nondum sensibus destituti et in absolutionem consentientes, mandatisque Confessarii obtemperantes: *absolute* quidem, si confessionem ultro requirant, aut si libenti animo confiteri proponant; *conditionate* vero, si aegre vix ad aliqualem confessionem inducantur, aut si de ipsorum sufficienti dispositione prudenter dubitetur. — *Ita communiter.*

2° Absolvendi sunt, saltem *conditionate,* omnes moribundi sensibus destituti, qui ante sensuum privationem expresse confessionis desiderium ostenderunt, v. gr. iubendo advocari Sacerdotem, etc. Ratio est, quia censetur vere confiteri per testimonium adstantium; videtur enim tunc fieri veluti confessio per interpretem. Constat ex Conciliis et ex *Rituali Rom. — S. Lig. n. 481.*

3° Absolvendi sunt *sub conditione* moribundi omnes sensibus omnino destituti, qui christiane vixerunt, etsi tunc nec doloris, nec desiderii confessionis signum ullum dederint. Ratio est, quia in istis praesumi potest dolor et desiderium absolutionis. — *S. Lig. n. 482. — Lacroix, n. 1162. — Elbel, n. 208. — Collet, c. 6.,* etc.

4° Absolvendi sunt *conditionate* etiam alii moribundi sensibus destituti, qui parum christiane vixerunt: quia adhuc in ipsis praesumi aliquo modo potest poenitentia et confessionis desiderium (*b*). — *Collet, ibid. — Lacroix, ibid.*

(*a*) Quod absolvi is non debeat nec possit, qui nulla ratione dispositus censeri potest, diffitebitur nemo. Verum cum dispositio praesumi possit vel in eo, qui sensibus destituitur in ipso peccandi actu (ut Auctor post alios habet in Resolutionibus), vix apparet, quandonam futurum sit, ut nullo modo moribundus possit attritus praesumi.

(*b*) Consona haec sunt doctrinae, quam apud S. Augustinum (*De Adult. Coniug. Lib. 1. Cap. 26. n. 33.*) legimus. *Catechumenis* (inquit) *in huius vitae ultimo constitutis, si morbo aut casu aliquo sic oppressi sint, ut quamvis adhuc vivant, petere sibi tamen baptismum... non possint, prosit eis, quod eorum in fide christiana iam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit... Etiamsi voluntas eius incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit, an nolit, sic non apparet.* Quae postrema satis indicant de iis quoque rem esse, qui dispositi sint, nec ne, minime liquet, propterea quod nullum signum voluntatis suae praebere possunt. Et haec quidem valere etiam de Sacramento Poenitentiae, idem S. Doctor (*ibid. Cap. 28. n. 35.*) his verbis tradit: *Ego non solum alios catechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium coniugiis copulati retinent adulterina consortia,*

5° Potest *probabiliter sub conditione* absolvi moribundus destitutus sensibus in actu ipso peccati, v. gr. in duello, adulterio, furto, etc. quia etiam ille sufficienter dispositus esse potest. Id praesertim locum habet pro illo, qui ad peccatum fortasse fuit adductus timore, respectu humano, etc... — *S. Lig. n. 483.* — *Elbel, n. 211., et alii probabiliter.*

cum salvos corpore non admittamus ad baptismum, tamen si desperati (et intra se poenitentes) *iacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum caeteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinae carnis illecebra usque ad baptismum statuerant detineri?... Quae autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte poenitentem finiendae vitae periculum praeoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha pacis exire velle debet mater Ecclesia.* In quo textu verba illa, *intra se poenitentes*, quae in quibusdam codicibus et editionibus leguntur, ad poenitentiam referuntur, quae coniicitur, non ad eam, quae se aliquo signo prodat, ut contextus per se clamat.

Duplex porro adest ratio, qua praemissa S. Doctoris sententia, quatenus vel baptismum vel reconciliationem tribuendam docet homini, qui nullo indicio praesentem voluntatem manifestat, componi potest et solet cum communi doctrina de sacramento Poenitentiae. Nam cum communiter consentiant DD., absolutionem, saltem sub conditione, eiusmodi moribundis denegandam non esse; Viva tamen cum quibusdam aliis (*apud S. Alphons. Lib. 6. n. 482.*) iuxta opinionem, quae actus poenitentis vult esse sacramenti *materiam ex qua*, atque adeo aliquo modo sensibiles esse debere, eatenus contendit moribundum posse absolvi, quatenus quoslibet eius motus, suspiria, anxiam respirationem, oculorum contorsionem, etc., dicit accipienda esse tanquam signa, quibus ipse absolutionem petat, et quae in tanta necessitate ad dandam absolutionem sub conditione sufficiant. Alii vero iuxta diversam, quae scholae Scotisticae tribuitur, opinionem, reponunt (*apud eundem S. Alph. l. c.*) non obstare, quod infirmus voluntatis suae signum praebere non possit; actus enim poenitentis esse tantum *materiam circa quam*, idest dispositionem ad sacramentum, quae non necessario debet esse sensibilis: de qua utraque opinione iam nonnulla superius (*in not. ad n. 417.*) diximus. Haec, uti patet, ad praxim nihil conferunt, quia in praxi dandam absolutionem utriusque opinionis patroni contendunt. Veruntamen si quaeratur, utra pars solidiori ratione moveatur ad definiendum, in iis adiunctis posse ac debere moribundum absolvi, aegre forte quis palmam primae sententiae tribuet. Ac primo quidem in priori opinione illud merito durum videbitur, quod si moribundus nullum prorsus externum motum (ut subinde fit) praefert, absolutio nullo pacto ex eiusdem principiis, deficiente scilicet materia sensibili, poterit impertiri. Deinde vero cum in eo par sit utraque opinio, quod in praesumenda infirmi dispositione aeque coniecturis uti debeat; probabilitas tamen, quae requiritur de sacramenti validitate, longe maior in posteriori, quam in priori opinione elucet. Probabilitas enim sententiae, quae poenitentis actus habet uti *materiam circa quam*, adeoque ad sacramenti essentiam externum dispositionis signum a poenitente non requirit, longe excedit probabilitatem, qua motus digiti, aut oculorum contorsio, aut anxia respiratio infirmi ceu signa petentis absolutionem iuxta priorem sententiam accipi debent, quaeque ab ipsis hisce AA. *tenuis* appellatur (apud S. Alph. *l. c.*), et reipsa ita tenuis esse potest, ut facile e manibus imo et oculis elabatur.

APPENDIX I.

DE EXAMINE CONSCIENTIAE

507. **Principia.** — I. Poenitens sub gravi tenetur *per se* loquendo, diligens examen peccatorum mortalium ante confessionem instituere. Id sequitur ex praecepto integritatis etiam materialis, quantum fieri potest, procurandae. Cum enim teneatur numerum et speciem peccatorum confiteri, eo ipso tenetur ea in memoriam revocare, quantum morali diligentia potest, ideoque diligens examen instituere; quia qui obligatur ad finem, ad media quoque ad illum necessaria obligatur. Constat etiam ex *Conc. Trid. sess. 14. cap. 5.*, ubi dicitur: *Oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia quorum,* POST DILIGENTEM SUI DISCUSSIONEM, *conscientiam habent, in confessione recenseri....*

II. Diligentia in examine debet esse *seria*, seu tanta, quanta adhiberi solet in rebus seriis et magni momenti (*a*). Ratio patet; agitur enim de gravi confessionis praecepto. Constat etiam ex *Conc. Trid.* modo citatis verbis: *post diligentem sui discussionem.*

III. Attamen non est aequalis diligentia ab omnibus requirenda. Minori enim examine indigent, qui frequenter, quam qui raro confitentur (*b*); maiori vero indigent, qui negotiis mundanis implican-

(*a*) Quoad eos, qui plus aequo anxii esse solent de sufficientia examinis, faciunt quae ex communi doctrina habet Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 590.*). *Certum est* (inquit), *poenitentem ipsum non obligari ad exactissimum examen suorum peccatorum, sed ad humanum, hoc est tale, quo sacramentum istud non reddatur nimis grave et onerosum.... Unde non est bona regula, si dicas...: si hic homo cogitaret adhuc alia hora de suis peccatis, recordaretur alicuius peccati, cuius non recordatur, vel posset computare melius numerum peccatorum: ergo tenetur cogitare alia adhuc hora. Ratio autem est eadem, quia scilicet non est attendendum solum ad exactam et integram confessionem peccatorum, sed etiam maxime attendendum ad conditionem humanam, et ne ex eo capite Sacramentum reddatur grave et odiosum, nec detur causa impudentibus et ignaris haereticis vocandi illud conscientiae carnificinam.*

(*b*) De his tamen adverte sapiens monitum Cardinalis De Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 594.*): *Notandum denique etiam est, quod levius et minus exacte interrogandus est circa singula, qui plura habet peccata, quam qui pauciora. Ratio colligitur ex dictis; quia cum solum requiratur diligentia et examen humanum; hoc autem sit illud, quod non generat ex se fastidium et taedium huius Sacramenti; consequens est, ut minus distincta notitia requiratur ab eo, qui propter... peccatorum multitudinem... difficilius posset exactam notitiam reddere. Nam illi, qui confiteri debet peccata totius vitae, quam in omni peccatorum genere expendit, difficillimum esset et aptum ex se ad reddendam illi confessionem odiosam et gravem nimis illud examen, quod alteri facienti confessionem menstruam non esset difficile, sed facile! Et haec est ratio, cur a meretrice et concubinario et similibus minus exacte et distincte petamus numerum peccatorum, quam si per mensem vel hebdomadam solum. v. gr. in eo peccato*

tur, quam qui privatam vitam ducunt. Item rustici et rudes non possunt accuratam illam diligentiam adhibere, quam solertes et docti. — *Billuart, ibid., et alii communiter.*

508. **Resolves.** — 1° Peccat *per se* (*a*) mortaliter, qui ex gravi negligentia in examine conscientiae, omittit peccatum aliquod mortale, et tenetur iterare confessionem, utpote invalidam. In defectu tamen examinis dari potest parvitas materiae, etiamsi exinde grave peccatum omittatur, v. gr. ob aliquam inadvertentiam; et tunc confessio certe valida est.

2° Qui certus est *moraliter*, se peccata mortalia non commisisse ab ultima confessione, non tenetur ad rigorosum examen ante confessionem, nisi in quantum requiritur ad materiam sufficientem Sacramento subministrandam. In praxi tamen suadendum est poenitentibus piis, ut examini conscientiae dent operam saltem per quinque minuta, aut per medium quadrantem *circiter*, ad defectus scilicet veniales cognoscendos et extirpandos.

3° Mediocris omnino examinis diligentia requiritur in timoratis, quia conscientia non sileret, si quid graviter culpabile intus lateret; imo scrupulosis inquisitio est omittenda, et aliquando omnino interdicenda, utpote inutilis et saepe nociva: si enim graviter peccassent, semper prae oculis peccatum haberent. — *Ita communiter.*

4° Generatim satisfacit, qni recogitat ubi quovis die fuerit, quae negotia gesserit, quid in iis circumstantiis, cogitatione, affectu, verbo et opere vel omissione deliquerit; quomodo domi, in templo, in conversatione cum proximo se habuerit (*b*). Nec necesse est, ut eadem vestigia relegendo, iterum iterumque rimetur. — *Reuter.*

5° Pro aegrotantibus non requiritur examen tam accuratum, sicut pro sanis; imo quandoque nullum ab eis exigendum est ob capitis debilitatem; nec facile iis mos gerendus, dum confessionem de die in diem differre se dicunt, quasi nondum satis conscientiam discusserint; sed quantum eorum status patitur, sunt a Confessario ipso breviter examinandi per Decalogi et Ecclesiae praecepta; praestat enim eos etiam imperfecte confessos in statum gratiae resti-

fuissent: quia nimirum diligentia, quae pro peccatis unius hebdomadae distincte confitendis sufficeret, eadem si pro longo tempore examinando adhiberetur, difficultatem et molestiam ingereret talem, ad quam praeceptum confessionis integrae non obligat, quia redderet praeceptum ipsum et confessionem nimis molestam et gravem.

(*a*) Adverte illud, *per se;* quia gravis hac in re negligentia, si in se spectetur, revera a gravi reatu nequit excusari. Sed revocandum heic etiam est, quod omnes docent, ad grave peccatum advertentiam ad culpae gravitatem requiri. Oportet igitur, ut quis cognoverit, graviter se per negligentiam tunc delinquere. Quod quidem cum admodum frequens non sit, siquidem perinde id foret, ac sacrilegae confessioni advertenter consentire; exinde colligi potest, necessitatem iterandi hac de causa confessiones raro contingere.

(*b*) Haec conscientiae examinandae ratio non modo sufficiens, sed exquisita potius ac diligentissima videri merito poterit.

tuere per absolutionem, quam dilatis Ecclesiae Sacramentis damnationis periculo exponere. — *Elbel, n. 153.*

509. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An poenitens, qui timet ne peccata e memoria excidant, teneatur ea scribere, et scripta legere?*

Resp. Neg. Ratio est, quia nemo confessionis integritatem procurare tenetur per media extraordinaria, et per diligentiam adeo exquisitam. Insuper hoc alienum a communi praxi timoratorum est. — *S. Lig. n. 471., etc.* (*a*).

QUAER. 2° *Qualis ordo sit sequendus in examine conscientiae?*

Resp. 1° Ratione materiae; si quis a multo tempore non est confessus, expedit ut ordinem praeceptorum Dei et Ecclesiae, peccatorum capitalium (*b*) et obligationum specialium sui status percurrat; alias sufficit attendere ad pravos habitus, ad peccata magis consueta, vel summatim ad peccata contra Deum, proximum, et seipsum.

Resp. 2° Ratione modi 1° lumen divinum humiliter petendum; 2° discussio conscientiae facienda; 3° specialiter deinde consideranda peccatorum turpitudo, et gravitas divinae offensae, et sic eliciendo dolori et proposito insistendum.

510. — QUAER. 3° *Quid agendum Confessario, si poenitentes non satis discussa conscientia accedant?*

Resp. 1° Si sint instructi, benigne dimitti possunt, ut accuratius conscientiam discutiant et revertantur, saltem si de prolixis et implicatis confessionibus agatur. Ratio est, quia fere est impossibile, ut quis repente rogatus de omnibus recordetur. — *S. Lig. n. 471., et alii communiter.* Excipe tamen, nisi circumstantiae aliud suadeant.

Resp. 2° Si sint rudes aut parum instructi in rebus spiritualibus, non facile dimittendi sunt, ut conscientiam suam examinent, saltem si aliquam diligentiam adhibuerint. Ratio est, quia pro istis facile Confessarius supplebit. Nonnullis enim interrogationibus plus ipse obtinebit, quam illi sibi relicti longo examine praestarent, quamvis omnia peccata in memoriam revocare conarentur. Praeterea timendum est, ne forte difficultate territi amplius ad confitendum non redeant (*c*).

(*a*) Adde periculum (quod experientia teste haud infrequens est) eiusmodi chartulas amittendi, et exinde etiam haud levia scandala, ac Sacramenti contemptum.

(*b*) Quoties servetur ordo praeceptorum Dei, et Ecclesiae, examen iuxta ordinem peccatorum, seu melius *vitiorum* capitalium, vix ullam confessionis materiam necessariam ulterius suppeditabit; et nisi sermo sit de poenitentibus diligenter instructis, eiusmodi examen potius quam utilitatem, non mediocrem confusionem parere solet, et ad inutiles repetitiones inducere; quippe capitalia vitia vix unquam peccata inferunt, quae legis divinae aut humanae trangressionem non praeferant.

(*c*) Ita Catechismus romanus (*De Poenit. n. 60.*): *Alii sunt, qui vel quod raro peccata sua confiteri solent, vel quod nullam curam et cogi-*

ARTICULUS III.

DE ITERATIONE CONFESSIONIS

511. **Principia.** — I. Omnis letalium peccatorum confessio certo invalida, necessario repetenda est. Omnia enim peccata mortalia clavibus *per se* subiicienda sunt.

II. Confessio autem valida, etsi integritate careat, non est necessario repetenda, sed defectus tantum est supplendus; ratio, quia peccata iam declarata, directe fuerunt remissa vi absolutionis. Remanet igitur sola obligatio subiiciendi absolutioni peccata omissa, quae indirecte tantum et concomitanter remissa fuerant. — *Ita omnes.* — *S. Lig. n. 502. 504.*

III. Repetitio confessionis invalidae *ex integro* facienda est, si poenitens novum adeat Confessarium; quia secus nec iudicis nec medici partes hic agere potest; secus autem, si confiteatur apud eundem confessarium praecedentis confessionis adhuc aliqua ratione memorem; tunc enim sufficit, si summatim se accuset de peccatis iam accusatis, v. gr. *Accuso me de peccatis iam declaratis in tali confessione:* hoc enim satis est, ut peccata invalide declarata sacramentaliter accusentur, nec Confessario ad munus suum implendum opus est, ut iterum confessionem audiat. — *Ita communiter.* — *S. Ligor. n. 502.* — *Elbel, n. 253.* — *Lacroix, n. 1216.* — *Lugo, disp. 16. n. 638.* — *Billuart, diss. 7. art. 2. et alii* contra quosdam, qui integram confessionis repetitionem exigunt.

IV. Confessio non est necessario repetenda, nisi de eius invaliditate moraliter certo constet. Ratio est, 1° quia cum actus est

tationem in pervestigandis suis sceleribus posuerunt, nec commissa confessione expedire, nec unde eius officii initium ducendum sit, satis sciunt. Quos certe acrius obiurgare (ubi adiuncta ferunt) *opus est, atque in primis docere, priusquam ad sacerdotem aliquis adeat, omni studio curandum esse, ut peccatorum suorum contritione commoveatur; id vero praestari nullo modo posse, nisi ea reminiscendo singillatim recognoscere studeat. Quare si sacerdos huiusmodi homines prorsus imparatos cognoverit, humanissimis verbis a se dimittat, hortabiturque, ut ad cogitanda peccata aliquod spatium sumant, ac deinde revertantur. Quod si forte affirmaverint, se in eam rem omne studium contulisse, quoniam sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi amplius non redeant, audiendi erunt, praesertim si emendandae vitae studium aliquod praeseferant, adducique possint, ut negligentiam suam accusent, quam se alio tempore accurata meditatione compensaturos promittant.* Et dignissima, quae advertantur, ea sunt, quae immediate sequuntur : *In quo tamen magna cautio adhibenda est. Si enim audita confessione iudicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvi poterit; sin autem utrumque in eo desiderari animadverterit, auctor illi et suasor erit ut maiorem curam, quod antea dictum est, in excutienda conscientia adhibeat; hominemque, ut blandissime poterit tractatum dimittat.*

certo positus, si suboritur dubitatio, an fuerit recte positus, oblinet illa regula iuris: *Standum est pro valore actus;* 2° quia obligationi legis divinae de facienda confessione iam probabiliter factum est satis. — *S. Lig. n. 505. — Lacroix, n. 1221. — Elbel, n. 263. — Mazzotta*, etc.

512. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An confessio invalida apud eumdem Confessarium ex integro sit repetenda, si* IN CONFUSO *tantum hic de peccatis accusatis recordetur, aut etiam eorum omnino oblitus fuerit?*

Resp. ad 1um *Neg. probabilius*, etiamsi confessio invalida fuerit ex parte poenitentis; sed sufficiet repetitio generalis. Ratio est, quia pro culpis iam accusatis repetitio generalis coniuncta cum notitia antecedenter habita a Confessario, sufficit ad sacramentale iudicium, cum de singulis peccatis Confessarius iam iudicaverit. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 502.*

Resp. ad 2um *Neg.* etiam *probabilius*, etsi Confessarius nullatenus recordetur de confessione illa invalida; proinde sufficiet, ut poenitens suum manifestet statum, ita ut Confessarius confusam saltem notitiam de illo habeat. Ratio ex modo dictis sequitur. Etenim si in praecedenti casu sufficit Confessario confusa aliqua memoria status poenitentis, etiam in praesenti casu sufficere debet; siquidem utrobique eadem ratio facit. — *S. Lig. ibid., et alii supra citati* contra *alios.* Imo iuxta *Suarez* sufficit, ut Confessarius recordetur, poenitentem fuisse dispositum et poenitentiam acceptasse (*a*). — *Suarez, D. 22. sect. 6. — Sic etiam Lugo, de Poenit. D. 16. sect. 15. n. 636. — V. Casus, n. 679.*

513. — QUAER. 2° *An repetenda sit confessio cum dubia contritione facta?*

Resp. Neg. per se; ratio patet ex dictis. Attamen in praxi sedulo attendendum est ad poenitentis conditionem. Si enim poenitens sit homo sat prudens et gravis in suis actionibus ordinariis, vel in suis confessionibus, adest saltem probabilitas, imo et legitima praesumptio de valore confessionis; nec proinde urgendus est ad eam repetendam. Si vero supponatur homo levis et in plerisque suis actionibus inconsideratus, de iteranda confessione consilium ei dandum est (*b*). — *Ita communiter. — Elbel, de contritione, n. 74.*

(*a*) Postrema haec particula potius quam ad poenitentem invalide confessum, spectare ad illum videtur, cui dilata absolutio fuerit.

(*b*) Scite *consilium* dicit A. ex praemissa generali regula, certam nempe iterandae confessionis obligationem non adesse, nisi moraliter certa sit invaliditas praecedentis.

** Opponunt hic VV. (*Pag. 937. n. 116.*) ea, quae S. Alphonsus habet in Hom. Ap. (*Tr. 15. n. 34.*), ubi S. Doctor quaerit, *an dubitans, sit, nec ne, in gratia, possit communicare.*

Resp. Ista ad rem non faciunt: neque enim de dubio statu gratiae ob dubiam contritionem S. Doctor ibi quaerit, neque ea, quae S. Doctor de

Quaer. 3° *An sint cogendi recidivi ad confessiones praecedentes repetendas?*

Resp. Neg. per se. Ratio est, quia novus lapsus *per se* non est argumentum certum, quod recidivus prius dispositione caruerit. Aliquando tamen ex circumstantiis iudicari prudenter poterit, recidivum quempiam invalide confessum fuisse (*a*). — *S. Lig. n. 505.*

514. — Quaer. 4° *An repetenda sint explicite omnia peccata, quae antea Confessario mere historice extra confessionem enarrata fuerint?*

Resp. 1° *Neg.*, si Confessarius eorum adhuc recordetur; tunc enim sufficit, si poenitens generaliter ea confiteatur dicendo: *Accuso me de iis omnibus, quae tibi iam enarravi.* Ratio est, quia peccata illa per confessionem summariam sacramentaliter subiiciuntur Confessario ut iudici in ordine ad absolutionem; et Confessarius de omnibus hic et nunc sacramentaliter iudicat, cum de iisdem recordetur.

Resp. 2° *Affirm.*, si Confessarius non clare et distincte omnium meminerit, etiamsi illorum in confuso vel ex parte recordetur. Ra-

hoc argumento Lib. 6. n. 432. et 475. habet, confessionem necessario repetendam exigunt.

Ad rem utique illa faciunt, quae S. Doctor (*Lib. 6. n. 505.*) ceu generale principium sic statuit: *Ceterum hic sedulo advertendum, non esse cogendos poenitentes ad repetendas confessiones, nisi moraliter certo constet, eas fuisse invalidas, ut recte dicunt Croix, Gobat, Holzmann, Mazzotta, et Elbel cum Filliucc. et* communi *contra Antoine.*

Quod autem VV. (*Pag. 460-461.*) conantur obiicere, hanc S. Alphonsi et *Doctorum communem doctrinam* locum habere, ubi dubium de valore confessionis vertitur ratione *integritatis*, non vero ratione *dispositionis sufficientis,* id exploditur ab eodem S. Alphonso, qui ibidem de huius regulae usu disputat circa recidivos. Dubium enim de valore confessionis quoad recidivos non ex *dubia integritate,* sed ex *dubia dispositione* repetit.

(*a*) Viden apertam viam ad exigendas confessionum iterationes contra certam doctrinam, quae superius in IV. principio statuta fuerat? E contextu siquidem clare infertur, iterandam esse confessionem, si *prudenter* iudicetur, recidivum invalide confessum fuisse. At enim *prudens* eiusmodi iudicium praebetne moralem illam certitudinem, quae prius in IV. principio ad hoc exigebatur? Auctor nimirum in prima responsionis parte recedere voluit a doctrina, quam pertinax iansenianae factionis primipilus (*Vid. inf. Notam ad n. 633.*) Ludovicus Habert cum nonnullis aliis inculcabat, invalidam censendam confessionem, quando poenitens dignos deinde poenitentiae fructus non fecerit; quocirca exigebat, ut hi fructus absolutioni praemitterentur; in postrema vero se obsequium deferre putavit S. Alphonso, apud quem (*l. c.*) ille Habertii locus legitur. At vero haec temperandae istius sententiae ratio dum non vitat ianseniani principii incommoda, insuper principium quarto loco positum subruit. Ut omnia itaque sibi cohaereant, praetermissa illa *prudentis iudicii* mentione, dicatur, aliquando satis constare posse, quempiam invalide confessum fuisse; quod quidem et cum recidivo, et cum non recidivo contingere posse, manifestum est.

** Et in his quidem suum habeant responsum etiam VV., qui (*Pag. 937. n. 117.*) eadem Habertii verba, a S. Alphonso (*Lib. 6. n. 505.*) relata, hic obiiciunt.

tio patet ex dictis (*a*). — *Ita S. Lig. n. 502., et alii communiter* (*b*).

QUAER. 5° *An repetenda sit confessio, si Confessarius ante absolutionem oblitus fuerit peccatorum accusatorum?*

(*a*) Imo ex dictis sup. *n. 511. Princ. III.* contrarium evinci videtur. Ibi enim statuitur, peccata prius *non sacramentaliter* declarata, satis declarari *sacramentaliter* per summariam confessionem, etiamsi confessarius distinctam eorum peccatorum memoriam non retineat.

(*b*) Ex adverso Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 637-638.*) ceu *communem* exhibet oppositam sententiam. Et ad rationem, qua permoveri se S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 502. dub. 1. in fin.*) indicat, nempe quod *cum confessio praecedens non fuerit facta iudici, non videatur habenda esse eius ratio, sed denuo facienda sit confessio sacramentalis distincta, cum prior illa non fuerit sacramentalis,* respondet: *In contrarium tamen est auctoritas et praxis communis. Nam Doctores fere omnes universaliter dicunt, sufficere postea eam memoriam confusam, undecumque processerit defectus confessionis prioris... Idem usus apparet, quando aliquis extra confessionem narravit sacerdoti amico consilii petendi gratia aliqua peccata, et postea confitetur eidem accusans se breviter de iis omnibus, quae extra confessionem dixerat: quo etiam casu non adest nunc in sacerdote tam exacta et distincta notitia, qualis esset, si nunc se distincte poenitens accusaret: et quidem prior illa narratio non fuerat ullo modo sacramentalis, nec accusatio facta iudici, sed narratio facta amico. Fatendum est ergo, confessionem etiam non sacramentalem priorem perseverantem in memoria non omnino distincta posse aliquo modo fieri sacramentalem per accusationem subsequentem taliter, ut possit ad sacramentum deservire. Non quod illa prior narratio vere fiat accusatio sacramentalis, sed quatenus posterior accusatio relata ad memoriam, quam habet Confessarius de illis peccatis prius distincte auditis, sit sufficiens notitia, qualis in Confessario desideratur.* Ita ex communi sententia Lugo, qui deinde aliter opinantium dubia apte dissolvit.

** Per decem columnas (*Pag. 480-484.*) VV. non modo brevem hanc Notam reprehendunt, sed simul impugnandum assumunt Card. De Lugo, quem insuper tantum non ceu mendacem, aut certe inanibus phantasiis abductum exhibent. Paucis rem expediamus.

Quod itaque ad praesentem quaestionem, et Lugonis sententiam attinet, ita scribunt VV. (*Pag. 483.*): *Sententia, quam Lugo tuetur, nec antea, nec postea communis dicenda est. Non antea, quia primus eam proposuit; non postea, quia nemo, quod sciamus, praeter Aversam, eam secutus est; et si forte alii quoque, pauci certe sunt.* Quae verba ad id referuntur, quod ex Lugo in Nota describitur: *Idem usus apparet, quando aliquis extra confessionem narravit sacerdoti amico etc.*

Resp. Suarez (*De Poenit. Disp. 22. Sect. 6. n. 5.*) haec habet: *Si repetitio Confessionis fit eidem sacerdoti, qui adhuc retinet memoriam sufficientem peccatorum, non erit necessarium singula dicere, sed omnia uno verbo subiicere, supplendo defectum. Ratio est, quia supposita priori narratione, illud unicum verbum aequivalet distinctae confessioni, quia sufficienter faciet praesentia peccata omnia in notitia confessoris.* SICUT *si sacerdos novit extra confessionem omnia peccata, uno verbo dici ei possunt in confessione, scilicet, se accusando de omnibus, quae alter novit.* ET IN HIS CONVENIUNT AUCTORES. Atqui 1° Suarez praecessit Lugonem; Ergo non primus hanc sententiam Lugo proposuit. 2° Addit Suarez, *in his Auctores convenire;* ergo non false, sed verissime Lugo dixit: *Idem usus,* idest, *usus communis habet* etc.

Item Aegidius Coninck (*Disp. 4. n. 45.*): *Confessio facta sine dolore*

Resp. Neg., si Confessarius recordetur, saltem *in confuso*, status poenitentis; super certam enim et sufficienter perceptam materiam absolvit; et aliunde iudicavit sacramentaliter de singulis peccatis,

sufficienti... ad hoc valet, ut Confessarius accipiat perfectam cognitionem status poenitentis: ita ut hic postea omnia sua peccata possit paucis verbis sufficienter confiteri, dicendo se dolere de peccatis iam narratis, et cupere ab iis absolvi: et haec sola verba tunc habent veram rationem confessionis, quae sit pars Sacramenti. SICUT *si quis consilii petendi causa narrasset omnia peccata sua, et postea de iis dolens vellet confiteri, sufficeret eum dicere, se dolere de peccatis iam dictis, et petere ab iis absolvi.* Porro etiam Coninck est Lugo anterior.

Quod vero et post Lugo haec doctrina communis exstiterit, habemus v. gr. ex Illsung (*De Poenit. Disp. 6. n. 152.*) haec scribente: In secundo casu (quando *confessarius nempe non est ita peccatorum oblitus, quin saltem confusam memoriam retineat*) *negant* COMMUNITER *Doctores, quidquam repetitionis faciendum vel exigendum esse, adduntque sufficere, modo poenitens in genere se accuset de peccatis ante dictis, si prior confessio non fuit iudicialis accusatio, sed v. gr.* SOLUMMODO PETITIO CONSILII, *vel si fuit facta non habenti debitam iurisdictionem; tunc enim illa peccata, in quae non dabatur iurisdictio, similiter in genere repetenda essent.* ITA DOCTORES COMMUNITER, *quos referunt et sequuntur Vasquez, Palao, Tannerus, Lugo; quia per genericam repetitionem et approbationem specificae confessionis prior distincta narratio peccatorum fit iudicialis et sacramentalis.* Ergo alii praeter *Aversam*, iique non pauci, sed plerique Doctores eandem, ac Lugo, doctrinam tradiderunt.

Idipsum habemus ex Dicastillo, qui itidem ad communem sententiam appellat (*Tr. 8. Disp. 8. n. 120.*) Ita ille: USUS COMMUNIS HABET, ET PLERIQUE DOCTORES ADMITTUNT, *satis esse postea illam memoriam confusam: undecunque provenerit defectus prioris confessionis.* Et allato exemplo illius, qui confessus fuerat sacerdoti non habenti iurisdictionem, subdit: *Sic etiam si quis amico sacerdoti non confitendi, sed consilii petendi causa peccata sua exposuit, et subinde illa vel altera die placeat ab illis absolvi, satis est, ut se breviter accuset de iis, quae exposuerat, licet non adhuc omnino distincta in sacerdote notitia seu memoria perseveret. In iis ergo et similibus casibus illa notitia prior, ut denuo approbata et relata a poenitente ad confessionem sacramentalem, censetur aliquo modo sacramentalis.*

Et haec, quin plura afferamus, satis sint, ut constet, non inaniter in Nota hanc doctrinam dici *communem*, et gratis a VV. redargui Cardinalem De Lugo, quasi *communem* dixerit eam sententiam, quam alioquin (ut VV. aiunt) *primus ipse proposuerit*, et vix *pauci aliqui sequuti fuerint.*

Instant VV. (*Pag. 482-483.*), *nimium esse, quod dicit Lugo, nempe Doctores fere universaliter docere, quod recordatio confusa peccatorum sufficiat, quando confessio invalida fuit propter defectum iurisdictionis ex parte confessarii; cum non tantum Suarez, sed et Coninchius et alii graves DD. sententiam negativam propugnaverint.*

Respondeo, non hunc esse casum, in quo Suarez, aliique, negant, confusam peccatorum recordationem sufficere. Et sane Suarezii verba superius allata referuntur ad *confusam* huiusmodi *peccatorum recordationem* quam dicit sufficere. Atqui ea amplectuntur etiam casum confessionis factae sacerdoti iurisdictionem non habenti. Ergo.

Prob. Maior. Etenim Suarez (*ibid.*) ista ibi praemittit: *Superest, ut explicemus, quomodo sit iteranda confessio peccatorum* IN HIS CASIBUS, *an scilicet necesse sit distincte et ex professo ea iterum narrare, an uno verbo dicere defectum prioris confessionis, et quod ea omnia, quae aliquis male*

dum ipsi exponebantur. Praeterea et Confessario et poenitenti onus intolerabile secus imponeretur. — *S. Lig. n. 502.*

515. — Quaer. 6° *An teneatur poenitens totam retexere confes-*

confessus est, iterum subiiciat clavibus. Et responsum sup. vidimus, *distinctam* confessionem requiri, si fiat *alteri sacerdoti;* non requiri, *si fit eidem sacerdoti.*

Prob. Min., scilicet in iis casibus comprehendi confessionem factam sacerdoti iurisdictionem non habenti. Nam (*Ibid. n. 4.*) enumerans hosce casus ait: *Quintum caput est ex defectu iurisdictionis in ministro.* Ergo non iste est casus, de quo Suarez confusam recordationem negat sufficere.

Casus itaque, in quo Suarez negat confusam sufficere recordationem, est, *quando*, ut ait (*ibid. n. 6.*), *sacerdos est idem; peccata vero* IAM MEMORIA EXCIDERUNT. Post allatas enim tres aliorum opiniones, suam sic (*ibid. n. 7.*) exponit: *mihi vero... aliter distinguendum occurrit. Aut enim confessio fuit invalida ratione sui, scilicet quia ex parte sua habuit essentialem defectum vel doloris, vel integritatis, vel iurisdictionis ex parte confessoris; et tunc censeo confessionem esse omnino et distincte repetendam,* SI MEMORIA EXCIDIT. *Ratio est, quia prior non fuit materia confessionis, nec vera accusatio sacramentalis;... cum autem non possit fieri uno confuso verbo propter rationem factam, distincte fieri necesse est.* At vero quaenam est ista *ratio facta,* propter quam non potest confessio *uno verbo confuso* fieri? *Quia,* ut habet praeced. *n. 6., prior* (*confessio*) *nihil operari potest, cum neque in se neque in memoria maneat; unde nullum verbum confuse dictum potest tunc aequivalere distinctae confessioni, quia nihil iuvatur ex praecedente.* Suarez itaque in priori casu affirmat, verbum unum confusum sufficere, quia in Confessarii memoria aliquam saltem confusam peccatorum recordationem supponit; negat vero sufficere in casu posteriori, quia supponit, nullam in confessario peccatorum notitiam seu memoriam, ne confusam quidem superesse. Cum ergo diversa sit hypothesis apud Suarezium, ac sit apud Lugonem, non est, cur altera alteri opponatur.

Diffitendum tamen non videtur, allata verba Suarezii, quibus distinctam exigit confessionem, paulo latius accepta a Lugo fuisse, quasi valeant etiam cum Confessarius peccatorum memoriam aliquam retinet; quocirca Lugo (*l. c. n. 633.*) *communem praxim* opponit tum poenitentis, qui tacuerit peccatum, et mox redeat, suumque defectum confiteatur, tum confessarii, qui carens iurisdictione in quaedam reservata, suspendit in sequentem diem absolutionem; in utroque enim casu nequaquam distincta confessio rursus imponitur.

At non recte inde VV. concludere possunt, aliam reipsa Suarezii, aliam Lugonis esse doctrinam. In hypothesi enim alicuius confessarii, qui nullam peccatorum memoriam retineat, in idem, ac Suarezius, iudicium Lugo convenit. Ita enim (*l. c. n. 641.*) ille: *Non ergo sufficit, Confessarium habuisse aliquando notitiam distinctam de peccatis, si illa distincta notitia praeterita postea nullo modo dirigit, nec mediate, nec immediate ad iudicium faciendum: sed requiritur cognitio distincta, quae saltem per sui memoriam confusam dirigat confessarium ad iudicandum. Si ergo cognitio illa distincta praeterita nullo modo dirigit, quia confessarius iam est omnino oblitus, et solum dirigitur a notitia confusa, quam modo poenitens dat, ad nihil prorsus deservit, quod praecesserit notitia distincta. Unde in eo casu... si prior illa notitia non fuerat data iudici, quia vel nondum erat sacerdos, vel non erat legitimus iudex, et tamen postea absolvat cum illa confusa notitia, quam denuo accipit, iudicandum erit de illa absolutione, sicut de illa, quae datur moribundo non confitenti distincte sua peccata, sed danti similem notitiam confusam, qui certe obligatus manet ad confitenda postea distincte sua peccata. Sic erit in illo*

sionem, si animadvertat, Confessarium ob somnum peccata aliqua non percepisse, et nesciat qualia?

Resp. Affirm., si confessio fuerit brevis, quia prudenter dubitare potest de singulis, an a Confessario intellecta fuerint, necne: secus autem si prolixa fuerit confessio, et pauca tantum non percepta videantur: quia tunc prudenter praesumere potest, quod unumquodque fuerit intellectum; nec verisimile apparet, Christum integritatis praeceptum cum tanto onere imposuisse: si tamen dubium circa unum vel alterum peccatum solummodo versaretur, repetendum illud foret. — *S. Lig. n. 499.*

516. **Resolves.** — 1° Confessarius excipiens confessionem rustici, qui praeteritis annis male confessus est, suo muneri satisfaciet interrogando de ultimo tantum anno, si ob uniformem rationem vitae possit simul de praecedentibus annis iudicium efformare. Idem dicendum, si audita unius anni confessione detegat Confessarius praeteritarum confessionum defectum, et ex hac ultima confessione sufficientem praeteritorum peccatorum notitiam habeat; attamen requiritur, ut poenitens generali modo de aliis annis se accuset. — *S. Lig. n. 504.*

2° Si quis confessus fuerit Sacerdoti iurisdictione carenti, tenebitur confessionem iterare, si postea defectum detegat (*a*).

casu, quia vere confessarius non accepit notitiam distinctam, ex qua exerceret suum munus: atque adeo licet valide absolvat, debet postea repeti confessio distincta.

Et ex his satis patet, frustra VV. ad enervandam Lugonis doctrinam in Suarezio cum Coninck aliisve quaesivisse adversarios, quos illi opponerent.

Denique reprehendunt VV. (*Pag. 483.*), quod in Nota dicatur, *rationem,* qua S. Alphonsus se permotum esse indicat ad oppositam sententiam post Croix sequendam, hanc esse, quod *cum confessio praecedens non fuerit facta iudici, non videatur habenda eius ratio..., cum prior illa non fuerit sacramentalis.* Et subdunt: *Ast haec verba frustra quaeres apud S. Doctorem.*

Resp. In Nota dicitur, *eam esse rationem,* qua permotus S. Doctor videtur, non dicitur autem, ea esse S. Doctoris verba. S. Doctoris verba haec sunt (*l. c.*): *Ratio, quia nulla confessio tunc adfuit sacramentalis.* Porro cum S. Doctor duplici ex causa paulo ante innuerit, confessionem *non esse sacramentalem,* vel quia nempe fuit *sacrilega,* vel quia *facta non iudici;* nunc autem secundo tantum sensu intelligi id possit, quia agitur de eo, qui *mera narratione,* v. gr. petendi consilii causa, *dixerit confessario peccata sua;* profecto ut vere afferretur in Nota ratio S. Alphonsi, res ipsa exigebat, ut etiam ratio indicaretur, cur prior illa notitia per se *sacramentalis* censeri non posset. Nunquid vero sic non exprimitur S. Doctoris mens genuina? Est nempe ratio, quam ex infelici illa Lacroixii paragrapho S. Doctor mutuatus est, quemadmodum ex ipso Croixio falsitatem illam historicam sumpsit (uti ex dictis manifestum est), quasi scilicet singularis sit de ista quaestione sententia Lugonis, in quam prope solus Aversa post Lugonem iverit; quod etiam VV. repetunt.

(*a*) Intellige, si alteri sacerdoti confiteatur; nam si cum eodem sacerdote, qui v. gr. a confessionibus audiendis suspensus prius fuerit, confessio peragenda sit, valebunt principia superius statuta.

3° Si Confessarius peccatum grave tanquam grave non agnoverit, vel mortale iudicaverit esse veniale, non ideo est obligatio illud repetendi, modo poenitens factum recte et fideliter exposuerit; quia ad valorem Sacramenti, et ad directam peccati remissionem non est necessarium, ut Confessarius iudicet hoc esse mortale; imo id saepe discernere non potest.— *S. Lig. n. 500., et alii communiter.*

4° Poenitens qui timet, ne diu invalide confessus sit, nihil repetere tenetur, praesertim si timoratae sit conscientiae (*a*) solitusque fuerit diligentiam sufficientem (*b*) in confessionibus adhibere. Ratio, quia praesumptio stat pro confessionum valore: secus, si stet contra poenitentem praesumptio tam gravis, ut morali certitudini aequipolleat.

APPENDIX II.

DE CONFESSIONE GENERALI

Confessio generalis est repetitio plurium confessionum. Potest esse repetitio confessionum totius vitae, vel alicuius temporis, v. gr. unius anni, aut plurium annorum. Breviter dicendum 1° de necessitate vel opportunitate confessionis generalis; 2° de methodo eam peragendi.

I. *De necessitate vel opportunitate confessionis generalis.*

Confessio generalis potest esse vel necessaria, vel utilis tantum, vel inutilis, aut etiam nociva. Hinc statuendae sunt sequentes regulae.

517. — I^a^ *Regula.* Censenda est *necessaria* confessio generalis, quoties praecedentes confessiones moraliter certo invalidae aut sacrilegae fuerunt vel ex parte poenitentis ob defectum contritionis aut integritatis, vel ex parte Confessarii iurisdictione carentis; in caeteris autem casibus nunquam praecipi potest. Ratio utriusque patet ex dictis supra de confessionis iteratione.

II^a^ *Regula.* Suaderi potest, quando licet de invaliditate confessionum praecedentium non constet, grave tamen de hoc dubium haberi potest (*c*).

(*a*) Sive timoratae, sive minus timoratae conscientiae sit poenitens, rata manere debet regula *principii IV*, neminem obligandum ad repetendas confessiones, nisi de harum invaliditate certitudo moralis suppetat. Praemissa distinctio confert aliquo modo ad indicium quodpiam, seu ad coniecturas; sed coniecturae non pariunt certitudinem.

(*b*) Sufficientiam hanc non excludit levis negligentia, quae venialem culpam non excedat, ut sup. (*n. 508. Res. I.*) dictum est.

(*c*) Finis huius consilii non est, ut saluti aeternae prospiciatur, sed ut eximantur anxietates, quae animarum paci sunt inimicae, vigorem in bonorum operum exercitio minuunt, et praesertim in mortis articulo importunas angustias afferunt.

IIª *Regula.* Permittenda est, aut etiam *prudenter* suadenda confessio generalis, etsi non necessaria, quando spectatis circumstantiis poenitens *notabilem* fructum spiritualem ex ea percepturus est, v. gr. ratione humilitatis, devotionis, fervoris, cognitionis sui ipsius, manifestationis conscientiae ad perfectiorem directionem, aut maiorem animae puritatem, ad auxilia divina efficacius obtinenda, etc. (*a*); quia Confessarius ex charitate maius bonum spirituale poenitentis, quando facile potest, promovere debet.

IVª *Regula.* Prohibenda est in caeteris casibus ut *inutilis,* et etiam *nociva,* quando prudenter pertimescenda sunt alia praeter iacturam temporis incommoda, scilicet scrupuli, anxietates, conscientiae perturbatio, etc.; si enim tantum onus pro Confessario et poenitente non est suscipiendum sine spe notabilis fructus, *a fortiori* cum timore notabilis damni.

518. **Resolves.** — 1° Facile permittenda, imo suadenda est confessio generalis in praecipuis vitae christianae epochis, nempe ante primam Communionem, ante electionem aut susceptionem status vitae particularis, v. gr. ante Sacerdotium, Professionem religiosam, aut etiam ante matrimonium; item quando quis statuit vitam perfectiorem ducere.

2° Praeter confessionem tempore primae Communionis peractam facile, generatim loquendo, permittenda est alia generalis confessio totius vitae; sed difficillime altera concedenda esset, quando prior sat accurate, bona fide et bona voluntate facta est, nisi forte in iuvenili aetate, v. gr. ante 20 annos peracta fuerit. Hinc poenitentes, qui petunt a Confessario licentiam confessionem generalem peragendi, interrogandi sunt, qua de causa id postulent, an alias iam confessi fuerint generaliter, a quo tempore, et quoties; et ex responsis iudicabit Confessarius, utrum expediat haec confessio, necne.

3° Facile permittenda est personis devotis confessio generalis partialis, nempe unius anni, seu a tempore ultimae confessionis generalis, iuxta morem servatum apud plerasque familias religiosas. Item permitti aliquando potest poenitentibus piis, ut repetant summarie paucis verbis praecipua vitae suae peccata: attende tamen ad varias personarum circumstantias.

4° Potissimum vero cavere debent Confessarii, ne facilius poenitentes ad confessionem generalem compellant; et summopere sunt reprehendendi, qui ab omnibus novis poenitentibus hanc exigunt praetextu necessitatis, vel ratione directionis, etc. (*b*).

(*a*) Praecipuos fructus praeclare expressos habes in tertia meditatione primae hebdomadae Exercitiorum S. Ignatii, scilicet 1° ut intimam criminum nostrorum cognitionem ac detestationem sentiamus; 2° ut anteactae vitae ordinem perversum agnoscentes atque abhorrentes emendationi nostrae studeamus; 3° ut inspectis inimicorum nostrorum pravitate ac fraudibus, ab iis caveamus.

(*b*) Plane inopes criterii se produnt istiusmodi Confessarii, dum omnibus, qui malo fato ad eos accedunt, indiscriminatim confessionem gene-

5° Non est permittenda confessio generalis etiam in dubio de validitate praecedentium confessionum, ubi ex illa metuenda sunt incommoda notabilia, ratione scrupulorum, perturbationis conscientiae, etc., quia ob dubiam obligationem subeunda non sunt gravia ac certa incommoda.

6° Nunquam permittenda est confessio generalis scrupulosis aut meticulosis; quia si una permittatur, hac finita, statim aliam facere volent, et post secundam, etiam tertiam suscipere importunis precibus petent cum summo animae detrimento, etc. Constat enim experientia, confessionem generalem multo plures scrupulos generare, quam destruere.

II. *De modo peragendi confessionem generalem.*

Multiplici modo fieri potest confessio generalis; sed magis expediet, generatim loquendo, si fiat iuxta sequentes regulas.

519. — Iª *Regula. Ante confessionem:* satagere debet Confessarius, explicitum cognoscere statum poenitentis, et varias circumstantias, ex quibus potest dirigi ad prudenter et fructuose interrogandum. Hinc

1° Examinet utrum agendum sit de confessione necessaria, necne; si enim necessaria sit, multo maiori diligentia et cura poenitens audiendus, interrogandus et adiuvandus erit. Si vero necessaria non est, prorsus moneri debet poenitens, 1° huiusmodi diligentiam non requiri, imo liberum ipsi esse peccata, quae velit, reticere; 2° nec sollicitum dein esse debere, quod ex oblivione plura seu pauciora omiserit (*a*).

2° Inquirat prudenter de conditione poenitentis, de eius aetate, occupationibus vel officiis, de eius familia: nempe an habeat adhuc parentes, fratres aut sorores? et an cum ipsis versetur, aut diu versatus sit? etc.

3° Interroget a quo tempore sit confessus poenitens? an absolutus? an hic et nunc aliqua prava consuetudine, aut pravo animi affectu sit irretitus, an frequenter ad Sacramenta accesserit? an pie confessus vel sacrilege? an peccata celaverit aliquando? quo tempore? quamdiu? an ea postea confessus fuerit, aut confessiones sacrilegas iteraverit?

Praeviae istae notiones plurimum Confessario inservient: eas

ralem indicunt; neque intelligunt, exinde poenitentium conscientiam gravissime interdum perturbari, eisdemque non raro praeberi scandalum, perinde quasi Confessarii, sacro ministerio abutentes, cum gravi poenitentium onere ac molestia narrationem totius vitae sine causa exquirant, ut curiositati suae satisfaciant.

(*a*) Nisi duo haec poenitens firmiter persuasa habeat, praestat omittere confessionem generalem, quae profecto nullum fructum pareret, et anxietatum contra iugis scatebra foret.

autem interrogationes magis vel minus urgebit pro qualitate confitentis, et indole responsionum.

II[a] *Regula. Quoad ordinem confessionis:* accusatio et interrogationes in ipsa confessione *certo* ordine fiant oportet, ne omnia misceantur cum perturbatione confitentis et periculo defectus integritatis, etc. Via autem brevior et facilior est, si fiat declaratio peccatorum secundum ordinem mandatorum Dei, Ecclesiae, et specialium obligationum pro statu cuiusque proprio.

III[a] *Regula. Quoad modum confessionis:* si poenitens sit satis instructus, benigne eum inducat Confessarius ad peccata sua exponenda iuxta praefatum ordinem, promittens se illum adiuturum, et quoties opus fuerit, interrogaturum ut omnia recte perficiantur. — Si autem poenitens sit rudis, fere totum onus confessionis in se assumat Confessarius, interroget per ordinem de omnibus, quae committere solent poenitentes paris conditionis, et post singula peccata inquirat a poenitente, an aliquid addendum noverit. Antequam autem interrogationes incipiat, sedulo confitentem admoneat, nihil sibi pertimescendum esse quoad difficultatem peccata detegendi: *Sis quietus et bono animo,* inquiet, *ego tuam peragam confessionem; novi sane omnia peccata quae patrare potuisti: ego tibi ea omnia detegam, tuum solum erit clare et sincere interrogationibus meis respondere, et de peccatis verum dolorem concipere.* — *Sic* SALVATORI, Instructio practica pro neo-confessariis (*a*).

(*a*) Innuitur opusculum plane egregium, cui titulus: *Istruzione pratica per i Confessori Novelli... Operetta utilissima ancora per i Catechisti di gente rozza, scritta dal Padre Filippo Maria Salvatori S. I. ecc.* Editum fuit Romae circa initia huius saeculi, et pluries deinde recusum, ac demum rursus Romae typis Monaldi an. 1848. In qua tamen postrema editione per unius voculae immutationem (mendo fortasse typographico) corruptio, et quidem in re satis gravi, irrepsit sensibus Auctoris plane repugnans. Ubi enim hic (*Part. 2. §. 1. n. 6.*) de peccatore scripserat: *Se è veramente pentito, e dia segni* PRUDENTI *di questo suo pentimento, si deve assolvere, ecc.;* nova ista editio (*Pag. 143.*) substituit: *Se è veramente pentito, e dia segni* EVIDENTI *di questo suo pentimento, ecc.* Plane abs re. Cum enim *evidentia* certitudini eam vim lucis superaddat, quae perstringens quodammodo oculos mentis assensum rapit; quisnam, quaeso, e doctoribus, ut fas sibi putet poenitentem absolvere, id praerequirit? Imo quamnam, rogo, certitudinem, nedum *evidentiam*, materia ipsa admittit? Et mens quidem Auctoris, in hoc sententiae omnium communissimae sane consona, patebat ex iis, quae paulo post in eadem editione leguntur (pag. 150.): *Suppongo qui, che il penitente vi abbia dati tutti i segni, per i quali possiate formare un giudizio* PRUDENTE, *che egli dica davvero. In questo caso voi mancate ad un dovere di giustizia col differirgli l'assoluzione, perchè il penitente, subito che vi dà* PRUDENTI *argomenti di una vera conversione di cuore, ha uno stretto diritto ad essere assoluto.* Quae quidem suadent, illam textus corruptionem reipsa typographorum inscitiae esse adscribendam.

Illud etiam dolendum, quod Romana haec editio non iuxta Romanam tertiam editionem an. 1803., quae quibusdam gravis momenti additamentis ab Auctore ipso aucta fuerat, neque iuxta Novariensem an. 1836, quae

APPENDIX III.

NORMA CONFESSIONIS GENERALIS

per interrogationes instituendae.

520. — Prius dicat poenitens quae scit, nisi malit statim interrogari. Ante omnia interrogandus poenitens, an matrimonio iunctus sit, necne? — Deinde

I. *An nulla confessio sacrilega?* An aliquando quidpiam non audebas dicere? quoties? An in tali statu SS. Communionem suscepisti? an in tempore Paschali (*a*)? quoties? An culpabiliter non implevisti poenitentiam?

II. *Circa virtutes theologicas:* An interdum elicuisti actum Fidei, Spei et Charitatis (*b*)? An scis mysteria principalia scitu necessaria; scilicet Deum esse, et remuneratorem esse boni et mali; mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis et Mortis Iesu Christi? An forte negasti fidem? An dubitasti de aliqua veritate Religionis? vel eam negasti? An contra Religionem locutus es? An libros prohibitos legisti? vendidisti? commodasti?

An forte desperasti? Cur? (spem iniiciat Confessarius: quoniam

istam Romanam repraesentabat, addebatque luculentam confirmationem ex Encyclica Leonis XII.8.kal. Ian.1826., sed iuxta venetam editionem an.1803. procusa fuerit, quae additamentis hisce caret; quin et hanc venetam mancam exhibet, omissis scilicet testimoniis gravissimorum virorum qui opusculum sua auctoritate commendabant. Dolenda autem maxime est omissio paragraphorum, qui in secunda parte quartum et quintum locum tenent, atque praxim ab Auctore propositam Sanctorum doctrinis exemplisque, unanimi graviorum Doctorum consensu, et Catechismi Romani auctoritate confirmant. Optandum idcirco, ut si qua pretiosi huius opusculi nova editio sit adornanda (quod quidem difficultas reperiendi aliquod eiusdem exemplar suadere debet), haec non e manco quopiam, sed ex integro ac perfecto codice exprimatur.

(*a*) Experientia docet, huius circumstantiae reatum communiter a fidelibus non adverti, sponte vero aperiri a poenitente, qui eum advertit.

(*b*) Dominicus Viva (*ad Prop. 1. ex damn. ab Alexand. VII. n. 8.*) ceu rem notissimam memorat quod *nunquam fideles se accusant de transgressione praeceptorum ad actus theologales obligantium, nec solent de hoc a Confessariis interrogari.* Et huc faciunt illa Ioannis De Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 55.*): *De hoc peccato omissionis poenitentiae debitae per totum annum sive per se ex praecepto virtutis poenitentiae,... sive per accidens..., non oportet interrogare poenitentem, nec eum etiam admonere in particulari... Et probari potest exemplo praecepti diligendi Dei, de quo etiam non interrogantur poenitentes in particulari..., nec admonentur de illa obligatione illius praecepti aliquando implendi; tum quia ex ipso discursu confessionis satis apparet, quomodo se habeat poenitens erga Deum: tum quia propter varietatem sententiarum non possumus illi imponere certam obligationem.*

bonus Deus, si te voluisset damnare, non te hodie...). An praesumpsisti (*a*)?

An ex respectu humano (*b*) Dei et Ecclesiae praecepta neglexisti?

An proximo tuo dedisti scandalum, prava consilia aut exempla?

An occasiones peccandi quaesivisti?

III. *Circa praecepta Dei:* 1um Superstitio? divinatio? vana observantia? magia? idololatria? habitus nunquam vel vix orandi (*c*)?

2um Iuramentum? votum? blasphemia?

3um Laborare die Dominico vel festo? Omissio sacri vel mala auditio?

4um In parentes, herum, Pastorem inobedientia? Murmurationes? contumeliae? ictus? mortis apprecatio?

In filios, servos, aliosve subditos: educatio? instructio? cura salutis, occasiones peccati proximae? vigilantia circa officia religionis? scandalum? ira?

5um Damna proximo illata in corpore aut anima? odium? desideria vindictae? imprecatio? rixae? verbera? homicidium? duellum? abortus? abusus matrimonii? Sed interrogandum hic et de sequenti praecepto parce, caute, caste.

6um et 9um Cogitationes? delectatio morosa? desideria? quae? cum qualibus personis? Verba? an verba inhonesta, iocos, cantilenas.... protulisti, libenter audivisti? libros obscenos legisti? — Opera? tecum? tactibus? pollutionibus? visu? cum aliis? cum solutis? cum coniugatis? cum cognatis? voto obstrictis (*d*)? eiusdem sexus? An hic et nunc adhuc in occasione proxima? Uxores possunt interrogari, utrum maritis fuerint obedientes in omnibus licitis?

7um et 10um Damnum? furtum? fraus? stipendium operariis debitum retentum, vel defraudatum, vel diminutum? Restitutio? furta minuta?

8um Mendacia perniciosa? iudicia temeraria (*e*)? detractio? calumnia? (reparatio famae et ulterioris damni forte illati).

(*a*) Hoc praesumptionis peccatum in confessionibus rarissime occurret. Non solet nempe adverti, si qua forte praesumptio aliquando adsit.

(*b*) Haec *humani respectus* circumstantia nihil affert, quod ad confessionem sacramentalem spectet, et ad metum quendam per se reduci potest.

(*c*) Alias (*Vol. I. n. 260.*) animadversum fuit, orandi obligationem, quaenam et quanta sit, difficillime determinari posse.

(*d*) Cum raro id contingat, et, si forte contigerit, sponte poenitens id aperiat, alioquin vero eiusmodi interrogatio admirationem forte, et aliquod quodammodo scandalum parere possit; huius circumstantiae inquisitio non videtur proponenda.

(*e*) Saepe subeunt iudicia, seu potius suspiciones; sed ad gravem culpam perraro pertingunt, ob inadvertentiam scilicet, ob iudicii imperfectionem, vel etiam quia rationes ita suspicandi aut iudicandi sunt eiusmodi, ut nec suspiciones nec iudicia dici *temeraria* possint (*Vid. Vol. I. n. 465.*).

IV. *Circa praecepta Ecclesiae:* Ieiunium? abstinentia a carne diebus vetitis? — Confessio? Communio paschalis?

V. *Circa peccata capitalia:* Ebrietas? superbia? acedia? invidia? ira? avaritia?

VI. *Circa officia status:* Maritus; uxor; herus; magistratus civilis; advocatus; mercator (pondus et mensura).

N. B. In fine petat, numquid aliud adhuc eum anxium teneat.

CAPUT III.

DE SATISFACTIONE

Agendum 1° de impositione; 2° de impletione poenitentiae.

ARTICULUS I.

DE IMPOSITIONE POENITENTIAE

521. **Principia.** — I. Confessarius tenetur *poenitentiam* imponere cuilibet poenitenti, qui possit eam persolvere. Ratio elucet, 1° quia satisfactio est pars integralis Sacramenti Poenitentiae: Confessarius autem, ut minister Sacramenti, eius integritatem, etiam accidentalem, quantum in se est, procurare tenetur; secus non esset fidelis dispensator; 2° quia natura iudicii (*a*) et potestas iudicialis aliquam delictorum punitionem requirit. Constat etiam ex *Tridentino, sess. 14. c. 8.—Vide S. Lig. n. 506.; Hom. apost. n. 47.*

II. Confessarius tenetur poenitentias tum *vindicativas* tum *medicinales* iniungere *convenientes* et *salutares*, idest aliquo modo proportionatas numero et gravitati peccatorum, necnon poenitentis viribus ac dispositionibus. Ratio ex natura rei patet, cum sacramentalis satisfactio in vindictam peccatorum, quae plus minusve gravia, itemque plura vel pauciora sunt, necnon ad novas culpas praecavendas ordinata sit. Constat ex *Trid. sess. 14. c. 8.*, ubi sic: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate,* salutares *et* convenientes *satisfactiones iniungere; ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam*

(*a*) Haec ratio non satis firma videtur, quia *iudicium* completur etiam per sententiam, qua iudex decernat, poenam non esse imponendam. *Sicut in iudicio humano non manet iudicium imperfectum ex defectu punitionis, quando reus non iudicatur poena dignus; sic neque hoc iudicium et sacramentum manet imperfectum ex defectu punitionis et satisfactionis, quando poenitens non iudicatur dignus poena.* Ita Lugo, ubi perpendit vim argumenti a priori (*De Poenit. Disp. 25. n. 52.*).

imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem.

522. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quanta sit obligatio imponendi poenitentiam?*

Resp. 1° Haec obligatio est *ex genere suo* gravis. Ratio est, quia obligatio rem gravem respicit, licet ex parvitate materiae peccari tantum venialiter contra ipsam possit. — *Lugo, disp. 25. n. 49.* Hinc peccare etiam graviter Confessarius potest, si pro gravibus culpis levissimas poenitentias, sine causa excusante, imponeret (*a*). — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 506.*

(*a*) Secunda pars huius responsionis melius pertinet ad seq. 3. Quaestionem, ubi de mensura satisfactionis imponendae agitur; praesens enim quaestio, ut patet ex Respons. 2., versatur generatim circa gravitatem obligationis iniungendi aliquam satisfactionem.

E qua obligatione, inquit Lugo (*De Poenit. Disp. 25. n. 47.*) *constat, excipi aliquos casus. Primus est, quando poenitens est impotens, ut si sit morti proximus, maxime si caret iam sensibus, et non potest poenitentiam impositam percipere... — Secundus casus est, quando Confessarius ex confessione et aliis circumstantiis intelligit, poenitentem integre satisfecisse pro poena debita: et licet raro, vel nunquam possit hoc constare, addit tamen Petrus de Soto... sufficere, quod probabiliter videatur satisfecisse. — Tertius casus huic similis est, quem alii addunt, quando absque satisfactione instat perfectae remissionis remedium, v. gr. si instet martyrium subeundum: quod alii extendunt ad Indulgentiam plenam lucrandam, saltem quae sit moraliter certa. — Quartus casus est, quando poenitens ob suam fragilitatem, nullam credatur acceptaturus poenitentiam: aliquando enim oportebit condescendere eius imbecillitati ad vitanda graviora mala: nunquam tamen continget, quod aliquam, levem saltem, poenitentiam non sit acceptaturus.*

Et hoc sensu, nempe de levi aliqua satisfactione, accipiendum illud est, quod habet Scotus (*In 4. Dist. 15. q. 1. art. 3.*): *Si omnino nullam poenitentiam velit recipere a sacerdote impositam, dicit tamen, se habere displicentiam de peccato commisso, et firmum propositum non recidivandi, absolvendus est, et non est respuendus, ne cadat in desperationem, et nuntianda est sibi poena, quae esset pro peccatis facienda, et quod eam in se vel in aequivalenti absque impositione studeat adimplere; alioquin solvet ad plenum in purgatorio.*

De quo casu Card. Caietanus (*Sum. V. Satisfactio*): *Tertius* (casus quo omitti possit satisfactionis impositio) *est indispositio poenitentis, quia nullam vult poenitentiam hic peragere, sed offert se in purgatorio subiturum. Talis enim videtur absolvendus et relinquendus purgatorio ad satisfaciendum, si casus est possibilis, quia saltem semel signare se signo crucis nullus refutaret.*

** VV. (*Pag. 938. Not. 1.*) haec habent: *S. Alphonsus* (*Lib. 6. n. 516.*) *scribit, Suarez et Bonacin. post Tridentinum vocare temerariam opinionem Navarri et Caietani etc., qui dicebant, poenitentem posse poenitentiam recusare, ut eam in purgatorio satisfaciat.* Tum subdunt: *Unde mirum videri potest, quod cl. Ballerinius in adnot. ad n. 522. eandem opinionem denuo resuscitet.*

Resp. P. Ballerini, ut patet legenti Notam, non *resuscitat* ullam opinionem; quinimo contra contendit, Scotum et Caietanum eo sensu intelligendos esse, quo Card. De Lugo quartum casum proponit, de eo scilicet,

Resp. 2° Quoad *venialia* controvertitur. Alii gravem esse affirmant, quia iniunctio satisfactionis pertinet ad ritum huius sacramenti; qui ritus, cum a Christo institutus fuerit, pro re gravi habendus est. — Alii vero dicunt esse levem, quia non potest probari obligatio *gravis* poenitentiam iniungendi pro culpis levibus tantum, siquidem in hoc nulla deordinatio gravis apparet. Utraque sententia est probabilis, ut dicit *S. Lig. Hom. apost. n. 47.* (*a*).

523. — Quaer. 2° *Quandonam imponenda sit poenitentia?*

Resp. Generatim loquendo imponenda est ante *absolutionem:* ratio est, quia sic servatur iudicii ordo, qui exigit ut reus satisfactionem prius spondeat, quam absolvatur. Si autem Confessarius ex oblivione poenitentiam *ante* absolutionem non iniunxerit, eam *post* absolutionem imponere debet. Non est tamen grave poenitentiam post absolutionem imponere; imo *probabiliter* omni culpa vacat, si praesumatur, poenitentem opus ipsi iniunctum accepturum esse (*b*). — *S. Lig. n. 514. — Salmant.*, etc.

Quaer. 3° *Quanta poenitentia peccatoribus imponenda sit?*

Resp. Quantitas poenitentiae universaliter determinari non potest; sed relinquitur prudentiae et iudicio Confessarii. Gravem tamen, *regulariter et per se*, pro mortalibus imponere debet. Sic ex *Conc. Trid.*, ut supra *n. 521. — S. Lig. n. 508.*

qui ob suam fragilitatem non credatur ullam acceptaturus poenitentiam, cum tamen in praxi nunquam contingat, quod aliquam, levem saltem, poenitentiam non sit acceptaturus.

Et reipsa in allato textu Caietanus vix possibilem esse casum dicit, *quia saltem semel signare se signo crucis nemo refutaret.*

Nec aliter habet Navarrus, qui (*Man. Cap. 26. n. 20.*) scribit: *Sed de veritate huius limitationis inutile prorsus duco disputare, cum nemo sit tam saxeus poenitens, qui bona fide confiteatur, et nolit vel tantillam poenitentiam acceptare.*

Et hoc idem legitur apud Sporer, qui insuper non aliam esse mentem Scoti indicat. *Dummodo* (inquit *Part. 3. Cap. 3. n. 548.*) *aliquam vel levissimam poenitentiam subire velit, v. gr. aliquot Pater et Ave, tunsionem pectoris, etc. Eiusmodi enim levissimam poenitentiam recusans, pro peccatis praesertim gravibus, merito censeretur non recte dispositus, nec serio dolens de peccatis commissis, ideoque simpliciter repellendus a beneficio absolutionis, prout notat etiam Scotus in 4. Dist. 19. ad quaestionem motam.*

(*a*) Cum quidam exciperent ab hac obligatione occasionem Iubilaei, aut etiam cuiusvis plenariae indulgentiae, quasi haec ab obligatione satisfactionis praestandae eximeret, Benedictus XIV. (*Const. Inter praeteritas* §. *65.*) haec monenda censuit: *Unum tantummodo reliquum erat, ut super impositione poenitentiae a Confessario non omittenda diceremus, quoniam poenitens, qui indulgentiam consecutus erat, non teneri dicebatur ad eam implendam. Cum autem nobis huiusmodi ratio laxior visa esset, in Instructione, de qua n. XXVI., mentem nostram declaravimus, statuentes, salutarem poenitentiam a Confessario iniungendam esse poenitenti, etiamsi hic ad recipiendum iubilaeum praeparatus sit ex quo sane poenitentis obligatio exoritur eandem adimplendi.*

(*b*) *Nihil refert imponere ipsam ante vel post absolutionem; sufficit siquidem praeparatio poenitentis ad ipsam.* Caietanus (*Sum. V. Satisfactio.*).

524. — QUAER. 4° *Qualis poenitentia* per se *censeatur* gravis *pro uno vel altero peccato mortali?*

Resp. Censenda est poenitentia *gravis,* saltem ex praxi hodierna Ecclesiae, quae respondet operi, quod sub gravi ab Ecclesia iniungitur, vel quod sub gravi ex se obligaret, si praeciperetur.

Hinc poenitentia gravis et pro peccato gravi ordinario sufficiens erit Missam audire, ieiunare, recitare Rosarium (etsi quinque tantum decadum), Officium parvum B. Virginis, Litanias Sanctorum, et alia similia (*a*): non autem gravis censeretur poenitentia, si Psalmus *Miserere* tantum imponeretur. — *S. Lig. n. 515.*

QUAER. 5° *Qua de causa poenitentia levior imponi possit?*

Resp. 1° Si poenitens sit valde debilis et infirmus corpore; qua de re sic Rituale Romanum: *Meminerit Sacerdos aegris non esse iniungendam gravem et laboriosam poenitentiam, sed indicendam tantum illam, quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant.* Quod si infirmus sit constitutus in periculo mortis, tunc potest absolvi sine ulla poenitentia, licet expediat semper aliquam ei imponere. *Hom. apost. n. 49;* 2° si prudens timor sit, ne maiorem poenitentiam non adimpleat, aut ne ob graviorem poenitentiam a confessione avertatur (*b*); 3° si probabiliter maior poenitentia magis

(*a*) Quod A. adstruit, *pro uno vel altero peccato gravi* sufficere *Missam audire, rosarium,* etc., non ita intelligendum est, ut pro gravium peccatorum numero arithmetica proportione multiplicari rosaria, etc., debeant.

(*b*) Constans omnium temporum experientia plane effecit, ut cuiusvis aetatis ac scholae doctores mira concordia in hanc sententiam convenirent; in quam vel ipse Antoine, alioquin *merito* (ut ait S. Alphonsus *Lib. 6. n. 509.*) *inter scriptores rigidiores enumerandus,* concessit.

Ad rem S. Thomas (*Suppl. q. 18. art. 4. O.*): *Sicut medicinae in arte determinatae non omnibus competunt, sed variandae sunt secundum arbitrium medici, non propriam voluntatem sequentis, sed scientiam medicinae; ita poenae satisfactoriae... competunt omnibus, sed variandae sunt secundum arbitrium sacerdotis divino instinctu regulati. Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam efficacem, quae ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturae maius periculum oriatur; ita sacerdos divino instinctu motus non semper totam poenam, quae peccato debetur, iniungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine desperet, et a poenitentia totaliter recedat.* Quae sensa S. Doctor (*Quodlib. 3. q. 13. art. 28.*) illustrat alio exemplo: *Videtur autem satis conveniens, quod sacerdos non oneret poenitentem gravi pondere satisfactionis; quia sicut parvus ignis a multis lignis superpositis de facili extinguitur; ita posset contingere, quod parvus affectus contritionis in poenitente nuper excitatus, propter grave onus satisfactionis extingueretur, peccatore totaliter desperante.* Quae brevius sic expressit S. Thomae discipulus, Card. Caietanus (*Sum. V. Satisfactio*): *Debiliter autem dispositis (poenitentibus) detur satisfactio parvula iuxta debilitatem animi sui, et parvulus ignis foveatur apposita palea, et non suffocetur appositis magnis lignis desuper.* Praeiverat autem S. Ioann. Chrysost. (*In 2. Cor. hom. 44.*): *Sicut enim si fascem super humeros adolescentis, quem non potest baiulare, posueris, necesse est, aut fascem abiiciat, aut sub pondere confringatur; sic et homini, cui grave pondus poenitentiae imponis, necesse est, aut ut poeni-*

ei obfutura sit, quam profutura; 4° si poenitens valde contritus appareat; 5° si adsit tempus indulgentiae plenariae lucrandae, praesertim Iubilaei. — *S. Lig. n. 528.*

525. — QUAER. 6° *An possit imponi poenitentia sub conditione relapsus?*

Resp. Affirm., sed expedit, ut praeterea quaepiam alia satisfactio pro peccatis commissis imponatur (*a*). — *S. Lig. n. 524.*

tentiam suam reiiciat, aut suscipiens, dum ferre non potest, scandalizatus amplius peccet.

Plura alia videsis penes S. Alphonsum (*l. c.*), qui et istud insigne refert ex Gersone: *Tutius est cum parva poenitentia, quae sponte suscipitur, et verosimiliter adimpletur, ducere confessos ad purgatorium, quam magna non implenda praecipitare in infernum.* Quibus gemina S. Alphonsus affert ex S. Antonino (*ibid.*): *Si sacerdos non potest gaudere de omnimoda purgatione eius, saltem gaudeat, quod liberatum a gehenna transmittit ad purgatorium. Itaque, ut inquit Hostiensis, Confessor nullo modo debet permittere peccatorem desperatum recedere a se, sed potius imponat ei unum* Pater noster *et aliud leve* (attamen loquitur de eo, *qui magna peccata commisit*), *et quod alia bona, quae fecerit, et mala quae toleraverit, sint ei in poenitentiam... Hoc tamen sane intellige, videlicet, quia si alias ipsum poenitet, et paratum se dicit facere quod debet, sed onus poenitentiae dicit non posse sufferre, tunc propter hoc, quantumcumque deliquerit, non debet dimitti sine absolutione, ne desperet.*

Aliam industriam suggerit S. Thomas (*Quodlib. 3. art. 18.*), nempe ut explorentur vires et animus poenitentis: *Sicut potest sacerdos iniungere satisfactionem poenitenti ex arbitrio alieno, ita et ex arbitrio ipsius poenitentis; sicut si dicas: fac hoc, si potes; et si non potes, facias hoc. Et simile videtur, cum sacerdos dicit: Quidquid boni feceris, sit tibi in remissionem peccatorum.* — Et huc spectat monitum S. Caroli Borrom. in Instruct. ad Confessarios (apud S. Alphonsum *l. c.*): *Talem imponat poenitentiam, qualem a poenitente praestari posse iudicat. Proinde aliquando, si ita expedire viderit, illum interroget, an possit, vel dubitet, poenitentiam sibi iniunctam peragere; alioquin eam mutabit aut minuet.* — Et hoc pacto, ut S. Alphonsus (*ibid.*) advertit, servabitur quod in Rituali Romano insinuatur, ut habeatur in his ratio etiam *dispositionis* poenitentium: *Confessarius* (ita Rituale) *salutarem et convenientem satisfactionem, quantum spiritus et prudentia suggesserit, iniungat, habita ratione status, conditionis, sexus, et dispositionis poenitentium.* Quaenam autem *salutaris* et *conveniens* intelligatur hic satisfactio, ita Lugo (*De Poenit. Disp. 25. n. 60.*) explicat: *Debet esse salutaris et conveniens, hoc est, primo loco attendi debet ad utilitatem spiritualem poenitentis, ne scilicet laquei ipsi iniiciantur, ut nova peccata committat. Ex hoc potissimum capite excusari potest hodierna praxi,s qua leves poenitentiae imponuntur pro gravissimis peccatis: id enim saepe fit propter spiritualem infirmitatem poenitentium, qui gravioribus poenitentiis scandalizabuntur, et vel confessionem fugient, vel certe confessarios ineptos adibunt, qui eos curare nesciant.*

(*a*) Poenitentia sub conditione relapsus imposita, si sola iniungatur, evadit poenitentia disiunctiva, nimirum iniungitur ut poenitens vel loco poenitentiae conatum adhibeat, quo tentationi resistat, vel certe quamdam poenam secus exsolvat. Videatur de hoc argumento Diana (*Tom. 1. Tr. 6. Reg. 19.*), qui affert Sanchezium negantem, poenitentes ad eam acceptandam teneri, et Suarezium contra affirmantem; alios denique aientes, Confessarium non posse ad id obligare, poenitentem tamen ad eam implendam, si ipsam acceptet, teneri.

Quaer. 7° *An possit imponi poenitentia publica?*

Resp. Neg., si agatur de peccatis occultis. — *Ita Rit. Romanum.* Secus autem pro publicis. Attamen si publica poenitentia non ita sit necessaria, Confessarius non debet illam renuenti imponere, cum aliter eius salus obtineri, et scandalum reparari possit (*a*).— *S. Lig. n. 512.*

Quaer. 8° *An possit imponi pro poenitentia opus alias debitum?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia cum opus illud sit satisfactorium, bene potest per claves ad meritum satisfactionis sacramentalis elevari. — *S. Lig. n. 513., et alii communiter* (*b*).

526. **Resolves.** — 1° Nunquam sunt imponendae poenitentiae perpetuae, tum quia inducere solent periculum oblivionis vel nimiae anxietatis, tum quia si tales poenitentiae a variis Confessariis eidem poenitenti imponantur, hic innumeris vinculis simul et pro tota vita obstringetur. Imo nec ordinarie sunt imponendae poenitentiae ad diuturnum tempus, v. gr. ad annum, aut ad quinque menses. — *S. Lig. Hom. apost. n. 52.* — *Lacroix,* etc.

2° Nunquam eae sunt imponendae satisfactiones, quae poenitentem ludibrio aliorum exponere possunt, v. gr. ut recitet in media Ecclesia quinque *Pater* brachiis extensis, etc. *A fortiori* autem imponendae non sunt poenitentiae, quae adimpleri nequeunt, quin confessionis revelatio facile subsequatur.

3° Nec sunt imponenda ieiunia pueris, rusticis, opificibus continuo labore defatigatis; nec filiisfamilias, qui ieiunando admiratio-

(*a*) Profecto hic sermo non est de satisfactione, quam vetus Ecclesiae disciplina ob quaedam crimina a fidelibus exigebat; antiquatus enim ille mos in Ecclesia est, nec eius impositio ad ministrum sacramentalis confessionis pertinebat. Superest ergo casus ingentis alicuius scandali, quod reparari oporteat; et exemplum quidam afferunt hominis, qui publice restituere debeat honorem, quem publice laesit; quod tamen exemplum minus ad rem facere videtur; quia si forte ipso iure naturae ad id poenitens obligetur, liberum confessario non erit, hoc illi iniungere vel non iniungere. Sed et hoc ipsum dicendum erit, quoties scandalum exhibitum publica indigeat reparatione; ad id enim poenitens tenebitur, etiamsi a confessario ceu satisfactio sacramentalis non iniungatur. Caeterum publica eiusmodi scandala fere reparari aliter possunt, v. gr. si publice quis ad Sacramenta accedat, ecclesias devote visitet, Missam audiat, nomen det piae confraternitati, etc. Et si quidem publica eiusmodi reparatio necessaria non sit, Doctores, S. Alphonso teste (*Lib. 6. n. 512.*), communiter consentiunt, reluctanti imponendam non esse.

(*b*) Communis doctrina habet, posse per impositionem operis, alias praecepti, eam partem suppleri, quae a poenitentis fragilitate per alia opera sperari non potest. At enim facile patet, pari ratione id valere pro iis, quorum conditio et adiuncta aegre ferunt ut vel per ieiunium, vel per eleemosynas, vel per orationes conveniens satisfactio praestetur, utcumque illi sint bonae voluntatis: charitas enim suadere potest Confessario, ut hoc medium ad luendas in hac vita poenas idoneum iis suppeditet. Insuper vero etsi sat conveniens satisfactio poenitenti imposita fuerit, nihil impedit, quominus ad uberius satisfaciendum confessarius, praesertim ubi poenitens id se cupere significet, hoc praesidium adiungat.

nem parentibus iniicerent, aut etiam eos offenderent. Nec sunt iniungendae peregrinationes aut prolixae preces, aut generatim eleemosynae mulieribus sub potestate viri constitutis, sicut nec pauperibus iugi labore victum sibi comparantibus.

4° Non sunt imponendae poenitentiae multis operibus diversis implicatae, quia memoriter teneri non possent; nec, ordinarie saltem, poenitentiae nimis naturae repugnantes, v. gr. signare crucem cum lingua in terra, invisere inimicos, etc. Imprudenter (*a*) etiam generatim imponitur pueris, ut veniam petant a parentibus, vel ab aliis ob inobedientiam, irreverentiam aut furtula; quia saepe odiosam reddunt confessionem, et plerumque omittuntur, etc.

ARTICULUS II.

DE IMPLETIONE POENITENTIAE

527. **Principia.** — I. Poenitens tenetur acceptare atque implere rationabilem poenitentiam sacramentaliter iniunctam; quia ex dictis Confessarius tenetur poenitentiam, et quidem peccatis aliquo modo proportionatam, imponere. Si autem poenitentia imponi et acceptari debet, eo ipso ratione obedientiae Confessario debitae, etiam adimplenda est. Constat ex *Conc. Trid. sess. 14., c. 8.* — *S. Lig. n. 516.; Hom. apost. n. 55.*

II. Poenitens tenetur *sub gravi* implere poenitentiam gravem pro gravibus peccatis impositam; quia materia gravis per se obligat sub gravi. — *Ita omnes.* Probabilius autem tantum *sub levi* obligatur ad poenitentiam levem pro levibus culpis impositam; quia materia levis non est capax gravis obligationis. — *Ita communius* cum *S. Lig. n. 517.*, contra *nonnullos.*

III. Poenitens implere debet poenitentiam tempore designato a Confessario, vel quamprimum commode potest; et si poenitentia sub gravi obliget, graviter peccabit, si ex gravi negligentia diu eam differat (*b*); ratio est, quia per se grave est debitum notabile diu protrahere. Quoties autem poenitentia statuto tempore adimpleta non fuit, semper remanet onus eam peragendi, quia tempus tantum accessorie intenditur. — *S. Lig. n. 525.*

528. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An obliget sub gravi poenitentia in se quidem gravis, sed pro solis venialibus imposita?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia tunc non est necessaria satisfactio, in quantum est gravis. Unde sicut Confessarius non te-

(*a*) Imprudentiae istius fructum haud raro hunc reperies extitisse, ut pueri neque a confessario mutationem poenitentiae, neque a parentibus sive aliis ausi veniam petere, multo minus deinde peccatum omissae poenitentiae confiteri audentes, confessionum sacrilegarum seriem inchoaverint, et ad multos annos addita sacrilega communione protraxerint.

(*b*) Vide dicenda inferius *n. 530. Quaest. 6.*

nebatur, imo nec poterat illam praecipere sub gravi, ita nec poenitens sub gravi implere tenetur. — *S. Lig. n. 517.* (*a*).

QUAER. 2° *An Confessarius pro gravibus culpis poenitentiam possit imponere* GRAVEM *quidem, sed* LEVITER *obligantem?*

Resp. Affirm., quia legislator quilibet gravem materiam sub levi praecipere potest; hoc tamen generatim non expedit. — *Suarez* cum *communi,* apud *S. Lig. n. 518.* (*b*).

QUAER. 3° *An poenitens teneatur* SUB GRAVI *implere* CIRCUMSTANTIAS *poenitentiae adiectas, v. gr. ut oret* GENIBUS FLEXIS, *etc.?*

Resp. Solutio pendet a maiori vel minori carnis afflictatione, quam affert circumstantia, sive *per se* sive *respectu* poenitentis. — *S. Lig. n. 517.* Hoc pendere potest etiam ab intentione Confessarii, quam vel ipse expresse manifestaverit, vel poenitens possit praesumere (*c*).

529. — QUAER. 4° *An satisfaciat, qui poenitentiam impleat in mortali?*

Resp. Affirm., cum communi. Ratio est, quia ad satisfaciendum

** (*a*) VV. (*Pag. 397. n. 118.*) quasi supplementum ad hanc Gury responsionem afferunt ea, quae S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 517.*) ex Roncaglia refert et approbat, videlicet, *quod si per accidens peccata illa venialia valde disponerent poenitentem ad mortale, tunc posset confessarius gravem ei imponere poenitentiam, ut ipsum removeat a periculo peccandi mortaliter; et tunc tenebitur poenitens, si velit absolvi, illam acceptare et adimplere.*

Sed multo melius et accuratius de huiusmodi casu ita scripserat Suarez (*De Poenit. Disp. 38. Sect. 7. n. 7.*): *Si propter curationem et medicinam iudicet confessor id expedire, poterit facere, et poenitens tenebitur obedire: quia tunc potius agitur de condigna dispositione ad remissionem peccatorum, quam de satisfactione pro temporali poena. Unde illud praeceptum a confessore positum, non tam est nova impositio, quam declaratio alicuius obligationis, quam poenitens de se habet, ut possit de illius dispositione, et proposito vitandi peccata moraliter constare; et ad summum videtur sacerdos tunc modum seu medium determinare: in quo, si sint plura et sufficientia* (scil. media) *potest se voluntati poenitentis accommodare, ut medicinam eligat: quia hoc satis est* AD ILLIUS CURATIONEM, AD QUAM SOLAM *sacerdos ius habet et potestatem in eo actu, ut declaratum est.* Quocirca id, quod sententiae Roncagliae addit S. Alphonsus, nempe quod *tenebitur poenitens, si velit absolvi, illam* (*gravem satisfactionem*) *acceptare et adimplere,* utique tenendum est, si hoc sit *unicum medium* curationis; secus, si *plura eaque sufficientia media* in promptu sint; quippe ad *solam curationem,* ut ait Suarez, *sacerdos ius et potestatem habet.* Quae animadversio eo accidit opportunior, quia etiam S. Alphonsus doctrinam reprobat Roncagliae, qui (*De Sacr. Poen. Q. 4. Cap. 2. r. 2.*) potestatem generatim imponendi gravem pro venialibus poenitentiam ex alio falso principio deducit.

(*b*) S. Alphonsus mallet, ut saltem aliquid *sub gravi* iniungeretur, quocum aliud deinde etiam gravius posset imponi sub levi. At ipse non diffitetur, oppositam sententiam communiorem esse; et ex hoc ipso arguitur, minus firmum esse argumentum, quod ipse a Synodo Tridentina conatur pro sua opinione elicere.

(*c*) Eiusmodi regula, quae poenitenti reservat *munus praesumendi* etc., forte nimis difficilis est; quia plerique incapaces sunt de hisce iudicandi.

praecepto sufficit opus satisfactionis iniunctum ponere, licet finis praecepti non obtineatur. — *S. Lig. n. 522.*

QUAER. 5° *An peccet, qui implet poenitentiam in mortali?*

Resp. 1° Certum est illum non peccare *graviter.* — *Ita communiter Theologi.*

Resp. 2° Iuxta quosdam *venialiter* peccat. Ratio est, quia qui voluntarie obicem effectui etiam partiali Sacramenti ponit, non videtur ab aliqua culpa excusari posse. Plures tamen graves Theologi *probabiliter* tenent cum *Lugo,* illum ab omni culpa eximi, quia nulla est culpa soli poenarum remissioni obicem ponere (*a*). —*S. Lig. n. 523.*

530. — QUAER. 6° *Quaenam poenitentiae dilatio sit culpa gravis?*

Resp. 1° Si poenitentia fuerit *levis,* dilatio, quantacumque sit, nunquam erit *gravis,* cum ex dictis ipsa poenitentiae omissio probabilius culpam levem non excedat.

Resp. 2° Si poenitentia sit *gravis,* et pro gravibus peccatis imposita, *probabilius gravis* reputanda est dilatio duorum vel trium mensium, quando medicinalis sit, aut adsit periculum oblivionis. Caeterum nulla regula generalis circa hoc statui potest (*b*). — *S. Lig. n. 524.*

(*a*) Hoc valere debet praesertim, quando poenitentia ad plures dies protrahi debet. Quis enim dixerit, poenitentem teneri ad gratiam recuperandam, ut possit poenitentiam implere? Secus vero, ut notant Salmanticenses (*De Poenit. Cap. 10. n. 70.*), poenitens peccaret tum implendo poenitentiam, tum non implendo: implendo quidem, quia implet in statu peccati; non implendo, quia omitteret. Et haec quidem secunda opinio eo magis verisimilis est in eorum sententia, qui dicunt, satisfactionis effectum in casu obtineri, quando obex deinde removetur.

** Etiam hoc loco, prout saepe alias, VV. (*Pag. 938. Not. 2.*) monent, in prioribus P. Gury editionibus legi: *probabilius venialiter peccat.*

Resp. Prius Gury videtur secutus S. Alphonsum, qui dicit (*Lib. 6. n. 523.*): *Alii probabilius tenent peccare venialiter.* Postea tamen sententiam paulo immutavit, permotus forte rationibus Salmanticensium, qui rationi hic in Nota allatae addunt: *Imo dicendum esset, teneri existentem in peccato mortali, qui nondum implevit poenitentiam, prius quidem se iustificare, et postea poenitentiam implere; quae omnia non videntur communi usu recepta.* At enim nonne et S. Alphonsus sententiam suam hic aliquanto immutavit? Nam in Edit. an. 1748 (*Lib. 6. Tr. 4. Dub. IV. art. 1. Not. E.*) haec mere habet: *Immo nec veniale quidem esse, implere poenitentiam in mortali probabiliter docent Salmant., et Lugo, et Dicastillus.*

Caeterum quandoquidem VV. e re esse putant commemorasse, sicubi P. Gury in praecedentibus Editionibus aliam praeferebat sententiam, utpote quae magis ipsis VV. arridet; non graviter idcirco ferant, quod alii idipsum et cum S. Alphonso factitent, et mutatae deinceps a S. Doctore sententiae anteriorem eiusdem immutatam praeferant, utpote quam plausibiliorem censeant.

(*b*) Nemo dubitat, poenitentibus suadendum esse, ut satisfactionem impleant, quamprimum commode possunt. At si quaeratur, quandonam dilatio reatum, praesertim gravem, importet, vix credi potest, quantum inter se DD. dissentiant, adeo ut tot diversas habeas opiniones, quot intermedia temporis spatia habes inter octiduum et annum, et quidem ita, ut dum

Quaer. 7° *An, si poenitens iniunctae poenitentiae oblitus fuerit, teneatur confessionem repetere, ut aliam poenitentiam recipiat?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia impletio poenitentiae iam semel iniunctae, per oblivionem etiam culpabilem, *impossibilis* effecta est. Ad impossibile autem nemo tenetur. — *Ita S. Lig. n. 520., et alii communiter.*

Si tamen poenitens prudenter praesumat, Confessarium adhuc esse iniunctae poenitentiae memorem, deberet ipsum, si commode possit, adire, ut ab eo, qualis sit illa, resciat.

531. — Quaer. 8° *Quis poenitentiam commutare possit?*

Resp. 1° Nunquam ab ipso poenitente commutari potest, ne in melius quidem, quamvis votum ab ipso vovente possit in opus evidenter melius mutari; ratio, quia poenitentia nequit ad sacramentalis satisfactionis meritum elevari, nisi a Ministro ipso Sacramenti poenitentiae imposita fuerit.

Resp. 2° Commutari potest 1° a Confessario, qui eam imposuit, quia legislator potest propriam legem mutare; 2° a quolibet alio Confessario, quia quilibet alius Confessarius potest esse eiusdem

octiduum a quibusdam velut terminus statuitur, ultra quem iam de gravi reatu dilatio damnari queat (*Vid. apud S. Alphons. Lib. 6. n. 521.*), alii dilationem integri anni culpae expertem iudicent (*Vid. apud Diana Tom. 1. Tract. 6. Resol. 44. et 45. edit. coord.*). Neque valde urget discrimen poenitentiae *medicinalis.* Nam si fingas aliis remediis infirmitatem curari, cessat obligatio, quam ratio medicinae inferret.

Undenam porro tanta opinionum varietas? Inde profecto, quod ratio quaepiam solida ad aliquid certius concludendum plane desideretur. At vero hoc ex omnium sententia certissimum est, non damnandum quid *de mortali,* nisi manifesta et evidens ratio id suadeat. Ergo quidquid dicatur de octiduo, quindecim diebus, de mense, de bimestri, etc., pertinet ad privatas opiniones, quibus iniiciendi conscientiam gravis peccati vis prorsus deest.

** Idque aequo ferant animo etiam VV., qui (*Pag. 938. n. 121.*) opiniones S. Alphonsi etiam huic Auctoris loco opponunt. Quidquid enim probabilitatis etiam hisce opinionibus tribuere demum libeat, illud ante omnia obsequium S. Doctori exhibendum sancte est, ut regulas, quas ipse cum universis DD. statuit, quasque alibi plus semel memoravimus, circa asserendam peccati gravitatem, et nos sanctissime tum verbis tum factis custodiamus.

Et quod ad dilationem spectat, etiam quando Confessarius tempus praescripsit, ecce tibi Salmanticenses (*apud S. Alph. l. c.*) de mortali eum damnantes, qui iniunctam Communionem ad quatuor dies differat; quibus S. Alphonsus communiorem opponit sententiam, quae dilationem ad sex vel octo dies levem putat. Ast alii forte reponent, praesumendum non esse, quod Confessarius his laqueis irretire poenitentem voluerit, ut pro quavis dilatione reus fiat letalis culpae; nec nisi imprudenter ageret Confessarius, qui ex indole poenitentis dignoscens, probabilem fore eiusmodi negligentiam, sub gravi haec vincula imponeret: quippe ex iis, quae dicta sunt (*sup. in not. ad n. 522. et 523.*), non salutares, sed mortiferae eiusmodi iniunctiones dicendae forent. Nam caeteroquin quae indoles, quaeso, foret hominum, qui medicamenta nesciant praescribere, nisi aeternae in inferis desperationi destinent miserum infirmum, qui ad unguem forte iussa non servet?

causae iudex, si poenitens ipsius tribunali se submittat; successor enim in eadem auctoritate potest, quidquid potuit antecessor. Excipiendum tamen videtur, si poenitentia ab ipso Superiore pro casibus reservatis imposita est, quia inferior sententiam Superioris mutare nequit; nisi tamen causa gravis adsit, aut consensus Superioris facile praesumi possit. — *S. Lig. n. 528. et 529.*

Ad commutationem tamen licite faciendam requiritur causa iusta, qualis est, 1° si poenitentia videatur difficilis; 2° si praevideatur poenitens non esse ei satisfacturus ob repugnantiam, fragilitatem, oblivionem, etc. — *S. Lig. n. 528.*

532. — QUAER. 9° *An poenitens teneatur confessionem repetere ad poenitentiae commutationem obtinendam?*

Resp. 1° Si adeat eumdem Confessarium, non erit necessarium repetere, quando Confessarius recordetur utcunque *confuse* status conscientiae poenitentis (*a*).

Resp. 2° Si alium adeat Confessarium, vel etiam eumdem, non amplius peccatorum memorem, sufficit ut summatim confiteatur; ita ut Confessarius confusam status illius notitiam acquirat (*b*). — *Ita S. Lig. n. 529., et alii communiter* contra *nonnullos.*

Resp. 3° *Probabilius* requiritur haec summaria confessio, si Confessarius, saltem *in confuso,* statum poenitentis non cognoscat. Ratio est, quia nequit Confessarius poenitentiam commutare, nisi sacramentali iudicio: hoc autem iudicium non potest exercere, nisi poenitens conscientiae suae statum illi aperiat. — *Lacroix, Elbel,* etc.

Attamen probabiliter id negat *S. Lig.* cum *aliis;* quia non agitur de iudicio ferendo circa culpas deletas in praecedente confessione, ubi iudicium circa illas iam fuit formatum, sed tantum de poenitentia commutanda; ad hoc autem sufficit prioris poenitentiae cognitio, et notio fragilitatis aut difficultatis ad eam implendam, ut nempe nova aliquo modo aequivalens imponatur (*c*).

533. — QUAER. 10° *An Confessarius possit poenitentiam commutare extra confessionem?*

Resp. 1° *Neg.,* si Confessarius sit diversus. Ratio est, quia Confessarius nullam habet potestatem, nisi in iudicio sacramentali.

Resp. 2° Si Confessarius ille sit, qui poenitentiam imposuit, potest illam mutare *immediate* post absolutionem, antequam poenitens discedat; non vero postea, *saltem probabilius.* Ratio est, quia

(*a*) In praesenti casu haec recordatio prorsus sine causa exigitur. Etsi enim nulla memoria de statu poenitentis retineatur, apparet nihilominus, quid congrue substitui possit oneri, quod alias congruum statui poenitentis iudicatum fuerat. Congrua proinde satisfactio etiam sine illa recordatione potest iniungi.

(*b*) Summariam Confessionem sufficere, nemo dubitat; sed ea necessaria non est, si Confessarius idem adeatur; sin autem alius, ex seq. resp. 3° habes, quid sit statuendum.

(*c*) Si commutatio fieri ob infirmitatem seu fragilitatem poenitentis debeat, haud facile id per *aequivalentis* substitutionem assequeris.

ad id requiritur et sufficit, ut praecedens Confessarii iudicium moraliter perseveret, quod non videtur locum habere, si poenitens Confessarium extra Poenitentiae tribunal adierit. Ergo, etc. — *Ita S. Lig. n. 529.*, ubi dicit, hanc esse sententiam *veriorem* et *communiorem* cum *Suarez, Salmant.*, etc. — Alii tamen dicunt, commutationem poenitentiae fieri posse ab eodem Confessario extra confessionem intra unius diei spatium (*a*); quia tunc adhuc videtur moraliter uniri cum praecedenti iudicio sacramentali. Nam quemadmodum longius spatium non impedit, quominus moraliter uniantur aut dolor, aut confessio, aut etiam impletio satisfactionis cum absolutione, ita et de mutatione poenitentiae iudicari potest. — *Lugo, D. n. 112. — Voit, n. 632.*

534. **Resolves.** — 1° Non tenetur poenitens poenitentiam adimplere, quando invalida fuit confessio; quia iudicis sententia sacramentalis nulla fuit, ac proinde nullum adest Sacramentum integrandum: alias vero bis pro iisdem peccatis esset satisfaciendum. Idem dicendum est ob eandem rationem de poenitentia imposita sine absolutione. — *Collet, — Reuter, et alii communiter.* Excipe 1° si poenitentia sit medicinalis, atque adeo necessaria ratione medicinae (*b*); 2° si poenitens ad eamdem confessionem perficiendam pluries accedat, et interim Confessarius, ut saepius fieri solet, poenitentiam aliquam singulis vicibus imponat, quo minor in fine imponenda supersit.

2° Peccat graviter non modo qui poenitentiam omittit, sed et qui omittit eius partem prae integra poenitentia notabilem; vel etiam quae gravis esset in se spectata.

3° Universim ad iudicandum de omissionis gravitate attendendum est, num materia vel circumstantia omissa multum ne, an parum ad praecepti finem conferat, num substantia praecepti impleta sit, etc. Sic praecepti substantiam implet nec peccat, nisi venialiter, qui stans, vel in cubiculo rosarium recitat, quod ex iussu confessarii flexis genibus vel ante imaginem B. Virginis recitari debuisset; secus vero, si poenitens iussus esset, v. gr. expansis brachiis orare; notabilis enim est haec mortificatio, cuius omissio gravis haberi potest.

4° Preces in poenitentiam impositae recitari possunt, etiam dum Missam de praecepto interea quis audit, nisi tamen aliud fuerit a Confessario statutum. — *S. Lig. n. 525.*, contra *paucos*. Possent

(*a*) Cardinalis De Lugo, cuius sententia hic exponitur, nuspiam ad unius diei spatium rem constrinxit. Et si quidem distare commutatio haec a confessione tantum potest, quantum dolor a confessione, aut confessio ab absolutione, aut demum ab absolutione satisfactio, facile apparet, abs re mensuram illam unius diei huc interseri.

(*b*) In ista hypothesi necessarium erit opus iniunctum, non quia a Confessario iniunctum, sed quia naturali lege impositum. Ad hoc tamen insuper requiritur, ut opus illud sit medium unicum, quo quis vitare peccatum possit.

etiam alternatim cum sociis recitari preces, quae ex Ecclesiae usu, aut fidelium praxi, velut in choro recitari solent, v. gr. *Rosarium*, etc.

5° Satisfacere nequit poenitens per alterum, nisi tamen id de consensu Confessarii fiat; quia satisfactio est quasi sacramenti huius materia, et pars integralis (*a*). Ergo necessario ab ipso poenitente satisfactio ponenda est. Constat etiam ex propositione 15. ab *Alexandro VII.* damnata, quae est huiusmodi: *Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.*

6° Si Confessarius duas Missas eodem die audiendas in poenitentiam imposuerit, illae successive, non autem eodem tempore, videntur audiendae; id enim intendisse Confessarium, rationabiliter praesumimus. — *S. Lig. Hom. apost. n. 57.* — *Lacroix, et alii communiter.*

7° Poenitens, cui difficilior iniungitur poenitentia, Confessarium monere debet de impossibilitate aut nimia difficultate eam adimplendi; et si Confessarius non acquiescat, alium adire potest. Si autem poenitentia non appareat adeo gravis, poenitens eam acceptare tenetur, nec potest recedere sine aliqua culpa (*b*).

8° Si poenitens, accepta poenitentia ab uno Confessario, confessionem iteret apud alium, ut mitiorem poenitentiam sortiatur, vel etiam alia de causa; a priori poenitentia minime liberatur, nisi mentionem de praecedenti confessione et accepta poenitentia faciat; ratio, quia ad commutandam poenitentiam ex parte Confessarii requiritur positivus voluntatis actus, quo prior obligatio revocetur. — *Ita communiter Lugo, Lacroix*, etc.

APPENDIX

DE POENITENTIIS UTILIUS IMPONENDIS

I. *Opera pietatis.*

535.— 1° Orationes vocales, Pater, Ave, Credo, Litaniae B. Virg., Rosarium, sive eius tertia pars; preces matutinae et vespertinae.

2° Orationes mentales (discrete), pro capacitate poenitentis; pro rudibus, cogitatio aliqua de inferno, de morte, de passione Christi, mane aut vespere, v. gr. per tempus unius Ave.

3° Actus Fidei, Spei, Charitatis, contritionis, fiduciae in Deum,

(*a*) Si hoc fit ex Confessarii consensu, opus iniunctum seu satisfactionem, atque adeo partem sacramenti integralem habes in cura, qua poenitens alium ad quidpiam praestandum movet. Propositio autem damnata, quae in textu subiicitur, eum ferit, qui *propria auctoritate*, non autem qui auctore confessario alium sibi substituat.

(*b*) Aderit nimirum saltem acediae vitium.

conformitatis divinae voluntati, propositi non peccandi . . . , toties (*a*) ..., v. gr. mane, vespere, praesertim in tentationibus vel animi deiectione.

4° Oblatio suimetipsius Deo summo mane, signum crucis, variae aspirationes seu orationes iaculatoriae ad Christum, ad Cor Iesu, ad B. Virginem, ad Angelum Custodem. (Ordinarie non sunt multiplicandae.)

5° Exercitium Viae Crucis, praesertim quando fit in communi: preces novendiales in honorem B. V. vel alicuius Sancti.

6° Auditio concionum, catechismi, assistentia Officiis Ecclesiae, v. gr. Missae solemni, Vesperis, etc. vel exercitiis spiritualibus, aut pio exercitio Mensis Mariani, vel aliis huiusmodi, saltem aliquoties.

7° Examen generale conscientiae vespere, saltem per breve tempus; item examen particulare circa talem defectum, vel talem pravam consuetudinem ex firmo emendationis proposito (*b*).

8° Visitatio Ecclesiae vel Altaris cuiuslibet, vel alicuius in particulari ad aliquid ibi orandum, aut petendam gratiam non amplius peccandi.

9° Lectio pia, v. gr. per quadrantem die Dominica, vel unum aut alterum caput, v. gr. Imitationis Christi, Vitae Sanctorum, vel alterius pii libri, etc.

10° Frequentatio Sacramentorum, tali die, vel tali tempore, aut tot vicibus. Hic caute agat Confessarius, nec imponat obligationem iis, qui raro confitentur, ut semel vel bis in mense accedant ad tribunal poenitentiae per annum; sed hoc non iniungat nisi una, et forte altera vice, et solis poenitentibus id libenter acceptantibus (*c*).

II. *Opera mortificationis.*

1° Ieiunium, vel integrum iuxta leges Ecclesiae, vel partiale iuxta vires physicas ac morales poenitentis. Non tamen imponenda est huiusmodi poenitentia nisi raro, et iis solum, qui eam libenter accepturi sunt.

2° Subtractio aliqua cibi, quae corporis sanitati, aut officiis seu laboribus poenitentis nullo modo nocere possit, v. gr. dimidia pars ientaculi soliti die Veneris aut Sabbati aut in vigilia festi alicuius, etc.

3° Abstinentia a vino vel liquore inebriante, tali die, tali tempore, aut non excedere certam quantitatem.

(*a*) Haec, aliaque eiusmodi potius quam obligationis cuiuspiam, videntur materia consilii; nam facile oblivioni traduntur, et consequenter anxietatibus dant locum. Hoc ipsum etiam de iis, quae numero sequenti A. proponit, dicendum est.

(*b*) Haec fere nimis difficilia sunt et exquisita, nisi forte cum personis agatur huic vel illi exercitio iam assuetis.

(*c*) *Adde:* et prudentem spem de futura propositi executione praebentibus.

4° Subtractio aliqua somni ordinarii, praesertim surgendo maturius mane, aut hora determinata in pigritiae medelam, aut etiam ad tentationes impuras praecavendas.

5° Orare genibus flexis, aut brachiis in modum crucis extensis (*a*), deosculari terram humilitatis causa, breves peregrinationes instituere.

6° Offerre Deo aliquoties aegritudines, morbos, aut alias occurrentes vitae aerumnas, patienter eas ferendo (*b*).

7° Privari aliquando recreatione etiam honesta, v. gr. deambulatione (*c*), reprimere nimiam curiositatem in auditu, in visu; non sistere tamdiu ad domus ianuam aut fenestras. Hoc praesertim convenit puellis vanitati praeter modum addictis.

8° Castigare corpus moderate, discreta maceratione, aliqua flagellatione, situ incommodo. — (Sed haec rarissime iniungenda (*d*); imo cum magna discretione permittenda.)

III. *Poenitentiae medicinales.*

536. — Cum generatim loquendo contraria contrariis curentur, iniungi, aut tantum suaderi poterunt sequentes poenitentiae, cum discretione tamen, attenta praesertim qualitate, et bono maiori poenitentium.

1° Poenitentibus raro et male orantibus imponantur preces breves, mane aut vespere, per hebdomadam circiter, persolvendae. — Tepidis lectiones piae, vel orationes iaculatoriae aliquoties in die

(*a*) At brevis eiusmodi oratio sit, oportet, nempe ne sanitati noceat.

(*b*) Etiam ista sunt potius materia consilii et adhortationis. Postrema autem particula prorsus minus prudenter iniungitur, quia suppeditat occasionem multipliciter peccandi; insuper, hoc etiam seposito, nimis obscurum et incertum manebit, quousque se porrigat haec obligatio, et quae certa ipsius materia existat.

(*c*) Dic potius theatri, aut alterius spectaculi solatio. Nam deambulatio non modo honesta est, sed utilis sanitati.

(*d*) Inter ea, quae *rarissime* iniungi oportet, Card. De Lugo recenset etiam abstinentiam a sumenda SS. Eucharistia, insuper addens, tunc solum id consentaneum esse, cum propter defectum reverentiae et dispositionis praestat quempiam ab ipsa removeri. Ita ille: *Ostendimus, frequentem usum Communionis non esse rem ita determinate bonam, ut non possit aliquando et in aliquibus circumstantiis melius esse abstinere, quam accedere, etiamsi non sit conscientia peccati mortalis... Cum ergo Confessarius possit praecipere opera honesta et virtutum in poenitentiam; non videtur dubium, in genere et de possibili loquendo, quod possit aliquando praecipere poenitenti, ut abstineat a Communione tali die; quando scilicet constat, melius esse tunc abstinere, quam accedere; quod ex statu poenitentis et defectu reverentiae et dispositionis colligi prudenter potest. Dum tamen illa omissio Communionis non sit occasio aliis iudicandi, quod a Confessario fuerit in poenitentiam imposita, ne forte hac via cogeretur poenitens suam confessionem manifestare. Regulariter tamen non expedit, talem poenitentiam imponere, licet in casu rarissimo negandum non sit, quod possit utiliter imponi.*

faciendae, paucae tamen, et ad paucos dies, ne oblivione omittantur, aut poenitentem contorqueant. — Tentatis contra Fidem et Spem, actus Fidei, Spei, fiduciae, vel recitatio Symboli Apostolorum, etc.

2° Blasphemis reverentia externa in Deum, in Crucem...., v. gr. deosculari reverenter Crucifixum, vel imagines sacras, aut dicere devote: *Sit nomen Domini benedictum. Laudetur Iesus Christus.*

3° Amatoribus mundi eiusque pomparum, meditatio aliqua de vanitate rerum mundanarum, v. gr. dum mane surgunt, aut cubile petunt, vel renovatio sponsionum in Baptismo factarum.

4° Illis, qui saepe Missam omittunt, aliqua Missa supererogatoria audienda, v. gr. duplex die Dominica, aut una die feriali, vel visitatio aliqua sanctissimi Sacramenti pluries facienda, etc.

5° Servantibus odium opera aliqua charitatis in proximum, v. gr. inimicum salutare, aut alloqui (prudenter tamen); oratio et actus charitatis pro proximo in genere, et etiam specialiter pro inimicis; recitatio Orationis Dominicae pro iisdem, praesertim horum verborum: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

6° Libidinosis aliqua mortificatio, aut commoditatum subtractio, praesertim fuga occasionum (*a*), oratio, Sacramentorum frequentatio, firmi propositi frequens renovatio, novissimorum memoria, etc.

7° Furibus et avaris eleemosyna aliqua iuxta eorum facultates, etiamsi as unicus aliquoties in pauperes vel in Ecclesiam erogandus esset. Nunquam autem imponendae sunt graves eleemosynae, nisi libenter acceptentur.

8° Superbis officia quaedam humilitatis, v. gr. deosculari terram, visitare pauperes, vel ipsis benigne subvenire, eos humaniter tractare, vel elicere varios actus humilitatis, v. gr. dicere cum publicano: *Domine, propitius esto mihi peccatori.*

9° Gulosis et ebriosis subtractio aliqua ciborum, abstinentia a cibo et potu extra consuetas refectiones, vel abstinentia a vino tali die, aut prohibitio ne in refectionibus talis vini quantitas excedatur, etc.

Adde etiam opera mortificationis quae in §. praecedente indicata sunt.

(*a*) Intellige de occasionibus saltem paullo remotis; nam *proximas* ius naturae cavendas praecipit.

PARS TERTIA

DE MINISTRO POENITENTIAE

Agendum 1° de potestate Ministri; 2° de eius officio.

CAPUT I.

DE POTESTATE MINISTRI

Quam miranda est Sacerdotis, non ad altare solum litantis, sed etiam in Poenitentiae tribunali sedentis potestas! Nulla sane est in terris praestantior dignitas, nullum sublimius ministerium, nullus gradus illo eminentior, cui tribuitur peccata dimittendi facultas. *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* clamabant infideles Iudaei, Luc. 7. 49. Et iterum: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Luc. 5. 12. — Et homo nunc etiam peccata dimittit, et quidem potestate propria, licet divinitus accepta! Non enim sacerdos nudum exercet ministerium, ut Tridentina Synodus definivit; sed Christi ipsius personam gerit, dum tribunal erigit, et sententiam absolutionis pronuntiat: *Dedit nobis ministerium reconciliationis!* 2. Cor. 5. 18.

537. — Tria requiruntur ad potestatem adaequatam Ministri Poenitentiae, scilicet 1° potestas Ordinis; 2° potestas iurisdictionis; 3° approbatio.

I. Requiritur potestas *Ordinis,* idest quae Ministro competit vi ordinationis, et est characteri sacerdotali intrinsece annexa. Ratio est, quia solis Sacerdotibus dictum est a Christo: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ioann. 20. 22. — Constat aliunde multiplici Ecclesiae definitione.

II. Requiritur potestas *iurisdictionis,* idest potestas, qua Sacerdos ut iudex potest in aliquos utpote subditos suos ferre sententiam. Constat ex *Tridentino, sess. 14. c. 7.*

III. Requiritur *approbatio* ad confessiones tum *licite* tum *valide* excipiendas, seu publicum iudicium de idoneitate Sacerdotis ad confessiones excipiendas. — *Trident. sess. 23. c. 15. de Reformat.*

Agendum 1° de approbatione; 2° de iurisdictione; 3° de reservatione casuum.

ARTICULUS I.

DE APPROBATIONE

Approbatio definiri potest: *Iuridicum Praelati iudicium de idoneitate Sacerdotis ad audiendas confessiones.*

Hinc ad concedendam approbationem non requiritur essentia-

liter examen: iudicium enim prudens de idoneitate etiam sine examine haberi potest, quando de hoc aliunde constet.

Hoc autem iudicium debet esse adaequatum, scilicet tum ex parte intellectus quoad scientiam et prudentiam, tum ex parte voluntatis quoad morum sanctitatem vicario Christi in hoc ministerio congruam (*a*).

538. — *Dico* I. Requiritur approbatio ad confessiones tum licite, tum valide excipiendas (*b*). Constat ex *Trident sess. 23. c. 15. de Reformatione,* ubi sic statuitur: *Nullum (Sacerdotem) etiam regularem, posse confessiones saecularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat.*

539. — *Dico* II. Approbare potest solus Episcopus, aut qui habet iurisdictionem quasi episcopalem. Ratio est, quia ad solos Ecclesiae Praelatos pertinet iudicare de idoneitate Ministrorum ad audiendas confessiones deputandorum. Constat etiam ex *Conc. Trident.* supra citato. — Potest autem Episcopus approbare sive *per se* sive *per alium* a se delegatum; quia approbatio est actus iurisdictionis; iurisdictio autem ordinaria potest delegari. — *S. Lig. n. 550. 558.*

Advertendum porro, quod iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam, una cum approbatione etiam iurisdictio a Praelato Sacerdotibus conferri solet, exceptis Regularibus exemptis (*c*), ac proinde usu communi approbationis nomine etiam iurisdictio comprehenditur.

(*a*) Haec tamen ad essentiam non pertinent. Quocirca Ordinarius *illicite* quidem, *valide* tamen eum approbaret, qui hisce dotibus forte destituatur.

(*b*) Hoc valet quoad ecclesias ritu latino utentes; non item quoad orientales. Quinimo Verricelli (*De Apost. Mission. Tit. XV. Q. 223.*) advertit, neque Missionarios latini ritus pro audiendis confessionibus indigere licentia Episcopi Graeci catholici. *Satis est* (inquit), *si coram Episcopo Graeco reverenter exhibeant suae Missionis, aut sacerdotalis Ordinis litteras; nam hoc sufficit, ut possint, concessa licentia celebrandi, etiam confessiones audire. Probatur, quia Sacerdotes Latini apud Episcopos Graecos non debent esse peioris conditionis, ac Sacerdotes Graeci: sed Sacerdos Graecus peregrinus adveniens, ostensis sui Sacerdotii litteris, et obtenta ab Episcopo Graeco licentia celebrandi, mox potest et celebrare et confessiones audire, quia apud Graecos nullus sacerdos est, qui non possit confessiones audire, sed in ipsa ordinatione accipit facultatem et iurisdictionem absolvendi; ergo idem pariter dicendum de Sacerdote Latino, cui hoc ipso quod Episcopus Graecus dat facultatem celebrandi, censetur etiam dare facultatem audiendi confessiones. Imo si Episcopus Graecus non curet videre dimissorias peregrinorum Sacerdotum Graecorum, et sinit eos, nulla expressa data licentia, et ministrare Sacramentum Poenitentiae, idem videtur dicendum de Sacerdote Latino Missionario. Debet tamen Missionarius petere licentiam a Vicario Episcopi Latini Catholici, si ibi adsit.*

(*c*) Non sic ista accipias, quasi Episcopus iurisdictionem Regularibus tribuere nequeat; innuitur dumtaxat, Regulares Episcopi delegatione non indigere, quippe qui iurisdictionem habeant (ut infra dicetur) a Sede Apostolica per proprios praelatos delegatam.

Olim vero, ante Tridentinum scilicet, cum approbatio Episcopi necessaria non esset, iurisdictio communiter a Parochis concedebatur; quae quidem facultas modo in parochis vix exercitium habet, cum vix reperiri nunc possit sacerdos, qui simul cum approbatione non etiam iurisdictionem ab Episcopo iam acceperit.

540. **Quaesita.** — QUAER. 1° *A quonam Episcopo habenda sit approbatio?*

Resp. Approbatio tribui debet ab Episcopo dioecesis, in qua confessiones excipiendae sunt; unde non sufficit approbatio sive Episcopi poenitentium sive Episcopi Sacerdotum. Constat ex Bulla *Innoc. XII. an. 1700*, ubi sancitum est: *Confessarios, tam saeculares quam regulares, quicumque illi sint, nullatenus posse audire poenitentes sine approbatione Episcopi loci, in quo ipsi poenitentes degunt; neque ad hoc suffragari approbationem semel vel pluries ab aliis Ordinariis aliarum dioecesum obtentam, etiamsi poenitentes illorum Ordinariorum, qui tales Confessarios approbassent, subditi sint.* — Deinde declarat Pontifex alias confessiones fore nullas, et Confessarios suspensos. Hanc Constitutionem confirmavit *Bened. XIV*, per Bullam quae incipit: *Apostolica.* — *Vide S. Lig. n. 548.* (*a*).

(*a*) Cum Synodus Tridentina diserte non explicasset, a quonam Ordinario approbandi essent Confessarii, in tres diversas abierant sententias Doctores, ut videre est etiam apud S. Alphonsum (*Lib. 6. n. 548.*). Alii enim approbationem petendam esse aiebant ab Ordinario *sacerdotis*, quippe in hunc ille solus iurisdictionem haberet; alii vero ab Ordinario *poenitentis*, propterea quod illi ius inesset inspiciendi, cuinam suas oves committeret; alii demum ab Ordinario *dioecesis*, ubi fit confessio.

Et quidem primae ex hisce sententiis (quam alioqui tanquam probabiliorem amplexi fuerant Doctores gravissimi) debetur opinio illa tot dissensionum auctrix, quod Regulares, semel atque ab aliquo Ordinario approbationem essent consequuti, possent deinde in qualibet alia dioecesi citra Ordinariorum approbationem confessiones excipere, utpote qui nec aliam horum approbationem, nec delegationem iurisdictionis, quam a Sede Apostolica habebant, necessariam sibi esse existimarent. Quibus occurrit Constitutio: *Cum sicut*, 12. Sept. 1628. Urbani VIII., in qua aboletur privilegium quoque alias quibusdam Religiosis indultum, *ut Sacramentales confessiones audire valerent, etiamsi ab Episcopis dioecesanis ad id examinati et approbati non fuissent.* Et quoad omnes Religiosos accessit etiam Constitutio *Superna* Clementis X., quae §. 4. decernit, *Religiosos ab Episcopo ad confessiones saecularium in sua dioecesi audiendas approbatos, non posse in alia dioecesi eas absque Episcopi dioecesani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint eius Episcopi, a quo ipsi Religiosi iam fuerunt approbati.*

Cumque hac Clementis X. Constitutione non videretur quaestio sublata (*Vid. La Croix, Lib. 6. part. II. n. 1516.*), propterea quod tum ipsa, tum praecedens Urbani VIII. de solis Regularibus id statuebant; hinc nova Constitutio Innocentii XII. (e qua A. nonnulla refert), etiam confessarios saeculares comprehendens, et decernens *Bullam Cruciatae Sanctae nihil novi iuris induxisse, nullumque privilegium continere, quoad approbationem Confessariorum contra formam Concilii Tridentini..., adeo ut Confessarii tam saeculares, quam Regulares, quicumque illi sint*, etc., ut in particula ab A. descripta. Et quandoquidem nonnulli, uti v. gr. Salmanticenses (*De*

541. — QUAER. 2° *An absolvere quis possit proprium subditum in aliena dioecesi sine approbatione Ordinarii?*

Resp. 1° *Affirm.*, si habeat iurisdictionem vere *personalem* seu *ordinariam* in illum. Ratio est, quia quisquis ratione muneris sui habeat iurisdictionem ordinariam, censetur approbatus ipso iure ad suos ubique audiendos: neque iurisdictio ordinaria, dummodo fiat sine strepitu iudiciali, arctatur ad locum: sed nisi specialiter restringatur, ubique exerceri potest. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 548. — Reuter, n. 348. — Lacroix, n. 1516., et alii* contra *paucos*. Hinc Episcopus et Parochus subditos suos extra paroeciam et dioecesim absque approbatione Episcopi loci absolvere possunt.

Resp. 2° *Neg.*, si in poenitentem habeatur tantum iurisdictio *delegata;* quia haec *per se* censetur mere *territorialis*, non autem *personalis*, et proinde non sequitur delegatum extra territorium. — *Ita iidem auctores.*

QUAER. 3° *An sufficiat approbatio praesumpta?*

Resp. Neg. Ratio est, quia ex *Conc. Trident.* requiritur approbatio actu et absolute existens, et iam obtenta. Ad eiusmodi autem approbationem requiritur consensus actualis signo aliquo declaratus. Imo nec licet incipere confessiones antequam consensus ille, per litteras petitus, receptus fuerit, etsi certo obtinendus videatur. — *Ita communiter. — S. Lig. n. 570.*

A fortiori autem non valet ratihabitio approbationis etiam prudenter praesumpta; quia ratihabitio locum habet tantum in actibus, quorum valor in futurum suspendi potest; sed valor absolutionis praesentis suspendi nequit; valor enim Sacramentorum pendere non potest ab actione futura (*a*). — *S. Lig. ibid.*

542. — QUAER. 4° *An Episcopus possit valide et licite limitare approbationem quoad certum tempus, locum et personas?*

Resp. 1° *Affirm. quoad validitatem,* etiam sine causa. Ratio est, quia est actus omnino dependens a voluntate Episcopi ut Superioris. Hinc sicut valide approbationem recusare potest, sic eam potest solum cum restrictione concedere. Id constat etiam ex propositione 13ª ab *Alexandro VII* damnata: *Satisfacit praecepto confessionis annuae, qui confitetur regulari Episcopo praesentato, sed iniuste*

Privileg. Cap. 4. n. 11.) contendebant, Innocentii XII. Constitutionem, quae de *Bulla Cruciatae* agebat, non extendi necessario ad alia privilegia eligendi sibi Confessarium, v. gr. quae concedantur per Iubilaeum; proinde Benedictus XIV. (Const. *Apostolica indulta, 5. Aug. 1744.*) statuit ac declaravit, ea, quae Praedecessores Rom. Pontifices Innoc. XII., Innoc. XIII., et Benedictus XIII. decreverant *circa intelligentiam et usum indulti Bullae Cruciatae*, etiam in *reliquis eiusdem generis indultis pariformiter valere atque obtinere debere.* Ex quibus omnibus manifeste patet, primam ac secundam ex recensitis superius sententiis iam pro antiquatis habendas esse.

(*a*) Confer tamen ea, quae superius dicta sunt (*n. 232.*) de sacramentis, quae valida sint, sed informia.

reprobato. Ergo denegatio approbationis, etiam iniusta, est valida; ergo *a fortiori* restrictio. — Constat etiam ex *Conc. Trid. sess. 23. c. 15.*, ubi dicitur: *Nisi approbationem obtineat.* At vero qui eam obtinet cum restrictione, simpliciter non obtinet pro casibus exclusis.... Ergo, etc. — *S. Lig. n. 542.* — *Lugo, disp. 21. n. 51.*

Resp. 2° *Quoad liceitatem, disting.* — Potest quidem Episcopus restringere aut etiam omnino negare approbationem iusta de causa, ut patet; quia in hunc finem inducta est necessitas approbationis, ut idonei a non idoneis secernantur. Secus vero, si id absque iusta causa agat.

Quaer. 5° *Quaenam sint iustae causae approbationem limitandi ad tempus,* etc.?

Resp. Sunt ut plurimum sequentes: 1° si nunc sit necessitas habendi plures Confessarios, quae postea cesset; 2° si adprobandus habeat quidem sufficientem scientiam, sed merito maior desideretur ad approbationem perpetuam; 3° si prudenter timeatur ne post habitam semel approbationem perpetuam, studium negligat; 4° ad experiendum, quomodo se gerat in excipiendis confessionibus, videlicet an principia generalia bene applicet, etc.

543. — Quaer. 6° *An possit Episcopus valide et licite revocare approbationem concessam?*

Resp. 1° *Affirm. ratione validitatis,* etiam sine iusta causa. Ratio est, 1° quia talis revocatio fit in re Episcopo ita subiecta, ut ab illo tantum provenire queat; 2° quia approbatio, etiam iniuste revocata, iam non existit, seu non potest dici simpliciter habita seu obtenta. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 551.* — *Billuart, diss. 6. art. 5.*

Resp. 2° *Ratione liceitatis, dist.* 1° Potest quidem Episcopus iustis de causis revocare approbâtionem etiam illimitate concessam; hoc enim sequitur ex necessitate approbationis, quae postulat, ut quisquis cessat esse idoneus, ab officio removeatur. 2° Non potest autem approbationem revocare sine iusta causa. Etenim ex dictis non potest Episcopus approbationem denegare sine causa: ergo *a fortiori* non potest sine causa concessam revocare; siquidem ex effato: *Turpius eiicitur, quam non admittitur hospes.* — *S. Lig.* etc.

544. — Quaer. 7° *An Episcopus Sacerdotem extraneum approbare possit?*

Resp. Episcopus approbare potest quemlibet idoneum in sua dioecesi actu existentem, etsi transeundo tantum. Constat ex praxi universali et sententia communi Theologorum contra *paucos*, qui ad hoc requirunt *quasi-domicilium,* aut saltem *domicilium habitationis* in dioecesi Episcopi approbantis (*a*). Ratio est, quia dele-

(*a*) Hoc nimirum erat consectarium sententiae quae statuebat, approbationem ad excipiendas confessiones requirendam esse a proprio sacerdotis Ordinario. Cumque ex iure nemo fiat subditus Ordinarii cuiuspiam nisi ratione domicilii aut quasi-domicilii, exinde horum alterutrum DD. illi exi-

gatio sive mandatum committi potest cuivis, dummodo capax sit. Constat insuper ex praxi quae universaliter in Ecclesia servatur. — *Recole* Decretum *Innocentii XII*, supra relatum *n. 540*.

ARTICULUS II.

DE IURISDICTIONE

Iurisdictio generatim sumpta est quaedam potestas moralis regendi subditos. Iurisdictio ecclesiastica duplex est: alia *in foro externo*, et est potestas ferendi leges, infligendi poenas, etc.; alia vero *in foro interno*, et potestas est absolvendi, vel ligandi in tribunali Poenitentiae.

De hac praecipue agemus. Duplex est autem, scilicet 1° *ordinaria*, quae alicui competit ratione officii habentis annexam curam animarum; 2° *delegata*, quae alteri datur ab habente ordinariam.

545. **Principia.** — I. Potestas *iurisdictionis* ad confessiones excipiendas necessaria est, nec sufficit potestas *Ordinis*. Ratio est,

gebant, ut quispiam approbari ab Episcopo posset. Porro cum iam antiquata sit illa sententia, antiquatum manet et eiusdem consectarium. Quod autem nonnulli scriptores doctrinam istam iam obsoletam repetant, et approbationem opinentur, solis subditis, qui tales sint iure *domicilii* aut *quasi-domicilii*, aut saltem *habitationis* concedi posse, mere tribuendum id videtur consuetudini haud infrequenti, qua quidam ad transcribenda antiquiorum placita, eorum ratione nullatenus inspecta, facile feruntur.

Interim adverte, quosdam doctores utique ad approbationis valorem exigere, ut sacerdos dici queat Ordinarii approbantis subditus. At subditum censent, semel ac pedem in dioecesim inferat, etiamsi nulla ibi manendi voluntas adsit. Ita Lugo: *Infero octavo, Religiosum approbatum ab aliquo Episcopo, dum in eius episcopatu versatur sive ut hospes sive cum domicilio; licet mutato domicilio vel reversus ad suum domicilium, si hospes erat, iam non maneat subditus illius....; si tamen postea redeat ad eundem episcopatum, recuperare approbationem...., et virtute illius absque nova approbatione posse audire confessiones: quia iterum fit subditus eiusdem Episcopi, a quo vel ab eius praedecessore fuit approbatus* (*De Poenit. Disp. 21. n. 44.*). Praeterea subditus hoc loco dicitur sacerdos sensu circumscripto, idest mere in ordine ad confessiones excipiendas. Ita idem Lugo (*ibid. n. 35.*): *Ordinarius suus in ordine ad confessiones huius dioecesis audiendas est solus ille, cui in ordine ad hoc munus subditur, et a quo, si in hac materia deliquerit, poterit puniri tamquam a suo iudice et Ordinario in hac serie causarum.* Et exinde bene cum his illud conciliatur, quod ipse (*ibid. n. 33.*) praemiserat: *Episcopi ut dent licentiam audiendi confessiones etiam sacerdotibus exteris et hospitibus, non attendunt, nec quaerunt, an sint prius approbati, vel an venerint cum animo permanendi; sed solum an sint, vel non sint sufficientes.* Ita quidem Lugo; quocum si ita sententia prima ex tribus superius (*not. ad n.440.*) allatis intelligatur, ut *subditus* dicatur quisquis Ordinario subiectus evadit in ordine ad audiendas confessiones, et solum quousque manet in eiusdem dioecesi, manifestum est eam sententiam optime componi cum tertia, quae ex Constitutionibus apostolicis tenenda est.

quia absolutio est sententia iudiciaria, quae ferri nequit nisi in subditos. Confessario igitur assignari subditi debent: hoc autem ad eum pertinet, qui auctoritate in eos subditos pollet. Insuper id ad rectum Ecclesiae regimen omnino requiritur. Incommodum enim maximum foret, si facultas absolvendi independens ab iis esset, quibus a Christo dictum est: *Quaecumque alligaveritis, erunt ligata....; quaecumque solveritis, erunt soluta.* Sed maxime constat ex *Conc. Trid. sess. 14. c. 7: Quoniam igitur natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem.*

546. — II. Iurisdictio *ordinaria* competit 1° Papae pro tota Ecclesia *in utroque foro;* ipsi enim a Christo dictum est in persona Petri, *Matth. 16. 19: Tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis:* 2° Episcopo pro sua dioecesi, pariter *in utroque foro,* cum haec ideo sit ipsi commissa, ut eam regat ac dirigat; 3° Parochis pro subditis *in foro interno;* 4° Abbatibus et Praelatis Regularium pro subditis.

III. Iurisdictio *ordinaria* potest *delegari,* seu per alium exerceri. Ratio est, quia delegatio est actus proprius potestatis ordinariae. Iurisdictio tamen ad audiendas confessiones non potest delegari, nisi Sacerdoti ab Episcopo approbato, ut constat ex supra dictis de approbatione. Quoad Parochos fere inutilis evasit facultas delegandi; quandoquidem Episcopi, ad quos pertinet confessarios approbare, iurisdictionem simul et approbationem Sacerdotibus saecularibus conferre solent, ut *dictum est in not. ad n. 529.*

IV. Iurisdictio *delegata* conceditur ab Ecclesia cuilibet Sacerdoti in casu extremae necessitatis, seu in articulo mortis (*a*). Constat ex *Conc. Trident. sess. 14. c. 7.*

V. Expirat iurisdictio delegata ad confessiones excipiendas per revocationem a Superiore factam, vel per lapsum temporis praefixi, item morte delegantis, vel eius cessatione ab officio, si data fuerit pro aliqua persona particulari, et iudicium nondum inceptum sit, aut etiam si generaliter data fuerit, sed cum clausula, *ad arbitrium concedentis, ad beneplacitum nostrum,* vel alia simili. — *S. Ligor. n. 558., 559. — Scavini.*

547. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An iurisdictio delegata subdelegari possit?*

Resp. Neg. generatim loquendo, videlicet nisi accedat specialis

(*a*) Paulo strictior est haec regula, si quidem Auctor indicare velit, quandonam ab Ecclesia iurisdictio delegetur. Vide infra Quaest. 2., ubi mentio occurrit iurisdictionis delegatae citra necessitatem extremam seu mortis articulum.

concessio delegantis; et tunc nomine ipsius delegantis subdelegari censetur. Ratio est, quia delegatus eam solam potestatem habet, quae ei conceditur; at conceditur ei sola potestas exercendi iurisdictionem, non vero eam alteri committendi, nisi aliud exprimatur. Ergo, etc. — Excipe, si quis substituatur in locum Pastoris ordinarii cum delegatione universali, v. gr. in vices Parochi defuncti; vel si quis delegetur ad universitatem causarum. — *S. Lig. n. 566., et alii communiter.*

548. — QUAER. 2° *An Ecclesia suppleat iurisdictionem, quando poenitentes ipsius defectum invincibiliter ignorant?*

Resp. Advertendum prius est, defectum iurisdictionis in diversis rerum adiunctis evenire posse. Etenim error esse potest vel *communis* inter fideles, vel *privatus* tantum alicuius personae. Rursum Sacerdos iurisdictione carens potest habere titulum *coloratum*, vel solum *existimatum*. Titulus autem *coloratus* est titulus in se quidem falsus, sed tamen vere collatus a Superiore, et ideo prae se ferens speciem veri tituli, licet ex aliqua causa vitio occulto nullitatis laboret. Sic Sacerdos, qui simoniace renuntiatur Parochus, invalidum sortitur titulum ex Iure canonico; et si a legitimo (*a*) Episcopo fuerit in paroecia constitutus, titulum habet *coloratum*. Titulus vero mere *existimatus* ille est, qui a fidelibus adesse reputatur, licet non existat. His positis

Dico 1° Ecclesia *certo* supplet, si error sit *communis* inter fideles, et simul cum titulo *colorato* coniunctus. Ratio eruitur ex communi Theologorum interpretatione diversis locis iuris innixa. Ut enim aiunt, Ecclesia velut pia mater ad bonum animarum iurisdictionem supplere merito censetur, cum id possit (*b*). — *S. Lig. n. 572.*

Dico 2° ***Probabilius*** etiam supplet Ecclesia, si adsit error *communis* sine *titulo colorato*, sed cum titulo tantum *existimato* seu *ficto*. Eadem enim urget ratio ac in casu praecedente, cum etiam in hac hypothesi innumerae animae perire possint. — *Ita Suarez, Lugo, Lessius, Billuart, Bonacina, Diana, Henriquez, Pontius*, etc.; et hoc putant probabile *S. Lig., Viva, Elbel, Sporer, Roncaglia, Gobat, Holzmann, Hérinx, Cardenas, Gousset*, etc. — Contradicunt tamen alii quidam, v. gr. *Busemb., Navarrus, Sylvester, Caiet., Ugol., Covarr.*, etc.

Dico 3° Non censetur Ecclesia supplere iurisdictionem, si error

(*a*) Fieri posset, ut titulus mere *coloratus* haberetur in Episcopo, qui parochum instituit; v. gr. si occulto simoniae vitio sedem ille occupasset: quo spectat casus tertius in C. *Statuimus 107. Caus. 1. Q. 1.*, illius scilicet, qui ordinetur *non simoniace a simoniaco.*

(*b*) Hoc aeque valet sive ordinariam, sive delegatam quis habeat iurisdictionem. Valet insuper, etiamsi Confessarius cognoscat, se iurisdictionem non habere, v. gr. qui sciat elapsum sibi esse tempus approbationis, aut se vi sententiae secreto sibi intimatae, ab audiendis confessionibus suspensum.

sit *privatus*, v. gr. si sit unius aut paucorum. Ratio est, quia Ecclesia non censetur supplere, nisi ratione boni communis, ad instar scilicet provisoris seu gubernatoris generalis, qui ad solum bonum generale societatis attendit, et bonum privatorum curae provisorum particularium relinquit. — *Ita communissime Theologi* contra *paucos*.

549. — QUAER. 3° *An liceat absolvere cum iurisdictione dubia?*

Resp. Negative, nisi aliqua necessitas urgeat. *S. Alphonsus n. 571.* putat eiusmodi necessitatem adesse, 1° si urgeat praeceptum annuae confessionis; 2° si poenitens debeat Missam celebrare, vel communicare et alias notam infamiae incurreret; 3° si sacerdos ex obligatione celebrare teneatur.

QUAER. 4° *An liceat absolvere cum iurisdictione probabili?*

Resp. Cum S. Alphonso *Lib. 6. n. 573: Sententia communis* (*a*)

(*a*) E tribus sententiis, quas de hac re S. Alphonsus (*l. c.*) recenset, hanc secundo loco ponit. Prima, quam ipse tribuit Concinae, Antoine, et Elizalde, negat licere, *quia ex Prop. 1. damnata ab Innoc. XI. in administratione Sacramentorum non licet uti opinione probabili, ne sacramentum exponatur periculo frustrationis.* Hanc porro prorsus reiicit (*ibid.*), et advertit cum Viva, Wigandt et Gonet, quod *Propositio loquitur de opinionibus circa ea, in quibus nihil potest Ecclesia..., non vero circa iurisdictionem, quae bene ab Ecclesia suppleri potest: et moraliter certo praesumitur suppleri in hoc casu ob bonum animarum.* Huc faciunt illa Croix (*Lib.6.P. 1. n. 117.*): *Quandocumque datur opinio probabilis...pro iurisdictione..., communissima sententia est cum Suar., Kon., Fill., Regin., Less., Bonac., Diana, Aversa, quod etiam tum suppleat Ecclesia..., si forte absit iurisdictio. Et hoc in praxi tutum aut moraliter certum esse dicunt Sanchez, Verricelli, Dicast., Tamb., Carden., Arsdekin, Sporer, Gormaz, Stoz, Laurentius.*

** VV., qui iis impugnandis, quae de hac quaestione hic dicuntur, non minus quam duas et triginta columnas (*Pag. 485-501.*) impendunt, obiiciunt in primis (*Pag. 487.*) contra hanc Notam 1° Concina *strenue* propugnat *nequaquam praesumi posse, supplere Ecclesiam;* 2° Antiquiores a Io. Sancio citati censuerunt, Ecclesiam non supplere; 3° Nonnulli, apud Salmanticenses, negant licere absolvere, si alius adsit certa iurisdictione praeditus; 4° Non pauci apud Tamburini negant absolutionem esse validam.

Resp. Haec non Notam, sed directe sententiam S. Doctoris Alphonsi impetunt; quocirca haud facile quispiam intelliget, quo demum huiusmodi S. Doctoris *Vindiciae* spectent. Sed ad singula:

Ad 1. Resp. Transeat. Si ita VV. placet, *strenuum* Concinam etiam S. Alphonso praeferant; nos S. Doctorem nunquam Concinae non praeferemus.

Ad 2. *Nego totum.* Quaestio, quam Io. Sancius (*Disp. 44. n. 10.*) et a Sancio allegatus Garcia (*De Benef. Tom. 1. Part. 5. C. 8. n. 87. et 132.*), et a Garcia allegati Guttierez, Zerola, Sorbo, Rodriguez, Veia, Aegidius, et Vasquez (*In 3. P. Q. 93. art. 3. Dub. 4.*) tractant, ista est: *Utrum ab uno Episcopo approbatus censeatur approbatus pro quacumque dioecesi.* Ergo ista ad rem non faciunt. Sed ulterius: ipsi VV. (*l. c.*) addunt, Garciam *in sui auxilium adduxisse Cardinalium declarationes;* quod verissimum est, circa nempe eam quaestionem. Nam caeterum quomodo VV. nihil dubitant, S. Doctori Alphonso hoc etiam exprobrare, quod uti certam istam quoque tradat doctrinam, quam SS. Congregationes Cardinalium improba-

docet, licitum esse absolvere cum probabili iurisdictione, modo opinio sit vere probabilis, gravi fulcita ratione et auctoritate. Ita Sanchez, Lugo, qui putat tutissimam, etc.... et eam vocant moraliter certam Sanchez, Tamb., Carden., ac Dicast., Illsung, Gormaz, Stoz, etc., apud Croix, Lib. 6. P. 1. n. 117.

Rationes vide apud eundem S. Alphonsum qui exinde sic concludit: *Posita igitur ut certa hac consuetudine, certum est, licitum esse sacramentum ministrare cum iurisdictione probabili;* quamquam bene advertit, quod *Confessarius absolvendo, non absolveret cum sola opinione probabili, sed moraliter certa, non directa* (certitudine), *sed reflexa.*

Aliam, quam sequi se dicit, sententiam sic proponit S. Alphonsus, quae nimirum docet (ut inquit) *licitum quidem esse ministrare hoc sacramentum poenitentiae cum iurisdictione probabili, sed nonnisi quando adest causa gravis necessitatis, aut magnae utilitatis, ut aiunt Elbel* (*a*) *et Wig., vel causa rationabilis, ut inquiunt Suarez* (*b*) *et Sporer. Ratio huius limitationis est, quia licet Ecclesia eo casu ob bonum animarum bene censeri possit iurisdictionem supplere, tamen non praesumitur, nulla iusta causa accedente velle connivere merae libertati sacerdotum* (*c*).

runt? Et hic addendum, Io. Sancium (*Disp. 44. n. 4.*) disertissime, et sine ulla limitatione doctrinam, quam hic proponimus, tradidisse.

Ad 3. Ista quoque sunt contra S. Alphonsum, qui v. gr. Io. Salas, contra ac citent Salmanticenses, pro se et quidem merito allegat.

Ad 4. Nonne VV. inter *non paucos* illos AA. vident recenseri Lugo, et Suarez? Et quae prae oculis habemus, num consentiunt, ut credamus, ex sententia Lugonis et Suarezii *invalidam* in casu censendam absolutionem? Concludamus: ista methodus expilandi hinc inde allegationes, quin addatur, bene ne, an male, aut quorsum et quo sensu ab AA. afferantur, ad nihil aliud quam ad tenebras quaestionibus offundendas confert; quod quidem non munus est eorum, qui prodesse scientiae suis laboribus velint.

(*a*) Elbel (*Conf. XII. n. 311.*) non exigit *causam gravis necessitatis,* sed *iustam et gravem causam.* Secutus nempe est suum Marchantium, quem allegat.

(*b*) Suarez nihil eiusmodi habet.

** Hic VV. postquam (*Pag. 489.*) duas columnas Suarezii textibus impleverunt, concludunt: *Cum Suarez certiorem aut saltem probabiliorem dicat sententiam, non licere cum iurisdictione probabili sacramentum ministrare, illudque exponere periculo frustrationis nisi aliqua causa gravis vel rationabilis urgeat etc.*

Resp. *Nego totum.* Suarez (*Disp. 26. Sect. 6. n. 9.*) enim nihil eiusmodi habet, et disputationem de hac re sic concludit: *Denique si haec omnia coniungantur, efficiunt sufficientem moralem certitudinem, ut propterea licitum sit uti opinione probabili in usu huius iurisdictionis.* Causae autem gravis vel rationalis mentionem iniicit solum dum consilium addit; nam prosequitur: *Semper tamen ego admonerem tam ministros, quam poenitentes, ut certiori vel saltem probabiliori via uterentur, nisi aliqua causa gravis vel rationalis urgeat.* Ubinam illud est, probabiliorem esse sententiam, *non licere, nisi etc.*?

(*c*) Primus, ut videtur, S. Alphonsus fuit, qui hanc praecedentis seu

550. — QUAER. 5° *An Vicarius generalis habeat iurisdictionem ordinariam, ita ut possit alios delegare ad confessiones audiendas?*

secundae sententiae (prouti ipse eam appellat) *limitationem*, ceu quandam *tertiam* sententiam a secunda diversam distincte proposuit.

Verum si theoretice res spectetur, ista sententia hoc ipso quod secundae opposita censetur, infirmior forte videri debet. Nam si praecedens sententia, ipso fatente, *communis* est imo *communissima*, et *tutissima*, et *moraliter certa* a Theologis primae notae habetur et dicitur, quid enimvero deferri poterit oppositae opinioni, quam nemine praeeunte Marchant (*Tom. 1. Tr. 2. Tit. 3. q. 4.*) invexit, et Sporer (*De Poenit. n. 718.*) nonnisi praesidio trium falsarum allegationum denique communivit, nempe *Francisci Bardi, Ioan. Sanchez*, et *Georgii Gobat* (quarta itidem falsa allegatio *Suarezii* apud S. Alphonsum additur), qui nihil tale docuerunt?

Et quidem huius causae infirmitas exurgit et proditur ex eodem illo principio, quod communissimae prioris sententiae fundamentum est, *ex consuetudine nimirum* (verba sunt S. Alphonsi) *fere omnium confessariorum absolvendi cum iurisdictione probabili.* Hanc sane consuetudinem sic testatur Suarezius (*De Poenit. Disp. 26. Sect. 6. n. 6.*): *Arduum tamen est, et* PRAETER CONSUETUDINEM ETIAM TIMORATORUM VIRORUM *esse videtur, omnes homines ad id obligare,* scilicet, *ut, si possit haberi, minister eligatur habens certam et indubitatam iurisdictionem.*

Eandem consuetudinem sic testatur et Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 19. n. 34.*): USUS PLANE OMNIUM CONFESSARIORUM *hoc habet, ut amplectantur sententias probabiles circa absolutionem a censuris virtute Bullae Cruciatae vel Iubilaei, vel alterius facultatis: et ita absolvunt, non imponentes, quod ante mortem faciant se iterum absolvi ab alio, qui habet certam potestatem... Cum ergo ex hoc usu communi omnium sequatur manifestum periculum omnium poenitentium, qui existimantes se iam absolutos, non curant amplius de absolutione ab illa censura, et remanerent incapaces absolutionis sacramentalis, fatendum est, Ecclesiam propter hunc communem errorem ad impedienda illa damna conferre iurisdictionem, vel certe sententias illas, in quibus fundatur illud periculum, non esse veras.*

Sed et ipse S. Alphonsus (*cit. n. 573.*) de universali eiusmodi consuetudine haec habet: *In Ecclesia adest universalis consuetudo fere omnium confessariorum absolvendi cum iurisdictione probabili, ut testantur communiter Suarez, Lugo, Cardenas, Arriaga, Diana, Croix, et omnes alii auctores citati pro hac sententia. Communis autem sententia Doctorum fundat moralem certitudinem de praefata consuetudine.*

Porro en argumentum, quod exinde ducit (*ibid.*) ipse S. Alphonsus: *Posita igitur ut certa hac consuetudine, certum est, licitum esse sacramentum ministrare cum iurisdictione probabili, cum ipsa consuetudo iurisdictionem praebeat, prout docent Suarez, Navarrus, Barbosa, Cardenas, Quaranta, Pellizzarius; idque probant ex iure canonico, etc.* Quod idem sic brevius adhibet Suarezius (*l. c. n. 7.*): *Et confirmatur ex universali Ecclesiae consuetudine, quae est sufficiens signum iurisdictionis, ut supra dictum est. Est autem universalis Ecclesiae usus, ut sacerdotes secure utantur huiusmodi* (scilicet *probabili*) *iurisdictione in administratione huius sacramenti.*

Praestituta porro communi hac et certa doctrina, iam facile per se corruit quidquid Sporer et Elbel post suum Marchant adstruxerunt, quasi scilicet Ecclesia tribuere iurisdictionem non velit, nisi ad usum probabilis iurisdictionis causa cogat ab eis excogitata alicuius necessitatis, aut utilitatis, etc. Ex praemissis enim iurisdictio consequitur universalem consuetudinem. Atqui universalis consuetudo, qualis per communissimam sententiam nobis exhibetur, et qualis iam extabat vel antequam Marchantius

Resp. Sententia communior et vera *affirmat* contra *paucos*. Ratio est, quia Vicarius generalis, licet ab Episcopo nominatus, iurisdi-

nasceretur (ut patet ex Lessii, Suarezii, Sanchezii, etc. testimonio), ad probabilis iurisdictionis licitum usum nuspiam gravem illam necessitatis seu magnae utilitatis causam requisivit. Ergo sine causa Sporer et Elbel timorem iniecerunt, ne deficientibus forte istiusmodi causis periculo frustrationis ob defectum iurisdictionis sacramentum exponatur, atque adeo probabilis iurisdictionis usus propter hanc rationem evadat illicitus. Sed Marchantium in transversum egit, ut videtur, confusio inter iurisdictionem *dubiam* ac *probabilem:* nec satis ille advertisse videtur, ad probabilem iurisdictionem requiri, ut quis non temere, sed solida ratione innixus prudenter iudicet, sibi iurisdictionem non deesse.

Accedit ratio, quam Suarez (*l. c.*) suppeditat. *Ad convenientem* (inquit) *et prudentem Ecclesiae gubernationem pertinet, ut non permittat, Sacramentum tam necessarium frequenter esse incertum et dubium, quantumcumque existat sub opinione probabili.* Et huc pariter facit, quod habet Croix (*Lib. 6. P. 1. n. 119.*) inquiens: *Certum est, Christum ita instituisse Sacramenta, ut noluerit eorum administrationem aut susceptionem esse moraliter impossibilem, et odiosam fidelibus ministraturis aut suscepturis. Ergo certum est, quod administratio aut susceptio obnoxia nimiis scrupulis aut difficultatibus non sit secundum institutionem Christi; ergo si non sit alius modus vitandi talem administrationem aut susceptionem, nisi quis operetur secundum sententiam tantum probabilem, licitum est secundum hanc operari.* Et hinc duplex adversus illam Marchantii theoriam argumentum. Nam quis neget, plus quam probabilem esse communissimam sententiam, quae invectam a Marchantio conditionem non requirit? Ergo ad *prudentem et convenientem Ecclesiae gubernationem pertinet* (ut ait Suarez), et (ut habet Croix) exigit Christi institutio, ut secundum eam liceat operari. Rursus: quis non videt, innumeris scrupulis et difficultatibus obnoxiam fieri sacramentorum administrationem, quando, ne frustrationis periculo exponatur, perpendendus quoque sit gradus aut necessitatis, aut utilitatis, quae ad usum probabilis iurisdictionis ex huiusmodi theoria exigitur? Atqui ad convenientem et prudentem Ecclesiae administrationem pertinet, ne sacramentum tam necessarium frequenter sit incertum et dubium; nec institutio Christi patitur, ut administratio sacramenti hoc pacto tum ministraturis tum suscepturis evadat odiosa, scrupulisque ac difficultatibus obnoxia. Ergo.

Et haec quidem, ut dixi, *si res theoretice spectetur.* Nam quod *ad praxim attinet,* licet cum S. Alphonso quis mallet, probabili iurisdictione utendum non esse, nisi rationabilis aliqua causa hoc exigat, verissimum est, quod advertit Georgius Gobat (*Theol. Experim. Lib. 7. n. 120.*), eiusmodi causam nunquam non adesse. Probabiles enim de iurisdictione opiniones fere versantur circa absolvendi facultates concessas aut vi privilegiorum, aut indulto Bullae Cruciatae, aut occasione alicuius iubilaei, etc. Quocirca hic casus fere contingit, *quando* (ut inquit idem Gobat) *postquam bona fide coepisti audire confitentem, oritur tibi dubium circa unum vel alterum peccatum:* ac proinde quando, nisi hac doctrina utaris, poenitens cogeretur confessionem apud alium iterare. Atqui, ut notum est, onus bis confitendi eadem peccata nunquam Doctoribus non visum est gravissimum, adeo ut hac de causa a praemittenda sacrae Communioni confessione aut saltem ab integritate confessionis excusent. Ergo etiamsi horum paucorum sectari opinionem velis, gravis causa, imo et iis gravior, quas S. Alphonsus post Sporer rationabiles ac sufficientes existimat, nunquam tibi deerit.

** Aegerrime demum VV. tulerunt, quod tertia ista S. Alphonsi sententia idcirco minus firma dicatur, quasi eam primus invexerit Marchantius et quidem contra doctrinam, quam alioquin ipse S. Doctor *commu-*

ctionem non habet ab Episcopo ipso, sed a canone, quo declaratur, eum quid unum facere cum Episcopo. — *S. Lig. n. 658.*

nem, immo et *communissimam,* et *tutissimam,* quin et *moraliter certam* in Scholis habitam fateatur.

Proinde 1° Negant (*Pag. 490-492.*), eam opinionem primum a Marchantio fuisse invectam. 2° Negant habendas ceu falsas allegationes, quibus ipsam Sporer communivit. 3° Negant, ceu *communissimam,* imo et *communem* habendam esse secundam sententiam, quando Marchantii atque adeo S. Alphonsi limitatio excludatur. 4° Denique (*Pag. 494-496.*) S. Alphonsi sententiam quorundam Auctorum opinionibus roborare nituntur.

Resp. Ad 1. Ut evincant, S. Alphonsi opinionem non prodiisse primitus a Marchantio, VV. allegant Suarezium, Reginaldum, et Coninck. — Atqui istae allegationes concludunt nihil. Nam 1° Suarez mere consilium suggerit, non necessitatem ullam praefert. *Vid. Not. praec.* 2° Idem dicendum de Reginaldo, qui (*Lib. 1. n. 103.*) allegans Suarezium, mere cum illo innuit, *conveniens* esse, ut habens iurisdictionem certam praeferatur habenti dubiam aut minus probabilem. 3° Coninck vero (*De Poenit. Disp.8. n.41-44.*) de iurisdictione presse *dubia* disputat; quaestionem autem de iurisdictione, quam Ecclesia suppleat, cum Confessarius *probabili* iurisdictione utitur, ne minimum quidem tangit. Et haec inde palam fiunt, quod in fine (*n. 47. not. 2.*) monet, peccata in casu cum Confessario certam habente iurisdictionem esse repetenda. Ergo merita novae illius opinionis invectae Marchantio prorsus servanda sunt.

Resp. ad 2. Duos producunt VV. (*Pag. 491.*), quasi recte a Sporer allegatos, scilicet Io. Sancium, et Gobat. Atqui 1° quod promunt ex Io. Sancio, nihil ad rem facit, ut iam ostensum est in not. praec. 2° Gobat (*Lib. 7. n. 114.*) ad habendam ceu probabilem contrariam sententiam fatetur se inductum fuisse numero et gravitate Auctorum. Porro plerique ex istis auctoribus nimirum ii sunt, quos a Io. Sancio iam diximus (vid. Not. praec.) pro alia omnino quaestione, atque adeo abs re hic productos. Ergo. Insuper Gobat demum concludit (*n. 117.*): *Unde sequitur, singulariter non peccare, qui absolvit a casu, quem alii contra alios probabiliter censent non esse reservatum.* Ergo male tamquam Marchantii assecla et Gobat producitur.

Resp. ad 3. Cardenas, Marchantio coaevus, scribebat (*Disp. 2. n. 160.*): *Communissima sententia est inter Doctores, quod Ecclesia supplet defectum iurisdictionis, si forte ille defectus contingit, dum Confessarius utitur opinione vere probabili.* Ergo communissima iam erat ista doctrina antequam Marchantius scriberet. Ergo opinio Marchantii a doctrina iam communissima discessit.

Neque hoc satis. Pergit ibidem Cardenas (*n. 165.*) inquiens: *Praxis est et consuetudo* IN TOTA ECCLESIA, *quod Confessarii absolvant ex opinione... probabili circa iurisdictionem.* Ad id autem probandum affert (*n. 166.*) ista ex Suarez: *Est autem* UNIVERSALIS ECCLESIAE *usus, ut sacerdotes secure utantur huiusmodi (probabili) iurisdictione in administratione huius Sacramenti;* tum (*n. 167.*) ista ex Lugo: *Haec est praxis omnium fidelium, et* TOTIUS ECCLESIAE ; tum (*n. 168.*) ista ex Arriaga: *Cum ergo* UNIVERSALIS ECCLESIAE *consuetudo sit, uti secure ea iurisdictione probabiliter praesumpta, censetur Ecclesia eam tacite approbare;* tum (*n. 169.*) ista ex Diana: *Apparet ex communi DD. sententia, et Confessarii passim absolvunt cum opinione probabili;* et postquam Bonacinae testimonium addidit, demum (*n. 171.*) concludit: *Et hoc eodem modo communiter loquuntur* THEOLOGI FERE OMNES. Unde sic: Communissima et universalis Ecclesiae doctrina extabat, antequam Marchantius suam illam inveheret opinionem. Ergo *communissima* prorsus, etiam citra Marchantii limitationem, illa sententia habenda est, et dicenda Ergo recentior Marchantii, et S. Alphonsi

QUAER. 6° *An haeretici et excommunicati vitandi (a) valide absolvant in periculo mortis, deficiente alio Sacerdote?*

post Marchantium opinio contra se habet communissimam fere omnium theologorum sententiam et universalis Ecclesiae praxim.

Resp. ad 4. Misera illa Auctorum manus, qui posterius Marchantii ac Sporeri vestigia presserunt, eo minus unanimi scholarum consensui detrahit, quo evidentius in reddenda novae illius limitationis ratione sibi contradicit. Eorum scilicet ratio, quam etiam S. Alphonsus (*l. c.*) affert, haec est, quod *non praesumitur* (*Ecclesia*), *nulla iusta causa accedente, velle connivere merae libertati sacerdotum.* Quae quidem verba iuxta Holzmann, Marchantium, Sporer, Henno etc., quos S. Alphonsus allegat, significant, Ecclesiam tunc iurisdictionem non supplere, si falsa sit Confessarii opinio, atque adeo in casu periculo frustrationis sacramentum exponi. Atqui generale illud principium, quod nempe Ecclesia iurisdictionem non suppleat, ne Confessarii libertati conniveat, falsissimum ab iisdem Auctoribus habetur, quando (prouti cum Suarez et Croix animadversum in Nota est) inde animarum damnum sequeretur. Exinde Henno (*De Poenit. Disp. 8. Q. 5. Concl. 3.*) ad obiectionem quod *Ecclesia non approbat, quod prohibet: ergo non dat iurisdictionem illi, quem prohibet absolvere,* respondet: *Non approbat, ut licitum,* Conc.: *ut validum, in favorem invincibiliter decepti,* Nego. Et rursus: *Volumus Ecclesiam quidem supplere quandoque defectum in favorem poenitentium, nunquam tamen in gratiam confessarii putativi aut probabilis.* Et rursus: *Licet peccaret confessarius id resciens, tamen valida esset confessio poenitentium.* Quocirca etiam S. Alphonsus (*Lib.6. n. 272.*): *Haec ratio minime convincit; nam dato quod Ecclesia iurisdictionem huiusmodi impiis sacerdotibus denegaret, neque impediretur, quominus ipsi... suos errores disseminarent; et versa vice fideles ob invaliditatem suarum confessionum evidenti periculo perditionis exponerentur.* Falsum est igitur, ipsis AA. fatentibus, periculo frustrationis ob iurisdictionis defectum sacramentum exponi. Alioquin vero nemo sane dixerit peccare sacerdotem, qui in casu, ut ex praedictis manifestum est, sententiam *probabilissimam, communissimam, tutissimam, ac moraliter certam* sequitur.

Et haec quidem sufficiant ad dubia VV. dissolvenda circa controversiae cardinem; nam minutiora quaeque persequi, quibus VV. duas illas et triginta columnas cumulant, ceu opus inutile ac merum lectoribus taedium afferens habendum est. Obiiciunt v. gr., quod Marchantius, contra ac in Nota dicatur, bene iurisdictionem *probabilem* a *dubia* distinguat. — Resp. Nego totum. Marchantius enim (*l. c. Q. 6.*) sub titulo *iurisdictionis* PRACTICE *dubiae* disserit de sacerdote, qui perplexus in dubio *practico* circa iurisdictionem versatur. Hinc exemplum ponit *scrupulosi sacerdotis, qui invenit hominem in periculo mortis constitutum, et interim dubius practice manet, an iurisdictionem habeat, et possit illum absolvere, nec in ullam partem in ordine ad actionem se resolvere potest.* Quae, uti patet, ad rem non faciunt.

Illud potius ad rem facit, animadvertisse nempe, Marchantium et eius asseclas, in iis prope casibus licitum iurisdictionis probabilis usum pro licito habere, ac habent usum iurisdictionis presse dubiae. Inter quos casus cum etiam periculum mortis memorent, enimvero videntur tunc obliti doctrinae Tridentini Concilii, iuxta quam *quilibet sacerdos quoslibet poenitentes a quibuscumque peccatis et censuris absolvere potest.* Caeterum quod easdem prope causas isti AA. exigant ad probabilis atque dubiae iurisdictionis usum licitum, id forte subindicat, huius controversiae conditiones haud undecumque ipsis satis fuisse perspectas.

(a) Par est heic intelligere suspensos quoque, interdictos, irregulares.

Resp. Affirm. Ratio est, quia omnes Sacerdotes possunt absolvere in articulo mortis, ut constat ex Trident. Sess. 14. cap. 7. (*a*), *iuxta dicta in princ. IV. — Vide S. Lig. n. 560.*

551. — QUAER. 7° *An simplex Sacerdos possit absolvere non tantum in articulo, sed etiam in periculo mortis?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia eadem fere est poenitentis necessitas in periculo, atque in articulo mortis. Aliunde constat ex iure canonico, pro eodem accipi articulum et periculum mortis. — *S. Lig.*

Huiusmodi autem periculum censetur adesse 1° in morbo periculoso; 2° tempore pestis; 3° in partu difficili; 4° in operatione chirurgica ardua; 5° ante navigationem valde periculosam; 6° in praelio, aut aliis similibus adiunctis. — *S. Lig. n. 561.*

QUAER. 8° *An possit simplex sacerdos absolvere moribundum etiam praesente Confessario approbato?*

Resp. Dissentiunt inter se Doctores; et S. Alphonsus *(Lib. 6. n. 562.)* post libratas utriusque sententiae rationes suum tandem iudicium profert hisce verbis: *Hisce tamen non obstantibus* (scilicet

degradatos, schismaticos, notorie haereticos, apostatas etiam a fide ad mahumedanismum v. gr. etc.

(*a*) Ita Syn. Tridentina : *In eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis : atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibuscumque peccatis et censuris absolvere possunt.*

Quoad nominatim excommunicatos refert Card. Albitius (*De Inconst. in fid., etc. Cap. 18. n. 39.*), magnam ortam Romae controversiam, obiicientibus quibusdam pro *negativa* Declarationem Sacrae Congr. Conc., quam refert Fagnanus (*In C. Quoniam, De Constit. n. 28.*). *Sed licet* (inquit Albitius) *maxima cum diligentia fuerint requisiti libri et regesta decretorum Congr. S. Conc. Trid., dicta declaratio reperiri non potuit. Dicendum est ergo, quod declaratio praedicta facta non fuerit, vel si facta, fuerit a praedictis libris expuncta tamquam contraria communi opinioni Theologorum, qui post Concilium scripserunt. Et novi etiam, quod de anno 1682. tempore Pontificatus D. N. Innocentii XI. fuerit in S. Congr. S. Officii super ista opinione disceptatum; et cum aliqui ex Cardinalibus opinionem S. Thomae sequerentur, fuit ad trutinam revocata. Relata re ad Sanctissimum, Sanctitas Sua pro sua prudentia iussit, ne super dicta opinione disceptaretur, neque in dubium amplius revocaretur.*

S. Alphonsus in anterioribus Operis sui editionibus (Vid. Edit. Bassan. cum ficta data *Romae* anno 1757.) cum narrata ab Albitio nondum comperisset, de hac re scripserat (*Lib. 6. n. 560.*): *Secunda vero sententia* SEQUENDA *negat, et hanc tenet S. Thomas, etc.*; ubi et praedictam Declarationem a Fagnano memoratam urget. Novit postea ex Collet, quae retulimus ex Albitio, et illa eidem paragrapho cum Innocentii XI. decreto adiunxit ; insuper antiquam illam sententiam in posteriori retractationum elencho (*n. 19.*) retractavit ; attamen vocem illam *sequenda* (ex oblivione, uti patet) non delevit. Et hoc monuisse iuverit, ne quis initium dumtaxat illius paragraphi 560 legens, ut mos iis est, qui mere de sententia Auctoris noscenda sunt solliciti, perperam eam opinionem quasi S. Alphonsi amplectatur.

Decretum autem Innocentii XI. confirmationem habet ex Benedicti XIV. Constitutione *Apostolici muneris*, ubi validam declarans absolutionem a Sacerdote tributam complici in peccato turpi, rationem affert ex citato Synodi Tridentinae decreto : qua de re sermo redibit.

rationibus pro *affirmante* a se allatis) *puto non recedendum a prima sententia* (nempe *negante*) *ob auctoritatem Ritualis Romani (De Sacr. Poenit. sub init.), ubi sic dicitur:* Sed si periculum mortis immineat, approbatusque *(nota)* desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere. *Possunt igitur simplices Sacerdotes absolvere, si desit approbatus Confessarius; ergo non possunt, si adsit approbatus.* Ita S. Ligorius, qui alioquin, licet sententiam suam dixerit *communissimam,* tamen etiam pro opposita *affirmante* sexdecim expresse, aliosque tacite Doctores allegat; quibus novem alii ex Lugo *(De Poenit. Disp. 18. n. 23.),* Diana *(Tom. 5. Tr. 8. Res. 26. n. 3.),* Barbosa *(De Off. et Potest. Ep. Part. 2. Alleg. 25. n. 79.),* et Salmanticensibus *(De Poenit. Cap. 11. n. 29.)* adiungi facile possunt (*a*).

(*a*) Itaque viginti quinque, minimum, Doctores produci possunt, qui oppositam sententiam sequuntur. Quae Doctorum consensio evincit, haud invicti roboris esse argumentum, quod in hanc rem ex *Rituali Romano* petitur. Neque enim supponi potest, illum textum tot Doctoribus fuisse ignotum; neque tamen minus propterea probabilem censuerunt affirmantem illi quoque, qui neganti potius adhaeserunt. Et vero etsi plura in Romano quoque Rituali sint, quae ad definitas sententias pertinent; aliqua tamen reperiuntur, de quibus libera disputandi in scholis facultas Doctoribus per Ecclesiam conceditur. Quinimo cum Card. De Lugo argumenta undecumque exquisita corrogaverit, quibus eandem opinionem negantem, a se adoptatam, communiat, rationem istam nullatenus commemorat.

** Contra paucas hasce lineas non minus quam duodecim columnas (*Pag. 501-506.*) VV. opponunt. Quorsum vero? Duo videlicet contendunt, ac 1° Iure merito S. Alphonsum *communissimam* dixisse opinionem, quam sequitur, utcumque Auctores, ut minimum, vigintiquinque pro opposita allegari possint; 2° *Optimo iure* pro eadem opinione *praecipuum argumentum a S. Doctore ex Rituali Romano peti.*

Resp. Ad primum quod attinet, satis sit duo breviter animadvertisse. Ac 1° quidem vereor enimvero, ne haec VV. disputandi ratio in mentem Lectorum forte revocet illud (*Deuter. 25. 13.*): *Non habebis in sacculo diversa pondera.*

Et sane huc revocetur responsum, quod VV. fecerunt obiicientibus, S. Alphonsum *communissimam* contra se habere Doctorum sententiam, dum scilicet (*Vid. sup. n. 549. Q. 4. cum Notis*) damnat cum Marchantio usum iurisdictionis probabilis, nisi aliqua necessitas aut gravis causa urgeat. Responderunt VV. nimirum hisce verbis (*Pag. 490.*): *At vere sententia, id licere* (scilicet absolvere cum iurisdictione probabili) *indistincte sine ulla necessitate aut causa rationabili, nequaquam communis, et tanto minus communissima est, ut ex seq. Articulo patebit.* At enim quid demum tam gravis momenti in isto Articulo afferunt, ut nedum *communissima*, sed ne *communis* quidem dici opposita sententia queat? Videlicet praeter Marchantium, Sporer et Elbel a S. Alphonso allegatos, ipsi addunt nomina *Collet, Gonet, Henno, Holzmann, Billuart, Amort, Cuniliati et Croix:* nam frustra ab iis pertrahi in eam partem Suarez quoque, Reginaldum, Gobat, Coninck, et Io. Sancium, iam (*l. c.*) ostensum est. At vero si exigua illa auctorum manus abunde sufficere VV. potuit, ut *communissimam,* imo et *communem* negarent dicendam esse sententiam, quam alioquin gravissimi (ut l. c. vidimus) Doctores testabantur communissimam, et universali confessariorum praxi vigentem; quid est enimvero, quod nunc ipsimet contendunt *communissimam* dicendam esse opinionem, contra

Insuper sicut qui affirmantem sententiam sequuntur, non inficiantur negantis probabilitatem; ita et qui negantem praeferunt, ultro concedunt probabilitatem affirmantis, aut implicite, dum propriam opinionem mere *probabiliorem* dicunt, aut etiam explicite,

quam non pauci quidam, sed vigintiquinque, ut minimum, stant Auctores. et quam unus, ut videtur, *communissimam* dixit S. Alphonsus? Numquid prorsus minus aequo iure quispiam huc advocaret illud: *Non habebis diversa pondera?*

Instant VV. (*Pag. 503.*); *advertendum ante omnia, Doctores non arithmetice numerandos, sed ponderandos esse, et negativam* (S. Alphonsi) *sententiam ab omnibus fere illustrioribus teneri ac propugnari.*

Resp. Ne quid modo dicamus de novissimo isto canone, secundum quem habenda vel non habenda sit ceu *communis* aut *communissima* quaepiam sententia, sed nonne hic rursus lectorum mentibus recurret illud: *Pondus et pondus, mensura et mensura?* Numquid enim modicissima illa Auctorum manus, quam ipsimet communissimae DD. sententiae opponebant, illustrioribus Doctoribus constabat, aut non potius ingenti illustriorum catervae eam ipsi obiiciebant?

Caeterum ut alterum, prout diximus, hic addamus, non sine causa in Nota scriptum fuit, *vigintiquinque,* UT MINIMUM, stare pro opposita: quippe his ex S. Alphonso, Lugo etc. tantum collectis, et alii adiungi facile poterant. Sed ad rem brevius expediendam, iuverit ex Auctorum testimoniis addiscere, quae tandem sit genuina huius controversiae conditio. Ecce enim Reiffenstuel ita scribens (*Tr. 4. Dist. 4. n. 33.*): *Negant* MULTI... *nihilominus* (oppositum) *probabile censent* MULTI *alii Doctores.* Et Stoz (*Lib. 2. Q. 2. n. 52.*): *Sed contrariam sententiam* (a qua nempe S. Alphonsus recedit) *tradunt ex veteribus* MULTI, *et ex recentioribus* PLURIMI. Et Clericatus (*De Poenit. Decis. 37. n. 28.*): *Sunt hinc inde opiniones probabiles ob rationem, et* MULTITUDINEM DOCTORUM PRO UTRAQUE MILITANTIUM. Locumne ista relinquunt, ut earum opinionum alterutra dicatur *communissima?*

Sed iam ad secundum caput, de vi nempe argumenti, quod S. Alphonsus pro sua opinione promit ex *Rituali Romano.* Et VV. quidem (*Pag. 504–505.*) toti in eo sunt, ut rationem quaerant, cur nemo usus hoc argumento fuerit, cum tamen tot Auctores cuiusvis aetatis hanc quaestionem tangant; rationem autem reddunt, quod alii scripserint ante eiusdem Ritualis evulgationem iussu Pauli V., alii vero non viderint ab ullo idem argumentum propositum.

Resp. Grave enimvero videri debet hisce ineptiis immorari. Ac primo quidem nonne S. Alphonsus urget, quod quae dicuntur in Rituali de absolutione moribundi, *iuxta probatum usum antiquitatis* statuta fuerant? Quid ergo ista VV. ceu incomperta Theologis exhibent ante editionem sub Paulo V. vulgatam? Insuper nonne S. Alphonsus addit ibidem aliud argumentum petitum ex Concilii Tridentini catechismo? Numquid et hunc catechismum VV. dabunt ceu monumentum omnium theologorum oculis absconditum? Potiusquam igitur universos theologos ceu captos oculis traducamus, aut in re notissima peregrinos, illud et arbitremur et fateamur, quod res ipsa clamat, neque eos, qui opinionem a S. Alphonso deinde adoptatam praetulerunt, quidpiam in hisce monumentis reperisse, quod putarent praesidium ullum causae a se defensae afferre posse, neque iterum eos, qui pro opposita opinione steterunt, quidpiam difficultatis in iisdem monumentis intervidisse, a qua expediendam propriam opinionem censerent.

Caeterum non sua deest ratio congrua, cur et Rituale et Catechismus dixerint, in iis adiunctis posse simplicem sacerdotem confessionem excipere et absolutionem impertiri, si proprius aut alius approbatus sacerdos desit. Indicant videlicet, quando non solum valide sed etiam citra ullam

ut Lezana, et Stephanus a S. Paulo apud Salmanticenses (*l. c.*), ac Viva, Sporer, Elbel, et Card. De Lugo apud S. Alphonsum (*l. c.*); e quibus postremus, idest Lugo, auctor sane gravissimus, sic iudicium suum de ipsa profert *(De Poenit. Disp. 18. n. 23.)* adversus Aloisium Turrianum, qui hanc sententiam dixerat improbabilem: *Unde constat, excessisse in censura huius opinionis Luisium Turrianum, dicendo, hanc opinionem esse improbabilem.... Certe sententia, quam tot et tam graves Doctores tenent, negari non potest, quin probabilis sit, praesertim cum fundetur in verbis Tridentini, quae non facile explicari possunt ab adversariis* (*a*).

notam aut fidelium admirationem simplex sacerdos eo ministerio fungatur. Quis enim ignorat, a consuetudine fidelium, qui fere haec ignorant, prorsus abesse, ut confessarium illum adhibeant, quem constat nondum ad il muneris fuisse deputatum? Nonne enim et Benedictus XIV excusat sacerdotem criminis complicem, si ideo confessionem complicis excipiat, quod advocari alius nondum approbatus citra admirationem non possit? Erat igitur, cur ea circumstantia indicaretur, quando nempe ad confessionem excipiendam simplex sacerdos aut ab aliis vocari, aut semet ingerere citra notam atque admirationem non posset; quae quidem admiratio iam cessare coepit, postquam inopia sacerdotum effecit, ut non raro parochi alium adiutorem alicubi non habentes praeter nondum approbatum, hunc ad adsistendum infirmis atque adeo ad eos opportune sacramentaliter absolvendos adhibere consuescant.

Ad id, quod in Nota dicebatur, eos, qui negantem sententiam tenent, non inficiari probabilitatem affirmantis, opponunt VV. (*Pag. 505.*), perpaucos illos inter antiquiores reperiri, recentiores vero id asserere solum, *in quantum gravis causa adest.*

Resp. Etiam S. Alphonsus commemorat *Viva, Sporer, Elbel, et Lugo*, cuius luculentissima etiam Gury in textu haec verba retulit: *Certe sententia, quam tot et tam graves Auctores tenent, negari non potest, quin probabilis sit, praesertim cum fundetur in verbis Tridentini, quae non facile explicari possunt ab adversariis.* Et in his quidem habes solida probabilitatis fundamenta, grave scilicet auctoritatis pondus (*tot et tam graves Auctores*), et firmam rationem (*verba Tridentini, quae non facile explicari ab adversariis possunt*). Caeterum nonne illis quatuor accedunt duo alii a Salmanticensibus allegati, *Lezzana* et *Stephanus a S. Paulo?* Nonne ipsi VV. addunt (*l. c.*) *Palaum* et *Trullench?* Insuper superius in eandem rem allegati hic sunt *Reiffenstuel, Clericatus*, et *Stoz*. Sed his addi possunt et *Campensis* (*apud Mastrium Disp. 21. Q. 9. art. 1. n. 204.*), et *Babenstuber*, qui (*Part. 6. Disp. 6. art. 1. n. 8.*) dicit id *valde probabile*, et *Giribaldi*, qui (*Tr. 7. C. 13. n. 18.*) scribit: *Negari non potest esse valde probabile*, et *Marchant*, qui (*Tr. 2. Tit. 1. Q. 3. Concl. 5.*) ait: *Nolim huic sententiae derogare, quin probabilis sit*, et *Catalani*, qui (*Part. 3. Q. 6. C. 13. n. 8.*) scribit: *Non nego probabilitatem sententiae affirmantis*, et *Mendo*, qui (*Epit. V. Confessio n. 12.*) in idem consentit. His vero adiunge et eos, qui (ut aiunt etiam VV.) sententiam negantem mere *probabiliorem* vocant. Itaque, ne plura frustra inquiramus, nonne haec sufficiunt, ut dici vere queat, etiam qui negantem praeferunt sententiam, non negare oppositae probabilitatem?

(*a*) Idem Lugo quoad sententiam negantem, quam alioquin ipse praefert, advertit (*l. c. n. 25.*), fundamentum praecipuum pro ea desumi ab aliquibus (reipsa plerique hi sunt) ex fine concessionis, qui fuit subvenire necessitati fidelium; quae sane cessare videtur, quando Confessarius adsit approbatus. *Haec tamen ratio* (pergit) *meo iudicio non sufficeret ad sepa-*

552. — QUAER. 9° *An Parochus possit advocare Parochum eiusdem vel diversae dioecesis ad confessiones in sua parochia audiendas?*

Resp. 1° Quoad Parochum eiusdem dioecesis, licet hic vi officii sui iurisdictionem specialem habeat tantum pro paroecia sua, tamen ex consuetudine fere universali confessiones etiam in universa dioecesi audire potest, nisi Episcopus aliter decernat. Consulendae tamen sunt consuetudines locorum propriae.

Resp. 2° Quoad Parochum diversae dioecesis, variae feruntur opiniones, ut inquit *Bened. XIV. Instit. 86. n.* 7. Qui affirmant, arguunt ex *Trid.* quod *parochiale beneficium* inserviat pro approbatione universali. Alii negant, quorum sententia, inquit *S. Lig. n. 544.*, robur accipit ex *Resp. S. Congr. Conc.* die 31. Decembris 1707. — *Bened. XIV.* primam sententiam admittit in iis locis, ubi adest talis consuetudo.

553. — QUAER. 10° *An Sacerdos approbatus ab Episcopo possit audire confessiones fidelium sine venia Parochi?*

Resp. 1° *Quoad liceitatem neg.*, si confessiones excipiantur in Ecclesia Parocho subiecta. Ratio est, quia debitus ordo omnino requirit, ut cum Parochus Superior immediatus sit in sua Ecclesia, ab ipso venia inibi exercendi sacra ministeria petatur. Non tamen requiritur venia Parochi ad audiendas confessiones in Sa-

randam universalitatem verborum (scilicet Concilii Tridentini), *et concessionis absolutae, quam prima sententia* (affirmans nempe) *affert pro se. Nam potuit necessitas fidelium movere ad concedendam facultatem cum tota illa amplitudine.*

Ipse autem firmius fundamentum sibi visus est in eo reperisse, quod Synodus dixerit, *id ita semper custoditum fuisse in Ecclesia:* quasi scilicet non fuerit semper in Ecclesia consuetudo, *ut praesente Praelato, sacerdos inferior posset absolvere morientem a reservatis.* Sed (pace tanti viri dictum hoc fuerit) ista directe pugnare videntur cum verbis ipsius Synodi, quae expresse testatur (*Sess. 14. Cap. 7.*), quod *in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut* NULLA SIT RESERVATIO IN ARTICULO MORTIS. Porro ubi nulla est reservatio, profecto superflue quaeritur, qui facultatem habeat in reservata.

Advertendum est praeterea, ante Tridentinam Synodum haudquaquam ad excipiendas confessiones necessariam fuisse Ordinarii approbationem. Illud unum itaque requirebatur, ut ab Episcopo vel Parocho iurisdictio conferretur, vel *directe,* quando sacerdos quispiam ad excipiendas confessiones designabatur, vel *indirecte,* quando fidelibus facultas fiebat aliquem sacerdotem eligendi in Confessarium. Quocirca cum testante Tridentina Synodo custoditum semper in Ecclesia Dei fuerit, ut in *articulo mortis quilibet sacerdos quoslibet poenitentes a quibuslibet peccatis et censuris posset absolvere,* res eo redit, ut cuilibet sacerdoti in eo casu tributa censeretur iurisdictio, et consequenter ut poenitens posset quemlibet sacerdotem eligere. Atqui, uti diximus, nulla tunc Ordinarii approbatio necessaria erat, atque adeo nulla esse poterat inter approbatos et non approbatos distinctio. Ergo inanis est hypothesis, qua fingitur, ex eorum temporum consuetudine approbatum non approbato in articulo mortis praeferendum fuisse.

cello regularium vel monialium, sed venia Superioris vel Superiorissae loci sufficit.

Resp. 2° *Quoad validitatem*, certum est iuxta omnes, non requiri licentiam Parochi extra casum annuae confessionis. Imo nec requiritur pro annua confessione, saltem *per se*, seu de iure communi. Constat ex communi doctrina Theologorum contra quosdam, necnon ex praesenti consuetudine et praxi universali Ecclesiae, ut testatur *Bened. XIV. Instit. 18.* — Si autem alicubi non vigeat ista consuetudo, nihilominus validae habendae sunt confessiones, nisi Episcopus expresse contradicat; nam si taceat, consuetudini universali Ecclesiae consentire videtur (*a*). — *Gousset, n. 478.*

554. — Quaer. 11° *An delegatus valide et licite absolvat elapso termino delegationis quotannis renovandae, v. gr. si turba poenitentium affluat ad aliquam magnam solemnitatem?*

Resp. 1° Invalide absolvit *per se*, idest ratione iurisdictionis, quia de facto nullam habet. Attamen valide absolvet *probabilius* ratione erroris communis, ob quem Ecclesia supplere censetur pro bono animarum.

Resp. 2° Peccat graviter *per se* Sacerdos, si hoc *scienter* agat; ratio, quia exercet munus Confessarii sine legitima auctoritate; et licet tunc suppleat Ecclesia, reus est tamen, quod ipse indebite eam ad supplendum cogit.

Quaer. 12° *An Sacerdos in aliquo loco approbatus excipere valeat confessiones peregrinorum eo advenientibus?*

Resp. 1° *Affirm.* absolute quoad Confessarios regulares, qui spe-

(*a*) Ioannes XXII. (*C. Vas elevationis Extrav. De haereticis*) damnavit et hunc articulum Ioannis De Poliaco Doctoris Parisiensis: *Stante* Omnis utriusque sexus *edicto in Conc. gen., Romanus Pontifex non potest facere, quod parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti confiteri.*

Damnatum errorem instauravit Launoius; et cum haec opinio, pacis inimica, inficere coepisset parochos in Gallia, Clemens VIII. ann. 1592. tulit hoc decretum (*apud Bened. XIV. Inst. 18. n. 7.*): *Sancimus, tam dictis Fratribus..., quam aliis privilegiatis praedictis, quibus id ab Apostolica Sede indultum est, idoneis tamen et ab Ordinario approbatis, peccata sua etiam quadragesimali et paschali, et quovis alio tempore confiteri licite posse....*

Et Clemens X. (Const. *Superna* §. *4. 5.*) decernit et declarat, *semel approbatos* (Regulares) *posse in dioecesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam paschali, et quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla parochorum vel Episcopi licentia...; et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quae incipit* Omnis utriusque sexus, *quoad confessionem dumtaxat, satisfecisse.*

Quoad hypothesim vero, quam A. memorat, Episcopi contradicentis, extat apud Pignatelli, et Pitonium (*De Confess. n. 56.*) Declaratio S. Congr. 5. Aprilis 1584., his verbis expressa: *Decretum Episcopi, in quo habetur, quod nullus Confessarius etiam ab Ordinario approbatus, possit tempore paschali confessiones alicuius audire sine licentia proprii curati, nullo modo est observandum.*

ciale hoc privilegium a S. Sede Apostolica habent. — *Vide Constit. Superna, Clement X.* (*a*).

Resp. 2° Etiam *affirm.* quoad Sacerdotes saeculares; ratio, quia talis est consuetudo vim habens ex tacito Ordinariorum consensu, qui ratihabitioni de praesenti aequivalet. — *Ita communius Theologi et Canonistae.* — *Vide S. Lig. n. 569.*

555. — Quaer. 13° *An Episcopus possit sub poena invaliditatis prohibere, ne dioecesani pergant ad confitendum extra dioecesim?*

Resp. 1° *Negative*, si pergant ad confitendum extra dioecesim apud Confessarios Regulares, qui habent privilegium audiendi confessiones omnium fidelium undequaque venientium. — *Suarez, de Relig. tr. 10. l. 9. cap. 2. n. 8.* — *Reiffenstuel, tr. 14. Dist. 8. q. 1. n. 11.* — *Laym. l. 5. tr. 6. c. 10.*

Confirmatur Declaratione S. Congr. apud *Fagnan.* in cap. *Omnis utriusque sexus n. 79.*, ubi haec habet: *S. Congregatio declaravit, Regulares intra dioecesim Episcopi approbantis posse etiam absolvere poenitentes alterius dioecesis, cum habeant iurisdictionem a Papa...., cuius iurisdictio non restringitur ad limites alicuius territorii, sed universus orbis est sua dioecesis.*

Resp. 2° *Affirmative*, si in alia dioecesi Sacerdotibus saecularibus confiteantur. Ratio est, quia, ut inquit *Fagnanus*, de iure communi nullus Sacerdos potest absolvere poenitentem non sibi subditum, etiam in illa dioecesi, in qua est approbatus; nec supponi potest in casu tacitus consensus Episcopi poenitentium, cum ex hypothesi ipse sit invitus (*b*).

(*a*) Et in Constitutione Pauli III. *Inter cunctas* ad PP. Soc. Iesu: *illis ex vobis, qui presbyteri fuerint, quorumcumque utriusque sexus Christi fidelium, ad vos undecumque accedentium confessiones audiendi,* etc.; quod privilegium constat et aliis Regularibus Mendicantibus commune esse.

(*b*) Hoc sensu intelligendi sunt Palaus, Lugo, Salmantic., Bonac., Suarez, Vasquez, etc., quos S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 569.*) allegat, ceu facultatem peregrinis concessam confitendi cuilibet approbato loci, in quo reperiuntur, ea conditione limitantes: *dummodo ex industria non discedant ex proprio domicilio, ut extra confiteantur.* Et cum hoc sensu ii DD. loquantur, non potest admitti, quod S. Alphonsus cum Tamburini et Mazzotta contra eos urget, generalem iuris regulam esse, quod nullus videtur fraudulenter agere, qui utitur iure suo. Ius enim confitendi extra dioecesim, Ordinario proprio invito, nullum est, nec potest contraria consuetudo induci, obstante illa Constitutione (*C. Si Episcopus 2. De Poenit. et Remiss. in VI.*): *Nulla quoque potest consuetudine introduci, quod aliquis praeter sui Superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare.*

Cuius quidem Constitutionis hanc rationem luculentissimam DD. afferunt, quod eiusmodi consuetudo repugnet *iuri divino* statuenti, ut nemo solvi aut ligari queat nisi a proprio iudice. Ita Suarez (*De Poenit. Disp. 27. Sect. 3. n. 5.*): *Respondetur, eligere confessorem sine licentia proprii Episcopi, repugnare iuri divino; et ideo significasse Pontificem* (Bonifacium VIII.) *in illo textu* (C. Si Episcopus), *non posse consuetudinem praescribere contra hoc ius; in quo multum differt haec consuetudo a quacumque alia lege humana.* Eadem habes ex Dominico Soto (*In 4. Dist. 18.*

QUAER. 14° *An* SUCCURSALISTAE *in Gallia iurisdictione ordinaria gaudeant?*

Resp. Affirm.; sunt enim Parochi proprie dicti, et cura anima-

q. 4. art. 2. Concl. 1.), Vasquez (*In 3. P. q. 93. art. 2. Dub. 2. n. 5. 6.*), et, aliis omissis, ex Melch. Cano, qui (*Relect. De Poenit. P. VI.*) sic paucis rem conficit: *Exploratum haberi debet, praeceptum de confitendo proprio sacerdoti, divinum esse... Quapropter sine huiusmodi commissione* (delegatione Ordinarii) *sacerdos alienus non est huius sacramenti minister; atque proinde iure divino tenemur proprio sacerdoti confiteri. Nam confessio, quae fit alteri ex facultate proprii sacerdotis, proprio fieri censetur.* Et hinc repetit, *quod nulla consuetudine introduci potest, ut aliquis praeter sui superioris licentiam, confessorem sibi eligere valeat,* etc., ut habet cit. *C. Si Episcopus.* Ut enim Canus subdit, *Si esset solum de iure positivo, aliqua consuetudo posset praevalere.* Et (N. B.) concludit: *In hanc sententiam conveniunt omnes scholastici Auctores, atque adeo B. Thomas,* etc.

Caeterum non videtur S. Alphonsus Auctores praedictos eo sensu accepisse, quasi tractent de peregrinis, qui e dioecesi discedant ad confitendum alienis contra voluntatem Ordinarii, et sic nihilominus utantur iure suo. Adeo enim non agit de Ordinariis invitis, ut supponat, *Ordinarios signum aliquod nunquam dedisse sui dissensus.*

** Haud gratuita profecto videri debuit interpretatio mentis S. Alphonsi, quae in huius *Notae* fine subiicitur. Sic enim habet S. Doctoris textus (*Lib. 6. n. 569.*): *Communiter docent DD., peregrinos, spectata consuetudine et tacito Episcoporum consensu, posse confiteri cuilibet approbato in loco, ubi reperiuntur. Ita Palaus, Lugo, Concina, Salmant., Bonac., cum Suarez, Vasquez etc. Limitant tamen praefati Auctores, dummodo ipsi peregrini ex industria non discedant e proprio domicilio, ut extra confiteantur. Sed Tamb., Renzi, et Mazzotta cum Pont., Filliuc., et aliis verius dicunt, quod praedicta limitatio non est necessario servanda ex illa regula generali iuris, quod nullus videtur fraudulenter agere, qui utitur iure suo; nec autem aliunde habetur, quod Ordinarii in praedicto casu signum aliquod unquam dederint sui dissensus:* quasi nempe dicat: Communis est sententia, peregrinos, *spectato consensu Episcoporum et consuetudine,* posse confiteri etc. Atqui nullo modo apparet, hunc *consensum* deesse, etiamsi peregrini ex industria discedant, ut extra confiteantur. Ergo non servanda necessario est praedicta DD. limitatio etc. Non ergo gratis in *Nota* tributus est S. Alphonso sensus ab eiusdem verbis alienus.

Illud unum forte supererat, ut in ipsa *Nota* expressius indicaretur, S. Doctorem non omnino videri assecutum praedictae apud allegatos Auctores limitationis sensum, quasi nempe invalidam censuerint confessionem peregrini extra dioecesim confitentis, etiam quando nullum apparet dissensus Ordinariorum indicium: quippe abnormis eiusmodi opinio ab eorum mente est alienissima; et idcirco dictum in *Nota* est, eos de confitentibus extra dioecesim, *proprio Ordinario invito,* intelligendos esse. Omissum itaque illud est, quia satis id ex *Notae* integro contextu iam elucebat.

At enim ecce VV. (*Pag. 508.*) reclamant, non ea esse S. Doctoris sensa; nam (inquiunt) verba illa «*Ordinarios signum aliquod nunquam dedisse sui dissensus*» non S. Alphonsi sunt, sed Tamburini, cuius sententiam S. Doctor adducit.

Resp. Ego vero fas mihi nunquam ducerem, haec de S. Alphonso scripsisse. Si enim VV. hic credimus, relata verba adeo non sunt S. Alphonso tribuenda, ut ea immo S. Doctor respuat, utpote quae sententiam ab ipso reiectam praeferant. Verum quisnam, quaeso, suis ipse oculis fidem ita neget, ut haec admittat? Numquid enim vel minimum in allato S. Do-

rum ipsis committitur, non tamquam alterius Vicariis, sed proprio nomine exercenda. Tenetur reapse *Succursalista*, seu *Deservitor*, sicut praecipuae parochiae Rector, ex officio Sacramenta subditis

ctoris textu cernere est indicium, quod postremam eam sententiae partem non admittat, sed contra reiiciat? Immo nonne universam illorum Auctorum sententiam ut suam adoptat (*verius dicunt*, ait), eamque praecedenti sententiae, quae apponebat limitationem ab ipso reiectam, opponit? Eo vel magis, quod non Tamburini, ut contra supponunt VV., verba seu textum S. Doctor ibi refert, sed suis ipse verbis sensa exprimit, quae communia sunt et Tamburinio, et Mazzotta, et Filliuccio, imo et Pontio (*apud Tambur. Lib. 5. C. 4.* §. *3. n. 11. et 12.*), qui omnes expresse *consensum* Ordinariorum non deesse supponunt?

Verum haud obscura est ratio, quae VV. heic movit ad S. Doctoris sententiam hoc pacto distorquendam. Alibi enim, ut videbimus, quaedam S. Doctor habet, quae in casu consensum Ordinariorum excludunt, atque adeo cum obvio sensu superius allati textus, qui necessarium Ordinariorum supponit consensum, e diametro repugnant.

Neque tamen sic VV. satis consulunt S. Doctoris honori. Nam vel contendunt, etiam in allato textu S. Doctorem contra communem DD. sententiam excludere voluisse Ordinariorum consensus necessitatem; et praeterquam quod apertam S. Doctoris verbis vim inferunt, insuper inducunt S. Alphonsum ceu hominem, qui ad excludendam eiusmodi consensus necessitatem abs re, imo prorsus ineoncinne adversariis obiicit eam Auctorum doctrinam, quae prorsus illum consensum necessarium profitetur. Vel concedunt, quod contextus exigit, S. Doctorem cum Auctoribus, quorum doctrinam adoptat, necessarium supponere Ordinariorum consensum; et sic Antilogiae nota vitari nulla ratione potest.

1. Sed iam ad caput controversiae accedamus. Quamvis VV. nullum S. Alphonsi textum promere potuerint, ubi S. Doctor affirmet, validam esse absolutionem, si quis, invito proprio Ordinario, eam quaerat a Confessario extra Dioecesim, alium tamen S. Doctoris locum afferunt (*Pag. 511.*) ex quo illud deducant, ubi scilicet S. Alphonsus negat, absolutionem advenis impertiri *ex consensu eorum Ordinarii*. Sic enim habet S. Doctor (*Lib. 6. n. 588.*): *Peregrini, stante hodierna consuetudine,... nempe quod absolvuntur ubique a quocumque confessario approbato, hodie non amplius absolvuntur ex voluntate suorum Episcoporum, sed ex voluntate Ecclesiae, quae talem consuetudinem approbando tribuit facultatem, ut habeantur ipsi tamquam incolae loci, ubi confitentur*. Et utique ex hoc principio praestituto consectarium illud sponte profluit. Nam ideo invalida censeretur confessio facta sacerdoti alieno, quia si proprius Ordinarius absolute reluctatur, equidem iurisdictionem sacerdoti alieno non communicat. Atqui principium illud S. Alphonsi supponit, iurisdictionem aliunde, non vero a proprio poenitentis Ordinario haberi. Cessat ergo ratio, cur ea confessio invalida censeatur.

Novam hanc S. Alphonsi opinionem ut tueantur, VV. tria conantur astruere: 1° Iure S. Alphonsum inniti consuetudini; 2° nihil obstare Bonifacii VIII Constitutionem sup. in Nota allatam; 3° falso affirmari, quod iurisdictio dari debeat a Superiore eius, qui absolvendus est.

Porro cum heic agatur de supremis principiis, quibus tota oeconomia interioris seu fori interni iurisdictionis regitur, liceat paulo operosius hisce immorari, et saltem ex parte supplere ea, quae alias brevitatis causa omissa sunt (*Vid. Not. ad n. 573. Edit. 1869.*).

2. Et ut exordiamur a postremo capite, e quo reipsa pendent reliqua omnia, VV. (*Pag.526.*) nihil dubitant hunc titulum praeligere articulo (*art.1. Q. 13.*): *Immerito asserit cl. Professor, instar axiomatis penes omnes ha-*

suis ministrare; et subditi vicissim ad ipsum recurrere debent in iisdem casibus in quibus parochiani proprium Parochum, et non alium de iure adire debent, v. gr. ad matrimonium ineundum,

beri doctrinam, quod iurisdictio dari debeat a Superiore eius, qui absolvendus est.

Resp. Si ad defendendam novam hanc S. Alphonsi theoriam necesse est abnegare doctrinam, *quod iurisdictio dari debet a Superiore eius, qui absolvendus est;* hoc enimvero satis esse debet ad iudicandum, quo loco nova haec theoria haberi possit ac debeat.

Et sane iurisdictio definitur *potestas in subditos; Superior* autem dicitur, qui hanc potestatem habet ordinariam, idest ratione Officii, et potest eam aliis dare, seu delegare. Quaero: cum nemo det aut dare possit id, quod non habet, quis praeter Superiorem dare eam potestatem seu iurisdictionem potest?

3. Neque vero hic agitur de meris Scholae placitis. Sanctio est Florentini Concilii: *Minister huius sacramenti est sacerdos, habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione Superioris.* Quomodo ergo modo nobis obtrudetur *auctoritas absolvendi*, quae neque ordinaria sit, neque *a Superiore commissa*?

4. Sanctio est Tridentini Concilii (*Sess. 14. Cap. 7.*): *Quoniam natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Unde sic: essentiale est, ut sententia feratur *dumtaxat* in subditos; secus absolutio nullius est momenti. Atqui subditos non habet, qui iurisdictionem non habet aut ordinariam aut subdelegatam, idest a Superiore commissam. Quomodo igitur quis subinferet iurisdictionem ad absolvendum, quae nec ordinaria sit, nec a Superiore tradita?

5. Quandoquidem autem id (ut habet Trid. Synodus) *persuasum semper in Ecclesia Dei fuit,* hinc illud Innocentii III in Concilio Lateranensi (*Cap. Utriusque sexus 12. De Poenit. et Remiss.*): *Si quis autem alieno sacerdoti voluerit, iusta de causa, sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote: cum aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare.* Et cum nomine *proprii sacerdotis* venire hic nequeat, nisi qui potestatem habet ordinariam, quia licentiam dare, idest delegare iurisdictionem is tantum potest, qui ordinaria iurisdictione pollet (respectu autem uniuscuiusque fidelium ordinaria hac potestate tres personae inter se subordinatae pollent, nempe proprius parochus, proprius Episcopus, et Romanus Pontifex); ergo necesse est, ut quisquis ordinariam iurisdictionem non habet, qui heic dicitur *sacerdos alienus,* eam ab habente ordinariam, idest a Superiore obtineat. Quomodo itaque quis iurisdictionem promat, quam sacerdos aliquis a Superiore, ad quem subditus pertinet, non acceperit?

6. Neque vero est, cur quispiam incertus haereat de sensu verborum illorum: *licentiam prius postulet* etc. Licentia *quippe confitendi alieno sacerdoti,* quemadmodum et *facultas eligendi confessarium,* aut *facultas se subiiciendi alieno,* aut *committere alteri suum subditum,* aliique huiusmodi dicendi modi, important, ut notissimum est, *iurisdictionis delegationem;* quod S. Bonaventura (*In 4. Dist. 17. Part. 3. art. 1. q. 2.* °.) expressit his verbis: *Committere alteri ius suum et potestatem absolvendi;* S. Thomas autem: *Committere ea, quae sunt iurisdictionis,* ut habet (*suppl. q. 8. art. 6. ad 1.*): *Aliquis potest uti iurisdictione alterius ex eius voluntate, quia ea, quae iurisdictionis sunt, committi possunt.*

7. Praedictae autem dicendi formae ad duplicem referuntur modum

Communionem Paschalem recipiendam, etc. — *Gousset, n. 479.* — *Vernier, n. 92.* — *D. Bouix, tract. de Parocho, p. 337.*, etc.

concedendi iurisdictionem, *directe* scilicet et *indirecte*. Ut enim inquit Suarez (*De Poenit. Disp. 28. init.*), *potest* (*iurisdictio*) *duobus modis concedi seu delegari: primo directe concedendo iurisdictionem sacerdoti...; secundo ex parte poenitentis, quando alicui conceditur facultas eligendi confessorem*, non quasi iurisdictio detur poenitenti, cui licentia tribuitur, sed, ut idem habet (*Sect. 1. n. 2.*), *solum est potestas ad eligendam vel designandam talem personam; qua designata, Pontifex seu Praelatus ecclesiasticus, qui talem facultatem dedit, confert illi iurisdictionem.* Illud ergo ratum, certumque habendum est, formulas *dare licentiam confitendi sacerdoti alieno*, aut *eligendi alienum*, aliasve similes, importare delegationem seu collationem iurisdictionis in eum sacerdotem, cui subditus ille confitebitur.

8. Hinc vero sequitur, nihil opus esse ut sacerdos, qui in casu eligatur, ullam aliunde iam habeat iurisdictionem. Quae enim iurisdictio ad hunc poenitentem absolvendum requiritur, eo ipso illi confertur, dum eligitur. Hoc clare sic expressit Franciscus de Victoria (*Sum. n. 150.*): *Quaeritur, utrum qui habet auctoritatem eligendi confessorem...., possit eligere simplicem sacerdotem nondum expositum ad audiendas confessiones? Respondeo absolute..., quod sine quocumque scrupulo potest eligere quemcumque sacerdotem, ut etiam dicit Caietanus... Ratio est, quia in hoc solo differt sacerdos habens iurisdictionem a non habente, quod ille habet materiam, hic autem non: et huic nihil aliud deficit ad hoc ut possit absolvere, nisi materia circa quam exerceat potestatem, quam accepit, dum ordinatus est. Cum ergo recipienti* (*facultatem eligendi*) *detur potestas subiiciendi se cui voluerit, iam talis sacerdos electus habet materiam et iurisdictionem circa illum: unde nihil sibi deficit.* Quae quidem doctrina ab eodem Auctore dein dicitur *inter Doctores trivialis.*

Qua de re etiam inter alios Suarez (*De Poenit. Disp. 28. Sect. 3. n. 5.*): *Dico primo: Parochus ante Concilium Tridentinum ex vi iuris communis poterat et valide et licite suam iurisdictionem committere cuicumque sacerdoti, qui secundum naturale seu divinum ius idoneus esset ad hoc sacramentum ministrandum, etiamsi aliam iurisdictionem vel Episcopi approbationem non haberet.* Et rursus (*ib. n. 6.*): *Dico secundo: Stando in iure antiquo, per generalem facultatem datam ad eligendum confessorem eligi poterat quilibet sacerdos iure divino idoneus, absque alia conditione aut approbatione iure humano requisita.* Undenam vero in casu iurisdictio electo sacerdoti advenit, nisi ab Superiore, qui dat licentiam eligendi?

Neque vero alia est rerum conditio post Tridentinum. Discrimen enim in eo tantummodo residet, quod modo sacerdos, qui eligitur, approbatione indigeat Ordinarii, in cuius territorio confessionem excipit. At nihilo minus indiget iurisdictione, quae in casu est ab poenitentis electione. Quocirca Melchior Canus (*Relect. de Poenit. Part. 6.*): *Approbatus potest eligi, etiamsi alias nullos subditos habeat, nullamque penitus iurisdictionem.*

Sit itaque demum conclusio: Doctrina est in Conciliis Oecumenicis Florentino, Tridentino, et Lateranensi definita, invalidam esse absolutionem, quae ab alio praeter Superiorem proprium conferatur citra commissionem aut licentiam ab eodem Superiore obtentam. Atqui eiusmodi commissio seu licentia importat iurisdictionis vel directam vel indirectam communicationem. Ergo invalida est absolutio quaelibet, quae absque iurisdictione a poenitentis superiore collata impertiatur.

9. Hinc vero ratio, cur tum Theologi, tum Canonistae, ubi de confessione extra dioecesim peragenda, omnes constanter tum veteres, tum recentiores necessitatem eiusmodi *licentiae*, aut *commissionis*, aut *consensus*

QUAER. 15° *An simplex Sacerdos possit absolvere navigantes in Oceano, vel a quo obtinenda sit approbatio?*

Superiorum sive propriorum Ordinariorum nunquam non memorent, imo inculcent.

Ex veteribus sufficiat Card. Turrecremata, qui sic scribit (*In Cap. Omnis De Poenit. n. 6.*): *Poenitens cupiens confiteri alieno sacerdoti...., necesse habet petere licentiam a suo proprio sacerdote, aut a Superiore. Patet, quia alienus sine commissione sibi facta ab aliquo illorum, nullam habet potestatem. Patet ex Cap. Omnis utriusque etc.*

Quoad recentiores vero, Azor (*Part. 2. Lib. 3 C. 12. q. 10.*) ad quaestionem, *An rector unius parochiae possit alieni parochiani confessiones audire*, respondet: *Minime, nisi consensu expresso vel tacito illius Rectoris, cui est ille parochianus subiectus: nam ad sacram poenitentiae confessionem audiendam requiritur iurisdictio.* Viden, quomodo consensus hic collationem iurisdictionis importat?

Valentia (*Tom. 4. Disp. 7. q. 10. Punct. 2.*): *Notatur hoc loco a Doctoribus,* SEMPER *oportere ab eo confessario, cuius alioquin curae quispiam commissus est, licentiam petere, ut alteri confiteri possit.* Et post allegatum C. *Omnis utriusque,* subdit: *Ubi praecipitur, ut si quis ex iusta causa velit confiteri alieno, id non faciat, nisi de licentia proprii.*

Becanus (*De Sacram. Cap. 38. q. 7. n. 2.*): *Praeceptum est, ut quisque confiteatur proprio sacerdoti, vel alieno de consensu proprii... Hoc sensu definivit Tridentinum..., absolutionem nullius esse momenti, quam sacerdos profert in eum, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Viden, quomodo *consensus* aequipolleat *delegationi iurisdictionis?*

Laymann (*De Poenit. C. 10. n. 9–10.*) de peregrinis docet, *ex tacita Ordinariorum voluntate* eos posse absolvi.

Et Roncaglia (*De Poenit. Q. 7. C. 2. q. 2.*): *Potestas absolvendi.... subditos alterius Episcopi fundatur in tacito consensu Praelatorum...., ut proprii subditi etiam extra dioecesim absolvantur.*

Et Salmanticenses (*De Poenit C. XI. n. 53.*) et ipsi statuunt, peregrinos absolvi posse *spectata consuetudine et tacita suorum Pastorum consensione.*

Et Filliuccius (*Tr. 7. C. 9.*) non modo statuit (*n. 195.*) quod peregrini *possunt confiteri ex tacita licentia parochorum,* sed clare edisserit (*n. 227–228.*), quod *cui datur facultas eligendi confessorem, facta electione, Christus* PER PASTORES *dat iurisdictionem illi confessario.*

Et Palaus (*Tr. 3. Disp. 6. P. 7. §. 2. n. 6.*): *Ordinarius loci, etsi possit forensibus et peregrinis... Sacramentum poenitentiae ministrare, id habet ex concessione proprii Ordinarii.* Quae repetit (*Tr. 23. P. 13. n. 12.*).

Et Esparza (*Lib. 10. Q. 93. art. 3.*): *Ratio Ordinis Hierarchici in Ecclesia Dei postulat, ut unusquisque Ordinarius habeat iurisdictionem fori etiam interioris contentam intra limites suae dioecesis ita, ut nemo immiscere se valide possit quoad actus iuridicos circa oves alterius, seu circa subditos pertinentes ad alium in spiritualibus* PRAETERQUAM DE EIUS CONSENSU ET DELEGATIONE.

Et ne inutili labore plures hic congeramus, videsis, quae prostant infr. in Nota ad n. 573., ubi verba Amort de unanimi et constanti Ecclesiae doctrina testantur, ubi et Canonistarum Pichler et Fagnani textus afferuntur, et quibus addi possunt Schmalzgrueber (*Lib.5. Tit. 38. n. 38.*), et Wiestner, qui (*Lib. 5. Tit. 38. n. 57.*) rationem reddit, *quia absolutio sacramentalis est actus seu sententia iudicialis.... Natura autem et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, cum a non suo iudice ligari nullus valeat, vel absolvi;* et Pirhing, qui (*Lib. 1. Tit. 31.*

Resp. 1° *Per se* nequit absolvere, nisi in periculo probabili mortis, ut supra dictum est: quia eiusmodi Sacerdos extra illum casum quavis iurisdictione caret.

n. 147.) ideo negat advenarum confessiones excipi posse *sine consensu expresso vel tacito proprii illorum parochi, cum absolutio sit actus iudicialis, qui nec licite nec valide exerceri potest in eum, in quem sacerdos ordinariam vel delegatam iurisdictionem non habet.*

10. Et digna quae advertantur sunt verba, quibus idem Pirhing eandem doctrinam (*Lib. 5. Tit. 38. n. 35.*) sic exprimit: *Neque dioecesanus absque consensu Ordinarii sui potest se subiicere iurisdictioni pastoris non sui.* Sunt nimirum, qui putent, quaestionem sensu contrario solvi posse, adstruendo, advenam eo ipso fieri alterius subditum, quod per confessionem ipsi, utut extraneo, se submittat. Parum scilicet isti advertunt, *conferre iurisdictionem* ex DD. sensu perinde esse ac cuipiam *subditos assignare.* Quid vero absurdum magis, quam a poenitente iurisdictionem conferri eo solum, quod subditum sacerdoti se praestet? Non ita sane Theologi. Unde Melchior Canus (*Rel. de Poenit. P. VI.*), scite advertit, eum tantummodo, *qui habet facultatem a proprio sacerdote, praestare se subditum confessori quem eligit.* Idipsum a Francisco de Victoria notatum vidimus (*Sup. n. 8.*), dumtaxat *recipienti facultatem eligendi, dari potestatem subiiciendi se, cui voluerit.* Quocirca etiam Engel (*Man. Paroch. P. 3. C. 2. n. 6.*) monuit, eatenus posse quempiam sacerdoti alieno se subiicere, quatenus Ordinarius proprius *potest ipsi subdito licentiam dare, ut alterius iurisdictioni se submittat.*

11. Caeterum quousque sese porrigat necessitas consensus Ordinarii, ut ratione iurisdictionis valida sit confessio cum extraneo, nihil ostendit luculentius quam doctrina Auctorum, quos in Nota allegavimus, negantium videlicet validitatem, si Superioris consensus desit.

Ita breviter Lugo (*Disp. 19. n. 7.*): *Qui peregrinantur et iter faciunt, possunt iam ex voluntate tacita suorum Pastorum confiteri etiam Parocho illi, quem in eo loco inveniunt, in quo sunt; dum tamen ex industria non discesserint a suo domicilio, ut occasione itineris alteri confiterentur.*

Et Suarez (*Disp. 25. Sect. 2. n. 9.*): *Advertere oportet, necessariam hic esse bonam fidem: nam si quis ad hoc tantum iter ageret, ut haberet occasionem confitendi alteri et non proprio sacerdoti, iam illa non esset necessitas, sed voluntas, et non esset iuxta intentionem pastorum, nec iuxta consuetudinem Ecclesiae; et ideo non esset valida confessio.*

Et Palaus (*Tr. 23. Punct. 13. n. 12.*): *Si ad hoc tantum iter susciperes, ut alteri confiteri posses, vitaresque confessionem faciendam proprio parocho, uti non posses praedicto privilegio et facultate: quippe.... non ex tacito consensu proprii parochi habitas* (?), *neque Ecclesiae intentioni te conformas.*

Et Bonacina (*De Poenit. Disp. 5. Q. 7. Punct. 2. n. 6.*): *Itaque qui solum ad hunc finem iter agit, ut evitet proprium parochum, et alteri confiteatur, non potest valide confiteri coram parocho vel sacerdote illius loci, ad quem pervenit, ut bene observant Coninck, Vasquez, Suarez, Reginaldus, et alii recentiores.*

Caeterum iam superius animadversum est, supponi ab hisce Auctoribus, proprii pastoris consensum in casu deesse; quod expresse Palaus innuit: et ideo, uti vidimus, qui contra eos allegari solent, Tamburini, Mazzotta, Filliuccius etc., consensum non deesse ex adverso supponunt.

12. Verum nihil melius huius controversiae conditionem ostendit, quam inspectio rationum, quibus nova theoria defenditur. Et sane S. Alphonsus thesim illam, quam et VV. tueri conantur, sic (*Lib. 6. n. 588.*) proposuit: *Peregrini hodie non amplius absolvuntur ex voluntate suorum Episcopo-*

Resp. 2° Ex consuetudine universali requiritur et sufficit approbatio Episcopi loci, a quo suscipitur navigatio; ex consuetudine

rum. Quaeramus: Num S. Doctor vel unum saltem auctorem protulit aut proferre pro ea thesi potuit? Num aliquo argumento eam firmavit?

Sed et VV. hanc thesim, ut vidimus, statuerunt: *Immerito asseritur, instar axiomatis penes omnes haberi doctrinam, quod iurisdictio dari debeat a Superiore eius, qui absolvendus est.* Rursus hic quaeramus: Num vel unum saltem auctorem protulerunt, aut proferre pro eiusmodi thesi potuerunt?

Sed, inquies, VV. ratione thesim confirmant. — Resp. Utique rationem afferunt (*Pag. 525.*); at talem afferunt, quae palam facit, solidam omnem prorsus deesse ipsis rationem. Sic nimirum arguunt: *Ex Constitutione Innocentii XII, a Benedicto XIV confirmata, Confessarii tam saeculares quam regulares, quicumque illi sint... nullatenus confessiones audire valent sine approbatione Episcopi loci, in quo ipsi poenitentes degunt et confessarios eligunt .. Nec ad hoc suffragatur approbatio semel vel pluries ab aliis Ordinariis aliarum dioecesium obtenta, etiamsi poenitentes illorum Ordinariorum, qui confessarios approbassent, subditi forent. Atqui, ut inquit Gury, nunc Episcopi iurisdictionem simul cum approbatione tribuunt..., et hinc iurisdictio usu communi etiam approbatio dicitur. Ergo nullus Episcopus confessarios in aliena dioecesi delegare potest, ut dioecesanos suos a peccatis absolvant...*

Resp. Erit, ut videtur, qui nexum inter praemissas et conclusionem huius argumenti desiderandum censeat. Proinde putabit respondendum: *Conc. Maiorem; Concedo Minorem*, vel *Transmitto; Nego Consequens et Consequentiam.* Alius vero, concessa *Maiori*, sic *Minorem* distinguet: *Nunc Episcopi simul cum approbatione tribuunt iurisdictionem.* Dist. tribuunt *iis, qui ea indigent*, Transeat; *iis quoque qui non indigent*, cuiusmodi v. gr. sunt Regulares, Subdist. quasi ad ministerium absolvendi *sit iis necessaria*, Nego, quia iurisdictionem Regulares non ab Episcopo, qui eos approbat, sed a Sede Apostolica habent; ad *abundantiam*, Transeat. — Sed alius alio etiam modo Minorem distinguet ita: *Nunc Episcopi simul cum approbatione tribuunt iurisdictionem*, Dist.: iurisdictionem *in subditos suos*, Concedo, vel Transeat; iurisdictionem *in eos, qui iis non sunt subditi*, cuiusmodi sunt advenae alterius dioecesis, Nego. Nam Episcopi in eos, qui non sunt illis subditi, iurisdictionem nullam habent; ergo non possunt eam aliis tribuere, quia nemo dat, quod non habet.

Proinde Reiffenstuel (*Tr. 14. Dist. 1. Q. 1. n. 15.*) ut probet, Regulares exemptos non ab Episcopo eos alioquin approbante, sed a Sede Apostolica accipere iurisdictionem, sic arguit: *Accedit ratio, quia Episcopus loci tam amplam iurisdictionem audiendi confessiones omnium fidelium undecumque venientium, eosque... absolvendi dare non potest.* Et Laymann ad probandum, Regulares indigere etiam suorum Praelatorum consensu seu commissione ita scribit (*Lib. 5. Tr. 6. Cap. 10. n. 19.*): *Bene Ludov. Miranda admonet, Sacerdotes Religionum Mendicantium ad dictam facultatem consequendam, praeter approbationem Episcopi, opus habere consensu Praelati vel Capituli iuxta cuiusque Ordinis consuetudinem: siquidem Episcopus tam amplam iurisdictionem audiendi confessiones omnium fidelium undecumque accedentium, eosque... absolvendi, dare non potest; sed eam confessarii Mendicantium Ordinum a Summo Pontifice cum dependentia a consensu et voluntate Praelatorum suorum accipiunt.*

13. Ad tollendam itaque confusionem hic a VV. inductam, apte distinguantur quae ad approbationem, et quae ad iurisdictionem pertinent. Approbatio Episcopi, in cuius territorio fit confessio, est quodammodo conditio, qua sacerdos fit capax accipiendi et exercendi iurisdictionem, a quo-

enim talis Episcopus facultatem habet Sacerdotem navigaturum approbandi, et delegandi pro toto navigationis tempore. — *Ita communiter cum Bouvier, §. 5. in fine.*

cumque demum, ordinariam habente, haec illi delegetur; neque enim necesse est, ut idem sacerdos ab iis omnibus approbetur, qui iurisdictionem ipsi delegare velint. Ita Praelatus Regularis facultatem tribuens religioso subdito, ut confiteri possit sacerdotibus saecularibus ab Ordinario loci approbatis, ipse, non autem Episcopus, hisce iurisdictionem delegat, eos autem non ipse, sed Episcopus approbat. Ita sacerdos a Praelato Regulari deputatus ad excipiendas confessiones Monialium ab iurisdictione Episcopi exemptarum, iurisdictionem non ab Episcopo, sed a Regulari Praelato habet, approbationem vero non a Praelato Regulari, sed ab Episcopo habere debet. Et id ipsum, uno verbo, contingit, quando agitur de exemptis ab Episcopi iurisdictione, qui alioquin approbatum a loci Episcopo eligere debeant. Et cum *exemptorum,* seu *non subditorum* duplex sit genus; nam alii tales sunt *ratione Privilegii*, licet domicilium in territorio Episcopi habeant, uti v. gr. Regulares; alii vero tales sunt *natura sua,* seu *separatione territorii,* cuiusmodi sunt subditi alterius dioecesis; eadem quoad istos omnes regula valet. Hinc illud Suarezii (*De Relig. Tr. 10. Lib. 9. C. 2. n. 9.*): *Unde constat, posse confessorem* (e Mendicantibus) *hic residentem, et a solo Praelato huius dioecesis approbatum, audire confessiones omnium, qui huc ad ipsum venerint etiam ab aliis Episcopatibus, etiamsi ab Episcopis eorum... approbationem talis confessor non habeat.*

Concludamus igitur, thesim in Nota propositam, et a VV. oppugnatam, nimirum *instar axiomatis habendum, quod iurisdictio dari debeat a Superiore eius, qui absolvendus est,* pro se habere doctrinam manifestam Ecclesiae in Conciliis Oecumenicis definitam, et simul unanimem catholicae scholae sententiam; oppositam vero nullo aut auctoritatis aut rationis praesidio, ne specie quidem tenus, fulciri.

13. Nunc ad illud, quod VV. addunt ad novae illius doctrinae defensionem. Duo, ut (*sup. n. 1.*) vidimus, statuunt, scilicet 1° *Iure S. Alphonsum inniti consuetudini; 2° Nihil obstare Constitutionem Bonifacii VIII in Nota allatam.* Haec tamen dum VV. evolvunt, satis ostendunt, advertisse se, aquam sibi haerere.

14. Primum sic efferunt (*Pag. 511.*): *Recte docet S. A., ex consuetudine universali ab Ecclesia probata, Peregrinos cuilibet confessario loci approbato, etiam saeculari, confiteri posse: modo alienam dioecesim non adeant in fraudem reservationis.* — At vero reponet quispiam: *Transeat totum;* neque enim haec adversam thesim impetunt, quae tunc solum validam negat esse absolutionem, quando *repugnante et invito proprio Ordinario* extra dioecesim quis confiteatur: de hoc autem nihil ibi VV.

Pergunt VV. afferentes verba Filliuccii ac Tamburini, de quibus initio huius Notae diximus. — Atqui (reponet alius) et ista contrariam thesim non feriunt. Filliuccius enim et Tamburini supponunt, Ordinarium poenitentis non dissentire; Gury contra supponit, Ordinarium repugnare. Ad rem ergo ista non faciunt, imo oppositum suadent.

At enim ecce post haec VV. addentes ceu consectarium, merito S. Alphonsum asseruisse, *hodie peregrinos non amplius absolvi ex suorum Episcoporum voluntate,* nec modo amplius quaeri, *an aliquis Episcopus signum dissensus dederit.* — Verum (reponet alter) quibusnam ex praemissis eiusmodi consectarium profluit?

Ad horum confirmationem subdunt VV. (*Pag. 510. et 512.*), quod Bonacina *negat valide eum absolvi, qui alibi confiteatur, ut vitet proprium pastorem;* Mazzotta vero addit, *valide eum absolvi ex tacito consensu Ordinariorum seu potius Papae.* — At (reponet alter) probant ne ista, vali-

556. — QUAER. 16° *An Cappellani militum eos ubique sine approbatione Episcopi loci absolvere possint?*

dam esse absolutionem, si *proprio repugnante Pastore* alio quis ad confitendum alieno pergat? Nonne potius oppositum evincunt? Caeterum quod Mazzotta et Bonacina prorsus abs re mentionem Papae hic subinferant, breviter respondendum est: 1° nihil inde extundi, quo probetur, validam esse absolutionem ab alieno impertitam, *proprio Ordinario reluctante;* 2° hanc recurrentium ad Papam anomaliam iis esse confusionibus accensendam, de quibus infr. in Not. ad n. 573. q. 5.

15. Consuetudinem, cui innixum S. Alphonsum VV. dicunt, dum negat, peregrinos hodie ex voluntate suorum Episcoporum absolvi, sic ipsi describunt: *Suo enim tempore, imo iamdudum ante, confessarii non tantum in aliquibus locis, provinciis aut regnis, sed in toto orbe terrarum poenitentes quoscumque accedentes indiscriminatim receperunt, et eodem modo, quo incolas, tractaverunt; non inquirentes, an peregrini sint, vel si id per accidens cognoverunt, an eorum Episcopus consentiat, et non reclamaverit; nec investigantes, quanam intentione iter aggressi sint. — Et universalem hanc consuetudinem Ecclesia approbavit; nunquam enim Summi Pontifices eandem praxim, etiam Romae sub eorum oculis vigentem, vel minime reprehenderunt. Nemo autem negat, consuetudinem universalem ab Ecclesia approbatam vim legis habere, et quidem eandem ac lex scripta. Et ideo non amplius quaeritur, an aliquis Episcopus signum dissensus dederit; nullus enim Episcopus potestatem habet, legi universali, sive scripta sive non scripta sit, contradicendi.* Haec porro consuetudo ea est, cui deinde VV. (*Pag. 512.*) nihil obstare dicunt Bonifacii VIII Constitutionem.

16. Missum nunc fiat, num probari possint, quaecumque ad praxim a VV. modo descriptam pertinent. Nam v. gr. quaerere quispiam posset, num satis fiat legi, quae vetat, ne ii absolvantur, qui in fraudem reservationis in aliam dioecesim se conferunt, quando *confessarii*, ut aiunt VV., *poenitentes quoscumque accedentes indiscriminatim recipiant, et eodem modo, quo incolas, tractent; non inquirentes, an peregrini sint, vel si id per accidens cognoverint, an eorum Episcopus consentiat et non reclamaverit: nec investigantes, quanam intentione iter aggressi sint.* De his alibi opportunius.

Quod nunc attinet, maxime interest accurate nosse indolem tum consuetudinis, quam VV. describunt et approbatam esse contendunt, tum consuetudinis, quam Bonifacius VIII *in Cap. si Episcopus 2. de Poenit. et Remiss. in VI* definit, *introduci non posse.* Ex hac enim collatione patebit, iure ne, an iniuria novae istiusmodi theoriae Bonifacii VIII definitio obiiciatur.

17. Et quidem quid sibi velit consuetudo, de qua Bonifacius VIII, haud obscurum dici potest. *Nulla quoque* (inquit) *potest consuetudine introduci, quod aliquis praeter sui Superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare.* Quae quidem manifeste referuntur ad Definitionem Lateranensis Concilii (*in Cap. Omnis utriusque*) haec statuentis: *Si quis autem alieno sacerdoti voluerit, iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote: cum aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare.* Illo itaque canone Bonifacius definit, consuetudinem introduci non posse contra praxim, de qua Concilium Lateranense definitionem edidit. Atqui, ut sup. (*n. 4-8.*) vidimus, definitio Lateranensis Concilii eo spectat, ut nemo valide confiteri possit alteri, praeter Superiorem suum, nisi ab eodem Superiore alter iurisdictionem delegatam accipiat; id enim significatur, cum dicitur *dari licentiam.* Ergo definitio Bonifacii importat, ut nulla introduci queat con-

Resp. 1° *Affirm.*, si specialiter sint delegati a Summo Pontifice ad curam spiritualem militum, aut a Cappellano maiori a Papa approbato.

nsetudo, vi cuius quispiam alteri, praeter superiorem suum, valide confiteri possit, nisi idem Superior dando licentiam, illi iurisdictionem suam delegaverit.

De licentia autem, quam Synodus Lateranensis necessariam definit, ita v. gr. Caietanus (*Sum. V. Absol. 2.*): *Licentia dupliciter datur. Vel explicite: cum Curatus in communi dicit populo: Quilibet vadat ad confitendum, cui vult. aut specialiter alicui dicit, Confitearis cui vis;* ET HOC NIHIL ALIUD EST, QUAM DARE LICENTIAM ELIGENDI SIBI CONFESSOREM. *Vel implicite. Et hoc contingit primo licentiando subditos ad peregrinandum: in hac enim peregrinandi licentia implicite claudi creditur licentia confitendi: quia confessio comes esse debet viatorum... Secundo, sciendo et tacendo; ut cum Episcopus scit consuetum esse, ut Canonici seu Curati sui invicem se absolvant, et tacet. Quamvis enim nulla consuetudine introduci possit, ut quis possit sibi eligere confessorem, ut dicitur in Cap. Si Episcopus de Poenit. et Remiss. in VI, ex hoc tamen quod Episcopus scit, et tacet, tenetur providere illis de Confessore: et* TACITA EPISCOPALIS LICENTIA ROBUR *dat* ABSOLUTIONIBUS, *et consuetudo non concurrit nisi ut testis licentiae implicitae. Et ob huiusmodi implicitam licentiam viatores sine licentia Curati possunt in paschate confiteri... ubi se invenerint, sicut licentiati* etc.

Item S. Antoninus (*Part. 3. Tit. 17. Cap. 4.*): *Concordant* (*Doctores*) *in hoc, quod peregrini et negotiatores et alii viatores, si non habent licentiam* (saltem tacitam et implicitam) *a suis Curatis vel Episcopis.... non possunt ab aliis absolvi. Si autem de licentia eorum profecti sunt, eo ipso habent interpretativam licentiam confitendi, cum sine confessione digne peregrinari non queant.* Et ne plura hic afferantur, satis sit advertisse, huc spectare, quod unanimis sententia DD. (*Vid. sup. n. 9.*) exigit saltem *tacitum Ordinarii consensum.*

18. Nunc vero inspiciatur, cuiusmodi sit consuetudo, quam ceu legitimam et approbatam VV. defendunt. Ac 1° quidem ista importat (*sup. n. 14.*), ut peregrini *non absolvantur ex voluntate suorum Episcoporum;* ergo ex nullo Episcoporum neque expresso neque tacito, neque explicito neque implicito consensu aut licentia. 2° Haec consuetudo importat, ut (*Sup. n. 15.*) nihil intersit, *consentiat ne peregrini Episcopus, an reclamaverit.* Ergo licentia proprii Ordinarii prorsus impertinenter se in hoc negotio habet. 3° Ideo iuxta hanc consuetudinem non quaeritur, an Episcopus *signum dissensus dederit, quia Episcopus potestatem nullam habet contradicendi huic consuetudini*, vi cuius subditi citra ullam eius licentiam confiteri extra dioecesim possunt cuicumque ipsis libeat (*Sup. n. 15.*).

Haec cum ita sint, numquid existimaveris ista consentire cum definitione Concilii Lateranensis a Conciliis Florentino et Tridentino confirmata, ut scilicet *nemo confiteatur alieno sacerdoti, nisi obtineat licentiam a sacerdote proprio,* addita ratione, quod *aliter alienus illum non possit absolvere?* Et cum Sedes Apostolica in Cap. *Si Episcopus* per Bonifacium VIII definiverit, *nulla posse consuetudine introduci, quod aliquis praeter sui Superioris licentiam confessorem sibi valeat eligere, qui eum possit absolvere;* et contra VV. contendant legitimam esse consuetudinem, quod quis citra Superioris sui licentiam, imo etiam contra ipsius repugnantem voluntatem possit eligere confessarium, qui eum valeat absolvere; quomodo quis affirmet, inaniter ipsorum theoriae hanc Ecclesiae definitionem opponi? Equidem cum nova huiusmodi theoria manifeste definitioni Bonifacii repugnet, res iam eo adducta esse videtur, ut aut falsa habenda sit nova haec

Resp. 2° Si vero hac speciali delegatione careant, possunt quidem audire confessiones in dioecesi Episcopi approbantis, et etiam

theoria, quod nempe peregrini absolvantur vi consuetudinis, qualem ipsi describunt, aut falsa censenda sit Bonifacii VIII definitio, non posse videlicet eiusmodi consuetudinem induci.

19. At vero, ut in Nota iam fuerat animadversum, Bonifacii VIII definitio, quae negat, posse induci eiusmodi consuetudinem, nequaquam est decretum iuris alicuius mere ecclesiastici, contra quod induci decursu temporum possit contraria consuetudo. Curnam autem? Quia nimirum praxis, contra quam negat consuetudinem ullam posse invalescere, sanctio videlicet Oecumenicorum Conciliorum Lateranensis, Florentini, et Tridentini, non iuris ecclesiastici sanctio quaepiam est, sed iuris divini institutio.

Et mirum sane, quod VV. nullam rationem habendam putaverint verborum Suarezii, quae sic in Nota legebantur: *Respondetur, eligere confessorem sine licentia proprii Episcopi, repugnare* IURI DIVINO; *et ideo significasse Pontificem* (Bonifacium VIII, *in illo textu* (*C. Si Episcopus*) *non posse consuetudinem praescribere contra hoc ius.* Et insuper nonne in ipsa Nota addebatur, in hoc ipsum, teste Melchiore Cano, *Auctores omnes scholasticos, atque adeo S. Thomam etc.* convenire?

20. Neque vero obscura ratio est, cur iuris non humani sed divini dicenda sit haec institutio ac praxis. Quis enim ignorat, divinam Christi Domini institutionem esse, ut Sacramentum poenitentiae per modum iudicii administretur? Exinde Synodus Tridentina sic arguebat (*Sess.14. Cap.7.*): *Quoniam natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Et cum Ecclesia nihil se posse testetur circa ea, quae a Christo Ecclesiae Auctore constituta sunt, quaelibet autem consuetudo vim habere nequeat nisi ab Ecclesiae per consensum legalem auctoritate, manifestum est, nunquam induci consuetudinem posse, quae Ecclesiae potestatem excedat, cuiusmodi plane est et ista a VV. inducta.

Apposite et plane ad rem Dominicus Soto Tridentinus Theologus (*In 4. Dist. 18. Quaest. 4. art. 2. Concl. 1.*): *Necessarium est Confessioni, atque ad eius essentiam requisitum, ut fiat proprio sacerdoti, aut cui ipse commiserit.* Hinc de Canone Lateranensis Concilii subdit: *Nunquam confessionem ad proprium sacerdotem perstrinxisset, nisi id intellexisset esse divini iuris, semperque adeo in Ecclesia observatum... Unde Bonifacius* (*Cap. Si Episcopus*), *Nulla, inquit, potest consuetudine induci, quod aliquis praeter Superioris sui licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare. Quod autem nulla consuetudine abrogatur, ius est divinum aut naturale.* Et hinc eadem ratiocinatio: Ecclesia enim nihil potest circa sacramenti essentiam; ergo consuetudinem probare non potest, quae essentiam sacramenti pessumdet.

Huc faciunt et illa Vasquezii (*In 3. P. Q. 93. art. 2. Dub. 2. n. 5-6.*): *Cum supra dictum sit, consuetudine introduci non posse, ut quis alieno confiteatur sine licentia vel consensu proprii, ut habetur in C. Si Episcopus, inde probamus esse de iure divino, cum consuetudine contrarium introduci non possit... Unde colligitur non esse de lege humana confiteri proprio*, (sedulo attendatur ratio) *quod non tantum consensu Pontificis, qui legem tulisset, introduci posset consuetudo contraria, sed etiam consensu inferioris tacito... Cum sit iuris divini ex consensu illius* (Ordinarii scilicet) *aut Superioris confiteri* (alieno), *non potest praescribi; secus, si non esset iuris divini.*

21. Hoc autem praestat sedulo inspexisse, quaenam in hoc negotio par-

extra illam in itinere et in castris ex tacito consensu Episcoporum, ut patet ex consuetudine universali; non possunt tamen valide ab-

tes sint consuetudinis; ex quo palam fiet, quomodo duo illa amice concilientur, nimirum et quod Doctores de advenarum confessionibus agentes, communiter ad consuetudinem appellent, et nihilominus servetur, quod nulla consuetudine introduci possit, ut praeter Superioris sui licentiam aliquis Confessorem eligere possit, a quo valeat absolvi.

Breviter et simul clarissime rem proposuit Caietanus (*Vid. Sup. n.17.*), ubi disserens de implicita confitendi licentia, quam Ordinarius tacito consensu tribuit etiam viatoribus, concludit: *Tacita Episcopalis licentia robur dat absolutionibus; et consuetudo non concurrit nisi ut testis licentiae implicitae.* Non ergo consuetudo iurisdictionem tribuit, sed indicium est taciti consensus, seu licentiae implicitae Ordinarii, unde iurisdictionis electo confessario delegatio accedit.

22. Fusius haec ita explicat Suarez (*Disp. 27. Sect. 3. n. 4.*): *Semper necessarium est, ut interveniat aliqua sufficiens significatio consensus Superioris, ad quam significandam potest iuvare consuetudo. Quod recte declaratur exemplo* (et hoc est exemplum, quod allatum sup. n. 17. etiam a Caietano iam vidimus) *de sacerdotibus, qui ex consuetudine solent eligere confessorem; nam quia illi solent frequenter confiteri, ideo onerosum erat parochis omnes audire; et ideo facile consenserunt, ut inter se invicem confiterentur: qui consensus non revocatus, consuetudine quasi continuatur, et ipsa consuetudo indicium est eiusdem consensus.* Quia tamen licentia semper a voluntate pendet Superioris, et exemptio ab hoc Superioris saltem tacito consensu esset contra ius divinum, ideo Suarez addit (*l. c. n. 6.*): *Ex quo infero, facultatem hanc* (eligendi scil. confessarium) *consuetudine obtentam talem esse, ut semper pendeat a voluntate proprii sacerdotis; ita ut non obstante consuetudine semper sit in eius potestate illam revocare, si velit; quia talis consuetudo formaliter ac directe esset contra ius divinum; quandoquidem ex vi illius posset subditus confessorem eligere, proprio sacerdote reclamante.*

Haec Suaresii conferat, quaeso, lector cum iis, quae ex VV. descripta (*Sup. n. 17.*) sunt; et aequo iudicet animo, quid de iisdem VV. sentiendum, quando (*Pag. 512-514.*) quinque columnas textibus Suarezii implent, ut evincant, allegatam Bonifacii VIII definitionem nihil iis obstare.

23. Eodem, ac Caietanus ac Suaresius modo doctrinam Ecclesiae sic proponit Valentia (*Tom. IV. Disp. 7. q. 10. Punct. 2.*): *Est autem hic notandum* (inquit), *consuetudinem... ea demum ratione valere, ut quis iurisdictionem ad audiendas confessiones acquirat, quia cum illam sciente et tacente Superiore obtinet, eo ipso consensus etiam Superioris tacitus intervenire censetur. Qua ex re... intelligitur, non pugnare cum iis, quae de consuetudine diximus, Capitulum Si Episcopus De Poenit. et Remiss. in 6°, ubi dicitur nulla posse consuetudine introduci, ut quis sine licentia sui Superioris eligat confessarium. Quae enim nos hactenus diximus, intelligi debent de consuetudine, cum qua concurrit tacita saltem facultas Superioris, scientis et non prohibentis... Capitulum autem illud loquitur de nuda consuetudine, ad quam non accedat ille consensus saltem tacitus Superioris; ut si forte constaret, ipsam consuetudinem Superiori displicere. Tunc enim per illam nequaquam acquiri iurisdictio potest. Atque ita ad hoc capitulum respondet bene Io. Medina et Sotus.* Et haec rursus conferat lector cum iis, quae ex VV sup. n. 17. retulimus.

Nec aliter Io. Marinius (*Theol. Spec. et Moral. Tr. 22. Disp. 10. Sect. 1. n. 17.*): *Praelati censentur conferre iurisdictionem electis* (*confessariis*), *dum videntes silent; ideoque haec iurisdictio non manat ex consuetudine, sed ex legitima concessione Praelati, et continuatur ex vi talis concessionis*

solvere in stationibus nec in praesidiis sine licentia Episcopi loci, quia nullam habent iurisdictionem. Constat ex variis Declarationibus

non revocata a successoribus. Unde consuetudo, proprie loquendo, non dat facultatem eligendi confessorem, sed est signum concessae ex virtute consensus taciti Superioris perseverantis. Ex quibus deducitur, Praelatum, ex cuius tacito consensu continuatur consuetudo, posse pro lubitu suo, expressa contraria voluntate, illam abrogare et penitus abolere, quin praecedens consuetudo possit ullo modo praevalere.

Et Filliuccius (*Tr. 7. Cap. 9. n. 233.*): *Quaero, quibus concessa sit facultas eligendi Confessorem ex sola consuetudine. Respondeo et dico primo, consuetudinem per se sumptam non posse tribuere facultatem eligendi confessorem sine licentia proprii. Ratio est, quia id esset contra ius divinum... Potest tamen esse signum sufficiens facultatis concessae a pastoribus, et nunquam revocatae, sed per tacitum consensum perseverantis.*

24. Hanc Ecclesiae doctrinam perspicue proponit etiam Augustinus Michel e Can. Regul. in sua Theologia edita an. 1712. Augustae et Card. Sacripante dicata, ubi (*Tr. 4. P. 2. Q. 2. Sect. 2. n. 26–29.*) de diversis modis delegandi iurisdictionem agens, inter has et de indirecta delegatione vi consuetudinis excipiendi peregrinantium confessiones sic disserit: *Licet spectato iure communi a Parocho licentiam* (*peregrinantes*) *postulare deberent; a generali consuetudine, demonstrante universalem Ordinariorum facultatem, habent, ut etiam sine ea non solum Regularibus Privilegiatis* (qui nempe a S. Pontifice iurisdictionem pro omnibus Christi fidelibus habent), *sed cuivis alteri in loco itineris exposito sacerdoti confiteri queant: dummodo bona fide et non in fraudem declinandi Ordinarium peregrinentur.* — Sibi dein obiicit (*ibid. n. 29.*): *Dices tamen: in Cap. Si Episcopus 2. De Poenit. et Remiss. in 6° expresse definit Bonifacius VIII, nulla consuetudine posse introduci, quod aliquis praeter sui Superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare.* — Et respondet (*ibid.*): *Respondeo, huic obiectioni nos obviasse per verba* « demonstrante universalem Ordinariorum facultatem » *quibus non tam consuetudini hanc licentiam, quam voluntati Ordinariorum tribuimus, ita tamen, ut voluntatis huius attestatrix sit consuetudo generalis.*

25. Audiendus et Reginaldus tantopere a S. Francisco Salesio laudatus, qui (*Lib. 1. n. 77.*) ita de viatoribus communem exponit Ecclesiae doctrinam: *Quarta propositio est, viatores, qui prius domicilium retinere statuunt, si absint a suis domiciliis de licentia suorum Parochorum aut Episcoporum, censendos esse licentiam tacitam habere confitendi alieno, sicut ante n. 68. de peregrinantibus dictum est.... Quia his quoque sui Superiores... tacitam confitendi licentiam dare merito censentur, tanquam de necessariis ad vitae spiritualis sustentationem, curantes per alios providere suis, quibus non possunt per se in eorum absentia.*

Quoad consuetudinem vero confitendi alibi alieno, sic idem Reginaldus (*l. c. n. 74.*): *Quod attinet ad consuetudinem, ea, ut recte monet Caietanus V. Absolutio 2., nec dat iurisdictionem. Id enim satis constat ex eo, quod in C. Si Episcopus De Poenit. et Remiss. in 6° dicitur, nulla posse consuetudine introduci, quod aliquis praeter sui Superioris licentiam, confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare. Itaque consuetudo tantum est testis tacitae licentiae a proprio sacerdote sufficienter concessae, nec revocatae, sed, prout continuatio consuetudinis ostendit, continuatae cum ipsius tacito consensu. Accedit, quod delegare iurisdictionem sit Superioris habentis ordinariam, non autem subditorum ipsius, quorum est consuetudo. Id quod Suarez plenius tractans, inde infert, iurisdictionem consuetudine obtentam semper pendere a voluntate sacerdotis,*

S. Congregationis quas refert *P. Zacharia* apud *Lacroix, n. 1518.* — *Vide* etiam *S. Ligor., n. 577.* — *Bouvier, de Approbatione.* — *Bouix, de Parocho, p. 66.*, etc.

ita ut non obstante consuetudine semper sit in eius potestate eam revocare, si velit.

26. Locus non patitur, quod plura afferantur. Sed non omittenda ea sunt, quae habet Coninck, ubi (*Disp. 8. Dub. 5. n. 32.*) quaerit, *Utrum iurisdictio possit consuetudine obtineri. Videtur enim* (inquit) *id fieri posse ex Cap. Cum contingat 13. De foro compet.; contra vero facit quod dicitur C. 2. De Poenit. in 6. Nulla quoque potest consuetudine introduci etc.*

Subdit deinde sequentes Conclusiones. *Conclusio I.* (n. 33.): *Qui non habet iurisdictionem, non potest eam acquirere, nisi ei vel detur ordinaria, vel alia delegetur ab eo, qui id facere potest.*

Concl. II. Ut quis alteri valide iurisdictionem deleget, debet sciens, quid agat, id velle facere saltem implicite..., et hanc voluntatem externo aliquo signo sufficienter exprimere, ut alteri possit innotescere.

Concl. III. (n. 37.): *Consuetudo nunquam dat iurisdictionem, quando usurpatur insciis iis, qui illam dare possunt.*

Concl. IV. (n. 38.): *Consuetudo, quae exercetur Superiore aperte conscio et non contradicente cum facile possit, dat iurisdictionem non ratione sui, sed ratione taciti consensus et approbationis ipsius Superioris.*

Exinde duo haec corollaria deducit (*n. 39.*): *Ex quibus patet 1., posse fieri, ut haec consuetudo initio incipiat per confessiones invalidas ob defectum iurisdictionis, antequam Superiorum non prohibitio sit sufficiens signum, eos consentire: et postea efficiat, ut sequentes confessiones validae sint, postquam illa non prohibitio est sufficiens signum consensus.*

Patet 2., iurisdictionem consuetudine acquisitam semper pendere a voluntate Superiorum, quorum auctoritate sive tacito consensu fuit introducta. Quare tam ipsi, quam eorum successores semper possunt eam revocare.

27. Itaque (ut denique concludamus) quod in hac materia tenendum est, et quidem non tamquam Scholae opinio quaepiam, sed ut certa Ecclesiae doctrina, innixa naturae et essentiae huius sacramenti, prout hanc oecumenica Concilia ac Sedes Apostolica proposuerunt et solemniter definiverunt, ad haec capita reducitur: 1. Iurisdictio ad advenam absolvendum delegetur, necesse est, ab eo qui ordinariam, et quidem ordinariam in ipsum advenam, habet iurisdictionem. 2. Consuetudo, qua advenae confiteri solent extra propriam dioecesim, non confert, neque conferre potest hanc iurisdictionem. 3. Iurisdictio acquiritur ex approbatione seu consensu (expresso, vel tacito) seu licentia (explicita vel implicita) Ordinarii seu proprii advenarum sacerdotis. 4. Ista approbatio seu consensus importat delegationem iurisdictionis factam confessori, quem advena elegerit. 5. Sufficiens huius consensus indicium est consuetudo, quae sciente et tacente proprio sacerdote servatur. 6. Ab hoc autem consensu ita pendet iurisdictionis delegatio, ut in potestate ac voluntate proprii pastoris sit eundem consensum revocare, atque adeo tum consuetudinem abrogare, tum iurisdictionem ad suum subditum absolvendum penitus adimere. Haec omnia extra controversiam esse debent. Consonant ne his illa, quae asserunt VV. (*sup.* n. 15. et 18.)?

28. Neque vero existimandum est, hisce adversari theologorum aut Canonistarum haud infrequens assertum, quod iurisdictio acquiri per consuetudinem possit. Diversum sensum, quo affirmari id solet, sic Caietanus (*V. Absolutio 2. in fin.*) explicat: *Consuetudo non eligendi confessorem, sed habendi curam animarum praescripta, operatur, ut Cardinales curam habeant familiae suae, et de eorum licentia sui familiares confiteri possint, cui velint; quam quicumque alii huiusmodi curam habentes possint*

APPENDIX I.

DE IURISDICTIONE ET APPROBATIONE REGULARIUM

Regulares ratione privilegiorum et immediatae dependentiae a Summo Pontifice, in pluribus quoad iurisdictionem differunt a Sacerdotibus saecularibus. Hinc

similiter absolutionis beneficium per se vel per alium impertiri: potest enim huiusmodi iurisdictio non minus quam aliae haberi ex praescripta consuetudine.

Eadem de re sic Henricus Pirhing (*Lib. 5. Tit. 38. n. 36.*): *Non potest subditus, seu parochianus vi consuetudinis, acquirere potestatem eligendi sibi confessarium, sine licentia Superioris sui, nec quidem per consuetudinem longissimi temporis, vel etiam immemorialis (Cap. 2. de Poenit. et Remiss. in 6°.), neque etiam praescribere tale ius... Potest tamen Praelatus, vel alius in dignitate constitutus, v. gr. Archidiaconus, praescribere, seu per consuetudinem legitime praescriptam acquirere curam animarum in parochianos alterius, et sic fieri proprius sacerdos, et audire confessiones eorum. Unde cum in citato Cap. Si Episcopus 2. De Poenit. et Remiss. in 6°. dicitur, per nullam consuetudinem introduci posse, ut quis sine licentia proprii parochi vel pastoris, alium confessarium sibi eligat, subintelligendum est, nisi sacerdos per diuturnam consuetudinem acquirat iurisdictionem absolvendi subditos seu parochianos alterius.* Nihil ergo ad rem nostram pertinet, quod de iurisdictione per consuetudinem acquirenda DD. disputare solent.

28. Hoc unum denique hic addemus, quo constet, quid sentiendum de antiquitate, quem quis forte iactet, consuetudinis, vi cuius *iamdudum ante S. Alphonsi tempora confessarii . . . . . non tantum in aliquibus locis, provinciis aut regnis, sed in toto orbe terrarum poenitentes quoscumque accedentes indiscriminatim receperint, et eodem modo, ac incolas, tractaverint: non inquirentes an peregrini sint, vel si id per accidens cognoverint, an eorum Episcopus consentiat et non reclamaverit; nec investigantes, quanam intentione iter aggressi sint.... Et ideo non amplius quaeratur, an aliquis Episcopus signum dissensus dederit; eo quod nullus Episcopus potestatem habeat legi universali, sive scripta sive non scripta sit, contradicendi.* Nonne enim his satis ediceretur, in administrando Poenitentiae sacramento impertinens prorsus esse, atque adeo nihil inquirendum aut curandum, num sacramentale iudicium exerceatur circa personas aliquo modo *subditas*, aut nullo modo *subditas?*

Atqui in dogmatica Constitutione Pii VI, quae incipit Auctorem fidei, haec (*n. 37.*) leguntur: *De potestate absolvendi. Doctrina Synodi* (Pistoriensis), *quae de auctoritate absolvendi accepta per Ordinationem enuntiat, post institutionem dioecesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque iudicium hoc exerceat super personas* SIBI SUBDITAS *sive ratione territorii, sive iure quodam personali, propterea quod aliter confusio induceretur et perturbatio;*

Quatenus post institutas Dioeceses et Parochias enunciat tantummodo conveniens esse, ad praecavendam confusionem, ut absolvendi Potestas exerceatur SUPER SUBDITOS; *sic intellecta, tamquam ad validum usum huius Potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa iurisdictio, sine qua Tridentinum declarat, nullius esse momenti absolutionem a sacerdote prolatam;* FALSA, TEMERARIA, PERNICIOSA, TRIDENTINO CONTRARIA et INIURIOSA, ERRONEA.

557. — *Dico* I. Regulares proprie dicti, seu qui vota solemnia emittunt, et qui privilegio exemptionis donati sunt (*a*), atque idcirco ab Episcoporum iurisdictione sunt exempti, ad audiendas Confessiones tum *suorum,* tum *saecularium* immediatae a Papa iurisdictionem accipiunt. Hinc intelligitur iurisdictio concessa singulis Sacerdotibus religiosis, accedente Superioris sui consensu (*b*). — Constat ex Iure canonico, praesertim ex Decretali *Super cathedram,* ex Clement. *Dudum de sepulturis*, item ex aliis Constitutionibus, quae licet postea modificatae fuerint, praesertim per *Conc. Trid.* quoad privilegia, tamen quoad iurisdictionis substantiam irrevocatae permanserunt. — *Ita communiter cum Lugo, disp. 21. n. 4. — Lacroix, n. 1552. — Billuart, diss. 6. art. 6.*

Dico II. Regulares ad audiendas suorum confessiones approbationem simul cum iurisdictione accipiunt a Superioribus sui monasterii, vel Ordinis, ad audiendas autem confessiones *saecularium,* approbationem accipiunt ab Episcopo loci, ubi confessiones excipiendae sunt. Ratio primi est, quia *Conc. Trid.* requisivit approbationem Episcopi tantum pro confessione saecularium, et antiquam disciplinam quoad confessiones Regularium nihil immutavit. Ratio secundi patet ex Decreto *Innoc. XII.* an. 1700, quo sancitum est, Confessarios, quicumque illi sint, tam *saeculares* quam *regulares,* nullatenus *posse audire poenitentes saeculares sine approbatione Episcopi loci... — Vide dicta, n. 538.*

Dico III. Regulares non possunt confiteri, saltem ordinarie, *extra Ordinem suum,* sine consensu Superiorum suorum; imo etiam in Monasterio nemini alteri, quam designato ab ipso Superiore. Degentes autem extra Monasterium, seu iter facientes, non possunt confiteri nisi socio, si quem idoneum habeant; si vero non habeant, possunt confiteri cuilibet Sacerdoti, sive regulari, sive saeculari. — De his constat ex privilegiis, quae omnibus Religionibus ab *Innoc. IV.* et ab aliis Summis Pontificibus concessa noscuntur. — *Vide S. Lig. n. 575. — Lacroix, n. 1524. — Laymann,* etc. — *Recole etiam dicta supra de statu religioso, n. 174.*

558. **Resolves.** — 1° Licet Regulares iurisdictionem habeant a Papa, ligatam tamen habent quoad confessiones saecularium audiendas; siquidem ad absolutionis validitatem approbatio Episcopi, velut *conditio sine qua non,* requiritur.

2° Episcopus potest approbationem Regularibus concedere ad

(*a*) Privilegium *exemptionis* per se non infert delegationem iurisdictionis immediatae a Summo Pontifice: alterum enim sine altero subsistere potest. De facto tamen Religiosi omnes mendicantes, et qui privilegiorum communicationem cum iis ex Apostolicae Sedis indulto habent, iurisdictionem a Romano Pontifice per Ordinis proprii praelatos accipere solent. Qua de re cuiusque Ordinis Religiosus Constitutiones suas, suisque indulta privilegia consulat.

(*b*) Potius quam consensum, dixeris *iurisdictionis communicationem seu delegat.nem.*

libitum sine restrictione, vel cum aliqua restrictione quoad tempus, loca, personas etc.

3° Si Episcopus expresse approbationem tantum pro actu aliquo transitorio, v. gr. pro aliqua missione peragenda concessit, facultas accepta pro illo solo actu, et pro omni iudicio tunc incepto valere censetur.

4° Si Episcopus, vel Superior tuus ex eius delegatione, tibi concedat approbationem pro determinata poenitentium classe, facultas ad alios extendi nequit, ut patet. Si autem postulatio facultatis ab Episcopo vel a Superiore sit generalis, nec fuerit restricta concessio, non limitatur facultas obtenta ad operam, quae fuit occasio petitionis: sic v. gr. si facultatem quaeris occasione tradendi exercitia spiritualia Monialibus in tali conventu, ex eadem accepta facultate potes audire confessiones etiam aliorum fidelium. Ratio est, quia *continetur in concessione quidquid non excipitur.* Excipe tamen casus reservatos, qui ipso iure in facultate generali audiendi confessiones nunquam intelliguntur comprehensi (*a*).

5° Religiosus missionarius advocatus ab Episcopo ad missionem peragendam in ipsius dioecesi, eo ipso accipit approbationem tacitam ad audiendas confessiones tempore missionis, pro qua advocatur. Idem dicendum est, si requisitus fuit a Parocho vel alio Superiore ex licentia Episcopi. Attamen pro solis casibus ordinariis approbatus censetur. Unde in praxi semper ad Episcopum recurrendum est pro extensione seu mensura approbationis determinanda (*b*).

6° Superior religiosus quando ex Episcopi delegatione adhibet subditum ad opera generalia sacri ministerii, seclusa hypothesi specialis alicuius restrictionis, censetur ipsi concedere omnimodam facultatem pro quibusvis poenitentibus, et pro omnibus quoque casibus reservatis in concessione episcopali contentis; ratio, quia concedere censetur id omne, quod concedere potest et solet, iuxta praefatam regulam: *Continetur in concessione quidquid non excipitur.*

559. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An Regulares extra domum, deficiente socio idoneo, confiteri valeant Sacerdoti non approbato?*

Resp. Affirm., ex communi sententia. Responsio autem quae opponi posset *S. Congr. Conc.* ad Episcopum Hildesheimensem die

(*a*) Sic diserte Bonifacius VIII. (*C. Si Episcopus 2. De Poenit. et Remiss. in VI.*): *Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere confessorem; ille, quem is elegerit, in casibus qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitus potestatem: Cum in generali concessione illa non veniant, quae non esset quis verisimiliter in specie concessurus.*

(*b*) Paulo obscurior videtur hic A. locus; nec satis apparet, num de mera extensione *approbationis* ultra tempus seu occasionem missionis loquatur, an vero de extensione facultatis etiam ad casus reservatos. Quidquid sit, consilium adeundi Episcopum pro utraque hypothesi utile est.

18. Novemb. 1769. nullatenus contraria est, cum ibi sermo sit de Religiosis, qui socios sui Ordinis ad manum habebant, ut patet ex actis eiusdem Congregationis (*a*).

QUAER. 2° *An Episcopus possit sine causa approbationem denegare Regularibus?*

Resp. Neg. Nam, inquit Pignatelli, *Confessarii Regulares non recipiunt iurisdictionem ab Episcopo, sed a Summo Pontifice, et approbatio requiritur solum tanquam conditio, ut iurisdictio exerceri possit. Ergo non possunt Episcopi prohibere, ne Regulares aliquo tempore absolvant.... (Consultationes canonicae, t. 4. consult. 163.).*

560. — QUAER 3° *An Episcopus approbare possit Regulares cum limitatione temporis, personarum aut locorum?*

Resp. Affirm. Constat ex variis Decretis S. Sedis. — *Vide S. Lig. Hom. apost., tract. 20. n. 103. in fine.* Attamen Episcopus, approbando Regulares, eos prohibere non potest, quominus confessiones tempore Paschali excipiant. Constat Decreto *S. Congr.* die 22. Septemb. 1668.

QUAER. 4° *An Episcopus revocare possit approbationem Regularibus concessam?*

Resp. 1° Non potest revocare approbationem omnibus Regularibus eiusdem communitatis, inconsulta *S. Congregatione Episcoporum.* Sic ex Bulla *Superna.*

Resp. 2° Potest autem Episcopus revocare approbationem singulorum Regularium in individuo, sed tantum iusta de causa *confessionem concernente:* idque valet, etiamsi Religiosus praevio examine approbatus fuerit. Ita ex eadem Bulla clare docet *S. Lig. Hom. apost. tract. 20. n. 103.*

561. — QUAER. 5° *An Episcopus post approbationem* SIMPLICITER *concessam, sed sine praevio examine, Regularem ad examen revocare possit?*

Resp. Affirm., ut videtur. Bulla enim non prohibet revocare ad examen *sine causa,* nisi Regulares praevio examine approbatos.

QUAER. 6° *An Regularis semel approbatus in aliqua dioecesi, nova approbatione indigeat, si mutata habitatione, eodem redeat?*

Resp. Neg. Ratio est, quia approbatus indefinite et illimitate remanet approbatus saltem usque ad implicitam approbationis revocationem; porro in casu praesenti nulla intervenit revocatio, ne implicita quidem. Ergo, etc. — *Ita Lacroix, n. 1541. — Lugo, disp. 21. n. 44.* cum sententia communi.

QUAER. 7° *An Regularis approbatus in aliqua dioecesi, nova approbatione indigeat ad valide absolvendum, si, mutato loco, per eamdem dioecesim transeat?*

Resp. Neg., quia approbatio indefinite et illimitate concessa, perdurat usque ad revocationem (*b*). — *Lacroix, n. 1541.*

(*a*) *Conf. sup. dicta in not. ad n. 174.*

(*b*) Apposite Lugo (*De Poenit. Disp. 21. n. 43.*) advertit, sacerdotem eo

562. — Quaer. 8° *An valide absolvat saeculares Religiosus ex delegatione Episcopi, sed inscio Superiore?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia Religiosus iam habet iurisdictionem a Papa per Superiorem suum; haec autem semel accepta perdurat, usquedum expresse revocetur; aliunde vero habetur Episcopi approbatio; proinde nihil deest ut Religiosus ille valide et licite absolvat. — *Billuart, et alii.*

563. — Quaer. 9° *An valide absolvat Religiosus, invito Superiore, sed ex delegatione expressa Episcopi?*

Resp. 1° *Negative,* si Episcopus intenderit tantum dare approbationem, et aliunde Superior ita sit invitus (*a*), ut iurisdictionem a suo subdito auferre censeatur. Ratio patet. Tunc enim Religiosus a nemine iurisdictionem habet.

Resp. 2° *Affirmative* autem, si Episcopus intenderit etiam conferre iurisdictionem, ut in hodierna praxi fieri solet. Ratio est, quia Episcopus bene potest iurisdictionem Religioso, non secus ac Sacerdoti saeculari, in proprias oves conferre. Quisquis enim iurisdictione ordinaria gaudet, eam cuilibet Sacerdoti delegare potest. — *Billuart,* etc.

Verum Religiosus ille graviter contra obedientiam peccaret, quia in re gravi praeceptum Superioris sui transgrederetur; nec in huiusmodi casu posset uti privilegiis, quibus Religiosi gaudent, v. gr. ad absolvendum a quibusdam censuris; quia Religiosus huiusmodi privilegium, nonnisi per ipsum Superiorem accipit, qui ex hypothesi nullam subdito facultatem tribuit (*b*).

ipso, quod ingrediatur territorium alterius Episcopi, incipere esse illius subditum, et habere illum pro suo Ordinario in ordine ad audiendas confessiones illius gregis. Eo ipso autem quod pedem in illud territorium inferendo fit subditus, recuperat approbationem, quam accepit antea, et nondum per revocationem amisit. *Conf. dicta sup. in not. ad n. 544.*

(*a*) Haec non de Superiore quolibet intelligenda sunt, sed de eo, qui potestatem habet confessarios constituendi iuxta Constitutiones cuiusque Instituti proprias. Hinc si Constitutiones hoc munus Praeposito Provinciali reservent, manifestum est, dissensum Superioris localis, v. gr. Rectoris, Prioris, Guardiani, etc., non posse efficere ut iurisdictio subditis a Provinciali collata cesset aut suspendatur.

(*b*) Haec confirmantur Declaratione, quae nuperrime prodiit ex Congr. E. et R. (*Acta ex iis decerpta, quae apud S. Sedem geruntur Vol. I. pag. 683.*). Propositis enim dubiis,

I. *An Religiosus non approbatus iuxta leges proprii Ordinis a suo Superiore, vel ipso invito, cum sola facultate Ordinarii valide excipiat confessiones saecularium.*

II. *An superiores Regulares, iurisdictionem habentes, possint suos subditos suspendere ab audiendis confessionibus saecularium etiam ex informata conscientia.*

Et quatenus affirmative III. *An valeat suspensio oretenus, et absque scripto enunciata.*

IV. *An absolutio impertita ab eo, qui tali suspensione est innodatus sit valida.*

QUAER. 10° *An Regulares absolvere possint, sine Episcopi approbatione, famulos suos vel alios familiares in monasterio degentes?*

Resp. Affirm., si isti famuli vel alii saeculares sint *velut de familia*, id est, si diu noctuque in domo remaneant, ibique nutriantur, ita ut sint *continui commensales et vivant sub obedientia Reli-*

Et qualenus negative V. *An qui huiusmodi absolutionem attentat, irregularitatem incurrat.*

Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium re discussa, die 2. Martii 1866, respondit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative; ita tamen, ut Religiosus suspensus illicite, non vero invalide confessiones excipiat.*

Ad III. *Affirmative, cum feratur per modum praecepti particularis.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Provisum in praecedentibus.*

Provisum autem in praecedentibus est, quia, ut habet Responsum ad III. suspensio in casu fertur non per modum censurae, sed per modum praecepti, quo subditus prohibetur confessiones excipere. Quocirca bene advertit Editor (*l. c. pag. 684.*), subditum inobedientem esse, non vero violatorem censurae, atque adeo non incurrere irregularitatem.

Caeterum S. Congregationis Declaratio supponit, Regulari, de quo quaestio, ab Ordinario loci non solum *approbationem*, sed et *iurisdictionem* collatam fuisse: unde in quaesito primo adhibita est *vigilans* vox cum FACULTATE, non vero *cum approbatione Ordinarii.* Quocirca nihil haec Declaratio detrahit COMMUNI Thh. sententiae (*Vid. Struggl, Theol. mor. Tr. 11. Q. 3. n. 30.*), quod Regulares iurisdictionem habeant a Summo Pontifice: quam quidem sententiam iam superius (*n. 555.*) vidimus confirmatam expresse fuisse a S. Congregatione Concilii. Et inde repetendum, quod Benedictus XIV. (*De Synod. Lib. 9. Cap. 16. n. 7. 8.*) cum fuse disputet de Regularium facultate quoad administrandum Poenitentiae Sacramentum, multis quidem evincit necessitatem *approbationis*, quam Regulares a locorum, ubi ministerium exercent, Ordinariis necesse est obtineant; at de collatione *facultatis* seu *iurisdictionis* ne verbum quidem habet. Et hinc repetendum quod communiter tradunt DD., Religiosum, a proprio Superiore suspensum ab audiendis confessionibus, nec licite nec valide absolutionem impertiri (Vid. Laymann *De Poenit. Cap.10.n.19.*). Quod quomodo cum modo allata Declaratione concilietur, habes in illis verbis Marci Struggl (*l.c.n.32.*): *Infertur, invalidam esse absolutionem a Sacerdote Regulari exempto, qui ab Episcopo* praecise approbatus... *audiret confessiones sine omni licentia actuali tam expressa quam tacita sui legitimi Superioris: quia nondum haberet iurisdictionem a Summo Pontifice, quae requirit consensum legitimi Superioris, tamquam conditionem sine qua non. Si tamen Episcopus tali Religioso simul daret* suam iurisdictionem Episcopalem, *valeret absolutio, etiam contra positivam voluntatem Superioris collata. Interim tamen Regularis sic absolvendo peccaret leviter vel graviter pro rata inobedientiae et prohibitionis, ut cum Tamburino docet Sporer, n. 682.* Insuper facultates huius Religiosi in casu non ulterius sese protenderent, quam possit eas Episcopus delegando concedere. Proinde etiamsi Religiosus ad eum Ordinem pertineat, cui a Sede Apostolica specialis aliqua facultas tributa sit, v. gr. ad Ordinem aliquem mendicantium, qui privilegio gaudeant absolvendi a Casibus Papalibus (de quo nunc scitandi ipsi sunt regulares); iste tamen invalide ab hisce absolveret. Ratio est, quia huiusmodi facultate eatenus tantum ipse polleret, quatenus a suis Superioribus haec forte illi communicaretur. Atqui Superiores in casu nullam ei facultatem tribuunt. Ergo.

giosorum. Secus vero si ita non habeantur, v. gr. si tantum interdiu remaneant, et nocte alibi degant, ut sunt operarii, mercenarii quotidiani, ruricolae, etc.

Ita ex pluries citata Clementis X. Constitutione, *Superna*, §. *4*. *In monasteriis, ac etiam in collegiis, ubi iuxta instituta regularia vivitur, posse tam Praelatos regulares quam Confessores Regularium eorumdem monasteriorum seu collegiorum, audire confessiones illorum saecularium, qui sunt de familia et continui commensales; non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt. — Vide Lacroix, n. 1505.*

564. — Quaer. 11° *An Regulares absolvere possint alumnos convictores sine Episcopi approbatione, utpote de familia?*

Resp. Duplex datur sententia.

I[a] Sententia *negat* absolute, quia convictores non sunt de familia, ut famuli. Etenim famuli sunt de domo, et ideo *domestici* dicuntur, quia per famulatum familiae quasi incorporantur; alumni vero pecuniam tribuunt, ut victum, doctrinam et educationem a magistris accipiant. — *Ita Lugo (Respons. moral.).* Constare videtur etiam ex Decisione *S. Congr. Episcop. et Regularium,* die 21. Iunii 1848. quae hac occasione lata est. Episcopus enim Parmensis Decretum edixerat, ut *Barnabitae,* seu *Clerici Regulares S. Pauli,* possent administrare Sacramenta Eucharistiae, Poenitentiae, et Extremae Unctionis suis alumnis convictoribus, absque ulla licentia Parochi paroeciae *S. Sepulcri,* in cuius territorio situs erat praedictorum Regularium conventus. Verum, reclamante Parocho, lis perlata est ad *S. Congregationem*, quae Decretum Episcopi declaravit *esse reformandum.*

II[a] Sententia *valde probabiliter affirmat.* Ratio est, 1° quia ubi alumni seu convictores habent actu omnimodam dependentiam a Regularibus, iam ipsorum *familiares* sunt. Nec verisimile est, Patres Concilii Tridentini minoris aestimasse dependentiam, quae Regularibus adstringit alumnos sub respectu educationis, quam quae famulos sub respectu materialis servitii et stipendii iisdem alligat; ac proinde alumnos, non secus ac famulos, voluisse beneficio *familiaritatis* donare. Ita *Pichler*, *Pellizzarius*, *Schmalzgrueber.* 2° Quia pluribus Ordinibus Regularibus, quales sunt *Benedictini, Theatini, Congregatio de Somascha, Clerici ministri infirmorum,* etc., imo et nonnullis saecularibus Congregationibus, uti *Sancti Sulpitii, Sancti Spiritus,* etc., privilegium competit familiaritatis pro ipsorum convictoribus. Atqui ex communione privilegiorum caeteri Ordines Regulares iam tale privilegium consequuntur. Ergo etc.

Haec autem sententia plures Romanos Theologos, et quidem gravissimos, habet patronos. Nec obstat supra citata Decisio *S. Congr. in Parmensi.* Respondetur enim illam fuisse datam pro casu specialissimo, quae proinde ad casus alios minime extendenda est (*a*).

(*a*) Haec S. Congregationis declaratio ad causam praesentem nihil pertinet. Neque enim ibi lis erat de excipiendis alumnorum confessionibus sine

In praxi tuta est posterior haec sententia, saltem si Superior collegii seu convictus id declaret. Patet ex doctrina *S. Ligorii* circa *privilegiorum communicationem,* necnon *interpretationem privilegiorum Regularium. — Hom. apost. tract. 20., de Privilegiis.*

APPENDIX II.

DE IURISDICTIONE RESPECTU MONIALIUM

565. — *Dico* I. Moniales non possunt confiteri nisi Sacerdoti specialiter pro ipsis approbato ab Episcopo, licet sint exemptae ab eiusdem Episcopi iurisdictione, et Regularibus proprii Ordinis subiectae. Ita ex Bulla *Gregorii XV. Inscrutabili,* et ex aliis Constitutionibus SS. Pontificum. Imo Confessarius approbatus pro uno monasterio non potest valide excipere confessiones Monialium alterius monasterii, nisi in genere pro Monialibus fuerit approbatus. Haec confirmavit *Clemens X.* an. 1670, Bulla *Superna. — Vide S. Lig. n. 576.*

Ex Decreto autem *S. Congr. Episcoporum* die 20. Sept. 1642. Confessarius ordinarius Monialium non potest approbari nisi pro triennio; quo elapso non potest amplius audire confessiones in eodem monasterio sine licentia *S. Congr.* — Vide *S. Lig. n. 577.* — Sed huiusmodi restrictio, ut advertit *Bouvier,* non ubique servatur, et tunc approbatio valet usquedum verbis aut facto revocetur.

Porro Confessarius tenetur accedere ad audiendas Monialium confessiones, toties quoties vocatus fuerit. *S. Congr. Ep. 1705.* — Caeterum caveat, ne se tamquam Superiorem monasterii gerat, cum ipsi talis auctoritas nullo modo competat. — *Sic S. Congr. Ep.* 7. Sept. 1797. — *V. Analecta Iuris Pont. 1859. p. 1322. 1324.*

566. — *Dico* II. Episcopi et alii Monialium Superiores (*a*) tenentur bis aut ter in anno, ipsis etiam Novitiis, exhibere Confes-

Episcopi approbatione (quae causa insuper ad parochum nihil spectasset), sed *de iuribus parochi in causa mortis.* — Adde quod parochus in rem suam *consuetudini* innitebatur; quocirca haec Sacrae Congregationis Declaratio transferri nequit ad alios casus his adiunctis destitutos, ne in illa quidem quaestione de iuribus parochialibus in causa mortis.

(*a*) Extraordinarium confessarium monialibus offerre ad eos respective pertinet, quibus competit et ordinarium adsignare. Cumque moniales aliae subdantur Praelatis Regularium, aliae Episcopo; illis confessarium assignat Regularis Praelatus, approbatum tamen speciatim pro monialibus ab Ordinario loci; his confessarium assignat Episcopus. Constat ex Const. *Pastoralis* Benedicti XIV, ubi dicitur, *huiusmodi* (scil. confessarii extraordinarii) *Deputationem ad eum regulariter spectare, ad quem pertinet confessarii electio et deputatio.*

Dicitur autem, *regulariter:* nam si Tridentini Concilii legem de extraordinario offerendo Praelatus Regularis forte negligat; tunc iuxta Responsum Sacrae Congregationis Concilii (13. Augusti 1631.), quod auctoritate sua confirmat in citata Constitutione Benedictus XIV., potest ac debet Epi-

sarium extraordinarium. Sic statuit *Conc. Trid. sess. 25., de regularibus Monialibus c. 10.*, ubi dicitur: *Praeter ordinarium autem Confessarium, alius extraordinarius ab Episcopo et aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.* — Haec statuta confirmarunt alii SS. Pontifices, praesertim *Bened. XIV.* in Bulla *Pastoralis,* edita 5. Augusti 1748. Debet insuper concedi Confessarius particularis Monialibus in articulo mortis (*a*), si petant, imo etiam aliquando in vita, si aliqua Monialis id postulet, aut recuset confiteri ordinario; sed tunc pro certis tantum vicibus extraordinarius Confessarius deputandus est. De his constat ex Bulla *Bened. XIV. Pastoralis* modo citata.

Neque vero *Concilium Trid.* prohibet, ne praeficiantur plures Confessarii extraordinarii, neque ultra duas vel tres vices offerantur. Sensus igitur Decreti est, eos ad minus saltem bis vel ter concedendos esse. — *Ferraris, verbo Moniales, art. 5. n. 33.* — *Bouvier, ibid.*

567. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An omnes Moniales teneantur se praesentare Confessario extraordinario et ipsi confiteri?*

Resp. 1° Tenentur omnes et singulae se praesentare saltem ad audienda salutaria monita. Constat ex eadem Bulla *Benedicti XIV.* necnon ex Declaratione expressa *S. Congreg. Episcoporum* die 19. Oct. 1621. (Apud *Bouvier, ibid.*). Ratio autem huius dispositionis est, ut consulatur libertati Monialium, quae ministerio Confessarii extraordinarii forte indigeant; secus enim timor vel displicendi Confessario ordinario vel in suspicionem incidendi penes alias moniales, facile eas prohiberet. — *Vide S. Lig. n. 576.*

Resp. 2° Non tenentur confiteri Confessario extraordinario, sed sufficit ut coram illo se sistant, puta ut eius benedictionem petant, aut ab eodem salutaria monita accipiant. Constat ex citata Bulla *Bened. XIV.*— *Vide S. Lig. n. 576.*

scopus negligentiae aut iniquae pertinaciae Praelati Regularis occurrere, atque extraordinarium ipse praebere.

Si vero Episcopus id negligat sive pro monasteriis, quae ab ipso dependent, sive pro subiectis Praelato Regulari, qui officio suo desit; Benedictus XIV. in praedicta Const. statuit, deputationem extraordinarii confessarii faciendam esse a Cardinali maiori Poenitentiario, quando requisitus de hoc a monialibus ipsis fuerit.

(*a*) De hoc casu ita statuitur in cit. Const. Benedicti XIV: *In articulo mortis cuilibet moniali postulanti concedi debet ab Episcopo confessarius particularis, vel a Praelato Regulari, si monasterium est exemptum; et deficiente vel recusante Praelato Regulari, posse ac debere Episcopum supplere; recusante vero Episcopo, dandum esse a Poenitentiario Maiori, si tempus suppetat.* In quibus omittitur, quid faciendum, si tempus non suppetat prospiciendi necessitati monialis ullo ex praedictis modis. Verum prospexit satis huic quoque casui Tridentina Synodus, quando sanxit, in mortis articulo nullam esse reservationem, et *quemlibet* sacerdotem posse absolvere *quoslibet* poenitentes a *quibuscumque* peccatis et censuris iuxta sup. dicta (*n. 550. q. 6.*).

Quaer. 2° *Quid intelligatur hic nomine Monialium?*

Resp. Intelliguntur solae mulieres sub regula in claustro viventes; non vero illae, quae clausuram servare non tenentur (*a*), v. gr. quales sunt eae quae dicuntur *Sorores a Charitate (Sœurs de la Charité).* — *Bouvier, de Iurisdictione.* — *Gousset, n. 480.*, etc.

568. — Quaer. 3° *Quid tenendum de Monialibus nunc in Gallia existentibus?*

Resp. 1° Quoad *approbationem Confessarii*, cum attentis praesentibus circumstantiis vota solemnia emittere non censeantur, omnia dependent ab Episcoporum voluntate. Episcopi autem communiter intendunt sibi reservare specialem approbationem pro Monialibus, ut constat ex litteris ordinariis approbationis, in quibus dicitur: *exceptis Monialibus,* aut *non exceptis Monialibus.*

Resp. 2° Quoad *Confessarium extraordinarium,* videtur pro Episcopo, et aliis Superioribus eadem, ac antea, adesse obligatio aliquem procurandi pro Monialibus claustratis. Ratio est, quia idem est finis legis, scilicet prospiciendi conscientiae libertati. Si enim obligantur ad rigorosam clausuram, aequum est, ut privilegio quoque Monialium claustratarum utantur.

Quaer. 4° *An Episcopus teneatur concedere Confessarium extraordinarium etiam piis feminarum congregationibus, quae verae Moniales non sunt?*

Resp. Bened. XIV. enixe hortatur Episcopos, ut ad quaslibet feminarum communitates extendant leges *Conc. Trident.* circa Confessarios extraordinarios Monialium. — Const. *Pastoralis curae,* 5. Aug. 1748., cui consonant plura Decreta S. Congr. Ep. et Reg.

569. — Quaer. 5° *An absolvi possint a quolibet confessario Moniales claustratae, dum casu extra monasterium versantur?*

Resp. Affirm. cum *Lacroix, n. 1527., et aliis.* Ratio est, quia

(*a*) Etsi Constitutiones Apostolicae de exhibendo confessario extraordinario ad moniales tantum, quae servant clausuram, spectare videantur; par tamen ratio militat pro aliis quoque, quando Confessarius illis sive domi sive in ecclesiis ita assignetur, ut libera ipsis facultas non sit alterum adeundi.

Quamquam ubi moniales huiusmodi confiteri solent in Ecclesiis, vix aut ne vix quidem opus est de extraordinario confessario providendo cogitare. Consuetudo enim fere communis viget, ut libera singulis fiat facultas adeundi quemlibet e sacerdotibus, qui in ea ecclesia confessiones solent excipere; quinimo si Regulares isti sint, perinde est, si quempiam ex iisdem Regularibus etiam in alia eorum ecclesia adeant. Neque obstat, quod ad ordinem quemdam servandum quidam quasi ordinarii sive a monasterii Antistita sive etiam ab Episcopo adsignentur. Huiusmodi quippe dispositio ut mere oeconomica habetur, atque adeo nihil ad quaestionem de iurisdictione pertinet. Et quidem quando aut ecclesia aut confessarii ab Antistita designati fuerint, manifestum est, utique praeter regulam, sed valide confiteri monialem, quemcumque demum confessarium et ubicumque eligat. Immo iuxta generale principium, odia esse restringenda, id ipsum retinendum, si designatio ab Ordinario fiat, nisi expresse hic addat, neminem praeter designatos haberi posse uti pro illis monialibus *approbatum.*

Constitutiones *Gregor. XV. Inscrutabili,* et aliorum SS. Pontificum, quae prohibent, ne Moniales confiteantur alteri Sacerdoti quam specialiter ab Episcopo pro Monialibus approbato, non videntur intelligendae nisi *de Monialibus in Monasteriis degentibus;* supponunt enim quod Moniales semper intra claustrum versentur. Quilibet igitur Confessarii, licet pro Monialibus non approbati, absolvere possunt Moniales *per accidens* ad se venientes. Praeterea nimium incommodum plerumque adesset, si Moniales peregrinae solis Confessariis specialiter approbatis confiteri deberent: saepe enim carere deberent Sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae.

ARTICULUS III.

DE CASIBUS RESERVATIS

Reservatio casuum est restrictio seu limitatio iurisdictionis, sive negatio potestatis absolvendi a certis peccatis, salva potestate absolvendi a caeteris. Agendum 1° de reservatione; 2° de absolutione reservatorum.

§. I. *De reservatione casuum, seu de principio et natura reservationis.*

570. **Principia.** — I. Datur in Ecclesia potestas reservandi certos casus sive causas criminum graviorum, a quibus inferiores Confessarii absque speciali facultate absolvere nequeant. Ecclesiae enim, ut dictum est *(art. praec.),* competit potestas iurisdictionem conferendi et limitandi; ergo etiam casus reservandi. — Constat praeterea ex definitione *Conc. Trid. sess. 14. c. 7.,* etc.

II. Potestas peccata reservandi solis competit Ecclesiae Praelatis, qui habent iurisdictionem in utroque foro interno et externo (*a*).

(*a*) Melius dixeris, peccata sibi reservare posse, quisquis ordinariam habens iurisdictionem etiam pro solo foro conscientiae, potest eam plus minusve restrictam alteri delegare. Ut enim inquit Lugo (*De Poenit. Disp.20. n. 1.*), *cum in hoc sacramento requiratur... iurisdictio, quae inferioribus a Superioribus communicari debet; consequens est, ut Superior possit hanc iurisdictionem magis vel minus limitare, dando illam ad plures vel pauciores causas, prout ipsi visum fuerit: quod est reservare sibi absolutionem earum, quas inferiori non concedit.*

Exinde idem (*ibid. n. 2.*) concludit: *Hinc constat, Summum Pontificem pro suprema et universali potestate posse sibi reservare aliqua peccata pro tota Ecclesia: Episcopos item, per se loquendo, posse pro suo Episcopatu: parochum denique* (qui alioqui iurisdictionem non habet in foro externo) *pro sua parochia.* Advertit nihilominus (*ibid.*), hanc parochi potestatem fere inutilem esse, et idcirco eos non solere hac potestate uti. Hoc enim discrimen inter Papam, Episcopum, ac Parochum intercedit, quod *reservante Pontifice, nemo possit absolvere, nisi de licentia ipsius Pontificis: reservante Episcopo, possint absolvere alii de licentia Summi Pon-*

Ratio est, quia ad eos solos, qui iurisdictionem in societatem fidelium conferre possunt, eamdem limitare pertinet.

Hinc 1° Papa casus reservare potest in tota Ecclesia; 2° Episcopi in sua dioecesi; 3° alii iurisdictionem episcopalem habentes erga subditos proprios.

III. Tria requiruntur ex consuetudine Ecclesiae ut peccatum reservatum censeatur, scilicet ut sit 1° mortale (*a*); 2° externum (*b*); 3° opere consummatum, non vero tantum attentatum, nisi aliud constet ex declaratione expressa reservantis (*c*). — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 582.*

IV. Reservatio afficit immediate Confessarium (*d*), et mediate

---

tificis: denique si parochus reservaret, possent alii absolvere de licentia Papae vel Episcopi. Quocirca nisi Episcopus, iurisdictionem dum tribuit, simul caveat, ne absolvantur peccata, quae parochus sibi reservaverit, sicut S. Pontifex Regularibus, quibus iurisdictionem concedit, prohibet, ne absolvant a peccatis, quae sibi reservant Episcopi; frustra sibi parochi reservarent peccata. *Et ideo,* inquit Lugo (*ibid.*), *non solent parochi reservare; quia esset fere inutilis illa reservatio*, sicut fere inutilis evasit facultas concedendi iurisdictionem, prout supra dictum est (*n.546. Princ. III.*). Dixi *fere;* nam, ut idem Lugo (*Disp. 21. n. 4.*) advertit, *posset Episcopus aliquem approbare ad audiendas confessiones, et tamen nullam illi conferre iurisdictionem; sed solum reddere illum capacem, cui possit iurisdictio conferri: quare si ille aliunde haberet privilegium generale sui Ordinis, vel speciale audiendi confessiones; posita approbatione Episcopi posset... a parocho accipere iurisdictionem ad audiendas confessiones suorum subditorum.* Vide etiam Salmantic. (*De Poenit. Cap. 13. n. 2.*).

(*a*) *Mortale* intelligitur non modo ratione obiecti, sed etiam malitiae in actu voluntatis.

(*b*) *Externum* dicitur, quatenus praeter gravem malitiam interioris voluntatis etiam actio exterior secundum se debet gravitatem habere.

(*c*) Quandonam opus censeri debeat *consummatum*, atque adeo cadens sub reservantem legem, ex legis ipsius verbis definiendum est. Et fieri exinde potest, ut habita reservationis ratione consummatum censendum sit opus, quod alioqui consummatum *in genere suo* non videtur. Ita v. gr. si reservetur *quilibet exterior lapsus carnis,* sub reservationem cadent etiam actus in genere luxuriae imperfecti, dummodo actio exterior per se grave peccatum praeferat.

(*d*) Contrarius loquendi modus ideo probabilis videri potuit, quod reipsa subinde pro diversa poenitentium conditione contingat, ut unus idemque confessarius, ab uno eodemque peccato absolvere modo possit, modo non possit. Ita v. gr. Regularis, qui tum Religiosorum domesticorum, tum saecularium confessiones solet excipere, a periurii crimine absolvere poterit saecularem, non poterit Religiosum, quippe hoc crimen pro Religioso reservatum erit, non item pro saeculari. Ita et confessarius saecularis ab eodem *scripti libelli famosi* crimine etiam inter ipsos saeculares absolvere poterit Andream, qui utpote perpetuus commensalis religiosorum reservationi non subiacet Episcopali (*Vid. sup. not. ad n. 173.*), non item fratrem eius Christophorum, qui reservationi subiacet. Reipsa tamen haec nihil derogant generali principio, quod reservatio, utpote mera iurisdictionis limitatio, immediate confessarium afficiat. In praedictis enim, aliisve similibus casibus ratio discriminis inter poenitentem et poenitentem inde est, quod unus uni, alter autem alteri Ordinario subsit. Prouti igitur duo diversi Praelati, Religiosus pro subditis suis, ac Episcopus item pro suis, uni

poenitentem; quia potestatem Confessarii immediate attingit, eamque coarctat. — *S. Lig. n. 580. 581., et alii communiter* contra *aliquos.*

Porro plerique casus episcopales sunt simpliciter reservati sine censura, casus autem papales fere omnes censuram habent, et principaliter propter censuram reservantur, ita ut in iis reservetur immediate censura, et mediate seu accessorie ipsum peccatum. Hinc in casibus papalibus, reservata censura, etiam peccatum manet reservatum; e contrario vero, sublata censura, v. gr. ex eo quod ignorata fuerit, neque peccatum est reservatum, quia, sublato reservationis obiecto, id est censura, iam peccatum non manet reservatum. — *S. Lig. n. 580.* — Casus autem Papae reservati absque censura sunt duo: *primus* scilicet de eo qui recipit munera a Regularibus utriusque sexus (*a*) *(ex Const. Clem. VIII. et Urbani VIII.); secundus* autem, si mulier calumniose accuset aut denuntiet de sollicitatione Confessarium innocentem *(ex Constit. Bened. XIV.).*

Circa reservationem ab Episcopis faciendam opportune notanda ea occurrunt, quae habemus apud Benedict. XIV. *De Synod. Dioeces. Lib. 5. Cap. 5.*

Quamquam vero (inquit n. IV.) *non possit quoad hoc certa regula ubique custodienda praescribi....; attamen instar regulae esse possunt quaedam generalia monita, et Decreta, quae a Sacris Urbis Congregationibus hac super re emanarunt.*

Sacra Congr. Episcoporum et Regularium negotiis praeposita, die 9. Ianuarii 1601. locorum Ordinarios ita monendos statuit: Ne locorum Ordinarii, quibus ius hoc reservandorum casuum competit, pluribus quam opus sit reservationibus, subditis aut Confessariis in animarum salute procuranda cooperantibus sint onerosi, moneantur omnes, ut paucos, eosque tantum quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem, pro cuiusvis dioecesis statu et qualitate necessario reservandos esse iudicaverint, reservent. — *Idemque monitum replicandum decrevit die 26. Novembris 1602:* Sed ne locorum Ordinarii, ad quos casuum reservatio spectat, ea in re modum excedant, eadem Sacra Congregatio illos rursum magnopere admonendos censet, ut non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum

eidemque Confessario iurisdictionem plus minusve circumscriptam conferunt, hic ab eodem peccato subditum unius poterit absolvere, alterius subditum absolvere non poterit.

(*a*) Reservatio huius casus in eo tantum consistit, quod quisquis acceperit munera a Regularibus (intellige autem in materia gravi), absolvi non possit, nisi accepta monasterio seu Ordini restituantur. Quocirca si quis iam restituerit, aut certe animum gerat restituendi, reservatio cessat. Ubinam vero, et quousque usu receptae sint Clementis VIII. et Urbani VIII. Constitutiones, vide Dianam (*Tom. 7. Tract. 3. Resol. 1, 2, 29, et 53.*), et Salmanticenses (*De Restit. Cap. 6. n. 10.*).

et graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad christianam disciplinam retinendam conferat, et in aedificationem, non autem in destructionem, cedat: ne alioquin Sacramenti Poenitentiae Ministrorum potestate coarctata, sanctae matris Ecclesiae piae menti contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam, ne sibi superflue reservent casus in Bulla die Coenae Domini legi consueta contentos, neque alios Sedi Apostolicae specialiter reservatos.

Encyclicae quoque litterae ab eadem Sacra Congregatione, eadem die 26. Novembris 1602. ad Episcopos in hunc modum datae sunt: Praecipue vero haec monenda censet Sacra Congregatio, ut videant ipsi Ordinarii, ne illos casus promiscue reservent, quibus annexa est excommunicatio maior a Iure imposita, cuius absolutio nemini reservata sit; nisi forte propter frequens scandalum, aut aliam necessariam causam, aliqui huiusmodi casus nominatim reservandi viderentur; neque casus, in quibus absolutio, nisi cum restitutione, vel executione eorum ad quae poenitentes tenentur, non confertur: neque illos, qui etsi mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti versantur, et frequenter inter idiotas evenire solent, uti damni dati, et similium. In peccatis etiam carnalibus reservandis multa utantur circumspectione propter periculum scandalorum, in iis maxime personis in quas ob accessum ad Confessarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad Ordinarios, suspicionis aliquid cadere potest. Postremo eam potissimum ineant et sequantur rationem, quae consideratis diligenter cuiusque provinciae ac populorum moribus, natura ac propensione, magis in Domino expedire videbitur.

Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium Decretis consentiunt Decisiones Sacrae Congr. Concilii: etenim cum ad hanc delatum fuerit, quod Episcopus Bellicastrensis *supra modum auxisset catalogum casuum reservatorum, die 29. Ianuarii 1661. decem, aut ad summum duodecim gravioribus exceptis, Episcopi arbitrio designandis, caeteros e catalogo deleri iussit.*

Huc usque Benedictus XIV.; et responsis S. Congr. ab eo allatis addi opportune illud potest, quod Episcopo Miracensi *(Mirepoix)* datum est 3. Iulii 1677. Cum enim S. Sedem hic consuluisset de nonnullis Ordinationibus a se conditis, et inter istas haec quoque proponeretur: *Quia multi ex Clero procliviores erant ad libidinem, nobis reservavimus hunc casum, eaque severitas multum profuit ad morum emendationem;* S. Congregatio respondit: *Non approbatur.*

571. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An ignorantia reservationis vel censurae ab incurrenda excuset?*

Resp. 1° *Affirmative quoad censuram*, qua de re latius ubi *de Censuris* erit sermo.

Resp. 2° *Quoad reservationem*, controvertitur. Negat *S. Lig.* cum

aliis non paucis; ratio, quia (aiunt) reservatio restringit potestatem Confessarii (*a*). Verum sententiam affirmantem censent probabilem *Salmanticenses.*, *Tr. 18. cap. 6. n. 12.* — *Lugo, de Poenit. D. 20., n. 11.* — *Sanchez, de Matrim. l. 9. disp. 32. n. 17. et 18.* — *Beati* (*b*), *Quaest. mor. q. 18. n. 25.* — *Iacobus Graffius* (*c*), *Pract.*

(*a*) Haec ratio, quae pro ea opinione vel unica vel saltem ceu potissima afferri solet, nihil concludit. Quod enim reservatio sit restrictio iurisdictionis, dicimus omnes; sed quod reservatio seu lex reservans comprehendat etiam peccatum cum reservationis ignorantia factum, sicut et patratum ex gravi metu, vel commissum extra territorium, etc., hae quaestiones non solvuntur ex eo, quod reservatio sit limitatio iurisdictionis. Paucis: quod reservatio sit restrictio iurisdictionis (quae est reservationis definitio) nihil confert ad decernendum, ad quos casus ea restrictio sese porrigat, seu quaenam peccata sint reservata, ut bene observat Viva (*De Poenit. Q. IX. art. 5. n. 3.*), non secus ac scilicet ex eo quod *lex vim habeat obligandi,* perperam concluderetur, hunc aut illum casum ipsa lege comprehendi.

Alios quosdam movebat timor, ne per hoc disciplina tum christiana tum religiosa laxaretur. Sed et ista difficultas admodum levis est. Cum primo enim poenitens eam culpam confitebitur, de reservatione a confessario monebitur, et sic disciplinae relaxandae aditus praecludetur in posterum: quoad praeteritum vero in neutra sententia obtineri potest, ut reservatio ignorata fraenum iniiciat.

(*b*) Docuit Gabriel Beati Theologiam moralem in Collegio Romano, et *Quaestiones hasce morales,* Cardinali Chisio dicatas, Romae edidit an. 1663. probantibus Io. Paulo Oliva Praep. Gen. Soc. Iesu, et Raymundo Capisucco S. A. P. tunc Magistro, deinde inter Patres Cardinales adscito. Sic autem ille de hac quaestione: *Colligitur tertio, invincibiliter ignorantem Constitutionem aliquam novam, in qua alicuius peccati reservaretur absolutio...., eam non incurrere. Quamvis enim se peccare cognoscat, non tamen contra Constitutionem, cum eam ignoret. Ergo incurrere non potest reservationem, quae est poena per illam Constitutionem imposita.* — *Sanchez, De Matrim. Lib. 9. Disp. 32. n. 18.*

(*c*) Hic A. Theologiae et SS. Canonum scientia notissimus de re praesenti haec habet: *Non ligantur ignorantes Constitutionibus seu Statutis Episcoporum, quamvis poenis aliis obligentur...; et consequenter nec hac reservatione casus cum sit poena... Faciunt quae dixit Navarrus in Cap. 27. n. 80. Et ratio est, quia ignorantia contingens in eo, cuius causa reservatio facta est, omnino ab ea reservatione excusat.*

Quod vero quidam distinguentes inter reservationes *poenales* et *medicinales,* excusarent ignorantes ab incurrendis prioribus, non item a posterioribus, difficile aliis videtur. Ut enim iuxta communem sententiam advertunt Acta Syn. Tuscul. an. 1763. (*Part. 3. Cap. 10. art. 9. n. 2.*), *mixtae videntur esse reservationes omnes sive Pontificiae sive Episcopales*, idest poenales simul et medicinales.

Hinc Salmanticenses (*l. cit. in textu*): *Secunda sententia omnem reservationem esse poenalem dicit, et sic ab omni reservatione ignorantiam... excusare. Huic sententiae adhaeremus.* Et quidem ea ratione moveri se dicunt, quia in casu reservatio ne medicinalis quidem dici possit; *quia* (inquiunt) *respectu illius, qui nesciret peccatum esse reservatum, reservatio a commissione illius nullo modo cohiberet, et finis intentus a Superiore in tali reservatione omnino cessaret. Ergo sicuti respectu ignorantis cessat finis reservationis, nec ista est medicina retrahens a peccato respectu illius, ita respectu illius cessat reservatio.* Quinimo hac de causa Ioan. Marin (*l. c. in text. n. 115.*) censuit, argumentum in adversarios retorqueri posse.

quinq. cas. Lib. 2. cap. 40. n. 29. — Spörer, de Poenit. n. 735. — Ronc. de Poenit. q. 7. c. 2. q. 4. — Viva, de Poenit. Q. IX. art. 3. n. 3.—Burghaber, Cent. 3. Cas. 31.—Quarti, De Cas. Reserv. sect.2. cap. 3. q. 6. — Quintanadv., Sing. Theol., tr. 3. Sing. IX. n. 1.

Ideo ignorantia (ait) *non excusat iuxta adversarios, quia reservatio est medicinalis... Sed quod reservatio sit medicinalis, probat, eam non incurri ab invincibiliter ignorante;* et concludit verbis Sanchezii (*l. c. in text. n. 13.*) circa censuras: *Non esset medicina, sed potius obesset, si ignorata incurreretur.*

** Viginti columnas (*Pag.515–525.*) contra hanc *Notam* VV. impendunt, ita tamen ut tantum non dixeris, universa in iis contenta mere ad augendam molem voluminis deservire, adeo deest iis quidquid vel speciem alicuius momenti habeat. Breviter rem expediemus.

Contra primam *Notam* huic quaestioni additam obiiciunt VV. (*Pag.519.*), quaestionem omnem prorsus solvendam esse ex definitione reservationis, quae est *restrictio iurisdictionis Confessariorum;* illud unum tamen addunt, superesse solum inquirendum, *an tituli legitimi existant,* propter quos *aliquando valide absolvere a reservatis confessarii queant:* hos autem titulos revocari vel ad expressam aut tacitam Superioris concessionem, vel ad *probabilitatem*, quod in quibusdam adiunctis Superior non possit aut nolit sub reservatione peccatum aliquod comprehendere. — Resp. Quaestio, an adsit *Declaratio Ecclesiae*, aut *tacita Ecclesiae approbatio*, aut *tacitus Episcoporum consensus*, quod aliquando Confessarii a reservatis absolvant; item an probabile sit, in quibusdam adiunctis Superiorem non posse aut nolle reservatione sua comprehendere aliquod peccatum, haec (inquam) quaestio non solvitur ex ratione, quod *reservatio sit restrictio iurisdictionis*. Ergo verissimum est, et VV. ipsi id fatentur, quod velle impugnare videntur, nempe ad solvendam quaestionem, an peccatum cum ignorantia reservationis commissum lege reservante comprehendatur, frustra obiici (prouti in Nota indicabatur) reservationis definitionem, quod scilicet *haec essentialiter sit iurisdictionis restrictio.*

Instant VV. (*l. c.*), nulla, ne tenui quidem ratione probari potest, quod Episcopi comprehendere nequeant, aut nolint eos, qui reservationem ignorant. Et (*Pag. 517.*) afferunt verba Amort aientis: *In omnibus antiquis ritualibus, in quibus de casibus reservatis agitur, absolutio a casu reservato invalida declaratur, sine ulla exceptione ignorantiae.* — Resp. Voluntas Legislatoris desumitur ex verbis legis, adhibitis communibus principiis ac regulis de legum interpretatione, quae Legislatoribus non praesumuntur incomperta. Quando itaque de vi legum in circumstantiis aut ignorantiae aut gravis metus ex communibus principiis quidpiam statuitur, profecto legislatoris menti ac voluntati prorsus fit satis. Additam vero ex Amort animadversionem merito quis dixerit prope puerilem. Et sane numquid quia dum Sedi Apostolicae reservatur absolutio alicuius censurae, *nulla fit ignorantiae exceptio,* idcirco concludere licet, absolvi ab aliis non posse illum, qui delinquens censuram delicto adnexam ignorabat?

Instaurant VV. (*Pag. 521–522.*) obiectionem in *Nota* iam tactam, nimirum quosdam auctores distinguere inter reservationem poenalem, ac mere medicinalem; hac autem posteriori attingi etiam peccata cum ignorantia reservationis commissa. — Resp. 1° Isti ergo auctores a reservatione immune censent eiusmodi peccatum, quando reservatio *poenalis* est. Ergo et isti falsam habuerunt rationem, quae contra petitur ex reservationis natura ac definitione, nimirum quod sit restrictio iurisdictionis, quae tamen potissima, ne dicam unica, est, quae in hac quaestione contra afferri solet. — Resp. 2° Nonne demum et VV. ipsi (*Pag. 518.*) in id conveniunt, reservationem omnem ex sua quodammodo natura dicendam esse *poenalem?*

— *Ioseph De Ianuar. Resol. select. res. 1.* — *Ioan. Marin, Th. specul. et mor. Disp. XI. sect. 2. a n. 90. ad 120.* — *Adde Diana,* et Nicolaum Mazzotta, qui (*Tr. 6. Disp. 2. Q. 3. Cap. 2. q. 2.*) pro eadem sententia allegat etiam Navarrum, Coriolanum, Chapeauville, Malde-

Bene Aversa (*Q. 17. Sect. 1.*): *Generaliter omnis reservatio fit ad absterrendos homines a talibus peccatis perpetrandis, et hoc modo in odium delicti, et correctionem ac iustam quandam vexationem delinquentis.* Et reipsa distinctio, qua reservationes dicantur aliae *ad bonam Ecclesiae administrationem pertinentes,* aliae *medicinales,* aliae *poenales,* non tam indicat diversas reservationis species, quam multiplicem cuiusvis reservationis finem: quatenus scilicet ad bonum Ecclesiae regimen confert, quod reservatio timore poenae et difficilioris absolutionis a lapsu compescat ac retrahat. Proinde sicut ignorantia excusat ab incurrendis censuris, quae non desinunt esse poenae, quamvis sint in medicinam et ferantur ad bonum Ecclesiae regimen; ita et reservatio, quantumvis referatur ad bonam Ecclesiae administrationem, cum tamen habeat rationem poenae, ex generaliori principio ab ignorante non incurritur: eo vel magis, quod quando non adest cognitio reservationis, iam et esse desinit medicina a peccato retrahens. Caeterum mirum videri potest, quod quidam AA. hic quidem a reservatione ignorantem non excusant, quando reservatio etiam *medicinalis* est et non mere *poenalis;* agentes vero de poena *irregularitatis ex delicto,* contendunt, poenae ignorantiam non excusare ab ea incurrenda, quia est mera poena, non vero etiam medicinalis!! Quaenam hic in statuendis principiis cohaerentia theologo digna?

Hic vero VV. (*Pag. 518.*) vires convertunt ad generale quoque principium impugnandum de ignorantia, quae a poenis excuset. Allegant itaque 1° Ioannem Corradum, qui negat ignorantiam excusare ab incurrendis suspensione, interdicto, et irregularitate; ab incurrenda autem excommunicatione tunc solum excusare, quando *in foro Dei* abest omnis culpa. 2° Allegant deinde Suaresium, negantem ignorantiam solius poenae excusare ab irregularitate ex delicto. — Resp. *Transeat totum.* S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 351.*) docet, hanc Suaresii opinionem posse posthaberi; quinimo S. Doctor (*Ibid.*) advertit, etiam oppositam opinionem a Suaresio probabilem iudicari. Quod vero attinet ad anomalas illas Io. Corradi opiniones, nosse VV. plane debent, eas a S. Doctore Alphonso non probari.

Obiiciunt VV. (*Pag. 517.*), Iacobum de Graffiis immerito allegasse pro se Navarrum; atque adeo in hac re nequaquam se probasse, qualis sup. in *Nota* exhibetur, *auctorem nempe Theologiae et SS. Canonum scientia notissimum.* — Resp. *Transeat Antecedens;* et *Nego Consequentiam.* Dixi 1° *Trans. Antec.* Nam in Navarri allegatione merus error aut typographi aut certe memoriae deprehenditur; quippe reipsa Navarrus eo Capite 27. n. 16., et rursus n. 274., ad quem priori loco remittit, ea principia perspicue proponit, unde conclusio Graffii sponte profluit. Dixi 2° *Nego Conseq.;* idque non possunt VV. improbare; si enim vel una minus exacta allegatio sufficiat, ut in ea quaestione totum auctoritatis pondus Scriptori prorsus deficiat, quid enimvero de S. Doctoris Alphonsi auctoritate in tot controversiis concludendum foret?

Obiiciunt VV. (*Pag. 523.*), iuxta Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 20. n. 9.*) *praxim esse omnium Religionum, ut ignorantia reservationis non tribuat facultatem absolvendi poenitentem, qui reservationem ignoravit.* — Resp. *Trans. Antecedens; Nego Conseq.;* neque enim par est, iuris communis normam desumere ac dimetiri ex iis, quae in Religiosis Ordinibus pro speciali religiosae perfectionis scopo, proque diligentiori disciplinae regularis custodia servari forte aliquando consueverint. Caeterum tantum non lepidum id est, quod VV. (*Pag. 523.*) in hanc rem referunt ex Gobat, cuius

rum, Reginaldum, et Bassaeum. Praeter alios his addi possunt Fagundez (*De praec. II. Ecclesiae Lib. 8. C. 1. n. 28.*), Hurtado Thomas (*Variar. Resol. Tom. II. Tr. 12. Cap. 1. n. 1123.*), Hurtado Petrus (*In 2. 2. Tom. I. Disp. 84. Sect. 1.*), Merolla (*Disp. in Univ. Theol. Mor. Tom. 1. Disp. 1. Cap. 2. dub. 2. n. 50-52.*), Mendoza (*apud* Illsung, *Tr. 6. Disp. 6. n. 223.*), Palaus (*Tr. 2. Disp. 1. Pun. 17. n. 8.*) etc. etc.

QUAER. 2° *An ignorantia saltem excuset a reservatione, quando cum censura coniungitur?*

haec verba describunt (*Ex Tract. 7. n. 561.*): *Nec censeo, Confessarium regularem praestiturum fidelitatem, quam debet suo Praelato, si nactus poenitentem implicitum tali casu, ignarumque reservationis, absolvens ex opinione Quintanadvenae non dicat expresse: Te quidem absolvam hac vice; scito autem, te imposterum non posse a me absolvi sine expressa facultate Superioris.* Numquid enim postquam poenitenti indicaverit, illud peccatum esse reservatum, non cessat eo ipso ratio, propter quam poterat confessarius illum a reservato absolvere?

Obiiciunt VV. (*Pag. 523.*) cum Leonardo Iansen: *Ignorantia poenitentis non facit, ut Confessarius accipiat iurisdictionem in peccatum, in quod alias non habebat; et certo si haec sententia teneret, sola peccata Theologorum essent reservata, cum hi soli sciant casus in specie reservatos.* — Resp. Aut iste Leonardus Iansen nosse potuit, quantam vim habeant eiusmodi argumenta seu potius ineptiae, aut tanta vi criterii non pollebat. Si primum, ergo sciens prudensque fucum facere voluit; si alterum, cur scribendo de rebus theologicis, minerva prorsus invita, se ingessit? Utrum horum dicatur, non est scriptor eiusmodi, quem deceat in scenam vocasse. Nemo unquam dixit, ignorantiam reservationis efficere, ut accedat facultas, quae deesset; quod recte dicitur, hoc est, eiusmodi circumstantiam efficere, ut casus sub legem reservationis non cadat, seu, aliis verbis, legem reservantem non comprehendere peccatum cum ignorantia huius poenae patratum. — Ad alterum vero reponi potest, siquidem ad sciendam peccati cuiuspiam reservationem oporteat esse theologum, facile fideles omnes evasuros ita theologos; cum enim prima vice eiusmodi culpam confiteantur, iam hac scientia theologica exornati domum redibunt.

Denique, ut plura inutilia omittamus, obiiciunt VV. (*Pag. 524.*) 1° suam ipsorum sententiam negantem *optimo iure dici posse communissimam;* 2° *paucos esse adversae sententiae defensores, et eorum plerosque inter clariores et notiores, maioreque auctoritate pollentes non numerari.* — Resp. Qui absolute tenuerint negantem opinionem, VV. enumerant quindecim; dabimus, quosdam alios addi posse; veruntamen cum saltem totidem adversarii facile enumerari queant, ut patet ex allatis in textu, quibus et plures alii adiungi possunt, iuxta quosnam, quaeso, canones *iure optimo communissima* ea opinio dici poterit? Insuper pro eadem opinione VV. (*Pag. 523-524.*) haec demum nomina promunt: *Illsung, Mendo, Potestas, Herincx, Concina, Holzmann, Engel, Antoine, Ferraris, Voit, Reuter, Croix, Leonard. Iansen, et Cuniliati.* Cum hac porro Auctorum supellectile num amplius suppetit ipsis locus exprobrandi adversae sententiae, quod patronos habeat, quorum plerique *inter clariores, et notiores, et maiore auctoritate pollentes non numerantur?*

Sed de his iam satis. Illud unum non praetereundum, quod VV., dum tot tantosque pro se patronos iactant, nullam rationem intrinsecam apud quempiam repererint, quam pro sua promere sententia hic potuerint. Curnam id autem, nisi quia quae validissima censeri possunt, sunt omnino illius ponderis, quod inesse argumentis Leonardi Iansen superius vidimus?

Resp. 1° *Affirm.* pro casibus *papalibus*, quia casus papales, excepta falsa de crimine sollicitationis accusatione, reservantur propter censuram, a qua excusat ignorantia, ut modo dictum est. Proinde, sublata censura, nulla remanet reservatio. — *S. Lig. n. 580., et alii communiter.*

Resp. 2° Pro casibus *episcopalibus* non una est Doctorum sententia. Pro affirmativa inter alios *Aversa* asserit, Doctores communiter in hac doctrina convenire (*a*). Melius tamen *Suarez, de Poenit. D. 29. sect. 2. n. 7.*, concludit, consideranda esse verba reservationis, consuetudinem, et reservantis potestatem (*b*).

572. — Quaer. 3° *An censendum sit reservatum peccatum in dubio de reservatione?*

Resp. 1° *Neg.* prorsus, si dubium sit *facti*, id est, si peccatum fuit dubie commissum, aut dubie grave. Ratio est, quia reservatio est strictae interpretationis, atque adeo intelligenda est de peccatis certo gravibus. Neque enim Ecclesia intendit reservare peccata, nisi sint certo commissa, et certo mortalia, cum peccata tantum atrociora reservare soleat. — *Ita communissime cum S. Lig. n. 600.*

Resp. 2° *Neg.* etiam si dubium sit *iuris*, id est versetur circa existentiam legis reservantis, eiusve extensionem; eadem autem est ratio, quia nempe reservatio est strictae interpretationis, ac proinde in dubio pro nulla habenda est. — *Ita communiter.* — *S. Ligor. n. 600.* — *Lugo, ibid.* — *Elbel, n. 343.*, etc. — Contra *Antoine*, etc.

573. — Quaer. 4° *Utrum absolvi possit subditus alterius dioecesis, si casus est reservatus tantum in loco confessionis?*

Resp. Communius recentiores *negant*. Ratio eorum est, quia Confessarius habet iurisdictionem a proprio Episcopo restrictam.

Affirmant tamen alii (*c*) cum antiquiorum communissima sen-

(*a*) *Posset quidem simpliciter tolli censura, et remanere reservatio peccati. Realiter tamen et concomitanter ita se habet, ut ablata censura eo ipso cesset et peccati reservatio...; et, si excusetur quis ab incurrenda censura, quamvis non a culpa, ut contingere potest ob ignorantiam, excusetur pariter a reservatione ipsius culpae... Et in hac doctrina communiter Doctores conveniunt.* Ita Aversa (*De Poenit. q. 17. Sect. 11. §. Sexto*).

Pro contraria sententia ratio haec afferri solet (*Vid. S. Alph. Lib. 6. n. 582*), quod *in hoc differant casus papales ab episcopalibus, quod in papalibus principaliter et indivisibiliter reservatur censura; in episcopalibus vero principaliter et per se reservatur casus, eique adnectitur censura*, etc. At ista, uti patet, non praeferunt argumentum, quo sententia firmetur, sed aliis verbis sententiam ipsam repetunt.

(*b*) *Dico, etiam in excommunicationibus reservatis Episcopis per eorum Statuta vel sententias non statim haberi, quod ipsa peccata in se maneant reservata; quia, ut dixi, duo illa sunt distincta; imo interdum potest reservari censura et non culpa. Consideranda ergo sunt verba reservationis, consuetudo, potestas reservantis.* Ita Suarez.

Caeterum quisquis existimet, sat probabilem esse doctrinam superius (*praec. quaest.*) relatam, quae generatim ignorantes excusat a reservatione, non multum momenti in secunda hac quaestione inesse putabit.

(*c*) Marcus Struggl egregius ex Ordine Serv. B. Virg. Theologus et

tentia. Ratio horum est (*a*), quia Confessarius absolvit hunc poenitentem iurisdictione indirecte communicata ab huius Ordinario; et cum hic peccatum illud sibi non reservaverit, eo ipso iurisdictio-

S. Alphonso coaevus (*Th. Mor. Tr. XI. Q. 3. art. 4. n. 48.*) ita de hac re ex communi, ut inquit, sententia: *Poenitens peregrinus potest a quolibet legitimo Confessario absolvi, quando affert casum in dioecesi Confessarii reservatum, non vero in dioecesi poenitentis. Ita cum Mezger et aliis communiter Babenstuber.* Oppositam autem sententiam rationibus sane infirmis primus invexit Suarez, qui idcirco ne unum quidem, quem pro ipsa allegaret, auctorem habuit.

(*a*) Ratio petitur ex doctrina, quae instar axiomatis penes omnes est, quod nempe *Iurisdictio dari debet a Superiore eius, qui absolvendus est*, ut ait Dicastillus (*Tr. 8. Disp. 10. n. 245*).

Quisnam autem sit hic Superior, Fagnanus (In *C. Omnis utriusque n. 52. et seq.*) sic exponit: *Nota, confessionem sacramentalem faciendam proprio sacerdoti dumtaxat, et non alieno nisi de proprii sacerdotis licentia... Quia confessio sacramentalis est actus iudicialis... Natura autem et ratio iudicii postulat, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, cum non a suo iudice ligari nullus valeat vel absolvi... Unde persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et Tridentina Synodus verissimum esse confirmavit..., nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Et quidem haec *ex iure divino* tenenda esse, superius (*in Not. ad n. 555.*) indicatum fuit.

Hinc Fagnanus consectarium deducit (*ibid. n. 70.*), de iure communi peregrinos *per se* non posse absolvi: *De iure communi nullus sacerdos potest absolvere poenitentem sibi non subditum etiam in illa dioecesi, in qua est approbatus.* Exinde Eusebius Amort (*Theol. mor. Tr. 13. §. 17. q. 5. 6.*) ad quaestionem, *An Episcopus aut alius confessarius habeat iurisdictionem in dioecesanos alterius Episcopi*, sine ambagibus respondet (*q. 6.*): *Non habet, nec eam potest aliis delegare in alterius Episcopi subditos sine expressa vel tacita illius Episcopi concessione... Patet ex Actis Conciliorum, ubi prohibetur... Episcopis, ne recipiant alienum... dioecesanum ad Sacramentum sine proprii Episcopi... consensu.* Et praemiserat de eadem re: *Probatur ex constantia observantiae Ecclesiae, quae viguit in toto orbe usque ad saeculum XV, etc.* Absolvi itaque advenae possunt tantummodo auctoritate, quae ratione aliqua a poenitentis Ordinario sit delegata. Unde Pichler (*Lib. 5. Tit. 38. n. 14.*): *Potestatem sibi tacite delegatam obtinent, qui peregrinos et advenas... confitentes absolvunt.*

At vero si sacerdos peregrinos absolvit potestate ab Ordinario poenitentis delegata, quantam hic sibi communicaverit, debet attendere, non vero qualem et quantam Ordinarius proprius pro suis subditis sibi concesserit. Egregie Schmalzgrueber (*Lib. 1. Tit. 29. n. 31.*): *Delegati potestas ex auctoritate et potestate delegantis metienda est, et ex mandato concesso. Nam delegatus in iurisdictione sibi concessa vices delegantis gerit.* Iurisdictionis ergo maior minorve restrictio, modus nempe ac mensura reservationis, quando de advena seu peregrino absolvendo agatur, e legibus dioecesis, ad quam hic pertinet, desumi debet, minime vero e legibus reservationis, quas Ordinarius sacerdotis pro suis subditis praestituerit.

Quae quidem principia, divinae sacramenti huius oeconomiae plane cohaerentia, Ioannes Stoz (*Trib. Poenit. Lib. 2. q. 2. §. 5. n. 64.*) ad praesentem casum peccati reservati in dioecesi Confessarii, non vero in dioecesi poenitentis aptissime sic applicat: *Confessarius viatorem ex aliena dioecesi venientem absolvit per iurisdictionem ab Episcopo vel parocho viatoris ex recepta consuetudine delegatam. Atqui* (ex hypothesi) *haec non est*

nem quoad illud non restrinxit. — Sic Armilla, Caietanus, Navarrus, Bartholomaeus Ugolini (*De Offic. et Potest. Episcopi Cap. 39. §. 6.*), Barthol om. Medina (*Istruzione pei Confessori, tradotta dallo*

ab iis ullo modo restricta. Ergo etsi confessarius vi suae ordinariae iurisdictionis (quam nempe habet ab Ordinario suo) *non possit a casu in sua Dioecesi reservato subditum suum absolvere, potest tamen vi iurisdictionis delegatae absolvere viatorem ex alia Dioecesi, in qua casus ille non est reservatus.* Quam rationem reddit etiam Reuter (*De Poenit. n. 571.*), inquiens: *quia absolvit vi iurisdictionis delegatae ab Episcopo, qui peccatum illud non reservat.*

Rationem autem, cur in casu advena a reservationibus alienae dioecesis, in qua confitetur, sit immunis, alio quoque modo tangit Ugolinus (*De offic. et potest. Episc. Cap. 39. §. VI. n. 1.*), ubi scribit: *Primum igitur in hos casus reservatos non incidit, qui ei subditus non est, qui casus reservavit.* Eandemque rationem praemissae thesis reddidit Marcus Struggl (*l. c.*): *Ratio* (inquit), *quia reservatio peccatorum non valet, nisi circa subditos Episcopi reservantis.*

Neque vero haec ad singulares opiniones, sed ad communia principia pertinent. Et sane Arriaga (*De Poenit. Disp. 40. n. 4.*) quaerens: *Quorum peccata possint reservari;* respondet: *Eorum omnium, supra quos habet iurisdictionem, qui reservat.* Quod idem et Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 20. n. 9.*) ceu generalem canonem statuit: *Eorum peccata posse reservari, qui subditi sunt reservanti.* Quocirca aptissime Amort (*De Poenit. Disp. 9. q. 1.*) reservationem ita definit: *Est restrictio iurisdictionis in* SUBDITOS. Quin et Tridentina Synodus id ipsum adstruit, inquiens, posse Episcopos reservare peccata *pro illis in* SUBDITOS *tradita auctoritate.*

Pulchre autem Engel oppositae sententiae patronos (*Man. Paroch. Part. 3. Cap. 2. n. 7.*) sic perstringit: *Quaero: quando casus poenitentis non est reservatus in propria dioecesi ipsius, an debeat remitti ad Episcopum proprium, vel ad Episcopum loci, ubi confitetur? Non ad proprium, quia ille casum sibi non reservavit; non etiam ad Episcopum loci, ubi confitetur, quia non est ipsi subditus, et reservationes casuum tantum intelliguntur circa subditos* (*Trid. Sess. 14. c. 7.*); *sunt enim introductae, ut quilibet Episcopus suos, non alienos subditos, in officio contineat.* Et pari modo arguit Paulus Mezger (*Theol. Schol. Tr. 18. Disp. 49. art. 2. §. 2. n. 25.*): *Reservatio casuum ab Episcopo facta non est, nisi circa suos subditos; sed ex hypothesi confitens non est huius Episcopi subditus, in cuius dioecesi confitetur; ergo neque circa ipsum valet reservatio. Et quo talis poenitens esset remittendus? An ad Episcopum proprium? Sed apud ipsum casus non est reservatus. An ad alienum? Sed ille nullam habet iurisdictionem in alienum subditum.*

Haec porro, licet pro quaestionis gravitate nimis pauca, annotationis brevitati sufficiant. Caeterum difficultates, quibus rem per se et apud antiquiores simplicissimam recentiores implicarunt, utique longioris tractationis materiam operae pretio dignam suppeditarent.

** Mirum sane, quod VV. octodecim solummodo columnas (*Pag. 525-533.*) contra hanc *Notam* scripserint, cum alioquin quaestio nonnisi gravissimi momenti videri ipsis potuerit.

Obiiciunt itaque, *immerito* in Nota *affirmari, instar axiomatis penes omnes esse, quod iurisdictio dari debet a Superiore eius, qui absolvendus est.* — Resp. Instar axiomatis ea assertio habenda est, quia est certa Ecclesiae doctrina in Conciliis Oecumenicis definita, ut ostensum (*Sup. in Not. ad n. 555. Q. 13.*) iam est, et simul (*ibid. n. 12, 13.*) patefacta est nullitas ratiunculae contra a VV. prolatae. Omissa ibi fuit responsio ad quaedam verba, quae VV. (*Pag. 527.*) ex Coninck addiderunt. Responsum VV.

Spagnuolo Lib. 1. cap. 10. §. 3.), Dicastillus (*De Poenit. Disp. XI. n. 242.*), Alphonsus Vega (*Apud Leandr. de Sacram. Tom. 1. Tr. 5. Disp. 12. q. 27.*), Fagundez (*De Praec. II. Eccl. Lib. 8. Cap. 8.*

habeant in hisce aliis eiusdem Coninckii verbis (*De Poenit. Disp. 8. n. 31*): *Quando poenitenti conceditur facultas eligendi sibi confessarium, aut alicui certo confitendi..., ipse poenitens non dat confessario ullam iurisdictionem, sed tantum designat,* CUI SUPERIOR, *hoc ipso quod eligitur,* DAT IURISDICTIONEM. *Nam hoc ipso, quo Superior alicui concedit potestatem eligendi confessarium,* DAT ELIGENDO IURISDICTIONEM *sub hac conditione, si eligatur.* Numquid non perspicue dicit Coninck, iurisdictionem a poenitentis Superiore tribui?

Ad reliqua, quae in Nota leguntur, scribunt VV. (*Pag. 528.*): *Principia generalia, quae P. Ballerini hic affert, certa atque explorata et ab omnibus recepta sunt, nemine contradicente. Unde opus non fuit singulorum Auctorum testimonia pro ipsis adducere.* — Resp. Deo gratias! At si principia ista sunt certa et ab omnibus recepta; ergo, ipsis fatentibus, 1° certum est, *confessionem faciendam esse proprio sacerdoti, et non alieno, nisi de proprii sacerdotis licentia.* Cur ergo (*Pag. 511.*) contendebant, nihil inquirendum, an *Episcopus advenae consentiat, et non reclamaverit?* — 2° Certum ergo est, *naturam iudicii sacramentalis de iure divino postulare, ut sententia in subditos dumtaxat feratur.* Cur ergo (*Pag. 530.*) ad absolvendum advenam VV. dicunt cum Voit, *peti posse facultatem a loci Ordinario,* cuius advena non est subditus? — 3° Ergo certum est, *quod Episcopus non habet iurisdictionem in alterius Episcopi subditos, nec idcirco potest eam aliis delegare;* atque adeo *sacerdotem, qui peregrinos et advenas confitentes absolvit, potestatem sibi tacite ab advenae Ordinario obtinere.* Cur ergo (*Pag. 511.*) contendunt, *iurisdictionem esse a consuetudine, et nequaquam ex Episcoporum* (advenae) *voluntate, nec de eorum dissensu curandum?* — 4° Ergo, ipsis fatentibus, certum est, *potestatem sacerdotis, delegati ad advenam absolvendum, dimetiendam esse ex delegantis* (Ordinarii scil. advenarum) *potestate, et ex mandato concesso;* atque adeo *mensuram iurisdictionis et reservationis desumendam esse a legibus dioecesis, ad quam advena pertinet, non vero a legibus reservationis, quas statuerit loci Ordinarius, cui advena nullatenus est subditus.* Cur ergo VV. ipsi in tota hac controversia nunquam non contendunt, inquirendum esse, an sacerdos, advenae confessionem excipiens, iurisdictionem restrictam habeat a loci Ordinario, qui in advenam nullam habet iurisdictionem, quam possit restringere vel non restringere?

Veruntamen cum praedicta principia *certa, explorata, et ab omnibus recepta in Nota* exprimantur verbis Fagnani, Amort, et Schmalzgrueber, VV. (*Pag. 528.*) ex Fagnano obiiciunt, *casuum reservatione solam personam Confessarii, cuius iurisdictio restringitur, affici, et non nisi indirecte poenitentem. Ergo* (inquiunt VV.) *Confessarius, cui circa certa peccata iurisdictio absolute et indistincte ablata est* (scil. non est concessa a suo Ordinario), *nullum poenitentem eiusmodi peccata confitentem absolvere nullamque alieni Episcopi delegationem sive tacitam sive formalem acceptare aut exequi potest.* — Resp. *Conc. Antec.* quod est Fagnani (*in C. Omnis utriusque n. 85.*); et *Nego* (quae non sunt Fagnani) *Consequens et Consequentiam.* Iurisdictio est potestas IN SUBDITOS. Ergo Episcopus potest restringere Confessarii iurisdictionem quoad *suos absolvendos subditos,* quia hanc ipse concedit; quoad alienos vero seu *non subditos,* nego *suppositum,* scilicet quod Episcopus habeat iurisdictionem quam aut conferat, aut restringat, aut relaxet. Numquid VV. nunc confessarium istum incapacem esse contendunt iurisdictionem ab alio Episcopo delegatam accipiendi? At non inter principia certa illud etiam fatentur ab omnibus receptum, *sa-*

n. 21.), Mendo (*In Bull. Cruciat. Disp. 23. Cap. 2. n. 23.*), Matthaeus Stoz (*Tribun. Poenit. Lib. 2. Q. 2. n. 64.*), Pellizarius (*Apud Mazzotta Tr. 6. Disp. 2. Q. 3. Cap. 2. q. 4.*), Petrus de Ledesma

cerdotem qui peregrinos et advenas confitentes absolvit, potestatem sibi ab advenae Ordinario tacite delegatam obtinere? Aut num forte Episcopus dioecesis A. poterit restringere iurisdictionem, quam Episcopus dioecesis B. ad suum ipsius absolvendum subditum delegat? Num poterit Episcopus restringere iurisdictionem confessarii saecularis, quem Praelatus Regularis ad suorum subditorum confessiones excipiendas elegerit? Sit conclusio: Causa, quae non aliis fulcris, quam quae VV. adhibent, innititur, conditionem suam satis superque facit palam.

Obiiciunt VV. (*Pag. 529.*): *Amort cum Schmalzgrueber absolute negant, peregrinos a Confessario simplici absolvi posse a peccato reservato in hac dioecesi, licet non in illa poenitentis.* — Resp. Amort eo loco (*Tr. 13. §. 22. Q. 26.*) reddit hanc rationem, quia *Episcopus potest prudenter confessariis circa graviora crimina negare iurisdictionem* etc. Porro haec dicit non de Episcopo poenitentis; nam hic ex hypothesi non reservavit illud peccatum; sed de Ordinario loci, ubi advena confitetur. Atqui Amort (vid. eius verba relata sup. in *Nota*) negat absolute, *Episcopum ullam habere aut posse delegare iurisdictionem in dioecesanos alterius Episcopi,* et VV. consentiunt, hoc esse *principium certum et ab omnibus receptum, nemine contradicente.* Ergo. Amort minus sibi cohaeret, et responsio ipsius falso innititur supposito: quippe peregrinus absolvitur iurisdictione ab eius Ordinario delegata, seu tacite concessa. Atqui restringere iurisdictionem ad eum pertinet, qui illam concedit, non ad alios, qui in poenitentem nullam iurisdictionem habent. Ergo. Addit (*ibid.*) Amort: *Addo, primis duodecim saeculis nulli fuisse licitum, se in ordine ad absolutionem sacramentalem subiicere alieno Episcopo aut parocho sine licentia sui parochi aut Episcopi.* At vero nonne ipse (vid. verba eius in *Nota*) ad saeculum XV. scripsit, id fuisse servatum? Et, quod caput est, num ignorabat, eam esse doctrinam, non disciplinarem, sed dogmaticam ab Oecumenicis Conciliis definitam ceu de iure divino, petitam nempe ex sacramenti essentia a Christo instituti? Sed iam nihil opus est confutando Amort tempus et operam insumere; suis ipse satis contradictionibus semet confutat.

Veniamus ad Schmalzgrueber. Hic opinionis suae (*Lib. 5. Tit. 38. n. 58.*) hanc reddit rationem, *quia reservatio non tam poenitentem, quam confessarium tangit, cui tollit iurisdictionem in casum reservatum.* — Atqui VV., ut vidimus, consentiunt, principium certum esse, iurisdictionem ad peregrinos absolvendos non a confessarii Ordinario, verum a delegatione Ordinarii peregrinorum provenire, qui ex hypothesi iurisdictionem non restringit. Ergo ratio a Schmalzgrueber adhibita falso laborat supposito. — Addit Schmalzgrueber allegationes Suarezii et Caietani. — Resp. De Suarezio paulo infra. Allegatio autem Caietani, ex Suarezio sumpta, duplici hic vitio laborat: 1° quia a Suarezio in alium scopum adducitur, ubi scilicet de peccato tractat in dioecesi *peregrini* reservato; 2° quia Caietanus etiam in eum scopum perperam allegatur. — Melius Schmalzgrueber praemiserat (*l. c.*), esse qui censuerint, *etiam in hoc casu absolvi poenitentem peregrinum ab ordinariis confessariis posse; quia cum non sit subditus illi Episcopo, reservatio ab illo facta non videtur huiusmodi peregrinum tangere.* Et hic quidem vir egregius rem acu tangebat. Sed levissime et obiter quaestionem tangens, abripi se, non secus ac alii plures, a Suarezii auctoritate passus est: in quo et sibi non fuit cohaerens.

Idem responsum sit quoad Pichler a VV. (*l. c.*) productum, quia (*Lib. 5. Tit. 59. n. 14.*) dixit, *probabilius* in casu peregrinum non posse absolvi. — Resp. Pichler rationem affert, *quia reservatio non tam poenitentem, quam*

(*De Sacr. Poenit. Cap. 12.*), Iacobus Graffius (*Apud Leandrum l. c.*), Naldi (*De Cas. Reserv. Sect. 2. Cap. 4. q. 2. et Sum. V. Cas. Reserv. n. 8.*), Quarti (*De Cas. Reserv. Sect. 2. Cap. 4.*), Iosephus de

confessarium, cui aufert iurisdictionem, respicit. Suar. Caiet. Atqui patet, eum e Schmalzgrueber transcripsisse, et insuper infeliciter sibi contradicere. Nam nunc supponit, iurisdictionem ab Ordinario confessarii profluere; atqui ipse paulo ante praemiserat: *Potestatem sibi tacite delegatam obtinent, qui peregrinos et advenas... confitentes absolvunt..., cum ex generali consuetudine censeatur adesse tacitus consensus proprii* (advenarum) *Episcopi.* Quid enimvero causae prosunt eiusmodi suffragia et suffragatores, ubi secum ipsi pugnant?

Obiiciunt VV. (*Pag. 529.*), Ioannis Stoz testimonium in Nota afferri truncatum. Nam (*l. c.*) sequitur: *Loquor autem hic de viatore tantum, et non de peregrino. Iste enim cum in loco peregrinationis habeat quasi-domicilium, est subiectus ordinariae iurisdictioni illius loci.* — Resp. Quaestio erat, et est de poenitentibus, qui *non sint subditi Ordinario loci.* Ergo quod habet Stoz de *peregrinis*, qui eo loci contrahant *quasi-domicilium,* cuiusmodi apud Auctores censeri solent v. gr. scholares, qui studiorum causa per maiorem anni partem in aliena dioecesi morantur, ad rem non faciebat; non ergo textum Stoz attulimus truncatum, sed par nobis non videbatur, ut rebus inutilibus paginae impleantur.

Obiiciunt VV. (*Pag. 529–530.*): *P. Ballerini ad probandam sententiam affirmantem, ex Ugolino, Arriaga, Cardinali De Lugo, et Eusebio Amort plures textus allegat, qui tamen nihil ad rem faciunt.* — Resp. Sensus textuum, qui in *Nota* afferuntur, iste est, ut verbis utar Ugolini: *In casus reservatos non incidit, qui ei subditus non est, qui casus reservavit;* aut verbis Card. De Lugo: *Regula generalis est, eorum peccata posse reservari, qui subditi sunt reservanti in hoc foro sacramentali.* Et cum quaestio sit, an reservationi subiiciantur illi, *qui subditi non sunt reservantis,* curnam vero aut quomodo illi textus ad rem non faciunt? Nonne quaestioni directe et aperte responsionem reddunt negantem?

Addunt VV. (*Pag. 530.*), iis, quae allata in *Nota* sunt ex Engel et Mezger sic respondisse Voit (*Vol. 2. n. 840.*): *Potest* (advena) *remitti ad quemlibet confessarium propriae dioecesis, ubi facile absolvetur, cum non habeat casum ibi reservatum: vel potest in aliena dioecesi remitti ad alium confessarium, qui habet facultatem absolvendi a reservatis: vel saltem a Confessario petenda esset licentia ab Ordinario... absolvendi a reservato.* Ad haec VV. aiunt: *pulchre Voit!* Sed alius forte dicet: *non pulchre!* Nonne enim, ut sup. vidimus, VV. fatentibus, principium certum est, *Episcopum non habere iurisdictionem in subditos alterius Episcopi?* Num igitur *pulchre* Voit mittit confessarium ad quaerendam absolvendi facultatem ab eo Ordinario, qui nullam in eum poenitentem iurisdictionem habet? Aut num *pulchre* mittitur poenitens ad alium confessarium, utique praeditum ibi facultate pro reservatis, sed facultate data ab eo Ordinario, qui in hypothesi non potest delegare iurisdictionem, quam ipse non habet? Num demum *pulchre* Voit aliud remedium non reperit, nisi ut poenitens ad suam dioecesim remittatur, et v. gr. advena romanus ab urbe Neo-eboracensi in America Romam remittatur, ut possit absolvi? Et doctrina, huiusmodi habetne forte verisimilitudinis, ne veritatis dicam, speciem aliquam?

Ad id, quod in *Nota* dictum fuerat, quod *oppositam sententiam rationibus sane infirmis primus invexit Suarez, qui idcirco ne unum quidem, quem pro ipsa allegaret, auctorem habuit,* reponunt VV. (*Pag. 531.*): *Num sententia negativa rationibus sane infirmis sustentetur, iam superius vidimus.* — Resp. Atqui quidquid pro ea opinione VV. attulerint, hic iam

Ianuario (*Resol. Select. Res. 1. n. 8., et Resol. 8.*), Paulus Mezger (*Theol. Schol. Tom. 4. Tr. 18. Disp. 49. art. 2. §. 2. n. 15.*), Baucius (*apud Quarti l. c.*), Ludovicus Engel (*Manual. Paroch. Part. 3.*

expositum est. Utrum vero rationem aliquam firmam protulerint, aequus lector videre suis oculis hucusque iam potuit. Sed praestat omnino iam rationes a Suaresio allatas inspicere, unde etiam patebit, quam egregie huius opinionis patroni in ea defendenda et secum ipsi et inter se perpetuo pugnent; quod sane non est veritatis indicium.

Triplicem rationem pro sua hac innovatione profert Suaresius (*De Poenit. Disp. 30. Sect. 1. n. 6.*), qui alioquin non operose gravissimam hanc quaestionem tractat, sed paucis verbis levissime et obiter tangit. In primis thesim suam promit tamquam consectarium praemissae thesis, qua tribus falsis allegationibus innixus generatim statuerat, advenam afferentem peccatum in sua ipsius dioecesi reservatum a simplici alterius dioecesis confessario absolvi posse, si idem peccatum hic reservatum non sit. — Atqui per haec Suarezius ex falso antecedente gratuitum et prorsus reiectum consectarium deduxit, addita falsa Caietani et aliorum, quos non nominat (nec poterat nominare), allegatione.

Et de antecedente quidem suo loco dicetur. *Gratuitum* autem dicendum est consectarium; quia si qui putaverunt, poenitentem alienae dioecesis specialem aliquam ob causam seu necessitatem absolvi a suis reservatis posse, uti v. gr. Paludanus, S. Antoninus, et Caietanus, ea tamen principia adhibuere, quae nullam ansam ac rationem Suaresiano consectario deducendo aptam praebere possunt. Dixi *gratuitum* et *prorsus reiectum;* quia si qui ante Suaresium de hoc casu verba fecerunt, citra ullam controversiam contra Suaresium stant, uti v. gr. Barthol. Medina, et Ugolinus, Petrus Ledesma, Vega, Graffius a Leandro allegati (*Tom. 1. Tr. 5. Disp. 12. q. 27.*). Dixi, *si qui ante Suaresium etc.;* quippe apud reliquos veterum de hoc casu ne verbum quidem reperire est. Curnam vero? Quia scilicet eiusmodi quaestio per se nonnisi absurda videri illis merito potuit. Noverant nempe, advenam absolvi vi iurisdictionis ab advenae Ordinario collatae et nullo modo ex hypothesi restrictae; quorsum igitur quaererent, num alius Episcopus pro suis subditis restringeret iurisdictionem? Perinde enim esset, ac si quis serio quaereret, num Ubaldus a Praelato Regulari deputatus ad excipiendas monialium exemptarum confessiones, et simul ab Episcopo missus ad audiendas confessiones puellarum in Convictu degentium, absolvere puellas non posset a quibusdam peccatis idcirco, quia ea Praelatus Regularis sibi quoad moniales reservavit. Numquid non absurdam quisque diceret hanc de Ubaldo quaestionem ac dubitationem? Sed numquid minus absurda est in casu nostro quaestio, cum et hic de duplici distincta iurisdictione pro diversis respective subditis a diversis Ordinariis collata agitur?

Alteram rationem petit Suarez ex generali principio, quod alibi ipse acrius defendit, nimirum advenas teneri legibus locorum, ubi morantur aut per quae transeant. Unde (*l. c.*) scribit: *Licet ille alias non sit subditus, tamen tunc iudicatur ut subditus, et ut incola illius loci; ergo iuxta modum et iurisdictionem ibi concessam.*

Atqui 1° etiam S. Alphonsus (*Lib. 1. n. 156.*) generale illud principium habet ut minus probabile, ac minus communiter receptum. — 2° Suarez absolute docet, iurisdictionem ad advenam absolvendum ab huius Ordinario tribui; et in hanc rem addit (*Disp. 30. Sect. 1. n. 4.*): *Haec, quae diximus de concessione iurisdictionis directe facta confessori, cum eadem proportione locum habent in facultate concessa poenitenti ad eligendum confessorem.* Quid ergo sibi vult, quod modo ait, *advenam iudicari iuxta iurisdictionem ibi,* scilicet in loco confessionis, *concessam?* Nam aut si-

Cap. 2. §. 2. n. 7.), Marcus Struggl (*Theol. Moral. Tr. 11. Q. 3. art. 4. n. 48.*), Ludovicus Babenstuber (*Tr. 8. Part. 6. Disp. 6.*

gnificat, iurisdictionem tunc ab Ordinario loci concedi; et sic manifeste sibi contradicit, non secus ac supra vidimus secum pugnare Schmalzgrueber, Pichler, et Amort. Aut intelligit de iurisdictione ab advenae Ordinario tributa; et ecce etiam Lugo (*Disp. 20. n. 73.*) proclamat, quod si advena absolvitur vi iurisdictionis ab eius Ordinario collatae, *eius solus Episcopus potuit per reservationem auferre aut limitare iurisdictionem eius* (scil. Confessarii delegati), *non vero iste alius Episcopus, a quo non dependet.* Nec aliter Dicastillus (*Disp. 11. n. 241.*): *Si agamus de iurisdictione voluntaria et extra forum contentiosum, qualis est haec, tunc si ille confessarius habebat iurisdictionem saltem delegatam in illo Episcopatu, in quo non est reservatio, potest absolvere praedictum poenitentem, etiamsi casus sint reservati in Episcopatu, in quo est, dum confitetur; potest enim illum absolvere utens iurisdictione, quam habet in Episcopatu domicilii poenitentis, comparatione cuius iurisdictionis ille casus non est reservatus.*

Et plane hanc eandem rationem reddunt Doctores, cur Parochus in aliena dioecesi subditum suum absolvere possit a peccatis, quae ibi quidem sint reservata, non autem in sua ipsius dioecesi; quia scilicet ille non utitur iurisdictione a loci Ordinario accepta. Ita Arriaga (*De Poenit. Disp.39. n. 33–34.*): *Quia parochus proprius habet potestatem absolvendi, non ab Episcopo loci, ubi illi iam sunt, sed eius, unde exierunt: ibi autem illud peccatum non erat reservatum.* Ita et Edmundus Simonnet (*De Poenit. Disp. 9. art. 6. resp. 7.*): *Excipiendus est casus, quo quis ibi confiteretur proprio parocho: ibi enim posset ab illo absolvi, quia eius iurisdictio* PLANE INDEPENDENS EST *ab Episcopo loci, in quo casus est reservatus; sicque ab absolvendo impediri non potest per reservationem factam ab Episcopo loci, in quo ei suus subditus confitetur.* Et Lugo de eadem hypothesi (*Dip. 20. n. 73.*): Respondeo, negando consequentiam. *Ratio differentiae est, quia parochus ille prior non habet iurisdictionem ab hoc Episcopo, sed ab Episcopo proprio vel dependenter ab illo.* Et, ut alios omittamus, etiam Salmanticenses (*De Poenit. C. 13. n. 27.*): *Si parochus proprius simul veniret cum hoc peregrino suo subdito, posset hic illum absolvere sine licentia ad reservata ab illo peccato, quod in eius dioecesi non erat reservatum, licet hic esset reservatum... Immo si confessarius ille habeat iurisdictionem saltem delegatam in Episcopatu domicilii poenitentis, a quo discessit peregrinus, et in quo non erat reservatio, potest absolvere praedictum poenitentem, etiamsi casus sint reservati in Episcopatu, in quo est, dum confitetur; quia potest eum absolvere utens iurisdictione, quam habet in Episcopatu domicilii poenitentis, comparatione cuius iurisdictionis ille casus non est reservatus.*

Et hic subsumemus: Atqui advenam nunquam confessarius quilibet absolvit nisi utens iurisdictione a poenitentis Ordinario sibi *indirecte* concessa, ut Suarez ipse et cum Suaresio omnes iuxta dicta concedere debent. Ergo perperam statuitur, mensuram iurisdictionis, ut Suarez aiebat, desumendam esse a reservationibus Episcopatus, in quo advena confitetur. — At enim dices: Nonne et Arriaga, et Simonnet, et Salmanticenses cum Suaresio, si praedictum parochi casum excipias, in reliquis conveniunt, cum tamen et ipsi cum Suaresio fateantur, advenam absolvi iurisdictione ab eiusdem Ordinario concessa? Resp. prorsus ita; at hinc illud fac demum concludas, quod in hac quaestione passim in oculos incurrit, nempe quotquot planissimam, certisque innixam principiis doctrinam unanimem veterum Doctorum post infelicissima Henriquezii ac Suaresii vestigia deseruerunt, eos perpetuis se contradictionibus implicuisse, ac porro se implicent, opus esse.

Tertiam denique rationem sic Suarez proponit (*l. c.*): *Item quia ut*

art. 4. §. 2. n. 26.), Diana (*Tom. 1. Tr. 5. Resol. 39. n. 3.*); probabilem autem esse fatentur etiam Dominicus Viva (*De Poenit.*

iusta sit concessio, debet esse utrinque aequalis; et qui liberatur ab uno onere, debet sentire aliud, quod ex illo sequitur; sed talis persona potest absolvi a quocumque confessore de peccatis reservatis a suo Episcopo, si ibi reservata non sint: ergo e converso a peccatis ibi reservatis non poterit ab iisdem absolvi, etiamsi reservata non sint a suo Episcopo.

Resp. 1° Admisso isto ratiocinio, argumentum retorqueri optime posset. Nam cum secundum iura, ut infra videbimus, absolvi a suis reservatis nequeat advena, qui specialem ad id licentiam a suo Ordinario non obtinuerit, consequenter ut aequitas servetur, cum propriae dioeceseos onus advena ferat, immunis ab onere alterius dioecesis dici debet, atque adeo huius reservationibus non subiacere. — Caeterum Suaresiani argumenti non solum neganda est propositio *Minor*, sed etiam *Maior*. Generatim enim falsum est, ei, qui altero onere eximitur, necessario aliud onus subeundum esse: id autem in illo manifeste apparet, qui e territorio suo egreditur. Ex communi enim sententia hic e territorio suo egressus, ad speciales eiusdem leges servandas non tenetur; neque tamen idcirco ad servandas alieni territorii leges obstringitur. Itemque dum advena a servandis alieni territorii legibus exemptus dicitur, privilegiis tamen eiusdem loci posse eum frui communiter doctores tradunt. (Vide S. Alph. Lib. 1. n. 161.). Non itaque gratis assertum in *Nota* fuit, nonnisi rationibus plane infirmis Suaresium theoriam illam novam invexisse.

Sed ut ad VV. redeamus, ipsi demum (*Pag. 531-533.*) multos Auctores allegant, qui in sententiam Suarezii abierunt. — Resp. Missum nunc fiat, an omnes, qui ibi allegantur, ad rem faciant, quod v. gr. de Dicastillo, Filliuccio, et Illsung negari prorsus potest. Praestat nimirum brevius ac peremptorium responsum huic argumento adhibere. Reponemus itaque: promantur, et perpendantur rationes, quibus ad eam opinionem sequendam permoti ii Auctores videntur; ostendatur deinceps quot et quinam sint, quorum rationes non pugnent cum firmis illis et universim admissis principiis, quae ipsimet sibi nihil cohaerentes admittunt ac profitentur; tunc utique aliquid eorum auctoritati deferri poterit; secus autem venia detur, ut sine nota eorum auctoritas omnino posthabeatur.

Expendenda hic occurrit et Responsio S. Poenitentiariae 21. Novembris 1873., quam referunt *Analecta Iuris Pontificii* (*Fasc. 121. Febr. 1875.*). Casus his verbis proponitur: *Titius sacerdos ad tribunal poenitentiae accedens peccata exponit partim simpliciter reservata, partim etiam cum censura Episcopali in dioecesi confessarii. Dolet se* (sic!!) *hic, et humaniter admonet fratrem, ut se sistat habenti facultatem: sed ille instat pro absolutione, et dicit: quod confessor, cum non sit iudex opinionum, potest et debet absolvere poenitentem, qui vult sequi opinionem non solum probabilem, sed etiam communissimam inter theologos antiquos et viventes. Confessor firmus in sua sententia non acquiescit, et inabsolutum dimittit poenitentem. — Quaeritur* 1° *Utrum confessor bene se gessit? 2° Potest semper in casu ita se gerere? — Sacra Poenitentiaria, consideratis expositis, respondet: Ad utrumque affirmative.*

Iste casus, non secus ac alter simul propositus de simplici sacerdote, qui absolvit poenitentem in mortis periculo etiam a peccatis cum censura reservatis, cum alioquin non deesset alius confessarius facultatibus praeditus, isti casus, inquam, conficti sunt, ut satis patet, ad conflandam invidiam contra opiniones, quae proponenti non arrident; proindeque in utroque casu in scenam trahuntur etiam *theologi viventes.*

Secundum casum omittamus, circa quem S. Poenitentiaria respondit: *Orator consulat probatos auctores;* pauca quaedam de primo, qui ex mente proponentis ad huius *Notae* argumentum spectat. Dixi, *ex mente*

Q. 9. art. 3. n. 4.), Mazzotta (*l. c.*), Reuter (*De Poenit. n. 371.*), Elbel (*De Poenit. Conf. 14. n. 375.*).

proponentis; nam etsi nullatenus hoc exprimitur, proponens tamen, ineptissimo prorsus artificio, subinferre vult, sacerdotem poenitentem alterius esse dioecesis, idque insinuare tacite conatur per verba «*in dioecesi confessarii*»; sed inscite; quia hic dicendi modus apte usurpatur etiam ad distinctionem reservationum iuris communis seu provinciae, seu toti ecclesiae; imo, cum addit *censuras episcopales*, potius subindicat, ac supponit, poenitentem esse eiusdem dioecesis; neque enim scriptorem historiolae ita rudem theologicae rei putabimus, ut ignoret, peculiaribus dioecesis censuris advenas non subiacere, nisi forte agatur de lata per sententiam in foro externo, cuius tamen absolutio a simplici confessario quaeri nec solet nec potest.

Interim Analectorum Scriptor praecl. haec praemittenda gallico sermone censuit. Praefigit titulum: *Decisio S. Poenitentiariae. Casus reservati in dioecesi confessarii, nequaquam autem in dioecesi poenitentis.* Deinde quaestionem hanc proponit: *Confessarius potestne poenitentem absolvere a casibus reservatis in dioecesi* (subaudi *sua*, ubi confessionem excipit) *sed non reservatis in dioecesi poenitentis?* Et respondet: *S. Poenitentiaria de suo circa hanc quaestionem iudicio rogata, censuit, confessarium in iis adiunctis absolvere non posse sine speciali facultate Ordinarii reservantis. Hinc sequitur, fas non esse theologos, qui aliter sentiunt, tum antiquos tum recentes sequi.*

Veniam det vir praeclarissimus, ut candide his respondeatur 1° *Nego Antecedens.* Responsio enim S. Poenitentiariae sese latius non porrigit, quam proposita quaestio necessario ac perspicue exigat. Atqui verba, quibus quaestio proponitur, quaecumque demum mens fuerit inepti proponentis, nec necessario nec manifeste exigunt, ut intelligantur de sacerdote in ea dioecesi advena, quinimo inscite ea ibi permiscentur, quae poenitentem esse eiusdem, ac confessarius sit, dioecesis per se suadent, ac poenitentem Episcopo censuras ferenti subditum omnino postulant. Ergo tum proposita quaestio, tum S. Poenitentiariae Responsio ad controversiam de casu reservato in dioecesi tantum confessarii, non vero in Episcopatu poenitentis perperam pertrahuntur. Exinde vero neganda simul venit et consequentia a viro praecl. hinc deducta, videlicet post hoc S. Poenitentiariae responsum fas non esse sententiam sequi tum veterum tum recentiorum, qui scilicet teneant, reservationes dioecesanas neutiquam impedire, aut obstare posse, quominus absolvatur advena ab iis peccatis, quae huius Ordinarius pro suis subditis nequaquam reservavit. Et hoc quidem gravissima alia ratio suadet. Quo enim pacto quispiam denique probare poterit, S. Romanam Congregationem improbare voluisse praxim, quae innixa inconcussis catholici dogmatis principiis per omnia retro saecula in Ecclesia viguit, quousque suaresianae novitates gliscere paulatim et per cumulum assertionum sibi invicem contradicentium coeperunt inolescere?

Sed 2° liceat etiam respondere: *Nego hypotheticam consequentiam*, nempe etiamsi quis supponere velit, S. Poenitentiariae responsum ei quaestioni reddi, qualem vir praecl. confinxit, inde tamen consequi, fas non esse theologos sequi, qui aliam profiteantur sententiam. In primis enim quis illud ignorat, quod et Salmanticenses habent (*De Censur. Cap. 2. n. 56.*), nempe, *Quando S. Congregatio fert sententias innixa opinioni probabili, non auferre probabilitatem sententiae oppositae ita, ut hanc sequi non liceat?* Et reipsa nonne aliquando et S. Doctor Alphonsus responsa S. Poenitentiariae posthabuit, oppositaeque adhaesit opinioni? Vid. Lib. 6. n. 556.

Sed insuper eo vel magis in re praesenti haec valere debent, quando non de doctrinis S. Poenitentiaria exhibetur iudicans, sed de confes-

QUAER. 5° *An absolvi possit subditus alterius dioecesis, quando peccatum reservatum est in ipsius dioecesi, non autem in loco confessionis?*

sarii actu, sit, nec ne, improbanda eius ratio agendi. Et sane hic confessarius in hypothesi putasset sibi licere doctrinam sequi, quam S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 588.*) *communiorem ac longe probabiliorem* dixit. At vero si res ita se habet, quomodo S. Poenitentiaria id improbasset, dum alias ad Quaestionem ei propositam, *An sit inquietandus Confessarius, qui omnes B. Alphonsi de Ligorio sequitur opiniones in praxi S. Poenitentiae tribunalis,* 5. Iul. 1831. responderat, *Negative?* At enim fuitne, aut esse nunc potest mens S. Poenitentiariae, ut, dum Confessarium non improbat, qui in praxi tribunalis poenitentiae opinionem adoptat S. Doctoris Alphonsi, idcirco eo ipso neget, fas esse aliis oppositam sequi sententiam? Atqui eiusmodi consectarium reiicit ipsa S. Poenitentiaria, et quidem illud reiicit in eadem prorsus responsione; prosequitur enim: *Quin tamen reprehendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.* Ergo consequentia, quam vir praecl. in sua hypothesi deducit, ab ipsa S.Poenitentiaria non admittitur.

Illud etiam hic non omittatur, minus ad rem, quin et inscite in casu sacerdotem poenitentem induci confessario obiicientem, *quod confessor, cum non sit iudex opinionum, potest et debet absolvere poenitentem, qui vult sequi opinionem non solum probabilem* etc.; non enim in casu ullatenus agitur de absolutione, quae denegatur poenitenti, quod hic sequi velit opinionem probabilem. Porro iste, et non alius est casus, de quo et S. Alphonsus et theologi communiter statuunt, huiusmodi poenitenti absolutionem negari non posse.

Praestat denique quoad huius Notae argumentum diluere dubium, quod in theologorum libris frustra quaeres, sed per ora quorundam fertur. Aiunt quidam nimirum, advenam a reservatis in confessarii dioecesi absolvi non posse, non quia desit iurisdictio collata ab advenae Ordinario, qui illa peccata non reservavit, sed quia confessario deest proprii Ordinarii approbatio. Quippe (dicunt) dum Ordinarius reservat quaedam peccata, eo ipso quoad illa peccata coarctat confessarii approbationem. Deficiente itaque approbatione, eo ipso confessarius incapax evadit accipiendi a quovis alio Ordinario iurisdictionem, eaque utendi circa illa peccata; atque adeo perinde fore, ac si quis confessario non approbato confiteatur, cuius absolutionem Synodus Tridentina nullam et irritam esse sanxit. Ita isti neo-theologi.

Nonnihil itaque et de hoc dubio. Et in primis mirum enimvero videri potest ac porro debet, quod cum haec via tam facilis ac prorsus obvia in promptu esset, qua praesens quaestio peremptorie solveretur, tot tamen inter Doctores, qui ab Tridentina Synodo ad nos usque per tria saecula floruerunt, nemo hanc interviderit, imo ne minimum quidem suspicatus de ea fuerit. Nec minus mirum, quod cum universi theologi, tum primi tum infimi subsellii, de necessaria hac Ordinarii approbatione tam subtiliter ac fuse disputaverint, atque in limitationes omnes inquisiverint, quas habere queat Ordinarii approbatio tum quoad loca, tum quoad personarum genera, tum quoad tempus, nemo tamen de nova ista quoad peccatorum species circumscriptione approbationis quidquam cogitaverit. Verumtamen mira haec mentis hebetudo, quam isti neo-theologi tam facile universis per tria saecula theologis, immo et universis Ecclesiarum pastoribus, affingere necessario debent, numquid non ipsos, et cum ipsis nos omnes potis est monere, ut novissimam hanc eorum lucem suspectam habeamus? Sed insuper cohaeretne novum hoc scientiae theologicae portentum cum iis, quae certa ac rata in theologiae scholis imo et in Ecclesiae praxi habentur? Speciminis gratia nonnulla delibemus.

Esto casus, de quo sup. (*Not. ad n. 173. Pag. 111.*) diximus. Accedat

Resp. 1° Absolvi potest a Regularibus vi privilegii ipsis concessi in Constit. *Superna Clement. X.* (*a*).

Resp. 2° Quoad Confessarios saeculares *negant* communissime antiquiores Theologi, ex Cap. *Si Episcopus 2. de Poenit. in 6°.* (*b*),

Regularium famulus cum peccatis Episcopo reservatis ad confessarium facultate in reservata carentem. Certum est, ut (*l. c.*) diximus, et docet etiam S. Alphonsus, hunc valide etiam a reservatis absolvi. At enim Ordinarii approbationem pro reservatis confessarius non habet. A superiore regulari approbatio haberi nequit. Quomodo itaque valide absolvit? — Esto Superior Regularium, qui ad suorum confessiones excipiendas confessarium vocaverit saecularem, ab Ordinario quidem approbatum, sine facultate tamen in peccata ab eo reservata; Regularis aliunde superior licentiam suis generatim tribuit, ut absolvi a reservatis possint, inter quae nonnulla sunt etiam ab Episcopo reservata, v. gr. periurium, sacrilegium etc. Quaero: undenam confessarius iste habet *approbationem*, quam neo-theologi exigunt? An valide sine *approbatione* absolvit? Neque forte oggeras, ad audiendas Regularium confessiones vi Decreti Tridentini approbationem Ordinarii necessariam non esse. Reponetur enim: quid de Cappuccinis, qui ex Decreto Benedicti XIV saecularem confessarium, nisi sit *approbatus*, eligere non possunt? — Esto confessarius, qui a S. Poenitentiaria facultatem absolvendi a quibusdem peccatis obtinuerit vel per consuetam Pagellam, vel per alias litteras; inter haec autem peccata finge quodpiam esse ab Episcopo reservatum, v. gr. sortilegium. Equidem S. Poenitentiaria *approbationem* non tribuit, sed supponit, et diserte conditionem apponit, ut *confessarius sit ab Ordinario loci legitime approbatus*. Iam vero en redit quaestio: nam S. Poenitentiaria approbationem non concedit; confessarius ab Ordinario suo pro iis peccatis in hypothesi approbationem non habet; quomodo ergo valide absolvit? — Quid vero dicemus de facultatibus, quae occasione Iubilaei confessariis omnibus approbatis conceduntur? Undenam pro his approbatio? Itaque ne plura addamus, concludere ex his iam liceat, quod si nemo unus ex universo Theologorum agmine, qui per tria saecula sacram hanc disciplinam excoluerunt, de nova hac et singulari ratione episcopalem approbationem limitandi verba fecit; non equidem dicendum est id contigisse, quia sufficienti ad id internoscendum carerent mentis acie, quae profecto nec maxima nec singularis ad id requirebatur, sed quia in eiusmodi theoria nihil deprehenderunt, nisi inane phantasma, quod et minus cum certis doctrinis cohaeret, et ad absurda deducit.

(*a*) Constitutio Apostolica (§. 7.) statuit: *Posse Regularem Confessarium in ea Dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessarius est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Quae Constitutionis verba quomodo nihil obstent iis, quae ad praecedentem Quaestionem adnotata sunt, inferius palam fiet.

(*b*) Quamvis in hoc Capitulo Bonifacii VIII sermo fiat tantummodo de *subdito*, cui Episcopus concesserit, ut sibi possit idoneum eligere confessorem (quae est *indirecta* iurisdictionis delegatio), de quo statuitur, confessorem ab illo subdito electum in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habere penitus potestatem; tamen non est dubitandum, quin idipsum valeat in generali concessione sacerdoti facta, facultatis scilicet audiendi confessiones (quae est *directa* iurisdictionis delegatio), nunquam videlicet, nisi exprimatur, comprehendi facultatem absolvendi a casibus reservatis. Porro quoad primum casum, ut bene arguit Card. Caietanus (*Summ. V. Absolutio*), *si licentia* (scil. eligendi confessorem) *explicata non comprehendit casus reservatos, multo minus licentia implicita*

quod sic se habet: *Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere confessorem; ille, quem is elegerit, in casibus*

(quae nimirum *tacite* conceditur exeuntibus e dioecesi) *ad illos se extendit.*

Qui vero factum sit, ut a communissima omnium veterum sententia plures deinde recesserint, brevem habe historiam. Cum consentirent universi, neminem ab alieno sacerdote valide absolvi posse sine proprii Ordinarii licentia, hanc autem ad casus reservatos non extendi, nisi exprimeretur; excipiebant tamen casum necessitatis, ad quam revocabant etiam obligationem praecepti paschalis; et tunc peregrinum a casu quoque episcopali posse absolvi, docebant. Ita Paludanus (*In 4. Dist. 17. q. 3. art. 3. Conclus. 4*), S. Antoninus (*Part. 3. Tit. 17. Cap. 4.*), Summa Rosella (*V. Confessio III. n. 32.*), Summa Tabiena (*V. Confessio I. n. 41.*), Caietanus (Summ. V. *Absolutio 2.*), etc.

Plerique tamen addebant, a Confessario iniungendum esse poenitenti, *ut cum habuerit copiam sui Episcopi, iterum confiteatur ei illud peccatum, et ab eo recipiat poenitentiam.* Ita Ioannes De Friburgo Magister Gen. Ord. Praed. (*Lib. 3. Tit. 34. q. 39.*), Summa Pisanella (*V. Confessio III.*), Summa Astensis (*Lib. 5. Tit. 14.*), Summa Angelica (*V. Confessio V. n. 6.*), Summa Sylvestrina (*V. Confessor 1. §. 17.*), Summa Corona (*De Sacr. Poenit. n. 51. dub. 5. §. Quarto quando*), et Cosimus Philiarchus (*De offic. Sacerd. P. 2. Lib. 2. Cap. 26.*). Et quidem tres postremi expresse dicunt, ideo iterandam confessionem reservatorum, ut *directe absolvantur*, utpote ab alieno *non absoluta.*

Denique Caietanus (*l. c.*) praxim obtinendi in *paschate* absolutionem etiam a casu episcopali confirmari putavit quodam Eugenii IV. *vivae vocis oraculo*, quod sic refert: *Memini, alias me legisse, Eugenium IV. concessisse seu declarasse vivae vocis oraculo, viatores, ubi se invenerint in paschate, censendos tamquam adeptos incolatum quoad sacramenta poenitentiae et Eucharistiae.* Cui tamen declarationi (omissis nunc gravibus de eiusdem fide dubiis) non eam vim sensumve tribuerunt uterque Sotus (Dominicus *in 4. Dist. 18. q. 4. art. 2.*, Petrus *De Instr. Sacerd. Lect. 5. De Confess.*) et Navarrus; sed ea mere praescriptum censuerunt, ne viatores aliis, quam plebanis seu parochis locorum confiteri possint. Huc usque communissima omnium veterum.

At ecce primo quidem Henricus Henriquez (*Sum. Theol. mor. Lib. 6. Cap. 14. n. 8.*) non alia sane supellectile, quam fallacium allegationum congerie, fretus, quod veteres de casu necessitatis seu paschalis praecepti a regula generali exceperant, hoc ipsum ad normam generalem traducit, primusque infert canonem, absolvi peregrinum posse a peccato in dioecesi sua reservato, si reservatum in confessarii dioecesi non sit. Succedit Henriquezii discipulus Suarez, arreptisque e magistro tribus fallacibus allegationibus, *Paludani* scilicet, *S. Antonini*, et *Caietani* (quas dein videsis a longa Auctorum serie ad S. Alphonsum usque bona fide transcriptas) non modo canonem illum repetit, sed insuper novum, inauditumque ad eam usque aetatem inversum canonem primus statuit de peregrino subiiciendo reservationibus dioecesis, cuius subditus non est, si in hac confiteri velit, prout diximus in *not. ad q. praec.* Verumtamen neuter horum adhuc ausus fuit penitus abdicare principium, quo oeconomia seu potius essentia iudicii huius sacramentalis continetur, diserteque Henriquez supponit, *haberi proprii* (poenitentium) *pastoris licentiam*, et *alienum ex tacita proprii Episcopi commissione, quae iurisdictionem tribuat, absolvere.*

Verum ne hos quidem terminos alii (*Vid. Lugo, De Poenit. Disp. 20. n. 70., et S. Alphons. Lib. 6. n. 589.*) servaverunt; utque se expedirent difficultate, quam *C. Si Episcopus* obiiciebat novae ipsorum theoriae statuenti,

qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitus potestatem: Cum in generali concessione illa non veniant, quae non

advenas secundum leges loci, in quo confitentur, iudicandos esse, potestatem eos absolvendi non a proprio eorum Pastore, sed a consuetudine repetendam esse statuerunt: quam quidem consuetudinem incredibili anachronismo, quando scil. eiusmodi theorias ne per somnium quidem ullus hominum cogitaverat, probatam ab Eugenio IV. dixerunt: e cuius vivae vocis oraculo, si quod extitit, insuper alii (*Vid. Villalobos Summ. Tom. 1. Tr. 9. diff. 59.n. 4.*) mirabili phantasiae vi Decretalem extravagantem fabricarunt. Haec vicissitudinum huius controversiae, immensaeque confusionis in eam inductae genuina historia est.

** Adversus hanc et proxime sequentem *Notam* quadraginta columnas (*Pag. 533-544.*) VV. opposuerunt. Neque tamen multis opus est, ut eorum obiectionibus satisfiat, eo vel magis quod non tam de opinionibus, circa quas in diversa abierint DD., quam de re historica hic agitur.

1. In primis itaque VV. (*Pag. 535-540.*) octo columnas implent textibus *S. Antonini, Caietani, Navarri, et Summae Angelicae,* ut evincant, *immerito in Nota asseri, sententiam negativam inter antiquiores fuisse communissimam.*

Ad haec Resp. 1. *Transeat Antecedens,* et *Nego Consequentiam.* Ratio est, quia etsi illud verum esset, quod falsum est, quatuor istos a generali aliorum sententia dissentire, hi pauci tamen prae ingenti multitudine aliorum, qui in textu cernuntur allegati, non impedirent, quominus ea doctrina apud veteres dicenda sit *communissima.* Valeat hoc loco testimonium hominis minime suspecti, Eusebii Amort, qui (*Theol. Eclect. Tom. 3. De Poenit. Disp. 9. q. 25.*) disserens de privilegio absolvendi alterius dioecesis poenitentes ab eorum reservatis, quod asserit Regularibus, negat autem cuilibet confessario saeculari, haec disertissima habet: *Dixi, id declaratum fuisse circa confessarios Regulares. An vero Episcopi Confessariis exteris non privilegiatis* (idest *non Regularibus*) *velint prorogare iurisdictionem in suos subditos quoad casus reservatos, vel utrum Papa etiam invitis Episcopis eam iurisdictionem velit extendere ad Confessarios exteros non privilegiatos, est quaestio facti, in qua omnis eiusmodi concessio positiva,* NOVA ET ANTIQUIORI OBSERVANTIAE TRADITAE MINIME CONFORMIS, *immo rerum naturae minime connaturalis, tamdiu neganda est et in praxi nulla habenda est, quamdiu nullis argumentis moraliter certis aut certe probabilioribus sufficienter probata et extra prudens dubium collocata est.* Num clarius unanimis antiquorum doctrina et praxis exprimi potuit? Caeterum mirabile revera est, quod VV. ob eorum paucorum confictum ab ipsis dissensum negent, eam veterum sententiam dici posse *communissimam;* paulo post vero (*Pag. 542.*) non dubitent scribere, *oppositam S. Alphonsi sententiam iure optimo censendam esse communissimam,* cum tamen adversam habeat ingentem illam triginta et ultra Auctorum turbam, qui in textu Gury allegantur! Nonne iure huc illud (*Prov. 20. 10.*) redit: *Pondus et pondus, mensura et mensura?*

2. Sed Resp. 2. *Nego etiam Antecedens.* Nonnihil itaque de singulis illis scriptoribus obiectis ceu dissentientibus; ac primo de S. Antonino. Dictum fuerat in *Nota,* iuxta S. Antoninum et nonnullos alios, *peregrinum posse absolvi a casu quoque Episcopali in casu necessitatis,* ut v. gr. *urgente praecepto paschali.* Sed VV. (*Pag. 537.*) negant, a S. Antonino id restringi ad hunc casum. Quaestionem itaque dirimant verba S. Antonini (*Summ. P. 3. Tit. 13. C. 4.*), quae ipse ex Paludano exscripsit, et sunt huiusmodi: *Si de licentia eorum* (scil. Episcopi vel Curati) *profecti sunt, eo ipso habent interpretativam licentiam confitendi, cum sine confessione digne peregrinari non queant. Si etiam veniat Pascha, communicare possunt pro-*

esset quis verisimiliter in specie concessurus. Ita Barthol. Medina (*Istruzione pei Confess. Lib. 1. Cap. 10.* §. *3.*), Caietanus (*Summ.*

pter eandem licentiam implicitam, et de casu episcopali absolvi. Unde sic: Si facultas pro reservatis generalis extitisset, S. Antoninus eam apposuisset primo membro, ubi de generali confitendi licentia. Atqui illam apposuit non primo, sed secundo membro, ubi exclusive de occasione Paschatis verba facit. Ergo. Idipsum autem valeat et de Paludano, cuius verba S. Antoninus *ad literam* sumpsit.

3. Nunc de Caietano, cuius textibus VV. duas implent columnas (*Pag.537-538.*). Urgent autem haec illius (*Summ. V. Absolutio 2.*) verba: *Memini, alias me legisse, Eugenium quartum concessisse seu declarasse vivae vocis oraculo, viatores, ubi se invenerint in paschate, censendos tamquam adeptos incolatum quoad sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae; et secundum hoc, non est opus in Paschate huiusmodi interpretativa licentia; sed possunt* TUNC *ab illis confessoribus, a quibus incolae absolvuntur, absolvi etiam a casibus episcopalibus, prout Episcopus loci disponit.* Atqui, subsumunt VV. (*Pag. 538.*), Suarez (*De Poenit. Disp. 25. Sect. 2. n. 9.*) scribit: *Hanc intelligo esse extensionem, non limitationem.* Ergo, concludunt VV., *idem valet de aliis anni temporibus.*

Resp. VV. (*Pag. 534.*) *Notam*, quam hic quadraginta illis columnis impugnant, dicunt *fastidiosam*, minus certe advertentes *fastidiosum* usitate dici non qui taedium affert, sed qui taedio afficitur. Veruntamen iuxta sensum huic voci a VV. affictum alter forte *fastidiosam* potiori iure habebit disputandi methodum, qua heic ipsi utuntur. Quid enim? Suarez (*l. c. n.8.*) mere contendit, advenas *posse confiteri vel parocho loci, ad quem perveniunt, vel aliis sacerdotibus ibi habentibus iurisdictionem;* utque id confirmet, (*n. 9.*) addit: *Eandem sententiam significat Caietanus.... et refert Eugenium IV hoc declarasse etiam in annua confessione: quam intelligo esse extensionem, non limitationem;* extensionem nempe etiam ad annuam Paschalem confessionem. Unde infert, quod si etiam in Paschate, *quo tempore videtur esse maxima obligatio confitendi proprio sacerdoti*, ex declaratione Eugenii *confessio fieri potest alteri, etiam poterit quocumque alio tempore.* Ergo extensio, de qua hic Suarez, mere in hoc residet, quod etiam in Paschate advena possit confiteri alteri, et non parocho; quem sensum videsis et apud Filliuccium, qui (*Tr. 7. C. 7. n. 195.*) probaturus, advenam confiteri aliis praeter parochum posse, sic eodem utitur argumento: *Caietanus etiam refert, Eugenium IV hoc declarasse in annua confessione et communione; quare multo magis aliis temporibus.* Quae cum ita sint, quomodo ergo VV. verba Suaresii detorquent ad significandum, facultatem absolvendi a casu episcopali ex declaratione Eugenii extendi ad alia tempora extra Pascha? Et quod etiam minus tolerabile videri potest, quomodo per eam detorsionem Suaresiani contextus insinuare conantur, hanc esse etiam Caietani sententiam? Dixi, id etiam minus tolerabile videri posse; nam Caietanus immediate haec diserte subdit, quibus eam extensionem reiicit: *In reliquis autem omnibus supradictis licentiis* (nempe praeter eam, quam concessam ab Eugenio dicit) *explicite vel implicite ab Episcopis vel Curatis,* NON APPROBO, *posse licentiatos absolvi a casibus reservatis Episcopo, quia hoc est* CONTRA IURIS DISPOSITIONEM *in Cap. Si Episcopus, ubi dicitur, quod, Episcopo dante licentiam alicui, quod confiteatur, non propterea concedit casus reservatos.* Ergo nulla vel exigua ratio suppetit, cur Caietanus dicatur a communissima Scholae, imo Ecclesiae, doctrina discessisse; et merito molestum ac grave (VV. dixerint *fastidiosum*), videri potest, quod contra manifestam veritatem et Caietano tribuatur doctrina, quam expresse reprobat, ad idque suadendum Suarezii verba, quae nihil ad rem faciunt, sic distorqueantur.

V. Absolutio 2. pròp. fin.), Navarrus (*In Cap. Placuit De Poenit. Dist. 6. n. 62, 63.*), Summ. Armilla (*V. Absolutio n. 30.*), Emman. Ro.

4. Quoad *Summam Angelicam* B. Angelus de Clavasio (*V. Confessio V.*) prius generale sic statuit principium (*n. 6.*): *Utrum Episcopus concedens licentiam alicui ut eligat Confessarium idoneum, eo ipso concedat licentiam absolvendi a casibus suis dicto Confessario electo? Respondeo quod non, nisi hoc exprimat, vel evidenter constet per alia signa, quod hoc in speciali vult concedere. C. Si Episcopus De Poenit. et Remiss. in VI.* Deinde (*Ibid. n. 12.*) de casu viatorum addit: *Utrum peregrini et viatores, qui de licentia proprii sacerdotis confitentur alteri, qui tamen habet casus reservatos Episcopis, possint ab eo, quem elegerunt confessorem, absolvi. Respondeo secundum Rodriguez, quod sic, maxime si institit tempus generalis confessionis ut in Pascha; debet tamen ei iniungi, quod cum habebit copiam sui Episcopi, iterum ei confiteatur illud peccatum reservatum, et ab eo recipiat poenitentiam de illo.* Porro iuxta VV. (*Pag. 536.*) 1° B. Angelus ubi negat, poenitentem posse a reservatis absolvi, *loquitur de illo, qui manet in dioecesi sui Episcopi, non vero de viatoribus*, quos extra dioecesim dein dicit absolvi posse. 2° Hanc pro viatoribus facultatem nullo modo restringit; nam Pascha ibi memorat, quia tunc fideles omnes confitentur.

Resp. Ad 1., *Nego totum*; neque enim gratis hanc notam B. Angelo licet impingere, ut contra unanimem et absolutam omnium sententiam ac interpretationem sensum *Capituli Si Episcopus* sic pervertat. Dixi, *gratis;* quia nulla adest hic ratio cur falsam hanc *Capituli* illius interpretationem B. Angelo quis affingat. Neque enim *Capitulo* illi adversatur, quod iusta causa exigente habens reservata, sed cui Superioris copia non sit, per alium etiam secundum iura absolvi possit, tum si in dioecesi maneat, tum si ab hac distet.

Resp. Ad 2. *Nego itidem totum;* nam verba illa *maxime in Pascha* dicunt comparationem cum aliis causis minus urgentibus, ob quas habens reservata possit absolvi, ut et S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 285.*) innuit: et siquidem quolibet tempore et occasione absolvi ille poenitens posset, illud MAXIME *in Pascha* esset locutio absurda, quam B. Angelo gratis attribuere fas non est.

Sed 3° ulterius *Nego*, B. Angelum aut ullo modo a communissima doctrina discessisse, aut ullatenus novae theoriae favere. Et VV. quidem taciti praetereunt illa quaestionis ab B. Angelo propositae verba: *Qui* (viatores) *confitentur alteri, qui tamen habet casus reservatos Episcopis.* Ergo B. Angelus supponit confessarium praeditum facultate in casus reservatos; et quidem cum non dicat *reservatos Episcopo loci*, sed *reservatos Episcopis,* supponit Confessarium privilegiatum, cuiusmodi (*Vid. Lezana Tom. 1. Cap. 19. n. 17.*) B. Angeli aetate erant Mendicantes Ordines. Atqui confessorem privilegiatum non quaesivisset, si a communi tunc sententia discedens censuisset, prout nova theoria invexit, eum poenitentem posse a quolibet confessore absolvi. Ergo.

Insuper non bene VV., dum textum B. Angeli referunt, quaedam verba suppresserunt. B. Angelus habet: *Respondeo* SECUNDUM RODRIGUEZ, *quod sic:* VV. vero initium detruncant, et scribunt: *Et respondet, quod sic.* Atqui allegatio illa Rodriguez multum momenti habet, utut molesta novis theoriis accidat. Duplici enim in loco Rodriguez hanc quaestionem tangit; et in altero quidem negat, absolvi posse, licet Confessarius habeat facultatem in casus reservatos illius Dioecesis. Ita ille (*Esplic. della Bolla Croc. §. 9. n. 92.*): *Si dubita, se un suddito di un Vescovado andasse con casi riservati in un altro Vescovado, dove non fossero, se potria assolvere in esso il Confessor* SECOLARE *approvato, che avesse i casi del suo Vescovado, ben-*

driguez (*Esplicazion. della Bolla Croc.* §. *9. n. 92.*), Sayrus (*Summ. Sacram. Poenit. Cap. 21. n. 6.*), Iac. De Graffiis (*Decis. Aurear. Lib. 1.*

chè non abbia la Bolla? Il Navarro ritiene di sì, fondandosi nella consuetudine. Il Medina nella sua Somma dice di no. La qual opinione tengo per più vera. Et ex his cernere licet, cur B. Angelus Confessarium supponat non qui mere facultatem habeat in reservata illius dioecesis, sed qui generatim in casus Episcopales facultate polleat, prouti tunc Mendicantes praediti erant. In altero autem loco (*Summ. Cap. 55. n. 5.*) advenae huiusmodi absolutionem reservat loci Episcopo, idque ex consensu Ordinarii advenae repetit. *Episcopus,* inquit, *potest absolvere... peregrinum, qui venit ab alio Episcopatu de casibus reservatis eius proprio Episcopo, quia videtur, quod talis Episcopus habebit ratum, quidquid alius fecerit, praecipue si veniat a longinquo, sicut si quis veniret Salmanticam ab Indis.* Et exinde forte B. Angelus addebat, quod advena *cum habebit copiam sui Episcopi, iterum ei confiteatur illud peccatum reservatum, et ab eo recipiat poenitentiam de illo.* Ista porro nihil commune cum novis theoriis habent.

5. Superest Navarrus, e cuius textibus VV. prope quatuor columnas compingunt. Quorsum autem, quis dixerit? Nam vel in iis, quae ipsi ex Navarro afferunt, habetur quod pro re nostra satis sit: et licet alioquin a veterum generali doctrina ipse recessisset, num id impediret, quominus ea *communissima* esset dicenda?

Ex Navarri Commentariis *ad C. Placuit de Poenit.* afferunt (*Pag. 538.*) ista (*n. 63.*): *Si Episcopus fecerit peregrinandi facultatem, videtur quoque fecisse, ut ab Episcopalibus casibus absolvi possit secundum Paludanum, quem ad litteram sequitur Antoninus; non autem, si a parocho secundum eosdem. Quae tamen distinctio displicet: nam expressa eligendi confessarium facultas ab Episcopo concessa non includit casus reservatos. Textus expressus est et singularis in illo Cap. 2. de Poenit. lib. 6°. Ergo a fortiori neque tacita. Quem textum si meminissent Patres illi, nunquam hoc dixissent.* In his itaque Navarrus, non secus ac unanimiter veteres, innixus notissimo Capitulo *Si Episcopus,* negat, facultatem pro reservatis contineri in licentia eligendi confessarium, etiamsi haec licentia concedatur ab Episcopo. Atqui haec, contra ac contendunt VV., aperte potius evincunt, Navarrum generali et communissimo veterum principio plane adhaesisse.

Alium Navarri textum sumunt VV. ex Cap. 27. Manualis n. 261., et est huiusmodi: *Ad quaestionem de parocho habente facultatem absolvendi a casibus reservatis Episcopo suo, an possit absolvere poenitentem alterius Episcopatus, cum iusta licentia sibi concessa, a peccatis reservatis suo Episcopo? respondi, posse. Tum quia glossa C. Placuit 16. q. 1., et clarius per multa Panormitanus habent, confessarium legitimum unius parochiae posse absolvere confessum a peccatis ubicumque commissis, et Episcopi videntur tacite velle debere, ut idem sit de peccatis eis reservatis, quando confessio fit habenti facultatem absolvendi a reservatis suo Episcopo.* In quibus Navarrus potiusquam discedat a communissima veterum doctrina, immo severiorem se ostendit. Nam hinc quidem specialem aliquem pro absolutione a reservatis requirit ab advenae Episcopo tacitum consensum. Atqui si eiusmodi consensum supponis, nemo sane e veteribus legitime absolvi advenam infitiatur. Ergo male hic fingitur Navarrus ab antiquis dissentiens. Insuper vero exigit Navarrus, ut confessio fiat parocho ibi habenti facultatem a reservatis absolvendi. Atqui nemo ex iis, qui, ut in *Nota* indicatum est, concedunt, ut in Paschate advena a reservatis possit absolvi, requirit, ut confessio habenti ibi facultatem pro reservatis fiat. Ergo Navarrus immo severior apparet. Veruntamen adeo firmus Navarrus extitit in exigenda facultate circa propriae dioecesis reservata quoad adve-

C. 13. n. 46), Fagnanus (*In C. Omnis De Poenit. et Remiss. n. 95.*), Dominicus Soto (*In 4. Dist. 18. Q. 4. art. 2.*), Marcellus Megala

nae confessarium, ut etiam Mendicantibus Romae degentibus advenas istiusmodi absolvendi potestatem negaret. Ut enim ipse ratiocinabatur, Eminentissimus Romae Vicarius nullum casum reservat (ita sane Navarrus de temporibus suis: et alioquin Canonistae munere in S. Poenitentiaria fungebatur); ergo Mendicantibus nulla in Romana ista dioecesi, in qua sunt approbati, quoad reservata facultas concessa. Porro si non possunt a reservatis Episcopalibus absolvere in ea dioecesi, in qua sunt approbati, *a fortiori non poterunt absolvere a peccatis extero Episcopo reservatis.* Ita ille (*Consil. Lib. 5. Cons. 21.*); ex quibus falsum et illud deprehenditur, quod VV. (*Pag. 539.*) scribunt de Navarro, nempe quod *non inficiatur viatores tamquam incolas esse habendos, et ideo a peccatis suis Episcopis reservatis absolvi posse.* Caeterum singularis haec Navarri opinio neque antiquioribus neque recentioribus arrisit, et ex antiquioribus eam non solum Comitolus (*Resp. mor. Lib. 1. q. 28.*) impugnat, sed etiam Ugolinus (*De offic. et Potest. Episc. Cap. 39. §. 4.*), Rodriguez (*In Bull. Cruc. l. c.*), et Cosimus Philiarchus (*De offic. Sacerd. P. 2. Lib. 2. C. 26.*).

6. Duo autem habent VV. de Navarro, quae par est non praeterire. Nam 1° ut S. Antoninum et Paludanum excusent a lapsu memoriae circa *C. Si Episcopus*, quem illis (in primo textu sup. allato) Navarrus tribuit, scribunt: *Bonifacius VIII loquitur de subdito in sua dioecesi manente, non autem de peregrinantibus vel itinerantibus... Sic et alii praefatum textum intellexerunt, signanter, ut vidimus, Clavasius.*

Resp. Excusatio plausibilior peti potius debet ex verbis S. Antonini, qui Paludanum exscribit. Nam postquam dixit (*Vid. sup. n. 2.*) posse advenam etiam ab Episcopalibus absolvi, ita pergit: *Quia Episcopus non retinendo sibi auctoritatem licentiandi peregrinos, ex hoc ipso videtur eis dare licentiam confitendi de casibus Episcopalibus, sicut Curatus de parochialibus.* Itaque si Navarrus satis prospectum *Cap. Si Episcopus* censuit, cum ipse (ut modo vidimus) ad tacitum quendam Episcopi consensum recurrit, hoc ipsum pro S. Antonino ac Paludano sufficere dicendum est, qui tacitum eiusmodi consensum aperte supponunt. Excusationis vero rationem ab VV. submissam, et innixam praeposterae illi atque abnormi interpretationi Capituli *Si Episcopus,* quam gratis et per iniuriam B. Angelo de Clavasio (*sup. n. 4.*) affingere voluerunt, nemo profecto utpote ab omnibus cuiusvis aetatis Doctoribus reiectam, tolerandam putabit. Et cordatus quisque condonandum sane censebit Card. De Lugo, si postquam, abiecta utpote sibi minus cohaerente communi illa post Suaresium theoria, novam infeliciter viam ingressus in inextricabilem sese difficultatum labyrinthum se coniecerat, qualemcumque hanc evasionem (*Disp. 20. n. 70.*) excogitavit; in quo quidem sicut neminem habuit, qui ipsi praecessisset, sic nullum post se asseclam sortitus est.

Alterum quoad Navarrum animadversione dignum habent VV. (*Pag. 539.*), ubi scribunt: *Hanc ultimam propositionem, scilicet consuetudinem dare posse iurisdictionem non habenti, iam in Commentariis Navarrus propugnavit n. 32., ubi docet, sacerdotes confessarium sibi eligere valere; et advertit obstare videri Cap. Si Episcopus, in quo dicitur: « Nulla potest consuetudine introduci, quod aliquis praeter sui Superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui possit eum solvere vel ligare. »* Et allato Navarri responso, nimirum *hoc facere presbyteros de facultate tacita vel expressa Superiorum* (de quo vid. sup. et locum Suaresii in n. 22. Not. ad §. 555. q. 13.), subdunt VV. haec Navarri verba: *Circa tamen decisionem praedictam illius Cap. Si Episcopus maxima mihi dubitatio est. Nam consuetudo iurisdictionem dare potest etiam alias nullam habenti C. Contin-*

(*Instit. Confess. Part. 1. Lib. 1. C. 7.*), Finellius (*Select. aur. Cas. Reserv. Cap. 9. n. 8.*), Fagundez (*De 2° Eccl. Praec. Lib. 8. C. 8.*

gat de for. Comp., ubi ab omnibus haec conclusio recipitur. Quare igitur consuetudo hanc iurisdictionem dare nequit? Et hic quidem sermonem VV. ne verbum quidem addentes sic abrumpunt, ut lectori minus cauto, spectato praesertim praecedenti contextu, saltem suspicionem gravem ingerant, per eam interrogandi figuram Navarrum reipsa velle affirmare, *hanc quoque iurisdictionem,* scilicet ad valide absolvendum, consuetudine dari posse, quae est doctrina a VV., ut iam vidimus (*Sup. in Not. ad n. 555 q. 13.*), tenaciter propugnata.

Atqui prorsus aliter se res habet. Navarrus enim eo loco postquam (*In C. Placuit De Poenit. Disp. 6. n. 36-38.*) multa congessit ad difficultatem seu dubitationem amplificandam, sic quaestioni respondet (*n. 39.*): *In hac, quae mihi magna est difficultas, duo in praesentia occurrunt respondenda: Prius est, quod haec consuetudo ideo induci non potest, quia Romanus Pontifex reprobat illam, neque patitur, ut ea inducatur.* Sed neque contentus est Navarrus hac solutione (quae, uti patet, est negans), quia textus Capituli plus aliquid dicit. Unde prosequitur: *Contra quod tamen facit, quod non habet textus, Romanum Pontificem eiusmodi consuetudinem reprobare, vel nolle eam induci, sed non posse illam ullatenus introduci: et ita quiddam multo maius illo ait.* In quibus introduci consuetudinem posse absolute negat. Alterum Navarri responsum est eiusdem capituli interpretatio quaedam anomala, et quae neque ullum aut patronum aut asseclam invenit. *Posterius,* inquit (*n. 40.*), *quod occurrebat, est mentem Romani Pontificis esse, dicere non posse induci consuetudine, ut quis eligat confessarium, qui eum liget et absolvat virtute illius electionis, nisi aliunde potestatem id faciendi habeat. Pro qua consideratione facit illa opinio,.... nempe quando parochus parochiano suo facultatem facit confitendi simpliciter, non posse deligere confessarium, qui nulli praesit iurisdictioni. Quando vero non solum simpliciter facit eiusmodi facultatem, imo vero suas vices committit ei, quemcumque delegerit, tunc posse deligere illum, qui nullam exercet actu animarum curam.* Hanc tamen opinionem ipse Navarrus fatetur, ab omnibus posterioribus post Panormitanum fuisse reiectam, *et ita,* ut ait (*n. 42.*), *paria esse, dari parochiano a parocho licentiam deligendi confessarium, et committi a parocho potestatem audiendi ei, quem parochianus suus elegerit;* et quidem eam Capituli interpretationem a nemine deinde fuisse admissam, res est manifesta; quocirca supervacuum est de his ulterius disserere. Patet igitur, gratis VV. hanc opinionem a SS. Canonibus reiectam Navarro affingere.

7. Alterum articulum addunt VV. (*Pag. 540-541.*), in quo utcumque purgare Henriquez ac Suaresium a novitatum male inductarum nota conantur. Sed paucis expediri res potest.

Nam 1° quod abusive uterque novitatum suarum patrocinium ab Caietano, Paludano, et S. Antonino quaesiverint, ex praemissis satis patet. — 2° Quod Henriquez nonnisi aliarum falsarum allegationum cumulo novitatem suam roboraverit, ipsi VV. silentio suo plane confirmant. — 3° Quod vero VV. addunt (*Pag. 540.*): *Certum est, quod Henriquez primus non fuit, qui doctrinam intulit, absolvi posse peregrinum a peccato in dioecesi sua reservato, si reservatum non sit in dioecesi confessarii,* facile habet responsum: promant VV. quempiam, qui ante Henriquez generalem hanc assertionem habeat, et tunc ipsis credi poterit.

8. Quandoquidem vero VV. Henriquez ceu patronum appellant, non abs re erit paucis hic innuere, quomodo ex doctrinis Henriquez totum VV. systema penitus subvertitur.

Ac 1° contendunt VV. cum S. Alphonso, advenam iam non absolvi ex

n. 20.), Ioan. Chapeauville (*Tr. De Cas. Reserv. Part. 1. Cap. 4. Diffic. 9.*), Sum. Pisanella (*V. Confessio III.*), Alphonsus Vega

consensu proprii pastoris, nec ab hoc haberi iurisdictionem. Contra vero sic Henriquez (*Lib. 6. C. 14. n. 8.*): *Episcopus alienus peregrinum civem, dum in eius dioecesi negotium habet, posset absolvere a reservatis proprio Episcopo ex* TACITA PROPRII RATIHABITIONE, *praesertim si proprius longissime distat.* Quam sententiam sic exscripsit etiam Adamus Tanner (*De Poenit. Q. 9. n. 86.*): *Ordinarius potest absolvere peregrinum a reservatis sub ratihabitione proprii Episcopi, si praesertim remotissime distaret proprius Episcopus, ut si ex India veniret.* Quod vero ista *ratihabitio* importet *collationem iurisdictionis*, sic Henriquez clare prius dixerat (*Lib. 6. Cap. 13. n. 13.*): *Ratihabitio Praelati, quae propter necessitatem vel alias rationes creditur aliquo externo signo data in praeterito aut praesenti tempore,* TRIBUIT CONFESSARIO IURISDICTIONEM. Et iam Heriquez generale statuerat hoc principium (*Lib. 6. Cap. 8. n. 5.*): *Peregrini.... possunt eligere per viam et in termino peregrinationis Confessarium de expositis; consuetudo enim interpretatur, habere proprii pastoris licentiam, quamvis eam non petierint; et alienus Episcopus vel eius vicem agens posset ex quadam tacita proprii Episcopi commissione illum a reservatis proprio Episcopo absolvere:* quae quidem Henriquez dicit ad probandum generalius assertum, scil. quod *datur iurisdictio ratione status* etc. Alibi vero (*Not. q. ad Lib. 6. Cap. 14. n. 8.*) addit, quod Doctores, qui negant, peregrinum absolvi posse a reservatis huius Episcopo, *sunt interpretandi quod alienus Episcopus non potest proprio iure.* Theoria igitur VV. a primo novitatum harum auctore subruitur.

2° Alterum systematis sui fundamentum VV. in eo statuunt, quod consuetudo tribuat iurisdictionem, quam ab advenae Ordinario repetendam nolunt. Atqui Henriquez, ut patet ex eius verbis ultimo loco descriptis, alias consuetudini partes non tribuit, nisi ut indicet Ordinarii poenitentis licentiam: *Consuetudo enim* (ait) *interpretatur, habere proprii pastoris licentiam;* quae licentia, ut ipsemet addit, *tribuit iurisdictionem.* Quod quidem rursus sic idem Henriquez inculcat (*Lib. 6. Cap. 8. n. 2.*): *Consuetudo quamvis conferre non potest iam iurisdictionem, est tamen testis et interpres tacitae licentiae, quam Pontifices, dum vident et tacent, censentur concedere.*

3° Innituntur VV. verbis Henriquez, ubi habet (*Lib. 6. C. 14. n. 8.*), quod *reus iudicari solet secundum leges et consuetudines loci, ubi praesens adest.* At ecce tibi Henriquez, qui alibi (*Lib. 6. Cap. 7. n. 2.*) scribit: *Ratione delicti in foro exteriori reus iure puniri potest a iudice territorii: ob hoc tamen non videtur reus acquirere favorabile forum, ut ab alieno parocho possit a peccatis absolvi.* Haec eadem autem videsis a Suarezio (*Disp. 25. Sect. 1. n. 18.*) tamquam *certa* propugnata; oppositamque sententiam addit Lugo (*Disp. 19. n. 9.*) *merito ab omnibus reiici.* Porro si forum reus non acquirit, quomodo secundum loci leges iudicari debet? Insuper cum Henriquez doceat, iurisdictionem in casu tribui ab peregrini Ordinario, iam redit absurdum illud, quod et Lugo reprehendit (*Disp. 20. n. 73.*) scribens, quod *si Confessarius non habet suam iurisdictionem ab hoc* (loci scil.) *Episcopo, sed ab Episcopo* (advenae) *proprio, vel dependenter ab illo*, iam *eius* (advenae) *solus Episcopus potuit per reservationem auferre vel limitare eius iurisdictionem, non vero iste alius Episcopus, a quo non dependet.* Sed nil mirum, quod novae confusionis auctores perpetuis se contradictionibus implicent.

9. Sed ad Suarezium transeamus, e quo VV. (*Pag. 541.*) ista referunt: (*ex Disp. 30. Sect. 1. n. 4.*) *fundamentum est, quia ille qui sic versatur in alieno Episcopatu, non ideo ibi confiteri et absolvi potest, quia utitur*

(*Apud Fagund. l. c., et Barbosa De offic. et Potest. Episc. Part. 3. Alleg. 53. n. 15.*), Summul. Raymundi (*Tr. 4. Cap. 5.*), Barthol.

facultate eligendi Confessorem; sed quia hoc ipso, quod versatur in alieno Episcopatu, potest ibi absolvi more incolarum illius dioecesis, et ita se gerere, ac si esset subditus Episcopi illius loci: hoc enim sensu intelligi debet consuetudo supra declarata, et ab Eugenio IV approbata. — Ad haec autem responderi breviter potest 1° gratuitam ac falsam esse interpretationem, quam Declarationi Eugenii IV Suarez hic affingit, uti colligitur tum ex sensu DD., qui in Nota allegantur, tum ex iis quae superius et quidem ex ipsius Suaresii sensu dicta sunt. 2° Suaresium sibi aperte repugnare, dum hic contendit, iurisdictionem in casu haberi aliunde, quam per poenitentis electionem; hinc enim *indirecte* a poenitentis Ordinario iurisdictionem profluere, iam pluries ab ipso propugnari vidimus.

Alia Suaresii (*l. c.*) ratio est, *quia confessores alterius dioecesis non tenentur scire, quinam casus reservati sint alteri Episcopo: ergo debent hunc audire et iudicare iuxta ritum sui Episcopatus.* Quam quidem rationem etiam Lugo sic (*Disp. 20. n. 72.*) amplificat: *Neque enim Confessarii huius civitatis debent, aut possunt interrogare singulos poenitentes de patria, vel an sint peregrini et multo minus de casibus reservatis in sua patria: quos certe nec Confessarius huius civitatis, nec ipse poenitens peregrinus scire possunt.* Et hoc quidem argumentum alii quoque transcripserunt.

Resp. 1° Atqui alibi retulimus haec Bonacinae verba (*De Poenit. Disp. 5. Q. 7. Punct. 2. n. 6.*): *Qui solum ad hunc finem iter agit, ut evitet proprium parochum, et alteri confiteatur, non potest valide confiteri coram parocho vel sacerdote illius loci, ad quem pervenit, ut bene observant Coninck, Vasquez, Suarez, Reginaldus, et alii recentiores.* Et reipsa Suarez (*Disp. 25. Sect. 2. n. 9.*) ita scribit: *Si quis ad hoc tantum iter ageret, ut haberet occasionem confitendi alteri, et non proprio sacerdoti, iam illa non esset necessitas, sed voluntas, et non esset iuxta intentionem pastorum, nec iuxta consuetudinem Ecclesiae; et ideo non esset valida confessio.* Nec aliter sentit etiam Lugo, qui clarissimis verbis (*Disp. 19. n. 7.*) haec habet: *Qui peregrinantur et iter faciunt, possunt iam ex voluntate tacita suorum pastorum confiteri etiam parocho illi, quem in eo loco inveniunt, in quo sunt; dum tamen ex industria non discesserint a suo domicilio, ut occasione itineris alteri confiteantur.* Quomodo itaque Confessarius dicitur nec *posse* nec *debere omnino* de poenitentis dioecesi inquirere, et quo fine inde digressus fuerit, quando novit, invalidam fore absolutionem, si poenitens de industria digressus est, ut alieno confiteatur? Neque porro minus necesse est, ut videbimus, de alienis reservatis nosse.

2° Interim (sit venia verbo) sed vel risum quodammodo ciere debet eiusmodi difficultas, siquidem sepositis paulisper novis theoriis, quae post Henriquez falsarum allegationum cumulo superstructae sunt, nos ad praecedentia tempora conferamus. Equidem 1. ante has novitates advena a reservatis, ut iam vidimus, nisi in casu alicuius necessitatis, cuiusmodi est occasio praecepti paschalis, absolvi non poterat; 2. Licet Paludanus, S. Antoninus, et Caietanus de absolutione a reservatis occasione paschatis loquentes, nullam alicuius conditionis mentionem iniiciant, communius tamen Doctores (prouti in *Nota* innuitur) imponendam statuunt poenitenti obligationem, ut reservatum deinde etiam proprio Ordinario aperiat.

At enim numquid haec praxis non exigebat, ut confessarii cognoscerent, hoc vel illud peccatum in advenae dioecesi esse reservatum? Cumque per tot saecula haec in Ecclesia praxis viguerit, nec tamen ullum indicium vel minimum apud Doctores reperiamus, huius sacramenti ministerium aliquam idcirco prae se tulisse difficultatem, quid est enimvero, quod hu-

Ugolini (*De offic. et Potest. Episc. Cap. 39.* §. *4. n. 3. 4.*), Ioan. de Friburgo (*Summ. Lib. 3. Tit. 34. a. 39.*), Escobar (*Theol. Mor.*

ius difficultatis praetextu recentiores omnia circa iurisdictionis oeconomiam principia necessario subvertenda censeant?

Sed 3° ulterius paulo post videbimus, Apostolicam Sedem alias severissima lege interdixisse, ne quis confessarius vel Regularis vel Saecularis auderet a peccatis absolvere, quae Ordinarii sibi reservassent, nisi specialem ad id facultatem ab his obtinuissent, idque servandum statuebatur etiam circa aliarum dioecesium reservata quoad earum subditos. Quando autem Clemens X Regularibus confirmavit privilegium advenas in certis adiunctis absolvendi a peccatis in eorum dioecesi reservatis, conditionem illam apposuit, *dummodo non in fraudem reservationis* advenissent. At vero si quid deferendum esset rationi, quam hic Suarez et Lugo, atque alii deinde plures repetunt, nonne hasce Apostolicae Sedis dispositiones tamquam minus sapientes traducere quis iure posset? Nonne repetere quis posset cum Suaresio et Lugo, confessarium nec nosse nec teneri ad aliarum dioecesium casus reservatos cognoscendos, neque posse aut debere singulos interrogare poenitentes, cuiusnam sint dioecesis, aut utrum casus reservatos habeant? Quomodo etiam servari posset in praxi id quod S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 590.*) habet, et post eum Scavini (*Tr. 10. Disp. 1. C. 4. art. 2.*), non posse absolvi advenam a censuris in eorum dioecesi reservatis? Concludatur itaque eiusmodi argumentum speciei aliquid, soliditatis vero nihil habere.

10. Veniendum ad eam *Notae* partem, ubi agitur de nova theoria a Lugo deprompta. Contra hanc VV. articulum scribunt (*Pag. 541.*) cum hoc titulo: *Vindicantur S. Alphonsus et Lugo ab iniuriosis P. B. impugnationibus.*

Resp. 1° Nulla impugnatio in *Nota* habetur, sed mera historica expositio sententiae tum Lugonis, tum S. Alphonsi.

Resp. 2° Iniuriosus dicitur, *qui infert iniuriam;* iniuria autem (*L. 1. ff. de iniur.*) dicitur, *quod non iure fit.* Atqui nihil in *Nota* occurrit, ut mox patebit, quod *non iure* dictum fuerit. Ergo sine causa impugnationes dicuntur iniuriosae. Sed ad rem.

De S. Alphonsi sententia, quae negat, advenas absolvi ex voluntate seu consensu Ordinariorum cuiusque, nempe ex indirecta iurisdictionis concessione eorum, satis dictum est in Not. ad §. 555. Quaest. 13.

Quod vero attinet ad Card. De Lugo, cernitur quidem et ipse secutus communem omnium doctrinam alioquin verissimam et certissimam, quod iurisdictio ad advenam absolvendum repetenda est ab indirecta delegatione Ordinariorum cuiusque poenitentis. Et iuxta hunc sensum scripsit (*Disp. 19. n. 7.*): *Qui peregrinantur et iter faciunt, possunt iam ex* VOLUNTATE TACITA SUORUM PASTORUM *confiteri etiam parocho illi, quem in eo loco inveniunt, ubi sunt.* Et addidit (*Ibid.*), *in hoc omnes fere convenire.* Insuper autem eodem recidit, sententiamque confirmat, quod paulo post (*Ibid. n. 9.*) subdit, *merito ab omnibus reiici,* quod *in hoc foro* (scil. poenitentiali) *acquiratur iurisdictio ratione delicti in tali loco.* Cum vero amplexus esset opinionem, quae circa absolvenda etiam advenarum peccata reservata dicit servandam normam loci, in quo fit confessio, quia nempe secus in Confessario exigeretur cura prorsus intolerabilis, inquirendi scilicet et cognoscendi, cuiusnam patriae singuli poenitentes sint, et quinam casus in eorum dioecesi reservati habeantur; aliunde vero ipse ab absurdo illo abhorreret, quod (sup. n. 8. in fin.) iam innuimus, nimirum delegatam ab Ordinario advenae poenitentis iurisdictionem subiiciendam esse legibus ac mensuris, quas alius Episcopus iurisdictioni a se pro aliis subditis concessae praefiniverit; novam aliam viam arripuit, confugiendo videlicet ad iurisdictionem, quae

Lib. 16. Cap. 7. n. 66.), Summ. Astensis (*Lib. 5. Tit. 14.*), Summ. Angelic. (*V. Confessio V. n. 6.*), Summ. Tabien. (*V. Confessio I.*

quadantenus sola consuetudine acquireretur. Quam tamen sententiam ita expressit, ut obscuro quodam verborum involucro videatur idipsum adstruere, quod ibidem negare videtur. Scribit enim (*Disp. 20. n. 70.*): *Respondeo, poenitentem in nostro casu non habere facultatem ab Episcopo eligendi Confessarium, sed habere facultatem consuetudine et approbatione Praelatorum introductam.* Porro dum negat, ab advenae Episcopo haberi facultatem eligendi Confessarium, eo ipso iuxta sensum ab omnibus receptum affirmare plane videtur, non delegari ab eo Episcopo iurisdictionem. Contra vero dum dicit, *poenitentem habere facultatem* (eligendi sane confessarium) *introductam consuetudine et approbatione Praelatorum,* nonne affirmat, quod prius negabat, *facultatem eligendi confessarium* haberi ex approbatione, idest voluntate et consensu proprii Episcopi? Et si facultas habetur ex voluntate et consensu Episcopi, nonne redit, quod iurisdictio ad eum poenitentem absolvendum indirecte ab eiusdem Episcopo delegatur?

Quod si hunc sensum obscurae illi propositioni velis tribuere, ut Praelatorum approbatione non quidem *facultas* eligendi confessarium, sed *consuetudo* introducta intelligatur; iam quaeremus, quaenam est ista *consuetudo?* Si dicas *consuetudinem eligendi confessarium,* ecce rursus habemus *facultatem* hanc ab Episcopo concessam, atque adeo pugnam cum praecedentibus. Si vero intelligas consuetudinem, vi cuius citra proprii Episcopi concessionem saltem tacitam advena ab alieno possit absolvi, tunc quaeremus, undenam confessarius iste iurisdictionem habet? De iure enim divino est, ut oecumenica Concilia definiverunt, ad absolvendum iurisdictionem requiri aut ordinariam aut delegatam ab ordinariam habente. Porro ordinariam iurisdictionem tribuisse cuilibet confessario, qui forte ab advena eligatur, absurdum est. Erit ergo iurisdictio delegata; sed a quo? Non ab Ordinario advenae ex hypothesi; iterum non a Confessarii Ordinario, quia in *non subditum* iurisdictionem non habet, neque alteri idcirco potest, quod non habet, delegare. Dicemus ne igitur, secundum Lugo Praelatos hanc consuetudinem approbasse, ut advenae contra ius divinum absolvantur a sacerdote, qui iurisdictionem neque ordinariam habet, neque delegatam? Sed nil mirum. Istiusmodi enim rerum confusiones secum ipsis et cum primis principiis pugnantium nunquam apud eos non reperies, qui hisce novitatibus post Henriquez ac Suaresium passi sunt se abripi. Alioquin autem etiam Lugo leviter omnino et paucissimis e gravissimis hisce quaestionibus se expedit.

11. Ut ab Eugenii IV Declaratione a Lugo et S. Alphonso invocata depellant notam anachronismi, VV. haec scribunt (*Pag. 542.*): *Eugenius IV, qui anno 1447 obiit, Declarationem istam pronunciavit ad instantiam aliquorum Praelatorum... Cumque iidem Praelati ipsam pervulgarent, magis magisque invaluit consuetudo, qua peregrini quoad sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae, incolis loci aequiparantur.* Testes deinde huius consuetudinis appellant *Navarrum,* et *Iacobum de Graffiis.*

Resp. Mitto nunc ea, quae VV. confingunt de instantia Praelatorum, qui deinde Eugenii IV Declarationem vulgaverint, et magis magisque exinde invaluerit consuetudo etc. Potuit enim haec Declaratio nihil esse aliud nisi responsum oretenus alicui redditum occasione alicuius dubitationis seu controversiae a quopiam parocho motae: idque suadet generale omnium de hac re silentium usque ad Caietanum, qui de ea non aliunde, quam ex lectione fortuito se quidpiam novisse scribit. Quae autem dicturi sumus, plane ostendent, ad somnia esse relegandum, quidquid de Praelatis vulgantibus, et de consuetudine invalescente VV. confinxere. Ad rem iam ipsam.

Testes consuetudinis nobis a VV. promuntur Navarrus et Iacobus de

n. 41.), S. Antoninus (*Summ. Part. 3. Tit. 17. cap. 4.*), Summ.

Graffiis. A Navarro incipiamus. Duplicem consuetudinem invenire est a Navarro memoratam: alteram in Commentariis ad *C. Placuit De Poenit. Disp. 6. n. 32,* qua *presbyteri possent sibi deligere confessarium.* Navarrus porro quoad hanc consuetudinem respondebat (*ibid. n. 33.*), *hoc facere presbyteros de facultate tacita vel expressa Superiorum.* Atqui *consuetudo,* de qua Lugo, excludit eligendi facultatem, quae sit a Superioribus. Ergo consuetudo, de qua hic Navarrus, non facit ad rem, imo probat consuetudinem contrariam.

Alteram consuetudinem memorat Navarrus *Man. Cap. 27. n. 261., qua Parochus habens facultatem absolvendi a casibus reservatis Episcopo suo possit absolvere poenitentem alterius Episcopatus, cum iusta licentia sibi concessa, a peccatis reservatis suo Episcopo.* Verum haec allegatio duplici vitio laborat. Primo quidem quia huiusmodi consuetudo, exigens nempe ut reservatorum confessio fiat habenti facultatem in reservata, adeo non ea est, de qua Lugo, ut eam (*Disp. 20. n. 71.*) reiiciat. Secundo quia Navarrus etiam hic poenitenti supponit *concessam iustam licentiam.* Atqui consuetudo, cui Lugo innititur, exigit, ut nulla adsit licentia. Ergo et ista non est ad rem, imo suadet oppositum.

Neque aliter se res habet quoad alium testem. Ex Iacobo de Graffiis VV. locum afferunt, in quo (*Decis. aur. Lib. 1. C. 13. n. 48.*) consuetudinem testatur fuisse Neapoli, qua sacerdos, *qui* FACULTATEM *habet* (absolvendi) *reservatis a suo Episcopo, possit absolvere subditos alterius Episcopi ab eo reservatis in sua dioecesi.* At enim iam diximus, hanc theoriam a Lugo non admitti. Ergo et ista apta non sunt ad testandam consuetudinem, quam Lugo asserit. — Sed ulterius quaeramus: Quid sentit Graffius de Lugonis hypothesi? En quid scribat ipso loco a VV. allegato (*n. 46.*): *Quaeritur, an confessarius possit absolvere non subditum... de aliquo peccato reservato suo Episcopo, quod tamen, ubi confitetur, non est reservatum, v. gr. Episcopus Nolanus reservavit sibi adulterium, quod ubi confitetur adulter, idest Neapoli, non est reservatum, an confessarius expositus ab Archiep. Neapolitano possit illum absolvere? Respondeo, quod... si domicilium non mutaverit, ut sunt peregrini,* TUNC NON POTEST ABSOLVI; *quia ex quo ratione domicilii et habitationis quis dicitur subditus..., ideo non dicitur exceptus a subiectione sui Episcopi, qui peccatum reservavit, et per consequens non potest absolvi.* Graffius ergo sine ambage profitetur doctrinam e diametro illi oppositam, quam Lugo et S. Alphonsus defendunt, et pro qua allegant consuetudinem. Quid itaque forte quis sentiat de VV., qui allegant et referunt ex Graffio paulo post sequentia, atque adeo etiam hic allata non potuerunt non vidisse, nec tamen dubitant Graffium pro conficta illa consuetudine allegare?

12. Sed ad uberiorem rei evidentiam non satis fuerit ostendisse, duos unicos, quos VV. promunt, testes perperam ab iis allegari, quin et oppositum suadere, praeterquam quod isti etiam minus idonei extitissent ad probandam consuetudinem, quae aetate Eugenii IV extiterit, utpote uno saeculo et ultra posteriores: et reipsa hi duo de suae aetatis usu verba faciunt, non autem de anteriori. Inquiramus itaque de Eugenii IV aetate, quando iam extantem hanc consuetudinem Eugenius dicitur approbasse, tum de aetate sequenti, quando iuxta VV. consuetudo ista *magis magisque* invaluit.

Coaevus Eugenio fuit S. Antoninus, imo ab ipso Eugenio renunciatus Archiepiscopus. Quid de ista consuetudine S. Antoninus? Paucis. Ista consuetudo, ut ait Lugo, supponit, *poenitentem non habere facultatem ab Episcopo eligendi confessarium.* S. Antoninus autem sic habet (*Sum.Part.3. Tit. 17. C. 4.*): *De peregrinis quidem dicendum est, quod si sine licentia Curatorum et Episcoporum profecti sunt,* nil *privilegii habent in hoc.*

Rosella (*V. Confessio III. n. 32.*), Petrus a Palude (*In 4. Dist. 17.*

Concordant in hoc, scilicet quod peregrini et negotiatores, et alii viatores, si non habent licentiam a suis Curatis vel Episcopis..., non possunt ab aliis absolvi, Innocentius, Hostiensis, et Guillelmus. Ergo S. Antoninus oppositam extitisse consuetudinem aperte testatur.

Id patet etiam ex Summa Pisana, quam S. Antoninus saepe laudat. Nam (*V. Confessio III.*) haec habet: *An peregrini possint confiteri alieno sacerdoti? Respondeo, si acceperunt peram et baculum a propriis sacerdotibus, sive aliter de eorum licentia iter arripiant, praesumendum est, datam eis esse licentiam confitendi.... Si autem sine licentia proprii sacerdotis peregrinantur, non possunt absolvi ab alio nisi in necessitate.* Et paulo infra: *Utrum peregrinus, qui habet crimen, cuius absolutionem retinuerat sibi Episcopus, in peregrinatione possit absolvi a simplici sacerdote? Respondeo: Potest absolvi maxime si instet tempus generalis confessionis, ut in Pascha. Sed debet ei iniungi, quod cum habuerit copiam sui Episcopi, iterum confiteatur ei, et ab eo recipiat poenitentiam de illo... Si vero non fuit necessitas, nec absolutio valuit. De qua necessitate dictum est supra. Ibi dicitur de necessitate periculi mortis. Et sic A. videtur sentire, quod instans tempus communionis non sit iusta causa, quare quis possit absolvi ab alieno sacerdote.* Numquid non et ista quoad partes omnes adversantur fictae a VV. consuetudini, eamque falso confictam ostendunt?

Et in Summa Armilla Bartholomaei Fumi (*V. Absolutio n. 30.*): *Quando quis habet licentiam confitendi ab Episcopo vel Curato, propter hoc non poterit absolvi a reservatis, quia hoc est contra iuris dispositionem C. Si Episcopus: et sic tenet Caietanus.* Ergo contra ac ferat iactata illa consuetudo, Fumus et exigit licentiam eligendi confessarium, et facultatem pro reservatis negat.

Et in Summa, cui titulus *Summula Raymundi* (*Tr. 4. C. 5.*): *De peregrinis viatoribus colligo... quod si moram alicubi non contrahunt* (scil. domicilium), *non poterunt confiteri ibidem, nisi licentiam acceperint a proprio Episcopo vel sacerdote parochiali ubilibet confitendi...; quia tunc etiam ibidem confiteri possent et absolvi;... tutius tamen esset specialiter licentiam petere: et quos casus sibi reservat Episcopus suus, sibi declarari, cum non possint absolvi a talibus casibus sine eius licentia.* Num non et ista ostendunt, consuetudinem extitisse prorsus illi oppositam, quam perperam iam inde ab aetate Eugenii IV extitisse et magis deinde invaluisse VV. iactant?

13. At enim plura, quae sane in promptu in eandem rem essent, heic addere iam supervacuum videri debet, quando et VV. nihil, quod aptius ad rem faceret, depromere valuere, quam duo illa Navarri et Graffii testimonia in rem ipsorum VV. ineptissima, quae immo manifeste eorum assertiones penitus subvertunt. Qui plura tamen cupiat, adeat Auctores quoad praesentem quaestionem in textu Gury allatos; et totidem testes veraces contra confictam illam consuetudinem reperiet, cuius imo vestigia nulla inveniet non solum ante inductas per Henriquez ac Suaresium novitates, sed neque deinceps, antequam Lugo ad evitanda absurda (*sup. n. 10.*), quibus et nova Suaresii theoria scatet, novum hunc tramitem sane minus feliciter ingressus est.

Et quidem in appellando ad Eugenii IV Declarationem alia labes non deest. Equidem Caietanus unicus testis est, qui huius Declarationis memoriam (ubinam conscriptam, ipse non dicit) repererit: quocirca cuiusmodi extiterit haec Declaratio, ex Caietano dumtaxat erui potest ac debet, atque adeo gratis excogitatum atque assertum dicendum est, quidquid appendicis alii adiecerint, nec ex Caietani verbis necessario eruatur.

In primis itaque ex Caietani verbis manifestissime constat, Eugenii IV Declarationem ad solam occasionem annuae in Paschate confessionis et

Q. 3. art. 3. Concl. 4.), Summ. Sylvestr. (*V. Confessio I.* §. *11.*), communionis pertinere. Ita Caietanus: *Memini alias me legisse, Eugenium quartum concessisse seu declarasse vivae vocis oraculo, viatores ubi se invenerint* IN PASCHATE, *censendos tamquam adeptos incolatum quoad sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae.* Adeo autem ex Caietani testimonio (quod unicum ceu authenticum haberi hic potest), Declarationem istam ad solam *Paschatis* occasionem certum est spectare, ut ipse expresse neget, eam ad alias occasiones extendi posse. Quid est itaque, quod et Suarez et Lugo, et alii post eos, dum generalem eam statuunt regulam, cui totum reipsa eorum aedificium innititur, peregrinos nempe ceu advenas ac viatores quoad sacramentum Poenitentiae nunquam non habendos esse ceu *loci incolas*, praecipuum, ne dicam unicum, eius regulae fundamentum in Eugenii declaratione reponant? Quid est, quod suam hanc ipsorum regulam tradunt ceu *consuetudinem* ab Eugenio approbatam, quando Eugenii declaratio mere ad occasionem Paschatis pertinet?

Neque hoc satis. Quid enim demum illud est, quod circa Paschatis occasionem Eugenius declaravit? Dominicus Soto (*In 4. Disp. 18. q. 4. art. 2.*) hoc unum in Declaratione vidit, quod *Peregrini et vagabundi ceu parochiani oppidorum, ubi se invenerint, confiteri debent nonnisi plebanis* (quo nomine intelligere videtur confessarios ibi expositos): *quia non debent esse liberioris conditionis, quam incolae.* Sic enim intelligit verba Declarationis ex Caietano ibi descripta: *censendos tamquam adeptos incolatum.* — Neque aliter Petrus Soto (*Instr. Sacerd. De Confess. Lect. 5.*): *Caietanus rationabiliter ex Pontificum concessione... peregrinantem omnem putat absolvi posse, ubicumque se invenerit in Paschate, idque eo iure, quo alii subditi illius loci, hoc est, ab his, a quibus alii absolvuntur.* — Huc Eugenii Declarationem revocat et Navarrus (*In C. Placuit Disp. 6. n. 66.*) inquiens: *Pro Thoma a Vio facit, quod ait, alicubi se legisse, vivae vocis oraculo declarasse Eugenium, viatores eo loci, quo invenirentur, quoad sacramenta Eucharistiae ac Poenitentiae censendos esse tamquam incolas illius loci. Cum igitur incolae non aliis, quam suo parocho confiteri possint, sequitur neque peregrinis aliud concedendum.* — Et Filliuccius (*Tr. 7. C. 7. n. 195.*): *Peregrini et iter agentes.... ex consuetudine et tacita licentia Parochorum possunt confiteri vel parocho loci..., vel aliis sacerdotibus delegatis... Caietanus etiam refert, Eugenium IV hoc declarasse in annua confessione vel communione; quare multo magis aliis temporibus.* Ergo quod Eugenius IV declaravit, his demum concluditur, 1° quod occurrente Paschatis tempore viatores possunt confessionem peragere et S. Eucharistiam sumere in loco, ubi tunc inveniuntur; 2° quod confessionem aut cum parocho aut cum aliis delegatis, non secus ac incolae, ibi peragere debent, cum non debeant viatores esse melioris conditionis, quam incolae, ut scilicet (verbis utar Caietani) *possint sibi eligere in confessorem, quem velint.*

Et cum haec ita sint, quid, quaeso, in Eugenii IV Declaratione erat, ubi et Suarez et Lugo suas theorias superstruerent? Quid erat, quo Lugo contenderet, ab Eugenio confirmatam fuisse consuetudinem, de qua nemo ante eum cogitaverat? Sed iam ad alia: quae enim huc usque dicta sunt, satis palam faciunt, *genuina* ne, an vero *spuria*, ut VV. (*Pag. 543.*) malunt, sit *historia vicissitudinum huius controversiae, immensaeque confusionis in eam inductae,* prouti in *Nota* fuerat adumbrata. Sed iam ad alia.

14. Subdunt VV. alium articulum cum titulo (*Pag. 542.*): *Sententiam affirmativam* (nempe posse advenam a suis reservatis a quolibet confessario absolvi, si in loco confessionis reservata ea non sint) *S. Alphonsus optimo iure communissimam censet;* ac deinde per septem columnas textus afferunt novem et viginti Auctorum praeter alios novem, quos S. Doctor Alphonsus allegaverat.

Berarduccius (*Summ. Corona de Sacr. Poenit. n. 51. Dub. 3.*

Resp. Quaestio non est, num plures novam et falsam viam iniverint, quam Henriquez ac Suarez aperuerant; id enim in *Nota* clare dictum extabat: et alioquin istae eorum allegationes minime evincunt, falsam ac spuriam esse historiam, quae in *Nota* exponitur.

Ut evincerent, *spuriam* esse historiam in *Nota* expositam, en capita, quae solidis argumentis probare debuissent:

1. Non extitisse communissimam omnium unanimiter scholarum doctrinam, qualis in *Nota* exhibetur, quousque eam corrumpere Henriquez aggressus est, et post eum Suarez.

2. Henriquezium alia, eaque idonea supellectile, quam fallacium allegationum congerie, fretum, novum suum canonem intulisse. Curnam VV. ne pauculos quidem versus propulsandae huic incusationi dedicarunt? Cur non unam saltem ex tot illis Henriquezii allegationibus ad rem facere VV. conati sunt ostendere?

3. Novum canonem inversum de peregrino reservationibus dioecesis, ubi confitetur, subiiciendo non fuisse primitus a Suarezio invectum.

4. Lugonem non abiecisse vel illa principia, quibus essentia sacramentalis iudicii continetur, ut scilicet aliquo modo evaderet ab absurdis, quae Suaresii novam theoriam necessario consequebantur.

5. Tum consuetudinem, tum vim istius consuetudinis, prout Lugo supponit, ita antiquitus agnitam ac probatam fuisse, ut citra incredibilem anachronismum confirmata ab Eugenio IV dici queat.

6. Non unica mirabili vi phantasiae Eugenii IV oralem, si quae fuit, Declarationem in Decretalem quamdam Constitutionem fuisse a Villalobos conversam.

Atqui nihil horum VV. praestiterunt, neque id ipsum praestant allegationes, quas addunt, tot Auctorum. Quinimo alia quoad istos Auctores sparta VV. maneret, videlicet ut istos Auctores purgent a nota contradictionum, quibus perpetuo semet involvunt. Ut enim vel unum tantum dicamus, sepositis nunc iis auctoribus, qui cur aliquid circa has quaestiones affirment vel negent, neque se satis nosse palam faciunt, alios, qui dictorum reddere aliquam rationem volunt, deprehendes, hinc astruentes iurisdictionem confessario a poenitentis Ordinario delegatam, inde vero eandem iurisdictionem non a poenitentis sed ab confessarii Ordinario concessam, atque adeo restrictam vel non restrictam supponentes. Sed iam plus semel diximus: postquam ducibus Henriquez et praesertim Suarezio auctores declinare coeperunt a trita rectissimaque veterum via, quorum tamen omnia abnegare principia non potuerunt, ista contradictionum series vitari nulla ratione potuit.

15. Quandoquidem autem VV. simul cum praesenti impugnarunt et *Notam* mox sequentem, et res ita fert, quia utraque Nota ad eandem quaestionem pertinet, responsum et ad ista hic subiiciemus.

Primo itaque per octo columnas *(Pag. 547–530.)* impugnant VV., quod in *Nota* dicitur, nempe *in Constitutione Superna Clementis X mere agi de privilegio Regularium*, de privilegio scilicet absolvendi advenas a reservatis in eorum Dioecesi. *Verum non est*, inquiunt *(Pag. 548.), sententiam communem esse, in eadem Constitutione mere de Privilegio Regularium agi.*

Resp. Aegre quis forte prima fronte intelliget, quidnam sibi hic VV. velint, aut quo spectet istiusmodi ipsorum paradoxum. Verba Constitutionis haec sunt: *Posse autem Regularem Confessarium in ea dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis... absolvere etc.* Porro VV. primo quidem videntur negare velle, agi de *privilegio*. Nam *(Pag. 548.)* advertunt, verbum *posse, et titulum Constitutionis nihil probare;* rationemque reddunt *(Pag. 548.)*, quia in Con-

§. *Quarto quando*), Engel (*Man. Paroch. Part. 3. Cap. 2. n. 7.*),

stitutione *mere definitur, quid Regulares possint, et quid non possint.* — Ad haec Resp. Titulus Constitutionis est hic: *Constitutio, in qua Regularium privilegia quoad.... Sacramenti Poenitentiae administrationem declarantur.* Porro cum vox *posse* significet *habere potestatem*, cuiusmodi autem sit potestas, de qua sermo, ex natura rei, de qua agitur, sit desumenda, argumentum vero sit *Declaratio Privilegiorum*, manifestum est, eiusmodi potestatem ad *privilegia* pertinere.

Luculentius autem id patet ex contextu, in quo particula allegata iacet. Ubi enim in Constitutione mentio privilegiorum fit, haec dumtaxat habentur (§. *6. et 7.*): 1. Vi privilegiorum Regulares *non posse absolvere a casibus ab Episcopo sibi reservatis;* 2. Per confirmationes privilegiorum post Tridentinum obtentas, *non revixisse privilegium, si quod Regulares habebant, absolvendi a casibus Episcopo reservatis;* 3. *Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apost. reservatis non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere; posse autem... confluentes ex alia dioecesi, a peccatis in ipsa reservatis.... absolvere;* 4. denique *vigore supradictorum privilegiorum non licere Regularibus absolvere poenitentes a censuris quoad forum externum.* Cum itaque inibi declaretur, quidnam *vi privilegiorum* possint aut non possint circa motas quaestiones, unica autem quae ibi Regularibus asseritur potestas, ista sit, ut confluentes ex alia dioecesi absolvere ab ibi reservatis possint, luculenter apparet, illam potestatem ad *privilegia* pertinere.

Idque alio evidentissimo argumento inde eruitur. Nam postquam dictum ibi est, VIGORE PRIVILEGIORUM *non licere Regularibus absolvere poenitentes a censuris quoad forum externum* etc., subditur: *Quinimo censuris ecclesiasticis irretitos, et denunciatos, ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus.* Unde sic: Hic manifeste agitur de casibus, a quibus Regulares absolverint *vigore privilegiorum;* ergo agitur de *casibus reservatis;* secus enim non requiritur ad eos absolvendos ullum privilegium; agitur autem de casibus reservatis Episcopo, ut patet ex allatis verbis Constitutionis; denique agitur de reservatis in *alia dioecesi;* quia a reservatis Episcopo in Dioecesi, ubi *Regularis est approbatus,* ipsa Constitutio, ut vidimus, declarat, regulares vi privilegiorum non posse absolvere. Evidentissimum ergo est, facultatem absolvendi a reservatis confluentes ex alia dioecesi etc. in ipsa Constitutione declarari ceu *Regularium privilegium.* Et en ratio, cur assertio VV. paradoxum merito appellari possit.

16. Quoniam vero VV. (*Pag. 547.*) scribere non dubitant, *concessionem quoad casus in dioecesi Confessarii non reservatos, quae in Constitutione* Superna (Clementis X) *habetur, non esse privilegium specialiter Regularibus concessum;* et insuper contendunt (*l. c.*) id ipsum confirmare ex aliqua declaratione S. C. Concilii; proderit profecto ad praeiudicia eiusmodi refellenda historiam breviter texere eorum, quae circa absolvendos casus episcopales Constitutionem Clementis X praecesserunt, undenam scilicet dissensiones orirentur quoad hoc Episcopos inter et Regulares, quibus tollendis Clemens manum admovit. Ut enim scribit Ioan. Marin (*Theol. Spec. et Moral. Tr. 22. Disp. 10. n. 45.*), *Clemens X cum ante suum Pontificatum integram notitiam habuisset, eo quod per plures triginta annis a Secretis fuisset S. Congregationis, postquam in Pontificem electus est, eiusmodi dissidia extinguere cupiens, promulgavit Bullam* etc.

Dissidiorum itaque originem ex eo enatam cernimus, quod aegre Episcopi ferrent, Regulares vi suorum privilegiorum facultatem sibi tribuere etiam ab Episcopalibus absolvendi. Nam quod Regulares ab his absolverent, testes habemus Tridentino anteriores. Ita Fumus (*Armill. V. Absolutio n. 26.*): *Fratres, qui habentur praesentati secundum dictam formam* Clem. Dudum, *ab omnibus casibus absolvere possunt* (*exceptis praecise reservatis

Comitolus (*Resol. Mor. Lib. 1. Q. 28.*), Cosimus Philiarchus (*De*

Episcopo vel Superiori IN IURE), *quantumcumque reserventur Episcopo ex consuetudine vel Constitutione vel beneplacito alii casus.... Quia gratia, quam concedit Papa, videlicet* posse absolvere ab omnibus, nisi reserventur A IURE, *revocare vel arctare non potest inferior... Ideo haec opinio tenenda est et practicanda.*

Et Summ. Tabien. (*V. Dispensatio n. 16.*): *Cum ergo dicti fratres non possint absolvere a casibus* IN IURE *reservatis Episcopis, ut dicitur in* Clem. Dudum: *ergo possunt ab omnibus aliis, ut reservatis ex consuetudine particulari loci, vel synodali Constitutione; quia unum negando, aliud tacendo concessit.... Nec possunt Praelati dictam concessionem revocare vel defalcare; non directe, denegando audientiam Confessionis, quia habent per Clement.* Dudum; *non indirecte, prohibendo parochianis, ne confiteantur eis..., nec per retentionem multorum casuum, quia fieret in fraudem legis, quod fieri non debet.* Quam opinionem postquam Sylvester (*Summ. V. Confessor II. n. 5.*) retulit, subiicit: *Quam opinionem sequuntur communiter omnes Summistae et Doctores, et hoc rationabiliter et vere.* Et hoc idem sensisse Alph. Vivaldum Saec. XVI iam labente testatur Reginaldus (*Lib. 8. n. 55.*). Vid. et Lezana (*Summ. Quaest. Regular. Tom. 1. C. 19. n. 17.*). Fuisse tamen, qui contradicerent, allegati testes satis indicant, sicut et Navarrus (*Man. Cap. 27. n. 266.*).

Hic paulisper sistamus. Haec controversia, cui finem demum imposuit Clemens X, tota in hoc residebat, uti patet, quo usque se protenderent Regularium privilegia. Contra per eam aetatem nemo, ut superius vidimus, ne per somnium quidem cogitabat de facultate, quam ad absolvendos casus episcopales haberent saeculares confessarii non privilegiati; nondum enim novitates ab Henriquez et Suaresio invectae quaestionem hanc perturbaverant. Ergo neque controversia ipsa, neque eiusdem resolutio ad saeculares non privilegiatos ullo modo pertinet. Sed ad historiam.

17. Interim S. Carolus ann. 1577. cum a S. Congr. Concilii quaesivisset, an Regulares ex privilegio possint in casibus, quos sibi Episcopus reservaverit, absolvere; et Congregatio ad SS. de re detulisset, Sanctitas sua etiam de sententia Congregationis censuit, *ex facultatibus per mare magnum, aliave privilegia Regularibus concessa, factam eis non esse potestatem absolvendi a casibus sibi ab Episcopo reservatis.*

Accessit sub Clemente VIII decretum S. Congr. Epp. et Regg., datum 9. Ian. 1601., quo *sacerdotibus omnibus tam Saecularibus quam Regularibus praecipiebatur, ne quis eorum sub praetextu privilegiorum, indultorum, aut facultatum* etc. *ab ullo ex casibus in Bulla Coenae contentis, vel alias quomodocumque Sedi Apostolicae reservatis, nec etiam a casibus, quos Ordinarii locorum sibi reservaverint, absolvere audeat.* Sed deinde alio decreto 26. Nov. 1602 eadem S. Congregatio ex mandato Clementis VIII praecedens *Decretum ita moderatur ac declarat, videlicet sub eiusdem prohibitione tantum imposterum comprehendi casus in Bulla Coenae, ac praeterea* (subduntur hic notissimi quinque casus exinde *Clementini* dicti). *Item omnes casus, quos Ordinarii locorum sibi reservarunt vel in posterum reservabunt.*

Rursus hic sistamus paulisper. Reponent VV., ex ipso decreto erui, controversiam fuisse etiam de confessariis *saecularibus.* Resp. *Distinguo:* De saecularibus privilegio aliquo seu indulto praeditis, *Concedo;* De aliis, *Nego.* Id patet enim non modo ex allatis verbis Decreti an. 1601, sed clarius in rem nostram sic habet Decretum an. 1602.: *Praeterea declarat, eos quidem sacerdotes, tam Saeculares quam Regulares,* QUI ALIQUO EX PRIVILEGIIS, INDULTIS, ET FACULTATIBUS IN SUPRADICTO DECRETO EXPRESSIS, SUFFULTI FUERINT, *posse iuxta eorum privilegia, indulta, et facultates... absolvere a casibus in praesenti Declaratione non comprehensis:* ALIIS VERO

offic. Sacerd. Part. 2. Lib. 2. Cap. 26.), Caietanus Verani (*Lib. 5.*

SACERDOTIBUS HUIUSMODI PRIVILEGIA NON HABENTIBUS, NIHIL DE NOVO CONCEDI. Ergo sacerdotes saeculares *non privilegiati* HABENT NIHIL. Ergo ad hosce controversia, quae neque post hoc Decretum finem habuit, nullo modo spectat.

18. Dixi, neque post hoc decretum controversiis finem factum fuisse. Ut enim constat ex Declar. S. Congr. Epp. et Regg. 7. Ian. 1617., *quamplures Regulares* absolvere a reservatis non dubitabant, asserentes in Decretis Clementis VIII iussu editis *excommunicationes Sedi Apost. vel Ordinariis reservatas minime comprehendi.* Itaque S. Congregatio de mandato Pauli V. Decreta innovavit praecedentia, ac insuper declarando praecepit, ut *nulli ex sacerdotibus praedictis, quibuscumque privilegiis, indultis, et facultatibus suffulti, ab excommunicationibus vel a casibus eisdem Ordinariis vel Sedi Apostolicae reservatis... absolvere audeant vel praesumant.*

Sed nondum controversiae finis. Nam Regulares inhaerentes verbis sup. memorati Decreti iussu Clementis VIII editi 9. Ian. 1601, scilicet, *Sacerdotibus omnibus tam Saecularibus, quam Regularibus,* PER UNIVERSAM ITALIAM EXTRA URBEM *degentibus.... praecipit...*, concludebant, aliqua veri specie, Decreto illo eos non teneri, qui extra Italiam aut intra Urbem imo et Urbis districtum degerent. Proinde tum a casibus sibi ab Episcopo reservatis, tum etiam a contentis in Bulla Coenae contendebant sibi fas esse in iis locis absolvere. Itaque ecce rursus eadem S. Congregatio 17. Nov. 1628., iussu Urbani VIII Decretum edidit, *Regulares cuiusvis Ordinis.... nec intra nec extra Italiam in vim privilegiorum... posse quemquam absolvere ab iisdem casibus in Bulla Coenae, aut Ordinario loci reservatis; ac si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas fore et esse.* Et hic advertere iuvat, in praemissis Decretis nomine *saecularium Sacerdotum,* qui aliquo privilegio muniti forent, iuxta Thesaurum (*Part. 2. V. Absolutio Cap. 3. n. 4.*) designari Ecclesias quasdam seu sanctuaria insignia, in quibus possent ex privilegio a reservatis absolvi qui ea visitarent. Porro de his utique in decreto sub Paulo V an. 1617. memoriam videmus fieri; sed in postremo sub Urbano VIII iam soli *Regulares* in medium prodeunt.

Caeterum neque postremum hoc Urbani VIII decretum controversiam sustulisse, ecce testis Sporer, qui (*Theol. Sacram. Part. 3. n. 746.*) haec habet: *Eodem privilegio, eademque rationabilissima extensione in communiori et tuta sententia ob tam pingues et universalissimas clausulas Bullarum... Regulares Mendicantes absolvebamus a casibus, Episcopis ab homine reservatis, quos scilicet ipsi Episcopi, quisque in sua dioecesi sibi reservat, etiam non obstante Decreto Urbani VIII de anno 1628. 17. Nov. eam absolutionem prohibentis, eo quod illud Decretum aut extra Italiam se non extenderit, aut certe sufficienter promulgatum non fuerit. Postea vero prodiere vel innotuere authenticae tam multae Bullae et Declarationes in favorem Episcoporum, ut iis perpensis Alexander VII inter propositiones damnatas 13° loco etiam hanc prohibuerit: Mendicantes possunt absolvere a casibus, Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Ubi rursus soli Regulares sunt, qui in ista controversia implicati apparent; et cum Alexandri VII Decretum prodierit an. 1665, iam iam prope attingimus tempus, quo Clemens X hanc quaestionem ea, qua vidimus, ratione definivit.

19. Interim animadversum iam fuerat, ut habet Wigandt (*Tr. 14. Exam. 2. n. 59.*), praeceptum Regularibus impositum, ne a casibus Episcopo reservatis absolverent, intelligendum esse de reservatis ab Episcopo loci, ubi confessio excipitur. Ita Wigandt: *Dum Clemens VIII... prohibuit, ne confessarii absolvant a casibus reservatis Ordinariis, debet intelligi de Ordinariis* respective, *nimirum illorum locorum, ubi illi confessarii inveniuntur.*

Tit. 38. §. 8. n. 12, 13.), Amort (*Theol. Eclect. Tom. 3. De Poe-*

Et, ut alios omittamus, idipsum notavit etiam Filliuccius (*Tr. 7. Cap. 9. n. 284.*) scribens: *Respondeo, prohibitionem Clementis VIII debere intelligi de Ordinariis* respective, *hoc est: nemo absolvat a reservatis suo Ordinario; a reservatis autem alteri, non suo, non prohibetur; quia de hac reservatione non est sermo in eo decreto*

Et quidem pro hac interpretatione facit, quod idem Clemens VIII in altera Constitutione, quae incipit *Quaecumque a Sede Apost.* (*7. Dec. 1604. §. 9.*) eadem hac dicendi ratione sic utitur: *Decernimus insuper, ut iidem confessarii... ab aliis casibus, tam a Nobis, quam a praedicto Nostro in Urbe Vicario, et locorum Ordinariis* respective *reservatis, et pro tempore reservandis... absolvere... nullo modo possint.*

Huc etiam spectat, quod Urbanus VIII in Decreto 17. Nov. 1628. sup. allato prohibitionem coarctat ad casus *Ordinario loci* reservatos: *Regulares... nec intra nec extra Italiam in vim privilegiorum posse quemquam absolvere a casibus... Ordinario loci reservatis.*

Itaque cum prohibitio absolvendi a reservatis accipienda esset de reservatis Ordinario loci, in quo confessarius erat approbatus; Regulares autem etiam iuxta Clementis VIII decretum suis uti possent privilegiis; ac denique vi privilegiorum absolvere possent poenitentes undecumque venientes etiam a reservatis in eorum dioecesi; obvia erat conclusio, etiam post Clementis VIII Decretum, Regulares posse advenas etiam a reservatis in respectivis eorum dioecesibus absolvere.

20. Et quidem rectissimam hanc conclusionem extitisse, luculentum nobis argumentum suppeditat Fagnanus, qui per plures annos munere Secretarii S. Congr. Concil. perfunctus opus suum paulo ante Clementis X Pontificatum dictavit. Sic enim ille (*In Cap. Omnis utriusque n. 95.*) disserens de Cap. *Si Episcopus* Bonifacii VIII, per quod ipse dicit, non simpliciter tolli consuetudinem, sed nullam posse consuetudinem introduci, quippe quod resistat principiis introductionis illius, ista dein subiicit: *Sed quia haec quaestio non est praesentis indaginis, in ea diutius immorandum non duximus. Satis est, quod pertinet ad dubium, de quo nunc agitur, Regulares in ea dioecesi, in qua sunt approbati, posse absolvere confluentes etiam a casibus in aliena dioecesi reservatis: in hoc enim plus operatur* APOSTOLICUM PRIVILEGIUM, *quam consuetudo etc.*

Quod vero ad praesens institutum maxime facit, negat Fagnanus, hanc facultatem communem sacerdotibus saecularibus. Sic ipse (*l. c.*): *Quae tamen opinio quoad sacerdotes saeculares maximam patitur difficultatem, imo vera non videtur: quia nulla potest consuetudine introduci, quod aliquis praeter Superioris sui licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare, quae sunt formalia verba textus in C. 2. Si Episcopus.*

Ita et Reiffenstuel, qui et ipse ante Constitutionem Clementis X scripsit (*Th. Mor. Tr. 14. Dist. 9. q. 1. n. 2.*): *Regulares intra dioecesim Episcopi approbantis possunt absolvere poenitentem alterius dioecesis a casibus in dioecesi poenitentis reservatis, si hi non sint reservati in dioecesi, in qua confessiones audiunt: cum Regulares habeant iurisdictionem a Papa.*

Quinimo id a S. Congreg. iam declaratum vel ante Clementis X Constitutionem, indicat Ferraris (*V. Reservatio casuum n. 4.*). Postquam enim dixit: *Hinc poenitentes confluentes ex alia dioecesi cum peccatis in ea reservatis possunt absolvi a Regulari in dioecesi, in qua est approbatus etc.*, et ad id confirmandum textum retulit ex Clem. X. Const., sic pergit: *Posse enim Regulares intra dioecesim Episcopi approbantis absolvere etiam poenitentes alterius dioecesis, iam expresse declaraverat S. Congr. Concilii apud Fagnanum..., quia ipsi habent iurisdictionem a Papa, cuius ui-*

nit. Disp. 9. Q. 25.), Barbosa (*De Offic. et Potest. Episc. Part. 3.*

risdictio non restringitur ad limites alicuius territorii..., sed universus orbis est sua dioecesis.

Concludamus itaque, etiam historiam eorum, quae Constitutionem Clementis X antecesserunt circa istam controversiam, eo collineare omnia, ut verba Clementis mere ad declarandum et confirmandum Regularium privilegium pertineant.

21. Obiiciunt hic VV. (*Pag. 547.*), turbam illam Auctorum, de quibus sup. n. 14., tenere, declarationem Clementis X non ad *privilegium specialiter Regularibus concessum* spectare, *sed ad omnes confessarios etiam saeculares.*

Resp. *Distinguo:* Auctores isti inconsulto abierunt post Suarezii male fundatam opinionem, *Concedo;* infitiati sunt, id ex privilegio Regularibus competere, aut hoc *privilegium* a Sede Apostolica omnibus fuisse concessum, *Nego.* Unus hoc insinuat obscurus Auctor theologiae pro Seminario Petrocorensi: at eo ipso, quod iste solus docere id ausus sit, quod in re tam obvia nemo alius censuit sibi fas affirmare, iam satis ipse se damnat.

Dixi, *male fundatam Suaresii opinionem.* Omnia enim, quae de hac re Suarez habet (*Disp. 30. Sect. 1. n. 4.*), his demum continentur: *Aliqui ergo absolute negant, posse* (advenam) *absolvi ibi ab huiusmodi casibus* (in sua dioecesi reservatis). *Quod tenet Soto, et indicat Navarrus. Fundamentum est, quia in generali facultate non comprehenduntur casus reservati iuxta Cap. Si Episcopus 2. De Poenit. et Remiss. in 6°; illa vero facultas* (advenis facta a proprio Ordinario) *tantum generalis est. Nihilominus contraria sententia mihi magis probatur, quam tenet Caietanus, Paludanus, et S. Antoninus. Fundamentum est, quia ille, qui sic versatur in alieno Episcopatu, non ideo ibi confiteri et absolvi potest, quia utitur facultate eligendi confessorem, sed quia hoc ipso, quod versatur in alieno Episcopatu, potest ibi absolvi more incolarum illius dioecesis, et ita se gerere, ac si esset subditus Episcopi illius loci; hoc enim sensu intelligi debet consuetudo superius declarata, et ab Eugenio IV confirmata.* Quae quidem omnia (dictum hoc fuerit servata reverentia eximio Doctori debita) merito intolerabilia videri possunt. Nam 1° quid est, quod negativam sententiam uni Dominico Soto attribuit, cum tamen unanimis omnium retro Doctorum haec esset doctrina, et quidem fundata in huius sacramenti essentia? 2° Quid sibi vult illud, *et Navarrus indicat,* quando etiam Navarrus (*sup. n. 5.*) negativam sententiam aperte professus est, nisi forte Confessarius electus facultate etiam in reservata esset praeditus? 3° Quid est, quod ceu generalem regulam pro quavis occasione id proponit, quod (*sup. n. 2–3.*) Paludanus, S. Antoninus, et Caietanus dixerant de solo casu necessitatis occasione paschatis? 4° Quid est, quod in eandem rem adducit Declarationem Eugenii IV, quando Caietanus (*sup. n. 3.*), a quo ista sumpsit, disertissimis verbis absolute negat, Eugenii Declarationem extra paschatis occasionem ullum habere locum? 5° Quid est, quod quaestionem ipse ibi ponit de concessione iurisdictionis per facultatem eligendi confessarium iter facienti concessam, ob quam tacitam facultatem *consuetudine* introductam viator potest confiteri; et paulo post, dum quaestionem solvit, sibi contradicens aut certe subiectae quaestioni heterogenea elementa submittens de *consuetudine* disputat, in qua facultas illa eligendi confessarium nulla intersit? Et quidem *consuetudinem* illam subinducit, quam ipse alibi (*Vid. sup. not. ad §. 555. q. 13. n. 19.*) utpote *iuri divino* repugnantem introduci posse negabat? En fundamentum, et quidem unicum novae istius opinionis contra unanimem veterum doctrinam invectae!

22. Instant VV. (*Pag. 547.*) et allatis iis, quae Benedict. XIV. habet (*Lib. 5. de Synod. Cap. 5. n. 8.*), ubi memoratur Responsum S. Congr. Conc. 16. Sept. 1649., concludunt: *Generaliter igitur, et non distinguendo inter*

Alleg. 53. n. 15.) etc. Recentiores tamen commune Confessariis

Confessarios Regulares et Saeculares S. Congr. declaravit, invalidam esse absolutionem, si poenitens fraudulenter ad evitandam reservationem ex sua dioecesi discessit. Ex qua declaratione necessario colligendum est, absolvi posse poenitentes, qui in alium finem discesserunt.

Resp. *Transeat Antecedens*, et *Nego Consequentiam*, quam VV. subinferunt. Casus propositus S. Congregationi, prout legitur in Vol. 18. Decretor. Pag. 677. vers., iste est: *Cum irrepserit in Dioecesi Compsana abusus, ut a casibus Archiepiscopo reservatis plures obtineant absolutiones a vicinioribus Ordinariis, praetextu quod casus reservati in una dioecesi non reservati in alia. — Quaeritur, An huiusmodi absolutio sustineri possit. — S. Congreg. respondit, absolutionem poenitentibus, qui fraudulenter in aliam dioecesim se transferunt, non sustineri.* Ergo S. Congregatio solvit quaestionem addens eam rationem, quae in quavis hypothesi subsistit. Controversiam vero de ministri idoneitate ad absolvendum a reservatis penitus praeterit. Ergo nihil hinc extundi potest. Adde, in Quaesito non de simplici confessario, sed de *Ordinariis* agi; *Ordinarii* autem nomine intelligitur *Episcopus*. Ergo alia de causa resolutio ista ad rem non facit, quia VV. disputant de simplici confessario. — Quod vero in citato libro *de Synodo* praemittitur, nihil est. *Praeterea* (sic ibi) *haec olim opinio multorum mentes invaserat, liberum cuique esse ex propria dioecesi, ubi in casum reservatum inciderat, ad aliam, in qua reservatus non esset, ad hunc finem commeare, ut inibi a simplici confessario absolveretur.* Ac deinde subditur contra eam opinionem Declaratio hic allata S. Congregationis. — Hoc, inquam, nihil est. Nam de ea opinione, praeterquam damnat *fraudem*, nullum iudicium profert: imo cum in Responso S. Congr. non agatur, ut advertimus, de *simplici confessario*, patet, Lambertinium hanc quaestionem omnino praeterivisse. Quod si VV. contendere velint, eum in novam opinionem Suaresianam inclinasse, quia nempe subiicit quaedam verba obscuri illius, quem diximus, Auctoris Theologiae pro Seminario Petrocorensi, alius reponet: *Transeat.*

23. Obiiciunt VV. (*Pag. 548.*), Auctores in *Nota* allegatos, ceu testantes, *Clementis X* decretum ad *Regulares* spectare, *potius oppositum tenere.*

Resp. Distinguo: idest, illi Auctores post suaresianas novitates eandem confessariis saecularibus facultatem tribuunt, *Transeat;* non fatentur, decretum latum pro Regularibus esse, *Nego*. Speciminis instar ista sint ab ipsis VV. (*Ibid.*) relata. Collet: *Quae porro in Constitutione dicta sunt de Regularibus, ad alios extendi iubent causae paritas etc.* Et Roncaglia: *Quamvis autem ibi Pontifex de Confessariis Regularibus loquatur* etc. Idem de reliquis dicito.

24. Reprehendunt VV. (*Pag. 549.*) id, quod in *Nota* dicitur, *facultatem Regularibus tributam in Clementis X. Constitutione circumscriptam esse ea conditione, ne absolvant a reservatis in utraque dioecesi.* Obiiciunt contra, hanc non limitationem a Clemente impositam, sed esse omnium unanimem sententiam, quia, ut ait Suarez, *Confessarius a neutro Episcopo habet delegatam iurisdictionem.*

Resp. Et haec obiectio valere aliquid potest quoad asseclas novitatum ipsius Suarezii, *Transeat;* quoad eos, qui a rectissima veterum doctrina sibi non esse recedendum putent, *Nego*. In praecedentibus *Notis* iam ostensum est, iuxta verissimam et certissimam veterum doctrinam, quam recentiores, sibi perpetuo contradicentes, modo admittunt, modo obliviscuntur, iurisdictionem ad advenam absolvendum non ab Episcopo loci, sed ab advenae Ordinario delegari. Porro canon est, ut ait Engel, quod *delegatus non ex propria, sed ex iurisdictione delegantis iudicet* (*Arg. Cap. Sane 11. De offic. Deleg.*), vel, ut eundem canonem effert Schmalzgrueber (*Lib. 1. Tit. 29. n. 31.*), *Delegati potestas ex auctoritate et potestate delegantis me*

saecularibus fecerunt privilegium Regularium; et stante communi

tienda est, et ex mandato concesso. Nam Delegatus in iurisdictione sibi concessa vices delegantis gerit. Hinc, ut alias vidimus, meritissime Lugo absurdam censuit Suarezii theoriam, vi cuius *iurisdictionem, delegatam ab uno Episcopo, possit alius Episcopus, a quo ille non dependet, auferre aut limitare.* Quocirca ubi sermo sit de advena absolvendo, nuspiam apud veteres invenies, ullam rationem haberi iurisdictionis, quam confessarius a loci Episcopo obtineat, aut reservationis, quae ibidem vigeat. Haec cum ita sint, obvium per se est consectarium, *Regularem* confessarium utique advenam absolvere posse, utcumque peccatum hic afferat in utraque dioecesi reservatum. Non enim obstat reservatio dioecesana loci, quia haec nihil ad causam pertinet, ut dictum est; item non reservatio dioecesis alienae, quia Regularis confessarius, vi privilegiorum, advenientes ex alienis dioecesibus absolvere etiam a reservatis potest. Ergo nihil, re tantummodo in se spectata, impedit, quominus absolvere a peccato in utraque dioecesi reservato Regularis possit. Ergo ideo solum non potest, quia Sedes Apostolica, quae privilegium tribuit Regulari, ut advenam a suis absolvere reservatis possit, hac conditione facultatem eam coarctare voluit, si nempe etiam in dioecesi confessarii eadem peccata reservata non sint.

Quod si et hoc loco ad rem pro rudis hominis captu explanandam materiali, ut ita dicam, quopiam exemplo opus sit, finge Regularem, qui velit eo privilegio uti, de quo S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 586.*), eligendi nempe etiam sine Superiorum licentia, semel in vita confessarium, qui eum absolvat a quibuslibet reservatis; finge deinde quodpiam eius peccatum loci Ordinario esse reservatum; num quispiam propterea dixerit, Regularem eiusmodi ab electo confessario absolvi non posse? Et nunquid regula ista non est pro omnibus *exemptis* communis? Et advenae nonne ratione territorii sunt exempti? Idem ergo dicas, necesse est in proposita quaestione, nisi Regularium privilegium Clemens X eo modo ad abundantiam in Episcoporum favorem circumscripsisset.

25. Iuverit autem hic innuere mendum typographicum, quod in Vindicias hoc loco irrepsit. Postquam enim (*Pag. 549.*) dictum ibi legimus, *unanimem fuisse sententiam, non posse peregrinos absolvi, quoties casus in* UTRAQUE *dioecesi est reservatus*, mox (*Pag. 550.*) scriptum sic reperis: *Casum autem, quo peccatum in* UTRAQUE *dioecesi reservatum est, Auctores nequidem specialiter proponunt. Qui autem hunc casum commemorant, ut Lacroix et Amort, in alium finem commemorant:* in quibus nunquid non habes apertam antilogiam? Sed abest antilogia, quando in altero textu legas non *utraque,* sed *alterutra.* Verba enim VV. spectant ad eam *Notae* particulam, ubi dicitur: *E quibus illud etiam manifestum fit, inaniter quempiam suspicari posse, ea Clementis X verba ad casum spectare, in quo peccatum in alterutra tantum dioecesi reservatum sit.* Nam et verba VV. ad sensum textus Clementis referuntur.

Et quidem ipsi VV. (*Pag. 550.*) in eandem rem afferunt textus tum ex Croix, tum ex Amort. Nam Croix (*Lib. 6. P. 2. n. 1631.*) disertis verbis scribit: *Si autem casus non sit reservatus in dioecesi poenitentis, sed tantum in dioecesi confessarii, de hoc casu nihil expresse declarat Clemens.* Et Amort (*Th. Schol. De Poenit. Disp. 9. Q. 26.*): *Verum ex illa* (*Bulla Clementis X.*) *nihil argumenti erui posse censeo; quia Pontifex non negat, peregrinos absolvi posse a peccatis in dioecesi confessarii tantum reservatis, sed praecise negat, eos absolvi posse a peccatis, si in propria et aliena dioecesi simul reservata sunt.*

Unum Voit habemus, qui (*Vol. 2. n. 840.*) ut ex Clementis Bulla eruat, non posse absolvi a quolibet confessario peregrinum, si confiteatur peccatum in dioecesi tantum confessarii reservatum, non vero in sua, ita ratiocinatur: *Clemens X statuit, quod confessarius possit absolvere confluentes*

consuetudine, contra quam Ordinarii non reclamant, censen-

ex alia dioecesi a reservatis alibi, non autem a reservatis in illa, ubi idem confessor est approbatus. At enim quomodo non videt absurditatem, quam in ore Pontificis ponit? Nam in Constitutione additur: *nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Numquid vero in reservationis fraudem venire potest peregrinus, si in dioecesi tantum confessarii reservatum sit peccatum?

26. Oggerunt VV. (*Pag. 551.*), in *Nota falso et iniuste recentiores accusari, quod immensam confusionem in hanc quaestionem induxerint;* quippe in *Nota* conceditur, *peregrinos absolvi posse a peccatis in propria dioecesi reservatis, in quantum Episcopi hanc consuetudinem absolvendi vident et tacent: quod signum est sufficiens consensus et ratihabitionis de praesenti:* porro veteres quoque Auctores, Hostiensem, Raymundum, Astensem, Gersonem, Gullielmum de Monte Lugduno, et Gabrielem, qui videbantur consuetudinem habere ceu sufficientem etiam sumptam per se solam, Suarez recte explicat, quod nempe tacitum Superioris consensum subintellexerunt.

Resp. *Nego Suppositum,* quasi nimirum ideo dictum fuerit, recentiores in hasce quaestiones immensam induxisse confusionem, quia vim consuetudinis ex tacito Superioris consensu repeterent. In *Nota* confusio inducta dicitur, quia nonnisi ope falsarum allegationum Henriquez et Suarez praxim invexerunt et doctrinam veteribus omnibus incompertam, quin et ab his reiectam. Contra in ipsa *Nota* addebatur, hosce novatores ausos minime fuisse illud principium omnino abdicare, quo oeconomia iudicii sacramentalis continetur. Sed et illud in *Nota* additum est, non defuisse, qui ad graviora alia vitanda absurda etiam illud principium visi sunt abdicare, aequivocationibus deinde et contradictionibus semet et rem totam implicantes (*Vid. sup. n. 10 et 21.*).

27. Addunt VV. (*Pag. 551.*), recentiores Auctores in hoc solum distare a sententia Gury, quod hic in praesenti quaestione validitatem absolutionis repetat ex tacito consensu ac ratihabitione Episcoporum; recentiores vero, *plerosque saltem,* consuetudinem absolvendi dicant confirmatam auctoritate S. Sedis, scilicet 1° Declaratione Eugenii; 2° Declaratione S. Congr. Conc. an. 1649.; 3° Constitutione Clementis X. Ex quibus praemissis VV. deinde (*Pag. 553.*) fas sibi ducunt sic concludere: *Iam satis probavimus, in praesenti peregrinos non amplius ex tacito Episcoporum consensu absolvi, sed ex auctoritate S. Sedis,* seu, ut alias dicebant, *ex auctoritate Ecclesiae.*

Resp. 1. *Nego* imprimis Clementis X Declarationem allegatam ab Auctoribus in hanc rem fuisse; nam unus id ausus est obscurus Theologiae Petrocorensis Auctor, ut sup. n. 21. dictum est. Sed deinde *Nego,* eam Declarationem ad alia pertrahi posse, quam ad singulare Regularium privilegium, ut sup. n. 15. ostensum evidenter est. Ergo gratis VV. huc confugiunt, ut pontificiam consuetudinis illius approbationem aliquam inveniant.

Resp. 2. *Nego* imprimis ullum Auctorem ad Declarationem an. 1649 recurrisse, ut approbationem istam confictam adstrueret. Sed deinde *Nego,* quidpiam ex illa Declaratione pro huiusmodi approbatione extundi posse. Vid. sup. n. 22.

Sed illud etiam hic addendum, tantum abesse, ut S. Congregatio eiusmodi consuetudines approbandas censeret, ut per eam aetatem sanciverit, *privilegium* esse Regularium proprium, quo confessiones excipere confluentium ex aliena dioecesi possint. Ita testatur Fagnanus tunc S. Congregationis Secretarius (*In C. Omnis utriusque a n. 69.*). Cum enim D. Vulpius Archiep.Theatinus adversus Monachos Cassinenses proposuisset Sacrae Congr. dubium, *An Monachi ad confessiones saecularium audiendas approbati... possint audire confessiones confluentium ex aliena dioecesi;* reponit Fagna-

dum est, per ratihabitionem de praesenti huiusmodi peregrinum

nus (*n. 70–72.*), *Respondendum, dictos Regulares posse audire confessiones etiam dioecesanorum Archiepiscopi; quia licet de iure communi* NULLUS SACERDOS *possit absolvere poenitentem sibi non subditum etiam in illa dioecesi, in qua est approbatus: imo* NULLA POSSIT CONSUETUDINE INTRODUCI, *ut aliquis praeter Superioris sui licentiam confessorem sibi eligere valeat, ut legitur in Cap. 2. de Poenit. et Remiss.; aliud tamen videtur dicendum in casu praesenti, cum Monachi Congr. Cassin. ab Ordinario approbati ex* PRIVILEGIO *possint audire confessiones alterius dioecesani, etiam invito Episcopo.* Addit deinde Fagnanus (*n. 75.*), *S. Congregationem censuisse, referendum Sanctissimo;* et Sanctitatem suam *probasse privilegium;* ac denique sic S. Congregationis sententiam refert (*n. 79.*): *S. Congregatio declaravit, Regulares intra dioecesim Episcopi approbantis posse etiam absolvere poenitentem alterius dioecesis*, CUM HABEANT IURISDICTIONEM A PAPA, *cuius iurisdictio non restringitur ad limites alicuius territorii, sed universus orbis est sua dioecesis.* Frustra igitur VV. confictam illam approbationem, quae excludat necessitatem consensus saltem taciti Episcoporum, in responsis S. Congr. quaerunt.

Resp. 3. *Nego,* ex famosa illa Eugenii IV Declaratione approbationem ullam, cuiusmodi VV. promunt, deduci. Iam enim sup. n. 13. ostendimus, in ea Declaratione nihil contineri aliud, nisi quod *occasione paschatis advena possit confiteri aut loci parocho, aut aliis sacerdotibus ibi expositis, nemini autem alteri.* .

Concludamus itaque ad inania phantasmata remittendam pontificiam istam approbationem, qua VV. frustraneo conatu honestare utcumque volunt confictam illam consuetudinem, vi cuius *peregrini non amplius ex tacito Episcoporum consensu absolvantur:* et de qua sentiendum quid sit, satis ex iis constat, quae ad q. 13. §. 555. sup. adnotata sunt.

28. Addunt VV. (*Pag. 552.*) Ecclesiam confirmasse eam consuetudinem *saltem indirecte, quatenus approbavit, quod peregrini quoad sacramentum poenitentiae velut domiciliantes considerentur, et incolis aequiparentur. Quo peregrini, ipso facto et de iure a peccatis in loco confessionis non reservatis absolvi possunt.*

Resp. *Nego Antecedens.* Nam regula, quod peregrini incolis aequiparentur, non est nisi nova illa, et falsa theoria, quam ope falsarum allegationum, et abusù declarationis Eugenii IV invexerunt Henriquez et Suarez. Qui sensus sit Ecclesiae, discere est 1° ex declaratione sup. n. 27. a Fagnano memorata, ubi vel solum audire confessiones confluentium ex aliena dioecesi citra consensum saltem tacitum Episcoporum, exhibetur uti *Regularium privilegium;* 2° Ex Constitutione Clementis X, iuxta quam absolvere posse confluentes ex aliena dioecesi a peccatis in eorum Episcopatu reservatis exhibetur iterum ceu singulare *Regularium privilegium;* 3° Ex dogmatica Constitutione Pii VI, iuxta quam doctrina, quae tenet, nihil interesse, num subditus sit, nec ne, poenitens qui absolvitur, citra iurisdictionem a cuiusque respective Ordinario saltem indirecte et tacite delegatam, definitur ut *falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et iniuriosa, erronea* (Vid. sup. Not. ad q. 13. §. 555.). En genuinus Ecclesiae sensus.

Proinde *Nego et Consequentiam.* Ratio enim cur a reservatis valide absolvantur advenae, si confessio non fiat *Regulari privilegiato,* unica adest consensus Episcoporum tacitus, eo vel magis quia sermo de reservatis est. Nam si de peccatis non reservatis agatur, valida erit confessio extra dioecesim, si *Regulari* fiat, etiam invito proprio advenae Episcopo, uti n. praec. vidimus; at si de peccatis reservatis agatur, confessio, etiamsi facta *Regulari privilegiato,* invalida, si fiat invito Episcopo, dicenda est, quia nempe in fraudem reservationis fieret. Et haec satis de hac quaestione; nam quasdam alias ineptias obiectas persequi, operae non est pretium.

valide atque etiam licite absolvi. Excipe in utroque casu, nisi quis ex propria dioecesi ad aliam in fraudem reservationis se contulerit (*a*).

(*a*) Quod in Const. *Superna* agatur mere de privilegio *Regularium*, patet 1° ex verbis ipsis sup. relatis, *Posse* REGULAREM *Confessarium;* 2° Ex titulo seu argumento Constitutionis, quod eiusmodi est: *Constitutio, in qua Regularium privilegia quoad praedicationem Verbi Dei et Sacramenti Poenitentiae administrationem declarantur;* 3° Ex communi DD. sententia: qua de re videri possunt Simonnet (*Tr. XV. Disp. 9. art. 6. Resp. 7.*), Elbel (*Confer. XIV. n. 376.*), Roncaglia (*Tr. XIX. Q. 7. Cap. 2. q. 1. Resp. 2.*), Platelius (*Synops. Part. 5. n. 909.*), Ferraris (*V. Reservatio Casuum n. 4.*), Viva (*De Poenitent. Q. 8. art. 1. n. 5.*), Antoine (*De Poenit. C. 3. art. 1. q. 6.*), Collet (*De Poenit. Cap. 8. Part. 2. n. 560.*), Eusebius Amort (*De Poenit. Disp. 9. q. 25.*), S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 589.*), ac demum Fr. Antonius a S. Ioseph (*Tr. 27. n. 389.*), qui sedente Pio VI. Compendium Salmanticensium Romae 1789. edidit. Quod ergo nonnullis videri potuerit, ea particula Constitutionis *Superna* commune quoddam principium contineri, quod instar legis pro omnibus confessariis etiam saecularibus valeret, tribuendum id est primo quidem invectae ab Henriquez et Suarezio atque a pluribus exinde receptae theoriae, de qua (*in not. praec.*) dictum est; deinde vero opportuno quoque argumento, quod ex eadem Constitutione deducitur, ne absolvi advena a reservato queat, quoties in utraque tum poenitentis tum Confessarii dioecesi casus reservatus fuerit. Hac enim conditione circumscriptam esse etiam facultatem Regularibus tributam per ea verba: *Non autem in illa, ubi idem Confessarius est approbatus,* ne scilicet absolvant a reservatis in utraque dioecesi, communis est DD. sententia, quam vide penes La-Croix (*Lib. 6. Part. 2. n. 1631.*), Ferraris (*l. sup. cit.*), Euseb. Amort (*l. sup. cit. q. 26.*), Marc. Struggl (*De Sacr. Poenit. Q. 3. n. 48.*), Reuter (*De Poenit. n. 371.*), Mazzotta (*Tr. 6. Disp. 2. q. 3. §. 2. n. II.*), Viva (*De Sacr. Poenit. Q. 9. art. 3. n. 4.*), Platelium (*l. sup. cit.*), Emman. Thesaurum (*De Poen. Part. 2.* [*V. Absolutio Cap. 3.*), Giordanini, vulgo Auctorem Oper. *Istruzione pei Novelli Confessori* (*Vol. II. n. 503.*), Wagemann (*Synops. Theol. Part. 3. Tr. 2. Cap. 5.*), Illsung (*De Poenit. n. 224.*), Gobat (*Tr. VII. n. 376.*), Antoine (*De Poenit. Cap. 3. art. 1. q. 6.*), etc.; e quibus illud etiam manifestum fit, inaniter quempiam suspicari posse, ea Clementis X. verba ad casum spectare, in quo peccatum in alterutra tantum dioecesi reservatum sit.

Caeterum ratio ab A. prolata, cur confessarii quoque saeculares licet privilegium Regularibus a Sede Apostolica concessum non habeant, tamen confluentes ex alienis dioecesibus etiam ab istarum reservatis, non obstante Bonifacii VIII. Constitutione (*Cap. cit. Si Episcopus*) possint absolvere, unica reipsa est, quae cohaereat cum essentialibus iudicii sacramentalis principiis a Synodo Tridentina solemniter definitis, et rursus a Pio VI. in Const. *Auctorem fidei* (*n. 57.*) contra technas iansenianas inculcatis, statuentibus scilicet, neminem *a iudice non suo* solvi vel ligari posse, ac nullius momenti absolutionem esse, quam sacerdos in eum proferat, in quem *ordinariam aut delegatam non habeat iurisdictionem.* Constitutio enim *Si Episcopus* eatenus obstat, quatenus statuit, licentiam (tacitam vel expressam) eligendi confessarium a proprio Ordinario concessam nullatenus includere facultatem etiam pro reservatis. Quoties ergo signo aliquo constet, Ordinarios simul cum praedicta licentia etiam in facultatem pro reservatis consentire, iam satis Constitutio Bonifacii VIII. servatur. Atqui signum huius Ordinariorum consensus sufficiens est, quod consuetudinem hanc absolvendi sciant, et taceant; inde enim illa *ratihabitio de praesenti,* quae in casu ad absolutionis valorem sufficit. Huc faciunt ea Reginaldi

Quaer. 6° *An Praelati aut Superiores regulares possint reservar casus in suo Ordine vel Monasterio?*

Resp. Possunt nonnullos tantum reservare a *Clem. VIII.* determinatos, qui sunt undecim numero, ut videre est apud *S. Lig.*, etc. Alia autem reservare sine consensu Capituli generalis pro tota Religione, et Capituli provincialis pro tota Provincia nequaquam possunt (*a*).

(*Lib. 1. n. 70.*): *Tenendum est, iurisdictionem... sufficientem acquiri per licentiam tacitam, quae habetur ex ratihabitione de praesenti, tunc contingentem, quando vidente, et sciente, ac tacente sacerdote proprio, qui potest contradicere, sacramentum poenitentiae administratur.* Valet igitur de reservatorum absolutione id ipsum, quod Card. Caietanus (*Summ. V. Confessio 2.*) generatim de confessione ex tacita licentia proprii sacerdotis facta in dioecesi aliena sic aiebat: *Tacita Episcopalis licentia dat robur absolutionibus, et consuetudo non concurrit nisi ut testis licentiae.*

Et cum his quidem aptissime connectitur, quod Clemens X. cavendum Regularibus edixerat, et modo *a fortiori*, ut ait S. Alphonsus (*n. 589.*), ad Confessarios etiam saeculares transferri ob novam hanc praxim inductam oportet, nempe excipiendos ab ea lege poenitentes, qui in *fraudem reservationis*, ad subterfugiendum scilicet proprii sacerdotis iudicium in alienam dioecesim ad confitendum se conferant. In hisce enim adiunctis consensus Ordinarii, e quo iurisdictio ad absolvendum profluit, supponi nullatenus potest. Huc itaque redit, quod Thh. (cohaerentes ne sibi omnes, alii viderint) de simplici confessione extra dioecesim facienda communiter statuunt, validam scilicet absolutionem fore, *modo* (utar verbis Bonacinae *De Poenit. Disp. 5. Q. 7. punct. 2. n. 6.*) *iter non faciant in fraudem legis ea solum de causa, ut... evitent proprium pastorem, et alteri confiteantur..., ut bene observant Coninck, Vasquez, Suarez, Reginaldus, et alii recentiores.* Eandemque conditionem apponit Lugo (*De Poenit. Disp. 19. n. 7.*): *dum tamen* (inquit) *ex industria non discesserint a suo domicilio, ut occasione itineris alteri confiteantur.* Quod et recentius repetit Concina (*De Poenit. Lib. 2. Diss. 2. C. 4. n. 20.*), valide absolvi negans, *si industria discesserint* (*subditi*), *ut alibi confiteantur.* Vid. sup. n. 555.

Licet vero haec ratio valere non videatur quoad Regulares, qui cum iurisdictionem non habeant ab Episcopis, sed a Sede Apostolica, eo ipso videntur non indigere delegatione illa iurisdictionis, quae *tacito Ordinariorum consensui*, seu *ratihabitioni de praesenti* inest; verum alia quoad ipsos adest ratio, interdictum scilicet Sedis Apostolicae, quae dum privilegium illis concessum hac conditione circumscribit, pari efficacia ordini prospicit, disciplinamque ita tuetur, ut nihil sit, quod Episcopos a regenda et corrigenda sua cuiusque plebe impediat.

(*a*) Clementis VIII. decretum ita se habet: *Sanctissimus Dominus Noster, qui iampridem accurate perpendit, ac re ipsa comperit, quod reservatio facultatis absolvendi Religiosos poenitentes a peccatis quibusdam gravioribus, nisi Superiores admodum prudenter ac moderate illa utantur, nonnullos infirmos, qui interdum Superiori suae conscientiae maculas detegere formidant, adducere possit in aeternae damnationis periculum, et spiritualis remedii desperationem; ideo ut huic malo Sanctitas Sua opportune prospiceret, decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutionem sibi reservet, exceptis iis, quae sequuntur, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino iudicaverint.*

Veneficia, incantationes, sortilegia.

Apostasia a Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenit, ut extra septa Monasterii seu Conventus fiat egressio.

§. II. *De absolutione reservatorum.*

574. **Principia.** — I. Absolvere possunt a casibus reservatis de potestate ordinaria 1° ipsi reservantes; 2° eorum successores in eadem potestate; 3° eorum Superiores.

Nocturna ac furtiva e Monasterio seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale. Iuramentum falsum in iudicio regulari seu legitimo.

Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non sequuto.

Falsificatio manus aut sigilli Officialium Monasterii aut Conventus.

Furtum de rebus monasterii seu Conventus in ea quantitate, quae sit peccatum mortale.

Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cuiusque personae.

Malitiosum impedimentum aut retardatio aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud praeterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiae puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia matura discussione et consensu.

Sed et alia in eodem Decreto habentur scitu dignissima. Ac primo quidem statuitur, ne subditi confiteri teneantur apud Superiores: *Non liceat Superioribus Regularium Confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte aut proprio motu id ab iis petierint.*

Decernitur deinde, in singulis domibus plures adsignandos confessarios, ut liberum subditis sit eorum cuique pro lubitu confiteri: insuper et norma additur circa dandam iisdem confessariis facultatem absolvendi etiam a reservatis. *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero maiori vel minori; iique sint docti, prudentes, ac charitate praediti, qui a non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicaverit.* Et quoad primum prorsus reiicienda interpretatio est, quasi *unus* tantum dari queat Confessarius, si subditorum numerus non adeo magnus sit; aut quasi, quando pro magno eorum numero dantur plures, pars quaedam determinata cuique possit ita assignari, ut singuli unum tantum habeant, cui exclusive confiteantur. Quoad alterum vero caput manifestum est, in definiendo, an confessario tribuenda sit facultas absolvendi a reservatis, potissimas partes ipsius Confessarii iudicio deferendas esse.

His vero declaratio accessit summi momenti, quam ab eodem Clemente VIII. latam fuisse patet ex iis, quae narrat Ferraris (*V. Praelatus Regularis n. 58.*). Subnectitur autem eidem Clementis Decreto per haec verba: *Sanctitas Sua deinceps declaravit et declarat, ut si huiusmodi Regularium Confessariis casus alicuius reservandi facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii* ILLA VICE *poenitentes Regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere.* Adeo igitur Confessarii iudicio rem deferendam esse Clemens voluit, ut etiamsi Superior facultatem ipsi deneget, possit hic tamen a reservatis poenitentem absolvere. Scite autem monet Pellizzarius (*De Monial. Cap. 9. n. 29.*), hanc declarationem pro confessario quoque Monialium valere, quando hic facul-

II. Episcopi, vel eorum delegati absolvere possunt etiam a casibus papalibus *occultis*, iis tamen exceptis, quos Sedi Apostolicae *speciali modo* reservatos declaravit SS. Pius IX. Constat ex concessione *Concil. Trident. Sess. 24., Decret. de Reform., c. 6. Liceat*, et ex *Constit. Apostolicae Sedis 12. Octobr. 1869.*

tatem absolvendi a reservatis petat ab earum Ordinario, sive hic sit Praelatus Regularis, sive loci Episcopus, prouti scilicet monasterium sit, vel non sit *exemptum*. — Caeterum cum Declaratio dicit, confessarium post petitam, licet non obtentam facultatem, posse ILLA VICE absolvere, non ita hoc intelligendum est, quasi *unica* tantum *vice* id a Pontifice concedatur, sed quod Confessarius non possit a reservato vel eundem vel alium poenitentem rursus absolvere, nisi rursus a Superiore veniam requirat; quae si denegetur, rursus poterit confessarius absolvere, etc. Quocirca sensus erit, quod quoties facultas petitur, et negatur, toties confessarius absolvere potest, etc. Qua de re S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 586.*) refert, a Colleto proferri decretum Urbani VIII; sed est mera Colleti hallucinatio, qui perperam interpretatus est verba quaedam Compendioli Dianae, Romae editi an. 1654, ad quod ipse remittit.

Verum prorsus optandum, ne Superiores locum relinquant recurrendi ad usum facultatis per hanc Declarationem concessae. Sapientissime enim Suarez (*De Poenit. Disp. 30. Sect. 4. n. 9.*) monet, *Regulariter et moraliter loquendo Superiorem debere esse facilem potius, quam difficilem in hac facultate concedenda;* et hoc quidem iuxta Ordinationes Gener. S. I. (*Cap. 6. n. 1.*), ubi haec legebat: *Nullo modo Superior difficilis esse debet, sed facilis potius et promptus in ea concedenda.*

Et ratio egregia redditur in illis S. Thomae verbis (*in 4. Dist. 17. Q. 3. art. 3. q. 4. ad 6.*): *Peccaret autem sacerdos, si non esset facilis ad praebendam licentiam confitendi alteri; quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali sacerdoti confiterentur: unde illi, qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, et per consequens sibi ipsis.* Et rursus (*Contr. Impugn. Relig. Cap. 4.*): *Quidam, ut experimento inventum est, a confessione desisterent, nisi possent aliis, quam suis sacerdotibus confiteri, quandoque propter verecundiam, quia erubescunt confiteri illis peccata, cum quibus quotidie conversantur: quandoque vero quia suspicantur, sacerdotes sibi esse inimicos, et propter alia multa. Unde pie Praelati eorum infirmitati condescendunt, ne omnino in desperationem labantur, de aliis confessoribus eis providendo.*

Quocirca Suarez postquam (*l. c.*) addidit, *moraliter ac per se loquendo, minus periculi esse in concedenda hac facultate, quam in illa neganda;* subdit: *Ut concedatur, satis esse debet, quod nulla specialis ratio ad eam negandam occurrat: ut autem negetur, semper intervenire debet aliqua specialis ratio, quae id requirat... Immo licet aliquando Superiori videatur, intervenire suffi cientem rationem ad negandam facultatem; si tamen aliud ex relatione alterius vel alia via illi constiterit, subditum nullo modo velle Superiorem adire, neque aliis remediis tentatis ad id induci, tunc Superior nunquam debet negare facultatem, nec potest licite,* excepto casu de damnificatione aliorum: *quia non obstante quacumque ratione occurrente, et pensatis omnibus, tunc id magis expedit, immo necessarium est iuxta leges charitatis. Item quia haec est quaedam medicina subditi: ergo si cum rigore applicata cedat in perniciem eius, temperanda est, ideoque facultas concedenda. Unde Navarrus (in Cap. Placeat n. 149.) ait, solam verecundiam nimiam poenitentis esse aliquando sufficientem causam, ut haec facultas danda sit.*

Possunt Episcopi absolvere a casibus papalibus etiam *notoriis,* seu *publicis* omnes fideles, qui ob legitimum impedimentum Apostolicam Sedem adire nequeunt, ne ex dilatione absolutionis, animabus periculum immineat. Constat ex *Iure can.*

III. Confessarius quilibet etiam Regularis absolvere non potest a casibus *proprie episcopalibus,* nisi ab Episcopo ipso facultatem acceperit, etiamsi absolvere possit a quibuscumque casibus Papae reservatis. — *Ita Clemens X.* in Bulla *Superna,* ubi dicitur: *Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, non ideo in casibus ab Episcopo reservatis possunt absolvere.* Excipe iuxta superius dicta Regulares, qui ex eadem *Clement. X.* Constit. confluentes ex aliena dioecesi absolvere possunt ab eorum reservatis, nisi tamen in fraudem reservationis venerint, et peccata sint reservata etiam in loco confessionis.

IV. Nulla est reservatio in articulo mortis. Omnes igitur Sacer-

Quod autem Suarez excipiat casum *de damnificatione aliorum,* intelligendum est, quando scandalum *vel quodvis damnum forte immineret vel Religioni, vel domui, vel alteri, vel ipsi poenitenti;* nec aliter occurri illi posset, nisi rei notitiam Superiori praebendo. Tunc vero subditus, si abnueret, absolvi profecto non posset, non ex defectu iurisdictionis in Confessario, sed ex defectu dispositionis in ipso poenitente. Ius enim naturae exigit, ut subditus scandalum seu damnum illud removeat; et si unicum medium suppetit, ut res Superiori aperiatur, ad hoc sane ipse tenetur.

Ex quibus et illud iam patet, in toto hoc negotio ita prospiciendum esse secreto, ne poenitens ab ipso Superiore detegatur. Ita communiter Doctores. Unde in Ordin. Gen. S. I. (*Cap. 6. n. 3.*): *Caveat Superior, nec cum ab eo petitur facultas, curiose inquirat, aut aliud quid faciat, unde coniicere possit, quis ille sit, pro quo petitur, et ne circumstantias alias exquirat, quam quae ad rem pertinent. Caveat etiam Confessarius, ne quid elabatur, ex quo poenitens cognosci possit: qui si timeat, ne ex notitia alicuius rei possit Superior probabiliter suspicari, quis ille sit; sciat, se omnino eam reticere debere et omnem cautelam adhibere in casu proponendo, ne ulla ratione Superior possit probabiliter agnoscere auctorem. In quo si viderit, proponendo casum in specie, occasionem suspicionis Superiori dari, satis erit, si in genere dicat, aliquem in casum reservatum incidisse, qui damnum (nec Religioni) nec alteri, nec ipsi poenitenti afferre possit. Uterque denique, tam Superior, quam Confessarius, memores sint obligationis Sigilli, et ita se gerant, ut eius puritati et integritati per omnia consulant.*

Et quod ad Sigillum attinet, aliud gravissimum caput occurrit, quod et Clemens VIII. in praedicto Decreto prae oculis habuit, ne quis scilicet notitia occasione confessionis excipiendae habita ullatenus ad externam gubernationem uti possit. Ita Clemens: *Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Et Suarezius quidem olim censuerat (*De Relig. Tr. 10. Lib. 8. Cap. 5. n. 12-13.*), nomine *exterioris gubernationis* non eam venire, quae *ad vitandum peccatum vel scandalum aut poenitentis aut aliorum ex peccato illo praecise ortum* necessaria sit; adeoque Superiorem in eum finem notitia habita ex confessione uti posse. Verum eam opinionem expresse deinde (*De Poenit. Disp. 33. Sect. 7. n. 4.*) ipsemet abiecit.

dotes quoslibet poenitentes ab omnibus peccatis et censuris tunc absolvere possunt. — *Trid. sess. 14. c. 7.*

575. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An aliquando inferior possit absolvere habentem peccata reservata extra mortis periculum?*

Resp. 1° Potest quidem quandoque absolvere, nempe quoties facultas peti nequit a Superiore, ne per litteras quidem (*a*), et alioquin adest periculum in mora, vel grave imminet incommodum; et hoc valet etiamsi peccatum cum excommunicatione reservatum esset. Ratio est, quia Ecclesia, pia mater, et quilibet Superior, non potest censeri velle obligare ad aliquid moraliter impossibile, vel ad tantum incommodum subeundum. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 585.*

Resp. 2° Non potest tamen in tali casu absolvere nisi *indirecte* a reservatis, quamvis *directe* ab aliis absolvat. Ratio est, quia non habet iurisdictionem in reservata. Nec censetur hanc supplere Ecclesia; nulla enim est supplendi necessitas, cum pro necessitate praesenti sufficiat absolutio indirecta reservatorum. — *S. Lig. ibid., et alii* supra citati.

Hinc 1° Non potest tunc absolvere Confessarius, nisi cum onere, ut data opportunitate poenitens se sistat Superiori vel alteri habenti facultatem absolvendi a reservatis.

Haec tamen tunc valent, quando poenitens brevi tempore accedere potest ad Superiorem, aut alium facultatem habentem in reservata. Quod si impedimentum duret ad longum tempus, quod computatur a sex mensibus ad quinquennium, inferior potest directe absolvere, iniuncto tamen onere se sistendi Superiori aut delegato, si peccatum cum censura sit reservatum. Secus si peccatum censuram adnexam non habeat. — *Suarez, de Poenit. D. 30., sect. 3. n. 7.* — *Lugo, D. 20. n. 223.* Quando vero impedimentum sit perpetuum (*b*), absolutio directe datur sine ullo onere coram Supe-

(*a*) Adverte cum S. Alphonso (*Lib. 7. n. 89.*), *communem, probabiliorem* ac *tutam* esse doctrinam, quod is, qui habet impedimentum comparendi coram Pontifice, non tenetur absolutionem quaerere per internuntium vel per epistolam etiam a S. Poenitentiaria; 1° quia ex iure communi potestas absolvendi, stante illo impedimento, inest Episcopis; 2° quia nulla adest obligatio, nisi comparendi personaliter; si ergo id praestare quis nequeat, ad nihil aliud tenetur, nisi quid legislator subrogaverit; 3° quia consequutio absolutionis per S. Poenitentiariam est privilegium; nemo autem, ex communi axiomate, privilegiis uti tenetur. — Attamen si desit privilegiatus, et impedimentum non sit perpetuum, proderit petitio facultatis per litteras, ut poenitens ab onere aliquando comparendi liberetur.

Albitius (*De Inconst. Cap. 25. n. 33.*) pro opposita opinione affert exemplum decisionis latae per Congreg. S. Inquisitionis. — Sed exemplum non est ad rem. Absolutus nempe quidam fuerat *sub expressa conditione*, ut Romae se sisteret vel per se vel per procuratorem; cumque causaretur iter incommodum, indultum ei fuit, ut ad S. Poenitentiariam recurreret. Hic ergo habetur dispositio specialis pro casu speciali; quae quidem verti in generale principium nec debet nec potest.

(*b*) Eiusmodi impedimentum habere censentur *pueri impuberes, filii-*

nore comparendi. *Caput* Eos qui, *22., de Sent. excomm., in 6.°* — Quae autem de reservatione Pontificis dicuntur, ad reservata Episcopalia extendi possunt (*a*). Ita communis sententia apud *S. Alph. n. 585., et l. 7. n. 92.*

familias, senes, servi, pauperes, infirmi seu valetudinarii, mulieres, Regulares, atque a fortiori *moniales, carceribus vel triremibus perpetuo damnati, demum quicumque adstringuntur officio alendi seu administrandi familiam, vel publicum munus gerendi, quod sine publico aut gravi detrimento relinqui non possit.* Vid. S. Alphons. (*Lib. 7. n. 88.*).

(*a*) *Reservata Episcopalia*, ut videtur, ab A. dicuntur peccata, quae sibi Episcopus reservat; circa quae S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 585.*) uti verius censet non valere regulam, quae de reservatis Pontificiis traditur; verum (*Lib. 7. n. 92.*) deinde proponit doctrinam Roncagliae (*Tr. 4. Q. 1. Cap. 6. q. 5.*), qui statuit generale hoc principium *Quae dicta sunt de reservatis S. Pontifici, ex paritate rationis extendi possunt ad reservata Episcopalia*, etc., quibus gemina habet et Sporer (*De Poenit. n. 750.*). Quod vero S. Alphonsus Roncagliae opponat Laymann, Sotum, Coninck et Suarezium, quorum auctoritate prius motus fuerat ad censendam *veriorem* primam sententiam, nihil reipsa est. Ex his siquidem tres priores hanc quaestionem nullatenus tangunt; Suarez vero (*De Poenit. Disp. 30. Sect. 3. n. 11–12.*) allatis pro utraque opinione rationibus, mere dicit, *se magis inclinare* in eam partem, ne in re adeo gravi absque sufficienti fundamento ea facultas tribuatur. At enim sufficiens fundamentum adesse alii merito putant in C. *Eos qui 22. De Sent. Excomm. in VI.* quod sic definit: *Eos, qui a sententia canonis vel hominis* (*cum ad illum, a quo alias de iure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum aut aliud impedimentum legitimum pro absolutionis beneficio habere recursum*) *ab alio absolvuntur*, etc.; hic namque agitur de quocumque Superiore, non autem de solo Romano Pontifice. Id ipsum erui potest etiam ex *C. Nuper De Sent. Excomm.*, in quo expresse quaestio fit de quolibet Praelato. Neque vero solus est in ea doctrina Roncaglia cum Sporer; nam ipse Hurtadum et Dianam allegat; Diana vero (*Tom. 1. Tr. 5. Resol. 18. et 19.*) addit Palaum, Henriquez, Marchant, Caelestinum, Gamachaeum, Granadum. Et (*Resol. 18. n. 7.*) concludit: *Et haec omnia satis probabilia et tuta existimo; et maxime notentur a Confessariis, quia in Auctoribus non passim obvia, sed in praxi quotidiana.*

Eadem porro quaestio fit de iis, qui censura Pontificia ligati, et impediti Romam adire, absolutionem ab Episcopo quaerere deberent; an si etiam ad Episcopum se conferre sint impediti, absolvi a quolibet Confessario possint. Respondet S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 92.*): *Negant communius Suarez, Lugo, Becanus, etc. apud Vivam De Poenit. Q. 9. art. 2. n. 9., quia hoc in iure conceditur tantum Episcopis, nec in lege positiva valet argumentum a pari.* At in hoc deceptus fuit a Viva, qui eo loci distinctas male confundit quaestiones; Suarez autem adeo in affirmativa fuit sententia, ut eum hac de causa impugnare conatus sit Lugo (*De Poenit. Disp. 20. n. 228–229.*). Caeteroquin autem iura manifesta sunt non solum in cit. C. *Eos qui*, sed et in C. *Nuper*, in quo facultas etiam aliis praeter Episcopum fit hisce verbis: *Verum si difficile sit ex aliqua iusta causa, quod ad ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo, ut* (*praestita iuxta formam Ecclesiae cautione, quod excommunicatoris mandato parebit*) *a suo absolvatur Episcopo vel proprio sacerdote.* Quam sententiam, ut inquit S. Alphonsus (*l. c.*), DD. *communissime* interpretantur non disiunctive, quasi nempe perinde sit vel Episcopum vel alium confessarium adire, sed subrogative, nempe quod tunc possit ab alio confessario absolvi, quando Episcopus adiri non potest. Porro si *communissime* DD.

2° Si poenitens non habeat nisi peccata reservata, non potest absolvi, nisi submittat clavibus aliud peccatum saltem veniale vitae praeteritae directe remittendum. Secus enim nulla daretur Sacramenti materia.

id eruunt ex hoc canone, quomodo *communius negant*, ab alio praeter Episcopum, absolvi impeditum posse? Et reipsa idem S. Alphonsus (*l. c.*) multo plures pro secunda sententia, quam pro prima illa affert.

** Quatuor et viginti columnas (*Pag. 554–565.*) huic Notae oppugnandae VV. impendunt. Itaque quoad primam Notae partem, in qua dicitur pro nihilo habendum, quod S. Alphonsus Roncagliae opponit Laymann, Coninck, et Sotum, quia quaestionem, de qua agitur, nullatenus tangunt, VV. (*Pag. 556.*) hanc thesim statuunt: *S. Alphonsus Auctores pro sententia negativa citatos, recte allegat.*

Resp. Facilem habet solutionem haec controversia, si rite status quaestionis definiatur. Itaque in praesenti agitur de poenitente, qui impeditus sit adire Episcopum per tempus *diuturnum;* de quo casu S. Alphonsus alias (*Lib. 7. n. 86.*) ita definiebat: *Si tamen impedimentum sit* AD LONGUM TEMPUS, *puta ad annum vel sex menses...., non debet absolvi, nisi praestito prius iuramento etc.;* scilicet docet, esse absolvendum, imposito onere se sistendi Superiori, ubi impedimentum cesset etc.

1. Hisce praestitutis, nunc ad Laymann. Hic (*Lib. 5. Tr. 6. Cap. 12. n. 9–10.*) ad quaestionem: *Quid agendum sit Confessario, si poenitens inter alia confiteatur peccatum reservatum Superiori?* primo respondet: *Ordinarie non debet illum absolvere, sed ad Superiorem mittere* etc. Hic, uti patet, sermo non est de poenitente habente diuturnum impedimentum. Ergo ista ad rem non sunt.

Altera responsio ista est: *Si aliqua necessitas urgeat, v. gr. si poenitens longe distet ab Episcopo, tunc confessarius absolvere potest poenitentem ita ut absolutio cadat super non reservata...; indirecte vero super reservata.* Et hic pariter nullum vestigium *diuturni impedimenti,* imo neque *impedimenti perpetui.* Ergo neque ista praesentem controversiam attingunt. Ergo iure in *Nota* dictum est, Laymann hanc quaestionem non tangere, atque adeo frustra allegari.

Immo addere licet, quod si quid Laymann habet, quod aliquo modo in rem praesentem facere possit, in sententiam illi oppositam inclinat, quam S. Doctor Alphonsus ipsi attribuit. Nam (*l. c. n. 15.*) ista habet: *Ad extremum moneo, etiam extra periculum mortis, si moralis impossibilitas sit adeundi Sedem Apostolicam pro absolutione a peccato reservato Summo Pontifici; sed neque Episcopus aut Vicarius eius, ad quem in tali casu per accidens absolutionis facultas devolvitur, adiri, neque privilegiatus aliquis haberi possit, tunc probabile valde est, quod tradit Felician., Scotus, Sylvester, Suarez, Filliucc., argum. C. Nuper, De Sent. Excomm., quod etiam Parochus, aliusve inferior legitimus confessarius absolvere possit, v. gr. monialem in clausura; imposita tamen obligatione, seu potius monito poenitente de obligatione, si impedimentum adeundi Papam amoveri contingat, quod se sistere eidem debeat, non ut iterum absolvatur, cum vere et directe absolutus fuerit, sed etc.* Ergo Laymann docet, eum, qui Episcopum adire non potest, ab inferiori directe absolvi posse. Porro cur denique Laymann id admittit, nisi ex generali principio, quod animarum periculo et poenitentis necessitati remedium iuxta SS. Canones deesse non debet? Idem autem periculum, eademque necessitas numquid non adest, tum si casus sit episcopalis, tum si pontificius sit, cuius absolutio ab Episcopo sit quaerenda? Equidem etiam S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 92.*) id non respuit, *tum quia ubi eadem est ratio, idem ius debet esse, ut dicit Glossa in C. Dilectus, tum quia non deest lex hoc expresse indul-*

Casus autem, in quibus inferior sic absolvere potest, sunt praesertim 1° periculum infamiae, vel scandali, v. gr. ex omissione celebrationis Missae; 2° necessitas adimplendi praeceptum confessionis vel Communionis; 3° timor ne poenitens remaneat diu in statu peccati mortalis. — *S. Lig. ibid.*

gens; nam in C. Nuper 29. De Sent. Excomm. habetur, quod impeditus ex iusta causa adire Superiorem ius habentem absolvendi a censura, a suo absolvatur Episcopo vel proprio sacerdote. Quo in loco generalem S. Doctor quaestionem tractat, *An impediti adhuc Episcopum adire pro his censuris, vel* ALIIS RESERVATIS *possint a quocumque confessario absolvi.* Ergo cum eadem pro utroque casu ratio militet, si quid coniici de mente Laymanni potest, nulla quidem ratio est, cur in sententiam trahatur, quam ei S. Alphonsus tribuit, contra vero merito pro opposita allegari potest.

2. Ad Dominicum Soto transeamus, de quo VV. (*Pag. 559.*) scribunt: *Dominicum Soto S. Alphonsus solummodo Lib. 7. n. 91, et quidem nonnisi indirecte ex Laymanno allegat, ubi de reservationibus sine censura agit.*

Resp. Hoc non est verum; nam Sotum S. Alphonsus allegat etiam n. 92., ubi quaerit: *si quis est impeditus adire Episcopum, an possit simplex confessarius eum absolvere a casibus et censuris ab eodem Episcopo reservatis;* quae praesens nostra quaestio est. Ergo VV. quaerant alium locum in operibus Dominici Soto, ubi hic neget, inferiorem posse absolvere a reservatis Episcopalibus, quando adest *diuturnum,* v. gr. ad quadriennium, *adeundi Episcopum impedimentum.* Caeterum ad hunc locum S. Doctoris eximendum a quavis nota, forte expediret aliam eiusdem adhibere interpretationem, ita ut quatuor illos Auctores, nempe Suarez, Laymann, Coninck, et Sotum, ipse non opponat Roncagliae, sed afferat pro hypothesi impedimenti *temporarii* utique, sed non *diuturni.* Et sic melius hic locus conciliatur cum iis, quae habet antecedenter, et sup. nos adduximus, de impeditis adire Episcopum pro censuris, *et aliis reservatis.* Neque enim spectato contextu necesse est, ut haec quaestio de casibus tantum Pontificiis accipiatur.

3. Quod spectat ad Coninck, VV. afferunt (*Pag. 558.*) hunc eius locum (*Disp. 8. n. 88.*): *Addunt alii, idem dicendum esse de Pastore respectu casuum Episcopo reservatorum, quando hic non potest adiri, sed non satis probant, et vix potest contingere necessitas, cum facile ab Episcopo possit obtineri facultas ab iis absolvendi: nisi forte in necessitate aliqua subita, in qua quid agendum sit, dicemus dubio sequenti.* Dubio autem sequenti Coninck id habet, quod et omnes, scilicet, poenitentem absolvendum esse directe a non reservatis, a reservatis autem indirecte etc.

Resp. Quod quispiam modum indicet, quo alicui necessitati possit occurri, id generalem quaestionem non solvit, in qua supponitur, modum prospiciendi necessitati non adesse. Alii hic addunt, simplicem confessarium non posse in casu poenitentem absolvere, si praesto sit confessarius privilegiatus, qui possit etiam a reservatis absolvere; sed etiam hoc, uti patet, non solvit quaestionem de hypothesi, in qua confessarius privilegiatus desit. Apud Coninck igitur quaeratur, quid agendum, quando per *diuturnum tempus,* quaecumque demum causa excogitetur, deest medium ab ipso propositum. Et cum frustra solutionem huius quaestionis apud ipsum quaeras, proinde abs re opponitur Roncagliae, qui de hac hypothesi disserit.

Caeterum remedium, quod hic suggerit Coninck, locum habere potest etiam quando quis ab adeundo Pontifice impeditus absolutionem ab Episcopo iuxta canones recipere deberet, nec tamen et Episcopum adire potest. Nam etiam in hoc casu Episcopus alteri facultatem absolvendi delegare potest.

576.—Quaer. 2° *An absolutus a reservatis in articulo mortis ab inferiori, teneatur se sistere Superiori, si convalescat?*

Resp. 1° *Neg.* quoad *simplicem reservationem*. Ratio est, quia ex *Trid.* in articulo mortis *nulla est reservatio*. Ergo etiam nullum reservationis onus, nisi aliunde probetur.

Cur igitur nec S. Alphonsus nec VV. in hoc casu obiiciunt Coninckium, sed admittunt, ab inferiore hunc poenitentem absolvi posse?

4. Quae autem de Coninck diximus, eadem fere cum Suarezio valent. Eius thesis sic se habet (*Disp. 30. Sect. 3. n. 12.*): *Absolute dicendum censeo, inferiores sacerdotes non habere iurisdictionem in hos casus reservatos extra articulum mortis* EX VI IURIS COMMUNIS: *quia Pontifices solum loquuntur de casibus sibi reservatis, in quibus est specialissima ratio, quae iam tacta est.*

Resp. Sedulo advertantur verba illa, *Ex vi iuris communis*. Nam subdit Suarez: *Et praeterea declarari potest, quia ad curam ipsorum Pontificum pertinuit, iurisdictionem hanc in suis casibus committere: in inferioribus autem Praelatis non fuit necessarium hoc statui iure communi, sed sicut ab eis reservatio fit per statuta particularia vel Dioecesium vel Religionum; ita eorum curae et prudentiae committitur, ut eam faciant modo accommodato saluti animarum; ideoque in huiusmodi statutis* FERE *semper declarari solet, ut quoties fuerit difficilis aditus ad Praelatum, possit aliquo modo obtineri ab aliis absolutio, ne nimium poenitentia differatur.* Atqui (reponi rursus potest) ista ad rem non faciunt. Quaestio enim est de hypothesi poenitentis, qui *per diuturnum tempus* carere debeat absolutione, quia nec Episcopum potest adire, nec praesto alium habet, qui absolvendi facultate polleat. Porro hypothesis Suarezii aliter se habet. Quocirca in hypothesi, quae a nobis hic statuitur, vim suam retinet omnem ratio, a qua expedire se Suarez vult, et quam sic proponit (*l. c. n. 11.*): *Quamvis difficultas comparendi coram superiore frequentius accidat circa Summum Pontificem, quam circa inferiores Praelatos, nihilominus negari non potest, quin saepe possit contingere cum animarum periculo proveniente ex dilatione poenitentiae: ergo quamvis Pontifices illud ius statuerint occasione casuum sibi reservatorum; tamen considerata eorum ratione* (scilicet, *Ne pro dilatione poenitentiae periculum immineat animarum C. Fin. de Poenit. et Remiss.*), *verisimiliter credi potest, statuisse generale ius servandum in omni casuum reservatione.*

Quinimo addere quispiam posset, non modo *verisimiliter credi posse* (ut habet Suarez), sed pro certo habendum, Pontifices *statuisse generale ius servandum in omni casuum reservatione.* Nonne enim clarissima sunt verba Canonis *Eos qui* (*C. 22. De Sent. Excom. in 6°*)? *Eos, qui* (ita Bonifacius VIII.) *a sententia canonis* VEL HOMINIS (*cum ad illum, a quo alias de iure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum aut* ALIUD IMPEDIMENTUM LEGITIMUM *pro absolutionis beneficio habere recursum*) *ab alio absolvuntur: si cessante postea* etc. Atqui contenta hoc canone pertinent *ad ius commune;* canon autem generaliter complectitur Superiores omnes, a quibus sit quaerenda absolutio, et in his comprehenduntur profecto et Episcopi. Ergo.

Insuper idem Suarez (*l. c. n. 8.*) scripserat: *In casibus Pontificiis generalis regula iuris est, quoties non patet aditus ad Summum Pontificem, vel Legatum, aut Delegatum eius, nisi cum magna difficultate et mora, posse peccatorem absolvi ab inferiore sacerdote, cum onere* etc. Addidit tamen (*l. c. n. 10.*): *Saepe necessarium esse, recurrere ad Episcopum, priusquam ad inferiores, si fieri possit, quia iura hoc ipsum declarant.* Porro ex iis, quae ex Suarezio ipso supra attulimus, *necessarium* fuit, ad

Resp. 2° *Affirmant* communiter Auctores quoad *censuras* reservationi adnexas, ex *cap. Eos qui 22. de Sententia excommunic. in 6°*, ubi nemo in articulo mortis a censura reservata absolvitur, nisi ea lege ut cum cito commode poterit, conspectui Superioris se

animarum periculum praecavendum, ut *Pontifices huiusmodi ius statuerent.* Ergo, Suarezio ipso fatente, ad arcendum animarum periculum necessarium fuit ut ab inferiore sacerdote absolvi ii possent, quibus adire Episcopum *sine magna difficultate et mora* non liceret. Porro in quantum spectat ad avertendum animarum periculum quid demum interest, num Episcopus pro absolutione Pontificii casus, an pro casus Episcopalis absolutione sit adeundus?

Et hinc quidem discamus, licet, cur Lugo scripserit, *Suarezium in negativam sententiam inclinare,* quamquam thesis eius, quam attulimus, *absoluta* quadam ratione id enunciet. Totus nimirum contextus indicat, vehementem utique Suarezio affuisse *negandi* voluntatem, seu melius velleitatem, quam tamen inefficacem prorsus praecedens et consequens contextus evincebat. Quocirca nulla reipsa causa postulabat, ut VV. (*Pag. 559.*) haec scriberent: *P. Ballerini clare ostendit, se sententiam Suarii non examinasse. Ipsimet accidit, quod passim S. Alphonso exprobrat, quasi nempe Auctores caecus exscripserit. Ipse namque deceptus fuit a Cardinali de Lugo.* Resp. Nequaquam deceptio fuit, sed discreta quin et benigna Suareziani contextus interpretatio.

Illud etiam non apparet, cur VV. (*Pag. 560.*) scribant: *Cum ergo Suarez sententiam, in casu necessitatis poenitentem directe absolvi posse, maxime dubiam, et in rigore non veram dicat; tanto magis directam absolutionem reprobat, ubi nulla adest necessitas.* Quorsum enim ista? Quemnam forte impetunt? Curnam VV. non indicant, quisnam forte id asseruerit, quod ibi volunt refellere? Quidnam insinuare per illam reticentiam cupiunt?

5. Obiiciunt VV. (*Pag. 560-561.*): *Lugo demonstrat, verba Cap.* Eos qui, *sententiae affirmativae sufficiens fundamentum non subministrare.*

Resp. *Distinguo:* Lugo per gratuitam et violentam interpretationem conatur se ab hac difficultate eximere, *Concedo;* demonstrat, *Nego.*

Obiiciunt VV. (*Pag. 561.*): *In C.* Nuper de Sent. Excomm. *aperte de solis reservationibus Pontificiis sermo est, quia dicitur:* a suo absolvatur Episcopo, vel proprio sacerdote.

Resp. *Nego totum.* Ratio est, quia, ut nemo ignorat, etiam ab Episcopo non suo potest quispiam legitime excommunicatione plecti, si in alia dioecesi v. gr. ratione delicti forum sortiatur, uti si quis violatam puellam cum vera matrimonii promissione renuat deinde in uxorem accipere: potest enim illius dioecesis Episcopus per censuras illum ad fidem servandam cogere: a qua deinde excommunicatione in iis adiunctis, de quibus *C. Nuper* disserit, a suo poterit Episcopo absolvi.

6. Quoad alteram *Notae* partem, ubi de iis absolvendis agitur, qui Pontificem adire non possunt, paucis expediri res potest, utut per octo columnas VV. de hac re disserant.

Quod in *Nota* dicitur, S. Doctorem Alphonsum *a Viva deceptum fuisse*, dum (*Lib. 7. n. 92.*) scripsit: *Negant communius Suarez* etc., VV. (*Pag. 563.*) ultro concedunt, sed his verbis: *Nonnisi mera inadvertentia, aut lapsus calami est, quod S. Doctor Suarium pro negativa sententia alleget.* Forte tamen praestabat sincerius seu simplicius hic agere. Nam quod de *inadvertentia* dicunt, verissimum est, et optime allegant S. Doctoris locum, ubi oppositam Suarezio sententiam tribuit hisce verbis (*Lib. 6. n. 585.*): *In Pontificiis regula iuris est, ut* BENE AIT SUAREZ, *quod quoties non patet aditus ad Pontificem, potest poenitens directe absolvi ab Episcopo; vel, cum etiam adsit impedimentum adeundi Episcopum, a quolibet confessario* etc. Quod

praesentare curet, eius mandatum humiliter suscepturus. Hinc si convalescat, ad Superiorem recurrere debet, et quidem sub poena iterum incidendi in censuras, nisi usus legitimus ab hac obligatione eximat.—Attamen nonnulli limitant obligationem se sistendi Superiori pro casu *percussionis Clerici*, aut pro alia reservatione, quam forte exceperit Legislator, cuiusmodi censebantur casus Bullae *Coenae* (*a*).

vero VV. addunt de *lapsu calami*, non est ad rem; quia manifestum est, et ipse S. Doctor aperte dicit, se ea a Viva sumpsisse.

7. Ad ea, quae in *Nota* dicuntur, *Suarium adeo in affirmativa sententia fuisse, ut eum hac de causa impugnare conatus sit Lugo*, scribunt VV. (*Pag. 564.*): *Ipse potius P. Ballerini iterum deceptus est a Card. De Lugo; etenim Suarez non adeo sententiam affirmantem tenet, ut idcirco increpari mereatur, et iniusta sunt, quae Lugo ipsi obiicit.*

Resp. Arduum enimvero est divinare, qua in re P. Ballerini deceptum a Card. De Lugo VV. dicere potuerint. Numquid quasi in *Nota* dicatur iusta aut efficax Lugonis impugnatio contra Suarezium? Atqui in *Nota* contra mere dicitur, Lugonem *conatum fuisse impugnare;* et cum in ipsa *Nota* tamquam certa et manifestis iuribus confirmata exhibeatur Suarezii sententia, quisnam suspicetur, aliquid ibi deferri Lugonis impugnationi? Numquid deceptio in eo residet, quod nimium quid *Nota* videatur deferre Suarezii sententiae? Num forte huc spectat quod aiunt VV., *Suarezium non adeo sententiam affirmantem tenere, ut idcirco increpari mereatur a Lugone,* quasi nempe non adeo firmus Suarez in ea sententia fuerit, et idcirco iniuste Lugo contra eum surrexerit? Atqui nonne et S. Alphonsus (*sup. n. praec.*) laudat Suarezium, quod *regulae iuris* nitatur? Ubinam itaque est ista P. Ballerini deceptio?

8. Sed et aliud hic VV. addunt (*Pag. 564-565.*), scilicet impugnant regulam istam iuris, et contendunt in allegatis textibus Iuris Canonici non firmum adesse fundamentum sententiae, de qua hic agitur.

Resp. Mirum profecto, quo contendendi et contradicendi aestus queat homines abripere! Equidem S. Doctor Alphonsus (*Lib. 7. n. 92.*) scribebat: *Non deest lex hoc expresse indulgens; nam in C. Nuper 29. de Sent. Excomm. habetur, ut* SUPRA ADNOTAVIMUS, *quod impeditus ex iusta causa adire Superiorem ius habentem absolvendi a censura, a suo absolvatur Episcopo, vel proprio sacerdote.* Et in loco, quem ipse indicat, haec habet (*Lib. 7. n. 85.*): *Idem* (*sancitur*) *et in C.* Nuper, *ubi in fine* GENERALIUS *dicitur, quod quoties difficulter quis ex iusta causa possit accedere pro absolutione excommunicationis ad eum, a quo absolvendus esset, a suo absolvatur Episcopo vel proprio sacerdote.* Et dum S. Doctor Alphonsus contendit, *generalius* statui in eo canone, *quod* QUOTIES etc., nonne mirum, quod VV. obtento praetextu S. Doctorem vindicandi potius et ipsum impugnent?

9. Denique aegre VV. ferunt postrema illa *Notae* verba: *Si communissime DD. id eruunt ex hoc canone, quomodo communius negant, ab alio praeter Episcopum, absolvi impeditum posse?*

Resp. S. Alphonsus tres omnino afferebat, et in his Suarezium, quem VV. fatentur ex inadvertentia fuisse allegatum: et Suarezio adiungi etiam Becanus posset, utpote qui levissime et paucissimis totam hanc materiam tangit, neque specialem hanc quaestionem habet. Quocirca unus superest Lugo. Ut itaque aptius S. Doctorem defenderent, afferendi erant praeter unum Lugonem alii ita, ut constaret, *communius* eam doctrinam a DD. propugnari.

** (*a*) Huc referri debet, quod in Constitutione Pii IX *Apostolicae Sedis* sic legitur immediate post elenchum excommunicationum, quae *speciali modo* Sedi Apostolicae reservantur: *Absolvere autem praesumentes*

Id eruunt autem tum ex Concilio Tridentino, a quo declaratum fuit sine ulla restrictione, *omnem reservationem in periculo mortis cessare;* tum praesertim ex *Rituali Romano*, quod obligationem se sistendi Superiori non absolutam, sed conditionatam clare innuit. — *Si vero quis confiteatur, in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus* peccatis et censuris quantumvis reservatis *(cessat enim tunc omnis reservatio); sed prius, si potest, cui debet satisfaciat: ac si periculum evaserit, et* aliqua ratione Superiori, *a quo alias esset absolvendus,* se sistere teneatur, *cum primum poterit, coram eo se sistat, quidquid debet praestiturus.* Hanc sententiam dicunt probabilem *Navarrus, Henriquez, Avila, Filliuccius, Sporer, Gobat, Diana, et alii;* neque contradicere videtur *S. Ligorius* (*a*).

sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

(*a*) S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 87.*) Doctoribus ab A. allegatis addit *Corneium*, et *Salmanticenses*, qui (*De Cens. Cap. 2. n. 66.*) *ob auctoritatem* (aiunt) *tantorum virorum probabile id iudicamus;* probabilem eam sententiam itidem habet *Thomas Del Bene* (*De offic. S. Inquis. Part. 1. Dub. 66. n. 19.*), qui praemissis aa. addit *Gambarupta;* hisce Sporer (*De Poenit. n.726.*) adiungit *Iordanum* et *Iosephum De Ianuario;* Diana denique (*Tom.6. Tr. 1. Res. 202. n. 2.*) scribit: *Claudius Millardus in Summ. Parochorum, De Poenit. Cap. 97. n. 10. notat, probabilissimum videri, hoc onus se praesentandi coram Superiore, si quis absolutus fuerit tempore mortis ab excommunicationibus reservatis, non habere amplius locum et cessasse post Tridentinum....; quam doctrinam Caelestinus in Compend. Theol. moral. Tr. 1. Cap. 7. n. 3. putat, posse tuta conscientia approbari, quando excommunicatio non est notoria vel deducta ad forum externum:* quod idem sensit Sporer, statuens (*n. 752.*), etiam obligationem comparendi coram Superiore ob clerici percussionem *probabilissime valere solum pro foro externo, quando nempe res deducta iam fuit ad forum contentiosum.*

Adverte insuper, ex mente S. Alphonsi (*Lib. 7. n. 87.*) hanc quaestionem locum habere non modo si absolutus quis fuit a censuris reservatis in mortis articulo, sed etiam quando ob diuturnum impedimentum adeundi Superiorem ab alio absolutionem est consequutus, eaque praestitit, quae Superior exacturus ab eo fuisset.

** Duodecim columnas contra hanc Notam ac textum Gury scribunt VV. (*Pag. 566–571.*). Quae alicuius aut qualiscumque momenti sint, paucis innuemus.

1. Opponunt itaque VV. (*Pag. 567.*), *sententiam negativam in casu proposito a S. Alphonso merito communiorem et probabiliorem dici.*

Resp. *Transeat;* neque enim in Nota aut textu id negatur. In textu autem mere dicitur: *Neque contradicere videtur S. Ligorius.*

2. Atqui, inquiunt VV. (*l. c.*), *S. Alphonsus manifeste contradicit,* et dubium proponit solum *de emendato, qui partibus iam satisfecerit.*

Resp. Neque in textu, neque in Nota quidpiam occurrit, quod aut satisfactionem iam impletam, aut voluntatem satisfaciendi excludat; imo mentio huius diserta in textu *Ritualis Romani* cernitur.

3. Obiiciunt VV. (*Pag. 568.*), in *Nota* praetermitti, quod Salmanticenses non adhaerent illi sententiae, quam probabilem iudicant.

Resp. *Transeat.* Scopo enim *Notae* satis erat innuisse, a Salmanticensibus quoque eam opinionem ceu probabilem iudicatam fuisse.

577. — Quaer. 3° *An reservatione ligatus in necessitate communicandi, aut celebrandi, teneatur confiteri Confessario simplici, alio deficiente?*

Resp. 1° Probabilius non tenetur confiteri, si nullum aliud peccatum mortale habeat, nisi reservatum; ratio, quia ad confessionem neque tenetur ratione peccati reservati, quod directe remitti nequit, neque ratione venialium aut mortalium iam remissorum, quippe quae non sunt materia necessaria confessionis. — *S. Lig. n. 265.* (*a*). — *Lugo,* — *Elbel,* etc.

Resp. 2° Si tamen advertat, se non habere contritionem, sed solam attritionem, tenebitur confiteri saltem veniale vel mortale iam alias remissum, ut sic indirecte a reservatis absolvatur, et in statu gratiae communicet. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 265. 585.*

Resp. 3° Insuper tenetur confiteri, si habeat mortalia tum reservata tum non reservata. Ratio est, quia urget praeceptum divinum praemittendi confessionem Communioni, et nulla datur excusatio a praecepto confessionis. — *Ita communissime,* inquit *S. Lig.* contra aliquos ideo negantes, quia Confessarius, ut aiebant, iurisdictione caret in talem poenitentem; quod plane falsum est (*b*).

4. Praefigunt VV. (*Pag. 569.*) alteri articulo hunc titulum: *Perpenduntur argumenta a PP. Gury et Ballerini pro sententia affirmante allata.*

Resp. *Nego suppositum.* Nam nec P. Gury nec P. Ballerini argumentum ullum afferunt, sed mere aliorum tum sententiam tum aliquam rationem referunt. Irrito igitur labore VV. duas columnas implent textibus Patritii Sporer, quem alioquin *probabilissimam* iudicasse sententiam, quam ipsi oppugnant, infitiari non possunt.

5. Ut se VV. eximant a verbis *Ritualis Romani,* obiiciunt, ibi non de solis censuris reservatis sermonem esse, sed etiam de reservatis sine censura.

Resp. *Concedo Antecedens;* et *Nego consequentiam.* Illa enim Ritualis verba: *Si aliqua ratione Superiori se sistere teneatur,* absurde pertraherentur ad distinctionem inter censuras, et alia peccata: sed aperte innuunt, dubium esse posse, an sistere se teneantur etiam ubi quidam a censura fuerint absoluti.

Et haec ad duodecim illas VV. columnas sufficiant; nam alia quaedam responsione non indigent.

(*a*) *Si iste nullum aliud mortale habeat, nisi reservatum, conveniunt Doctores, non teneri ad confessionem, sed sufficere ut conteratur.* S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 265. Q. 1.*).

(*b*) Adversari his videtur, quod S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 585. dub. 2.*) sententiam hanc negantem dicat *non esse improbabilem,* et alibi (*ibid. n. 596. Q. I.*) appellet *satis probabilem,* quia, ut ait, *probabile est cum Vasquez, Tourn., Armil., Gerson., Trull., etc., confessarium simplicem omni carere iurisdictione in habentem reservata, cum non sit suus competens iudex: ideo neque a non reservatis potest eum absolvere.* Quinimo (*ibid. n. 265. Q. 1.*) pro eadem addit *Alensem, Sylv., Rich., ac Praep.,* ac subdit: *et merito hanc probabilem vocant Suarez, Pal. et Filliuc. Ratio quia confessio illa apud inferiorem esset invalida, cum fieret iudici non competenti, qui ob peccata reservata, quibus gravatur poenitens, caret omni potestate super illo.* Quomodo ergo A. abrupte id dicit *falsum,* quod S. Alphonsus post tam graves DD. affirmat, *merito probabile appellari?*

At facile conciliari haec possunt, si ratio thesis distinguatur a ratione

578. — Quaer. 4° *An habens peccata reservata et non reservata teneatur in confessione accusare etiam reservata?*

argumenti, quod pro ea S. Alphonsus affert. Nam thesis reipsa saltem ceu verisimilis habita est ab iis AA., quos idem S. Alphonsus allegat; unde aliquam probabilitatem saltem extrinsecam hausisse videtur. At argumentum inde petitum, quod ne a peccatis quidem non reservatis absolvi quis possit, nisi sacerdos absolvere simul eum possit a reservatis, hoc vix quorumdam paucorum est, et robur e ratione nullum habet.

Et sane Vasquez (*In 3. Part. q. 91. art. 3. dub. 9. n. 24.*) inde arguit, quod si *in necessitate* quis indirecte absolvi posset a reservatis, posset etiam *extra necessitatem.* — Atqui hoc est manifeste falsum; nam certum penes omnes est, a praecepto *integritatis* confessionis excusare *necessitatem;* extra necessitatem vero neminem ab ea excusari.

Sylvius autem (*In suppl. Q. 20. art. 2. q. 3.*) cuius opinionem referunt etiam Pontas (*V. Cas. reserv. n. 21.*) et Collet (*De Poenit. Part. 2. Cap. 8. n. 569.*) inde arguit, quod ex Tridentina Synodo *extra mortis articulum sacerdotes nihil possunt in casibus reservatis:* hoc autem falsum foret (ex eius sententia), si saltem indirecte a reservatis possent absolvere. — At vero argumentatio ista tota innititur praeposterae notioni absolutionis *indirectae,* quasi scilicet peccata reservata aliquo modo vi absolutionis remitterentur; quando penes Thh. constat, ea non secus remitti, ac per accidens in Eucharistiae aut Extremae Unctionis sumptione remittuntur, *consecutive* nempe (ut ait Dominicus Soto *in 4. Dist. 18. q. 2. art. 5. Prop. 2.*) ad gratiae sanctificantis infusionem, non vero vi absolutionis. Huc ergo spectant verba A., cum dicit, falsum esse, quod cum eo, qui etiam peccata reservata habet, sacerdos non possit esse iudex et sacramenti minister.

Caeterum si qui alii negarunt, quempiam teneri ad praemittendam confessionem sumptioni Eucharistiae, quando praeter alia peccata habet etiam reservata; isti non infitiabantur, eum valide absolvi posse directe a non reservatis, et a reservatis indirecte; sed mere opinati sunt, illum in casu ad confitendum *non teneri;* putabant enim, in eiusmodi confessione esse exprimenda etiam peccata reservata: quorum absolutio *directa* cum deinde quaerenda esset ab habente ad id potestatem, fiebat (in eorum opinione), ut eadem peccata poenitens *bis* confiteri deberet. Hoc porro onus confitendi *bis* eadem peccata adeo grave censebant, ut ea de causa a confessione, nisi adesset, qui etiam a reservatis posset absolvere, excusandum illum putarent (*Vid. Suarez De Sacram. Disp. 66. Sect. 4.*).

At enim haec quoque ratio omni vi destituitur; ideoque dictum est, praemissae thesi vix aliquam *mere extrinsecam* affuisse probabilitatem. Et hoc quidem nullo negotio suaderi potest. Eatenus enim a praemittenda confessione in casu quispiam excusaretur, quatenus grave illud onus bis eadem peccata confitendi necessario subire deberet. Atqui falsum est, eiusmodi grave onus tunc esse subeundum; quippe ex communi sententia longe probabilius est (*Vid. quaes. seq.*), in ea confessione nullam adesse obligationem exprimendi etiam reservata, in quae confessarius nullam habet potestatem. Ergo thesi illi umbratilis quidem inesse probabilitas aliquando videri potuit; sed quum solido ea careat fundamento, nulla reipsa est eius probabilitas.

** Obiiciunt VV. (*Pag. 940. not. 4.*), in hac *Nota* diversorum Auctorum rationes confutari, sed praetermitti huius sententiae fundamentum, quod S. Alphonsus ita exponit: *Ratio est, quia confessio illa apud inferiorem esset invalida, cum fieret iudici non competenti.* Et subdunt VV.: *Quid mirum, si videatur incompetens iudex, cui denegatur ius totam causam cognoscendi, idest, omnia peccata commissa praesertim graviora, ac dispositionem et verum statum poenitentis?* Idcirco S. *Doctor, quamvis op-*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, inquit S. Alphonsus (*Lib. 6,*

positam sententiam, utpote probabiliorem amplectatur, recte tamen et hanc cum Suarez, aliisque probabilem dixit.

Resp. 1. *Nego,* Suaresium opinionem illam *dixisse* simpliciter *probabilem;* verba eius sunt (*De Euch. Disp. 66. Sect. 4. §. Quartus*): *Non videtur improbabilis.* Sed deinde id *Nego*, quod VV. per illam voculam IDCIRCO insinuant, quasi vero Suarez aut aliquid deferat rationi illi, quam S. Alphonsus adhibet, aut etiam eam memoret. Hoc penitus falsum est: nam Suarez ideo dixit, non videri improbabilem eam opinionem, *quia secus poenitens obligatur ad confitendum bis idem peccatum mortale; quod est onus grave:* quam rationem non esse efficacem, iam in *Nota* dictum est, et Suarez fatetur, nec VV. id negant.

Resp. 2. Quod ad argumentum attinet S. Alphonsi, melius, ut puto, honori et reverentiae S. Doctori debitae VV. consuluissent, si et de argumento et de quaestione ipsa disputare omisissent.

Ac primo quidem verissimum est, *probabilem* eam opinionem dici a S. Alphonso. Nam (*Lib. 6. n. 265. Q. 1.*) scribit: *Et merito hanc probabilem vocat Suarez;* quod tamen de Suarezio, uti vidimus, non omnino verum est. Verum, hoc praetermisso, ipse S. Doctor alibi (*Lib. 6.n. 585. Dub. 2.*), paulo aliter iudicat, et mere non esse improbabilem sic dicit: *Quamvis negativa sententia non sit improbabilis.* Sed ecce postea iterum aliter iudicat, ubi (*Lib. 6. n. 596. Q. 1.*) scribit: *Negat Antoine, et per se loquendo sua sententia satis est probabilis.* Veruntamen, ut nunc omittatur, non esse verum, quod *Antoine neget*, quia in loco, quem S. Alphonsus allegat (*De Poenit. Append. 1. Cap. 3. art. 2. q. 5.*), Antoine duas sententias referens *affirmativam* denique in fine retinet; ut id (inquam) omittatur, S. Alphonsus postremo hoc loco sic concludit: *Et cum haec sententia* (scil. *affirmativa*) *sit communis* (*communissimam* autem dixerat n. 265. q. 1.), *ut ipse Antoine fatetur, et valde probabilis, imo* CERTE PROBABILIOR, *ut diximus; bene potest deduci in praxim; nam est moraliter certum, quod cum opinione probabili Ecclesia supplet iurisdictionem.* Ergo S. Alphonsus affirmativam demum vocat *certe probabiliorem.* Atqui, uti notissimum est, quando S. Doctor sententiam appellat *certe probabiliorem*, ipse testatur, oppositam se non habere uti probabilem, sed tantum ut *tenuiter aut dubie probabilem;* quomodo ergo alibi dicebat hanc ipsam *satis probabilem,* et a Suarezio *merito eandem dici probabilem?* Insuper quorsum hic iniicitur sermo de *Ecclesia supplente iurisdictionem?* Nam in hypothesi sacerdos in peccata non reservata iurisdictionem habet; ergo necesse non est ut haec suppleatur ab Ecclesia; in peccata autem reservata nullam Ecclesia supplet iurisdictionem, et idcirco poenitens superiori debet se deinde sistere, ut ab eo absolvatur. Ergo reverentia S. Doctori debita exigebat, ut VV. de hisce quaestionem minime moverent.

Sed nondum finis. S. Doctor (*Lib.6. n. 696. Q. 1.*) quaerit, *An si poenitens de eo* (scilicet *reservato*) *confiteatur, urgente necessitate, confessarius simplex valide et licite ipsum* ABSOLVAT. Et respondet: *Negat Antoine* (quod verum non esse, iam dictum est), *et per se loquendo sua sententia satis est probabilis; ut enim diximus n. 265. q. 1., probabile est cum Vasquez, Tournely, Armill., Gerson., Trull. etc., confessarium simplicem omni carere iurisdictione in habentem reservata, cum non sit suus competens iudex: ideo neque a non reservatis potest eum absolvere.* Porro haec longe a veritate distant; quia ex his unus est Vasquez, qui anomalam eam opinionem (scilicet *simplicem confessarium omni carere iurisdictione in habentem reservata* etc.) docuit, ac fusius defendere conatus est (*Q. 91. art. 3. Dub. 9. a n. 10.*), et pro qua absurdam quoque eam rationem attulit, quam in *Nota* indicavimus.

Huius porro apud S. Doctorem erroris (quem materialem dicemus)

n. 265. Quaest. II.), *tum quia alias hic teneretur bis peccata illa reservata confiteri, primo inferiori, deinceps superiori; tum quia*,

haec videtur extitisse causa, quod utique hosce Auctores n. 265. q. 1., ad quem locum remittit, allegaverat, sed non sic ibi quaestio proponebatur. Quaestio enim (*n. 265. q. 1.*) sic proponitur: *Quaeritur 1. An qui habet peccatum reservatum, et non habet copiam confessarii habentis facultatem, teneatur confiteri apud inferiorem confessarium.* Manifestum porro est, hanc quaestionem valde a praecedenti differre. Attamen de eo poenitente disserens, *qui habeat simul mortalia reservata, et non reservata,* sic iterum respondet: *Prima sententia negat teneri ad confessionem, et dicit, posse hunc communicare praemissa tantum contritione. Ita Vasquez Q. 91. art. 3. Dub. 9., Collet Tom. 5. p. 499. v. Hinc qui; item Gerson., et Alens. apud Lugo l. c., Sylv. et Rich. apud Diana P. 3. Tr. 4. R. 104.; item Armill., Praepos., Trull.* etc. *apud Vivam de Euch. q. 4. art. 7. n. 6., et merito hanc probabilem vocant Suar. D. 66. S. 4. §. Quartus, Pal. et Fill. apud Viva l. c.* Sed deinde eandem, ac supra, reddit sic rationem: *Ratio, quia confessio illa apud inferiorem esset invalida, cum fieret iudici non competenti, qui ob peccata reservata, quibus gravatur poenitens, caret omni potestate super illo; unde sicut non potest dividi absolutio ad remittendum unum peccatum sine alio, ita nec confessio.* Quam quidem rationem quod S. Doctor putaverit communiter afferri ab omnibus hisce Auctoribus, manifeste apparet ex eius verbis, quae ex *Lib. 6. n. 596.* paulo ante descripsimus. Porro nullatenus isti Auctores anomalam illam Vasquii opinionem habent.

Nam 1° v. gr. S. Alphonsus allegat Gersonem et Alensem apud Lugo l. c., idest *de Euch. Disp. 14. n. 87. in fine.* — Atqui in ea paragrapho Gersonem et Alensem Lugo ne nominat quidem. Eos memorat utique numero 86, sed pro opposita omnino doctrina. *Mihi* (inquit) *hoc ultimum argumentum suadet, non esse improbabilem sententiam illam, quae docet in praedicto casu non obligari poenitentem ad dicenda confessario peccata reservata, a quibus ipse eum non potest absolvere, sed ea solum, a quibus absolvere potest: circa illa enim sola est iudex, atque ideo illa sola potest legitime audire in suo tribunali. Quam sententiam licet aliqui improbabilem dicant..., eam tamen veram aut probabilem esse fatentur non pauci nec contemnendi Theologi,* GERSON, ALEXANDER VERO ALENSIS *et Maior* dicunt esse probabilem. Quinimo (quod maioris momenti esse videbitur) eandem his sententiam tribuit Vasquez (*Q. 91. art. 3. Dub. 3. n. 3.*); adeo nempe longe abest ut idem hi cum Vasquio senserint.

Allegat 2° *Armill., Praepos., Trull.*, etc. *apud Vivam De Euch. q. 4. art. 7. n. 6.* — Atqui Viva, qui addit etiam Io. Sancium, istos allegat *remissive* apud Diana P. 2. Tr. 14. R. 65. Porro Diana eos (excepto Trullench, quem marte suo addiderat Viva) affert velut affirmantes, *posse sacerdotem, si adest scandalum, celebrare sine praevia confessione, quia eadem peccata bis confiteri grave onus videtur.* Ergo etiam isti aliam afferunt rationem, et nequaquam pro anomala Vasquezii opinione invocari possunt. Et idem dicito de Trullench, qui de eodem sacerdote disserens imo concludit (*In Decal. Lib. 1. Cap. 3. Dub. 4. n. 13.*): *Si non potest existimare, se contritionem perfectam habere, confiteatur, et a confessario absolvatur directe a non reservatis.* Quae quidem e diametro opponuntur rationi, quam ex Vasquio S. Alphonsus mutuatus est.

Allegat 3° *Richardum* et *Sylvestrum* apud Diana. — Atqui apud Diana (*Tom. 1. Tr. 5. R. 132. n. 3.*) Richardus non secus ac Auctores sup. citati, ideo solum a confessione excusat, *quia grave onus censetur bis eadem gravia peccata confiteri;* Sylvester vero (*Ibid. n. 4.*) a Diana allegatur ceu non respuens opinionem, quae docet, *excommunicatione reservata ligatum in*

ut supra (l. c. Quaest. I.) dictum est, nulla videtur esse obligatio confitendi peccata illa, super quibus confessarius nequit esse iudex,

casu necessitatis posse praemissa tantum contritione celebrare aut Eucharistiam sumere: ubi nullum omnino opinionis Vasquezii cernitur vestigium.

Allegat 4. Suarium, Filliuccium, et Palaum, ceu *probabilem* censentes eandem illam rationem. Atqui superius vidimus, Suario *non visam fuisse improbabilem* non quidem doctrinam Vasquezii, sed opinionem, quae ideo eximit ab onere confessionis praemittendae sumptioni Eucharistiae, ne *quis eadem peccata bis confiteri cogatur.* Neque vero aliud habet Filliuccius, qui rationem reddit (*Tr. 4. Cap. 8. n. 213.*), *Ne poenitens teneatur idem peccatum reservatum duobus confiteri.* Nec aliter habet Palaus (*Tr. 21. Disp. Unic. Punct. 12. n. 6.*) inquiens: *Verum si aliis mortalibus non reservatis gravatus existas, esto aliqui nec improbabiliter censeant, te non esse obligatum confiteri, quia obligatus esses bis eadem peccata reservata clavibus subiicere...; at verius existimo, te esse obligatum confessionem praemittere saltem eorum, quae reservata non sunt.*

Itaque qui vestigia Vasquii presserit ex tot allegatis Auctoribus unicum habemus Collet (*De Euch. Part. 1. Cap. 6. art. 3. Concl. 4.*), qui certe conciliando probabilitatem cuipiam opinioni idoneus minime est. Et quidem (*De Poenit. Part. 2. C. 8. n. 570.*) absurdae illi rationi innititur, quam in *Nota* etiam a Vasquio afferri vidimus, quia nempe secus habens reservata *etiam ei, qui nullatenus approbatus sit, in eiusdem necessitatis casu,* nempe celebrandi, aut sumendi Eucharistiam, *posset confiteri.*

Et ex his iam satis patet, magnum illum tot allegationum apparatum, quem (*Lib. 6. n. 265. Q. 1.*) apud S. Alphonsum cernimus, utique efficere posse, ut non improbabilis dicta fuerit thesis, quam ibi proponit; at nihil omnino prodesse ad vim addendam rationi Vasquezianae, quam et hic, et rursus Lib. 6. n. 596. Q. 1. adhibet, quo postremo loco alioquin S. Doctor ipsam tot illis Auctoribus sine causa attribuit.

Caeterum ad refellendam eam Vasquezii opinionem, cui VV. tantum ponderis deferre videntur, scilicet habentem peccata simul reservata et non reservata non modo non teneri ad praemittendam sumptioni Eucharistiae confessionem, sed prorsus invalidam necessario esse eius confessionem si simplici confessario confiteatur, ad hanc (inquam) opinionem prorsus inanem ostendendam vel satis est inspexisse argumenta, quibus confirmare eam Vasquez aut Collet conati sunt.

Et unum quidem prorsus ineptum iam in *Nota* indicatum fuerat, quod modo vidimus a Collet transcriptum. Alterum argumentum Vasquez sumit ex Cap. *Si celebret De Cleric. Excomm.*, quod fusius ipse evolvit, ubi *de Excommunicatione* (*Dub. 4. n. 9.*). Ad huius autem argumenti absurditatem patefaciendam vel hoc sufficere debet, quod ex eo argumento sequeretur, sacramenta omnia ab excommunicato suscepta, etiam Confirmationem, et Sacros Ordines, imo et matrimonium invalida esse.

Tertium argumentum Vasquez a Concilio Tridentino ducit, eo quod (*Sess. 14. C. 7.*) dicatur, *extra mortis articulum sacerdotes nihil posse in casibus reservatis:* quod argumentum et a Collet videsis transcriptum (*l. c. n. 571.*). *Sed respondetur facile,* ait Lugo (*De Euch. Disp. 14. n. 97.*), *eos nihil posse directe, posse tamen indirecte sicut casu, quo poenitens immemor reservati confitetur non reservata, absolvitur indirecte a reservatis in omnium sententia. Non ergo potest intelligi de potestate etiam ad absolvendum indirecte.* Quam in rem scite observat idem Lugo, vigilanter Synodum Tridentinam dixisse *nihil posse in casibus reservatis,* non vero *nihil posse in personam habentem reservata.* Argumento autem petito ab illo, qui vel reservatum obliviscitur, vel reservatum in confessione sciens tacet alia iusta de causa, Lugo refellit ad hominem opinionem Vasquii, qui

cum nullam super eis iurisdictionem habeat. — *Recole dicta quaes. praec. Resp.* 1° (*a*).

Quaer. 5° *An valide absolvatur, qui bona fide accusat reservatum simplici Confessario, aut illius sine culpa obliviscitur?*

Resp. Affirm., si aliud peccatum non reservatum clavibus subiiciat; ratio, quia Confessarius non caret potestate in peccata non reservata, quamvis a reservatis *directe* absolvere nequeat. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 565.*

579. — Quaer. 6° *An inferior absolvere possit moribundum a reservatis, praesente Superiore, aut alio facultatem habente?*

Resp. 1° *Affirm.*, si casus sint *pure reservati*. Ratio est, quia in articulo mortis nulla est reservatio.

Resp. 2° *Affirm.* etiam quoad peccata cum censuris reservata.

in hisce casibus validam habet confessionem. *Quod haec* (nempe non reservata) *simul sint cum reservatis, non obstat valori praedictae absolutionis, ut constat in eo, qui oblitus est invincibiliter per longum tempus peccati reservati, et confessus est interim alia non reservata saepe confessario ordinario, a quo quidem valide absolvitur directe ab illis, et indirecte a reservato, ut fatetur ipse Vasquez, qui frustra conatur reddere rationem differentiae inter illum casum et nostrum, ut in illo sit, in nostro vero non sit valida absolutio a non reservatis, quam rationem bene impugnat Suarez. Videtur enim absque fundamento auferre potestatem absolvendi indirecte a reservato, quando explicatur, cum tamen posset id fieri, si taceretur. Nam quid refert exprimi, ut ideo non possit dimitti? Aut cur absolutio non potest terminari directe ad sola non reservata, sicut si illud dictum non fuisset?* Ita Lugo (*l. c. n. 86.*).

Ad robur addendum rationi, quam ex Vasquez seu Collet S. Alphonsus desumpsit, haec VV. addebant: *Et reipsa quid mirum, si videatur incompetens iudex, cui denegatur ius totam causam cognoscendi, idest, omnia peccata commissa, praesertim graviora, ac dispositionem et verum poenitentis statum?*

Resp. Haec instantia non probat id, quod ibi habet ratio S. Alphonsi, videlicet invalidam esse confessionem, propterea quod incompetens sit iudex, qui potestatem etiam in reservata non habeat; sed ad summum aliquo modo probare posset, in casu non modo non reservata, sed reservata quoque in confessione esse aperienda, si quando in eum finem id omnino necessarium foret. Instantia ista igitur pro opinione Vasquii et S. Doctoris Alphonsi nihil prorsus concludit.

(*a*) Quod ergo de eadem re S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 92.*) ita scribit: *An vero habens peccata et censuras reservatas teneatur ea exponere confessario non habenti super eis potestatem, casu quo urgeat necessitas communicandi aut confitendi, et aditus non pateat ad Superiorem? Vide dicta De Eucharist. l. 6. n. 265. Quaer. II., ubi diximus teneri. Vide ibi rationem:* hoc plane intelligendum est de casu, quo poenitens habeat tantum peccata seu censuras reservatas.

Quod vero quidam recentiores ab hac norma excipiant, si poenitens sit recidivus in reservata, vel in occasione proxima (Vid. S. Alph. *Lib. 6. n. 265. q. II. et n. 585. dub. 3.*), minus ad rem facit; tum quia absonum videtur, quod Confessarius inani ductus suspicione poenitentes interroget, an forte habeant *reservata*, in quibus adsint illa adiuncta; tum quia interrogationes restringi ad ea debent, in quibus confessarius est iudex; tum denique quia opportuna remedia non deerunt, quando reservata illa aperientur habenti facultatem, ad quem spectat de tota illa causa cognoscere.

Eruitur ex *Trid. sess. 14. c. 7.*: *In eadem Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a* quibuslibet peccatis et censuris *absolvere possunt* (*a*).

QUAER. 7° *An requiratur venia Episcopi ad absolvendum moribundum a casibus papalibus, si facile peti possit?*

Resp. Neg. Etenim, ut constat ex allatis verbis *Conc. Trid.*, in mortis articulo nulla est reservatio. Hoc autem valet sive pro casibus notoriis, sive pro occultis. Proinde superflua prorsus foret Episcopi venia.

580. — QUAER. 8° *An possit Superior absolvere poenitentem a reservatis, et eum remittere ad inferiorem pro absolutione non reservatorum?*

Resp. Neg. Ratio est, quia ex propositione damnata 59ª ab *Innoc. XI.* non licet dimidiare confessionem ob multitudinem negotiorum vel poenitentium. — *Ita communiter* contra *aliquos.* — *Vide S. Lig. n. 595.* (*b*).

QUAER. 9° *An tollatur reservatio per confessionem nullam aut sacrilegam?*

(*a*) Utile tamen foret adhibere confessarium, qui potestate in reservata polleat; quia sic adimitur necessitas adeundi Superiorem post sanitatem forte restitutam, si quidem agatur de iis reservatis, quae id exigant: qua de re vid. *sup. not. ad n. 576.* Haec autem animadversio locum habet et in quaest. seq.

(*b*) Prop. 59. damnata ab Innoc. XI. ita se habet: *Licet absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis v. gr. potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut Indulgentiae.* Sed haec, uti patet, minus efficax est ad solvendam quaestionem ab A. propositam, cum sit omnino diversa.

Posse autem aliquando Superiorem absolvere a solis reservatis, et poenitentem remittere ad inferiorem pro complenda confessione, eo quod propter Praelatorum occupationes non vacet ipsi integras subditorum confessiones audire, *multi* (ait Lugo, *De Poenit. Disp. 20. n. 75.*) *et graves Auctores dicunt... Ita Caietanus, S. Antoninus, Paludanus, Henricus, Navarrus et uterque Soto, etc.* Sed dein subdit (*n. 76.*): *Contraria sententia docet, per se loquendo, id non posse fieri; sed debere Superiorem vel non absolvere, vel audire confessionem integram. Hanc tenent Adrianus, Sylvester, Victoria... et alii recentiores communiter. Quae sententia verior est.*

Cur vero addiderit illud, *per se loquendo,* rationem sic inferius (*ibid. n. 78.*) reddit: *Non tamen negamus, posse dari causam rationabilem id aliquando faciendi, et absolvendi sacramentaliter a solis reservatis: v. gr. si poenitens dicat, se indigere absolutione Superioris, vel eius licentia ad confitendum alteri, nec vellet dicere nisi in confessione sacramentali speciem peccati, quia non vult duobus manifestare idem peccatum: et aliunde Superior non posset ipsum audire, nec poenitens posset amplius expectare propter necessitatem urgentem ad communicandum, vel quid simile: ac denique Superior iudicaret necessarium personaliter audire reservatum: quia propter aliquam circumstantiam ita valde expediret: tunc posset dari causa audiendi et absolvendi dimidiata confessione: qui tamen casus rarissimus est.* Subdit deinde (*ibid. n. 79.*), quomodo contingere posset, ut etiam confessarius privilegiatus dimidiata confessione absolvere eadem de causa deberet. *Sed* (concludit) *neque hoc poterit nisi rarissime contingere.*

Resp. 1° *Probabiliter* tollitur per confessionem *sine culpa nullam.* Ratio est, quia reservatio ad hoc principaliter ordinatur, ut peccata Superiori deferantur. — *S. Lig. n. 598.*

Resp. 2° *Probabiliter* etiam tollitur per confessionem *sacrilegam,* quia eadem est ratio ac pro casu praecedenti. — *S. Lig. ibid. et alii communius.* — Excipe 1° si poenitens culpabiliter reticeat ipsum peccatum reservatum, quia minime praesumitur Superior in sacrilega eiusmodi confessione velle auferre reservationem peccati sibi de industria non delati. 2° Excipit etiam *S. Alph.,* si confessio invalida fiat in Iubilaeo, quia Pontifex non dat facultatem absolvendi a reservatis, nisi ut fideles Iubilaeum lucrentur, ac proinde secus non censetur velle eam concedere (*a*). Sed aliter alii cum *Lugo, D. 20. n. 113.*

(*a*) Haec ratio, quam S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 537. q. 11.*) desumpsit ex La Croix (*Lib. 6. Part. 2. n. 1449.*), nimis probat; consequens enim esset, non tolli reservationem etiam cum eis, qui prius valide confessi, deinde Iubilaeum non lucrantur; quam quidem quorumdam opinionem ipse Benedictus XIV. in sua Constit. *Inter praeteritos* §. 86. hisce verbis reiicit: *Quoniam absolutio a censuris in casu, de quo agitur, minime quidem cum reincidentia, sed absolute data est et datur, idcirco in eadem Constitutione LIV. declaravimus, illum nequaquam censuris, a quibus solutus fuerat, innodatum, aut gratiae commutationum* (scil. votorum) *ac dispensationum obtentarum expertem remanere.*

Caeterum ad fruendum gratiis in Iubilaeo concessis Benedict. XIV. hoc unum exigit; ut adsit sincera voluntas Iubilaei lucrandi. Ita *Const. cit.* §. 86.: *Dictum superius fuit, eum, qui facultates habet, quae per annum Iubilaei conceduntur, eisdem non nisi cum illis poenitentibus uti posse, qui sinceram habent Iubilaei consequendi voluntatem, quique ex hoc animo iniuncta ad eiusdem consecutionem opera adimplendi ad confitendum accedunt.* Neque plus aliquid reperies in §. 62., ad quam S. Alphonsus appellat: *Si omnes* (inquit), *quae tribuuntur facultates, ad Iubilaei consecutionem directae ac veluti ipsius praeparatio sunt; clare inde consequitur, illarum usui minime locum esse, nisi cum eo, qui ad consequendum Iubilaeum sit praeparatus, et certum habeat propositum adimplendi opera ad eiusdem acquisitionem iniuncta.* Quam in rem affert et ista Suaresii verba (*De Relig. Tr. 6. Cap. 16. n. 6.*): *Gratia non confertur, nisi in ordine ad hunc finem et per modum praeparationis ad effectum Iubilaei; ergo qui non habet animum implendi, et obtinendi Iubilaeum, non potest gaudere facultate.*

** Ad id, quod de S. Doctore Alphonso notatum hic est, reponunt VV. (*Pag. 576. in Not. 2.*): *Facilis est responsio. S. Doctor non requirit, ut iubilaeum revera lucretur, omnibus adimpletis conditionibus, sed tantum ut confessio sit vera praeparatio ad iubilaeum lucrandum. Unde potius consequens est, tolli reservationem cum eis, qui prius valide confessi sunt, etsi deinde aliam ob causam iubilaeum non lucrentur.*

Resp. Etiam ad ista facilis praesto est responsio, scilicet *Nego totum.* In primis itaque legantur, quae S. Alphonsus habet (*Lib. 6. n. 598. in fin.*). Inter casus enim, in quibus negat, reservationem tolli, etiam iste disertis verbis continetur: *Item excipienda est confessio invalida sive culpate sive inculpate facta in iubilaeo; quia ibi cum Pontifex non praebeat facultatem absolvendi reservata, nisi ad finem, ut fideles lucrentur iubilaeum,* NON CENSETUR VELLE AUFERRE RESERVATIONEM, SI ILLI IUBILAEUM NON LUCRANTUR. Porro ratio, quae hic redditur, cur non tollatur reservatio, si confessio

581. — QUAER. 10° *An tollatur reservatio, si poenitens, confitendo apud Superiorem, casus reservatos obliviscatur?*

Resp. Affirm. saltem *probabiliter*, quia recte praesumitur, Superiorem liberare poenitentem voluisse ab omni vinculo, a quo

sit invalida etiam inculpate, manifeste praefert generalius principium, quod nempe *Pontifex non censetur velle tollere reservationem,* si poenitentes reipsa *iubilaeum non lucrentur.* Ergo ista ratio nimis probat, quia eos etiam complectitur, qui prius valide confessi deinde iubilaeum non lucrantur.

In eundem autem scopulum incidit modus loquendi, quo Croix (*Lib. 6. P. 2. n. 1449.*) utitur. *Ut lucretur iubilaeum*, inquit, *et consequenter ut acquirat ius absolutionis a reservatis* etc. Aequivocationis nimirum vitio haec laborant. Iuxta enim Pontificia Decreta ius ad absolutionem a reservatis acquirit, *qui velit iubilaeum lucrari,* non vero qui *revera tandem lucretur.*

S. Doctor, inquiunt VV., *tantum requirit, ut confessio sit vera praeparatio ad iubilaeum lucrandum.*

Respondet hic Lugo (*De Poenit. Disp. 20. n. 113.*): *Certe probabile mihi videtur, quoties defectus non sit in integritate circa ipsa reservata, tolli posse reservationem virtute illius absolutionis, si poenitens habeat animum lucrandi iubilaeum, et confitendi postea valide, ac ponendi omnia alia requisita. Quia sicut Confessarius ex privilegio et delegatione absolvens valide, tollit reservationem peccati, licet confessio sit invalida ob defectum etiam poenitenti cognitum, dum tamen non sit circa integritatem debitam in reservatis; non video, cur non possit etiam virtute iubilaei confessarius solvere vinculum reservationis peccati in paribus circumstantiis, licet non absolvat ab ipso peccato propter indispositionem poenitentis.* Idipsum autem Lugo (*l. c.*) advertit de absolutione a censuris reservatis. *Addo* (ita ille), *etiamsi poenitens advertat defectum confessionis, aliquando tamen posse habere intentionem lucrandi iubilaeum, et ponendi omnia requisita: si v. gr. habeat animum confitendi postea valide ante finem hebdomadae: et tunc videtur valide absolvi ab excommunicatione et censuris reservatis in illa confessione invalida: quia absolutio a censuris prius datur, quam absolutio a peccatis: et eius valor non dependet a valore absolutionis... Cum ergo ille habeat intentionem lucrandi iubilaeum, iam videtur esse dispositus ad obtinendam absolutionem a censuris, licet non sit dispositus ad obtinendam absolutionem a peccatis.*

Haec autem a fortiori valent, quando poenitens bona fide confiteatur, atque ideo inculpate confessio sit invalida. Quam in rem idem Lugo (*l. c. n. 112.*): *Quoad censuras non apparet, cur non esset valida tunc absolutio, cum virtute iubilaei possit aliquis absolvi ab excommunicatione etiam extra sacramentum: indispositio ergo ad iustificationem non impedit absolutionem ab excommunicatione. Hinc autem argui potest ad ablationem reservationis; quia si valide absolvitur ab excommunicatione; ergo ad minus aufertur reservatio peccati habentis excommunicationem reservatam iuxta communem Theologorum sententiam. Deinde si potest Confessarius tollere valide vinculum excommunicationis virtute iubilaei ei, qui confitetur invalide; cur non poterit eadem virtute solvere vinculum reservationis peccati, non obstante invaliditate confessionis?* Et praemiserat (*l. c. n. 111.*): *Sicut etiam Religiosus, qui ex privilegio absolvere potest a reservatis, aufert reservationem; licet absolutio a peccatis sit invalida ob indispositionem poenitentis.*

Et ex his quidem colligitur, non obstare rationes, quas contra affert S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 537. q. 2.*). *Ratio est,* inquit, *tum quia nulli sua fraus patrocinari debet, tum quia facultates conceduntur in confessione, ut per illam fideles iubilaeum lucrentur.* Nam primo nulla reipsa fraus intercedit, quando poenitens veram habet voluntatem lucrandi iubilaeum,

absolvere ipsum potest. — *Ita Lugo, Salmant., et alii communiter,* contra *alios* qui etiam *probabiliter negant.* — *S. Lig. n. 597.,* dicit priorem sententiam *communissimam,* et aliam *probabiliorem* (*a*).

licet hic et nunc non sit dispositus; quemadmodum videlicet, ut ait Lugo, si quis eadem hac de causa extra sacramentum quaerat et obtineat absolutionem ab excommunicatione reservata, utut hic et nunc non sit dispositus, atque ideo confessionem ad mensem sequentem differre velit. Alioquin vero nulla ratio est, cur confessarius facultatibus uti nolit, praesertim quia, ut ait S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 598. q. 4.*), etiam in confessione sacrilega finis reservationis obtinetur. *Alius,* inquit S. Doctor, *est finis confessionis, alius reservationis: finis confessionis est, ut remittatur peccatum; finis autem principalis et directus reservationis est, ut huiusmodi peccata reservata committentes subiiciantur iudicio Superioris; ergo cum subditus peccatum suum superiori defert, et poenitentiam ab eo impositam acceptat, etiamsi sacrilege confiteatur, iam obtinetur finis reservationis, quamvis non remittatur peccatum. Quod autem peccator ex tali iniquitate commodum reportet, hoc per accidens evenit; nam licet ex voluntate interpretativa nollet auferre reservationem, si sacrilegium agnosceret; tamen ex voluntate actuali tunc iam vult auferre.*

Exinde neque vim habent ea, quae ex S. Alphonso (*Lib. 6. n. 537. q. 2.*) VV. referunt, nempe quod *cum Pontifex concedit facultatem absolvendi a reservatis, ut fideles iubilaeum lucrentur, non praesumatur illam concedere pro iis, qui nequeunt cum illa confessione iubilaeum lucrari.* Alius aliter dicet, Pontificem concedere eam facultatem, ut quicumque voluntatem habent iubilaeum lucrandi, possint id consequi. Atqui possunt iubilaeum lucrari, etiamsi illud non lucrentur ea confessione, sed alia dein valida confessione, praesertim cum finis reservationis, ut probat S. Alphonsus, etiam in invalida praecedenti confessione iam sit obtentus. Idque a pari et argumento ad hominem confirmare licet. Praescindamus enim ab occasione iubilaei. Quinam generatim finis est, propter quem Superior facultatem concedit absolvendi a reservatis? Profecto ut fidelis reservata habens Deo reconcilietur. Ergo VV. concludent, quod *non praesumitur Superior illam concedere pro iis, qui nequeunt cum illa confessione,* utpote culpabiliter invalida, *reconciliationem cum Deo adipisci?* Atqui S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 598. q. 4.*) sententiae adhaeret, quae reservationem ea confessione invalida tolli affirmat, oppositaeque opinionis rationes egregie refellit.

(*a*) Quamvis S. Alphonsus (*l. c.*) *probabiliorem* dixerit opinionem, quae tolli reservationem negat, tamen non prohibet, quominus quis sequatur communem, immo, ut ipse eam appellat, *communissimam* Lugonis doctrinam non obstantibus Suaresii obiectionibus; sed novam dumtaxat illi doctrinae exceptionem sic addit: *Omnino tamen dicendum puto, reservationem non auferri, quando adest positiva praesumptio, quod si Superior audivisset peccatum reservatum, absolutionem distulisset.* Verum haec hypothesis vix apparet, quandonam habere locum possit. Nam vix alia ratio absolutionem differendi adesse potest, nisi quod poenitens hic et nunc non sit dispositus. Atqui ipse S. Alphonsus (*ibid. n. 598. q. IV.*) eo usque progreditur, ut concedat reservationem tolli etiam quando poenitens confitetur sacrilege. Nulla ergo ratio elucet, cur etiam in eo casu valere non possit generale huius doctrinae fundamentum, quod Lugo (*De Poenit. Disp. 20. n. 91.*) sic exponit: *Tota difficultas non esse debet circa possibilitatem, sed circa factum seu voluntatem: an de facto velit Superior tollere directe reservationem pro oblitis, quotiescumque absolvit subditum. Et quoad hoc dicimus, probabiliter praesumi a communi sententia voluntatem illam in Superiore.*

QUAER. 11° *An qui confessus est inferiori peccatum dubie reservatum, omnino liberetur a reservatione, etiamsi postea illud agnoscat ut certum?*

** Hoc loco VV. (*Pag. 572-573. in Not.*) communem textum S. Doctoris Alphonsi, collatione inter varias editiones instituta emendaverunt. In omnibus quippe editionibus post sextam ann. 1767. Lib. 6. n. 597. legebatur sic: *Hanc secundam sententiam probabiliorem censeo: et hanc Sylvius Tom. 4. Suppl. q. 20. art. 2. circa fin. tenet ut veram cum Sylvestro, Angelo, Adriano, Navarr., Covarruv., Bonac., Sa, Coninck, et aliis pluribus, quibus consentit Pontas cas. 25., et adhaeret Contin. Tourn. Tom. 6. p. 2. pag. 131.: Licet prima videatur etiam probabilis, tum ob auctoritatem DD., qui (ut fatetur ipse Concina) communiter eam docent, tum quia probabiliter potest praesumi Superior consentire etc.*

Verum per inadvertentiam typographi, ut narrant VV., factum est, ut novem illi Auctores appareant allegati pro sententia *negante*, quando S. Alphonsus contra addiderat illos pro *affirmante*. Sic itaque locus iste legi debet: *Hanc secundam sententiam probabiliorem censeo; Licet prima videatur etiam probabilis, tum ob auctoritatem DD., qui, ut fatetur ipse Concina, communiter eam docent, et hanc Sylvius tenet ut veram cum Sylvestro, Angelo, Adriano, Navarro, Covarruvias, Bonacina, Sa, Coninckio, et aliis pluribus, quibus consentit Pontas, et adhaeret Continuator Tournel.; tum quia probabiliter potest praesumi Superior consentire, ut auferatur reservatio* etc.

Exinde vero emendandum et illud venit, quod S. Doctor ibidem praemiserat. Nam ceu patronos *negativae* sententiae allegaverat etiam *Sylvestrum* et *Angelum*, quos in nova additione pro *affirmativa* stare fatetur. Quinimo delendi ibi sunt etiam *Rosella* et *Gabriel*. S. Alphonsus eos citat cum duobus praedictis sic: *Item Sylvester, Angelus, Rosella et Gabriel apud Lugo.* Atqui Lugo (*Disp. 20. n. 85.*) hos omnes non pro *negativa*, sed pro *affirmativa* sententia affert.

Caeterum in duodecim illis columnis, quas VV. (*Pag. 572-578.*) praesenti Notae opponunt, duo obiiciunt. Primum est (*Pag. 574.*), *minus recte in Nota asseri vix aliam dari rationem absolutionis differendae praeter actualem poenitentis indispositionem.* Nam, inquiunt, posset Episcopus differre absolutionem 1° ut prius scandalum reparetur; 2° ut prius poenitens aliquam satisfactionis partem impleat.

Resp. Etiam alias ob causas differri absolutio potest, v. gr. quousque poenitens resarciat illata damna, aut famam restituat, aut occasionem peccandi removeat, etc. Verum haec et eiusmodi alia nihil impediunt, quominus reservatio cesset. Ratio est, quia peccatum ex oblivione omissum subiici deinde clavibus debet. Etiamsi autem sublata sit reservatio, tamen etiam simplex confessarius, cui confessio fiat, pro munere suo iniunget, quae iniungenda sunt, eaque praestabit, quae Superior fuisset praestiturus, non secus ac confessarius privilegiatus, cui poenitens peccata reservata confessus fuisset. Causae igitur, ob quas praesumatur, Superiorem reservationem non tollere, imaginariae sunt.

Alterum, quod VV. reprehendunt, illud est, quod in *Nota* dicitur, nimirum *cum S. Alphonsus concedat, reservationem tolli, etiam quando poenitens confitetur sacrilege,* arbitrandum non esse, reservationem non tolli *ob solam poenitentis indispositionem,* quae etiam inculpabilis esse posset. Reponunt VV. (*Pag. 576-577.*): *Ratio dispar est, et discrimen essentiale inter hanc et alteram quaestionem. Etenim poenitens peccatum reservatum inculpabiliter obliviscens valide quidem confitetur; at vero Superior, cuius iudicio delictum non subiicitur, nec medicinam adhibere, nec poenitentem, ut decet, admonere, nec debitam simulque salutarem poenitentiam*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia, cum peccatum dubie reservatum est accusatum, iam directe absolutum est, et proinde directe ablata est reservatio (*a*). — *S. Lig. n. 600.*

582. — QUAER. 12° *An Episcopus absolvere possit peregrinos a censuris episcopalibus* (*b*), *quas in propria ipsorum dioecesi incurrerunt?*

Resp. 1° *Negative,* si agatur de censuris ab homine per sententiam particularem, ut dicetur in *Tract. de Censuris.*

Resp. 2° Si agatur de censuris a iure aut etiam ab homine per sententiam generalem, *affirmandum* videtur, stante actuali et communi consuetudine, contra quam Ordinarii non reclamant, licet antiquiores communissime negaverint. — *Recole dicta superius de peregrino absolvendo a reservatis in ipsius dioecesi, n. 573. Quaer. 5.°*

583. — QUAER. 13° *An absolvi possint peregrini a peccato reservato, si in propria dioecesi peccaverint et alio ad confitendum perrexerint?*

Resp. Neg. si alio tendant *praecise in fraudem reservationis,* ut constat ex Bulla *Clement. X. Superna.* Non conveniunt autem Theologi quomodo intelligendum sit τὸ *in fraudem.* Iuxta *probabiliorem sententiam* fraus eiusmodi intercedit, quando quis alienam petit dioecesim ob principalem finem non solum confitendi, sed etiam declinandi iudicium proprii Pastoris. — *S. Lig. n. 589., et alii communiter.* — Hinc valide absolvi poterit peregrinus, si abierit in alienam dioecesim ob aliquem honestum finem, puta negotii agendi, vel lucrandae indulgentiae causa, vel ut confiteatur minori cum incommodo, aut citius confessionem perficiat, vel ut Confessarium incognitum aut prudentiorem inveniat, qui melius eum dirigat, et tranquillitati suae conscientiae consulat, aut ob alia motiva similia (*c*).

APPENDIX I.

DE ABSOLUTIONE PROPRII COMPLICIS IN PECCATO TURPI

584. — I. Nullus confessarius absolvere potest complicem suum in peccato turpi; qui autem absolvere praesumit, excommunica-

ipsi imponere potest... Nihil autem ex his requisitis desideratur in confessione, quam alter, licet invalide, peragit.

Resp. Iam dictum est, in casu, ad confessarium, cui deinde poenitens peccatum illud confiteatur, curam spectare tum medicinam, tum admonitiones adhibendi, tum etiam debitam ac salutarem imponendi poenitentiam. Quocirca non est verum, sic fini reservationis non satisfieri; quinimo id fere contingit, quando a Superiore vel poenitens vel confessarius pro poenitente facultatem ad reservata generatim quaerit et obtinet.

(*a*) Accedit, quod nisi peccati reservatio certa sit, iam peccatum non censetur sub reservationem cadere. Vid. dicta *sup. n. 572.*

(*b*) Episcopales censuras intelligit A., quae propriae sunt illius dioecesis, et simul Episcopo sunt reservatae.

(*c*) Confer de his quae superius (*n. 573. q. 3.*) dicta sunt.

tionem Papae reservatam ipso facto incurrit. Constat ex Constitutione *Benedicti XIV. Sacramentum Poenitentiae,* 1. Iunii 1741. — Item ex alia Constitutione eiusdem Pontificis: *Apostolici muneris,* 8. Febr. 1745.

II. Confessarius caret omni iurisdictione ad absolvendum complicem quoad peccatum, cuius fuit particeps. Infertur ex verbis expressis Bullae, in qua dicitur: *Sublata praeterea illi ipso iure quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam.*

585. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quid veniat nomine peccati turpis?*

Resp. Venit omne peccatum grave contra sextum Decalogi praeceptum, etiamsi non sit copula consummatum; imo licet sit solus tactus turpis. Quidam addunt etiam colloquium inhonestum; [sed alii contradicunt, et haec sententia, inquit *Amort, de Poenit. D. 10.*, est conformior verbis *Bened. XIV. de Syn. l. 7. c. 14. n. 4.*, ubi hoc crimen describit.] ne peut être soutenu depuis S. O. 28 Mai 1875

Requiritur autem, ut ex utraque parte adsit peccatum mortale non modo internum, sed etiam in ratione actus externi, et cum formali complicitate, idest cum mutuo consensu exterius manifestato. — *S. Lig. n. 554., et alii.* ante vel post scandalum

Quaer. 2° *An nomine complicis veniant non solum mulieres, sed etiam viri?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia verba Bullae sunt omnino generalia; in ea enim dicitur: *Qui confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi contra sextum praeceptum excipere audeat.* Ergo Constitutionis dispositio ad sexum muliebrem non est restringenda. — *Ita communiter. — Gousset, n. 488.*

586. — Quaer. 3° *An Sacerdos possit absolvere complicem in articulo vel periculo mortis?*

Resp. Affirm. valide et licite, si non possit advocari alius Sacerdos, qui munus Confessarii obire possit; si vero adsit Sacerdos alter, etiam non approbatus, qui confessionem excipere queat, absolvet quidem valide, sed illicite, poenasque non effugiet.

Quaer. 4° *An Sacerdos possit absolvere complicem in morte, si alius nequeat advocari vel accedere sine infamia aut scandalo?*

Resp. Affirm. valide et licite. Tenetur tamen Sacerdos complex talia infamiae vel scandali pericula praecavere, si possit, v. gr. aliquo praetextu discedendo, etc. Secus poenas non evadet, licet absolutio sit valida. Constat ex Const. *Bened. XIV. — S. Lig. n. 553.*

Quaer. 5° *An Sacerdos possit absolvere complicem in morte, si hic alteri confiteri recuset?*

Resp. Affirmandum videtur, si aliunde sit dispositus, *ne* scilicet *pereat,* aut saltem ne eius aeterna salus periclitetur (*a*).

(*a*) De absolutionis *validitate*, si poenitens sit rite dispositus, nulla esse potest controversia; nam validam esse affirmat ipse Benedictus XIV. (Const. *Apostolici muneris*). Dubium ergo esse potest tantummodo, an *li-*

587. — QUAER. 6° *An Sacerdos absolvere possit complicem ab aliis peccatis sibi extraneis, postquam ille semel ab alio rite fuit absolutus?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia caret tantum iurisdictione in hunc poenitentem quoad peccatum, cuius ipse fuit particeps; ergo deleto illo peccato per absolutionem ab alio impertitam, iam cessat prohibitio, nec deest iurisdictio (*a*).—*S. Lig. n. 555., et alii communiter.*

Verum si quis pudor maneat in Sacerdote, qui miseranda fragilitate peccatum turpe cum alio patraverit, si quis honor Sacramento debitus, nunquam in posterum complicis confessionem excipiet. Insuper periculum novi lapsus, aut saltem gravis tentationis in directione talis poenitentis facile subesse potest. — *Gousset, ibid.* — Avertendi igitur sunt fideles, quoad fieri potest, ne unquam in posterum, secluso necessitatis casu, Confessarium adeant peccati complicem.

cite sacerdos ille absolvat. Porro Benedictus XIV. (*cit. Const.*) eum solum damnat, qui *nulla necessaria causa cogente sacramentalem complicis confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri praesumpserit.* Quando autem infirmus ad mortem cuilibet alii confiteri recuset, non solum aeterna infirmi salus necessitatem huic sacerdoti imponit audiendi confessionem, sed facile accedet etiam causa scandali, si ipsius infirmi confessionem excipere abnuat.

(*a*) Ferunt, Benedictum XIV. olim interrogatum ab Episcopo Brugnatensi, an sacerdos complicem posset absolvere, postquam hic ab alio confessario absolutus iam fuerat, respondisse, complicem a sacerdote complice absolvi non posse, etiamsi centies absolutus ab aliis fuisset. Verumtamen hoc responsum nihil doctrinae Auctoris repugnat. Pontifex enim sacerdoti iurisdictionem abstulit, qua complicem absolveret a crimine, cuius ipse complex fuit. Et cum iurisdictionem in illud crimen nullam amplius iste habeat, crimen vero illud possit esse materia absolutionis etiam postquam remissum in alia confessione fuit, utique dici debet, quod sacerdos complex complicem *ab eo crimine* absolvere non potest, etiamsi iam ab alio fuerit absolutus; quoad crimen enim illud in perpetuum caret iurisdictione. Auctor tamen haud loquitur de complice absolvendo *ab isto crimine,* sed de absolvendo ab aliis peccatis, postquam crimen illud per confessionem apud alium sacerdotem factam rite expiatum fuit.

Quid ergo (inquies) aget Confessarius, si poenitens istud peccatum, etsi remissum, accuset? Respondeo: Si hoc solum accuset, res eo redit ac si quis solum peccatum reservatum confiteatur non habenti facultatem in reservata; de quo superius (§. *575. Resp. 2. n. 2.*) dictum est, absolvi non posse, quia sic nulla adest sacramenti apta materia. Si vero alia quoque peccata confiteatur, perinde erit, ac si quis reservata simul et non reservata afferat, quando scilicet materia partim apta proponitur, partim inepta; tunc autem utique poenitens absolvi potest, uti (*cit.* §. *575.*) dictum est; verum absolutio tum ex rei natura, tum ex mente absolventis in solam materiam aptam cadit. Caeterum casus praesens a praecedenti illo in hoc differt, quod ad eum absolvendum, qui cum aliis peccatis affert etiam reservata, causa requiritur ab integritate confessionis excusans, ut ibidem (*l. c.*) notatur; at in casu praesenti nulla eiusmodi causa exigitur, quia nihil opus est, ut peccatum illud iam remissum clavibus iterum subiiciatur; ac propterea accusatio eius ceu quid mere confessioni impertinens accidit.

In nonnullis dioecesibus de iure particulari cautum fuerat, ne Sacerdos unquam excipere posset confessionem complicis, saltem copula consummata. Hoc tamen non semel reprobavit S. Congreg. Concilii; et cum proponerentur Decreta Synodi Consentinae, licet huius Decreti propugnatores multa afferrent ad eius defensionem, atque adesse negarent scandali periculum, quod praesertim in parvis locis alii ex eiusmodi decreto facile affuturum monebant, S. Congr. Conc. die 2. Dec. 1679. respondit: *Tale Decretum deleatur* (*a*). — (*Anal. Iur. Pontif. p. 752.*).

(*a*) Ita S. Congregatio sapientissime cavit, ne zelus arcendi fideles a malo, qui subinde nullis industriis, aut conatibus parcit, limites alioqui prudentiae excedat; ex quo fortassis fiat, ut potestas, a Christo data (*2. Cor. 13. 10.*), potius in *destructionem*, quam in *aedificationem* cedat, dum remedii difficultas eum, quem a malo non cohibuit, in desperationis abyssum detrudit.

Et hic quidem se nobis offert quaestio multo salebrosior. Quid enim fiat, si alicubi mulier, quae misere in eiusmodi peccatum cum sacerdote lapsa fuerit, nullum alium, quocum peccatum illud sacramentaliter confiteatur, sacerdotem ibi habeat, ea vero sint personae, loci etc. adiuncta, ut ad quaerendum confessarium alio divertere non possit, nec spes affulgeat (ut contingere v. gr. in locis Missionum potest), alium sacerdotem unquam illuc adventurum? Dicemusne, mentem Pontificis Benedicti XIV., dum istas Constitutiones promulgavit, hanc fuisse, ut miserrima mulier in hisce adiunctis per totius vitae decursum carere Ecclesiae sacramentis debeat, quousque in extremis vivendi momentis a sacerdote peccati complice, prouti Benedicti XIV. Constitutio fert, tandem absolvi possit? Quinimo cum subinde ex insperato nec ullo morbo, quasi adventus sui praemisso nuncio, mors adveniat; dicemusne eandem mulierem hac etiam horrenda necessitate constringi, ut post illud peccatum iam periculum decedendi ex hac vita, ad plurimos quoque annos protracta, sine absolutione sacramentali subire debeat? Verum ecquid deinde agat, ubi annuae confessionis et communionis praeceptum urget? Dices, eam perpetuo sola contritione praemissa ad sacram mensam accedere posse imo et debere? Quid, ubi et populi scandalum, et mulieris sequatur infamia, si palam fiat, eam ad poenitentiae sacramentum nunquam per plures annos accedere? Suggeret quis forte, in hac necessitate cum eiusmodi poenitente agi posse non secus, ac cum habente reservatum, atque adeo praetermissa culpa, in quam sacerdos non habet iurisdictionem, subiici absolutioni posse reliqua peccata; hoc autem pacto etiam culpam illam indirecte remitti. At enim ubinam et quando ista culpa clavibus Ecclesiae demum subiicietur? Fatendum est itaque, gravissimas, quocumque te denique verteris, difficultates occurrere; nec facile, ut videtur, quispiam ad aliquid in re tam gravi definiendum proprio tantum innixus iudicio progredietur.

Duo tamen sunt, quae satis perspicua videri possunt. Unum est, Benedictum XIV., dum Confessario criminis complici iurisdictionem ad absolvendum ab eodem crimine complicem abstulit, voluisse quidem gravissimi scandali occasionem removere, nequaquam autem poenitenti viam reconciliationis a Christo Domino constitutam ac fidelibus omnibus impositam praecludere; immo vero idcirco confessarium criminis complicem ad huius reconciliationis ministerium inhabilem effecisse, quo aptius et certius haec alterius sacerdotis ministerio obtineretur; supposuisse id igitur, quod fere contingit (ac multo magis per eam aetatem contingebat) alios non deesse sacerdotes, a quibus poenitens iuxta legem a Christo constitutam peccati sui remissionem per confessionem et sacramentalem absolutionem

588. — Quaer. 7° *An Episcopus possit absolvere ab excommunicatione lata in Confessarium, qui complicem suum absolvit, si casus sit occultus ex concessione Trid. cap. 6.* Liceat, *sess. 24.?*

Resp. Sic respondet *S. Lig. n. 556. Videtur ex una parte ne-*

quaereret. Quocirca haud longissime forte a veritate ille aberraverit, qui putet, de praesenti hypothesi utpote prorsus extraordinaria frustra, in illis Constitutionibus definitionem requiri.

Alterum est, Ecclesiae mentem et praxim nunquam hanc extitisse, ut quandocumque iurisdictionem ad quaedam remittenda peccata restringit seu aufert, eorumque absolutionem certis quibusdam reservat, committere per hoc voluerit, ut posthabita Christi lege de peccatorum venia per sacramentum poenitentiae quaerenda et obtinenda, iustificationis gratiam solum per contritionem aut etiam solum per indirectam criminum remissionem fideles consequerentur. Utcumque enim haec media ad gratiam reconciliationis cum Deo atque adeo ad aeternae salutis consecutionem sufficientia videantur, ac reipsa sint; Ecclesia tamen oeconomiam a Christo praestitutam, quantum in se est, negligi non permittit. Hinc illa Tridentini Concilii (*Sess. 14. Cap. 7.*) sententia : *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* Neque vero existimandum est, id ab Ecclesia pro mortis tantummodo articulo seu periculo cautum fuisse. Ex eiusdem nimirum Ecclesiae sensu, qui manifestissime se nobis prodit in sacris Canonibus et unanimi catholicarum scholarum sententia, quoties contingat, ut quis *ad illum, a quo alias de iure fuerat absolvendus, nequeat propter legitimum impedimentum pro absolutionis beneficio habere recursum, ab alio* (*C. Eos, qui 22. De Sent. Excom. in VI.*) hic absolvi possit. Quod idem in Cap. *Ea noscitur 13. De Sent. Excomm.*, et Cap. *Quamvis 58. eod. tit.* constitutum reperimus. Porro iuxta scholarum catholicarum doctrinam (*Vid. sup. n. 575.*) id obtinet, quando impedimentum adeundi eum, qui facultate absolvendi pollet, ad *longum tempus,* quod *a sex* computatur mensibus, perseveret. Quid vero, quod catholicis, in schismaticorum regione degentibus, si forte gravatos se peccatis sentiant, nec satis consultum putent paci conscientiae per contritionem, Ecclesia non interdicit, ut deficiente catholico sacerdote absolutionem sacramentalem a schismatico sacerdote requirant? Alienissimum igitur ab Ecclesiae mente et consuetudine est, iurisdictionem ad poenitentiae sacramentum administrandum necessariam ita coarctare aut ligare, ut haec coarctata seu ligata tunc etiam maneat, quando ad eos, qui illam ligatam seu coarctatam non habent, peccatori nullus per diuturnum tempus ac multo magis per totius vitae decursum aditus pateat.

Diffitendum tamen non est, inter praesentem quaestionem et generalem quaestionem de peccatis reservatis haud leve intercedere discrimen. Nam licet par videatur utriusque casus conditio, ubi in confitendi necessitate solus consideratur alterius confessarii defectus, dispar tamen est ratio incommodi, quod in praesenti ex confessione cum *tali sacerdote* peragenda timeri potest. Cui quidem difficultati illud unum responderi forte poterit, metum incommodi, quod voluntarium dici queat, quia voluntatis nostrae sit libere illud admittere vel removere, efficere nec posse nec debere, ut ea omittantur, quae necessaria videantur. Exinde ipse quoque Benedictus XIV. eiusmodi incommodum non eo usque veritus est, ut confessarium complicem ab excipienda complicis confessione etiam, ubi necessitas urgeret, arcendum putaret. Piae matris Ecclesiae nimirum est, filiis suis in necessariis non deesse, ac propterea necessarium Sacramenti praesidium in iis adiunctis non subtrahere, ne si quis pereat, huius perditio in matris potius incuriam aut severitatem, quam in filiorum proterviam refundatur.

gandum; nam si Episcopus vel alius ab eo delegatus possent hunc casum, quando est occultus, absolvere, reservatio Pontificis evaderet inutilis et illusoria: casus enim hic non potest nisi occulte accidere....

Attamen probabiliter videtur posse dici, quod etiam salva facultate Episcopis a Conc. impertita absolvendi hunc casum, quando est occultus, reservatio Pontificis non omnino redderetur inutilis et illusoria: tum quia licet ordinarie casus sit occultus, tamen aliquando potest accidere quod sit publicus; tum quia lex reservationis saltem Romae locum haberet, et in aliis locis, ubi Trident. *non est receptum et ubi Episcopi nequeunt praefata facultate uti....*

Ita quidem S. Alphonsus iuxta iura tunc vigentia. Nunc vero cum Constitutio Apostolicae Sedis SS. D. N. PP. Pii IX in confirmanda facultate Episcopis tributa a Tridentino Concilio exceperit censuras *speciali modo Apostolicae Sedi* reservatas, et inter has (*n. 10*) recenseatur excommunicatio in absolventes complicem in peccato turpi iuxta Constitutiones Benedicti XIV, patet, hanc controversiam locum amplius non habere.

589. — Quaer. 8° *An incurrat excommunicationem Sacerdos confessionem complicis audiens quidem, sed eum non absolvens?*

Resp. Negandum videtur cum *S. Lig. n. 556.* (*a*) —*Ituriaga t. V, cas. 50.* — Ratio est, quia hoc sat clare patet ex Constitutione *Benedicti XIV. Inter praeteritos*, ubi sic dicitur: *Non minus Sacerdoti complici, qui vel extra mortis articulum confessionem excipit poenitentis,* eumque absolvit, *vel qui in articulo mortis* absolvit, *cum alius Sacerdos non desit...., excommunicationis poena a nobis in citatis Constitutionibus imposita fuit....* Igitur ex mente Pontificis non sufficit confessio, sed etiam absolutio requiritur.

Sed et aliis quoque de causis contingit, ut confessio sacramentalis vel sacerdoti ob alicuius poenitentis conditiones, vel poenitenti ob conditiones sacerdotis haud inanem alicuius incommodi timorem ingerat. Ecquis tamen idcirco aut sacerdotem a ministerio exhibendo, aut poenitentem a confessione peragenda absterrendum dicat, ubi sacramenti susceptio necessaria appareat? Quando scilicet sacramenti usum necessitas postulat, necessarium praesidium hinc quidem nullo modo est negandum, inde vero non negligendum. Quo praesidio si quis abutatur, culpa ruinae in illius malitiam, qui bono uti bene noluit, tota recidet.

** (*a*) Ita de hac re S. Doctor (*Lib. 6. n. 556.*): *Quaestio fit, an incurrat hanc excommunicationem sacerdos, qui complicem non absolvit, sed tantum in confessione audit. Super hoc dubio consului S. Poenitentiariam, quae 9. Iul. 1751. respondit absolute: Non vitari excommunicationem a praedicto confessario per fictionem absolutionis. Et huic sententiae ego iamdudum adhaesi; sed postea, cum percurrissem Constitutionem eiusdem Pontificis Benedicti XIV.* Inter praeteritos, *pluries citatam, in* §. *59. oppositum satis declaratum reperi.*

APPENDIX II.

DE SOLLICITATIONE IN CONFESSIONE

Lugendum sane est, et quidem nunquam satis, quod in ovili Christi inveniantur quandoque lupi rapaces! quod constituti *speculatores domus Israel* eamdem ipsi dire devastent! quod praepositi saluti animarum, easdem crudeliter in perniciem detrudant! Quis enim tantam *abominationem stantem in loco sancto* cernens horrore non corripietur? quis a dolore temperabit, et pro viribus eam de medio tollere non adnitatur? Ut tanto malo efficacia afferrent remedia, Summi Pontifices severas leges contra tam perversos Dei ministros variis temporibus tulerunt. Hinc

590. **Statuenda.** — I. De iure Ecclesiae communi Sacerdotes (*a*) *sollicitantes* ad peccandum contra sextum Decalogi praece-

(*a*) Comprehenditur etiam sacerdos, qui iurisdictione ad valide absolvendum careat. Ita expresse Benedictus XIV. in Const. *Sacramentum Poenitentiae* §. *2.:* et praeiverat Decretum S. Inquisitionis 4. Febr. 1661. n. V. Quaestione enim facta, *An Sacerdos carens iurisdictione, si solicitet in confessione poenitentem, sit denuntiandus*, responsum est, *esse denuntiandum*, et *opinionem negativam non esse probabilem.*

** Non tamen comprehenditur *interpres*. S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 690.*) postquam dixit, *communissimam* esse sententiam contra paucos, nullam esse obligationem denuntiandi interpretem; subdit tamen, denuntiandum esse interpretem ob edictum S. Officii, quod praecipit, denuntiandos esse omnes, qui abutuntur sacramento Poenitentiae ad fines inhonestos, et *ad sollicitandos poenitentes.* Verum quae sit S. Officii sententia patet ex VI inter Decreta 4. Febr. 1661., quae S. Doctori incomperta extiterunt. Sic enim hoc decretum: *An interpres si sollicitet in confessione poenitentem, sit denuntiandus, Censuerunt, opinionem negativam non carere probabilitate.* Et quidem, ut advertit Giraldi (*Expos. Iur. Pontif. P. 1. Lib. 5. Tit. 7. pag. 637.*), *probabilitas hic intelligitur non utcumque et levis, sed qua tuto in praxi quis se gerere possit ac debeat.* Edictum vero a S. Alphonso (*Lib. 6. n. 680.*) relatum ea se praecipere dicit *secundum Apostolica Decreta.* Porro eiusmodi Decreta, uti patet, interpretem excludunt. Insuper si ipse S. Doctor (*Lib. 6. n. 288.*) concedit, vi Constitutionum contra sollicitantes non esse denuntiandum laicum aut clericum, qui, fingens se confessarium, sollicitet, a fortiori id de interprete dici potest.

Item vi Constitutionum Apostolicarum non est obligatio denuntiandi *mandantem* confessario, ut in confessione sollicitet. Ita Resolutio seu Decretum S. Officii sub n. VII. inter emissa 4. Febr. 1661., quod sic se habet: *An mandans confessario, ut in confessione sollicitet, sit denuntiandus, Censuerunt, opinionem negativam non carere probabilitate.*

Quod vero attinet ad laicum seu clericum, nondum sacerdotem, qui audientes confessionem sollicitent poenitentem, bene monet S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 688.*), licet denuntiandi non sint vi Constitutionum contra sollicitantes, attamen denuntiandos esse ex alia Constitutione Gregorii XIII., quam Salmanticenses (*Tr. 21. Cap. 4. Punct. 3. n. 27.*) innuunt. Et contra nonnullorum opinionem, qui negabant, hosce denuntiandos, si absolutionem quoque non impertivissent, idem S. Doctor verba refert Edicti S. In-

ptum in *confessione* (*a*), aut *occasione, praetextu* vel *simulatione* confessionis (*b*), immediate ante vel post confessionem , aut in loco

quisit., quo indicitur, denuntiandos eos esse, licet nec sollicitaverint poenitentem, nec ad absolvendi actum progressi fuerint.

Addi solet hic quaestio, an denuntiandi sint Episcopi sollicitantes. Et alii quidem negant, quia Episcopus etiam *in crimine haeresis formalis* ex iure non subiicitur Inquisitoribus ; denuntiandi autem iubentur sollicitantes, quasi suspecti *de haeresi,* ut patet ex litteris Pii IV. Insuper in Trident. Synod. (*Sess. 24. C. 5.*) statuitur, quod *causae graviores et criminales, etiam haeresis, tantum a Rom. Pontifice cognoscuntur et terminantur:* maiores autem causae censentur causae Episcoporum. Alii vero, quorum sententiam S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 685.*) *meliorem* dicit, affirmant, aientes, denuntiationem faciendam esse Rom. Pontifici, si commode fieri possit; secus faciendam Inquisitoribus ; qui licet non possint punire, nec processum quoad Episcopos formare, informationem tamen possunt excipere, Romano deinde Pontifici transmittendam, ut colligitur ex *Extrav. Cum Matthaeus De haereticis,* ubi sic praescribitur procedendum contra Nuntios et Officiales Sedi Apostolicae immediate subiectos. — Erit tamen qui reponat, haud firmum desumi argumentum ex Cap. *Cum Matthaeus,* tum quia isti Officiales denuntiari possunt vi clausulae Gregorii XV, *Quocumque privilegio et praeeminentia munitos,* quae clausula ceu restrictio censenda est *immunitatis* illorum ; tum quia causae horum Officialium non censentur inter *maiores,* quae ex iure communi Rom. Pontifici reserventur, quocirca non tenet paritas; tum denique quia cum de poenis infligendis agitur, argumenta a pari haudquaquam valent. Aliunde vero in Const. Benedicti XIV. denuntiatio praecipitur, quae fiat *iudici competenti ;* Inquisitores autem, quoad Episcopos, non sunt competentes. Imo ibi denuntiatio praecipitur facienda *Ordinariis* et *Inquisitoribus, sacerdotum* videlicet, cuiuscumque dignitatis ac praeeminentiae sint. Ergo soli intelliguntur Episcopis inferiores, quia Episcopi non sunt Ordinariis et Inquisitoribus denuntiandi. Praeterea sollicitantes dicuntur denuntiandi, ut Inquisitores et Ordinarii in eos animadvertant. Atqui nihil hi possunt in Episcopos. Cum itaque de lege positiva agatur, et nihil in ea neque de denuntiandis Episcopis, neque de denuntiationibus Romano Pontifici faciendis dicatur, non apparet, cur ista obligatio, nulla id iubente lege, imponatur. Licita tamen erit denuntiatio, quae Inquisitoribus fiat; at aliud est fieri quidpiam licite, aliud est Constitutionibus Pontificiis contra sollicitantes id praecipi.

(*a*) In Constit. Apostolicis sermo est tantum de abusu Sacramenti Poenitentiae. Hinc ex communi DD. sententia (Vid. S. Alph. *Lib. 6. n. 684.*) concluditur, nullam esse obligationem denuntiandi sacerdotem, qui ad solicitandum abutatur aliis sacramentis administrandis. Confirmatur id ex cit. Decreto S. Inquisit. (*n. X.*): ad Quaestionem enim, *An Confessarius incidat in poenas Constitutionis Apost. contra solicitantes, si solicitet mulierem in aliis sacramentis, scil. baptismi, matrimonii, et sit denuntiandus, et si denuntiandus, possit ab Inquisitoribus puniri,* Responsum est, *quoad utrumque articulum opinionem negativam esse probabilem.*

(*b*) De hisce clausulis ita S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 678.*) scribit: *Dicitur occasione confessionis, quando confessarius vel poenitens invitat ad confessionem veram ; praetextu vero, quando ad confessionem fictam.* Differunt autem haec duo a *simulatione confessionis,* quatenus *occasio* et *praetextus* innuere videntur causam, ob quam contingit, confessarium et poenitentem simul convenire et colloqui; *simulatio* vero referri videtur ad externam speciem, quam praefert modus simul conversandi seu colloquendi. Additur autem (Const. *Sacramentum* §. *1.*) *in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem ;* quippe extra huiusmodi loca (quibus ad-

ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem electo, Superioribus ecclesiasticis denuntiandi sunt. Constat ex Bulla *Gregor. XV. Universi gregis* data anno 1622, quae confirmata est per Constitutionem *Be-*

numerari debet et cubiculum personae vere seu ficte aegrotantis) vix aut ne vix quidem haberi simulatio illa confessionis potest.

** Et quod attinet ad *praetextum confessionis* S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 679.*) merito negandum dicit, quod denuntiandus sit confessarius, qui praetextu audiendi confessionem obtineat licentiam a Superiore se conferendi ad quandam domum, ubi sollicitet, sive ex iam condicto malum perpetret. Rationem autem affert, *quia tunc praetextus confessionis non est respectu poenitentis, sed respectu Superioris.* Quae quidem ratio valet utique quoad postremam partem; quippe in casu praetextus audiendae confessionis est medium, quo se a Superiore subtrahat, non vero quo factum sollicitationis velet; non sic tamen quoad primam partem; neque enim necesse est, ut praetextus confessionis referatur ad decipiendum seu captandum poenitentem. Proinde ipse S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 679.*) dicit, denuntiandum Confessarium, *si hic extra confessionem sollicitaret, et foemina renueret timens diffamationem, et ideo confessarius ei suaderet, ut fingens se aegrotam eum accerseret ad peccandum: quia tunc vere diceretur confessarius praetextu confessionis sollicitare foeminam ad praestandum consensum.*

S. Alphonsus dein (*l. c.*) contra plures putat cum Roncaglia, *probabilius* non esse denuntiandum confessarium, *qui cum muliere convenit, ut ad eludendos domesticos se fingat aegrotam, et ipsum accersat domum ad patrandum peccatum. Ratio* (inquit), *quia tunc non verificatur, quod confessarius sollicitat praetextu confessionis, sed tantum quod praetextu confessionis peccatum exequitur.* Verum primo quidem non apparet, in quo hic casus a praecedenti differat; quippe si ad eludendos domesticos id praestituitur, iam praetextus confessionis ad sollicitandum deservit. Insuper etiamsi denuntiandus non esset sacerdos vi huius clausulae, denuntiandus tamen esset ob simulationem confessionis, qua ad arcendos domesticos et ad praesentem provocationem ac peccati executionem abuteretur. Neque enim ideo abest provocatio et confessionis simulatio, quia prius uterque de hoc convenerit. Secus non esset denuntiandus sacerdos, qui de condicto turpes sermones cum poenitente haberet in loco ad confessiones destinato; nam quoad aegrotantes locus confessionis equidem est personae seu vere seu ficte aegrotantis cubiculum. Hinc Salmanticenses (*Tract. 21. Cap. 4. Punct. 4. n. 55.*) de praecedenti casu, sacerdotis nempe qui praetextu confessionis audiendae a Praelato veniam exeundi obtinet etc., resolutionem S. Alphonsi sic limitant: *Sed dicta vera sunt, dummodo haec non fiant sub confessionis figura ad domesticos illudendos; quia tunc simulatio confessionis sufficit ad incurrendas praedictae Constitutionis poenas.*

Addit (*l. c.*) S. Alphonsus, multo minus sibi denuntiandum videri confessarium, *si mulier, nulla conventione praemissa, praetextu confessionis ipsum advocet et sollicitet, quamvis deinde rem habeant; quia ex Bulla tunc confessarius denuntiari debet, quando ipse sollicitat praetextu confessionis; at in hoc casu non confessarius sed poenitens praetextu confessionis confessarium sollicitat.* Verum et ista resolutio nimis difficilis videtur. Quamvis enim confessarius denuntiandus non sit, quod praetextu confessionis a se excogitato ipse utatur ad irretiendum poenitentem, tamen dum credit, se ad audiendam confessionem accedere, praetextu confessionis abutitur ad consentiendum provocationi, atque adeo ad inhonestum tractatum, idque praestat simulando confessionem. Nonne enim hic habemus *inhonestum tractatum cum simulatione confessionis in loco ad confessionem electo,* licet *extra occasionem confessionis,* prouti in Apostolicis Constitutionibus legitur?

nedict. XIV. Sacramentum Poenitentiae. Sic enim Gregorius XV: *Mandamus omnibus locorum Ordinariis, ut diligenter inquirant et procedant contra omnes Sacerdotes tam* saeculares, *quam* regulares, *qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta* inter *se sive cum aliis quomodolibet, in actu sacramentalis confessionis, sive ante, sive post immediate* (*a*), *seu occasione vel praetextu confessionis, etiam confessione non secuta, sive extra confessionis occasionem, in confessionario aut in loco quocumque ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis inhonestos sermones aut tractatus habuerint; mandantes omnibus Confessariis ut suos poenitentes, quos noverint fuisse, ut supra, ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes locorums Ordinariis.* — Vide S. Lig. n. 675.

II. Poenitentes sollicitati absolvi nequeunt, antequam obligationi denuntiandi satisfecerint; vel saltem nisi se brevi satisfacturos esse obligationi suae promittant. Sic in cit. Constit. *Benedictus XIV.* (*b*). Obligantur autem ad hanc denuntiationem non tantum ii, qui sollicitati fuerint, sed etiam alii omnes, qui id certo sciunt, nisi sub secreto consilii hoc noverint; idque valet, etiamsi crimen iuridice probare nequeant (*c*). — *S. Lig. n. 695. 699.*

(*a*) Ex praxi tribunalis S. Officii non censetur Confessarius solicitasse *immediate post* confessionem, si solicitatio post transactum integrum diem accidat, dummodo nullo modo pravum animum suum in confessione indicaverit. *Vid. Giraldi* (*l. c. pag. 637.*). Hoc tamen non obstat, quominus huiusmodi confessarius vi alterius clausulae denuntiandus forte sit.

(*b*) Verba Benedicti XIV. sunt (§. 2.): *Caveant insuper diligenter Confessarii, ne poenitentibus, quos noverint iam ab aliis sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem praedictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti iudici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant.* — Perperam ergo quidam innixi, ut putant, auctoritate Benedicti XIV, contendunt, absolvi nunquam poenitentem ante factam denuntiationem posse; nam S. Pontifex prudentissime disiunctivo praecepto utitur. Hinc praemittendam quidem denunciationem dixeris, cum commode differri absolutio potest, et brevi denunciandi locus suppetit: idque eo impensius curandum, quo difficilius ad id poenitens induci videtur. At ubi poenitens ad eundem confessarium redire aut nullo modo aut nisi post longum tempus possit, vel idonea denunciandi occasio in promptu non sit, v. gr. si agatur de puella, quae longe a Sede Episcopali distet, et ita sub cura parentum vivat, ut liberum ipsi non sit Episcopum adire; aliunde vero sincere spondeat, se obligationi suae satisfacturam, nihil est, quod confessarium ab absolutione statim impertienda impediat.

(*c*) Haec obligatio evincitur non ex Constitutionibus aut Gregorii XV. aut Benedicti XIV., sed ex Edicto S. Inquisitionis Romanae, quod refert et S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 680.*). Confirmatur autem decimoquarto ex sexdecim S. Inquisitionis decretis, quae die 11. Febr. 1661. prodierunt, et a Benedicto XIV. (Const. *Sacramentum Poenitentiae*) apostolica auctoritate confirmata deinde fuerunt, ac videri possunt tum apud Albitium (*De Inconst. in fid. Cap. 35. n. 66.*), tum apud Giraldi (*Expos. Iuris Pontif. Part. 1. Lib. 5. Tit. VII.*), tum apud Scavini (*De Poenit. Cap. 4. art. 4.*). Cum enim

III. Denuntiatio intra mensem facienda est. *Congr. S. Officii*, 10. Martii 1677. — *S. Lig. n. 695.* — Poenitens autem, qui sine sufficienti ratione denuntiationem statuto tempore non exequitur, incurrit excommunicationem latae sententiae, Romae Pontifici reservatam, sed extra Urbem non reservatam post factam denuntiationem. *Ex Decreto S. Poenit.* 22. Martii 1852. — *Vid. Analecta Iuris pont. series 2. col. 1606.* (*a*).

ad Quaestionem, *An quis teneatur denunciare confessarium sollicitantem, si hoc audivit non a fide dignis, sed solum a levibus personis,* S. Congr. responderit, *opinionem negativam non carere probabilitate;* palam subinfertur, obligationem adesse, si a fide dignis et gravibus personis id quispiam resciverit.

(*a*) Analecta Iuris Pontificii (*l. c.*) non habent, nec innuunt illud S. Poenitentiariae Responsum; et fortassis ea Auctor allegat, quia ibi haec leguntur: *Si elle* (*la personne sollicitée*) *refuse de remplir cette obligation, elle encourt l'excommunication majeure, qui est, pour Rome, réservée au Souverain Pontife. Mais dans les autres pays, on peut en recevoir l'absolution de tout confesseur approuvé, selon ce que dit le même auteur;* quae quidem est praxis ab Auctore quoque admissa. Caeterum Auctor, ad quem Analecta appellant, est Albitius, cuius particula ibidem subiicitur (*ex Cap.35. De Inconst. in fid. n. 18–25.*). Sed reipsa Albitius nihil tale habet. Verba enim eiusdem, quae huc spectant, sunt eiusmodi (n. 20. 21.): *Quod si denunciare recusaverint, tunc incidunt in excommunicationem in praedictis Edictis propositam, a qua, si est reservata Pontifici, vel Episcopo, aut Inquisitori, non poterunt absolvi nisi ab eo, cui fuit reservata. Si autem reservata non sit, poterunt absolvi a quocumque confessario .. Quae absolutio non solet impertiri, nisi facta vere et realiter denunciatione, etc.* Albitius ergo non dicit, hanc excommunicationem Romae reservatam esse S. Pontifici, alibi vero reservatam non esse, adeo ut ab ea quivis confessarius possit absolvere; sed remittit ad diversa Edicta, ut inspiciatur, sitne reservata, nec ne.

Porro Edicta S. Officii Inquisit. quoad denunciandos sollicitantes, prouti ea refert Laurentius Cozza (*Dub. Select. circa solicit. dub. ultim.*), S. Officio absolutionem reservant, etiam post factam denuntiationem; meritoque advertit idem Cozza, opinionem, quae facultatem absolvendi reum post denuntiationem tribuebat cuilibet confessario (*Vid. S. Alph. n. 695.*), profluxisse primitus ex sensu aequivoco, quem praeferebant verba cuiusdam Edicti, prouti a Lupo summatim referebatur. Attamen immutatam deinceps hac in re disciplinam fuisse, indicat etiam Giraldi (*l. c. in not. praec. pag. 627–628.*) inquiens: *Omittens denuntiare Confessarium de solicitatione intra dictum mensem, etiamsi postea denuntiasset, olim non poterat absolvi nisi a dicta Inquisitione Romana; hodie tamen ex decretis eiusdem an. 1735 et 1758 absolvi potest a quolibet Confessario.* Quibus S. Inquisitionis Decretis consonat et Responsum S. Poenitentiariae, quod Auctor allegat. Verumtamen S. Poenitentiariae sanctionem minus dextere A. componit cum praxi, quam Analecta insinuant. Sacrae enim Poenitentiariae decretum, quemadmodum et decreta S. Inquisitionis a Giraldi memorata, nec Romae tantum reservant Pontifici absolutionem ante factam denuntiationem, nec reservationis cessationem post perfectam denuntiationem solummodo *extra urbem* valere statuunt.

** Caeterum omnem de hac re controversiam adimit Constit. *Apostolicae Sedis* ann. 1869, in qua *Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios sive sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris*

In nonnullis locis de iure particulari praecipitur, ut denuncietur quicumque Sacerdos ad turpia sollicitans, licet non sit confessarius, vel absque ulla relatione ad confessionem sollicitaverit. Sed plures Canonistae, praesertim recentiores, negant Episcopum huiusmodi statutum ferre posse: quia cum ex Iure canonico Sacerdos ab Episcopo damnari non possit nisi legitimis testibus et probationibus convictus fuerit, proinde delictum occultum punire hic minime potest, nec contra reum procedere, ob defectum omnis probationis canonicae et iuridicae. — Vide *Stremler, Traité des peines ecclésiastiques*, Ire *partie, c. 4.* — *Craisson, Manuale Iuris canonici, n. 3826. 3828. 3844.*—*Analecta iuris pontif. t. 4. p. 1866. et seq. et alios* (*a*).

591. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An poenitens teneatur ad denuntiationem, si ipse consenserit in sollicitationem?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia lex est generalis, et nullatenus videtur casum hunc excipere; non enim inde minuitur crimen sollicitantis et periculum animarum. Nec obstat, quod poenitens de iure naturali non teneatur seipsum accusare; nam ordinarie potest utique sollicitantem denuntiare, quin fateatur se sollicitationi consensum dedisse (*b*). — *S. Lig. n. 700.*

QUAER. 2° *An denuntiandus sit Confessarius qui consensit poenitenti sollicitanti, sed ipse non sollicitavit?*

Gregorio XV. Constit. Universi *20. Aug. 1622., et Benedicto XIV. Constit.* Sacramentum Poenitentiae *1. Iun. 1741.*, declaratur incurrere excommunicationem latae sententiae *nemini reservatam.*

(*a*) Alibi cautum ab Episcopo fuerat, ne mulier, quacum sacerdos peccasset, absolvi posset, nisi ipsum sacerdotem denunciaret. Hunc autem modum denunciandi Episcopus praescripserat, ut mulier schedam sacerdotis nomen continentem traderet obsignatam Confessario, qui eam ad Episcopum transmittens testaretur, se nihil de fide denuncianti habenda dubitare. Verum hanc quoque legem ac praxim Sedes Apostolica auferendam censuit.

(*b*) Expresse id cavetur in Const. *Sacramentum Poenitentiae* §. 2., ubi statuitur, denunciandum esse confessarium, *etiamsi.... solicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive solicitationi poenitens consenserit.*

Caeterum S. Congr. Inquis. 23. Iul. 1624. (apud Giraldi *l. c. in not. praec. pag. 641.*) declaravit, *mulierem, quae solicitanti sacerdoti consenserit, non teneri in denunciatione consensum a se praestitum manifestare: teneri tamen denunciare, etiamsi ipsa prius solicitaverit, et ad consensum traxerit confessarium.* Aliud in rem eandem decretum refert et S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 700.*).

Insuper Instructio a S. Officio Inquisit. an. 1756. data fuit, in qua dum edicitur, ad denuntiandum teneri etiam mulierem, quae consensit, additur tamen, eam non teneri ad consensum suum manifestandum, neque de hoc interrogandam esse ab Ordinario seu Inquisitore: itemque confessarium solicitantem, si contra ipsum procedatur, non esse interrogandum de poenitentis consensu, et, si forte sponte id dicat, non esse scribendum, neque in acta referendum. Tum etiam Confessarios monet, ut poenitentes de his edoceant, ubi opus fuerit; ut sic denuntiationi faciendae omne obstaculum submoveatur (*Apud Giraldi, l. c. pag. 642.*).

Resp. Affirmative (a). Id enim manifeste patet ex secundo inter Decreta S. Officii 11. Febr. 1661. Ad quaestionem enim, *An Confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi*

(a) Iste casus manifeste comprehenditur in illis Gregorii XV. verbis: *Aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint;* quae itidem occurrunt etiam in Constit. *Sacramentum Poenitentiae* Benedicti XIV. Indoles enim *tractatus* est, ut de re quapiam exequenda duo vel plures inter se agant vel conveniant; nec refert, uter eorum prior rem proponat, dummodo uterque saltem de re perficienda agat, etiamsi forte in conditiones deinde ambo non conveniant. Merito ergo DD. concludunt, his verbis comprehendi Confessarium, qui non solicitaverit poenitentem, sed mere consentiat sollicitanti: verissimo enim sensu intercedit *tractatus illicitus et inhonestus,* quo in turpitudinem uterque consentit.

** S. Alphonsus ad quaestionem, *An sit denuntiandus confessarius consentiens mulieri sollicitanti in confessione* (*Lib. 6. n. 681.*) censet, *probabiliorem videri* sententiam, quae id negat; et posthabita ratione ab aliis allata, nempe verba Gregorii XV. *intelligenda esse de tractatibus turpibus, quorum confessarius sit auctor*, *potiorem* rationem hanc putat, *quia ex Bulla eadem Gregorii mandatur Confessariis, ut moneant de obligatione denuntiationis, non iam quoscumque poenitentes, qui cum confessariis inhonestos tractatus habuerint, sed illos, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos: quare infertur, quod poenitens licite, si vellet, posset confessarium in dicto casu denuntiare iuxta primam probabilem sententiam; sed videtur probabilius ad hoc poenitens non obligari; quia, ut ipse obligationem subeat denuntiandi confessarium, requiritur, ut fuerit ab illo sollicitatus.* Porro haec sententia, uti patet, post Decreta S. Inquisitionis in textu allata neque speculative neque practice teneri potest, praesertim vero cum eiusmodi Decreta solemniter confirmata fuerint a Benedicto XIV in Const. *Sacramentum poenitentiae,* iis verbis: *Omnia et singula decreta praedicta* (inter quae expresse ibi memorantur etiam edita 11. Febr. 1661.) *ad illarum* (scil. Litterarum Gregorii XV.) *interpretationem et declarationem emanata, Apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque omnibus et singulis inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus.* Verum, uti iam diximus, haec Decreta S. Doctori Alphonso prorsus incomperta fuerunt; neque enim ea publici iuris quispiam fecerat ante Ubaldum Giraldi, qui opus suum (*Expositio Iuris Pontificii etc.*) Romae edidit an. 1769.; Giraldi autem opus non videtur ad manus S. Doctoris Alphonsi unquam venisse.

Haec Decretorum ignoratio satis superque, uti palam est, sufficiebat ad quamlibet notam a S. Doctore removendam. Verumtamen ecce VV., qui quatuordecim columnas huic argumento dedicant (*Pag. 579–587.*), et alias aliunde defensiones quaerunt! Iudicet aequus lector, an probari illae queant.

Primo itaque quaestionem proponunt (*Pag. 581.*), *An, stante duplici allegato Decreto S. Inquisitionis, sententia negativa S. Alphonsi sustineri nequeat.* Et quoad primum ex allatis decretis, quod sane mirari subest, respondere nihil dubitant (*Pag. 582.*): *Salvo meliori iudicio, arbitramur, istam S. Inquisitionis Resolutionem non obstare, quominus sustineatur sententia negativa, quam S. Doctor probabiliorem dicit, scilicet Confessarium, qui sollicitationi consentit, sed ipse nullo modo sollicitat, non esse denuntiandum.*

Dixi, haec plane admiratione digna. Quid enim? Decretum Constitutione Pontificia solemniter confirmatum sancit, denuntiandum esse confessarium, qui mere sollicitationi consentit, etiamsi ad id metu inducatur, ut habet alterum Decretum in textu relatum; et nihilominus audebimus affirmare, confessarium eiusmodi non esse denuntiandum, si non quidem metu im-

materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, et non praebendo absolutionem poenitenti, incidat in poenas contentas in Bulla Gregorii, et sit denuntiandus, Responsum fuit, inci-

pulsus, sed ultronea voluntate consentire se profitetur? Numquid forte magis reus est, qui metu cogente consentit, quam qui consentit libens et nullo cogente metu?

Reponunt VV. (*Pag. 581-582.*) in primo Decreto, *non quaeri simpliciter de Confessario sollicitationi consentiente, sed appositas esse plures circumstantias, videlicet quod confessarius statim* DISSENTIT, *non autem quia consensisse ipsum poenitet, sed quia complementum in aliud tempus differre sibi proponit, ne in poenas statutas incidat.*

Resp. 1. In Decreto S. Inquisitionis, ut vidimus, non legitur « *statim dissentit,* » sed « *statim desistens de illa turpi materia loqui.* » Ergo inane totum illud est, quod VV. isti immediato dissensui superstruunt. 2. Sive immediatus, quem VV. fingunt, dissensus, sive immediata, ut vere se res habet, post consensum abruptio sermonis de re turpi, et in aliud tempus dilatio non sunt circumstantiae quae augeant, sed potius, quae turpis tractatus reatum occasione confessionis minuunt. Et revera absurdissime statueretur, denuntiandum esse confessarium, qui postquam mulieris sollicitationi annuit, statim desistit de ea turpi re loqui, et tractatus turpis complementum in aliud tempus reiicit, non vero esse denuntiandum, si pergens de turpi illa materia loqui, tractatum turpem conveniendo nempe de loco, tempore etc., tunc complet. 3. Substantia reatus residet in *inhonesto tractatu,* qui per confessarii consensum perficitur, ut evidenter etiam ex recitato IX Decreto constat. Atqui tota prorsus haec substantia remanet, tum si illae circumstantiae adsint, sive non adsint. Ergo frustra denuntiationis obligatio non ad substantiam reatus, sed in eas circumstantias reiicitur.

Quod vero attinet ad Decretum IX in textu relatum, S. Alphonsus, haec decreta, ut diximus, ignorans, scripserat (*Lib. 6. n. 687. q. 8.*): *An denuntiari debeat confessarius, qui mulieri sollicitanti consentit ob metum ab illa incussum, quod eum accusabit, nisi consentiat?* et respondit: *Sed melius dici potest hic confessarius non esse denuntiandus, quia tunc revera esset sollicitatus, non sollicitans, iuxta dicta n. 681.* Quae quidem resolutio, uti per se patet, e diametro Resolutioni S. Officii Apostolica auctoritate a Benedicto XIV confirmatae est opposita.

Et in hoc quidem S. Doctoris responso animadvertenda etiam ratio est, quam reddit, nimirum *quia confessarius tunc est sollicitatus, non vero sollicitans.* Nam cum addat, *iuxta dicta n. 681.*, iam patet, eandem hanc esse rationem, cur idem S. Doctor generatim negaverat, denuntiandum esse confessarium, qui mere mulieris sollicitationi consentit. Porro generale hoc principium ex Decretis S. Inquisitionis falsum, ut diximus, evincitur.

Quod vero hic satis mirari vix quispiam queat, illud est, quod VV. damnatam istam resolutionem defendere videantur, afferentes videlicet 1° rationem pro ea a S. Alphonso allatam; 2° suffragium Scavini, quem subscribere rationi S. Alphonsi dicunt; et insuper 3° ex Instructione S. R. Inquisitionis 20. Febr. 1867. eam quodammodo contendunt confirmare. Quae quidem quomodo tolerabilia alicui videri possint, alii iudicent.

Quoad primum itaque, S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 681.*) rationem suae resolutionis hanc reddebat, quod *merito censeatur, noluisse Pontificem obligare poenitentes ad denuntiandos confessarios, quos ipsi tentaverint, ob magnam difficultatem, quae deterreret poenitentes a denuntiando in isto casu, quo peccatum ab ipsis causam habuerit: tum quia si denuntiarent, valde periclitaretur eorum fama.* — At enim nemo, ut puto, audebit asserere aut existimare, eiusmodi rationem tum S. Inquisitioni, tum Romano Pontifici Decretum sancienti incompertam fuisse. Dicemusne itaque melius

dere, et Confessarium esse denuntiandum, reiecta opinione probabili, quam non esse probabilem censuerunt. Idipsum aperte eruitur inter eadem Decreta, ubi ad quaestionem, *An Confessarius solicita-*

S. Alphonsum, quam Sedem Apostolicam de huius rationis pondere iudicasse? Ne igitur contumeliose contra Apostolicam sententiam quis agat, duo sunt sedulo animadvertenda. Primum est ad prudentiam Confessarii spectare, ut probe dispiciat, ac poenitentem doceat, quonam pacto denuntiatio, salva denuntiantis fama, locum habere possit. Alterum est, quod etiam S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 695.*) docet, non solum poenitentem sollicitatum, sed etiam alium quemlibet, qui aliunde peractam sollicitationem noverit, ad denuntiandum teneri. Quod quidem S. Doctor etiam ex Edicto S. Inquisitionis, quod refert praec. n. 680., confirmat. Et hinc responsum eiusdem S. Inquisitionis, quod decimo quarto ex praefatis Decretis continetur. Ad quaestionem enim, *An quis teneatur denuntiare confessarium sollicitantem, si hoc audivit non a fide dignis, sed solum a levibus personis,* responsum est, *opinionem negativam non carere probabilitate.* Ergo ratio illa a S. Alphonso allata nequaquam par est ad statuendum generatim, confessarium, qui mere consentit sollicitationi, non esse *denuntiandum.*

Quod vero ad Scavini pertinet, hic nullo modo negat, eiusmodi confessarium esse denuntiandum; sed mere advertit, contingere aliquando posse, ut difficile sit denuntiationem, salva poenitentis fama, perfici posse. Qua de re iam dictum est, ad Confessarii prudentiam hoc negotium spectare.

Quoad Instructionem denique S. Inquisitionis ann. 1867. VV. putant, pro damnata, de qua sermo, resolutione facere, quod in hac Instructione nulla mentio fiat noni Decreti, quo definitur, *denuntiandum esse confessarium, qui metu impulsus sollicitanti mulieri consentit.* — At vero numquid insinuare per haec VV. forte volunt, Decretum illud abrogatum fuisse? Equidem si valeret eiusmodi argumentum, iam pleraque ex sexdecim illis Decretis dicenda forent abrogata, et inter haec etiam primum illud, quo definitur, *denuntiandum esse confessarium, qui dat poenitenti chartam in confessione, postea domi legendam, in qua ad venerem sollicitat:* quae plane sunt absurda. Et reipsa in hac Instructione vix pauca quaedam memorantur de casibus in quibus Confessarius certe est denuntiandus.

Subdunt VV. alterum Articulum (*Pag. 583-585.*), in quo contendunt, abstrahendo a Decreto secundo S. Inquisitionis, sententiam negativam ex Bullis Gregorii XV. et Benedicti XIV. improbabilem non apparere. — Quae quidem assertio num gravi careat iniuria adversus Benedicti XIV. Constitutionem, prudentiorum esto iudicium. Ut enim patet ex Benedicti XIV. verbis sup. allatis, ea S. Inquisitionis Decreta continent *interpretationem, et declarationem Litterarum seu Constitutionis Gregorii XV.*, et uti *talia* idem Benedictus *approbat, confirmat, iisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicit.* Et cum haec ita sint, quisnam enimvero audeat, eiusmodi oraculo Pontificio confirmatas S. Inquisitionis Interpretationes et Declarationes adeo alienas a sensu Constitutionis Gregorianae traducere, ut fas sibi ducat id habere et proclamare uti *non improbabile*, quod illae Interpretationes et Declarationes definiunt non esse probabile?

Sed ad rationes VV. veniamus. Prima est (*Pag. 503.*) in Gregorii Constitutione verba illa, « *aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint,* » intelligenda esse *de sermonibus et tractatibus, qui a Confessario processerint.* — Quaero: Si non Confessarius, sed mulier sermones inhonestos prior habere incipiat, et Confessarius consequenter turpi et ipse colloquio indulgeat, illudque pertrahat, numquid non erit denuntiandus, quia sermo turpis non ab ipso sed a muliere inchoatus est? Ea ergo interpretatio dicenda est absurda, utpote quae ad absurda deducit. Idem dicito de inhonesto tractatu. Nam *tractatum habere* propriissime di-

tus, si metu inductus sollicitanti consentiat, sit denuntiandus, Responsum fuit, *esse denuntiandum, et opinionem negativam non esse probabilem.* A fortiori igitur denuntiandus Confessarius est, ubi nulla incussi metus est qualiscumque excusatio.

citur tum qui proponit, tum qui rem propositam admittit et acceptat; imo neque ad hoc necesse est, ut qui de re tractant, ultimato conveniant; nam satis est, ut ad conveniendum se paratos offerant, si accidentales conditiones placeant. Hi enim proprie *tractatum de ea re habuisse dicuntur.*

Altera VV. ratio est, quod in §. 7. Constitutionis dicantur monendi de obligatione denuntiandi ii poenitentes, *quos confessarii ab aliis sollicitatos noverint.* Ergo, concludunt VV., *supponitur, confessarium saltem indirecte sollicitasse.* — Resp. Verba Constitutionis §. 7. sunt haec: *Moneat de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu, ut praefertur,* TRACTANTES. Et rursus: *Quod si hoc officium (confessarii) praetermiserint, vel poenitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum confessarios sollicitantes,* SEU TRACTANTES, *ut supra* etc. Ergo denuntiandi dicuntur etiam *tractantes*, seu *turpem tractatum* habentes. Neque vero dicant VV., ex Constitutione a Confessario dici monendos solum eos, *qui fuerint sollicitati.* Ut enim alia modo omittamus, nonne obligationem denuntiandi illum confessarium habent, ut supra vidimus, etiam *ii omnes,* qui noverint, turpes in confessione intercessisse tractatus? Curnam autem excluderetur poenitens, qui particeps tractatus extitit?

Addunt tertio loco VV. (*Pag. 584-585.*): *Si satis esset, illicitos et inhonestos sermones vel tractatus habere, etiamsi confessarius his sermonibus vel tractatibus non sollicitet, nec intentionem sollicitandi habeat; denuntiandus esset etiam confessarius, qui poenitentem peccatum contra sextum confitentem sine ulla necessitate vel causa rationabili studiose et minutim de circumstantiis examinat, sed ex prava curiositate et complacentia de huiusmodi rebus sine ulla intentione sollicitandi... revera enim sermones inhonestos et illicitos cum poenitente habet.* — Resp. *Concedo totum.* Si enim, ut VV. concedunt, hic confessarius *revera sermones habet inhonestos et illicitos*, de quibus expresse in Apostolicis Constitutionibus Gregorii XV. et Benedicti XIV. disseritur, curnam denuntiandus non esset? — *Non habuit,* inquiunt VV., *intentionem sollicitandi.* — Resp. Utrum haec excusatio aliquid valere queat apud iudices, alii viderint. Interim manifestum est, in casu indolem operis, et finem operis intrinsecum ad sollicitationem tendere, si quidem sollicitationis nomine venit quidquid ad venerea provocat. Intentio autem non magis profecto hic necessaria est, quam in praebendo scandalo; neque enim puto, iuxta S. Alphonsi atque adeo VV. sententiam scandali reatum abesse, si opus et intrinsecus finis operis scandalum per se parit, etiamsi operantis intentio ad scandalum praebendum non feratur. Caeterum transmitti poterat quidquid ad hunc casum pertinet, et consequentia negari, quam VV. hinc deducere voluerunt ad negandam obligationem denuntiandi confessarium, qui turpem et inhonestum tractatum in confessione cum muliere habuerit. Quid enim paritatis habet inhonestus interrogandi modus cum turpi inter poenitentem et confessarium tractatu?

Et VV. quidem tribus huiusmodi rationibus innixi censuerunt concludendum, interpretationem ab ipsis prolatam Constitutionis Gregorianae AD MINUS SATIS ESSE PROBABILEM. Utrum iure, illi iudicent, ad quos spectat iuridicum de re tam gravi iudicium. Quod vero nonnulla VV. addunt (*Pag.584-585.*), ut eiusmodi interpretationem etiam Constitutioni Benedicti XIV affingant, responsione non indiget. Illud meminisse satis sit, Benedictum XIV in sua Constitutione ratam ac confirmatam Gregorii XV Constitutionem hoc pacto habere: *Quam* (inquit) *hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus.*

592. — QUAER. 3° *An urgeat obligatio denuntiationis, si reus sit emendatus, vel si a multo tempore sollicitatio contigerit?*

Resp. ad 1um *Affirm.*, quia Pontifex non intendit solam rei emen-

Illud unum non omittatur, non dubitasse VV. de Benedicto praecedentia Decreta confirmante haec scribere: *In quantum denique in eadem Constitutione Decreta S. Inquisitionis de anno 1661 confirmantur, haec confirmatio nihil probat: quippe quod haec Decreta a Pontifice simpliciter memorentur, sed non explicentur, et ideo si de eorum sensu dubitatur, eo potius sensu interpretanda sunt, qui cum ipsa Constitutione concordat.* — Missis nunc aliis, illud quaeratur: Quid sibi vult sensus, qui cum ipsa Benedicti Constitutione concordet? Nam manifestum est, in illis Decretis, quibus Benedictus *robur inviolabilis et Apostolicae firmitatis adiicit*, quaedam dubia solvi, quorum solutionem in ipsa Benedicti Constitutione non reperies, quemadmodum et in Constitutione Gregorii XV. quaedam expressius explicata reperire est, quam in Benedictina Constitutione, quae alioquin quaedam magis explicite habet, ac in Gregoriana cernantur. Quid enimvero inde concludes? In Gregoriana Constitutione v. gr. explicite dicuntur denuntiandi confessarii, qui *inhonestos in confessione tractatus* habuerint: de his vero denuntiandis expresse in Benedictina non dicitur. Num recte inde concludes, ut VV. quoad decreta, Benedictum solum memorasse Gregorianam Constitutionem, non vero eam explicasse, et ideo in dubio interpretationem eo sensu accipiendam, qui cum Benedicti Constitutione concordat? Paucis: Benedictus XIV. non modo Gregorianam Constitutionem confirmat, sed eodem modo confirmat interpretationes et declarationes eiusdem, quae in Decretis S. Inquisitionis habentur. Porro sensum aut Gregorianae Constitutionis aut Decretorum eandem interpretantium ac declarantium velle eruere ex Constitutione Benedictina in iis quoque, quae minus expressa habet, haec methodus ac interpretationis ratio prorsus nova non modo scholis, sed sensui hominum communi accidit.

Addunt VV. (*Pag. 585.*) articulum cum titulo: *An S. Alphonso vitio verti possit, quod Decreta S. Inquisitionis de anno 1661. non noverit.* Sed nemo in controversiam id vocat: et cum constet, S. Doctorem Edicta aut Edictorum S. Inquisitionis fragmenta, quae videre potuit, pro scribendi norma adhibuisse, religiosissime profecto doctrinam suam his quoque Decretis accommodasset, si ea cognovisset, nec unquam, pro certo habendum est, inanibus illis rationibus, quae superius tactae sunt, usus esset, quo opinionem suam aliquam defenderet contra illa Decreta, quae insuper inviolabilis et Apostolicae Auctoritatis robore tam solemniter confirmata nosset.

Illud potius opportunum est hic monuisse, S. Doctorem Alphonsum ex praeconcepta illa opinione de confessario, *qui denuntiandus non sit, si mere sollicitationi consenserit,* ad aliam resolutionem devenisse, quae forte multo etiam minus admitti potest. Nam (*Lib. 6. n. 682.*) quaerens, *An sit denuntiandus confessarius, qui, sollicitatus a poenitente ad copulam, renuit, et divertit ad solos tactus,* respondet, *probabiliter negari. Ratio,* inquit, *quia foemina sollicitans ad copulam virtualiter provocat etiam ad tactus, qui ordinarie sunt praevii ad copulam; unde verificatur, quod confessarius tunc non sollicitat, sed sollicitatus consentit.* — Verum, uti patet, a fortiori hanc opinionem excludunt bina Decreta in textu allata, et aperte se hic prodit turpis ille tractatus, de quo iam dictum est, praesertim vero, cum ipse confessarius reipsa poenitentem ad malum invitet et incitet, esto ad hoc poenitens paratus censeatur. Hinc in isto casu habemus insuper *mutuam illam sollicitationem,* in qua denuntiationem necessario faciendam statuit S. Inquisitio in octavo ex saepius allegatis Decretis; in quo ad Quaestionem, *An quando confessarius et poenitens invicem se sol-*

dationem, sed etiam eius punitionem ad damnum Ecclesiae resarciendum, scandalumque reparandum (*a*).

Resp. ad 2um *Affirm.* pariter ob easdem rationes: nam si non esset denuntiandus, qui a multo tempore crimen commisit, ratio sane foret, quia censeretur iam emendatus; sed non valet haec ratio, ut modo dictum est. Insuper quis determinare posset, quodnam sit

licitant, confessarius sit denuntiandus, responsum est, *Affirmative, et opinionem negativam non esse probabilem:* quin et Benedictus XIV §. 2. *Const. Sacramentum Poenitentiae* expresse de hoc casu loquitur iis verbis: *Etiamsi .... sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit.*

Aliam quoque resolutionem habemus in sexdecim illis S. Inquisitionis Decretis, cui non satis consona videri potest doctrina S. Doctoris Alphonsi. Quaerit nimirum (*Lib. 6. n. 683.*), *An denuntiandus sit confessarius sollicitans ad actus tantum venialiter inhonestos.* Et post relatam affirmantem aliorum sententiam, subdit: *Secunda vero sententia probabilior negat... Omnes tamen conveniunt..., quod si ex circumstantiis certe coniiceretur, quod sacerdos eo levi actu animum habuerit ulterius progrediendi, tunc censenda est sollicitatio gravis.* Porro in tertio ex praefatis Decretis ad Quaestionem, *An confessarius, sollicitando, propter parvitatem materiae sit denuntiandus*, responsum fuit: *Cum in rebus venereis non detur parvitas materiae, et, si daretur, in re praesenti non dari, Censuerunt, esse denuntiandum, et opinionem contrariam non esse probabilem.* Ad S. Alphonsi tamen defensionem dici forte potest, S. Doctorem, dum *actus* nominat *leviter inhonestos*, quidpiam designare voluisse, quod nihil habet cum rebus venereis commune. Verum nec praetermittenda videtur illa Decreti particula: *Et si (parvitas materiae) daretur, in re praesenti non dari.* Nam verba, *in re praesenti*, non significant, *in rebus venereis;* ergo significant, in *sollicitatione* ad utcumque *minus honesta.* Et si quidem hic sensus sit Decreti, iam non satis efficax esset quod S. Doctor (*l. c.*) ita subdit: *Ex alia vice actus, qui in se est levis contra castitatem, nequit fieri gravis in sacramento; alias quodlibet peccatum veniale in materia veracitatis, patientiae, vel humilitatis, evaderet grave in sacramento; quod nemo asserit.* Nam, prout reponere quispiam posset, aliud est, quod quispiam sacerdos in administrando sacramentum leviter contra virtutem castitatis peccet; aliud vero est, quod confessarius poenitentem in ipsa confessione ad aliquid minus honestum provocet; inter haec enim duo diversissima subesse irreverentiae et indecentiae ratio merito videri potest. Sed sapientiorum de his esto iudicium.

(*a*) Huc facere possunt duo S. Inquisitionis decreta. Alterum est tertium decimum ex sexdecim saepius memoratis, in quo ad Quaestionem, *An sit denunciandus Confessarius, qui propter solicitationem alterius abiuravit* (scil. compellente S. Inquisitione, ut abiuret de levi vel vehementi suspicione haereseos), Responsum fuit, *opinionem negativam non esse probabilem, et ideo denuntiandum, quod etiam fuit resolutum sub die 20. Iul. 1628.* Et quod hic allegatur, alterum est decretum (Apud Giraldi *l. c. pag. 641. n. VI.*), *quo definitum fuit, mulierem sollicitatam teneri ad denunciationem, etiamsi sciret, solicitantem sponte comparuisse.* Porro cum abiuratio in ipsa S. Inquisitione signum potissimum sit emendationis, maximum vero emendationis ac resipiscentiae indicium sit spontanea suimet accusatio, neque tamen iuxta allata decreta a denunciando confessario haec excusent; a fortiori non excusabunt alia, quae recenseri solent, emendationis indicia, quae partim aequivoca plane sunt, partim vero nimis ad cognoscendum ardua.

longum aut breve tempus? Attamen illa circumstantia Superiori manifestanda foret (*a*). — *S. Lig. n. 686.*

593. — Quaer. 4° *An excusetur poenitens a facienda denuntiatione, ob timorem ne incurrat indignationem et increpationem denuntiati?*

Resp. Neg. Ratio est, quia molestia haec minimi facienda est in re tanti momenti, et ad bonum commune spectante (*b*). Non enim comparari potest malis innumeris maximisque ex corruptione Sacerdotis provenientibus.

Quaer. 5° *An deneganda sit absolutio poenitenti, qui Sacerdotem sollicitantem denuntiare recusat?*

Resp. Affirm., secus enim lex inutilis et irrita plerumque evaderet. Confessarius igitur quo prudentiori potest modo, denuntiationem faciendam curare debet, absolutionem nempe differendo vel etiam denegando poenitenti obtemperare recusanti.

Animadvertenda tamen ea sunt, quae Cardinalis Albitius, *de Inconstant. in Fide, c. 35*, sic habet: *Fuit resolutum 28. Iun. 1597, et 28. Febr. 1598, et 15. Apr. 1612, quod quando mulier est nobilis et verecunda, nec potest induci ad deponendum, in Urbe (Romae) consulatur S. Congr. — Si vero* extra Urbem, *consulatur Episcopus, vel Inquisitor; qui, si habent difficultatem, consulant S. Congregationem; sin minus dent facultatem Confessariis absolvendi poenitentem, quae iustis de causis denuntiare recusat; quae tamen debet absolvi sub conditione, quod cessantibus causis, teneatur hoc facere, ac etiam non adire amplius Confessarium, a quo fuit sollicitata.*

In locis autem ubi non urgetur observatio Decretorum Pontificiorum, quid in iis casibus agendum sit, ab Episcopo resciendum est (*c*).

(*a*) Haec quaestio expresse resoluta prostat in Const. *Sacramentum Poenitentiae* §. 2., ubi definitur, confessarium denuntiandum esse, *etiamsi longum tempus post ipsam solicitationem iam effluxerit.* Huc illud etiam revoca, quod S. Congr. Inquisit. die 11. Maii 1707. (apud Giraldi *l. c. pag. 641. n. VIII.*) declaravit, nempe *puellam solicitatam in simplicitate constitutam et absque notitia inhonestatis, teneri denuntiare Confessarium solicitantem, postquam compos effecta fuerit, et notitiam praeteritae solicitationis acquisiverit.*

(*b*) Concedi tamen debet, eum excusari, qui rationabiliter ex denuntiatione grave sibi damnum in vita, fama, aut temporalibus bonis timeret. Quippe ad haec damna praecavenda adest cuique ius naturae, quod iuri positivo praevalet. Insuper non solet Ecclesia ad suarum legum observantiam cum tam gravi incommodo impellere. Ubi tamen sollicitatio ortum duceret ex contempta sacramenti religione, aut animarum pernicies sequeretur, ratio boni communis, et Religionis obsequium privato damno anteferri deberet.

(*c*) *Constitutiones omnes editae contra sollicitantes in confessione, in singulas nationes universim vires suas extendunt, ac latinos aeque ac graecos sua amplitudine comprehendunt.* Ex Constit. Benedicti XIV. *Etsi Pastoralis* §. IX, n. V.

Attamen qui in partibus schismaticorum, haereticorum et mahumeta-

594. — Quaer. 6° *An denuntiandus sit Confessarius, qui in confessione postulavit a muliere ubi habitet, si postea eam domi sollicitaverit?*

Resp. Affirm., quia, licet quaestio facta in confessione videatur indifferens, postea tamen ex circumstantiis cognoscitur, eam appositam fuisse ad sollicitandum. — *S. Lig. n. 676.*

Quaer. 7° *An sit denuntiandus Sacerdos, qui rogatus a muliere ut eius confessionem audiat, eam sollicitat?*

Resp. Affirm. ex Decreto quarto ex supradictis, si sollicitatio fiat in confessionario, seu in loco confessionis. Secus si sollicitatio fiat extra locum confessionis, et absque praetextu confessionis (*a*).

595. — Quaer. 8° *An sit denuntiandus, qui cognita in confessione mulieris fragilitate, postea eam domi sollicitat?*

Resp. Affirmandum est, si mulierem sollicitet tanquam personam, cuius indolem aut fragilitatem ex confessione cognoverit, idque verbis aut alio modo innuat (*b*).

norum degunt, licet subiecti sint Constitutionibus contra solicitantes; tamen in iis locorum circumstantiis, in quibus nulla spes adsit punitionis denunciati, atque mulieres sine periculo et infamia denunciare nequeant, denunciatos vero facile poenam declinare posse credatur, recurrendo vel ad Episcopos schismaticos vel ad laicos iudices infideles, ex Decreto S. Congreg. S. Officii die 21. Febr. 1630, attentis supradictis causis absolvendi sunt, et liberandi ab huiusmodi onere denuntiandi: moneri tamen debent, ut cessantibus supranarratis periculis et impedimentis, teneantur denuntiare (Apud Giraldi *l. c. pag. 640-641.*).

(*a*) Ad Quaest. n. IV., *An Confessarius, qui foeminae in confessionario dicenti, se velle in crastinum confiteri, illam solicitat et a confessione dissuadet. sit denunciandus,* a S. Congreg. Inquisit. responsum fuit, *Si solicitatio fiat extra locum confessionis et absque praetextu confessionis, negativam opinionem esse probabilem; secus, si fiat in Confessionario seu in loco confessionis.* Unde non est admittenda opinio S. Alphonsi, dum scribit (*Lib. 6. n. 678.*), denunciandum esse confessarium, qui rogatus ad confessionem, divertit et solicitat, *licet nondum sederit,* nec mulier fuit genuflexa. Quo spectat etiam Responsum ad Quaest. XV, *An sit denuntiandus Confessarius, qui sedens in confessionario mulierem solicitat stantem ante confessionarium, non simulando confessionem;* responsum est scilicet, *opinionem negativam non carere sua probabilitate.* Caeterum nulla adesse in casu potest simulatio confessionis, quia cum mulieres non confiteantur stantes ante confessionarium, abest quaevis confessionis species seu suspicio.

(*b*) Scite S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 678. dub. 2.*) hunc casum revocat ad clausulam solicitationis factae *occasione confessionis*, quando nempe Confessarius utens notitia confessionis, ex qua comperiat poenitentis fragilitatem aut proclivitatem in malum, aut quid ipsa egerit aut agere cum aliis optaverit, quibusve versetur in angustiis, vel necessitatibus duro experimento constantiam eius subiicientibus prematur, etc., occasionem inde sumit eam solicitandi. Ratio, quia cum ansa et impulsus ad solicitandum ex audita confessione profluat, satis vere dicitur cum S. Alphonso, quod solicitatio *occasione confessionis* fiat.

Attamen ut poenitens ad denunciandum teneatur, opus est, ut certis indiciis constet, ansam solicitandi inde reipsa arreptam fuisse: haec autem satis adsunt, si inter solicitandum confessarius aut verbis quibusdam aut signo aliquo quidpiam proferat, quod ad aliquid ex praedictis per confes-

Quaer. 9° *An sit denuntiandus Confessarius, qui mulierem de pulchritudine laudat?*

Resp. Hoc dignoscendum est ex loquendi modo, aut ex aliis circumstantiis. Etenim si videatur agere ex pravo affectu, denuntiandus est; secus vero, si ex quadam imprudentia vel ex mera levitate loquatur (*a*). — *S. Lig. n. 703.*, etc.

596. — Quaer. 10° *An facile fides sit adhibenda mulieribus Sacerdotem de sollicitatione accusantibus?*

Resp. Neg., sed sedulo tum Confessario, tum Superioribus pensandae sunt circumstantiae rerum et personarum. Non semel enim visae sunt mulierculae, quae ex invidia, odio, zelotypia, aliove fine perverso Clericos prorsus innocentes atrociter calumniatae sunt. Omnia igitur adiuncta maturo examine sunt perpendenda, praesertim quando mulier facilem se, promptamque ad parendum praecepto denuntiationis ostendit.

Fac porro advertas, crimen falsae accusationis de sollicitatione ex Const. *Bened. XIV.* reservatum esse Sedi Apostolicae, sed sine censura (*b*).

Superiores (*c*) autem, cognita certo criminis veritate, valde caute

sionem sibi notis referatur: in quo quidem et peccatum contra sigillum sacramentale adesse poterit. Ad substantiam tamen huius casus non pertinet, quod haec brevi post confessionem contingant; nam etiam post multum temporis sumpta inde solicitandi ansa eandem retinet naturam. Quod vero ex Roncaglia refert S. Alphonsus, vi eiusdem clausulae denunciandum esse sacerdotem, qui mulierem solicitet, promittens, se eius confessionem auditurum, plane abs re esse videtur.

(*a*) Consonat his Decretum duodecimum ex sexdecim S. Inquisit. iam toties allegatis. Namque ad Quaestionem, *An Confessarius, si laudet poenitentem ex pulchritudine et venustate, dicatur illam solicitare, et ideo sit denunciandus*, responsum fuit, *Si laus illa sit seria, et nihil pravae intentionis redoleat, negativam esse probabilem; secus non esse probabilem.* Id ipsum S. Congregatio (*decret. XVI.*) reponendum censuit ad Quaestionem, *An sit denuntiandus confessarius, qui audiens confessionem dat donum mulieri, ita ut dicatur illam solicitasse.* Remittit enim ad responsum factum *ad duodecimum.* Profecto, ut S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 703.*) advertit, hoc per se est quid indifferens, et malitia ex adiunctis desumenda erit, ex conditione nempe poenitentis, ex qualitate doni, ex eius quantitate, et ex modo, quo fit.

(*b*) Imo Benedictus XIV. eandem poenam contra *mandantes, consulentes*, et quicumque dici possint *procurantes*, statuit. Ita in Const. *Sacramentum* §. 3.: *Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio vel ira vel alia indigna causa commoti, vel aliorum* impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis aut quovis alio modo incitati... *innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso solicitationis insimulant; ut igitur tam nefaria audacia et tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coerceatur, quaecumque persona, quae execrabili huiusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes confessarios impie calumniando,* vel sceleste procurando, ut ab aliis id fiat, *a quocumque sacerdote... praeterquam a Nobis, nostrisque Successoribus... spe absolutionis obtinendae... perpetuo careat.*

(*c*) Superior hoc loco intelligi debet vel Inquisitor S. Officii vel loci

procedere debent, ut reum corripiant pro delicti gravitate, nec promiscue culpam iam dudum praeteritam, vel casu ex fragilitate habitam, sicut recentem, vel ex consuetudine commissam, puniant; item ut simul bono Religionis, Sacerdotii et rei ipsius consulant, scandala et rumores, in quantum fieri potest, praecavendo.

597. — QUAER. 11° *Quaenam sint poenae contra sollicitantes?*

Resp. Poenae in sollicitantes ex Bulla *Greg. XV.* sunt suspensio ab exercitio Ordinis, privatio beneficiorum, dignitatum et officiorum quorumcumque, et perpetua inhabilitas ad illa; et insuper quoad Regulares privatio vocis activae et passivae. Omnes tamen sunt ferendae sententiae (*a*).

598. — QUAER. 12° *Quomodo facienda sit denuntiatio?*

Resp. 1° Denuntiatio facienda est voce, in quantum fieri potest, non vero scripto tantum Igitur mulier sollicitata sistere se debet coram Ordinario, vel Inquisitore, sicubi tribunal Inquisitionis existit, et actum sollicitationis declarare, quin tamen proprium consensum, si quem praestiterit, ullo modo patefaciat.

2° Denuntiatio facienda Inquisitori est, vel Ordinario loci in quo versatur poenitens, etiamsi Confessarius sollicitans ad aliam dioecesim pertineat. Ad loci enim Ordinarium, vel Inquisitorem pertinet excipere iuratam denuntiationem, eamque ad Episcopum sacerdotis rei transmittere.

3° Si denuntiatio voce fieri non possit, facienda est per epistolam proprio nomine et cognomine subscriptam, aut saltem per internuntium. Obligatio enim denuntiandi sollicitantem non est tam adeundi personaliter Superiorem, quam ei delinquentem deferendi, ut *Bened. XIV.* in sua Bulla loquitur (*b*). Qui autem tenetur ad finem, ad media quoque tenetur.

Ordinarius: utrilibet enim ex Pontif. Constitution. deferri denuntiatio pro lubito potest.

(*a*) Adde, quod Benedictus XIV. per organum S. Congr. Inquisit. 5. Aug. 1745. decrevit, *quod in posterum sacerdotes... in actu sacramentalis confessionis sive illius occasione aut praetextu, ad turpia solicitantes.... praeter poenas a iure et Apostolicis Constitutionibus... contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad sacrificii celebrationem.* De quo decreto S. Alphonsus monet (*Lib. 6. n. 705.*), ad eiusmodi poenam incurrendam requiri sententiam iudicis declaratoriam, ex generali scilicet principio quoad poenas privativas seu inhabilitantes, quando reus poenam sine propria infamia exsequi ipse non possit. Imo in Instructione S. S. Inquisitionis 20. Febr. an. 1867. edita, haec leguntur (*n. 12.*): *Notandum est, poenas huiusmodi omnes et ipsam inhabilitatem ad sacrosanctum Missae Sacrificium celebrandum in decreto Benedicti XIV die 5. Augusti ann. 1745. praescriptam, esse tantum ferendae sententiae.*

(*b*) Auctor prae oculis habuit ea verba Benedicti XIV. (Const. *Sacramentum* §. 2.): *Caveant insuper diligenter confessarii, ne poenitentibus, quos noverint iam ab aliis solicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem praedictam ad effectum perducentes,* delinquentem indicaverint competenti iudici, *vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant.*

4° Confessarius tamen non tenetur onus denuntiationis ad Ordinarium transmittendae suscipere; sed muneri suo satisfacit monendo poenitentem, ut opportuno tempore sollicitantem rite denuntiet. Poterit tamen operam suam praestare, si censuerit id expedire; sed rei notitia extra confessionem accipienda est. — *S. Lig. n. 699.*

5° Si persona sollicitata nullo modo induci possit ad denuntiationem tali forma peragendam, quia nempe timore vel insuperabili rubore afficitur, sinat ea de re moneri Episcopum, qui delegare poterit aliquem ad denuntiationem accipiendam. Haec facultas Episcopis et Inquisitoribus, ex Indulto *S. Congr. Inquis.* de consensu Pontificis, facta est. Sacerdos autem delegatus iuramentum praestare debet de silentio servando et de munere sibi commisso fideliter adimplendo. — *Decretum S. Congr. Inquis.* 27. Septemb. 1624.

6° In omni casu denuntiatio facta per litteras anonymas est omnino insufficiens et prorsus invalida, perinde ac si non facta fuisset, ut pluries declaravit *S. Congr. Inquis.* — Vid. *Analecta Iuris pontificii,* mense Septem. 1855, etc. etc. (*b*).

7° Mulieres sollicitatae ad denuntiationem non tenentur, si Inquisitores, vel Episcopi, aut eorum Vicarii, in longinquis regionibus degentes, sine gravi incommodo adiri nequeant. Verum, cessante impedimento, v. gr. in Episcopi visitatione, obligatio denuntiationis urgenda est. Sic declaravit *S. Congr. S. Officii* 22. Ian. 1727.

CAPUT II.

DE OFFICIO MINISTRI

1° IN CONFESSIONE; 2° POST CONFESSIONEM

ARTICULUS I.

DE OFFICIO MINISTRI IN CONFESSIONE.

Agendum 1° de muneribus Confessarii in genere; 2° de eius agendi ratione cum variis poenitentium generibus.

§. I. *De muneribus Confessarii.*

Quadruplex Confessarii munus seu officium assignatur, scilicet 1° Patris; 2° Medici; 3° Doctoris; 4° Iudicis.

(*b*) *Si mittantur litterae ad Patrem Commissarium seu Assessorem Supremae cum nomine scribentis, in quibus contineatur denunciatio; solent remitti Inquisitoribus vel Episcopis, ut ad se accersito scribente, faciat eas ab eo recognoscere medio iuramento, interroget super contentis in illis in specie, et redactis in formam denunciationis, apponat in initio Processus, ac de contentis in eis examinet testes informatos.* Albitius *De Inconst. in fid. Cap. 35. n. 21.*

PUNCTUM I.

De officio Patris.

599. — Confessarius est pater spiritualis, qui spiritualem vitam poenitenti tribuit, aut reficit et fovet; in tribunali enim Poenitentiae vices gerit optimi omnium parentis, nempe ipsius Christi, et ideo a poenitentibus dulcissimo Patris nomine appellatur. Illud autem quod in vero patris nomine imprimis eminet, est insignis et inexhausta charitas. Quaenam enim dilectio patris dilectione fortior? Quaenam verior, purior, castior, constantior, sollicitudine plenior et a proprio commodo magis aliena, imo et ad omne privationum et incommodorum genus paratior et promptior? Talis igitur esse debet Confessarii charitas, ita ut *indutus viscera misericordiae Christi Iesu, qui non venit vocare iustos, sed peccatores, sciat* studiose, patienter et mansuete *cum peccatoribus agere* (*Leo XII, in Bulla pro Iubilaeo magno anni 1825*). Sic bonus pater pro filiis spiritualibus omnia sustinebit: *Charitas enim patiens ...., omnia suffert...., omnia sustinet. 2. Cor. 15. 4.*

Confessarius debet esse charitate plenus erga poenitentes, tum in principio, tum in decursu, tum in fine confessionis. De his audire iuvat loquentem ipsum *S. Ligorium* in *Praxi Confessarii,* in fine operis theologici maioris, necnon in *Hom. apost. tract. 21.*

600. — I. *In principio confessionis.* « Primo charitatem adhibere » debet *(Confessarius)* in benigne excipiendo omnes, sive pauperes, » sive rudes, sive peccatores sint. Nonnulli solummodo tempus in» sumunt in audiendis confessionibus antiquorum devotorum aut » personarum spectabilium, quia, ut hos a se repellant, non est eis » tantus animus; si tamen ad se aliquis miserabilis peccator acce» dat, aegre auditur et conviciis oneratus arcetur: unde fit ut ille » miser, postquam sibi maximam vim intulit, ut ad sua peccata » confitenda veniret, se tam aspere acceptum sentiens, odium in » Poenitentiae Sacramentum concipiat, et desperans se posse inve» nire, qui sibi opituletur et se absolvat a peccatis, in perditae » vitae lubricum laxis habenis praeceps ruat, et in salutis despe» rationem incidat. Secus boni Confessarii agunt, cum ad se hu» iusmodi peccatores confluunt, benigne hos accipiunt, et, quasi » *victor capta praeda,* exultant perpendentes sibi contigisse animam » de manibus daemonis eripere. Sciunt, hoc Sacramentum proprie » non fuisse pro iustis institutum, sed pro peccatoribus: etenim ve» niales culpae ut remittantur, non indigent sacramentali absolutione, » cum multis aliis modis deleri possint; sciunt quoque Christum » protestatum fuisse his verbis: *Non enim veni vocare iustos, sed* » *peccatores: Marc. 2. 17.* Propterea Confessarius viscera misericor» diae induens, quo magis animas peccatorum multitudine et atro-

» citate coinquinatas reperiat, eo magis, ut Deo ipsas lucrifaciat, » maiore charitate eas amplectatur, eiusque auxilium praebeat his » aut similibus verbis: *Eia, frater, bono animo esto, noli timere; pec- » cata tua impavide confitere. Aperi omnia confidenter, nullius te » pudeat: nihil refert, si in omnes conscientiae tuae sinus non in- » trospexeris: sufficit si ad interrogata respondeas. Age Deo gratias, » qui te hucusque ad poenitentiam exspectavit. Nunc tibi mutanda » est vita. Laetare, quia certe Deus omnia peccata quantumvis in- » gentia, tibi remittit, si bonam habes voluntatem; ideoque te expe- » ctavit, ut tibi parceret: igitur hilari animo dic omnia, nihil in- » volucris tegas ....* »

601. — II. *In decursu Confessionis.* « Charitatem longe maiorem » ostendere debet confessionem excipiendo. Caveat, ne impatien- » tem aut taedio affectum se exhibeat; nec ostendat admiratione » percelli de peccatis, quae narrantur; modo poenitens non sit adeo » durus aut petulans, ut plura et atrocia peccata sine ullo rubore, » et sine ulla displicentia animique sensu exponeret: quia tunc » opus habet pro viribus efficere, ut a poenitente quanta sit illo- » rum deformitas et magnitudo, percipiatur; ideoque tunc acrior » requiritur correctio, ut ipse a letali lethargo expergefiat. Verum » quidem est, quod in actu confessionis abstinere debent Confes- » sarii a correctione facienda, ne forte exterriti poenitentes peccata » reticeant; nihilominus hoc intelligitur regulariter loquendo: cae- » terum multoties expedit ad ulteriora non procedere, et statim » poenitentem corripere, praecipue cum confitetur peccatum valde » enorme, aut si ipse fuerit in aliquo vitio habituatus, ut peccati » gravitatem comprehendat. Advertat tamen ne eum exasperet, nec » perterreat. Quapropter postquam eum, quantum opus fuerit, cor- » rexerit, statim ei animum faciat ad reliqua peccata confitenda, di- » cens: *Eia, frater, vis ne ab hoc vitio resipiscere? Num ita est? Et » quoniam hoc facere es paratus, esto animo hilari. Itaque enarra » reliqua peccata, nihil reticens. Igitur dic omnia animo forti, con- » fitere omnia sincere: Deus enim paratus est tibi parcere ....* » (*n. 4.*)

602. — III. *In fine Confessionis.* « in fine confessionis oportet » quoque, ut Confessarius vehementiori ardore ac studio incum- » bat, ut poenitenti percipere faciat gravitatem et multitudinem eius » peccatorum, ac miserum damnationis statum in quo reperitur; » sed hoc semper maxima cum charitate faciat. Verumtamen est » congruentius tunc verbis gravioribus uti, ut sic melius ad bonam » mentis frugem redire possit; nihilominus efficere debet, ut poe- » nitens intelligat, quod ei dicitur, non ab animo irato, sed ex » singulari amore et commiseratione erga suam animam procedere, » quod poterit hoc modo exprimi: *Fili mi, percipisne malum » quod operatus es? Quid tibi mali fecit unquam Deus tuus, quem » tu ita perdite contempsisti? Si Iesu Christo nullus tam fuisset » tibi inimicior, potuisses cum illo te gerere peiorem? Sed, quaeso,*

» *animadverte quis sit hic Iesus? Hic est ille, qui cum esset Deus, » nullius egens, factus est homo propter te, voluit mori in cruce, » ut te de inferno redimeret. Ah! fili, si interim mortuus esses, si » in hac nocte, quo iturus fuisses? Ubi nunc esses? Esses in ae- » terno igne inferni. Quid de te factum erit, si vitam hactenus du- » ctam pergas in posterum vivere? Poteris sic salvari? Expergiscere » et vide quod, nisi mores in melius mutes, iam es damnatus. Quid » boni ex tot peccatis tibi collegisti? Age, fili, recede a malo, de- » sine peccare, et te totum in Dei brachia, quae ad te suscipiendum » sunt extensa, committe: sufficit quantum ei peccasti. Ego toto » corde et totis viribus te adiuvare volo, veni ad me semper ac tibi » lubet, quoniam invenies patrem, qui te benigne suscipiet. En fir- » miter nunc statue, te velle sanctum effici. Per te stat. Deus enim » semper paratus est, et propterea tibi hoc tempus impertitus est, » ut avertas te a malo et facias bonum. O quam bonum est habere » amicum Deum!.....* » etc.

PUNCTUM II.

De officio Medici.

Confessarius est verus animarum medicus, cum ipsas variis peccati morbis eripere, pravis passionum affectibus adimere, et divinae gratiae restituere debeat. Confessarius igitur, ut peritus medicus, debet 1° causam mali cognoscere; 2° illud sanare; 3° relapsum praecavere. Audiamus iterum *S. Ligorium ibid.*

603. — I. *Confessarius debet causam morbi cognoscere.* « Confes- » sario ut sui poenitentis infirmitatibus remediis opportunis occur- » rat, cognoscenda est origo et causa omnium eius spiritualium » morborum. Nonnulli praeter species et numerum peccatorum ni- » hil aliud inquirunt: si poenitentem dispositum vident, statim eum » absolvunt; sin minus, quin unum verbum impendant, illico di- » mittunt, oculo retorto dicentes: *Discede a me, quia te absolvere » non possum.* Aliter procedunt boni Confessarii: hi enim prius » investigant morbi originem et gravitatem, interrogando de peccati » consuetudine, de occasionibus, de tempore, de loco, de personis » cum quibus, quo rerum concursu. Sic enim melius poterunt poe- » nitentes corrigere, eos ad absolutionem disponere, et remedia » salutaria adiungere.» (*n. 6.*)

604. — II. *Debet morbum sanare.* « Cognita morbi origine et » gravitate, Confessarius procedat ad debitas animadversiones fa- » ciendas. Et quamvis ipse debeat tanquam pater cum charitate poe- » nitentes auscultare, tamen ut medicus tenetur, quantum opus » est, eos monere et corrigere, eos praesertim qui, multis morta- » libus gravati, ad Poenitentiae Sacramentum raro accedunt..... » Nec Confessarius debet tunc attendere alios poenitentes, qui se

» circumstant. Nam, ut aiebat S. Franciscus Xaverius, melius est » paucorum confessiones rite factas audire, quam multorum inordinatas et sine fructu. Hic animadvertere oportet, quam perperam » agunt illi Confessarii, qui si poenitentem indispositum nanciscuntur, ne cum illo aliquid insumant temporis, statim a se abire » iubent... Et parum refert, quod alii expectent aut inconfessi discedant; Confessarius enim de hoc tantum, qui sibi nunc confitetur, » non vero de aliis in die iudicii rationem reddere debet.... (*n.* 7).

» Post debitas correctiones aut monitiones, praestat ut laboretur ad disponendum poenitentem ad absolutionem per actus veri » doloris et propositi; quocirca monitos esse volo Confessarios, » perpaucos illos esse poenitentes, praesertim rudes, qui praeposito » actu doloris ad confitendum accedant. Nonnulli Confessarii putant satis muneri suo fecisse, si dumtaxat huiusmodi poenitentes » sequenti modo interrogent: Eia, postulasne a Deo veniam de omnibus his (quod revera non est verus actus doloris)? te poenitet » ex corde omnium peccatorum? et nullo alio verbo interposito, » absolutionem eis elargiuntur. Totum ab hoc aliud est bonorum » Confessariorum institutum. Hi enim in primis elaborant ut poenitentes (sermo est de iis qui letalibus tenentur) verum dolorem » et detestationem peccatorum concipiant. Et prius per attritionis » actum eos praeparant, v. gr.: *Fili mi, ubi nunc esse deberes in aeternum? In inferno. Ah! in illo igne cruciandus esses! Nec tibi » amplius spes restaret ut illinc eripi posses! Ibi esses moraturus ab omnibus derelictus, a Deo reiectus per totam aeternitatem! » Igitur te poenitet Deum offendisse propter infernum quem meruisti?* Postea curet ut eliciatur actus contritionis, hoc modo: *Fili » mi, quid egisti? Peccasti in Deum summum et infinitum bonum, » nullam illius rationem habuisti; avertisti faciem ab eo; proiecisti » eum post tergum tuum; contempsisti amicitiam et gratiam eius. » Eia ergo, quia offendisti Deum, bonitatem infinitam, nunc ex » toto corde te poenitet? Detestare et odio habe, super omnia mala, » omnes iniurias, quibus immerito Deum tam bonum affecisti. Nonne » iam promptus es millies mori* (*a*), *quam haec in posterum committere?* ....» (*n. 10.*)

605. — III. *Debet relapsum praecavere.* Relapsum praecavebit Confessarius, assignando poenitenti remedia morbo convenientia. Remedia autem vel generalia sunt, vel particularia.

1° Remedia generalia sunt 1° oratio pia et amor erga Deum; 2° invocatio frequens B. Mariae Virginis, sancti Angeli custodis et Sancti protectoris; 3° frequentia Sacramentorum et confessio statim ac mortale aliquod commissum fuerit; 4° consideratio veritatum aeternarum, praesertim mortis et finis ultimi, iuxta illud: *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis: Eccli. 7. 40.;*

(*a*) Vide quae adnotata superius sunt ad n. 459.

5° recordatio Dei praesentis, cum urget tentatio, dicendo: Deus me videt; 6° examen conscientiae vespertinum cum animi dolore et proposito; 7° oratio mentalis et piae lectiones, praesertim pro Sacerdotibus.

2° Remedia particularia assignabuntur pro vitiorum diversitate (*a*): v. gr. illi, qui aliquo odio tenetur, insinuetur, ut quotidie commendet Deo illum, quem odit (*b*), recitando pro ipso Orationem Dominicalem, etc. Et cum turbatur memoria iniuriae, reminiscatur contumeliarum, quibus ipse Deum affecit. Illi, qui in peccata turpia lapsus est, iniungatur ut otium vitet, malos socios et pravas occasiones fugiat. Illi, qui habitum pravum per longum tempus contraxit in hoc vitio, praescribatur ut non solum vitet occasiones proximas, sed etiam quasdam remotas, quae sibi tam debili sunt tanquam proximae. Potissimum autem curet Confessarius, ut hic frequenter communicet; quia Eucharistia dicitur *Vinum germinans virgines*. Et sic de *aliis*.

Alia remedia assignabit Confessarius (*c*) pro sua prudentia, inspectis circumstantiis occasionum, personarum, etc. Prudentia enim est praecipua qualitas, quae in medico eminere debet. — *Vid. S. Lig. in Praxi Confessarii n. 15.; et in Hom. apost. tract. 2. n. 5. et 6.*

PUNCTUM III.

De officio Doctoris.

Confessarius ut munus doctoris rite impleat, scientiam sufficientem habere debet, ut poenitentes convenienter doceat.

(*a*) Perutile in hunc finem est opusculum Philippi Mariae Salvatori pluries Romae editum cum titulo: Istruzione pratica pei confessori novelli.

(*b*) Hoc prudenter pensandum, an profuturum sit; cavendum insuper foret, ne poenitens se ad id teneri credat, aut putet, se, nisi et hoc addat, dilectionis inimicorum praecepto non fecisse satis. *Vid. vol. I. n. 226.*

(*c*) Non praetereunda hoc loco illa, quae Card. De Lugo (*Respons. Moral. Lib. 1. Dub. 28. n. 5.*) sapienter de medici officio monet: *Poenitens* (inquit) *solum debet implere poenitentiam sibi a Confessario impositam: quoad reliqua vero potest quidem Confessarius declarare poenitenti ea, ad quae aliunde poenitens sub peccato tenetur, v. gr., restitutionem, relinquere occasionem peccandi proximam, abstinere a tali contractu usurario, et alia similia, quae si poenitens non habet animum observandi, non est dispositus ad absolutionem: non tamen potest Confessarius quidquam aliud sub peccato ei praecipere, nisi id, quod in poenitentiam imponit, in qua imponenda habet se ut iudex: quoad alia vero se habet ut Medicus, cuius non est praecipere, sed consulere et declarare aegroto, quae sint media necessaria vel utilia ad sanitatem tuendam vel recuperandam.*

SECTIO I.

DE SCIENTIA CONFESSARII

606. **Principia.** I. — Confessarius tenetur sub gravi scire ea omnia, quae ad munus suum rite obeundum requiruntur. — *Ita omnes* cum *S. Lig. in Praxi Confessarii et in Hom. apost.*, ubi sic loquitur: *Affirmo in statu damnationis esse eum Confessarium, qui sine sufficienti scientia ad confessiones excipiendas se exponit.* Ratio est, quia secus huiusmodi Confessarius se exponit evidenti periculo male fungendi tam gravi munere cum iniuria Sacramenti, et magno animarum detrimento.

Idcirco Deus specialem scientiam a suis Ministris exigit, ut constat ex variis sacrae Scripturae verbis: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius.* Malach. 2. 7. — *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Osee 4. 6. — *Caecus si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.* Matth. 15. 14. — *Vae vobis, duces caeci!* Matth. 23. 16. — Constat etiam ex innumeris SS. Patrum testimoniis: *Nulla ars doceri praesumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate, quoniam* Ars artium est regimen animarum. — *S. Gregor. Reg. Past. officii, p. 1. c. 1.*

607. — II. Confessarius tamen non tenetur adeo perfectam scientiam habere, ut possit semper statim et per seipsum omnes occurrentes dubitationes solvere; sed sufficit, ut id possit in casibus communiter contingentibus, et de difficilioribus sciat saltem dubitare (*a*). Maior enim scientia difficilius haberi potest, cum nec ipsi doctiores statim omnes casus solvere queant. Nec etiam tenetur Confessarius de singulis peccatis accusatis discernere an sint mortalia, necne; siquidem hoc saepe impossibile est; sed sufficit ut singula audiat prout gesta sunt, et de illis iudicet (*b*), tum iuxta principia

(*a*) S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 627.*) censet *cum Salmant., Suarez, et communi, satis esse, si Confessarius intelligat, quae frequentius accidunt, et de aliis sciat dubitare.*

Et Card. De Lugo: *Non est necesse, quod in dubiis, quae occurrunt, possit ipse omnia resolvere: satis est, si communia sciat, et de difficilioribus sciat saltem dubitare, ut libros vel peritiores consulat* (*De Poenit. Disp. 21. n. 70.*).

(*b*) Haec Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 21. n. 70.*) confirmat: *Haec scientia non debet esse tanta, ut de omnibus, quae poenitens dicit, possit discernere, an sint mortalia vel venialia: saepe enim id nec doctissimi possunt, partim quia non possunt scire perfecte ipsum factum, an consenserit poenitens cum plena deliberatione vel non, partim quia nec ipsum etiam ius in omnibus sciri potest. Satis ergo est, si sciat, in iis, quae communiter occurrunt, an sint mortalia vel venialia....* Et mox (*ibid. n. 71.*): *Hinc infero, non requiri, quod confessarius de omnibus, quae*

communia, tum iuxta rerum adiuncta a poenitente exposita, et remedium idoneum apponere noverit. — *S. Lig. n. 627.*

608. **Resolves.** — 1° Confessarius quilibet tenetur scire ea omnia quae spectant ad valorem, substantiam, integritatem et effectum Sacramenti Poenitentiae, et quae ad licitam eius administrationem, tum ex parte sui, tum ex parte poenitentis, requiruntur.

2° Scire debet etiam obligationes communes et proprias statuum, varias peccatorum species, ipsorum adiuncta speciem mutantia (*a*), principia discernendi inter mortalia et venialia, et quaenam sint mortalia et venialia in singulis praeceptis, saltem iuxta principia generalia et communem Theologorum sententiam. Item quinam sint actus validi et liciti (*b*). Ratio patet, quia illud cognoscat, oportet, de quo iudicare debet; alioquin aequum iudicium ferre non poterit.

3° Cognoscere debet casus reservatos (*c*) et censuras vigentes, impedimenta matrimonii, conditiones contractuum, varias causas

audit a poenitente, iudicet, an sint gravia vel levia; imo neque an sint peccata; sed de communibus; reliqua vero audiat, et intelligat, ac postea absolvat cum debita intentione.

Nec movere tunc Confessarium debet, quod postea noscat certo, quod inter confitendum fuit ipsi incertum. Ad rem S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 627.*) monet cum Suarez, *quod licet in aliquo casu Confessarius non discernat, quae sint gravia vel levia; si tamen bona fide poenitens dicit peccatum suum, confessio valet; et quamvis postea advertatur fuisse mortale, non est cur repetatur in alia confessione.*

(*a*) Quoad hoc caput nonnulla expedit advertere. Ac 1° quidem ubi dissensio est inter Doctores, num circumstantia quaepiam inducat diversitatem speciei, sicut poenitens non tenetur eam fateri, sic nec confessarius interrogare; in hanc rem utiliter legetur Thomae Tamburini opusculum, cui titulus: *Methodus expeditae Confessionis.* — 2° Etsi adsit haec speciei diversitas, quando tamen apparet, poenitentem ad specialem illam malitiam nihil advertisse, non opus erit, ut confessarius de ea scitetur. — 3° Insuper ad prudentiam confessarii spectabit, num poenitentem de speciali illa malitia debeat monere iuxta regulas, quae infra tradentur de poenitente monendo. Unde S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 150.*): *Caeterum non semper expedit monere huiusmodi rudem poenitentem de gravitate periurii, si monitio praevideatur non de facili profutura.*

(*b*) Quando Confessarius iudicare de his debeat quoad agenda in posterum, dubius autem ipse haereat, neque commodum accidat aut hic et nunc media ad dubium depellendum adhibere, aut poenitentem rursus deinceps alloqui, proderit illud Card. De Lugo monitum (*De Poenit. Disp. 21. n. 71.*): *Quando dandum est consilium in futurum, vel imponenda restitutio, aut prohibendus contractus dubius, vel quid simile; si ipse confessarius non potest se ipso id resolvere, erit bonum consilium petere a poenitente, an sit paratus ad consulendos homines peritos, et standum illorum iudicio circa illud dubium: quod si poenitens promittit, absolvat, dicendo illi obligationem, quam habet consulendi aliquem vel aliquos de illo dubio.*

(*c*) Scite monet Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 21. n. 70.*), melioris conditionis eos esse, qui habeant facultatem absolvendi a reservatis per Bullam vel aliud privilegium. Minus enim difficultatis patitur, quisquis brevi catalogo meminisse queat, a quibus peccatis poenitentes absolvere non possit.

restitutionis, radices et occasiones peccatorum, remedia ipsis afferenda, satisfactiones salutares et convenientes imponendas, etc.

4° Peccat igitur Confessarius, qui praedictam scientiam sibi deesse noverit, etiamsi ex sola charitate et obedientia confessiones excipiat. Nec eum per se excusat approbatio Episcopi; haec enim non dat scientiam ex natura rei debitam, nec eius defectum supplet (*a*). — *S. Lig. Hom. apost., n. 100.*

609. — 5° Peccat etiam Superior, qui ignaro Confessario veniam dat Confessiones excipiendi, quia eius peccato consentit atque cooperatur (*b*).

(*a*) Limitandum tamen hoc est, si subditus non quidem certo noscat, se necessaria nescire, sed de propria sufficientia dubiis agitetur, quibus angi non raro solent viri etiam peritiores sed indolis timidioris. Apposite Lugo (*De Poenit. Disp. 21. n. 72.*): *Infero secundo, peccare graviter eum, qui sine scientia respective requisita exponit se ad audiendas confessiones: in quo non est differentia inter confessarium regularem et saecularem,* formaliter *loquendo, cum uterque obligetur praecepto naturali. Poterit tamen esse differentia* materialis, *quatenus Religiosus, qui dubitat de sua aptitudine et sufficientia ad illud ministerium, facilius poterit deponere illud dubium, quando Praelatus, qui eum bene novit, iudicat illum aptum, et imponit ei tale munus.*

Quae licet Lugo solum de Religioso dicat, locum tamen habent etiam quoad sacerdotem saecularem, si pari modo Episcopus bene novit subditum, atque ad ministerium adigat.

Excipiendus praeterea est casus necessitatis; in qua, ut ait Lugo (*De Poenit. Disp. 21. n. 73.*), *licet sacerdos sit ignarus et indoctus, debet audire confessionem et absolvere; quia scientia confessarii requiritur ad integritatem confessionis; cum autem in illo periculo non requiratur materialis integritas, sed sufficiat percipere aliquod peccatum, vel etiam peccatum in genere; non obstabit confessarii inscitia in eo casu. Unde idem dicendum erit, quando christiani, qui apud infideles in servitute detinentur, non habent nisi unum sacerdotem ignarum et indoctum, ut docet Suarez* (*De Poenit. Disp. 28. Sect. 2. n. 6.*), *quia illa quoque reputatur necessitas moraliter extrema.*

(*b*) Monent tamen DD., necessitatem subinde efficere, ut etiam minus doctis hoc ministerium committi debeat. Hinc S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 628.*) postquam dixit, necessitatem in hoc excusare, *si aliter poenitentes deberent diu carere confessione, ut evenit in captivis*, dein subdit: *Et idem dicunt Doctores pro parvis oppidis aut triremibus, ubi, ut aiunt, si haberi nequeant docti sacerdotes, deputari possunt minus docti: admonendi tamen de obligatione discendi.*

Sic et Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 21. n. 74.*) advertit, excusandos in hisce adiunctis esse Praelatos, qui indoctos ac rudes ministerio praeficiant. *Addo* (inquit) *ex hoc capite excusari saepe Praelatos, qui in aliquibus oppidis exiguis et remotis praeficiunt Parochos indoctos et rudes: hoc enim plerumque faciunt, quia propter exiguum stipendium et penuriam rerum ac pauperiem incolarum, non invenitur homo doctus, qui velit curam illam suscipere. Unde cum aliter non possit ovibus illis subveniri, ut suppono, melius est, quod habeant confessarium indoctum in tali necessitate, quam quod omni remedio prorsus destituantur. Deberet tamen Praelatus admonere parochum de defectu scientiae, quem patitur, et de obligatione, quam habet, comparandi, si possit, doctrinam necessariam ad suum ministerium obeundum. Hanc enim obligationem semper habet parochus et confessarius, licet Praelatus ob necessitatem ovium excusetur aliquando mittendo ministrum minus sufficientem.*

6° Peccat et ipse poenitens, qui de industria ineptum eligit Confessarium. Si quis tamen sit in bona fide, valida erit confessio; quia ex parte poenitentis intervenit integra peccatorum declaratio et debita animi dispositio; ex parte Confessarii intervenit saltem cognitio peccatorum sub ratione confusa peccati, quod ad materiam Sacramenti sufficit (*a*).

7° Experientia non potest scientiam supplere, sed solum eam iuvare; ubi autem scientiae praesidio destituatur, in errores plurimos, eosque gravissimos temerarium confessarium impellet.

8° Confessarius igitur quilibet sedulo Theologiae moralis studio incumbere tenetur; et, ut asserit *S. Lig. Hom. apost. n. 100: Nunquam studium illud intermittere debet; quia ex tot rebus diversis et inter se disparibus, quae ad hanc scientiam pertinent, multa quamvis lecta, quia rarius accidunt, temporis progressu mente decidunt; quare oportet semper frequenti studio ea in mentem revocare.*

9° Hinc patet quam graviter illi errent, qui scientiam Theologiae moralis facilem et vix aliqua attentione dignam reputant, dictitantes, casus fere omnes aliquo sensu communi, cum principiorum generalium notitia solvi posse. — Apposite idem S. Ligorius Lib. 6. n. 628: *Qui ad hoc munus excipiendi confessiones inhiant, non facile sibi persuadeant quod satis idoneos ad tantum munus se reddere possint sine diuturno studio scientiae moralis, pro qua certe non sufficit aliquam percurrere summulam earum quae circumferuntur; nec satis est generalia principia huius facultatis scire, ut quidam, casuistas contemnentes, autumant. Moralis enim scientia non solum valde necessaria est christianae reipublicae, cum ex ea dependeat bonum regimen animarum; sed etiam summopere difficilis; tum quia ipsa generalem notitiam requirit omnium aliarum scientiarum, officiorum et artium* (*b*); *tum quia tot diversas complectitur materias inter se dissitas; tum quia in magna parte constat tot legibus positivis, quae nonnisi apud casuistas allatae inveniuntur, et maxime apud recentiores, cum huiusmodi leges in dies prodeant. Demum difficillima evadit propter innumeras casuum circumstantias ex quibus resolutionum pendet varietas: nam ex cir-*

(*a*) Exceptionem tamen sic innuit Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 21. n. 72.*): *Similiter peccat, qui ineptum eligit ad hoc officium, et non solum Praelatus, sed etiam poenitens, qui habet facultatem eligendi Confessarium, et scit, hunc non esse idoneum, licet sit approbatus, peccat eum eligendo, nisi talis sit poenitens, qui sua doctrina possit supplere inscitiam confessarii, ut dictum est.*

(*b*) Scite Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 21. n. 70.*) cum aliis monet, *scientiam, quae in Confessario requiritur, non esse eandem pro omnibus: aliquibus enim minor sufficit ad audiendas confessiones puerorum vel rusticorum; in aliis maior requiritur ad audiendos mercatores, iudices, etc., qui casus habent difficiliores. Ad confessiones vero hominis docti multo minor requiritur,... quia potest Confessarius instrui ab ipso poenitente.*

cumstantiarum diversitate diversa applicanda sunt principia, et in hoc difficultas consistit, cum nequeat id fieri sine magna discussione, vel accurata lectione plurium librorum, qui res examinant et dilucidant.

SECTIO II.

DE OBLIGATIONE DOCENDI POENITENTES.

610. **Principia.** — I. Tenetur Confessarius poenitentes docere ea omnia, quae pertinent ad Sacramentum hic et nunc rite suscipiendum. Ratio, quia cum Sacerdos sit minister Sacramenti, debet procurare eius validam et licitam susceptionem, atque adeo tradere instructionem hic et nunc necessariam.

II. Debet docere poenitentes, ubi advertat, quempiam aliquid ex iis ignorare, quae necessaria sunt ad christiane vivendum, cuiusmodi sunt, v. gr. obligationes eius propriae. — *S. Lig. n. 607. et seq.*

III. Non tamen, *per se et stricte,* illos instruere tenetur de omnibus, quae ipsi scire debent, et aliunde discere possunt. Ratio est, quia munus doctoris in Confessario per se pertinet tantum ad rectam administrationem Sacramenti Poenitentiae. *Per accidens* tamen posset adesse obligatio ex charitate, quando difficillime hanc scientiam aut per se, aut per alium, poenitens comparare sibi posset (*a*). — *S. Lig. ibid.*

611. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An sit semper monendus poenitens laborans ignorantia circa aliquam obligationem?*

Resp. 1° *Affirm.* si ignorantia videatur *vincibilis,* id est, si Confessarius animadvertat, poenitentem ita dubitare, ut iam desit bona

(*a*) Haec charitatis obligatio non est specialis Confessariorum, sed communis omnium, qui noscant proximi necessitatem, et sine gravi incommodo possint ipsi prospicere. Specialis obligatio inest parochis, qui id ex officio debent.

Obligatio Confessarii tunc maxime aderit, quando poenitens ignoret ea, quae ad salutem necessaria scitu sunt necessitate medii. Quod tamen quomodo accipiendum sit, bene sic Sporer (*De Poenit. n. 796.*) exponit: *Confessarius* (hoc) *advertens* (*idque in pueris et rusticis frequens est*), *tenetur instruere eo modo, quo hic et nunc est capax, non quidem doctrinaliter, ut ea capere, intelligere, memoriter retinere, ac recitare possit, sed sufficit pro tempore, ut ei obligationem discendi insinuet, eiusque ignorantiam suppleat, proponendo ei articulos credendos, ut ad singulos actum fidei exerceat. Ex. gr., credis, quod Deus unus sit essentia, et tres personae, etc., sicut et ego et Ecclesia credit? Credo... — Credis quidquid credit S. Rom. Ecclesia, et vis mori in ipsa? Credo... — Ulterius: doles, te ita ignarum esse, et negligentem fuisse, etc.?... Doleo. — Proponis firmiter, nactus occasionem opportunam, quod curabis te instrui, et velis diligenter discere, quae sunt ad salutem necessaria? Utique. — Si hos actus exerceat, sufficit ad instructionem a Confessario hic et nunc praestandam et ad dispositionem sufficientem ad sacramentum etc.*

fides. Ratio, quia in admonitione facienda nullum imminet periculum; alioquin vero poenitens cum eo dubio operans non immunis est a peccato.

Resp. 2° Si cuiuspiam obligationis ignorantia sit *invincibilis*, monendus est poenitens, si fructus ex admonitione speretur; secus vero, generatim loquendo, si non speretur. Ratio est, quia ex una parte haec admonitio non prodesset, et ex altera ei obesset; siquidem admonitus in posterum formaliter peccaret. — *S. Lig. n. 610., et alii communiter.*

Monendus itaque est poenitens, 1° quoties ipse interrogat de malitia alicuius rei, quia cum de rei liceitate dubitet, in ignorantia invincibili iam non versatur (*a*); 2° quoties silentium Confessarii eum obfirmaret in proposito rei malae peragendae; 3° quoties eius ignorantia versatur circa primaria principia iuris naturalis, aut circa conclusiones eorum proximas, quia talis ignorantia, si possibilis est, diu invincibilis esse non potest; 4° quoties monitione omissa, poenitens in occasione proxima formaliter peccandi remansurus esset (*b*). — *S. Lig. n. 615.*

QUAER. 2° *An monitio facienda sit in dubio utrum profutura sit vel obfutura?*

Resp. 1° *Affirm.* si probabilius *profutura* sit, secus si probabilius *obfutura.* — *S. Lig. n. 916.* — *Lugo,* — *Salmant.*, etc., contra *nonnullos.*

Resp. 2° In dubio ex utraque parte aequali, generatim loquendo, potius vitanda sunt mala formalia, quam materialia. — *S. Lig. ibid., et alii* (*c*).

(*a*) Ratio est, inquit Lugo (*De Poenit. Disp. 22. n. 29.*), quia taciturnitas Confessarii esset erroris approbatio; quod nunquam licet. Vid. S. Alphons. *Lib. 6. n. 616.*

Excipit Sanchez (*De Matrim. Lib. 2. Disp. 38. n. 14.*), quando poenitens mero scrupulo (scrupulum dicit dubium ex falsa seu futili ratione) ad interrogandum movetur; tunc enim censet, si monitio noxia fore praevideatur, posse confessarium tacere vel respondere, ut deponat eiusmodi scrupulum. Ratio, quia scrupulus non aufert bonam fidem. — Id autem Lugo (*l. c.*) eatenus solum admittit, ut possit quidem Confessarius fingere se non audivisse, vel non attendisse, vel oblitum fuisse respondere, ut sic remaneat poenitens in illa bona fide, quam prius habebat, non tamen auctoritate ipsius Confessarii confirmata. — At enim si ratio interrogandi revera sit futilis, v. gr. si dubium moveat de validitate matrimonii, eo quod illud celebraverit in statu peccati, vel tempore interdicto, vel per fictum status liberi testimonium, vel contra prius emissum iuramentum aut votum; non apparet, cur Confessarius (qui ex alia vera causa sed poenitenti ignota scit invalidum esse matrimonium) respondere non possit, rationem illam esse inanem, et vanum scrupulum.

(*b*) Non praetermittenda hypothesis est poenitentis, qui se obligatum credit, ubi obligatio nulla est, aut etiam gravem obligationem ibi inesse putat, ubi levis tantummodo inest. Haec ignorantia utpote semper noxia, semper auferenda est.

(*c*) Monitionem quae mere obfutura praevideatur, omittendam tenent

612. — Quaer. 3° *An coniux monendus sit de invaliditate matrimonii ob occultum impedimentum, quod detegit Confessarius?*

Resp. Neg., generatim loquendo, donec Confessarius dispensationem obtinuerit, nisi haec statim et facile obtineri possit a Papa vel Episcopo. Ratio est, quia plerumque maxima inde sequerentur incommoda, v. gr. periculum infamiae, scandali, rixarum, vel incontinentiae, etc., et proinde fornicatio *materialis* evaderet *formalis*. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 611. — Elbel, n. 471.*, etc.

An vero possit Confessarius obligare coniugem impedimenti gnarum, et negantem debitum ad illud reddendum? *Resp. affirmative.* Ratio est, quia stante persuasione coniugis, quod matrimonium sit validum, hic tenetur debitum reddere, ut dictamen conscientiae sequatur. — *S. Lig. ibid., et alii communiter* (*a*).

communiter DD., etiamsi ignorantia cedat in detrimentum tertii. Ita et S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 614.*). Optima ratio est, quam post Sanchez tangit et Lugo (*De Poenit. Disp. 22. n. 26.*), quia nempe monitio ne creditori quidem prodest, et solum poenitenti nocet.

Secus vero, quando de bono communi agitur, ut cum aliis advertit S. Alphonsus (*l. c. n. 615.*), v. gr. si quis bona fide putaret, se esse sacerdotem, cum non sit; cuius ignorantia (ut ait Lugo, *Disp. 22. n. 30.*) redundaret in damnum commune eorum, qui ab eo sacramentum suscipiunt.

Et huc pertinet casus, qui non raro animum confessarii angit, faciendae denuntiationis, quae non ad privatum bonum personae peccantis, sed ad praecavendum damnum commune ordinetur. Quod quidem tam grave esse posset, et ita imminens, ut obligatio denuntiandi urgeat etiam cum vitae discrimine. Quamquam Confessarius, quantum fieri potest, curare debet, ut cum minimo denunciantis periculo res peragatur. Neque enim ad praecavendum v. gr. incendium aut proditionem semper opus est, ut aut nomen denuntiantis noscatur, aut hic per seipsum rem aperiat.

Quando vero damnum non videatur ita impendens, pensanda erunt hinc quidem gravitas damni, inde vero difficultas denuntiandi, quae ex personarum, locorum, negotii, etc., adiunctis exsurgat; et ex horum consideratione decerni oportebit, num gravitas damni impellere Confessarium debeat, ut etiam cum modica spe fructus atque adeo cum gravi periculo iniiciendi inutiliter in malam fidem poenitentem monere debeat, an vero nulla prudens spes fructus potius debeat efficere, ut desperato adversus damnum commune remedio, grave praeterea nocumentum poenitenti, dempta ipsius bona fide, inutiliter non superaddat.

Inde est, quod in causis *sollicitationis*, licet denuntiatio non ad sollicitantis emendationem, sed ad commune bonum ordinetur, aliquando tamen Sedes Apostolica dispensare a denunciando consuevit. Ex quo illud etiam patet, nimis generaliter S. Alphons. (*Lib. 6. n. 694.*) statuisse, monitionem omitti nunquam posse, quando de damno communi agitur.

(*a*) Bene Sanchez (*De Matr. Lib. 2. Disp. 38. n. 8.*) quoad eos, qui vellent, ut Confessarius solum in genere dicat, coniuges teneri ad debitum reddendum: *Fateor, me non assequi, quid distet inter haec:* Redde debitum, *et,* uxor tenetur reddere debitum; *cum uterque loquendi modus ad eundem scopum tendat, nimirum ad inducendum illum coniugem, ut reddat debitum; et si inducere verbis directis culpa esset, non ea vacaret inducere verbis indirectis; siquidem ex parte Confessarii eadem est intentio in utroque loquendi modo, et poenitens idem prorsus intelligit. Praeterea quia, cum poenitens relinquendus sit in illa ignorantia, peccat letaliter, ea supposita, non reddendo; ergo confessarius tenetur non absolvere,*

613. — QUAER. 4° *An poenitens contracturus matrimonium, de impedimento ignorato monendus sit?*

Resp. Generatim loquendo, facienda est monitio. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 612.* — Ratio est, quia post matrimonium ignorantia cessare haud aegre potest, v. gr. ex eo quod detegatur, adesse inter coniuges consanguinitatem, affinitatem, etc.; et tunc praeter facile periculum peccandi formaliter alia gravissima incommoda sequi possunt, nempe scandala, rixae et forte etiam coniugum separatio, etc. — Excipe tamen *probabiliter* casum, in quo nullus omnino speretur fructus ex monitione, nec facile possit detegi impedimentum; quia melius est permittere peccatum materiale, donec dispensatio obtineatur, quam praebere occasionem certi peccati formalis. — *Lacroix, Lib. 6. p. 3. n. 540.*

PUNCTUM IV.

De officio iudicis.

Agendum 1° de causa instruenda; 2° de sententia ferenda.

SECTIO I.

DE CAUSA INSTRUENDA SEU DE OBLIGATIONE INTERROGANDI POENITENTES

614. **Principia.** — I. Confessarius tenetur interrogare poenitentes de specie, numero et circumstantiis speciem mutantibus, de causis peccatorum, de habitu et occasionibus proximis, quoties rationabiliter praesumit, vel prudenter dubitat, ista non sufficienter declarari. Ratio est, quia Confessarius, ut minister Sacramenti, debet procurare eius integritatem, et ut iudex debet sibi comparare cognitionem necessariam ad aequum iudicium ferendum. Constat etiam ex *Conc. Later. IV*, necnon ex *Rituali Rom.* — *S. Lig. n. 617., et Prax. Confess. n. 19.*

II. Confessarius non tenetur interrogare poenitentem, nisi cum quapiam diligentia ordinaria. Ratio est, quia poenitens ipse non tenetur summa, sed tantum mediocri, id est ordinaria diligentia se examinare. Nequit autem esse gravior obligatio Confessarii quam poenitentis, cum Confessarius non teneatur examinare poenitentem nisi secundario, seu in illius defectu. — *S. Lig. Prax. Confess., n. 20.*

III. Confessarius non tenetur interrogare poenitentes, qui licet rudes, videntur sufficienter instructi pro sua conditione, et diligen-

nisi proponat se deinceps redditurum. Ergo potest cogere ut reddat; et ita confessarius non praecipit rem malam, sed rem debitam, propositis circumstantiis occurrentibus.

tes in confitendo peccata cum circumstantiis iuxta statum et capacitatem suam. — *A fortiori* necesse non est examinare eos, qui saepe confitentur et raro peccant graviter, ut sunt personae devotae, Religiosi, Ecclesiastici, nisi videatur ab eis omitti aliquid necessario explicandum. — *S. Lig. n. 607. II. et III.; Hom. apost. n. 103.*

615. — Circa praxim interrogandi istas habe regulas. — Iª *Regula*. Interrogatio debet esse *moderata*, atque adeo Confessarius cavere debet, ne sit nimis anxius in interrogando. Secus enim tum sibi, tum praesertim poenitenti gravis et onerosa erit interrogatio, et proinde etiam ipsa confessio. Hinc inutilia non quaerat unquam, nec sibi narrari patiatur. Attendat igitur ad ea, quae habet *Rituale Rom.: Caveat ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, praesertim iuniores utriusque sexus, vel alios, de eo, quod ignorant imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, ideoque peccare discant.*

Et *S. Ligorius, n. 607: Confessarius non sit nimis anxius interrogandi, sed interroget tantum de iis, quae probabiliter poenitenti conveniunt iuxta suam conditionem.* Et in *Praxi Confess. n. 21: Interroget tantum de peccatis, in quae faciliter incidere possunt, spectata eorum conditione et capacitate.* Sic etiam Billuart (*Diss. 6. art. 10.* §. *2.*): *Examine morali* (*examinare debet Confessarius*) *non summo et exquisito, sed humano et mediocri, et conformiter ad capacitatem poenitentis. Non enim Sacerdos tenetur plus examinare poenitentem quam poenitens ipse tenetur se examinare, cum Confessarius in defectum poenitentis teneatur ipsum examinare. Poenitens autem non tenetur se examinare summa et exquisita diligentia, sed humana et morali. Nec refert quod si Confessarius plus examinaret, forte plus inveniret; non enim hic attendendum est solum ad integritatem materialem confessionis, sed etiam ne summa et nimia industria in examinando reddatur Sacramentum poenitentibus onerosum et odiosum: sufficit ergo si Confessarius prudenter iudicet poenitentem nihil omittere.* Eadem iisdem fere verbis habet *Sporer, n. 792.* —*Salmant. c. 12. n. 21.*—*Reuter, Neo-Confessarius, c. 3. in fine*, etc.

616. — IIª *Regula*. Interrogatio debet esse *discreta*, debet nempe Confessarius interrogare cum magna prudentia, sedulo cavendo, 1° ne interroget de peccatis, quae verosimiliter non fuerunt commissa, spectata poenitentis conditione et capacitate, etc.; 2° ne interroget de iis, ex quibus poenitens discat peccare, aut scandalum pati possit, iuxta modo dicta ex *Rituali Rom.*; 3° nec interroget curiosius aut levius etiam in iis, de quibus est interrogandum, v. gr. *inverecunde de inverecundis*, etc. etc. Uno verbo satagere debet, ut unice appareat in quibusvis interrogationibus *gravitas, pietas, modestia* et *paterna charitas*, prout requirit huius officii natura et dignitas. — *Vide Rituale Rom.*

Hinc 1° valde cautus esse debet in interrogando de materia luxuriae, praesertim cum mulieribus, adolescentibus et pueris, qui

multo facilius scandalum pati possunt. Quot enim infelices poenitentes, ob incautam Confessarii interrogationem aut explicationem, innocentiam et animam perdiderunt! Cum coniugatis autem absque gravi causa nunquam mentionem faciat de debito coniugali (*S. Poenitentiar.* 8. Iun. 1842.); et satis erit ubi res postulet, mulierem interrogare, num debitam marito fidem et obedientiam in omnibus praestiterit.

2° Servanda est sedulo regula ab omnibus admissa: *In materia luxuriae multo melius est in pluribus deficere, quam in uno superabundare ratione integritatis confessionis.* In dubio igitur an in tali casu interrogare possis vel debeas, pro parte negativa semper standum erit; minus enim malum est deesse integritati confessionis, quam incurrere animae perdendae periculum.

617. — III[a] *Regula.* Interrogatio debet esse *opportuna,* id est, fieri tempore et modo, quo convenit; quaedam autem interrogationes faciendae sunt ordinarie ante confessionem, sed paucae, ne poenitens offendatur, v. gr. a quo tempore non sit confessus? an absolutus fuerit? an poenitentiam impleverit (*a*)? ... an circa vitam praeteritam sit quietus? Haec ultima interrogatio fieri debet tantum, quando poenitens non est confessus a multo tempore, aut quando instituitur confessio generalis a tempore determinato. — Caeterae quaestiones circa conditionem, statum, aetatem, etc., convenientius, data occasione, in decursu confessionis fient: sic ex una parte omnis suspicio curiositatis et levitatis vitabitur, et ex altera facilius respondebit poenitens, cum ipsius fiducia in Confessarium magis adaucta fuerit.

Errant autem Confessarii, qui volunt semper iudicium certum facere de peccati qualitate, an sit grave vel leve, et contorquent poenitentes, ut sciant, quali animo aut quali conscientia hoc fecerint; hi enim multoties respondebunt, quidquid casu in buccam venerit, ita ut paulo post interrogati de eadem re, sint negaturi, quod antea affirmaverant. Secus tamen, si videantur sufficienter instructi, aut si dubitetur de pleno consensu tentationi praestito. Generatim autem nisi circumstantiae aliud suadeant, praesumi potest, quod poenitens obiectum peccati, ut secundum se malum est, apprehenderit.

618. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quid agere debeat Confessarius in dubio de sinceritate poenitentis?*

Resp. Est regula communis, et velut axioma receptum: *Credendum est poenitenti, tam pro se, quam contra se dicenti.* Ratio est, quia poenitens in sacro tribunali reus simul et testis, sui accusator et advocatus est, et aliunde in dubio verax semper praesumendus

(*a*) Non contendit A., hasce interrogationes semper faciendas esse, sed solum, si quando, nonnullis auditis, faciendae videantur, eas opportunius in principio fieri.

est. Quapropter post opportunas interrogationes Confessarius poenitentem negantem absolvere debet. — *S. Lig. n. 631.*

619. — Quaer. 2° *Quid agere debeat Confessarius, si cognoscat certo, peccatum aliquod a poenitente reticeri aut negari?*

Resp. 1° Si illud novit ex confessione alterius, debet, ne confessionis sigillum violetur, tantum generatim interrogare, sicut alias fecisset aut facere debuisset; si vero poenitens interrogatus negaverit, nihil reponat, sed, si id possit citra suspicionem, hortetur dumtaxat generaliter ad conscientiam cum omni fiducia aperiendam. Utrum vero debeat Confessarius talem poenitentem absolvere, controvertitur. — *S. Ligorius,* relatis aliorum sententiis, ita concludit: *Melius, meo iudicio, sentit* Croix, *quod eo casu nullo modo absolvat, sed tantum aliquid oret ad occultandam negationem absolutionis* (*a*). — Communius tamen alii Doctores cum *Suaresio, De poenit.*

(*a*) Primus hanc opinionem ac praxim invexit Illsung (*Tract. 6. Disp. 6. q. 4. art. 7. §. 4. n. 128.*) innixus fallaci allegationi Suaresii, qui (*De Poenit. Disp. 32. Sect. 3. n. 9.*) imo docet oppositum. Ab Illsung eandem mutuatus est Croix (*Lib. 6. Part. 2. n. 1969.*) cum ficto Suaresii suffragio, addens ex inadvertentia allegationem Dicastilli, quem Illsung in alium scopum citaverat. His S. Alphonsus (*n. 631.*) adiunxit Vivam, qui (*De Poenit Q. 8. art. 5. n. 2.*) licet Suaresii et Lugonis sententiam minus exacte referat, illi tamen opinioni nullatenus adhaeret. Ista opinio igitur tota debetur hallucinationi, quae perperam Suaresii, Dicastilli, et Vivae auctoritatem adduxit.

** Quatuor et triginta columnas opponunt VV. (*Pag. 587-603.*) viginti quatuor lineis, quibus constant haec et proxime sequens Nota. Veruntamen tanta moles plus habet speciei, quam substantiae. Quod res postulat, eorum, quae in *Nota* dicuntur, rationem reddemus.

In prima hac *Notula* quaestio est, an confessarius possit absolvere poenitentem, a quo peccatum reticeri cognoscit *ex alterius confessione.* In *Nota* autem dicitur, Illsung negative respondisse, *innixum fallaci allegationi Suaresii, qui imo docet oppositum.* Itaque quod Illsung innitatur allegationi Suaresii, extra controversiam est. Quod vero fallaciter alleget Suaresium, huius verba ab Illsung allata evincunt. Suarezii verba ista sunt (*l. c. sup. in Not.*): *Respondetur, regulariter standum esse confessioni et dicto poenitentis: unde quantumcumque* (non recte Illsung habet, *undecunque*) *confessor sciat peccatum poenitentis ex aliorum relatione, tenetur in hoc iudicio magis credere ipsi poenitenti, propter rationem factam. Deinde si ipse confessor suis oculis vidit peccatum, et probabiliter existimare possit, poenitentem esse confessum alteri illud peccatum, potest dissimulare, et credere tunc negare illud, quia non tenetur iterum illud confiteri. Si autem omnino sit evidens, illum mentiri contra integritatem confessionis, non tenetur ita stare dictis poenitentis, ut non possit uti scientia sua ad convincendum et redarguendum ipsum poenitentem.* Porro Illsung ex hoc textu ita arguit: Iuxta Suarez confessarius non tenetur stare dictis poenitentis, si omnino sit evidens illum mentiri. Atqui ex alterius audita confessione fieri omnino evidens potest, poenitentem mentiri. Ergo.

At vero fallax est et contraria menti Suarezii ratiocinatio, si *omnimoda illa evidentia* iuxta Suarezium ad casum notitiae ex alterius confessione haustae nequeat [referri. Quod autem ad notitiam ex alterius confessione haustam omnimoda illa evidentia iuxta Suaresium nequeat referri, manifeste patet ex illis eiusdem verbis: Quantumcumque *confessor sciat pecca-*

Disp. 32. sect. 3. n. 9., docent tunc solum negandam esse absolutionem, quando omnino evidens est, poenitentem mentiri contra integritatem confessionis. Imo dicunt plures absolutionem in omni casu concedendam esse poenitenti peccatum suum neganti, quoties

tum poenitentis EX ALIORUM RELATIONE etc. Nam vox illa *quantumcumque* amplectitur quidquid certitudinis ex alterius confessione haberi a Confessario possit. Fallaciter igitur Illsung auctoritati Suarezii innititur.

Instant hic VV. (*Pag. 589.*), illa Suarezii, *regulariter standum esse dicto poenitentis*, referenda esse etiam ad notitiam ex aliorum relatione acceptam. — Resp. *Nego totum.* Contextus enim evidenter evincit, illud REGULARITER utique innuere exceptionem, quam subdit, *si confessor suis oculis vidit*, nec coniicere potest, poenitentem illud peccatum alteri esse confessum: at exceptionem quoad notitiam ex alterius relatione acceptam vox illa *quantumcumque* nullo modo patitur.

2. Additur in *Nota*, ab Illsung falsam Suarezii allegationem mutuatum fuisse Croix, qui praeterea ex inadvertentia falsam adiunxit allegationem Dicastilli in alium scopum ab Illsung citati. Haec autem ita se habere facile patet. Nam Dicastillus eo loco (*De Eucharist. Disp. 9. n. 491.*), quem Illsung allegat, disputat, an simulari possit administratio Eucharistiae dando particulam non consecratam, et exinde generatim an simulare liceat Sacramentorum administrationem. Illsung autem eum allegat, ut evincat, posse absolutionem simulari. At Dicastillus de praesenti nostra quaestione ne verbum quidem habet. Ergo ex mera inadvertentia Croix Suarezii fallaci suffragio adiunxit fallax Dicastilli testimonium.

3. Additur demum in *Nota*, S. Alphonsum a Croix sumpsisse allegationes Suaresii, Illsung, et Dicastilli, et his addidisse Vivam, *qui licet Suaresii et Lugonis sententiam minus exacte referat, opinioni tamen illi* (scil. Illsung) *nullatenus adhaeret.* — Et ista quoque levi negotio ostenduntur. Nam Viva utique dicit (*l. c. in Not.*), non esse absolvendum poenitentem, *si prudenter iudicet confessarius, poenitentem negare peccatum ex erubescentia;* at nuspiam dicit, *prudens hoc iudicium* in casu S. Alphonsi haberi. Minus vero exacte Lugonis et Suaresii refert sententiam; nam hi non dixerunt, *si confessarius iudicet prudenter*, sed, *si omnino sit evidens.* Proinde in horum sententia, iudicium, nisi sit *omnino evidens*, non erit prudens. Lugo autem (*Disp. 22. n. 22.*) negat esse *evidens*, atque adeo *prudens* iudicium, quod alterius poenitentis testimonio nitatur. *Petes*, inquit, *quid si confessarius ex aliorum confessione evidenter sciat, Petrum commisisse tale peccatum, quod ipse postea in confessione negat? Respondetur, repugnare, quod ex aliorum confessione id evidenter sciat, cum tota illa notitia resolvatur in testimonium alterius poenitentis.* Et haec satis esse possunt ad rationem eorum reddendam, quae in brevi ista *notula* scripta fuerant.

Pro S. Alphonsi sententia addunt VV. (*Pag. 592–594.*) praeter Henno, qui inclinat in eam opinionem, etiam auctoritates Babenstuber, Reuter, et Voit. — Resp. Iam S. Alphonsus monuerat, in hac quaestione non omnes Auctores idem sensisse; quod ideo etiam minus videri mirum debet, quia diversas diversi fingunt hypotheses. Caeterum Babenstuber, Reuter, et Voit, non secus ac S. Alphonsus, ex Illsung et Croix manifeste transcripserunt.

Hanc partem denique VV. sic concludunt (*Pag. 594.*): *Sed parum interest, utrum plures, an pauciores Auctores sententiam P. Illsung approbaverint; nam S. Doctor eam non approbavit propter auctoritates extrinsecas, sed propter rationes intrinsecas, quae utique evidentes et convincentes sunt.* — Resp. S. Doctor reipsa *nullam rationem affert*, sed mere allegat Auctores, quos in *Nota* indicavimus: ipsa etiam *Nota*, ut patet, mere quaedam habet de Auctoribus a S. Doctore allegatis. Caeterum si reipsa

notitia huius peccati ex sola confessione alterius, nempe complicis, habita est; quia notitia haec pro nulla habenda est, cum ex confessione aliena acquisita fuerit. Hoc autem sat probabile est.

Resp. 2° Si noverit extra confessionem, *per se* debet poenitentem negantem absolvere, quia *poenitenti pro se et contra se dicenti credendum est;* nec *per se* relatio alterius maiorem fidem facere potest, quam declaratio ipsius poenitentis; nec proinde magis aliis, quam ipsi, Confessarius credere tenetur. Etenim si poenitens peccatum illud commisit, praesumere debet Confessarius, illum aut sui peccati oblitum esse, aut alteri confessum, vel iustam habere causam illud reticendi, aut relatores potius deceptos fuisse. — *S. Lig. ibid.* — *Billuart, ibid.*

Dixi: *per se;* nam si confessarius sit omnino certus de peccato a poenitente commisso, quia v. gr. ipse furantem vidit, audivit blasphemantem, etc., vel id novit ex certa aliorum relatione (*a*),

adessent rationes *evidentes,* quas iactant VV., non sic Auctores dissidentes haberemus. Quid enim in re, quae maxime a iudicio prudenti pendet, caecos in re evidenti haberemus Theologorum facile principes Suaresium et Card. De Lugo?

Et haec satis sint ad sexdecim illas columnas, quas contra octo eas praemissae *notulae* lineas VV. scripserunt. Responsum ad alias octodecim columnas, quas contra sexdecim sequentis *Notae* lineas VV. addiderunt, ipsi *Notae* subiiciemus.

(*a*) Haec verba, *si ex certa aliorum relatione novit,* etc., inadvertenter excidisse videntur Beniamino Elbel (*De Poenit. Conf. 13. n. 454.*), e quo ea dein sumpsit S. Alphonsus, et ab hoc etiam A. noster. Elbel siquidem subdit, *ita sentire omnes,* cum tamen, fatente etiam S. Alphonso, id falsum aperte sit, atque communis illa sit doctrina, quam sic effert Suarez (*De Poenit. Disp. 32. Sect. 3. n. 9.*): *Quantumcumque Confessor sciat peccatum poenitentis ex aliorum relatione, tenetur in hoc iudicio magis credere ipsi poenitenti propter rationem factam.*

Quin et ipse Elbel oppositum tradit (*De Sacram. in gen. Conf. 2. n. 44.*), ubi proponit hunc casum: *Quidam Sponsus fatebatur, se nocte proxime elapsa turpiter egisse cum sua sponsa: et quia Confessarius noverat illum iam saepius relapsum, nec vitare velle occasionem proximam, sine absolutione dimittit. Huic proxime succedit sponsa, Confessario optime nota, quae tamen, forte timens negationem absolutionis, ne verbulum movet de peccatis lasciviae cum sponso commissis. Dubitat Confessarius, an debeat absolvere.* Et respondet: *Si sponsa neget, se aliquid contra castitatem deliquisse, tenetur illam absolvere; quia poenitenti ceu reo simul et actori tenetur adhibere fidem tam pro se quam contra se loquenti.*

** Incredibile videri posset, ex brevi hac *Nota* VV. materiam sumere potuisse, qua solidas octodecim columnas implerent. Congerunt nimirum undecumque Auctorum textus, quibus evincant, non posse confessarium absolutionem poenitenti impertiri, *quando prorsus certus* sit, *quando evidenter sciat,* poenitentem mendaciter ac mala fide negare grave peccatum, quod commisit. At enim nonne tanto armorum apparatu contra umbras pugnant?

In *Nota* siquidem mere notabatur aliquis cohaerentiae defectus in Elbel, qui dum docet, teneri confessarium ad absolvendam in casu proposito saltem sub conditione sponsam, deinde negandam absolutionem dicit, si de statu poenitentis ex aliorum relatione confessarius fiat certior. Nam quo

non potest negantem absolvere, modo certus sit, illum sui peccati non oblitum fuisse, nec ullum habere motivum illud reticendi; nam regula haec: *Credendum poenitenti* etc., valet quidem in re minus certa, non autem in re evidenter certa.

620. — QUAER. 3° *Quomodo in particulari cum rudibus agendum Confessario?*

Resp. Confessarius ordinarie ipsemet examinare debet rudiores, quia hi sibi solis relicti non melius se examinabunt; et si dimittantur, nunquam magis dispositi redibunt; imo absterriti difficultate examinandae conscientiae facile a confessione abstinebunt.—*S. Lig. n. 607.*

SECTIO II.

DE SENTENTIA FERENDA, SEU DE ABSOLUTIONE CONCEDENDA, DIFFERENDA AUT DENEGANDA

621. **Principia.** — I. Absolutio *concedi debet ex iustitia* et *sub gravi* omni poenitenti *rite* confesso et disposito. Ratio est, quia in ipso confessionis actu initus est quidam quasi-contractus, vi cuius poenitens rite confessus et dispositus habet ius ad Sacramentum suscipiendum. Secus autem onus intolerabile sine iusta causa poenitenti imponeretur, ut scilicet apud alium confessionem instituat, quin confidere insuper certo possit, se ab isto novo Confessario absolutionem esse recepturum. Praeterea hoc etiam exigit finis institutionis Sacramenti et tribunalis Poenitentiae, quod misericordiae impertiendae causa a Christo institutum est. Sacerdos igitur absolutionem poenitenti disposito denegans, iniuste ageret, potestate clavium abuteretur, et odiosum redderet Sacramentum.

II. Absolutio tamen *differri potest* ad breve tempus, etiam poenitenti *rite disposito* (*a*), atque etiam sine eius consensu, quando

sensu in *Nota* accipiantur ea verba Elbel, ex eo constat, quod ipsi opponatur sententia, quam S. Alphonsus communiter tradi testatur. Sententia autem ista eiusmodi est (*Lib. 6. n. 631.*): *Distinguendum est: si scit extra confessionem, et noverit ex propria scientia, puta furantem aspiciendo, vel audiendo blasphemantem, sine dubio non debet absolvere, si ille negat, modo non adsit prudens dubium etc... Si vero confessarius id habet ex suspicione, vel ex aliorum relatione, dicunt etiam communiter Suar., Laym., Holzm., Spor..., quod post diligentem interrogationem regulariter debet absolvere.* Quod si verba Elbel ita accipias, ut de ea certitudine intelligantur, qua v. gr. apud Fagundez a VV. (*Pag. 597.*) citatum *Confessarius certus est de cuiusdam concubinatu ex* PUBLICA NOTITIA, equidem quaestio ad eiusmodi conditionem deducitur, ut frustra quaeras adversarios, quos impugnes. Idcirco dictum est, VV. sibi confinxisse umbras, in quas arma verterent.

(*a*) Summopere interest perpendere originem rationemque huius praxis; cuius etsi vix ullum vestigium in scriptis antiquiorum Theologorum appareat, perperam tamen inde ansam cum nonnullis quis sumeret iansenianis illam ceu primis auctoribus tribuendi, utcumque isti tum eadem tum ve-

nempe Confessarius iudicet, id utile esse ad eius emendationem. Ratio est, quia dilatio absolutionis non est eiusdem denegatio; et licet poenitens dispositus *ius habeat* ab absolutionem, non tamen

teri canonicae poenitentiae disciplina ad arcendos fideles a Sacramentis insigniter abusi fuerint, fictaque zeli specie fucum facere nonnullis catholicis aliquando potuerint.

Originem itaque istius praxis si inquiras, facile reperies, eam deberi studio novas usquequaque industrias excogitandi, quibus fideles amplius iuvari posse quibusdam in adiunctis forte viderentur; rationem vero eiusdem ac finem in eo fere situm, ut poenitens, qui ob segnitiem in obligatione quapiam implenda novas in dies, et menses, atque etiam annos moras usque nectere soleret, demum excitaretur ad manum operi admovendam. Exemplum habes apud S. Antoninum (*Part. 3. Tit. 14. Cap. 19. §. 19.*), ubi de iis disserens, qui, ut alibi loquitur (*Part. 2. Tit. 2. Cap. 8. §. 3.*), *semper procrastinant, et annuatim reperiuntur promittere confessori restituere, postea non faciunt*, reiecta illorum opinione (*ibid.* §. 2.), qui putabant hos absolvendos esse sub conditione de futura restitutione, et admittens sententiam Guillelmi, quod simpliciter et sine conditione absolvi debeant, dein subdit: *Postquam Confessor perpendit, tales pluries hoc fecisse,* FORTE ESSET BONA CAUTELA *talibus dicere, quod prius restituant, et postea veniant ad confessionem, seu pro absolutione.*

Frequentius autem hanc industriam insinuari cernes apud Theologos paulo minus antiquos, cum agunt de obligatione usurpandi media quaepiam ad emendandam pravam consuetudinem, eam praesertim, quae ad malum semideliberate aut etiam indeliberate propellit, qui tamen actus culpabiles in causa sint, in segnitie scilicet et emendationis negligentia, quae in his adiunctis hominem in iugi, ut aiunt, *peccati mortalis statu* constituit. Et hinc ratio, cur DD. hanc materiam fere attingant non ubi *de Sacramento Poenitentiae,* sed ubi tractant de *Secundo Decalogi praecepto,* atque adeo de pravo aut blasphemandi aut temere iurandi ac porro peierandi habitu. Ita Salmanticenses *Tract. XVII. De Iuramento Cap. 2.* — Suarez *De Iuramento Lib. 3. Cap. 8. n. 7.* — Sanchez *In Decal. Lib. 2. Cap. 32.* ubi *de blasphemia,* et *Lib. 3. Cap. 5. ubi de consuetudine iurandi.* — Bonacina *De II. Praecepto Disp. 4. Q. 1. P. 14.* — Filliucci *Tract. 25. Cap. 10. de blasphemia et iuramento.* — Sayrus *Clav. Reg. Lib. 5. Cap. 5., ubi de iuramento.* — Palaus *De Iuram. Disp. 1. Punct. IX.* — Viva *De Praec. Decalogi q. 7. art. 7. De periurio.* — Trullench *Exposit. Decal. Lib. 2. Cap. 1. dub. 20.* — Azor *Part. 1. Lib. XI. Cap. 3. de Iuramento.* — Reginaldus *Lib. XVIII. De II. Praec. Decalogi.* — Idem dicito de Barthol. Medina, Emman. Roderico, Ludovico Lopez, et aliis, quos longum foret enumerare.

Quod vero isti DD. disserant de poenitente *disposito*, inde manifeste patet, quod absolutionis dilationem insinuent non tamquam necessariam, sed ut *mere utilem,* et ex *mero consilio* et solum *aliquando,* adhibendam. Ita v. gr. Suarez (*l. c.*) licet agat de consuetudine, quae, ut ait, *quodam modo transiit in naturam,* postquam dixit, *de proposito credendum esse poenitenti non obstante quacunque praecedenti frequentia et inconstantia eius,* demum subdit: *Si saepius proposuit emendari, et non facit, adhibenda sunt remedia convenientia.... Denique si haec non sufficerent*, INTERDUM UTILE ERIT *differre absolutionem per aliquot dies* IN QUIBUS VIGILARE COGATUR, etc. Quod idem (*De Poenit. Disp. 32. Sect. 2. n. 4.*) repetit de homine, qui constitutus in proxima necessaria occasione peccandi, iterum iterumque relabitur: *Neque est illi* (inquit) *neganda absolutio, etiamsi iterum atque iterum reincidat: maxime si aliquantulum se contineat, et numerum peccatorum paulatim diminuat, ut notavit Navarrus Cap. 3. n. 21.* INTERDUM *vero differri potest* (N. B. *potest*, non autem *debet*) *absolutio.*

ius habet saltem *per se loquendo* ad eam statim obtinendam. Nam Confessarius non est tantum iudex, sed et medicus (*a*), ideoque si

Et Sanchez (*In Decal. Lib. 2. Cap. 32. n. 45.*): *Si poenitens id non multum aegre ferat, et speretur, non ob id retrahendum a confessione, sed potius id fore medicinam, erit* CONSILIUM *differre absolutionem maiori suavitate possibili adhibita; si autem oppositum speretur, non erit consilium.*

Filliuccius (*l. c. q. 10. n. 320.*): *Remedia sunt frequens confessio, eleemosyna... Si haec non prodessent,* UTILIS *esset dilatio absolutionis per aliquot dies.*

Gregorius Sayrus (*l. c. n. 8.*): ALIQUANDO *tamen saluberrimum est* CONSILIUM, *ut recte notant Medina, Petrus de Aragon., Emman. Rodriguez, et Ludovicus Lopez, non prius absolvere, quam, etc.*

Palaus (*l. c. n. 6.*): EX CONSILIO *poterit sacerdos absolutionem differre, si iudicat dilationem profuturam.*

Bonacina (*l. c. n. 7.*): *Non videtur deneganda absolutio poenitenti, qui firmum habeat propositum abstinendi in futurum ab huiusmodi iuramentis... Addo... differri absolutionem posse, quoties confessarius iudicaverit, hoc expedire saluti poenitentis.*

Azorius (*l. c. q. 4.*): *Etsi absolutio simpliciter deneganda non est, videtur tamen ad tempus differenda, ut operae aliquid interim in id conferat; nisi iusta alioquin causa subsit, qua statim a peccatis absolvi debeat.*

Reginaldus (*l. c. n. 87.*): *Salubre* CONSILIUM *est absolutionem differre tali, ut sic inducatur a recidivo cavere, invigilando attentius.*

Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 14. n. 166.*): *Denique* ALIQUANDO UTILE *erit differre absolutionem per aliquot dies, etc.*

Card. Toletus (*Lib. 3. Cap. 18. n. 3.*): *In his* UTILE CONSILIUM *est differri absolutionem, integra audita confessione, donec appareat emendatio aliqua.*

Et haec quidem praxis est, adversus quam tanto ardore dimicavit Ioan. Sancius (*Disput. Selectae, etc. Disp. 9. a n. 11.*), contendens, non quidem indiscriminatim absolvendos poenitentes, etiamsi de dispositione eorum dubitari possit, prouti quidam perperam ipsi affingunt, sed, generatim loquendo, inanem esse spem maioris fructus, qui ex dilata absolutione illius, qui est dispositus, exspectetur, atque adeo consilium differendi huic poenitenti absolutionem communiter non esse salubre. Unde ulterius inferebat, quod cessante ista dilationis causa, praevalet ius poenitentis ad absolutionem, adeo ut cum sacerdos, adversariis fatentibus, immediate possit absolvere, eo ipso ad id non differendum teneatur. — Verum haec non impugnant reipsa praemissum DD. principium; nam et hi ultro consentiunt unanimiter, non adhibendam esse eam medicinam, quando obfutura potius quam profutura videatur; utrum vero aliquando expediat ob fructum inde sperandum, quaestio est ad prudentiam pertinens, de qua mox A. disserit. Verumtamen quandoque id prodesse posse, non videtur contra tot DD. sententiam esse negandum.

Illud unum proderit advertere, quosdam paucos ulterius progressos contendisse, confessarium non modo posse absolutionem differre, sed ad id teneri. Verum isti aut aequivocatione, dum *dispositum* nominant, laborant, aut certe contra communem sententiam id affirmant. Medium quodvis nunquam necessarium dici potest, nisi sit unicum. Porro quod cum *poenitente iam disposito ad absolutionem* medium unicum, quo cogatur ad quidpiam exequendum, sit absolutionis dilatio, hoc hypothesim nimis inverisimilem redolet.

(*a*) De officio medici vide quae superius ex Card. De Lugo advertimus (*in not. ad n. 605.*).

iudicet tale remedium animae poenitenti notabiliter (*a*) profuturum esse, eo poterit prudenter uti. — *Ita expresse S. Lig. n. 462, et in Praxi Confess. n. 76. — Lacroix, n. 1764.*

Dixi, saltem *per se loquendo;* quia si absolutio differri nequeat sine incommodo poenitentis, statim concedenda est: poenitens enim tunc ius strictum ad eam statim obtinendam habere censetur. — *S. Lig. ibid., et alii communiter.*

622. — III. Absolutio omnino neganda est in omni casu, etiam extremae necessitatis, poenitentibus *certo* indispositis. Poenitentibus vero *dubie* dispositis absolutio neganda est extra casum gravis necessitatis; in eiusmodi autem necessitate absolutio sub conditione impertiri potest, imo etiam debet. — *S. Lig. n. 431. et 432.*

623. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An saepe expediat differre absolutionem poenitenti sufficienter disposito, remedii aut experimenti* (*b*) *causa?*

(*a*) Quam gravis debeat esse causa, propter quam confessarius hoc remedio, alioquin non necessario, sed mere utili, cum poenitente disposito utatur, clare intelligitur ex iis, quae superius (*n. 499. et 500.*) disputata sunt. Ibi enim vidimus ex communi DD. sententia tam grave esse absolutionis beneficio quempiam invitum privari, ut dilatio ultra unam vel alteram diem iuxta Suarez, Viva, Renzi, Fagundez, Herincx, aliosque apud Salmanticenses (S. Alphonsus *Lib. 6. n. 490.*) sufficientem causam praebeat, cur poenitens aut naturale praeceptum non infamandi proximum in re gravi, aut divinum praeceptum de confessionis integritate posthabere licite queat: *quia* (ut ait Lugo *De Poenit. Disp. 16. n. 416.*) *gravis res est per triduum esse in statu peccati; quod merito timere potest, cum sit difficile habere verum actum contritionis; quare non parum faciet, si propter famam proximi per biduum differat confessionem.* Quinimo S. Alphonsus non modo bidui, sed et unius diei dilationem nimiam censuit. *Sed mihi,* inquit (*l. c.*), *videtur, durum esse ei, qui est in mortali, manere sine absolutione etiam per diem; et huic non videtur dissentire Antoine* (*Cap. 2. q. 13. resp. 3.*), *ubi dicit, absolute non teneri ad expectandum, qui est in statu culpae mortalis.* Quocirca si absolutio, ut subiicit A. cum communi DD. sententia, differenda non est, quando dilatio cadat in poenitentis haud leve incommodum, facile patet, quanta cum cautela ac prudenti sobrietate hoc remedium adhibere Confessarius debeat.

(*b*) Ad experimentum potius quam ad remedium pertinere videtur, quod absolutionem confessarius differat ob dubium non quidem de futura constantia in aliqua obligatione implenda, sed de praesenti poenitentis voluntate; quo spectare ex parte videntur, quae habet Lugo (*De Poenit. Disp. 14. n. 167.*), ubi, nemine forte e Doctoribus ipsum praecedente, quaestionem instituit: *An aliquando cum confessarius posset credere probabiliter poenitenti dicenti se hic et nunc habere dolorem et propositum, possit tamen ad* MELIUS PROBANDUM *et confirmandum illud propositum differre absolutionem per aliquot dies.* At frequentissima experientia suadet, hanc viam in eum scopum minus idoneam existere, ac prorsus parum prodesse. Idque confirmat ratio. Quisquis enim semet et confessarium decipiat affirmando, se eam voluntatem habere, quam reipsa non habet, hic patienter quidem feret, seque continebit, quousque absolutionem consequatur, non secus ac alii semet et confessarium decipientes per aliquod tempus ante paschalia festa a consuetis peccatis temperant, turpes amicitias parumper interrumpunt seu potius suspendunt, etc., ut mox absolutionem facilius

Resp. Solutio quaestionis a variis circumstantiis pendet; attendendum autem praecipue est ad maius poenitentis bonum.

Hinc 1° Nunquam differenda est absolutio, quando dilatio magis obfutura praevidetur. Constat ex dictis. 2° Nec differenda est, si ex dilatione poenitens notam infamiae subiret (*a*). 3° Raro differenda est absoluto poenitenti disposito, nisi ipse dilationem sat facile acceptet; secus enim difficilius ipsi prodesset. Caeterum *certa regula statui nequit* (*b*); et si quando dilatio aliqua absolutionis

carpant; at quod sola absolutionis dilatio voluntatem illam, quae forte prius deesset, induxisse putetur, atque adeo certior confessarius fiat de praesenti poenitentis dispositione, nihil est quod solide suadeat.

(*a*) Superius (*n. 621.*) A. iam dixerat, idem praestandum esse, si differri absolutio sine poenitentis incommodo non possit, ut v. gr. si carere sacramento diu debeat, vel confessionem apud alium repetere, vel longi itineris onus subire, vel notam sin minus infamiae, saltem admirationis, aut suspicionem negatae absolutionis incurrere, aut occasionem lucrandae indulgentiae amittere, etc.

(*b*) 1. Ita sapienter S. Alphonsus; cum enim poenitens in casu supponatur dispositus ad gratiam in sacramento recipiendam; hoc autem immensum beneficium differri non debeat nisi propter maiorem quandam poenitentis utilitatem; iudicium desumi debet a proportionato exitu, qui ex dilatione expectari queat; cumque hoc iudicium pendeat a prudenti consideratione omnium adiunctorum, valet hic proinde illud veterum, quod *de particularibus non datur scientia,* atque idcirco nulla certa regula tradi potest. *Expedire* (inquiunt Salmantic. *De Poenit. Cap. 5. n. 68.*) *hic et nunc, abstrahendo a circumstantiis, certo determinare non possumus, cum ex pluribus pendeat, quae facile pro subiectorum varietate variantur; unde illis mature pensatis, ad prudentum spectabit arbitrium, hic et nunc absolutionem impendere, vel ad tempus differre...*

2. Indicare tamen S. Alphonsus non omittit, quandonam, generatim loquendo, maioris huius utilitatis exitus sperari vix possit. Sic enim ipse (*Lib. 6. n. 463.*): *Ut meum hic iudicium proferam, dico, quod si poenitens relapsus sit ob causam seu fragilitatem intrinsecam, ut accidit in peccatis pollutionis, delectationis morosae, odii, blasphemiae, et similium;* RARO *puto differendam absolutionem recidivo sufficienter disposito... Dixi, raro; nam regulariter censeo, non esse discedendum* A SENTENTIA COMMUNI, *quam tradunt Sanchez Dec. Lib. 2. Cap. 32. n. 45., Laym. c. 4. n. 10., Lugo Disp. 14. n. 166., Fill. Tr. 7. Instruct. C. 3., Abelly De Poenit. C. 5. S. 20. n. 3., Dicast. D. 10. dub. 29., Nav. C. 3. n. 21., Croix n. 1822. cum communi, ut asserit, Salm. C. 5. n. 68., Sporer C. 2. n. 330., Tol. Lib. 5. c. 13., nempe non esse differendam absolutionem poenitenti, qui relapsus est ex intrinseca fragilitate; quia in tali poenitente magis sperandum, profuturam fore gratiam sacramenti, quam dilationem absolutionis.* Ex quo contextu concludere quis posset, quod si S. Alphonsus, dum suum iudicium profert, nonnihil discedit *a communi sententia,* non discedit ut ad benigniorem, sed ut ad rigidiorem viam declinet. Significat enim a communi sententia se in eo discedere, quod *aliquando,* licet *raro,* eiusmodi recidivis differendam absolutionem dicat, cum communis sententia, ipso attestante, non differendam doceat. Et huc sane revocare quis poterit illa eiusdem S. Alphonsi (*n. 460.*) verba: *Puto, nequaquam errare eum, qui se dirigit cum sententiis communiter receptis ab huiusmodi doctoribus non humilis notae.*

3. Quod vero paulo aliter sentiat de iis, qui proxima aliqua peccandi occasione implicantur, melius explanandum infra recurret. Illud unum ad-

expedire videtur, ad breve tantum tempus fieri debet, v. gr. ad tres, quinque, octo dies, etc. Interdum ubi facile fieri potest, ab-

vertere nunc liceat, B. Alphonsum dum (*n. 464.*) multis confirmare studet id, quod dixerat, relabentibus ex fragilitate intrinseca regulariter non differendam esse absolutionem, propterea quod sperandum sit, *magis profuturam gratiam sacramenti, quam dilationem absolutionis*, in eam rem attulisse haec quoque Salmanticensium verba *ex Tract. De Poenit. Cap. 5. n. 68.: Cur de peccatore non habente gratiam per dilationem, quam de constituto in amicitia Dei per absolutionem melius sperandum est?* Porro Salmanticenses id reipsa de relabentibus non ex mera intrinseca fragilitate, sed etiam ex occasione peccandi, a qua separari vel physice vel moraliter non possint, prorsus affirmant; ac malunt, ut his quoque, non interposita absolutionis dilatione v. gr. ad octo dies, absolutionis beneficium gratiamque sacramenti potius bis conferas, hodie nimirum et rursus post octo dies. His consentit et Ioann. Bapt. Faure (*Dubitationes Theolog., etc. Dub. 4. Sect. 8.*): *Poenitenti disposito utilius est, caeteris paribus, Ecclesiae sacramenta bis recipere, quam semel, idest utilius est absolvi hac die dominica et etiam communicare, et iterum absolvi et communicare sequenti die dominica, quam sola sequenti die dominica id ipsum facere, non autem nunc. Gemina enim Sacramentorum susceptio maiorem in hoc saeculo gratiam sanctificantem, maiorem in futuro saeculo gloriam, et in utrumque finem copiam uberiorem auxiliorum meretur et confert.*

4. Qua de re haud inutile fuerit ea afferre, quae habet Ioan. De Dicastillo (*De Poenit. Disp. 10. Dub. 29. n. 573–578.*), ac sequuti sunt Salmanticenses: *Quid* (inquit) *si variis mediis tentatis adhuc misere reincidat? Hic profecto haerent non pauci, et fateor me haesisse non raro. Quod enim dicunt aliqui, differendam esse illis* aliquoties *absolutionem, donec aliqua appareat emendatio, id experientia compertum est non raro nocere, nisi fiat interim dum melius instruitur et cogitatur de re tota iuxta ea, quae dixi Disp. 6. dub. 21.* Ubi adverte, illud, quod dicit, *dum melius instruitur*, et, ut inferius habet, *dum melius disponitur*, hoc nimirum esse, quod prae oculis habuit P. Gury, dum paulo post subdit, interdum *utile esse, absolutionem differre ad unum diem, vel ad paucas horas, etc.*, quando scilicet scopus dilationis non est, ut poenitens difficultatem tandem vincat, v. gr. in restituendo, in condonanda offensa, in petenda venia, in destruendo libro vel pictura turpi, etc., sed ut pia aliqua meditatione, ferventioribus precibus, aut aliquo pietatis seu misericordiae opere melius se disponat, et sacramenta maiori cum devotione atque uberiori cum fructu recipiat.

5. Adverte etiam quod Dicastillus ait, *experientia compertum esse, dilationem non raro nocere.* Equidem Cardenas (*Cris. Theol. Part. 4. Disp. 39. Cap. 2. n. 12.*) contrarium putat esse concludendum allata historiola cuiusdam feminae, quae *dilationem cum magna indignatione accipiens, discessit; sed die sequenti rediit contritione et lacrymis plena, dicens: Si caeteri confessarii sic mecum egissent, non ego tandiu perstitissem in depravatis moribus.* Verum hocce argumentum prope puerile dixeris; et occurret nobis S. Alphonsus, inquiens (*n. 464.*): *Quot miseros ipse cognovi, qui ob denegatam absolutionem se deiecerunt in desperationem, et per plures annos a sacramentis aversi aberrarunt!*

6. Cur autem dilatio *non raro noceat*, hanc quoque rationem addit Dicastillus: *De caetero praecise dilatio raro prodest, et saepe nocet..., et Confessarii experiuntur non semper bene succedere, imo saepe male. Sic enim multi Confessarium mutant, ut iam nova series remediorum incipiat, et pro primis vicibus beneficium absolutionis accipiant; cum quo si postea non succedat, mutant, et pergunt ad alium, redintegrando etiam ab initio causam et litem.*

solutionem etiam ad unum diem, vel ad paucas horas differre utile erit.

—

7. Rediens deinde ad eorum methodum, qui *aliquoties* tantum putant absolvendos eiusmodi poenitentes: *Sed quid* (inquit) *faciendum, si, licet non adeat alium confessarium, nec confessionem per annum omittat, sed eundem iterum ac saepius consulat, petatque absolvi, nulla tamen appareat emendatio? An iste sic reiiciendus est? An potius aliquando absolvendus? Sane si nunquam absolvatur per totum annum, ea non absolutio quid poterit prodesse,* SI ALIOQUIN ILLE CAPAX EST HIC ET NUNC, quando accedit? Nam si non sit capax, nulla est quaestio, sed certum est, non esse absolvendum. Quod si CAPAX EST, QUANDO ACCEDIT, *et* aliquoties *putetur pro medicina neganda absolutio, cur toties et non saepius? Aut cur, si semper est capax, non semper illi confertur, maxime si iam experimento notum sit, non esse illi valde molestum aliquoties absolutione privari? Unde illud remedium non video, quid commodi possit tunc habere; imo potius incommodi, dum privatur gratia sacramenti, et auxiliis, quae intuitu illius rite suscepti dari solent, alioquin non danda. Propter haec et similia raro* (*fateor*) *utendum iudico praedicto remedio negandae absolutionis; durumque mihi semper videtur, poenitentem, alioquin capacem tantae gratiae, illa privare. Nec tantum aestimo prodesse illum metum sive molestiam negatae absolutionis, quantum auxilia gratiae et gratiam ipsam absolutionis impensae, seclusa convenientia temporis accepti ad melius instruendum et disponendum, ut iam dixi.*

8. Quod vero haec dicat Dicastillus de relabentibus ob peccandi occasionem, necessariam quidem, sed proximam, patet ex immediate sequentibus (*l. c. n. 576.*): *In hoc ergo negotio, quando iustae et rationabiles causae non tollendi praedictam occasionem subsistunt, etiam si saepius reincidat poenitens, nec cogendus est illam tollere occasionem, nec privandus absolutione, etiam saepissime recidivus; quin potius hortandus, ut saepe veniat ad confessionem, aliaque media adhibenda, quae spectato personae statu et opportunitate, prudenti Confessario expedire videantur, in quo vix, imo ne vix quidem possunt aliquae certae regulae assignari.*

9. Rationem autem horum (*ibid. n. 577.*) sic reddit: *Haec doctrina sic, quantum a me fieri potest, declaratur. Vel illa absolutio tunc est neganda propter frequentiam peccandi, vel propter occasionem non vitatam. Non propter hoc ultimum, quia non tenetur hic et nunc, ut supponimus, vitare; non propter illud prius, ut probat discursus factus, quia illa negatio absolutionis vix potest prodesse, nisi forte rarissime, magisque proderit frequentia Confessionis, et frequens beneficium absolutionis. Ergo ex nullo capite erit neganda,* SI ALIOQUIN SIT CAPAX POENITENS.

10. His demum, quae et Salmanticenses (*l. c.*) adoptarunt, rem concludit (*n. 578.*): *Sicut ergo in peccatis, in quibus nec moraliter nec physice potest occasio tolli, ut contingit in peccato mollitiei, potius Doctores et usus Confessariorum habet iniungere frequentiam confessionis apud eundem Confessarium, quam venientem absolutione privare; sic in his peccatis, in quibus si non physica saltem moralis impossibilitas avertendae occasionis reperitur, non videtur exigendum remedium separationis occasionis, nec remedium denegandae absolutionis, cum hoc sacramentum Christus instituerit non solum ad delenda praeterita, sed ad praecavenda futura peccata. Negata vero absolutione, vel* (*quod idem est in praesenti*) *dilata, negatur sacramentum, atque adeo remedium a Christo institutum contra futura peccata. Quis autem unquam vidit, oportere privare aegrotum, alioquin capacem remedii, optimo et maximo remedio ad sanandum vulnus, ut vulnus sanetur? Itaque concludo, vix oportere uti, quando poenitens est capax absolutionis, huiusmodi remedio, nisi forte quando*

624. — Quaer. 2° *An requiratur certitudo de dispositione poenitentis, ut absolvi possit?*

per breve tempus differatur absolutio, ut adhuc perfectius, si id speratur, disponatur ad accipiendam... absolutionem...; raro enim ex mera dilatione absolutionis potest sperari correctio. Et sane non video, cur melius (quae sunt verba prius a Salmanticensibus, et dein a S. Alphonso transcripta) *sperandum sit de peccatore tantum attrito, atque adeo non habente gratiam et amicitiam Dei ante collatam absolutionem, quam de illo ipso iam constituto in amicitia Dei per absolutionem collatam. Quod si accesserit non iam attritus tantum, sed contritus, multo magis mihi videtur durum et absonum, amicum Dei et amantem illum super omnia non iam propter peccata praeterita, sed propter metum futurorum beneficio sacramenti et absolutione privare.*

11. Quod autem de Salmanticensium verbis, id ipsum adverti potest de verbis *Ritual. Romani,* quae S. Alphonsus (*n. 464.*) itidem affert, ut evincat, regulariter non differendam esse absolutionem relapsis ex intrinseca fragilitate, et sunt eiusmodi: *In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut saepe confiteantur.* Nam nulla hic distinctio habetur, num ex intrinseca tantum fragilitate, an vero impulsu quoque alicuius proximae, quae vitari nequeat, occasionis quis relabatur; nec idem *Rituale* horum alterutrum inter eos recenset, quibus deinde dicit aut negandam absolutionem, aut differendam.

** Huic *Notae*, quae alioquin tantum non tota est in referendis aliorum sententiis viginti columnas (*Pag. 768–778.*) VV. opponunt, et quidem stilo satis ferventi exaratas. Sed revera non multis opus est, ut eorum querelis satisfiat.

Primo igitur vehementer VV. (*Pag. 769.*) indignantur, quia in *Nota n. 2.* dicitur, quod ex contextu S. Alphonsi quispiam concludere posset, S. Alphonsum, *si nonnihil discedit a communi sententia, non discedere, ut ad benigniorem, sed ut ad rigidiorem viam declinet.* Et subdunt, 1° *nullum lectorem sensatum et attentum fugere posse, in ista propositione nonnisi constructionem minus correctam esse, et vocem* regulariter, *quae ad secundam partem propositionis pertinet, sive ex lapsu calami, sive ex errore copistae* (sic) *aut typographi, in primam translatam fuisse.* — 2° Addunt (*Pag. 770.*) *P. Ballerini bene nosse, quae S. Alphonsus dicit in textibus immediate praecedentibus, et quomodo in Op. Hom. Apost., et Praxi Confessarii doctrinam suam explicet:* et hinc iudicare quemque posse, *utrum eiusmodi agendi ratione Theologo haud digna, Ballerinius tum veritatis tum B. Alphonsi iura servaverit.* — 3° Denique argumentum sumunt (*Pag. 770.*) ex eo, quod in *Causa Beatificationis* S. Alphonsi *Promotor fidei* obiecit, *doctrinam S. Alphonsi circa recidivos nimis esse benignam, nempe ordinarie loquendo magis prodesse consuetudinariis, recidivis, et occasionariis, absolutionem eis impertiri, cum dispositi accedunt,... contra mentem Alexandri VII. et Innocentii XI.*

Resp. Mirum videri cuipiam merito poterit, tanta VV. percelli indignatione potuisse hac demum de causa, quod credere quis potuerit, S. Doctorem, si quando nonnihil discedendum a communi sententia censuit, in rigidiorem potius, quam in benigniorem viam declinasse. Quid enim? Nonne in hac ipsa quaestione de differenda, nec ne, absolutione poenitentibus alioquin rite dispositis, S. Doctor, ut mox videbimus, a sententiis, quas ipse *communes* appellat et *probabilissimas,* abscedit ad strictiorem opinionem propendens? Quare ergo solum per absurdum quis existimare potuit, etiam in textu controverso S. Doctorem *saltem nonnihil* a communi sententia recessisse? Immo vero, cum textus controversus clare hunc sensum praeferat (neque id VV. negare potuerunt), curnam adeo absurdum po-

Resp. 1° Non requiritur certitudo *absoluta*, nec etiam certitudo moralis *stricta*, qualis requiritur in aliis Sacramentis, v. gr. circa

terat apparere, sententiam, quam perspicue textus praeseferebat, S. Doctori attribuere, ut *insensatus* et *dormitans* censeri debeat, quisquis corruptam syntaxim non suspicaretur? Et parum sane perpendisse VV. videntur, in quosnam demum recidat *gravis illa lectoris insensati et dormitantis* nota. Equidem incipiendo ab Editione anni 1757., quae dicitur *prima veneta post duas neapolitanas* usque ad novissimas aetatis nostrae Editiones, iste S. Doctoris textus sic in omnibus legitur. Ergone quotquot Opus morale S. Doctoris per saeculum et ultra legerunt, quin et diligentissime in ipsius doctrinas inquisiverunt, hos omnes *insensatos* et *dormitantes* habebimus, quippe qui tam enorme sphalma in textus syntaxi non animadverterunt? Patienter id ferat et egregius P. Haringer VV. contubernalis; nam et ipse, qui Ratisbonensem Editionem an. 1846 curavit, suisque Notis illustravit, hanc syntaxeos perversionem nihil est suspicatus, atque adeo *insensatus* et ipse, ac *dormitans lector* audire debebit. Sed non plura ad 1.

Ad 2. Resp. Nego, *ex praecedentibus immediate textibus* ita manifeste patere, in controverso textu haberi praedictum syntaxeos sphalma, ut soli *insensati* et *dormitantes* illud non viderint. Nam (*Lib. 6. n. 463.*) S. Doctor, praemissis duabus de proposita quaestione sententiis, duo mere subdit: primum: *melius dicendum, quod certa regula in hoc statui non potest;* alterum, *ut meum hic proferam iudicium, dico etc.* Quid autem ex his eruitur, ut sphalma illud in oculos incurrat? Imo cum S. Doctor suum *iudicium* videatur quodammodo opponere duabus, quas praemiserat, sententiis, altera vero ea sit, quam VV. adscribendam esse S. Doctori hic contendunt, iam praecedentes textus oppositum potius insinuare possunt. — Neque dicant VV. (*Pag. 769.*), inter Auctores a S. Doctore allegatos *pro communi sententia* neminem esse, qui doceat, *relapsis ex intrinseca fragilitate satis dispositis absolutionem nunquam esse differendam,* a quibus idcirco S. Doctor putet, raro esse discedendum. — Resp. 1° Inter eos habes Laymann, Filliuccium, Navarrum, et Toletum, ex quorum testimoniis nihil extundes. 2° Salmanticenses (*Cap. 5. n. 68.*) non tractant de solis recidivis ex intrinseca fragilitate; ergo ad rem non faciunt; quinimo de his habent illa verba: *Doctores, et usus confessariorum habet potius iniungere frequentiam confessionis apud eundem confessarium, quam venientem absolutione privare.* Sporer vero cum aliis a S. Doctore citatus clarissimis verbis (*Cap. 2. n. 330.*) haec habet: *Absolvendus erit poenitens toties quoties serio proponit imposterum emendare, et omnino abstinere, dummodo Confessarius prudenter credat, eum vere proponere, ac serio loqui.* Quod ergo tam fidenter asserunt VV., non est verum.

Quod vero VV. addunt, *indignam esse theologo rationem agendi,* atque *tum veritatis tum S. Doctoris iura indigne violata fuisse,* propterea quod B. Alphonsi doctrina clarius erui poterat ex Opere *Hom. Apostol.*, et ex *praxi Confessarii;* omittatur nunc, num per hanc collationem excludatur sensus, qui *ex Opere morali* resultat; omittatur etiam, num omnia S. Doctoris scripta, immo an omnes eiusdem operis partes, omnino eandem semper sententiam praeferant, quod sane sat difficile erit asserere, ac tueri; sed scitari liceat: Satisne discrete agitur cum lectoribus *Operis moralis* B. Alphonsi, si ab ipsis exigatur, ut ad singulas sententias aut opiniones onus sibi assumant in omnia S. Doctoris Opera et Opuscula inquirendi, secus notam et incriminationem contracturi *indignae theologo agendi rationis,* ac *violati in veritatem ac S. Doctorem iuris?* Haec quoque patienter a suis consodalibus ferat egregius, quem laudavimus, P. Haringer, qui curans Editionem *Operis Moralis* notas subinde addidit ex aliis Opusculis desumptas, nec tamen controverso textui ullam Notam subiecit.

en um ad consecrationem Eucharistiae. Ratio est, quia Sacramentu. Poenitentiae fere certius eiusmodi iudicium non admittit.

Quid quod a contumeliosis illis incriminationibus ne S. Doctor quidem immu is evadit? Nam noverat ipse sane, quae vel in *Hom. Apost.* et *Praxi Confessarii* scripserat; *Opus suum Morale* pluries ipse diligenter recensuit. Quid est igitur, quod controversum textum, qui, ut dictum est, in omnibus Editionibus, etiam primis, eodem modo legitur, intactum semper servavit? Num ipsum quoque S. Doctorem ceu *insensatum* aut *dormitantem* VV. traducent?

Ad 3. denique Resp. *Transeat Antecedens, et Nego Consequentiam.* Dixi, *Transeat antecedens*, quia neque ex *Promotoris fidei*, neque ex *Defensoris* verbis argumentum aptum sumi potest ad dubium de controverso textu solvendum. Dixi, *Nego Consequentiam;* et rationem sibi VV. habeant in iis, quae in causa *Doctoratus* B. Alphonsi contigisse constat. Equidem in Summario additionali et semel et iterum accusatur P. Ballerini, quod in quadam Dissertatiuncula S. Doctorem Alphonsum sacrilego et blasphemo scommate ceu *hominem non sanae mentis* traduxerit: quod tamen ex mera hallucinatione sibi e calamo excidisse, ipsi VV. fassi sunt. Hinc vero arguatur, quid ponderis *defensorum* dictis subinde tribuendum sit. Et haec satis sint quoad VV. obiecta contra n. 2.; nam alioquin ad scopum eorum, quae ibi dicuntur, parum refert, num S. Doctor discedat, nec ne, nonnihil a communi sententia.

Quoad alias praemissae *Notae* partes, impetunt VV. (*Pag. 773–776.*) per septem columnas id, quod de Salmanticensibus dicitur (*n. 10.*), hos nempe illa adoptasse, quae ex Dicastillo ibi afferuntur. Nam postquam tres solidas columnas fere abs re impleverunt Salmanticensium textibus, concludunt (*Pag. 774–775.*), Salmanticenses mediam tenere viam inter Thomam Hurtadum, et Dicastillum, et neutram sententiam approbare. *P. Ballerini* (aiunt *Pag. 775.*) *affirmat, quod Salmanticenses sententiam Dicastilli sequantur; sed oppositum manifeste patet ex textu allato.*

Subiiciamus itaque hunc textum (*De Poenit. Cap. 5. n. 68.*): *Quamvis absolute remedium differendi absolutionem valde placeat Thomae Hurtado...; e contra Dicastillus asserit, hoc acre remedium experientia compertum esse, non raro nocere, nisi fiat interim ad horam, vel tempus, dum poenitens melius instruitur, vel aliquid iuxta prudentiae regulas praescribitur, magisque* SAEPIUS *prodesse,* NON IMMERITO *censet frequentiam confessionis, et frequens beneficium absolutionis; et sicut in peccatis, in quibus nec physice potest occasio penitus tolli, ut contingit in peccato mollitiei, potius Doctores et usus Confessariorum habet iniungere frequentiam confessionis apud eundem confessarium, quam venientem absolutione privare: sic in istis peccatis, in quibus si non physica, saltem moralis impossibilitas avertendae occasionis reperitur,* FREQUENTIA POTIUS, QUAM DILATIO, SAEPIUS IUVABIT AEGROTUM ALIOQUI REMEDII ABSOLUTIONIS CAPACEM, *cum Christus sacramenta instituerit, non solum ad delenda peccata praeterita, sed ad praecavenda futura.* PRAETEREA *cur de peccatore tantum attrito, atque adeo non habente gratiam et amicitiam Dei ante collatam absolutionem, quam de illo ipso iam constituto in amicitia Dei per absolutionem collatam,* ET SACRAMENTA FREQUENTANTE PERSAEPE, *melius sperandum est?* Ita Salmanticenses. Nunc quaero: Numquid hi non approbant Dicastilli doctrinam, dum scribunt: NON IMMERITO CENSET etc.? Numquid non indicant approbationem ea verba, maiusculis hic litteris notata, quae ad vim addendam Dicastilli sententiae Salmanticenses supplent? Quomodo ergo VV. affirmare non dubitant, *oppositum* MANIFESTE PATERE *ex textu allato?*

Afferunt VV. *(Pag. 775.)* verba *Notae (n. 3.)* de Salmanticensibus, quod nempe *malunt, ut his quoque non interposita absolutionis dilatione v. gr.*

Resp. 2° Requiritur et sufficit iudicium prudens, seu certitudo moralis *lata,* quae, ut ait *S. Alphonsus,* prudenti probabilitati aequivalet. Poenitentes enim communiter nonnisi probabilitatem dis-

ad octo dies, absolutionis beneficium gratiamque sacramenti potius bis conferas, hodie nimirum, et rursus post octo dies : tum subdunt : *Sed de hac re Salmanticenses ne verbum quidem habent: et cl. Prof. ipsis tribuit, quod P. Faure dicit in suis dubitationibus.*

Resp. In *Nota* Salmanticensium sententia refertur, sed non verbo tenus; secus enim de more diverso charactere fuisset notata. Sententiam autem illorum non semel, sed pluries repetitam habes, ubi laudant *frequens beneficium absolutionis,* et *frequentiam confessionis* potius, quam *absolutionis privationem,* et ubi diserte dicunt: *frequentia potius quam dilatio iuvabit aegrotum;* et demum ubi laudant *sacramenta frequentantem persaepe.*

Subdunt VV. (*Pag. 775.*): *Ab hac genuina Salmanticensium doctrina, quam modo exposuimus, nullatenus discrepat S. Alphonsus.*

Resp. *Nego suppositum,* genuinam nempe Salmanticensium doctrinam a VV. exponi, uti iam vidimus. Caeterum ad definiendum peremptorio argumento, discrepet, nec ne, a Salmanticensium Doctrina S. Alphonsi sententia, hoc unum animadvertisse sufficiat. Nam notissimum est discrimen, quod S. Doctor statuit inter absolvendum eos, qui ex intrinseca fragilitate labuntur ac relabuntur (*Vid. Not. n. 2.*), et inter absolvendos eos, qui in occasione etiam necessaria versantur: illis raro differendam esse absolutionem statuit; his vero, cum prima vice ad confessionem accedant, semper eam esse differendam, ut ipsi VV. (*Pag. 776.*) his verbis dicunt: *Declarat ergo S. Doctor, quod supposito, absolutionem commode differri posse, ipse semper eam differret poenitenti in occasione necessaria constituto, et prima vice ad confessionem accedenti.* Atqui Salmanticenses, ut ex eorum textu allato patet, ita eodem loco habent utrosque poenitentes, ut ex praxi, quae servatur cum labentibus ex fragilitate intrinseca, praxim deducant servandam cum iis, qui in praedicta occasione versantur. Manifeste igitur falsum est, S. Doctorem Alphonsum a Salmanticensium doctrina non discrepare.

Et quidem hanc falsitatem ipsi suis verbis VV. palam faciunt. Nam, ut ex allatis ipsorum verbis patet, praxis, quae S. Alphonso magis arridet, ea est, ut quoties fieri commode potest, *absolutio eiusmodi occasionariis semper differatur.* Atqui ipsimet VV., ut superius vidimus, contendunt (quamvis falso), Salmanticenses mediam viam inter Hurtadum et Dicastillum tenuisse. Ita illi (*Pag. 775.*): *Verum neutram sententiam* (*Salmanticenses*) *approbant, sed mediam viam tenent iam supra indicatam, scilicet dilationem* ALIQUANDO *expedire.* Illud igitur, VV. ipsis fatentibus, discrimen enorme inter doctrinam Salmanticensium et S. Alphonsi extat, quod inter ALIQUANDO, et SEMPER intercedit.

Illud denique VV. (*Pag. 777.*) reprehendunt, quod in *Nota* (*n. 5.*) dicitur de Cardenas: *Partim,* inquiunt VV., *nihil ad rem faciunt,* quia Cardenas ibi loquitur de consuetudinariis; *partim falsa sunt,* quia Cardenas ibi sic concludit: *Ad hoc autem magna requiritur prudentia in Confessario: nam remedia, quae aliquibus prosunt, aliis possunt nocere propter diversas infirmorum dispositiones.*

Resp. In quaestione, de qua nunc, num cum poenitente disposito prodesse magis queat impertita absolutio, an absolutionis dilatio, et quidem praescindendo ab iis adiunctis, in quibus iam constat etiam ex communi DD. sensu, quodnam praeferendum sit consilium, in hac, inquam, quaestione etiam S. Alphonsus censet, raro absolutionem esse differendam iis consuetudinariis, qui ex fragilitate intrinseca labuntur. Cum itaque Cardenas, ar-

positionis prae se ferunt.—*Ita S. Lig. n. 461* (*a*).— *Suarez, disp. 32. Sect. 2. n. 1., et alii communiter.* — Consonat *Catech. Conc. Trid. n. 60.*, ubi legitur: *Si, audita Confessione,* (Sacerdos) *iudicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvi poterit.*

625. — Quaer. 3° *Quaenam sint signa ordinaria sufficientis dispositionis?*

Resp. Praecipua sunt sequentia: 1° si poenitens candide et humiliter confiteatur; 2° si asserat cordate, se dolere de peccatis et firmum habere propositum non peccandi de caetero; 3° si omnia peccata, etiam maiora et turpia, sincere declaret; 4° si ex aliquo pio motivo ad confessionem libere accesserit; 5° si ex desiderio conversionis iam a peccato cessaverit. — *Lacroix, n. 1734.* (*b*).

---

gumento ex illa historiola petito, etiam circa hos morosiorem se prodat, a fortiori ad rem facit eius allegatio, cum de occasionariis agitur.

Quoad alteram autem reprehensionis partem, Resp. ea Cardenae verba nihil concludere. *Prudentiae* enim leges quisque pro suo iudicio fingit, adeo ut vel qui severissimi habentur, se prudentia duci putent, et profiteantur. In quam vero partem Cardenas ibi propendeat, vel ex hoc discere licet, quod cum (*n. 6.*) quaestionem ponat de eo, qui *emendationis propositum habet etiam* A CONFESSARIO COGNITUM, deinde (*n. 19.*) ut contra Sancium contendat, quod gratia sacramenti non maiores, quam dilatio absolutionis, conferat vires ad non peccandum, contra hypothesim quaestionis obiicit, quod *forsitan ob defectum propositi non est validum sacramentum.* En quid *prudentiae* nomen in ore quorundam valeat.

** (*a*) Verba S. Alphonsi (*Lib. 6. n. 641.*) sunt: *Sufficit, quod confessarius habeat prudentem probabilitatem de dispositione poenitentis, et non obstet ex alia parte prudens suspicio indispositionis; alias vix ullus posset absolvi, dum quaecumque signa poenitentium non praestant nisi probabilitatem dispositionis, ut recte docet Suarez.* Sententiam Suarezii videsis in Not. seq.

(*b*) Horum signorum pleraque omnia S. Alphonsus (*n. 460.*) recenset inter signa dispositionis *extraordinaria.*

Magis ad rem facere videntur illa Suaresii (*De Poenit. Disp. 32. Sect. 2. n. 1-2.*): *Priusquam* (*sacerdos*) *absolvat, necesse est, ut prudenter et probabiliter iudicet, poenitentem esse dispositum: quia alias se exponeret periculo errandi, et sine sufficienti cognitione operaretur. Explicandum superest, quid debeat facere Confessor, ut hoc prudenter iudicet, et suae conscientiae satisfaciat. In quo est observandum, hanc dispositionem poenitentis ex duobus consurgere, scilicet displicentia praeteritorum, et proposito in futurum. Et quidem quoad displicentiam attinet, facile sibi potest satisfacere Confessor; quia si poenitens in ipso modo confessionis et accusationis suae praebet signa doloris, vel certe si est homo non valde rudis, et apparet moratus, nullam diligentiam in hoc tenetur Confessor adhibere: bene tamen semper faciet, proponendo et consulendo detestationem peccati; et quando non habet sufficientia signa doloris, potest et debet interrogare poenitentem, an ex animo detestetur peccatum, cui affirmanti credere tenetur. Et hoc idem dicendum est de proposito in futurum, quando ex confessione non oritur specialis aliqua obligatio restituendi vel relinquendi aliquam occasionem proximam peccandi, sed solum communis et generalis obligatio non peccandi de caetero... Neque oportet, ut Confessor sibi persuadeat, et iudicet etiam probabiliter, ita esse futurum, ut*

QUAER. 4° *An Confessarius teneatur excitare dolorem in poenitente?*

Resp. 1° *Affirm.*, si poenitens non videatur sufficienter dispositus; ratio, quia absolvens indispositum, exponit Sacramentum periculo frustrationis; si vero illum dimittat sine absolutione, ipsum exponit periculo diu remanendi in statu peccati mortalis, aut etiam non amplius redeundi.— *S. Lig. n. 608.*

Resp. 2° *Neg.*, si poenitens videatur sufficienter instructus et dispositus, ut sunt poenitentes morati, et qui frequenter confitentur. Tunc enim Confessarius ad nihil tenetur, nec ratione charitatis, cum poenitens ope speciali non indigeat, nec ratione reverentiae Sacramenti, quod nulli periculo exponitur. — *S. Lig. n. 608.* — *Laymann, c. 13. n. 10.* — *Sporer, n. 792.*

626. — QUAER. 5° *Quibusnam praecipue neganda sit absolutio?*

Resp. Iuxta *Rit. Rom.* et *S. Carol. Borr.* neganda est 1° iis, qui nulla dant signa doloris, aut vitam emendare nolunt; 2° iis, qui rem alienam restituere, aut debita solvere, vel honorem aut famam laesam, aut quodlibet aliud grave damnum resarcire nolunt, cum possint; 3° iis, qui uti nolunt remediis, quae sunt necessaria ad emendationem, aut ad lapsum praecavendum; 4° iis, qui inimicitias et odia deponere, offensam condonare, vel reconciliari cum inimicis recusant; 5° iis, qui nolunt abstinere ab usura, superstitionibus, artibus et commerciis illicitis, aut a quovis opere malo; 6° iis tandem, qui occasionem peccandi proximam, cum possint, deserere nolunt, aut qui aliis occasionem praebent (*a*).

627. — QUAER. 6° *An absolvi possit debitor, antequam restituat?*

Resp. Affirm., si Confessarius deprehendat, debitorem paratum esse ad restitutionem faciendam, uti debet. Si vero poenitens aut pluries promissis restituendi non steterit, aut prudenter praevideatur propositum non servaturus, expedit, ut Confessarius restitutionem prius exigat, quam absolvat, nisi tamen aliqua gravis ratio aliter suadeat (*b*).

poenitens a peccando abstineat; sed satis est, ut existimet, nunc habere tale propositum, quamvis post breve tempus illud sit mutaturus. ITA DOCENT OMNES AUCTORES.

(*a*) Paucis haec omnia, pluraque alia, quae facile addi possent, habebis in hac regula, nempe iis OMNIBUS et solis negandam esse absolutionem, qui gravem aliquam obligationem implere renuunt.

** (*b*) In praecedenti Editione subiecta hoc loco fuerat ista Notula: *Vide de hac quaestione doctrinam S. Antonini in Not. ad n. 621.* Hoc autem loco de S. Antonino haec dicebantur: « S. Antoninus (*Part. 3. Tit. 14.* » *Cap. 19. §. 19.*) de iis disserens, qui ut alibi (*Part. 2. Tit. 2. Cap. 8. §. 3.*) » loquitur, *semper procrastinant, et annuatim reperiuntur promittere con-* » *fessori restituere, postea non faciunt*, reiecta illorum opinione (*Ibid. §. 1.*), » qui putabant, hos absolvendos esse sub conditione de futura restitutione, » et admittens sententiam Guillelmi, quod simpliciter et sine conditione » absolvi debeant, dein subdit: *Postquam Confessor perpendit, tales plu-* » *ries hoc fecisse, forte esset bona cautela talibus dicere, quod prius re-*

QUAER. 7° *An possit, imo an debeat absolvi poenitens, qui vult sequi opinionem sententiae Confessarii oppositam?*

Resp. Affirm. si sit vere probabilis, aut saltem poenitens paratus sit stare iudicio alterius docti et prudentis. — *Recole dicta de Conscientia, tom. I. n. 78.*

» *stituant, et postea veniant ad confessionem, seu pro absolutione.* » Quae quidem S. Antonini sententia id confirmat, quod habet P. Gury, expedire nempe, ut in eiusmodi adiunctis confessarius prius restitutionem exigat etc.

Haud modice pupugit VV. hic S. Antonini locus, utpote qui distare videatur a doctrina Danielis Concinae, in cuius opinionem ivit et S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 682, et Hom. Ap. Tr. 10. n. 105.*), quo postremo loco scribit: *Cum poenitens potest statim restituere, regulariter loquendo dicimus* CUM CONCINA, *quod confessarius* NON POTEST *absolvere debitorem, nisi prius restituat.* Et altero loco: *Sed mihi omnino placet secunda sententia, quam tenet* P. CONCINA, *regulariter* NON ESSE ABSOLVENDUM *debitorem, nisi prius restituat, quando ipsi restitutio est moraliter possibilis.* Proinde de praemissa *Nota* et S. Antonini allegatione VV. scribunt (*Pag. 757.*): *P. Ballerini duo loca disparata male confundit, atque male interpretatur, et S. Antonino doctrinam laxissimam supponit, quam neque hic neque alius ex veteribus theologis tradit, qui diffuse de restitutione tractant.*

Resp. In altero loco (*Part. 3. Tit. 14. Cap. 19. §. 19.*) S. Antoninus disserit generatim de illis, qui *istud, ad quod tenentur, non agunt,* sed differunt, v. gr. *restituere.* In altero autem loco (*Part. 2. Tit. 2. C. 8. §. 3.*) disserit de iis, qui, cum restituere teneantur, deberent utique parcius vivere, ut comparent quod restituant; et nihilominus id non faciunt, sed *semper procrastinant, et annuatim reperiuntur promittere confessori* etc. In altero loco igitur S. Antoninus generalem quaestionem tangit; in altero tangit casum particularem, qui sub generali quaestione continetur. Ad illud ergo, quod obiiciunt VV., in *Nota confundi duo loca disparata,* resp. *Distinguo:* disparata *situ,* Concedo; disparata *quoad quaestionem,* Nego. Caeterum satis per se patet, verba decerpta ex l. c. Part. 2.: *semper procrastinant* etc., in Nota usurpari ad indicandam generatim conditionem eiusmodi poenitentium, quam S. Antoninus in l. c. ex Part. 3. rursus indicat dicens, *tales pluries hoc fecisse* etc., non vero prout priora illa verba de speciali illo casu ibi dicuntur.

Veniamus ad incriminationem *malae interpretationis*, quae eo ipso apparet incredibilis, quod in *Nota* mere verba S. Antonini sine glossa referantur.

Sententia Guillelmi, quae in *Nota* innuitur, hisce apud S. Antoninum (*l. c. ex Part. 3.*) continetur: *Quod si sacerdos credit vel dubitat, quod confitens non aget poenitentiam, vel istud, ad quod alias tenetur, ut restituere vel huiusmodi, dicit Guillelmus, quod non debet propter hoc Confessor exigere promissionem, vel votum, vel iuramentum, sed sufficit, si* (confitens) *dicat, se habere propositum faciendi. Et sic debet absolvere simpliciter, et sine conditione, facta tamen protestatione, si suspectus habetur, quod si non faciat illud, evacuabit sibi fructum confessionis. Haec Guillelmus.* Quandoquidem porro VV. (*Pag. 759.*) dicunt, quod *S. Antoninus Guillelmo adstipulatur* (quod tamen non omnino verum est, ut mox videbimus) liceat ad hominem sic arguere: S. Antoninus adstipulatur Guillelmo docenti, quod confessarius DEBET ABSOLVERE poenitentem, si hic, citra omnem promissionem vel iuramentum, dicat, *se habere propositum faciendi,* seu restituendi, utcumque *suspectus poenitens habeatur.* Ergo doctrina S. Antonini non est doctrina Concinae a S. Alphonso adoptata; neque *mala* ulla *interpretatio* hic apparet.

Verum VV. aliud inferre ex Guillelmo voluerunt. *Manifeste ergo,* in-

§. II. *De agendi ratione cum variis poenitentium generibus.*

Agendum 1° de iis qui versantur in occasione peccati; 2° de consuetudinariis et recidivis; 3° de poenitentibus piis et timoratis.

quiunt, *supponit* (Guillelmus), *non esse absolvendum talem poenitentem, qui, facta ista protestatione, absolutionem recepit, et ad confessionem revertitur, quin restituerit.* — Resp. *Nego prorsus:* 1° quia gratis id asseritur; neque enim verba Guillelmi ullo id modo indicant aut insinuant; 2° quia nullatenus constat, Guillelmum haec de illo tantum dixisse, qui propositum praecedentis confessionis non fregerit; 3° quia obstat S. Antoninus, qui Guillelmi sententiam quasi nimis generalem aliquo modo circumscribendam seu moderandam per ea censuit, quae hic subiicimus.

S. Antoninus enim post allatam Guillelmi sententiam ita prosequitur: *Sed quia multi decipiunt seipsos, in omni confessione promittentes restituere et huiusmodi, et semper differunt; postquam confessor perpendit, tales pluries hoc fecisse,* FORTE ESSET BONA CAUTELA *talibus dicere, quod prius restituant, et postea veniant ad confessionem seu pro absolutione, vel assignare eis aliquod congruum tempus, infra quod illud debeant expedire.* Unde sic: S. Antoninus, ut manifeste significat particula adversativa *Sed,* quidpiam excipere voluit a generali Guillelmi sententia, seu pacto aliquo voluit eam moderari. Ergo aut S. Antoninus vim non est assecutus sententiae Guillelmi, aut ex S. Antonini mente qualiscumque ista exceptio seu moderatio videbatur sententiae Guillelmi apponenda. Atqui supervacua extitisset qualiscumque ista moderatio, si sententia Guillelmi id praeferret, quod VV. confingunt, nempe si ex mente Guillelmi differenda, saltem instar alicuius bonae cautelae, esset absolutio poenitenti, qui, nondum impleta restitutione, redeat. Ergo non nostra quaepiam *mala interpretatio* huc irrepsit, sed ex S. Antonini suffragio haec VV. suppositio et interpretatio est plane gratuita, et ad libitum conficta.

Interim VV. (*l. c.*) ex postremo hoc S. Antonini textu volunt deducere, ex mente ipsius *bonam cautelam esse,* ut confessarius differat absolutionem quousque poenitens reapse restituerit, aut assignet tempus congruum, intra quod illud debeat expedire, et (ut VV. subinferunt paulo post) *infra istud tempus possint eum absolvere.* — Resp. Non uno ex capite VV. sententiam S. Antonini pervertunt. Nam 1° S. Antoninus non dixit, bonam cautelam esse generatim *differre absolutionem, quousque restituerit,* sed *dicere illis, quod prius restituant;* quod supponit, id tunc ipsum prompte ac brevi fieri posse. 2° Quod VV. addunt, *tempus assignari, infra quod confessarius possit absolvere,* sensum praefert plane absurdum. Nam vel infra illud tempus supponitur id exequendum, quod poenitens agere debet, ut re peracta possit absolvi, et sic secundum hoc disiunctivae membrum recidit in primum; vel poenitens infra illud tempus supponitur absolvendus, etiamsi officium suum non impleverit, et tunc haec temporis assignatio evadit insulsa. Ergo ista temporis assignatio non spectat ad dilationem absolutionis, sed mere praefert secundum ex tribus modis, quibus S. Antoninus (*Ibid.*) praemiserat, confessorem posse aliquid poenitenti imponere, *per modum* nempe *declarationis communis obligationis.* Et hic advertendum, quod ea sententia S. Antonini non restringitur ad obligationem restitutionis, sed ad quidquid aliud, ad quod agendum quis obligetur. Unde paragraphum incipit dicendo: *Tripliciter autem confessor imponit poenitenti aliquid: uno modo per modum consilii et exhortationis.... Alio modo per modum declarationis communis obligationis... Tertio modo per specialem satisfactionem pro commissis...*

Insuper VV. (*l. c.*) lucem ad intelligendum hunc S. Antonini textum

PUNCTUM I.

De iis qui versantur in occasione peccati.

628. — Definitio. Occasio peccati generatim definitur circumstantia externa, quae sive ex natura sua, sive ex fragilitate hominis, qui in illa reperitur, ad peccandum allicit, seu inducit. Hinc differt a periculo peccandi, qua appellatione venit quidquid impellit ad peccatum sive intrinsecum illud sit, sive extrinsecum.

Divisio. Multiplex occasio distinguitur, scilicet proxima vel remota, absoluta vel relativa, voluntaria vel necessaria, praesens vel non praesens.

1° *Occasio proxima* illa est, in qua homines communiter ut plurimum peccant; *occasio* vero *remota* ea est, in qua communiter homines ut plurimum non peccant. — *S. Lig. n. 452.* (*a*).

hauriendam putant ex alio loco, nempe ex *Part. 2. Tit. 2. C. 8.* §. 3., ubi, ut diximus, agitur de iis, qui parce vivendo corrogare debent aliquid ad restitutionem faciendam, qui tamen *de eo, quod possunt, semper procrastinant, et annuatim reperiuntur promittere confessori restituere, et postea non faciunt.* — Resp. Forte quod VV. utantur hac locorum collatione, id mirum cuipiam videbitur. Nam si ideo exprobrarunt nobis, quod sumendo aliqua verba ex hoc Partis 2ae loco, *male loca disparata confundebamus*, quomodo nunc non dubitant ipsi ad hunc locum recurrere, quasi iam cessent pro ipsis esse loca disparata? Caeterum cum in casu de eiusmodi adiunctis agatur, ut non possit confessarius dicere, ut supra, *quod prius restituant*, S. Antoninus regulam illam generalem sic hisce adiunctis applicat disiunctive, videlicet quod *non videantur absolvendi, nisi prius faciant*, idest manum operi admovere incipiant, *vel disponant efficaciter negotium ut habeat executionem*, idest efficaciter statuant rem executioni mandare, ac de modo id agendi aliquid definiant: quibus, uti patet, negandi absolutionem non imponit necessitatem. Unde a sua generali norma S. Antoninus non discedit.

Concludamus: utique inter se manifeste differunt doctrina S. Antonini, et doctrina Concinae. Hic statuit, quod regulariter confessarius NON POTEST absolvere, nisi prius poenitens restituerit, neque distinguit, utrum alias id confessus, proposita deinde, ac promissa sin minus pluries, saltem aliquando non servaverit. S. Antoninus contra solum de iis, qui pluries propositum seu fidem fregerint, docet FORTE ESSE BONAM CAUTELAM (quae verba consilium potius, quam normam semper ac necessario servandam praeferunt) alterutro uti remedio, aut imponendi videlicet ut prius restituant, et deinde veniant pro absolutione, aut praefigendi tempus, intra quod negotium debeant expedire, ne scilicet rem de more in tempus incertum differentes, tandem, sicut prius, eo deveniant, ut re adhuc infecta ad confessionem postero anno redeant. Et VV. quidem, ut vidimus, non dubitant *Notam* incriminari, quasi S. Antonino *supponat doctrinam laxissimam*, cum tamen mere S. Antonini verba referantur. At forte mirum non est, quod S. Antonini doctrina videri laxissima queat prae doctrina Concinae, quem S. Doctor Alphonsus *rigidissimum* appellare non dubitavit.

** (*a*) Contra hanc definitionem VV. (*Pag. 942. n. 140.*) opponunt haec S. Alphonsi (*Hom. Ap. Tract. ult. n. 1.*) verba: *Quidam AA. volunt, non esse occasionem proximam nisi eam, in qua homo fere semper, vel ut plu-*

2° *Occasio absoluta*, seu *per se* ea est, quae per se est inducens ad peccatum, atque adeo talis est respectu ad homines communiter sumptos; *occasio relativa*, seu *per accidens*, illa est, quae licet non sit occasio respectu aliorum, est tamen talis respectu alicuius, spectata eius fragilitate.

rimum ceciderit; sed communior et verior sententia docet, occasionem proximam esse illam, in qua frequenter quis peccavit. Allegant dein etiam *Lib. 6. n. 452.*

Resp. Binas definitiones S. Doctor hic reiicit; nam, ut semet ipse interpretatur, quando unam partem vocat *veriorem*, oppositam non habet ut probabilem.

Veruntamen quoad primam forte erit, qui dubitet, num S. Doctor satis assecutus sit, quo sensu ea definitio usurparetur. Hunc sensum habemus apud Lugo (*Disp. 14. n. 149.*), ubi scribit: *Occasionem proximam aliqui dicunt definiri a Gregorio* in C. Negotium De Poenit. Dist. 5., *scilicet qua non possumus, vel certe non possumus sine difficultate uti absque peccato. Hoc tamen indiget moderatione. Nam Leo Papa* in C. Qualitas 2. et C. Contrarium 3. De Poenit. Dist. 5. *ait, negotiationem aut militiam non posse nisi difficillime exerceri absque peccato; et tamen certum est, non obligari mercatorem aut militem ad relinquenda haec officia; unde* Luc. 3. *S. Ioannes Baptista non consuluit militibus relinquere militiam, sed observare leges illius status. Alii ergo addunt, occasionem proximam esse, qua nunquam vel fere nunquam utitur homo, consideratis circumstantiis absque peccato, ut qui detinet concubinam domi.* Ex quibus satis deducitur, non haberi hic rationem frequentiae lapsuum, ex qua definiatur, an alicui haec sit occasio proxima, sed quaeri, quaenam circumstantiae dicendae sint proxima occasio, quaecumque demum frequentia lapsuum assignetur, ut vere *proxima* dici queat.

Quoad alteram vero definitionem, utique S. Doctor verba *ut plurimum* referre videtur ad lapsuum frequentiam respectu hominis, qui in ea occasione versetur. Verum contextus S. Doctoris aliqua non caret difficultate. Nam eodem illo loco (*Hom. Ap. Tr. ult. n. 1.*), quem VV. obiiciunt, S. Alphonsus paulo ante sic proximam occasionem definit: *Proxima, per se loquendo, est illa, in qua communiter ut plurimum deficiunt.* Unde Gury definitionem suam ex S. Alphonso *ad verbum* sumpsisse videtur. Quomodo itaque conciliatur, quod S. Alphonsus videatur reiicere definitionem, quam ipsemet eodem loco tradit?

Item in alio loco (*Lib. 6. n. 452.*) S. Doctor scribit: *Occasionem proximam alii definiunt esse illam, in qua creditur poenitens nunquam vel raro a peccato abstinere.* Quae definitio forte eo sensu videtur accipienda, quem supra ex Lugo retulimus. Pergit S. Doctor: *Sed haec definitio non placet; melius dicendum cum Sanchez, Holzm., Lugo, Suarez, Collet, Wigandt, Croix, Viva, P. Segneri, quod occasio proxima* per se *est illa, in qua homines communiter ut plurimum peccant.* En igitur S. Doctor rursus eam definitionem adoptat (*melius dicendum*, ait), quam reprobare alibi videtur. Quomodo haec facile concilientur?

Et utique etiam hoc loco dum definit occasionem proximam *per accidens*, dicit: *Vel quia hic in illa occasione, etsi non fere semper, nec frequentius, frequenter tamen cecidit:* sed iam eadem hic videtur occurrere difficultas. Nam hic vox *frequenter*, cum opponatur voci *frequentius*, subindicat, ad proximam occasionem constituendam necesse non esse, ut iste in ea occasione pluries peccet, quam non peccet. Et cum haec ita sint, quomodo iam componuntur cum praecedenti definitione, proximam occasionem esse illam, in qua homines *ut plurimum* peccant? Nam *ut plurimum* profecto non dicitur de iis, qui pluries a peccato abstineant, quam peccent.

3° *Occasio voluntaria* ea est, quae facile dimitti potest; *necessaria* vero ea est, quae physice vel moraliter non potest removeri.

4° *Occasio praesens,* seu *in esse,* ea est, quam quis secum habet, quin eam actu quaerat, v. gr. si domi teneat concubinam, vel cum ancilla peccare soleat; *occasio non praesens,* seu *non in esse,* ea est, quam quis non habet quidem in actu, sed facile reperit, ut est caupona relative ad ebriosum, amasia respectu amasii.

629. **Principia.** — I. Non est deneganda absolutio poenitenti in occasione *remota* constituto, etiamsi eam deserere nolit. Ratio est, 1° quia ea non inducit periculum proximum peccandi mortaliter; 2° quia nimis dura obligatio poenitenti imponeretur, cum plerumque tales occasiones moraliter vitari nequeant. — *S. Lig. Hom. apost. tract. ult. n. 2. et seq.*

II. Nunquam absolvendus est poenitens, qui recusat deserere occasionem proximam voluntariam peccati, sive occasio illa sit proxima *per se,* sive *per accidens,* sive *in esse,* sive *non in esse.* Constat ex proposit. 61. damnata ab *Innocentio XI.,* quae sic se habet: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione versatur, quam potest et non vult deserere; quin imo eam directe et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.*

III. Poenitenti autem, qui in occasione proxima necessaria versatur, non potest absolutio denegari ob istam occasionem, si aliunde dispositus deprehendatur, et remediis praescriptis uti velit. Ratio est, quia nemo tenetur ad impossibile sive physice sive moraliter, et aliunde occasio peccandi non est *per se* peccatum, nec in necessitate peccandi hominem constituit. — *S. Lig. n. 453.*

630. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An poenitens, qui promittit sincere, se derelicturum esse occasionem peccandi proximam, possit absolvi antequam eam deseruerit?*

Resp. 1° *Affirm. per se,* si agatur de occasione *non in esse,* quando poenitens, ut supponimus, est vere dispositus; periculum vero infringendi propositum non apparet grave (*a*).

Dixi, *per se,* quia si circumstantiae conatum aliquem requirant, v. gr., in fugiendo aliquo socio, aut non adeunda in certis quibusdam circumstantiis temporis, personarum, etc. aliqua domo, tunc

Equidem non dubitaverim, haec S. Doctoris loca, quae inter se pugnantia videntur, posse apte conciliari, praesertim si prae oculis habeatur sensus, quo vidimus cum Lugo ab aliis occasionem proximam definiri; cuius tamen sensus nullum vestigium seu mentionem apud S. Doctorem reperio. Illud tamen satis est manifestum, S. Doctoris honori ac reverentiae melius VV. consulturos, si antequam aliena carpant, paulo diligentius in doctrinam eiusdem S. Doctoris inquirant.

(*a*) Grave aliquod periculum impendere posset ex circumstantia alicuius conatus necessario adhibendi, quo occasio vitetur, ut statim A. advertit. Quando vero haec difficultas absit, et periculum imminere videatur solum ex humana fragilitate aut inconstantia, vide doctrinam Suaresii superius (*in not. ad num. 625.*) relatam.

ad Confessarii prudentiam pertinebit perpendere, an expediat, ut prius poenitens difficultatem vincat.

Resp. 2° *Neg. generatim loquendo,* si agatur de occasione praesente seu *in esse,* quae facile dimitti statim possit. Si tamen poenitens det signa extraordinaria doloris, adeo ut credi possit, abesse periculum inconstantiae in proposito, absolvi poterit, praesertim si accedat rationabilis causa, v. gr. notae in omittenda Communione, solemnitatis, indulgentiae, etc.— Idem ex mente *S. Alphonsi* dicendum est, si poenitens ad eumdem Confessarium redire non possit, vel saltem nonnisi post diuturnum tempus. Tunc enim, ait S. Doctor, non solum absolvi potest, sed ad absolutionem recipiendam ius habet.

631. — Quaer. 2° *An possit absolvi, qui existens in occasione necessaria remediis adhibitis eodem semper modo relabitur?*

Resp. 1° Negari forte posset suppositum (*a*). Vix enim fieri potest, ut remediis adhibitis emendatio aliqua non sequatur, si haec opportuna et circumstantiis congrua proponantur.

(*a*) S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 457.*) prima fronte videtur negare, hunc poenitentem absolvi posse. Verum ex contextu patet, eum id asserere cum Croix, *quando nulla spes adest emendationis,* nempe ut ait Croix (*Lib. 5. n. 261.*) a S. Alphonso citatus, *cum quis nullo modo potest facere, ut cum occasione externa non sit coniunctum periculum formale peccandi,* et, aliis verbis, *nullo modo potest facere, ut proximum periculum evadat remotum.* Haec porro hypothesis illa est, quam A. merito negandam dicit, tamquam absurdam; nam quando remedia apte suggerantur, et fideliter usurpentur, posset imo relapsus reddi moraliter impossibilis, v. gr. si quando de peccatis externis agitur, fideliter vitetur conversatio solius cum sola.

Quod vero S. Alphonsus (*l. c.*) post Croix (*l. c.*) videatur impugnare Card. De Lugo, aliosque ibi allegatos, existimandum non est, hosce auctores aut de absona illa hypothesi disputasse, aut docuisse, poenitenti semper eodem modo relabenti nunquam deesse debitam dispositionem. Quinimo idem S. Alphonsus (*n. 457. in fin.*) demum recidit in Lugonis sententiam, quam insuper *communissimam* appellat, nimirum absolvi eum poenitentem posse, si cum vero dolore et proposito accedat. Sic enim etiam Lugo (*De Poenit. Disp. 14. n. 158.*): *Adhuc post experientiam illam nullius profectus potest stare dolor verus et propositum requisitum absque voluntate auferendi occasionem cum tanto detrimento. Ergo potest absolvi poenitens; nihil enim aliud requiritur, nisi confessio cum dolore et proposito.* Quod vero stare etiam tunc possit verus dolor cum requisito proposito, etiamsi occasio perseveret, sic docet (*n. 455.*) idem S. Alphonsus: *Communiter affirmant doctores, non teneri poenitentem occasionem dimittere, si aliter grave damnum passurus sit, dummodo interim sit paratus uti mediis praescriptis... Ratio, quia occasio peccandi non est in se peccatum, neque affert necessitatem peccandi; quapropter bene potest cum ea consistere vera detestatio peccatorum, et firmum propositum non relabendi, et adhibendi debita remedia.* Quod autem eiusmodi dolor et propositum haberi queat etiam post praecedentem inconstantiae experientiam, et S. Alphonsus ipse, ut supra vidimus, supponit, et res ipsa clamat. Quorsum enim, ut poenitens efficacius resistat, absolutionem suspenderes, si impossibile credis huiusmodi propositum? Sed adi ipsum Card. De Lugo (*Disp. 14. n. 158-159.*), et nullius momenti ea apparebunt, quae S. Alphonsus ex vana Croixii hypothesi obiecit.

Resp. 2° In casu adhibenda foret regula generalis, quam *S. Ligorius* (*a*) proponit cum Auctore operis, cui titulus: *Istruzione per i novelli Confessori*, nempe Francisco Giordanini e Congregatione

** (*a*) Bene monent VV. (*Pag. 605. in not.*) S. Doctorem Alphonsum nihil habere de ista regula generali, neque in hunc finem praefatum Auctorem allegasse. **.

Caeterum quae hic a P. Gury dicuntur, directe impetunt opinionem, quam Claudius Croix (*contra plurimos*, ut ipse fatetur *Lib. 5. n. 261.*) tamquam verisimiliorem defendit, et in quam quasi *veriorem* inclinat et S. Alphonsus, nimirum in casu quempiam teneri ad occasionem deserendam *etiam cum iactura omnium bonorum fortunae, famae et vitae:* pro qua insuper falso allegat nonnullos auctores *apud Io. Sanchez*, ut ait, et *Stoz*, quorum tamen neuter reipsa quidpiam horum habet.

Profecto sive cum eodem Croix chimaericam hypothesim fingas hominis, qui *nullo modo facere possit, ut cesset periculum proximum*, sive melius de eo loquaris, qui ideo in eadem peccata iugiter relabitur, quia ex fragilitate etiam usum mediorum intermittit; semper verum erit, istam Croixii opinionem nec rationi consonam esse, nec prudenter ad praxim deduci posse.

Et sane poenitens utique ex lege naturae tenetur ad vitandum proximum periculum. At vero cum id obtineri duplici modo possit, nempe vel utendo mediis opportunis, ut periculum (uti aiunt) fiat remotum, vel removendo seu fugiendo occasionem; poenitens ex lege naturae ad alterutrum tantummodo tenetur. Quo ergo iure Confessarius hoc illi potius imponet, quam aliud? Num quidquam aliud, ut vidimus cum Lugo (*sup. not. ad n. 605.*), nisi quod necessarium sit, potest Confessarius praecipere?

Praeterea cum manifestum sit, non posse nec debere poenitenti id imponi, quod, utpote ad exequendum difficilius, censetur moraliter impossibile, numquid vero facilius erit subire discrimen *bonorum omnium*, ut ait Croix, *tum fortunae, tum famae, tum etiam vitae*, quam remedia quaepiam ad minuendum peccandi periculum usurpare?

Insuper si iuxta evidentem Ven. Pauli Segneri rationem Confessarius praeferre id debet, quod poenitentem a peccandi periculo magis removet, nunquam profecto eligere id poterit, in quo poenitens certius est peccaturus. Nunquam ergo Confessarius prudenter illud praeferet, quod improbabilius videri ad exequendum debet. Atqui nonne improbabilius speratur fuga occasionis cum tanto discrimine, quam mediorum ad minuendum periculum usus opportunus? Et mirum sane, quod Croix (*l. c.*) ostendat, nihil se permoveri Pallavicinii, quem allegat, ratione, nempe quod si obligatio imponatur occasionem cum tanto discrimine vitandi, hanc ordinarie poenitens violabit, nec occasionem deseret; unde id unice imprudens Confessarius consequetur, ut certam occasionem praebeat plura adhuc patrandi peccata!

Caeterum etiamsi indiscreta illa obligatio non imponatur, alia tamen via praesto est Confessario, cum interim possit, ubi res postulet, suspendere absolutionem, quo poenitens ad opportuna media adhibenda efficaciter permoveatur. Ut enim inquit Ioann. Sancius (*Disp. 10. n. 10.*), *iudicium ferri debet de his tamquam de habentibus consuetudinem peccandi, non tamquam de habentibus occasionem; cum in eorum electione situm non sit eam vitare.* Et siquidem in poenitente moralis aliqua diligentia appareat, valebit regula Suaresii (*De Poenit. Disp. 32. Sect. 2. n. 4.*), quod *neque est illi deneganda absolutio, etiamsi iterum atque iterum reincidat, maxime si aliquantulum se contineat, et numerum peccatorum paulatim diminuat: quod notavit Navarrus Cap. 5. n. 21. Interdum vero differri potest absolutio, et maior aliqua poenitentia vel cautio adhiberi.*

Missionis presbytero, qui opus suum Romae edidit ann. 1726, rursus deinde Romae recusum anno 1841. Eiusmodi autem regula est (Op. cit. Part. 1. C. 10. n. 244.), ut mature perpendatur, utrum in praxi difficilius sit occasionem removere, quam vitare peccatum,

Illud etiam addendum est, quod si Confessarius poenitentem reperiat fragilem adeo atque etiam inconstantem in mediis adhibendis, ut eum minus dispositum ad absolutionem ob defectum efficacis propositi iudicare debeat, adhuc imprudenter ab homine tam fragili, infirmo, et imbecillo id exiget, quod difficilius ac moraliter impossibile illi est; multoque imprudentius rigide ac dure eum a se reiiciet; sic enim hoc unice consequetur, ut poenitens desperabundus peccatis profundius immergatur. Contra vero charitas, benignitas, et patientia in eo saepe excipiendo, et audiendo hoc saltem obtinebit, ut nec penitus diabolo deseratur, nec media ac preces omnino abiiciat, nec via illi praecidatur, qua consiliis et hortationibus iuvari possit, aditumque ad reconciliationem sciat semper sibi facilem patere; prouti scilicet Doctores agendum monent, ubi disserunt de confessionibus meretricis, usurarii, aliorumque huiusmodi, qui non sunt sufficienter dispositi, sed emendationis seu melioris vitae desiderium aliquod minus efficax, seu velleitatem tantum habent. Nec sane in casu oblivisci confessarius debet sententiam, qua Suaresius (*De Relig. Tr. 5. Lib. 3. c. 8. n. 7.*) de hoc argumento concludit: *Nec huiusmodi humanae infirmitates efficacius curari ab homine possunt.*

** Contra hanc et proxime praecedentem *Notam* quatuor et triginta columnas (*Pag. 603-620.*) VV. congerunt, seu potius ingenti rerum inutilium farragine replent. *Inutilium,* dixi; quippe rei cardinem vix aut ne vix quidem attingunt. Et percommodam sane viam se ab difficultatibus expediendi VV. tenuerunt, ubi (*Pag. 620.*) scribunt: *Rationes intrinsecas, quas P. Ballerini pro sua sententia affert, speciatim confutare omittimus, ne laborem supervacuum subeamus; satis enim omnes istas rationes ad nihilum redigit praemissa explicatio doctrinae, quam tenet S. Alphonsus.*

Atqui hoc prorsus falsum est. Et sane rationes istae *intrinsecae,* quae in Nota indicantur, paucissimis hisce continentur: 1. *Poenitens utique ex lege naturae tenetur ad vitandum periculum proximum. At vero cum id obtineri duplici modo possit, nempe vel utendo mediis opportunis, ut periculum fiat remotum, vel removendo seu fugiendo occasionem; poenitens ex lege naturae ad alterutrum tantummodo tenetur. Ergo confessarius non potest illi hoc potius imponere, quam illud.* Et ratio est, quia Confessarius non est legislator, atque adeo, excepta satisfactione sacramentali, non potest poenitenti quidpiam praecipiendo imponere, ad quod poenitens quapiam alia lege non teneatur. Porro quaero: numquid in *explicatione,* quam VV. praemittunt, *doctrinae S. Alphonsi*, aliquid occurrit, quo hoc principium forte convellatur? Immo num putabit quispiam, hoc principium ostendi falsum posse?

Aliud principium est: *Manifestum est, e duobus mediis, quibus finis obtineri possit, non posse nec debere poenitenti illud a Confessario imponi, quod, utpote ad exequendum difficilius, censetur moraliter impossibile. Atqui difficilius est subire discrimen* bonorum omnium, *ut ait Croix,* tum fortunae, tum famae, tum etiam vitae, *quam remedia quaepiam ad minuendum peccandi periculum usurpare.* Ergo.

Accedit confirmatio ex animadversione Ven. P. Segneri, quae quoddam est praemissi principii consectarium. *Confessarius videlicet praeferre id debet, quod poenitentem a peccandi periculo magis removet, atque adeo nunquam eligere id poterit, in quo poenitens certius est peccaturus. Ergo nunquam confessarius prudenter illud praeferet, quod improbabilius videri ad exequendum debet. Atqui improbabilius speratur fuga occasionis*

occasione praesente, an vero facilius. Si difficilius sit occasionem auferre, decernatur, moraliter impossibile esse eam removere. Et hanc quidem normam sumpsit, ut ipse Auctor fatetur, ex Opere Ven. Pauli Segneri, cui titulus: *Il Confessore istruito* (*Cap. 5.*),

cum tanto discrimine (bonorum omnium, scilicet, tum fortunae, tum famae, tum etiam vitae), *quam mediorum ad minuendum periculum usus opportunus. Ergo.*

Porro in tota illa *explicatione doctrinae S. Alphonsi*, ad quam lectorem VV. remittunt, ne verbum quidem de his habent, nedum respondere aliquid conati sint. Hoc unicum licebit cernere, quod rationem a Ven. Segneri allatam infirmare student (*Pag. 619.*), afferendo haec eiusdem verba, quae leguntur paulo post textum hic allatum: *In dubbio attenetevi qui sempre alla parte più rigorosa, perciocchè questa, come abbiamo veduto, è la più favorevole al penitente.* Quae, uti patet, ad rem non faciunt, quia regula ab eodem Ven. Auctore proposita, et superius inconcussis rationibus confirmata, nequaquam ad casus dubios spectat. Ergo ad intrinsecas praemissas rationes reipsa nihil VV. respondent, utcumque se respondisse fingant; quo quidem artificio sane misero ad contrarias rationes eludendas S. Alphonsus usus est nunquam, et certissime credimus, nunquam usurum fuisse.

In *explicatione* itaque *doctrinae S. Alphonsi,* quam VV. per sex columnas (*Pag. 608-610.*) praemittunt, illud unum ad rem facit, quod conentur ostendere, non esse chimaericam hypothesim, sic a Croix descriptam (*Lib. 5. n. 261.*): *Cum quis nullo modo potest facere, ut cum occasione externa non sit coniunctum periculum formale peccandi*, seu aliis verbis, *cum quis nullo modo potest facere, ut proximum periculum evadat remotum.* Quam quidem hypothesim in *Nota* diximus *absurdam,* quando videlicet *remedia apte suggerantur, et fideliter usurpentur.*

Ut falso haec dici evincant, duo exempla VV. proponunt, quorum tamen alterum (*Pag. 610.*), e Cardenas desumptum, non est ad rem. Proponit nimirum Cardenas (*Part. 4. Diss. 40. n. 145.*) casum *mulieris concubinae, quae si resistat libidini complicis, illam certissime e domo expellet; quo facto, prae fame peribit.* Dixi, hoc exemplum ad rem non esse; ubinam enim hic locus aliquis ad adhibenda remedia, quibus *periculum fiat remotum,* quando haec unica optio ei datur, ut aut peccet, aut domo expellatur, fame peritura? Perinde scilicet est, ac cum Matthathiae optio data est, ut aut carnes porcinas manducaret, aut mortem subiret. Et si quidem huc demum spectaret hypothesis Claudii Lacroix, omnis abesset sane controversia. Verum Lacroix (*l. c.*) asserit, pro sententia opposita stare Auctores *gravissimos*, quos infra etiam dicit *plurimos,* et in fine permittere quoque praxim contrariam videtur, inquiens: *Qui primam benigniorem sententiam volet defendere, legat Vindicias Gobat.* Ergo prorsus alia est Lacroix hypothesis.

Et ad hanc palam pertinet aliud exemplum, quod VV. (*Pag. 608.*) fingunt, *adolescentis* scilicet, *qui sui iuris non est, et perdite amat coniunctam, cum qua in eadem domo habitare cogitur. Pluribus peccatis cum ipsa commissis, conscientiae stimulis agitatus, ad confessionem accedit. Confessarius occasionem hanc necessariam esse agnoscens* REMEDIA CONSUETA *ipsi praescribit, in primis ut solus cum sola versari evitare studeat. Poenitens nihil praescriptorum omittit, fideliter solus cum sola esse evitat; sed non evitat complex, quae industriose eum inquirit, et blanditiis ac sollicitationibus eo perducit, ut denuo misere cadat et peccet, sin minus consummatis, saltem imperfectis actibus, aut consentiendo interius. Redit ad confessarium, qui in adhibendis remediis nullatenus negligentem absolvere non haesitat. Redit iterum, atque iterum eodem modo recidivus*

ubi haec habentur: *Il precetto di fuggire l' occasione è stato imposto dalla legge naturale per diminuire i peccati, non per accrescerli. Adunque quando il togliere l' occasione è più difficile in pratica, che non è difficile, posta l' occasione, l' evitare effettivamente*

Non peccat, praeterquam si a complice inquiritur ac sollicitatur, ita ut sensu strictissimo vera sit suppositio: eodem semper modo. *At denique confessarius... absolutionem ipsi differt. Redit poenitens, veruntamen denuo eodem modo recidivus.* Exinde VV. concludunt: *Habes ergo sensu strictissimo casum, quem ponit S. Alphonsus, et non remanent nisi duae quaestiones: 1. An in hoc casu spes emendationis adsit, et 2. Quid confessario agendum sit.*

Resp. Confessarius, ut aiunt VV., *consueta remedia praescripsit.* At quaero: cur omisit quaedam alia remedia, utique minus consueta, sed circumstantiis admodum opportuna? *Poenitens,* inquiunt, *nihil praescriptorum omittit, fideliter solus cum sola versari evitare studet; sed non evitat complex.* Et infra: *Non peccat, praeterquam si a complice inquiritur ac sollicitatur.* Verum de B. Thoma legitur: *Mulierem etiam, quae ad labefactandam eius constantiam introducta fuerat, titione fugavit.* Curnam itaque confessarius adolescenti non suasit, ut scelestam feminam, quam sibi laqueum, ac funestam aeternae damnationis causam iam probe agnoscit, verbis etiam acerbis prius frustra monitam, adhibito demum titione fugaret? Et sin minus titionem ad manum haberet, alapis et calcibus eam exciperet? Quis enim nescit, hoc remedii genus, si caetera non proficiant, et a viro cum procaci femina, et a femina cum viro procaci opportunissime et non raro adhiberi, ac porro adhibendum?

Verum, quod magis mirabile est, VV. denique in sententiam, quam videntur impugnare deveniunt. Nam postquam perperam finxerunt, confessarium omnia remedia adhibuisse, ac porro ab omni emendationis obtinendae spe excidisse, ac denique adolescenti serio indixisse nullam salutis spem ipsi superesse, nisi domum paternam deserat; ipsum adolescentem exhibent ita comparatum, ut de aeterna sua salute sollicitus *aut domum paternam relinquat, aut extrema tentaturus, omnes vires ac nervos contendens, atque ferventius solito et ex toto corde divinam opem implorans sollicitationi complicis resistat, et tandem victor in hoc certamine existat.... Imo etiamsi haec sana consilia non statim iniret, nihilominus vigil conscientia in peccatis marcescere ipsum non sineret, nec clamare cessaret, donec alterutrum opere impleverit.* Ita quidem VV. (*Pag.608–609.*).

Atqui 1° ex his iam plane colligitur, *chimaericam* igitur et *absurdam* esse hypothesim Croix de poenitente, qui *nullo modo possit facere, ut cum occasione externa non sit coniunctum periculum formale peccandi:* aut aliis verbis, *qui nullo modo possit facere, ut proximum periculum evadat remotum.* Nam ipsimet in hoc casu, quem alioquin ita exhibent, ut nulla spes emendationis affulgeat, supponunt, adolescentem, ferventiori studio assumpto, ita posse *sollicitationi complicis resistere, ut tandem victor in hoc certamine existat.* Ergo fatentur, fieri posse, ut adhuc perseverante occasionis praesentia, periculum proximum, adhibitis opportunis remediis, evadat remotum. Ergo repugnantia dicunt, dum et nullam spem adesse emendationis, et nihilominus sperandam morum mutationem asserunt.

2° Ergo concedunt, praedicto adolescenti non esse necessario *deserendam domum paternam;* sed *alterutrum* illi eligendum esse, ut aut firmiori voluntate ad tentationes vincendas opportuna media adhibeat, aut certe ab occasione, paternam domum deserendo, fugiat, siquidem adhibendi media curam ac laborem nolit assumere. Nam alioquin, ut optime VV. (*Pag.608.*) scribunt, *certum est hunc poenitentem sollicitationi resistere posse, et non resistere propter defectum propositi; nemini enim aliqua mandata, divina*

il peccato, non vi può essere obligazione di toglierla: altrimenti si accrescerebbe il pericolo di raddoppiare la colpa per quei medesimi mezzi, che sono prescritti dalla legge a distruggerla.

PUNCTUM II.

De consuetudinariis et recidivis.

632. — *Consuetudinarius,* prout distinguitur a *recidivo,* iuxta recentiores dicitur ille, qui contraxit habitum alicuius peccati, in quod tamen nondum post confessionem sit relapsus. — *Recidivus* vero vocatur ille, qui habitum contraxit, et post confessionem in idem peccatum relabitur. — *S. Lig. n. 457.* (*a*).

adiuvante gratia, servare impossibile est. Ergo, contra ipsos concludere est, si a proposito deficiat, inde causa petenda est, quod opportuna media aut non ipsi a confessario suggerantur ac praescribantur, aut ipse fideliter non usurpet.

Hinc vero consectarium contra opinionem, quam Croix praefert. Nam si poenitens ad alterutrum tantummodo tenetur, et obligationi suae satisfacit, si e duabus viis evadendi peccati periculum alterutram eligat, ac teneat; ergo non potest confessarius alteram earum determinatam praecipiendo imponere: ac multo minus debet aut potest eam praescribere, quae ad exequendum cum sit difficilior, certiori, ut aiebat Segneri, peccati periculo poenitentem exponit.

Ex his vero facile se prodit responsum ad textus Auctorum, quos VV. (*Pag. 610-617.*) per tredecim columnas congerunt. Obligatio nimirum, quam urgent, occasionem deserendi, intelligenda est *conditionata,* nimirum quando poenitens animum non inducit opportuna imo et necessaria adhibere remedia, quae periculum e proximo efficiant remotum.

Conqueruntur, imo et graviter reprehendunt (*Pag. 607.*) VV., quod hypothesis a Croix conficta dicatur *absurda* et *chimaerica,* praxis vero consequenter ad absonam illam hypothesim ab eodem proposita, illud nimirum a poenitente exigendi, quod iuxta Segneri verba certiori peccandi periculo illum exponit, dicatur *imprudens, indiscreta, et rationi non consona*, quando eam etiam S. Alphonsus praetulit, cuius tamen virtutes atque adeo *prudentiam* gradum heroicum attigisse iam declaratum est.

Resp. ad 1. Ipsi VV., ut superius vidimus, hypothesim illam explodunt, falsamque esse probant, dum eam tutari velle videntur. Quoad 2. quomodo in primis VV. evincent, S. Doctorem eam praxim laudare, quando ob eius difficultatem prae aliorum mediorum usu poenitentem in certius peccandi periculum inducit? Sed deinde hoc argumenti genus evidenter nimis probat. Equidem superius (*Vid. Not. ad n. 627. Q. 6.*) vidimus, in hoc *prudentiae* negotio, quando scilicet quaestio est de differenda, nec ne, absolutione poenitenti, qui nondum restituendi obligationi satisfecit, S. Antonini doctrinam a doctrina S. Alphonsi diversam. Et cum utriusque virtutes ac porro etiam prudentia in gradu heroico declaratae fuerint, quin et S. Antoninus *in explicandis consiliis tantae dexteritatis fuerit, ut communi elogio* ANTONINUS CONSILIORUM *diceretur,* ut habet Breviarium romanum, quonam haec pacto conciliari poterunt?

(*a*) Auctor has definitiones tribuit *Recentioribus;* quia reipsa tantum recentiorum quorumdam fuit eiusmodi inter *consuetudinarium* et *recidivum* distinctio, ut prior dicatur, qui habitum contraxit alicuius peccati, quod nondum confessus sit (addunt habitum contrahi per actum quinquies

REGULAE

633. — I[a] *Regula. Consuetudinarius* quilibet absolvi semper potest, etiam *prima vice*, qua pravum habitum confitetur, etsi nulla emendatio praecesserit, modo hanc serio proponat, et poenitentiae signa, quamvis *ordinaria* tantum, ostendat. — *S. Lig. n. 450, et alii communiter* (*a*).

in mense repetitum), alter vero, qui semel post contractum talem habitum confessus, in eadem peccata relapsus fuerit (*Vid. S. Alph. Prax. Confess. n. 70–71.*). Quae quidem sensu aliquo admitti forte poterunt, sicut et quod *recidivus* appelletur, qui post confessionem in peccatum etiam diversae speciei relabatur, ut cum nonnullis voluit quidam Franzoia, qui *Medullam Theologiae moralis Hermanni Busembaum* Notis suis deturpavit potius, quam illustravit. Verum *theologica acceptione intelligitur a Doctoribus frequens reincidentia in eadem peccata post multas confessiones absque ulla emendatione,* ut ait Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 14. n. 166.*), vel, ut habent Salmanticenses (*Tr. 17. Cap. 2. n. 167.*), *Quaestio est de eo, qui saepius admonitus in eodem semper statu permanet, nihil ex parte sua curae apponendo, ut ad meliorem frugem redeat.* Et Gobat (*Theol. Experim. Tract. 7. Cas. 16. n. 518.*): *Quando Theologi morales tractant de recidivis..., loquuntur solum de iis recidivis, qui idem peccatum mortale pergunt committere etiam post propositum emendationis, postque plures confessiones, ut exprimit Ioann. Sanchez, Lugo, Lessius, Filliuccius.* Et Ven. P. Segneri (*Crist. Istr. p. 3. disc. 22.*): *Intendo di ragionare d'un'altra razza di recidivi, e sono coloro, che dopo la confessione tornano subito alla medesima colpa senza veruna emendazione e senza veruno studio per emendarsi.* Et Ludovicus a Granata eosdem describit, *qui ubi primum scelera sua hoc tempore confessi fuerint, in eadem protinus relabuntur, neque de prava consuetudine et licentia iurandi, peierandi, mentiendi, detrahendi, maledicendi, maleprecandi, atque concupiscendi quidquam remittunt, nec ullum virtutis ac pietatis officium amplectuntur, sed iidem permanent, qui antea fuerant.* Ita sanctissimus vir apud Andreucci, qui ex sententia communi DD. (*In Opusc.* Confessarius Recidiv. §. 1. *in Append. ad Vol. 2. Medullae Busembaum. Romae 1844. Typ. Prop. Fid.*) tria haec ad recidivum acceptione theologica constituendum requiri colligit: 1° *frequentem relapsum post plures confessiones;* 2° *relapsum in eadem specie peccata;* 3° *defectum omnis, etiam inchoatae, emendationis.*

Quocirca consideratio de *consuetudinario,* qui *recidivus* hoc sensu non sit, spectare huc solummodo potest, quando quis forte per plures annos a confitendo abstinens, et vi contracti habitus in eadem peccata frequenter recidens, indiget peculiari confessarii cura, utpote ea consuetudine laborans, quae (ut ait Suarez *De Relig. Tr. 5. Lib. 3. c. 8. n. 7.*) *quodam modo transiit in naturam:* de eiusmodi enim consuetudine, ac porro de huius emendandae difficultate Theologi inquirunt, non de nuperius a recentioribus excogitata.

Facilis vero ratio patet, cur prae oculis habenda sit haec inter Scholae Theologos et nonnullos recentiores diversitas in tradendis *consuetudinarii* aut *recidivi* notionibus. Semel enim ac constet, diversimode has notiones a Theologis accipi, ac ab istis recentioribus, manifesto apparebit, diversum esse apud utrosque disputationis subiectum, ac propterea perperam pro theoriis novae notioni superstructis auctoritatem ac suffragium invocari Theologorum, qui de alio subiecto disputabant, licet utrique iisdem utantur vocabulis.

(*a*) Est contra Iuvénin, et illum Ludovicum Habert, qui propter suam in oppugnanda Constitutione *Unigenitus* pertinaciam ex Academia Sorbo-

II^a *Regula.* Neganda autem est absolutio consuetudinario, si media a Confessario prudenter proposita et ad consuetudinem vincendam necessaria adhibere recuset. Ratio est, quia eo ipso non vult sincere corrigi, quamvis asserat se velle vitam mutare; et proinde est simpliciter indispositus (*a*).

634. — III^a *Regula. Recidivus* praebens *extraordinaria* seu specialia signa doloris, *toties quoties* absolvi potest. Ratio est, quia per signa doloris extraordinaria quaevis prudens tollitur suspicio, quam praecedentes lapsus, etsi frequentes, inducere potuerunt, et Confessarius prudenter iudicare potest, poenitentem satis esse dispositum. — Dixi *absolvi potest,* non autem necessario debet; Confessarius enim potest absolutionem in hoc casu differre, si dilationem poenitenti utilem futuram esse iudicaverit, licet ordinarie magis expediat, ut non differatur (*b*). — *S. Lig. n. 460, et Prax. Confess. n. 76.*

635.— IV^a *Regula. Recidivus,* etiam sola contritionis signa ordinaria (*c*) praebens, absolvi potest et generatim debet, *quoties absolutio non potest facile differri.* Ratio est, quia ex una parte absolute iudicari potest sat dispositus ex signis ordinariis; et ex alia parte adest gravis ratio eum absolvendi, ne diu permaneat in statu peccati mortalis; sed Confessarius antequam talem absolvat, curam adhibebit, ut eum ad recipiendum beneficium absolutionis melius ac certius disponat (*d*).

nica expulsus, Blesis in exilio 7. Aprilis 1718. infeliciter interiit. Hi cum nonnullis aliis exigunt, ut vera conversio per vitae emendationem prius probetur; secus enim, ut inquit Iuvénin in damnatis suis *Institutionibus Theologicis* (Vid. Indic. librorum prohibitorum Romae, an. 1744. V. Iuvénin, et Edit. Recentior. ad V. *Institutiones Theolog.*) *De Poenit. Diss. 5. Cap. 5. art. 1., moraliter certum est, affectum ad peccatum mortale in iis reperiri.* In quibus vides duo male confundi, nimirum inclinationem quandam in malum seu melius facilitatem quandam alicuius potentiae ad suos actus, et deliberatum ad peccatum mortale affectum. Et exinde sane probaretur, omnes ad peccatum mortale affectos, atque adeo absolutionis beneficio semper esse indignos; quippe, ut Scriptura loquitur (*Gen. 8. 21.*), *sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.*

Contra istos S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 459.*) urget illa verba Catechismi Romani (*De Sacram. Poenit. n. 60.*): *Si audita confessione iudicaverit (sacerdos) neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvi poterit.* Et subdit: *Nota* omnino defuisse. Et utique in rem haec optime quadrant. Illud tamen inquirendum cuipiam videbitur, curnam ea Catechismi verba, quae generalissima sunt, aeque non valeant, etiam cum poenitens post confessionem in eadem peccata relapsus fuerit, sed gratis ad unicum hunc casum constringantur.

(*a*) Haec pertinent ad doctrinam generalem, de qua (*sup. n. 626.*) dictum est, absolutionis eum esse incapacem, quisquis certam ac gravem aliquam obligationem implere renuit.

(*b*) Vide quae fusius de hoc argumento superius (*n. 621.*) dicta sunt.

(*c*) Superius (*Not. ad n. 625.*) advertimus, *ordinaria* ab A. fere ea signa dici, quae S. Alphonsus *extraordinariis* accenset.

(*d*) De necessaria hac in Confessariis cura, *vide Notam ad seq. num. 637.*

636. — V* *Regula. Recidivus* rediens cum eodem pravo habitu, ***nullo adhibito conatu, nulloque impleto medio*** ex iis quae a Confessario praescripta sunt, non potest absolvi, nisi signa ***extraordinaria*** doloris ostendat. Ita S. Ligorius (*a*): *Tertia sententia commu-*

(*a*) Quod A. pro hac doctrina solum S. Alphonsum alleget, non fortuito factum dixerim. Nam (et haec ideo tantum dicta fuerint, ut sua historiae et veritati iura serventur) multos quidem (*l. c.*) ipse affert auctores, nec dubitat, sententiam hanc suam appellare *communem*. At enim 1° plerique ex iis, quos hic allegat, iidem illi sunt, quos superius (*in not. ad n. 621.*) habes allegatos, *Sanchez* nimirum, *Suarez*, *Palaus*, *Bonacina*, *Azorius*, *Sayrus*, *Hurtadus*, *Lugo*, etc., et caeterum non alia horum loca ipse indicat, quam quae ibidem nos attulimus. Porro horum sententia, quam ibi allatis ipsorum verbis innuimus, toto caelo ab ista thesi distat; expresse enim affirmant, aut manifeste supponunt, poenitentem *absolvi posse*, atque dilationem absolutionis ut mere *utilem*, atque adeo solum ex *salubri consilio, et quandoque* tantummodo adhibendam proponunt. Hinc nonnisi oculorum aut memoriae lapsui tribuendum videtur, quod S. Alphonsus eas citationes sumpserit ex Salmanticensium *Tractatu 17° Cap. 2° n. 168*, prout ipse ibidem illos allegat. Nam utique Doctores isti ibi afferuntur; sed sententia, pro qua ibi invocantur, non est S. Alphonsi thesis, sed alia, quam Salmanticenses sic exprimunt: *Licet* SALUBRE SIT CONSILIUM *differre absolutionem, quando creditur profutura talis dilatio...; at si poenitens cum dolore et proposito firmo accedat..., confessarius* POTEST ILLUM ABSOLVERE, *etsi hactenus non curaverit, per plures vices admonitus, emendari:* quae quantum consonant cum allegatorum DD. sensu, tantundem a S. Alphonsi opinione differunt.

2° Sed et ipse S. Alphonsus (*l. c.*) manifeste prodit, aliam esse doctrinam suam, aliam vero sententiam DD., quos paulo ante pro se allegaverat. Non multo post enim, memorata sententia *Sanchezii, Laymanni, Lugo, Palai, Vivae, Sporer, et aliorum*, quod bene possit pluries absolvi recidivus, *etiamsi eodem modo relapsus fuerit, et nullum adhibuerit remedium*, subdit: *Veneror tantorum Doctorum auctoritatem; sed ego eorum opinioni nunquam acquiescere potui.* At vero quod habent Doctores heic a S. Alphonso nominati, nimirum quod *possit pluries absolvi recidivus, etiamsi* etc., id ipsum commune est ad unum usque omnibus, quos pro se antea citaverat, et vel ipsi auctori *theologiae ad usum Seminarii Petrocorensis,* utut iste Iuveninii potius, Habertii, ac Gennettii, quam scholarum theologicarum vestigiis insistere consuescat.

3° Si qui pauci sunt, qui mentionem iniiciant *extraordinarii signi* dispositionis, hoc non exigunt ceu *conditionem, sine qua* absolvere Confessarius non possit, sed vel mere dicunt, illud quoque ad dignoscendam dispositionem conferre, ut Lugo (*De Poenit. Disp. 14. n. 166.*), vel memorant tanquam casum, in quo (contra ac senserit S. Alph., *n. 463–464.*) non differenda est absolutio, uti Laymann (*De Poenit. Cap. 5. n. 10.*). Unos itaque reperies Salmanticenses, qui (*Tract. 17. Cap. 2. n. 170.*) ceu *probabilius* tradunt, quod tunc *non solum salubre erit consilium differre absolutionem, sed ad id tenebitur Confessarius.* Verumtamen horum quoque sententia ab opinione S. Alphonsi recedit. Nam primo quidem isti (*ibid. n. 167.*) probabiles censent et alias sententias, quarum prima (*ibid. n. 168.*) contra S. Alphonsi opinionem docet, absolutionem conferri posse, licet aliquando ex consilio salubre esse queat eam differre. Deinde obligationem illam differendi absolutionem (*ibid. n. 170.*) limitant, *nisi ex denegata absolutione scandalum aliquod sequatur, aut aliud extrinsecum inconveniens;* qua limitatione tantum non subvertunt S. Alphonsi thesim, dum eo ipso concedunt, absolutionem per se loquendo posse conferri. Denique (*ibid.*

nis, quam sequimur, et tenent Sanchez, Palaus, Bonacina, Lugo, Petrocorensis, Sporer, Azor, Viva, Laymann, Holzmann, Anacletus,

n. 168.) ipsi disserunt *de eo, qui* SAEPIUS *admonitus, in eodem semper statu permanet,* etc.; quocirca etiam ipsi iam sunt iis accensendi, quorum sententiae S. Alphonsus dicit (ut nuper vidimus), *se nunquam acquiescere potuisse.*

4° Item si nonnulli, quos et Salmanticenses (*n. 170.*) avidissime inquisiverunt, usi sunt iis phrasibus, *non posse absolvi, non esse absolvendos;* horum tamen sententia nec S. Alphonsi, imo nec Salmanticensium opinioni ullatenus favet. Et sane quid horum theoriae suffragatur, quod Sanchez (*In Decal. Lib. 2. Cap. 32. n. 45.*) dum dicit, assuetum blasphemiis absolvi posse, imo et esse absolvendum, excipiat tamen casum scandali resarciendi, *nisi* (inquit) *quando ille iis blasphemiis ingens praeberet scandalum, et ita Confessarius iudicaret, postponendum privatum illius solatium, et ad gloriam divinam expedire, illum non absolvi, donec scandalo publico satisfaciat, nitendo vitae emendam?* Et hoc idem est, quod ait Bonacina (*De II. Praec. Disp. 4. Q. 1. Punct. 14. n. 7.*): *Ratione vitandi scandali, quod peierans aliis praebere solet, deneganda est absolutio iuxta prudentis confessarii iudicium; scandalum enim praecavendum est.* Rursus quid eorum theoriae favet, quod Ludov. Lopez et Bart. Medina, ab iis allegati, dixerint, non esse absolvendum eum, qui *non habet propositum* corrigendi vitium? Sic enim Lopez suam ac Medinae sententiam proponens (*Instr. Consc. P. 1. C. 25.*) ait: *Huic sententiae Soti videtur subscribere Medina, quod qui consuetudine iurandi passim tenetur absque delectu et consideratione utrum verum falsumve iuret,* CARETQUE VERO PROPOSITO *exstirpandi iniquam consuetudinem, non est absolvendus. Si autem emendam statuat, bonoque animo remedia sibi indicta a Confessario amplexus fuerit, non est, cur ei prolatanda sit absolutio.* Quid prodest, quod Rodriguez ab iis allegatus (*Summ. P. 1. Cap. 192. n. 13.*) exscribens Medinam haec dixerit? *Qui vero est tam defectuosus in sua prava consuetudine, ut in ipsa confessione iuret ad singula verba, non debet pro tunc absolvi.* Imo Lud. Lopez (*l. c.*) ceu *rigidius* habet id, quod suggesserat Medina, et a Medina sumit Rodericus, eum, *qui in multa prorupit iuramenta, mala consuetudine, qua tenetur, ad id raptus, iamque pluries ante de hoc confessus cum fuerit, nunquam praestitit emendam, non absolvendum, sed mittendum esse, ut per dies aliquot attentum se gerat ad extirpandam tam perniciosam consuetudinem.* Et ratio, quam hic affert Medina, differendi absolutionem aliud ingens discrimen inducit inter horum sententiam, et recentem S. Alphonsi opinionem. S. Alphonsus nimirum iuxta theorias Iuvénin et similium universim negat, eiusmodi poenitentem posse absolvi, utpote qui censeri debeat *indispositus;* secus vero plerique doctores, quos vel ipse vel Salmanticenses allegant. Hi siquidem, ut alias advertimus (*Sup. in not. ad n. 621.*), cum potissime *de vitiis linguae* disputent, dilationem absolutionis habent ut meram industriam ad excitandam tandem aliquando et exstimulandam ignaviam eorum, qui vi pravae consuetudinis in verba aut blasphema aut periura etiam minus deliberata prorumpentes, in iugi peccati mortalis statu (ut notat etiam Trullench. *In Dec. Lib. 2. C. 1. dub. 20. n. 6.*, perperam idcirco a Salmanticensibus citatus) versantur, nisi congruam ad corrigendum vitium curam adhibeant. Immo, ut expresse advertit Medina (*Instr. Confess. Lib. 1. Cap. 54. §. V.*), cum hoc peccatum *in lingua* sit, potiusquam *in corde* seu affectu, nihil de dispositione poenitentis disputarunt, et ideo etiam Azor (*P. 1. Lib. XI. C. 3. q. 4.*), perperam et ipse a Salmanticensibus allegatus, postquam dixit: *Videtur tamen ad tempus absolutio differenda, ut operae aliquid interim in id* (ad corrigendam consuetudinem) *conferat;* mox subdit: *nisi iusta alioquin causa*

Milante, Wigandt, et Salmanticenses Tr. 17. Cap. 2. n. 168. et 170. cum Suarez, Sayro, Hurtado, Prado, Rodriguez, Lopez etc., docet,

subsit, qua statim a peccatis absolvi debeat. Si qui vero sunt, qui de differenda absolutione sermonem iniiciunt ob suspicionem, ne poenitens minus dispositus accesserit, id non tamquam regulam universim cum recidivis servandam proponunt, sed eiusmodi suspicioni locum *interdum* tantummodo, aut *aliquando* esse dicunt; qua de re in seq. Nota disseremus. Insuper ipsi supponunt, poenitentem eiusmodi iam pluries absolutum fuisse; in quo rursus se ab iis discedere S. Alphonsus, ut vidimus, profitetur.

5° Et haec, quamvis pauca pro argumenti gravitate (neque enim brevitas *Notae* fert plura, quae ad evidentiorem rei demonstrationem facerent) satis esse possunt, ut constet, praemissam S. Alphonsi opinionem, quoties integra cum omnibus suis partibus inspiciatur, potiusquam *communem, contra DD. communem* dici posse. Quod tamen non in aliquam eiusdem opinionis reprehensionem dictum fuerit, sed solum (ut supra dictum est) quo suus historicae veritati locus ac ius maneat, et exinde facultas supersit utendi illo canone, quem et idem S. Alphonsus (*n. 460.*) laudat dicens: *Puto, nequaquam errare eum, qui se dirigit cum sententiis communiter receptis ab huiusmodi Doctoribus non humilis notae.* Caeterum quo pacto S. Alphonsi opinio ad communem sententiam pertrahi aliqua ratione possit, in nota sequente indicabimus.

6° Interim adverte rationem, quam A. pro ea regula profert, ac proferre nonnulli alii solent, logico (dissimulandum quippe hoc non est) vitio non carere. Nam quod post confessionem quispiam eodem, et, si vis, etiam deteriori modo ac mensura in eadem peccata relapsus fuerit, esto, forte suspicionem aliquam iniicere poterit, *in ea confessione* minus efficax extitisse propositum; et dixi, *forte aliquam suspicionem;* quia cum humana voluntas mutationi subiaceat, ne ad praecedentis quidem confessionis defectum aliquem logice arguere possumus ex sequenti relapsu; quippe qui non defectui propositi sincerissimi, sed (ut quotidiana experientia docet) fragilitati et inconstantiae post sincerum propositum saepissime adscribi debet. At quod ex praecedentibus lapsibus quispiam arguere praeterea velit ad defectum doloris ac propositi in praesenti, id nulla lex logicae consentit, ut egregie ratiocinantur cum S. Thoma omnes Theologi.

** Equidem in animo non est, neque esse potest, ut VV. persequamur per ducentas illas et octoginta columnas, quibus labore prope inutili patientissimum quemque lectorem opprimunt. Satis in praesens nobis fuerit sufficientem rationem eorum reddere, quae de hoc argumento adnotavimus.

Dicitur in *Nota* (*n. 1.*), S. Alphonsum non dubitasse *sententiam suam utique appellare communem;* attamen, ut subditur (*n. 5.*), *potiusquam communem, contra DD. communem dici posse.* Veruntamen ut aequum de hac affirmatione iudicium feratur, non negligenda sunt verba, quae ibi adduntur, QUOTIES INTEGRA CUM OMNIBUS SUIS PARTIBUS INSPICIATUR: quorum tamen verborum rationem habuisse aliquam VV. per ducentas et octoginta illas columnas nusquam videntur.

Cur itaque illud affirmaverimus prima ratio est, quam sup. in Not. ad n. 632. tetigimus, videlicet quia alia notio est tum *consuetudinarii*, tum *recidivi,* quam tradit S. Alphonsus, et sequutus est Gury (*Vid. sup. n. 632., et infr. n. 638.*); alia, quae communiter a Doctoribus traditur. Porro, prouti ibidem est animadversum, *semel ac constet, diverso sensu has notiones a Theologis usurpari, ac ab istis recentioribus, manifesto apparebit, diversum esse apud utrosque disputationis subiectum, ac propterea perperam pro theoriis novae notioni superstructis auctoritatem ac suffragium invocari Theologorum, qui de alio subiecto disputabant, licet utrique iisdem*

quod peccator recidivus rediens cum eodem habitu pravo non potest absolvi, nisi afferat extraordinaria signa suae dispositionis.....Ra-

utantur vocabulis. Huic autem rationi, quae alioqui neque levis est, neque abstrusa, frustra in ducentis illis et octoginta columnis responsum aliquod qualecumque requires.

Et utique in Nota illa ad n. 632. neque novas illas *Consuetudinarii* ac *recidivi* notiones expresse S. Doctori tribuimus, cuiusdam nimirum erga eum reverentiae gratia, neque ibidem expresse contra ipsum postremam illam conclusionem deduximus. Nihilominus, si quidem VV. hanc defendendi S. Doctoris viam praetulerunt, non ut eiusdem doctrinam, qualis in se est reipsa, tuerentur, sed ut eiusdem consonantiam cum communibus scholarum doctrinis, quae quaestio est non iuris sed facti, ostendere conarentur, profecto et istam quaestionis partem, quae gravissimi est momenti, negligere nullo modo fas erat.

Aliam rationem affirmationis nostrae, eamque manifeste peremptoriam, attulimus in *Nota* (*n. 2.*), allatis nempe ipsius S. Doctoris verbis illis: *Veneror tantorum Doctorum auctoritatem; sed ego eorum opinioni nunquam acquiescere potui:* ubi nimirum dicit, se discedere a sententia *Sanchezii, Laymanni, Lugo, Palai, Vivae, Sporer, et* ALIORUM. Nihil huc pertinet nunc inquirere, melior ne sit sententia, quam S. Doctor profitetur, an sententia eorum, quibus acquiescere sese dicit potuisse nunquam; quaestio modo fit de *facto ipso: Disceditne S. Doctor a communi sententia?* VV. (*Pag. 656.*) circa controversiam eo loco a S. Doctore tactam scribunt: *S. Alphonsus* CONTRA PLURES *DD. pro prima propositione allegatos, qui censent, talem* (recidivum) *absolvi posse usque ad tertiam vel quartam vicem, sequentem statuit doctrinam: Absolvi nequit Consuetudinarius seu Habituatus, qui semel iam admonitus, eodem modo relapsus est, etc.* Hic VV. *veritatem* dicunt, sed *non integram:* fatentur nimirum, S. Doctorem discedere ab Auctoribus, quos pro sua ipsius thesi allegaverat. At enim si ipsis VV. fatentibus, S. Alphonsus discedit a sententia illorum *tantorum Doctorum*, quos pro sua doctrina ipse allegaverat, cur, quaeso, tantopere iis irascuntur, qui forte dixerint, eos Auctores thesi S. Doctoris nequaquam suffragari?

Dixi autem, VV. *veritatem* hic fassos esse, sed *non integram.* Dicunt nimirum, S. Alphonsum thesim suam statuisse *contra plures;* quod verissimum est. At vox *plures* indicare potest vel *multos* simpliciter, vel, comparative sumpta, maiorem aliquam multitudinem prae contrariis. Atqui neutro sensu ea vox accepta integram exprimit veritatem. Curnam vero? Quia scilicet nec S. Doctor Alphonsus quempiam Auctorem habuit, quem pro sua opinione allegaret, nec etiam VV. ullum invenerunt, nec inventuri sunt, nisi forte recurrant aut ad illos, qui, ut ait S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 459.*), *cum intolerabili rigore dicunt, nunquam absolvi posse consuetudinarium nisi per longam experientiam constet de ipsius emendatione*, aut ad aliquem ex iis, qui forte sibi exscribendum S. Alphonsum praestituerint, quorum alioquin suffragium non probaret, S. Doctorem ab unanimi Doctorum omnium sententia non discessisse.

Et cum apertissime constet etiam ex S. Doctoris Alphonsi disertissimo testimonio, a communissima quin et ab unanimi Doctorum omnium sententia ipsum recessisse, quid demum sentiendum erit de ducentis illis et octoginta columnis, quibus contendere VV. volunt, nonnisi per calumniam assertum fuisse, *sententiam S. Alphonsi potiusquam communem, contra communem Doctorum dici posse?* His vero illud adde, quod superius innuimus, notiones tum *Consuetudinarii*, tum *Recidivi*, quas S. Alphonsus adoptat, alio sensu ab omnibus, quos allegat, Doctoribus usurpari, adeo ut etiamsi verbo tenus theses S. Doctoris cum thesibus DD. consonarent,

tio est, quia ut confessarius possit poenitentem absolvere, debet esse moraliter certus de eius dispositione; unde, quamvis peccator prima

sensu tamen differrent: tanto igitur magis confirmatur, et perspicuum evadit, doctrinam S. Alphonsi, *quoties integra cum omnibus suis partibus inspiciatur, potiusquam communem, contra DD. communem dici posse. Quod tamen* (ut in *Nota* animadversum est) *non in aliquam eiusdem opinionis reprehensionem dictum fuerit, sed solum quo suus historicae veritati locus ac ius maneat, et exinde facultas supersit utendi illo canone, quem et idem S. Alphonsus* (*Lib. 6. n. 460.*) *laudat dicens: Puto, nequaquam errare eum, qui se dirigit cum sententiis communiter receptis ab huiusmodi Doctoribus non humilis notae.*

Hisce praeiactis, quae ad rei substantiam pertinent, ad reliquas *Notae* partes veniamus, quae minoris momenti sunt, utpote quae quaestiunculas incidentes praeferunt.

Et quoad ea, quae *n. 1.* continentur, ecce VV. (*Pag. 660.*) nihil dubitant affirmare, eandem omnino thesim esse S. Alphonsi, qui dicit recidivum *non posse absolvi*, etc., ac illorum Auctorum, quorum diserta verba in Not. ad n. 621. retulimus, et quos Salmanticenses afferunt (*Tr. 17. C. 2. n. 168.*) pro sententia, quae statuit, eiusmodi recidivum *absolvi absolute posse,* licet aliquando utile sit illi differre absolutionem; quod quidem argumentum VV. versant per viginti et quatuor columnas, ac contendunt (*Pag. 680.*), falso Salmanticenses pro ea sententia hosce auctores allegasse. Infelicissimum sane consilium, quo contra manifestam facti evidentiam pugnare aggressi sunt: quod tamen lector non stupebit, qui iam saepe saepius animadvertere potuit, hoc illis in more positum.

Legantur, quaeso, testimonia sup. in Not. ad n. 621. allata, quae poenitentem supponunt *sufficienter dispositum,* et absolutionis capacem. Estne eiusmodi poenitens, quem S. Alphonsus posse absolvi negat? Ibi attulimus v. gr. diserta Suarezii verba, ubi ait, prodesse *interdum* absolutionem eiusmodi recidivo poenitenti differre. Obiiciunt vero VV. (*Pag. 669.*), truncatum ibi afferri Suarezii textum, quia omissa sunt haec verba: *Quod si tandem experimento constet haec* (remedia) *non sufficere, cogendus interdum erit poenitens ad tollendam occasionem* etc. At vero numquid thesis S.Alphonsi, de qua sermo, haec est, quod interdum confessarius obligationem removendi occasionem potest et debet poenitenti intimare? Haec et alia eiusmodi, mere idonea ad fucum faciendum lectoribus, qui ex magna voluminum mole iudicare solent, perlegat quisquis otio et patientia abundat.

Contextu S. Doctoris diligentius perspecto, alia suppetit ratio, propter quam dicamus, non omnino abs re S. Doctorem allegasse Auctores, a Salmanticensibus n. 168. allatos, utcumque horum sententia opposita sit opinioni, quam S. Doctoris thesis propugnat. Attendantur enim ea S. Alphonsi verba (*Lib. 6. n. 459.*): *Prima pars* (scilic. thesis) *est contra primam sententiam dicentem, quod recidivi debent absolvi semper ac ad Sacramentum accedent.*

Missum nunc fiat, num aliquis reipsa absurdissimam hanc doctrinam professus sit. VV. (*Pag. 680.*) affirmant, eam *in veritate profiteri Ioan. Sancium:* et sic palam faciunt, se Sancium non legisse, quemadmodum ipsi aiunt, S. Alphonsum non legisse Auctores alios, quos pro eadem opinione citat, sed allegationes eum a Salmanticensibus sumpsisse. Dixi, VV. Ioan. Sancium non legisse. Nam alias (*In Not. ad n. 621.*) iam advertimus, perperam etiam Ioanni Sancio absurdam eam opinionem fuisse adscriptam, cum mere contendat, poenitenti rite disposito absolutionem ob spem maioris fructus non esse differendam. Ita ille (*Disp. Select. 9. n. 11.*): *Infertur, non fore saluberrimum consilium, interdum negare absolutionem habenti consuetudinem peccandi; quantumcumque id consulant Sayrus, Suarez,*

vice se confitens censendus sit dispositus, eo quod (ut diximus) nulla ei obstat praesumptio in contrarium, tamen quando iam in alia

Sanchez, Reginaldus, Toletus, Sà, et alii. Nam si confessarius potest LICITE *absolvere poenitentem, ut ipsi admittunt, ad id tenebitur; habet namque ius poenitens, ut sibi non negetur absolutio,* SI DIGNUS SIT, *nisi de proprio consensu. Credo certe, praefatos auctores, cum dicunt rectum fore consilium negare absolutionem poenitenti habenti consuetudinem peccandi, non absolute id intellexisse, sed praestito prius consensu poenitentis. Absolute tamen iudico, nunquam fore rectum consilium, absolutionem negare, quantumvis consentiat poenitens, supposito quod licite potest impendi. Quando namque negatur, eo fine fieri debet, ut cautior poenitens reddatur ad praecavenda peccata. Id tamen non intelligo, quod maiores vires inhaesurae sint poenitenti ad vitanda peccata, si careat gratia sacramentali, et caeteris auxiliis a Sacramento provenientibus, quam si ea et illis induatur. Cumque consilium de meliori bono debeat esse, sane non capio, melius bonum esse poenitentis carere pro aliquo tempore gratia sacramenti, quam illa vestiri* etc. Haec Sancius; quae fere recidunt in illam S. Alphonsi sententiam (*Lib. 6. n. 464.*): *Magis sperandum, quod ille emendabitur per auxilium gratiae in Sacramento susceptae, quam per dilationem absolutionis.* Quocirca S. Doctor *raro* his differendam absolutionem censuit.

Quomodo vero factum sit, ut S. Alphonsus Sancii sententiam tam diversis coloribus, ut exposuimus, effinxerit, adeo ut contra ipsam intorserit damnationem Prop. 60. inter proscriptas ab Innoc. XI: *Etsi emendationis spes nulla appareat, non est neganda absolutio, dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem*, vix intelligi potest. Equidem Salmanticenses, e quibus S. Doctorem haec exscripsisse VV. (*Pag. 680.*) aiunt, de peccatore disserunt, qui *cum dolore et proposito dicto accedat* (*l. c. n. 169.*): dixerant autem (*ibid. n. 167.*), *si accedat cum dolore de praeteritis, et imposterum emendam firmiter proponat*, et rursus (*n. 168.*), *si poenitens cum dolore, et proposito firmo accedat*, qualem poenitentem videlicet exigunt ibi allegati *Sanchez, Bonacina, Sayrus, Palaus, Suarez...*, ut tunc ipsum absolute possit absolvi: contra quam tamen horum sententiam, mirum sane, quod etiam VV. (*Pag. 677.*) non dubitent praedictam damnationem Prop. 60. obiicere, innixi nimirum miserrimis illis ad Salmanticenses posterioribus additionibus.

Sed ut ad rem redeamus, quidquid de hisce miseriis sit, manifestum est ex dictis, S. Doctorem Alphonsum thesim suam statuere voluisse etiam adversus hanc sententiam, quam primo loco refert, qualemcumque demum illam sibi effinxerit. Porro cum haec, prouti ipsam idem inexacte exponit, statueret, *quod recidivi debent absolvi semper ac ad sacramentum accedant;* ratio iam patet, cur huic sententiae opponere ipse potuerit non modo auctores, quos Salmanticenses n. 170. allegant pro opinione, quam ipse S. Doctor sequutus est, sed eos quoque, quos Salmanticenses allegant n. 168., qui nempe docent, interdum *utile esse* his peccatoribus absolutionem differre. Nonne enim etiam Sancius, ut vidimus, hosce auctores, *Suarez* scilicet, *Sanchez, Bonacin., Sayrum* etc. ceu sibi oppositos habet?

Duo hinc concludamus, licet. Ac primo ad reddendam rationem, cur S. Alphonsus pro thesi sua allegaverit *Suarez, Sanchez, Palaum* etc., necesse non est supponere oculorum aut memoriae lapsum. Nam pro scopo sibi proposito impugnandi sententiam Sancii, aliorumve, qualem sibi eam confinxerat, utique ad rem faciebant Auctores, quos Salmanticenses tum n. 168. tum n. 170. referebant. Et cum haec duplex allegatio ad scopum S. Doctoris conferret; exinde non sapientissima fuit correctio, quam VV.

confessione ipse fuit admonitus, et eodem modo cecidit, nullo adhibito conatu, et nullo impleto ex mediis a confessario praescriptis,

(*Pag. 680. in Not.*) dicunt inductam in Editiones Mechlin. 1845., Ratisbon. 1846., et Taurinens. 1847., quae allegationem n. 168. deleverunt.

Sed retinendum secundo prorsus est, non item auctores n. 168. a Salmanticensibus adductos stare pro doctrina S. Alphonsi, non qua opinionem Sancii refellit, sed qua suam statuit opinionem, ut pro hac rite allegari possint, uti supra iam ostensum est. Habeant sibi VV. hac in re etiam suffragium eorum, qui modo dictas Editiones curaverunt, utpote qui non perpendentes, quorsum illa allegatio ad S. Doctoris scopum conducere posset, eam supprimendam ideo censuerunt, quia eos Auctores sententiae S. Doctoris in se spectatae oppositos satis noverunt.

Nunc veniendum ad ea, quae in *Nota* (*n. 3.*) habentur *de signis doloris extraordinariis;* quae tamen, additis VV. explicationibus, vix aliquam habent difficultatem. Et in primis VV. (*Pag. 682.*) invidiam novi vocabuli, *signorum* nempe *extraordinariorum* curant removere; et iuxta illud Poetae: *Si licet in parvis exemplis grandibus uti,* in medium ea trahunt, quae Benedictus XIV scribit in Opere *De Serv. Dei Beatificatione Lib. 2. Cap. 28. n. 6. et 7.*, videlicet quod *non poterit doctrina uti nova qualificari, cum aliqua vox nova usurpatur, non ut res nova significetur, sed ut facilius mysteria nostrae fidei exponantur, et haereses contrariae refellantur.*

Deinde vero iidem VV. (*Pag. 653. in Not.*) ut ostendant, non novam doctrinam novo vocabulo subesse, utque simul emolliant, si quid rigidi praeferat vocabulum *signi extraordinarii*, primo quidem advertunt, ea doloris signa, quae S. Doctor *extraordinaria* appellat, ab Auctoribus sumpta fuisse, sicubi signum aliquod dispositionis poenitentium memorant. S. Alphonsus (inquiunt) *signa extraordinaria, quae singillatim apud singulos Doctores habentur, collegit, et coniunctim exposuit.*

Subdunt deinde: *Ex hac expositione simul patet, S. Alphonsum in admittendis signis extraordinariis non rigidiorem, sed potius mitissimum se exhibere, quippe quod haec signa amplissimae latitudinis sint. Vix enim, saltem secundum communiter et regulariter contingentia, cogitari potest, ut recidivus vero dolore et sufficienti proposito non carens, horum signorum unum alterumve non afferat, cum iam minor peccatorum numerus, vel aliqua continentia post ultimam confessionem, vel impletio mediorum a confessario praescriptorum sufficiat. Patet igitur, S. Alphonsum nullatenus exigere contritionem extraordinariam, sed signa extraordinaria sincerae contritionis ordinariae, imo nequidem exigit signa extraordinaria sensu stricto, seu rara et vix possibilia; sed tantum requirit, ut poenitens eodem modo relapsus, praeter solitam confessionem, ac consuetas* (adde: si tamen et has utcumque proferat, et non mere confessioni illud subdat: nihil habeo aliud) *dubias protestationes de sincero dolore et firmo proposito, afferat quoddam solidum ac probatum signum, ex quo confessarius prudens sibi efformare possit iudicium de eius dispositione.*

Et sane prorsus mitem in ea re habebimus S. Doctorem, praesertim si ubi exigit *signum extraordinarium,* excludere demum unice velit opinionem, contra quam, ut sup. vidimus, primam partem suae thesis opponit, opinionem videlicet damnatam in memorata Prop. 60. inter proscriptas ab Innocentio XI. Et hoc quidem illud etiam insinuare videtur, quod S. Doctor damnatam hanc propositionem adversus illam nimirum opinionem (quam ipse, ut diximus, apprehendit) inter alias rationes obiicit, secus ac ineptissima illa ad Salmanticenses additio a VV. laudata, quae damnatam Propositionem obiicit etiam adversus primam apud Salmanticenses sententiam, et huius patronos, quos immo S. Doctor pro thesi sua allegat.

frequens ille relapsus signum praebet, vel saltem prudentem dat suspicionem, quod sua poenitentia non sit vera: qui enim firme proponit (bene ait Lugo Disp. 14. n. 160.) rem sibi moraliter possi-

Hinc vero patet, non sine causa in *Nota* (*n. 5.*) fuisse demum subiectum, *S. Alphonsi opinionem ad communem sententiam pertrahi aliqua ratione posse;* quod deinde fusius in seq. *Nota* factum est, ubi S. Doctoris sensa retulimus. Et gemina illis habes, ubi ait (*Lib. 6. n. 459.*): *Quoties poenitens affert vera signa doloris et propositi, toties bene absolvi potest.* Et post allata SS. Hieronymi ac Chrysostomi testimonia pergit: *Hinc Auctor libri Romae editi, cui titulus* Instruzione per li novelli confessori p. 1. C. 15. n. 356. *sic inquit:* Se la ricaduta nasca dalla propria fragilità, senz'altra causa estrinseca volontaria, è quasi temerità il dire, che ogni ricaduto sia indisposto. *Ac ideo* in C. 9. n. 213. *dicit, quod peccator relapsus propter mali habitus vim statim absolvendus est, si firmam habeat voluntatem adhibendi media ad se emendandum; additque:* E giudichiamo, che il fare altrimenti sia troppo rigore, e che il Confessore facendolo, s'allontanerebbe dal vero spirito della Chiesa e del Signore, e dalla natura del Sacramento, il quale non solamente è giudizio, ma è medicina salutare.

His autem adde conclusionem, quam S. Doctor (*Lib. 6. n. 461.*) deducit ex doctrina Catechismi Romani, inquiens: *Ergo semper ac confessario non innotescit, poenitenti omnino defuisse dolorem, ipsum absolvere potest;* et exinde facile inferes, his perpensis principiis B. Alphonsi sensa facillime tandem cum communi doctrina conciliari posse.

Quoad ea denique, quae in *Nota* (*n. 6.*) dicuntur de argumento, quo Gury utitur ad suam regulam stabiliendam, amarissime conqueruntur VV. (*Pag. 692.*), quasi gravem iniuriam contra S. Doctorem praeferant: eo vel magis, quod in eadem *Nota* (*n. 4.*) praemittatur, *theoriam Iuveninii et similium* sapere illud principium, quod recidivus absolvi non possit, *utpote qui censeri debeat indispositus: quasi,* aiunt VV. (*Pag. 693.*), *reprehensio non esset, dum S. Doctorem ceu sectatorem theoriae Iuveninii, cuius institutiones damnatae sunt, et Ludovici Habert, qui infeliciter interiit, denuntiat.*

Resp. Numquid non saepe alias S. Alphonsus pro quapiam sententia a se probata allegavit Iuveninium et Ludovicum Habert? Nonne id ipsum cernitur in hac ipsa paragrapho, ubi scribit: *Vid. Iuvenin. Instit. theolog. t. 7. pag. 408. et Salmanticenses* etc.? Num idcirco quisquis dicat, S. Alphonsum sententiam Iuveninii adoptasse, putandus est S. Doctorem reprehendere ceu damnatarum Institutionum Theologicarum Iuveninii sectatorem? Esto id, si in *Nota* affirmaretur, Iuveninii Institutiones ideo fuisse proscriptas, quod dixerit, *peccatorem habituatum nunquam,* cum ad confessionem accedit, *censendum esse ad absolutionem dispositum.* At hoc in Nota non affirmatur.

Caeterum verba S. Alphonsi (*Lib. 6. n. 459.*) huiusmodi sunt: *Quando iam in alia confessione ipse* (poenitens) *fuit admonitus, et eodem modo cecidit, nullo adhibito conatu, et nullo impleto ex mediis a confessario praescriptis, frequens ille relapsus signum praebet, vel saltem prudentem dat suspicionem, quod sua poenitentia non sit vera.* Et Gury post S. Alphonsum rationem addit: *Etenim qui firmiter proponit peccatum vitare, non ita facile sui propositi obliviscitur, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius aut rarius cadit:* quae verba reipsa sunt Lugonis (*Disp. 14. n. 160.*), et uti verba Lugonis a S. Alphonso ibidem afferuntur.

At inter Lugonis sententiam et sententiam S. Alphonsi non modicum intercedit discrimen. In primis Lugo disputat de eo, qui in proxima peccandi occasione versatur; non item S. Alphonsus nec Gury. Deinde Lugo (*Ibid. n. 156.*) loquitur de eo, qui *saepius absolutus eodem modo semper*

bilem, non ita facile sui propositi obliviscitur, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius aut rarius cadit (*Lib. 6. n. 459.*).

637. — VI^a *Regula. Recidivo* dubie disposito absolutio differenda

relabitur; S. Alphonsus autem de eo, qui *semel fuerit admonitus et absolutus.* Insuper Lugo (*Ibid. n. 160.*) ait, suspicionem eiusmodi locum habere posse *per accidens* ALIQUANDO, non secus ac Sporer (*De Poenit. n. 330.*), et Laymann (*De Poenit. Cap. 5. n. 10.*) dicunt id contingere posse INTERDUM; S. Alphonsus vero id ceu generalem normam iudicandi de recidivis nunquam non adhibendam tradit.

Et quidem ad suam sententiam firmandam S. Alphonsus (*l. c.*) promit verba Isidori: *Ille poenitentiam digne agit, qui sic praeterita mala deplorat, ut futura iterum non committat:* quae S. Doctor a quonam hic exscripserit, non apparet. Nam Faure (*Dubit. Theol. Dub. 3. §. 4.*) scite monet hanc, aliasve eiusmodi sententias modernos ex impio Arnaldo exscripsisse, ostenditque, has sententias sibi olim veteres Doctores obiecisse et explanasse. Et sane Petrus Lombardus (*Lib. 4. Dist. 14.*) ita huic obiectioni responderat: *Illa verba praemissa, Poenitere est anteacta deflere et flenda non committere, recte sic accipi possunt, ut non ad diversa tempora, sed ad idem referantur: ut scilicet tempore, quo deflet commissa mala, non committat voluntate opera flenda.* Quibus gemina habet et S. Raymundus (*Lib. 4. Dist. 14.*).

Et S. Thomas post Raymundum idem responsum sic (*3. q. 84. art. 10. ad 4.*) usurpavit: *Dicendum, quod poenitere sit anteacta deflere, et flenda non committere, scilicet dum flet, actu vel proposito. Ille enim est irrisor et non poenitens, qui simul dum poenitet, agit quod poenitet, vel proponit, iterum se facturum, quod gessit, vel etiam actualiter peccat eodem vel alio genere peccati. Quod autem aliquis postea peccet vel actu vel proposito, non excludit, quin prius poenitentia vera fuerit. Nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem. Sicut enim vere cucurrit, qui postea sedet, ita vere poenituit, qui postea peccat.*

Et in his rationem habes, cur in *Nota* dictum fuerit, regulam iudicandi a Gury propositam post S. Alphonsum vitio logico non carere. *Relapsus,* inquit S. Alphonsus, *signum praebet, vel saltem prudentem dat suspicionem, quod sua poenitentia non sit vera.*

Si S. Doctor dixisset: *quod sua poenitentia non fuerit vera,* in praecedenti scilicet confessione; etiam sic occurrit illud S. Thomae: *Vere poenituit, qui postea peccat.* Ut enim alibi (*In 4. Dist. 14. q. 1. art. 4. q. 2.*) inquit, *quantumcumque aliqua virtus efficaciam habeat, flexibilitatem a libero arbitrio non tollit, dum est in statu viae. Similiter illud, quod futurum est, non potest esse de substantia vel de integritate alicuius virtutis, nisi secundum quod est praesens in apprehensione vel in voluntate, quia virtus quantum ad habitum non expectat aliquid in futurum.... Unde cum poenitentia sit virtus, et secundum quod est sacramentum non se extendat ultra actum virtutis, non erit de integritate poenitentiae essentiali futuri continuatio, nisi ut sit in proposito; et ideo potest esse vera poenitentia, et tamen ab ea postmodum aliquis excidet.* Quo quidem spectat id, quod et S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 459.*) habet: *Bene docet Lugo Disp. 14. n. 166. cum Suarez, Sanchez, Regin., Henriq., et aliis communiter, quod dispositio sufficiens est dolor et propositum praesens, non emendatio futura: atque ita poenitens poterit absolvi, licet iudicetur relapsurus.*

At vero si a relapsu in peccata non tenet illatio ad excludendam veram poenitentiam praecedentem, profecto a fortiori relapsus argumentum non praebet iudicandi de praesenti dispositione illius, qui modo accedit. Pro-

est per aliquod tempus, usquedum prudens dispositionis signum appareat. — *S. Lig. Praxis Confess. n. 71. et 72. — Hom. apost. tr. ult. n. 9. et 10.* (*a*).

inde etiam S. Alphonsus praemissam suam sententiam postea sic temperat (*l. c.*): *Relapsus tametsi praebeat aliquam suspicionem, non tamen certum exhibet signum indispositionis; bene enim contingere potest, quod poenitens vere habuerit firmam voluntatem non relabendi, et tamen vi pravi habitus sit relapsus:* quae quidem important, ut S. Doctor ex vera poenitentia praecedenti insinuet argui posse, nec in praesenti dispositionem deesse. Et reipsa, prout ipse S. Doctor praemiserat, *poenitens ex una parte non est praesumendus malus, ita ut velit indispositus ad Sacramentum accedere; ex alia praesumitur dispositus, dum peccata sua confitetur, cum ipsa spontanea confessio sit signum contritionis, nisi obstet aliqua positiva praesumptio in contrarium*, videlicet, ut subdit (*Ibid. n. 460.*), nisi appareat, poenitentem accedere ad confitendum mere *ex obligatione praecepti paschalis, vel impulsum a parentibus, paedagogo, domino* etc. Quod si relapsus eodem modo *aliquam* suspicionem praebet indispositionis, voluntatis nempe non adeo firmae atque efficacis ad remedia adhibenda; at, ut ipse S. Doctor subiicit (*ibid. n. 459.*), *quoties poenitens affert signa extraordinaria doloris, per ea tollitur suspicio illa de indispositione; et tunc confessarius prudenter iudicare poterit, suum poenitentem satis esse dispositum.* Porro cum ista dispositionis signa sufficientia, quae S. Doctor *extraordinaria* vocat, si forte desint spectato vivendi habitu in antecessum, docente ipso S. Alphonso apparere possint in ipsa et ex ipsa confessione, ut in seq. *Nota* traditur; rursus elucet, quomodo sententia S. Alphonsi cum communi aliorum doctrina conciliari possit, utut duriora videri ea possint, quae praemiserat: quae tamen duriora non videbuntur, si suspicio, quam saepius repetitus in eadem peccata sine ulla emendatione relapsus iniicit, confessarium moveat, non quidem ut a priori poenitentem indispositum ac sine absolutione dimittendum decernat, sed ut pro officio suo de praesenti poenitentis dispositione accuratius inquirat.

(*a*) Quod, excepto casu necessitatis, absolvi licite non possit poenitens *dubie dispositus*, quem scilicet sufficienter dispositum esse ad gratiam in sacramento recipiendam, nulla prudens ratio suadet, extra controversiam esse debet. Et hinc petenda ratio est, cur subinde Theologi sic agendum moneant cum iis recidivis esse, qui aut nullum aut certe ambiguum bonae voluntatis indicium praeferunt, adeo ut eos opportunis dispositionibus hic et nunc forte carere haud imprudens subsit suspicio. At aliud est quod poenitens in ea conditione non possit absolvi, aliud est, quod in aliud tempus absolvendus dimitti debeat; quasi vero aut dilatio ista virtutem arcessendi dispositionem habeat, aut revertendi patientia in poenitente melioris dispositionis certius indicium sit, aut contra non magis expediat, imo officium Confessarii sit omnem tunc ipsum curam adhibere, ut, quantum fieri cum gratia Dei possit, ad beneficium absolutionis rite accipiendum poenitentem disponat.

Utinam sacerdotum omnium menti infigerentur verba, quibus S. M. Leo PP. XII. Iubilaeum orbi universo indicens (Const. *Charitate Christi* 25. Dec. 1825. §. 5.) Confessarios monebat: *Sistunt se quidem* (inquit) *multi Sacramenti Poenitentiae ministris prorsus imparati, sed persaepe tamen huiusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo Sacerdos viscera induius misericordiae Christi Iesu, qui non venit vocare iustos sed peccatores, sciat studiose, patienter, mansuete cum ipsis agere.* Quod vero heic *imparati* dicantur ii et quidem soli, qui essentiali carent dispositione, patet ex sequentibus: *Imparati enim illi tantummodo sunt iudicandi, non qui vel gravissima admiserint flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfue-*

Caeterum, semper spectandum est bonum maius poenitentis; sic optime *S. Ligor. n. 459; Concina (c. 10. n. 24.)* ait: *Ut errandi peccatum declines, si vides, bina vel trina absolutione te posse infirmum curare, esto in misericordia dives. Emendatio peccatoris*

rint a confessione; misericordiae enim Domini non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; vel qui rudes conditione aut tardi ingenio non satis in se ipsos inquisierint, nulla fere industria sua id sine Sacerdotis ipsius opera assecuturi; sed qui adhibita ab eo necessaria, non qua praeter modum graventur, in iis interrogandis diligentia, omnique in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis.... exhausta charitatis industria, sensu tamen doloris ac poenitentiae, quo saltem ad Dei gratiam in sacramento impetrandam (quae sunt verba Tridentini de attritione) *disponantur, carere prudenter iudicantur.* Ex quibus patet, absolvi posse eos quoque, qui nedum *dubie dispositi*, sed manifeste accedunt *indispositi;* siquidem patientia, mansuetudo, et industrii sacerdotis charitas id consequi tunc ipsum potest, ut ex imparatis parati fiant, idque prudenter confessarius iudicare queat.

Idcirco SS. Pontifex non praetermittit insuper eos notare, qui potiusquam hanc in se curam suscipiant, ut sollicita charitate peccatores Deo reconcilient, facilem se ab hoc onere expediendi viam ineunt, remittendo poenitentes in aliud tempus absolvendos. Postquam igitur indicavit, quinam beneficii absolutionis iudicandi sint *incapaces, quales* (inquit) *sunt, qui* NULLA *dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant;* mox graviter monet, quam *longe a more periti medici, qui similiter infundit vinum et oleum vulneribus sauciati, distet eorum ratio, qui ut gravius aliquod audiunt peccatum, aut aliquem sentiunt multiplici peccatorum genere infectum, statim pronunciant, se non posse absolvere: iis nempe ipsis* (pergit SS. Pontifex) *mederi recusant, quibus maxime curandis ab eo sunt constituti, qui ait: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Quocirca merito pronunciat, magis *indispositum* ad audiendas confessiones huiusmodi sacerdotem esse, quam peccator ad confessionem accedat imparatus: *Quod si praestare* (ait) *praetermittat, profecto non magis ipse* (*Sacerdos*) *dicendus est paratus ad audiendum, quam caeteri ad confitendum accedere.*

Ex quibus illud etiam colligitur, timendum non esse, ne sufficiens dispositionis signum haberi nequeat, etiamsi nulla adhibeatur absolutionis dilatio, saepe alioquin fallacissima dispositionis probatio. Hoc ipsum monuit et S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 459.*), ubi scribit: *Nec verum est, quod sola temporis probatio unicum sit signum mutatae voluntatis; nam voluntatis mutatio pendet a divina gratia, quae tempore non indiget, sed in instanti operatur, et ideo non solum per experimentum temporis, sed etiam per alia quaedam signa patefieri potest. Imo aliquando alia signa praesentis dispositionis multo melius manifestant mutationem voluntatis, quam experientia temporis; nam signa illa directe indicant dispositionem poenitentis, experientia vero tantum indirecte: adeo ut* NON RARO *evenire possit, quod aliquis etiam longo tempore se a vitiis pro mundi huius honestate* (v. gr. ut absolutionem carpat, vel admittatur ad communionem paschalem) *contineat..., et nihilominus non sit rite dispositus. Propterea quoties poenitens affert vera signa doloris et propositi, toties bene absolvi poterit.* Ad quae fac advertas, esse quidem aliqua peccata, in quae quis prolabitur ex affectu et cum affectu tenaciter inhaerente cuipiam obiecto illicito, v. gr. cum ex odio et vindictae appetitu quis proximo detrahit, mala

securior omnibus regulis est norma vel impertiendi vel denegandi absolutionem.

638. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quandonam censeatur contracta consuetudo?*

imprecatur aut etiam infert, vel cum divitiis perdite inhians lucra illicita sectatur, vel feminam quampiam deperit, quacum consuetudinem habet adulterii, etc.; et cum his sane opportunus incidit sermo de *mutatione voluntatis,* quae detestari illud debeat, quod ardenter diligebat. At in pluribus aliis, etiamsi peccata ex quadam consuetudine perpetrentur, perperam hunc affectum erga peccati obiectum requires, uti v. gr. plerumque fit in vitiis linguae, ac saepe etiam in mollitie; unde fit, ut homo utique relabatur iterum atque iterum, non tamen quasi se totum peccato dedens, sed potius ignavia quadam ac fragilitate victus, semet simul accusans, ac mox facti poenitens, ac modo vitio obluctans, modo ex infirmitate ipsi succumbens, et iugum vitii semper quodammodo invitus ferens. Porro cum huiusmodi, uti patet, de voluntate agitur non tam mutanda, quam corroboranda, quo vigilare attentius, si de vitiis linguae sit sermo, et repugnare validius, si de aliis vitiis res est, diligentiusque praesidiis opportunis uti assuescat.

Caeterum cum S. Alphonsus, dum *signa dispositionis extraordinaria* exigit, nihil demum aliud intelligere videatur, quam quod in allato textu habet, nempe *verum aliquod signum doloris ac propositi,* adeo ut extraordinario aliquo carentem signo putet (*Prax. Conf. n. 71.*) designari in Propositione 60ª ab Innoc. XI. damnata de illo, qui tantum *ore proferat se dolere et proponere emendationem;* haud aegre quoad hoc conciliabitur cum communi DD. sententia, cumque praxi, quam summus Pontifex et magistrorum Magister Leo XII. in allata Constitutione commendat. Neque enim ullus e DD. docuit, absolvendum eum esse, qui (ut ait Pontifex) *sensu doloris ac poenitentiae, quo ad gratiam in Sacramento impetrandam disponatur, prudenter carere iudicetur;* neque iterum S. Alphonsus, ut ex allato textu patet, contendit, necessariam esse dilationem absolutionis, ut dispositio etiam recidivi vel satis cognosci, si quando dubia primum appareat, vel etiam comparari possit, si penitus forte poenitenti accedenti deesse videatur; quinimo (*l. c. n. 460.*) inter signa, quae *extraordinaria* ipsemet appellat, hoc quoque enumerat: *Si poenitens ad monitionem Confessarii significet, se adeptum fuisse novam cognitionem suae iniquitatis, vel periculi suae damnationis.*

Methodum, qua citra dilatae absolutionis experimentum huiusmodi scopus attingi queat, ac simul praxis a summo Pontifice Leone XII. commendata retineatur, dilucide iuxta ac breviter expositam habes a *Philippo Maria* SALVATORI in Opusculo pluries Romae edito cum titulo: *Istruzione pratica pei Confessori novelli;* de quo tamen vide quae sup. adnotavimus ad n. 519. pag. 405.; quam quidem methodum sicut non sine labore servari, ita non sine culpa, ubi opus sit, a confessario omitti merito ipse affirmat, confirmantque ea, quae ex Leonis XII. Constitutione superius attulimus. Ut itaque pius ac doctus et in ministerio audiendi confessiones istiusmodi hominum exercitatissimus Auctor advertit (*Part. 2. §. 1.*), etiamsi nullum aliud indicium ex iis, quae alii *extraordinaria* dixerint, poenitens aut primo occursu aut etiam inter confitendum praebeat, quo Confessarius de dispositione satis iudicet; attamen si confessione, non sine opportuno sacerdotis patienter mansueti auxilio, expleta, hic ob poenitentis oculos efficaciter ponere instituat peccatorum vitiorumque suorum gravitatem, deformitatem, turpitudinem; tum si pessimos peccatorum effectus, damna, detrimentum animae, salutisque aeternae discrimen ac thesaurum irae per inordinatam vitam cumulatum, ac vanam quoque spem sibi consulendi, ubi hora iam instet mortis, imminensque Dei iudicium; tum etiam

Resp. 1° Hoc generali regula determinari nequit, quia alii plus facilitatis contrahunt ad aliquod peccatum paucis actibus, v. gr. tribus vel quatuor, quam alii illud saepius committendo; unde nec semper pro consuetudinario habendus est, qui pluries in certo ge-

facilem rationem suggerat, qua et malis hisce occurrere, rectamque salutis viam inire possit; his insuper si adiiciat, serio perpendendum cuilibet poenitenti esse, sacramentalem absolutionem effectum sortiri confitentium dispositionibus congruum, atque adeo sicut sincere poenitentem solvit ac mundat, sic verae poenitentiae sensu carentes arctius ligare atque peccata reliqua addito sacrilegio cumulare; haec, inquam, omnia aliaque huiusmodi Confessarius si proponat, idque non zelo indignantis, sed magna potius charitate commiserantis ac poenitentium salutem sollicite concupientis praestet, merito laudatus Auctor concludit, fieri non posse, quin signum aliquod sufficiens animi sui poenitens exhibeat; proindeque affirmanti, se sincere agere, atque ea, quae Confessarius exigat, praestare se velle, posse confessarium tuta conscientia absolutionem impertiri, etiamsi poenitens aliud conversionis suae signum nullum in antecessum dederit.

Ratio autem est, quia cum in hisce adiunctis neque ex ignorantia neque ex dolo repeti rationabiliter possit illud poenitentis testimonium, iam valet id, quod instar axiomatis est apud omnes Theologos, *poenitenti credendum esse et pro se et contra se.* Dixi, *neque ex dolo;* quia in praesenti nullum scopum aut causam fraus habet, quae mere cederet in mentientis perniciem. Hinc discrimen, quod S. Thomas notat inter loquentem in confessione *de se*, et *de aliis* (*Opusc. 7. al. 12. q. 6.*): *In confessione est credendum peccatori confitenti et pro se et contra se; sed contra alium nullo modo est ei credendum; alioquin daretur multis occasio fictae confessionis, et fraudulentae infamationis.* In contrarium vero, cum *de se* loquitur poenitens, rationem sic S. Doctor (*In 4. Dist. 17. Q. 3. art. 3. q. 5. ad 2.*) innuit: *Quantum ad hanc cognitionem* (scilicet *per confessionis manifestationem*) *non potest* (*Sacerdos*) *maiorem certitudinem accipere, quam ut subdito credat,* QUIA HOC EST AD SUBVENIENDUM CONSCIENTIAE IPSIUS; *unde in foro confessionis creditur homini et pro se et contra se.*

Et sedulo adverte illa S. Doctoris verba gravissima: *Non potest maiorem certitudinem accipere, quam ut subdito credat.* Et sane nonne uni huic canoni nititur, quod Confessarii tuta conscientia absolvant poenitentes quasi integre confessos, cum tamen experientia doceat, haud infrequenter accedere, qui sacrilege peccata reticent? Et licet sectari quis velit theoriam *signorum extraordinariorum,* nonne et ista simulari possunt? Imo nonne frequens est querela, quod Confessariis saepe saepius illudi contingat specie pietatis ac devotionis in alios fines a quibusdam conficta? Et tamen quisnam idcirco confessarios iure reprehendat? Aut quis a Confessariis exiget ut ad deceptiones cavendas nemini fidem habeant, etiam cum nulla negandi fidem prudens adest ratio? Nonne sic funditus subvertetur oeconomia, qua, teste S. Thoma cum universis Theologis, tota regitur huius sacramenti administratio?

Exinde summus Pontifex Leo XII. dum in citata Constitutione praemissam praxim commendat, notare non omittit morosos illos Confessarios, *quibus* (ut ait) *vix ulla.... doloris ac propositi satis videtur significatio, ut absolvere se posse existiment; ac tum demum tutum se cepisse consilium putant, si homines in aliud tempus absolvendos dimiserint.*

Neque ab his dissentire, aut plus aliquid exigere dicendus est S. Alphonsus, e quo iuverit haec exscripsisse (*Lib. 6. n. 461.*): *Quoad nostrum propositum spectat, sufficit, quod Confessarius habeat prudentem probabilitatem de dispositione poenitentis, et non obstet ex alia parte prudens suspicio indispositionis; alias vix ullus absolvi posset, dum quaecumque*

nere deliquit, nec semper pro non consuetudinario, qui ter aut quater peccare incepit.

Resp. 2° Generatim loquendo, peccatum saepius repetitum brevi tempore facilius inducit eius consuetudinem, quam si longioris tem-

signa poenitentium non praestant nisi probabilitatem dispositionis, ut recte docet Suarez De Poenit. Disp. 32. Sect. 2. n. 1., ubi ait, quod oportet et sufficit, ut Confessarius prudenter et probabiliter iudicet, poenitentem esse dispositum. *Et hoc videtur satis exprimi in Catechismo Romano De Poenit. n. 60., ubi dicitur:* Si audita confessione (Sacerdos) iudicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvi poterit. *Ergo semper ac Confessario positive non innotescit, poenitenti omnino defuisse dolorem, ipsum absolvere potest. Hinc Auctor sup. cit. Istruzione per li novelli Confessori* (scil. Giordanini) *P. 1. C. 15. n. 360. cum Esparza sic loquitur:* Donde noi fermiamo qui per ultimo la conclusione, che è la chiave di tutta questa materia: non ricercarsi altro per amministrare la penitenza, che un giudizio prudente probabile della disposizione del penitente. Onde se le circostanze non fondano un dubbio prudente, ch' egli non sia sufficientemente disposto, non dee il Confessore inquietare sè stesso, nè il penitente per averne l' evidenza, che non è possibile. *Et huic conducit textus in Cap. A nobis 2. De Sent. Excommunicationis, ubi dicitur..., iudicium Ecclesiae nonnunquam opinionem sequi, quam et fallere contingit, et falli.* Hucusque S. Alphonsus.

Illud quosdam movere consuevit, quod facilitas absolvendi, quae per hanc praxim inducatur, facilitatem inferat relabendi in eadem peccata. — Cui instantiae responderi equidem posset cum laudato *Salvatori* (*l. c.*), cuius haec sunt verba: *Rispondo primo: Così aveva sentito dire ancor io, ed in speculativa ci credevo: ma la pratica mi ha disingannato. Non ho trovato ancora uno di vita perduta, che siasi messo allo sbaraglio della iniquità per la facilità trovata nei Confessori: molti ne ho trovati bensì, che l' abbian fatto per una durezza e difficoltà soverchia di assolvere.* Sed deinde negandum prorsus est, facilitatem adesse absolvendi et consequentem facilitatem relapsus, quando Confessarius potius quam commoda ratione se expediat dicens non posse se absolvere (quo fit ut poenitens discedat in eodem statu ac forte deteriori, utpote adversus et sacerdotem et sacramentum indignatus), non sine labore ingenti in se suscepto efficit, ut tunc poenitens absolvatur, cum sufficientia sincerae ac seriae poenitentiae signa exhibens prudentem spem facit, sacramentalem absolutionem ipsi salutarem fore.

Caeterum per haec haud excluditur, quominus aliquando, ubi res postulet, absolutio differri possit iuxta ea, quae sup. (*ad n. 621.*) iam adnotavimus. Illud tamen etiam quoad hoc prae oculis habendum est, quod in cit. Constitutione monet summus Pontifex Leo XII. *Quocumque* (inquit) *animo sint, qui accedant ad sacramentum Poenitentiae, nihil ei* (*Confessario*) *magis cavendum est, quam ne... quispiam... sacramento reconciliationis infensus discedat. Quare si iusta sit causa, cur differenda sit absolutio, verbis, quoad poterit..., humanissimis persuadeat confessis, necesse est, id et munus officiumque suum, et eorum ipsorum salutem omnino postulare, eosque ad redeundum quamprimum blandissime alliciat, ut iis fideliter peractis, quae salubriter praescripta fuerint, vinculis soluti peccatorum gratiae caelestis dulcedine reficiantur.* Et sane quisquis aliquam in excipiendis confessionibus experientiam habeat, verissimum esse id fatebitur, quod affirmavit laudatus *Salvatori* (*l. c.*) quoque suis ipsius verbis referre praestat: *E qui non posso a meno di non dire una cosa, la quale ogni volta che rammento, mi fa fremere lo spirito. Tra i moltissimi, che mi sono capitati nel confessare negli spedali, o allontanatisi affatto per molti*

poris intervallo totidem vicibus repeteretur. — *S. Lig. in Praxi Confess. n. 70.*

639. — QUAER. 2° *Quaenam sint signa extraordinaria doloris?*

Resp. Sequentia communiter recensentur: 1° si poenitens multo

anni dalla confessione, o che per molti anni le hanno fatte dimidiate e sacrileghe, la maggior parte ho trovato (e lo stesso mi hanno detto d'avere osservato altri Confessori), che l'origine di ciò è nata dal cattivo ricevimento, incontrato con qualche Confessore.

** Satisfaciendum hic visum est nonnullis dubiis, quae circa superius dicta de Recidivis movit egregius sacerdos, Aemilius Berardi in Opusculo *De Recidivis.* Faventiae 1873.

Ac 1. Scribit Cl. Berardi (*Pag. 6-7.*): *Ballerini, Frassinetti, et Gury aliqua ad rem dixerunt, ut faciliorem viam aperirent. Sed... circa recidivos non satis aperte, clare, et praecise novas facilitates determinant.*

Resp. Seposita modo tum Frassinetti tum Gury causa (praesertim cum hic in hoc Compendio tantum non presse quoad Recidivos S. Alphonsum sequutus fuerit) fidenter dixerim, nullam unquam fuisse mihi mentem, *novas eiusmodi promere facilitates*, tum quia nihil unquam habui antiquius, quam ut tritas probatorum Doctorum vias sequerer, tum quia post exquisitissima tot Doctorum studia satis enimvero arduum videbitur novi aliquid proferre. Quod si quid novum in hisce *Notis* visum est quibusdam, id vero per accidens factum dixeris, quatenus ex ditissimo magistrorum nostrorum thesauro rursus in lucem fuerit quidpiam revocatum, quod videri nonnullis novum potuit, postquam praesertim ab elapso saeculo etiam in nostra Italia plures scholas Opera et doctrinae v. gr. Gennetti, Witasse, Merbesii, Colleti, Iuveninii, Ludovici Habert, Antoine et huius farinae aliorum invaserant: quibus malis medendis etiam, immo potissime divina providentia B. Doctorem Alphonsum excitavit.

2. Addit Cl. Berardi (*Pag. 7.*): *Quid autem sentiat* (Ballerini) *circa sententiam benignam, quae concedit quidem absolvi posse recidivos per plures vices, sed postea obligat ad differendam ipsis absolutionem, nisi praebeant aliquod signum extraordinarium, non satis aperte declarat. Ex una parte videtur excludere etiam tunc obligationem differendi absolutionem, negare necessitatem cuiuscumque signi extraordinarii, et reiicere theoriam signorum extraordinariorum.... Ex alia parte videtur omnino quod exigat aliquod signum extraordinarium, quatenus scilicet poenitens propter quamdam specialem Confessarii admonitionem manifestiorem dolorem ostendat.*

Resp. Ballerini id sentit, quod sentiunt aut certe sentire omnes debent, nimirum 1. non posse eum absolvi, qui non est dispositus, et absolvi illum posse, qui dispositus appareat; 2. confessarii munus esse, ut dispiciat, afferat, nec ne, poenitens dispositionem, idest, ut ait Tridentinum, *animi dolorem ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero;* quod munus necessarium est, tum si poenitens habituatus sit ac recidivus, tum si talis non sit; 3. ex adiunctis desumi, quo pacto de hac dispositione certior fiat, quantum satis est, confessarius. Interdum enim haec dispositio ex indole et statu poenitentis aliisve adiunctis satis apparet, interdum de ea incertus confessarius haerebit, interdum eam plane deesse deprehendet. In primo casu non est, cur ulterius confessarius sit sollicitus; in secundo media adhibebit ad dubium depellendum; in tertio curam suscipiet, ut cum divina gratia indispositum poenitentem, si fieri potest, efficiat dispositum.

Quod vero indicia, ex quibus dispositio arguatur, quidam alicuius claritatis gratia distinxerint in *ordinaria* et *extraordinaria*, vel in *communia* et *specialia*, esto quidem, si tamen sat dilucide rem proponant: nam Gury

maiorem conatum, quam antea, adhibuerit ad sese emendandum; vel si fuerit notabiliter emendatus: *a fortiori* si vitam iam integre in melius mutaverit; 2° si peccatum diu celatum cum magno rubore confiteatur; 3° si remediis a Confessario praescriptis diligen-

v. gr. quaedam dicit *ordinaria*, quae S. Alphonsus censet *extraordinaria;* et rursus quod in Petro ordinarium est, in Ioanne extraordinarium videbitur; imo pro diverso confessariorum iudicio accidet alteri extraordinarium, quod alteri ne ut ordinarium quidem probabitur, cuiusmodi morosos confessarios notat et Leonis XII Constitutio, de qua sup. in *Nota*. Caeterum rei substantia in hoc residet, ut Confessarius, undecumque demum iudicandi argumenta hauriat, prudens illud de poenitentis dispositione iudicium efformet, quod etiam S. Alphonsus, prouti in hac et praecedenti *Nota* innuimus, sufficiens ad rite absolvendum censuit. Sintne haec dispositionis argumenta seu indicia dicenda *ordinaria*, an *extraordinaria* iuxta quorundam theorias, quaestio minoris momenti videri potest.

3. Quaerit (*Pag. 8.*) Cl. Berardi: *Quid si vel propter defectum fervoris in hac* (*confessarii*) *admonitione, vel utut illa sit serventissima, poenitens nullum unquam speciale signum praebeat? Potestne nihilominus semper absolvi, aut adestne vera obligatio tunc dimittendi illum sine absolutione? Quid senserit Ballerini, non satis aperte constat.*

Resp. Huius dubii solutio facile colligitur tum ex textu Gury, tum ex adiectis *Notis;* quoties nempe constare de sufficienti poenitentis dispositione non potest, in promptu est norma, quam cum poenitente dubie disposito servandam communissima doctrina tradit.

4. Addit Cl. Berardi (*Pag. 29.*): *Omnes dicunt, aut manifesto supponunt, Confessarium nedum ex consilio posse, sed teneri differre absolutionem recidivis, nisi praebeant aliquod signum extraordinarium. Idcirco non videtur accurata sententia Ballerini scribentis: « Unos reperies Salmanticenses, qui ceu probabilius tradunt, quod tunc non solum salubre erit consilium differre absolutionem, sed ad id tenebitur confessarius.»*

Et in eandem rem vir Cl. (*Pag. 43.*) scribit: *Aliam obiectionem facit P. Ballerini prout sequitur: Decem theologi, idest Lugo, Sayrus, Bonacina, Toletus etc. nullam ponunt obligationem differendi absolutionem recidivis: imo aperte supponunt, ipsos semper absolvi posse.* Tum post multa concludit (*Pag. 48.*): *Multiplici ergo ratione etiam ista P. Ballerini obiectio corruere videtur.*

Et de eadem re vir Cl. iam praemiserat (*Pag. 40.*): *Ballerini dicit, quod si solos excipias Salmanticenses..., caeteri theologi antiquiores expresse affirmant aut manifesto supponunt poenitentem absolvi posse, atque dilationem absolutionis ut mere utilem, atque adeo solum ex salubri consilio, et quandoque tantummodo admittendam proponunt.*

Resp. Decem illi theologi a Ballerinio non afferuntur contra praxim differendi absolutionem recidivis extraordinario doloris signo carentibus, ac multo minus ut probetur, eiusmodi recidivos semper absolvi posse. Et, ut plane dicam, paulisper difficile intellectu est, quomodo Cl. Berardi aut alius quispiam suadere sibi potuerit, hoc doctrinae monstrum a nobis tradi aut defendi. Equidem iuxta ipsos recidivus extraordinarium signum nullum afferens sin minus habendus sit ceu positive indispositus, saltem talis est censendus, de quo non constet, utrum sit dispositus. At vero quamnam rationem afferunt, ut affirmare non dubitent, ex Ballerinii sententia absolvi semper posse recidivum, de quo nullatenus constet, utrum sit dispositus? Immo quis unquam e theologis hoc opinionis portentum protulit? Nam novimus quidem, hanc opinionem Ioanni Sancio fuisse attributam; at erronee, ne dicam per meram calumniam, id factum in praec. *Nota* animadversum est.

tius usus sit; 4° si longum iter fuerit aggressus ad confessionem rite peragendam; 5° si impense requirat, ut confessionem generalem instituat, aut maiorem vitae anteactae peccatorum partem repetere velit; 6° si fuerit inductus extraordinario motivo ad confi-

Caeterum quorsum adducti sint decem illi theologi, manifeste ex scopo illius *Notae* (*Not. ad n. 621.*) patet. Ibi expresse sermo est *de poenitente rite disposito*, quocum adhiberi utiliter posse dilatae absolutionis remedium, ut ad corrigendam pravam consuetudinem impellatur, auctoritate decem eorum theologorum confirmatur. Quin imo in allegatis DD. testimoniis agi de poenitente rite *disposito* inde ibidem evincitur, quod dilationem absolutionis mere *utilem*, non autem *necessariam* dicant. *Quod vero isti Doctores* (ita disertis verbis in ea Nota) *disserant* DE POENITENTE DISPOSITO, *inde manifeste patet, quod absolutionis dilationem insinuent non tamquam necessariam, sed ut mere utilem, et ex mero consilio, et solum aliquando adhibendam:* quae quidem verba satis per se indicant, *necessariam* etiam iuxta nos esse dilationem absolutionis, quoties poenitens minus dispositus deprehendatur, aut de eiusdem dispositione non satis constet. Quod vero ibi ad indicandum poenitentem *rite dispositum* non usurpetur phrasis *signorum extraordinariorum*, parcat Cl. Berardi; at 1° non erat hic locus; 2° habeat, per nos licet, quisquis velit, hanc phrasim ceu necessariam: at nobis invicem venia detur, ut quandoquidem hic dicendi modus per tot saecula necessarius visus non est, ita nova hac theologica lege nemo constringatur, ac multo minus perperam intelligatur, si cum recepta theologorum consuetudine alio loquendi modo quis utitur.

5. Advertet hic forte Cl. Berardi, hosce decem theologos in medium trahi etiam in *Nota* immediate huic praecedente, ubi sermo est de Recidivis.

Resp. Hoc verissimum est. Sed simul verum est, hos Doctores ibi allegari, non quidem ut eorum sententia exponatur circa modum agendi cum recidivis, aut de dispositione eorum iudicandi, sed solum ut ostendatur, minus ad rem S. Doctorem Alphonsum hos Doctores, eaque horum loca allegasse, quae a nobis in Nota ad n. 621. allata fuerant. Quod ergo Cl. Berardi ait: *Ballerini dicit, quod si solos excipias Salmanticenses..., caeteri theologi antiquiores expresse affirmant, vel manifeste supponunt poenitentem absolvi posse* etc., id sensum sane exprimit, quem utique visus sibi est, posse Ballerinio attribuere, sed non quem aut verba aut contextus Notarum Ballerinii ferant.

Itidem verum est, quod vir cl. habet, collatis Notarum contextibus laudatos Doctores ceu Salmanticensibus oppositos apparere; neque vero res aliter se habere ob evidentiam facti poterat; quippe Salmanticenses ipsi (*Tr. 17. C. 2. n. 170.*) ab eorum Doctorum sententia, quam alioquin probabilem dicunt, se discedere palam profitentur. Veruntamen ne huic oppositioni sensus minus veritati consonus affingatur, habendus prae oculis est scopus, propter quem in *Nota* praec. tum praedictorum Doctorum (*n. 1.*), tum Salmanticensium (*n. 3.*) mentio iniicitur. Quemadmodum videlicet finis in scenam trahendi (*n. 1.*) eos Doctores unicus hic fuit, ut ostenderetur aliam esse sententiam S. Doctoris Alphonsi, aliam vero eorum Doctorum, quorum allegationes se sumpsisse ex n. 168. loc. cit. Salmantic. ipsemet indicabat; ita et disserendi (*n. 3.*) de Salmanticensibus haec ratio extitit, ut palam fieret, S. Doctoris sententiam distare a Salmanticensium quoque placitis, a quibus tamen suam hausisse sententiam videtur. Porro ex eo, quod diversa ibi exhiberi causa videatur, propter quam S. Alphonsi doctrina distat modo a laudatorum Doctorum, modo a Salmanticensium sententia, non sequitur profecto, rationem oppositionis inter eos Doctores et Salmanticenses eam esse, quam vir cl. assignat. Nihil equidem in *Nota* curae fuit plus aliquid addere de quaestione, prouti eam Salmanticenses

tendum, nempe, concionis auditae, morte alicuius amici, etc.; 7° si confiteatur cum magna humilitate et verbis compunctionem cordis redolentibus (saltem ordinarie); 8° si sponte asserat se velle omnino peccatum vitare cum omni incommodo: *a fortiori* si dicat se malle mori quam peccare; 9° si suspiria aut gemitus edat, vel lacrymas fundat (saltem ordinarie); 10° non raro etiam spontanea confessio haberi potest ut signum extraordinarium doloris, praesertim in illis iuvenibus et viris, qui seipsos et timorem humanum vincere debent, ut ad confitendum accedant.

640. — Quaer. 3° *An absolutio negari possit consuetudinario, qui recusat confiteri pluries in anno?*

Resp. Neg. per se, si aliunde videatur sufficienter dispositus; quia nullum est praeceptum confitendi pluries in anno, et sunt alia media, quae iniungi possunt ad consuetudinem vincendam. Tales potius sunt suaviter et fortiter inducendi, ut saepius accedant, v. gr. in festo Pentecostes, Assumptionis B. Mariae Virg., Nativitatis Domini, etc.

Quaer. 4° *Quid agendum cum iis, qui confitentur immediate ante matrimonium contrahendum, et hucusque pravae consuetudini addicti fuere?*

pertractant; quippe ad scopum *Notae* nullatenus id pertinebat. At si ea inspiciatur, haud aegre apparebit tum alia ratio praedictae oppositionis, tum etiam ratio, cur Salmanticensium opinio prorsus singularis dici queat.

Quaestionem nimirum instituunt (*l. c. n. 167.*) de habente consuetudinem peierandi vel blasphemandi, qui ad confessionem accedat *cum dolore de praeteritis et imposterum emendam* FIRMITER PROPONAT. Tum (*n. 168.*) primam sententiam (ipsis probabilem) afferunt, *quod licet salubre sit consilium differre absolutionem, quando creditur profutura talis dilatio: at si poenitens cum dolore et* PROPOSITO FIRMO *accedat,* potest illum absolvere. In secunda sententia afferenda addunt, quod non solum potest, sed debet poenitens absolvi, si *cum dolore et* PROPOSITO DICTO *accedat..., nisi ex aliqua circumstantia eum non habere verum dolorem diiudicet.* At vero nonne ista praeferunt eum statum poenitentis, quem, ut vidimus, etiam S. Alphonsus sufficientem censuit, ut possit absolvi? Nonne idipsum confirmat allegatio Suarezii, Sanchezii, Palai etc., qui adducuntur uti arbitrantes poenitentem satis esse dispositum, ut absolvi possit? Nonne id suadet et secundae sententiae allegatio, ubi Ioan. Sancius adducitur, contendens contra primae sententiae auctores, nunquam esse differendam absolutionem, propterea quod plus prosit gratia sacramenti, quam absolutionis dilatio? Nonne demum ipsi Salmanticenses concedunt, posse eum poenitentem absolvi, si ratio quaepiam extrinseca id postulare videatur? Non ergo eo sensu accipienda est oppositio inter Salmanticenses et Auctores, a quibus discedunt, quasi hi censeantur sensisse, absolvi poenitentem quoque posse, de cuius sufficienti dispositione non constet, sed potius pronum est concludere, habita contextus totius ratione Salmanticenses in severiorem prae ipso S. Alphonso doctrinam quadantenus declinasse, quatenus singularia doloris signa exegerint, ubi iam satis poenitens dispositus dignosci poterat, utcumque diffitendum non sit, quaedam inibi (quod novum in hoc opere non est) permisceri elementa, quae omnimodam in ea rerum congestione cohaerentiam desiderandam relinquunt.

Resp. 1° Si inter se peccare soliti fuerint, facilius absolvi possunt; occasio enim per matrimonium cessabit.

Resp. 2° Maior est difficultas, si prava consuetudo ex alia parte proveniat; attamen magis expedit tales absolvere saltem conditionate, quam non absolutos dimittere, nisi de eorum indispositione certo constet (*a*).

PUNCTUM III.

De poenitentibus piis.

Confessarius constituitur non tantum ad absolvendos peccatores, sed etiam ad animas in via perfectionis dirigendas; omnibus enim Confessariis repetit Dominus, quod olim Ieremiae dixit: *Ecce constitui te super gentes, ut evellas et dissipes, aedifices et plantes.*

Regulae generalis directionis.

641. — I[a] *Regula.* Ante omnia studeat Confessarius poenitentium intimos animi motus et conditionem perspicere, ut instructionem possit illorum capacitati et naturae accommodare; neque enim omnes sunt eodem spiritu ducendi, nec uno modo omnes regendi. — *Vide S. Lig. in Praxi Conf. n. 99. et seq.*

II[a] *Regula.* Ducat poenitentes ad perfectionem per gradus et ordinate, ita ut prius conentur assequi primum virtutis gradum quam ad supremum contendant, v. gr. prius discant operari recta intentione (*b*), et actiones ordinarias recte peragere, quam altiora excogitent; prius discant levia patienter ferre, quam gravia appetant; prius discant pati aequo animo, quam de adversis velint gaudere (*c*).

III[a] *Regula.* Doceat omnes, perfectionem cuiusque in eo sitam esse, ut opera ordinaria bene peragant, v. gr. ut bene orent, Missae intersint, laboribus sese exerceant, refectionem corporis

(*a*) Quaestio istiusmodi, additaque solutio theoriam redolent, quam neque Auctor ipse probat, eorum scilicet, qui quemlibet consuetudinarium *a priori* definiunt uti indispositum atque absolutionis incapacem. Cui quidem theoriae ea quoque repugnant, quae A. sup. (*a n. 633.*) praemiserat. Scholarum catholicarum doctrina certa est, quemlibet poenitentem, sive sit consuetudinarius sive non, absolvi non posse, si non appareat dispositus, absolvi vero posse, si sufficientia verae poenitentiae indicia praebeat. Et cum in casu dilatio absolutionis grave inducat incommodum, quando sufficienter dispositus appareat, non solum potest, sed debet sine dilatione absolvi.

(*b*) Intellige de recta intentione *negative,* idest ne actionibus ex obiecto bonis finem inordinatum superaddant. Nam finem rectum si intelligas, *ut actio Deo placeat, ob amorem Dei fiat*, etc., non primum seu infimum habes gradum virtutis, sed supremum, qui in exercitio perfectae charitatis residet.

(*c*) Adverte tamen illud, *Spiritus, ubi vult, spirat;* insuper quosdam, Deo sic permittente, defectibus inflci, dum alioquin magnis Dei donis, solidoque virtutum fructu abundant.

modo, quo par est, sumant, inoffense cum proximo conversentur, omnia denique, ad quae ex officio et statu incumbunt, recte obeant.

642. — IVª *Regula.* Probet opportune poenitentes devotionem profitentes, ut advertat quo spiritu ducantur, an Dei vel mundi, amoris vel timoris; et quis affectus sit in eis praedominans, qui primo mortificandus sit. Attamen non omnes eodem modo probandi et tractandi sunt, sed cautela et discretione opus est: sic benignius excipiendi, qui ad tristitiam proni sunt, ne in animi deiectionem labantur; animae etiamnum tenerae, quas Deus primo sibi conciliat, mollius sunt tractandae; si autem animae sint nobiliores aut fortiores, vel habeant beneficia Dei extraordinaria, suavitati iungenda est quaedam severitas. Sed caveat Confessarius, ne probatio sit aperta (*a*); secus enim nihil prodest.

Vª *Regula.* Non imponat, quinimo, ubi opus sit, temperet extraordinarias poenalitates; sed sic instituat animas, ut ipsaemet eas sponte deposcant; neque credendum illarum spiritui, quae studiose extraordinaria sectari deprehenduntur, nisi adsint signa certa eas impulsu divino duci. Si quis advertatur esse in rebus agendis proprii iudicii tenax, suaviter est corrigendus (*b*).

VIª *Regula.* Curet, ut ii qui ad sacram Synaxim frequenter accedere possunt, singulis hebdomadis aut saltem bis in mense confiteantur (*c*).

Vide plura apud S. Ligorium, in Praxi Confessarii.

ARTICULUS II.

DE OFFICIO MINISTRI POST CONFESSIONEM

Duplex est obligatio Confessarii post confessionem: 1° *per accidens,* quoad defectus commissos reparandos; 2° *per se,* quoad sigillum servandum.

(*a*) Caveat praesertim, ne hisce probationibus plus quam parcissime et rarissime utatur. Nam fere occasiones internoscendi spiritum, quo poenitentes ducuntur, centies se sponte offerent.

(*b*) Num cum persona proprii iudicii tenaci *suaviter* agendum sit, nec ne, potius ex perspecta eius indole et adiunctis definiendum videtur. Illud sane maxime interest, ut huic vitio prorsus efficaciter confessarius medeatur. Tenacitas enim iudicii aegre componetur cum perfecta illa obedientia, sine qua et profectus in vera virtute vix ullus sperari potest, et gravis quoque ruinae periculum non frustra timetur. Eam in rem S. Ignatius Loyola (*Epist. De virtute Obedientiae* §. *11.*) apposite affert verba Cassiani (*Collat. 2. Abb. Moysis Cap. II.*): *Nullo alio vitio tam praecipitem diabolus monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quam cum eum, neglectis consiliis seniorum, in suo iudicio persuaserit, ac definitione, doctrinave confidere.*

(*c*) Simul autem caveat, ne si forte eiusmodi personae statis temporibus accedere ad confessionem non possint, idcirco etiam a S. Communione abstineant.

§. I. *De obligatione corrigendi defectus in confessione commissos.*

643. **Principia.** — I. Error circa valorem Sacramenti cum gravi culpa vel gravi negligentia commissus, supposito gravi damno poenitentis (*a*), reparandus est etiam cum gravi incommodo Confessarii. Ratio est, quia Confessarius ex officio et ex quasi-contractu cum poenitente inito tenetur, rite ipsi administrare Sacramentum. Si autem error sit inculpabilis vel leviter culpabilis, Confessarius obligatur quidem ex iustitia (*b*), sed cum minori incommodo. — *S. Lig. n. 619.* cum damno relative gravi, nisi periculum salutis immineat.

(*a*) Grave poenitentis damnum seu periculum adesset, si v. gr. invalide omnino aut nullo modo absolvisses infirmum ad mortem, qui idcirco aeternae salutis discrimen incurreret, aut etiam (ut ait S. Alphonsus *n. 619.*) si poenitens esset in gravi periculo non amplius confitendi, v. gr. dum longum iter maritimum aggreditur. Abesset vero grave hoc poenitentis damnum, quando etsi confessarius vel citra facultates suas absolvat a reservatis tum censuris tum peccatis, vel prorsus invalide aut nullo modo absolutionem impertierit, tamen in primo casu poenitenti bonae fidei, ut supponimus, etiam reservata fuissent indirecte remissa, in aliis vero casibus remedium non deesset aut in sumptione Eucharistiae, quae per accidens ex communi doctrina cum S. Thoma primam gratiam homini attrito conferret, aut in sequenti confessione cum alio sacerdote, qua indirecte peccata quoque praecedentia, non secus ac fit de peccatis per oblivionem omissis, remitterentur.

Quando autem grave illud poenitenti immineat periculum, atque adeo confessarius, ut errorem reparet, monere poenitentem debeat, sunt qui generatim dicant, petendam ab hoc veniam; quia ex communi sententia sigillum vetat, ne sacerdos vel cum ipso poenitente post perfectam confessionem loquatur de rebus in ea auditis, etc., et si poenitens veniam detrectet, confessario nihil superesse agendum. At merito S. Alphonsus (*n. 622.*) casum excipit absolutionis aut nullo modo aut invalide impertitae; ratio est, quia ubi confessarius mere dicat, v. gr. se eum non absolvisse, profecto nec pudor iniicitur poenitenti, nec ulla intervenit peccati exprobratio, atque adeo deest ratio cur poenitens invitus sit, onerosaque exinde fiat confessio; quae sunt causae, cur sacerdos, sponte miscens cum poenitente sermonem de auditis ab eo in Confessione, contra sigillum facere censeatur. Caeterum in casu non teneretur Confessarius fateri, se *culpabiliter* errasse; satis enim foret dicere, *errorem intercessisse,* aut simplicius quoque *opus esse, ut iterum illum absolvat.* Si vero poenitens nondum monitus ad eundem confessarium redeat, ne opus quidem erit de errore illum monere; nam si excitetur ad dolorem de omnibus etiam antea confessis, absolutio praesens ad praecedentia quoque peccata directe terminabitur.

(*b*) S. Alphonsus, quem A. hoc loco allegat, mavult, Confessarium, qui inculpabiliter erraverit, teneri tantum ex charitate, nisi sit parochus poenitentis. Sed, ut verius aliis videtur, sacerdos ex charitate quidem confessionem audit; verum, audita confessione, ad sacramentum perficiendum tenetur ex iustitia, quia tenetur ex officio (utcumque sponte suscepto), et ex quodam quasi contractu; quae confessarii conditio eadem perseverat, etiamsi *sine culpa* erraverit. Prout igitur error *culpabilis* vel *inculpabilis* extiterit, differet obligatio confessarii, non quod modo ex iustitia, modo ex charitate haec urgeat, sed solum sicut differt obligatio servandi alium indemnem, prouti damnum infertur per iniuriam *formalem* vel mere *ma-*

II. Error circa accidentia Sacramenti non est reparandus extra confessionem, si Confessarius in hoc negative tantum, etsi culpabiliter, se habuerit: ratio, quia Confessarius non tenetur procurare integritatem Sacramenti et utilitatem poenitentis, nisi in con-

terialem, seu etiam prout differt obligatio restituendi rem inique ablatam, ac obligatio quaerendi dominum rei, quam quispiam casu invenerit: hic enim utique ex charitate curam rei suscipit; sed post hanc curam susceptam, ad rem custodiendam, dominumque eiusdem, prout adiuncta exigunt, quaerendum, non ex charitate, sed ex iustitia tenetur.

†† S. Doctorem Alphonsum defensuri VV., prope octo columnas (*Pag. 621-624.*) contra hanc Notam struunt. Sic itaque arguunt (*Pag. 623.*): *Si quis gratuito ex mera charitate depositum suscepit, nihilominus ex iustitia rem ea diligentia servare et custodire tenetur, qua homines diligentes huiusmodi res servare et custodire solent.... Si autem praedicta diligentia adhibita res citra omnem culpam perit aut deterioratur, ad nihil plane ex titulo iustitiae tenetur.* Et de exemplo in *Nota* proposito subdunt: *Postquam rem inventam, licet ex mera charitate in depositum et curam suam suscepit, ex iustitia non tantum ad dominum quaerendum, prout adiuncta exigunt, sed etiam ad rem ordinaria diligentia custodiendam tenetur: si autem res sine culpa ex sua parte perit vel deterioratur, et postmodum dominus eam reclamat, ad nihil tenetur.* Et ex his concludunt: *Nulla ergo est obligatio Confessarii, qui inculpabiliter erravit, ad damnum reparandum ex titulo iustitiae. Si autem Confessarius nihilominus tenetur, solum tenetur ex charitate; et quidem ex generali illa charitatis lege, qua proximo subvenire, et damna temporalia et spiritualia ab ipso avertere obligamur, in quantum hoc sine gravi incommodo fieri potest.*

Resp. *Nego Suppositum*, atque adeo *paritatem*; et exinde *Nego Consequens et Consequentiam*. *Suppositum* est, quod per errorem confessarii res in eum statum adducta sit, ut reparari nequeat per ea media, ad quae idem confessarius ex officio tenetur; quemadmodum nempe per eam diligentiam, ad quam tenetur depositarius, prospici non potest rei depositae, quae citra depositarii culpam iam interierit. Atqui hoc manifeste falsum ex ipso quaestionis statu apparet. Si enim confessarii error irreparabilis supponitur, perperam disputatur, num ad eum corrigendum teneatur ex iustitia, an solum ex charitate. Porro S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 619.*) affirmat, confessarium ex charitate teneri ad errorem suum emendandum. Ergo non est quaestio de re ad eam conditionem deducta, ut comparari queat cum re deposita, quae iam interierit.

Quodam suo modo paulo aptior esset comparatio cum depositario, qui per inculpabilem errorem rem depositam forte venderet, aut donaret, aut eo loco reposuisset, in quo forte perituram aut damnum passuram deinde adverteret. Quaestio porro fiat: Ex sola ne charitate, an vero ex iustitia iste teneretur ad rem forte venditam aut donatam recuperandam, si fieri possit, aut ad rem removendam ab eo loco, in quo damnum passura esset? Et adhuc clarius in rem nostram: Exigeretne diligentia, ad quam *ex iustitia* tenetur depositarius, ut in hypothesi rem alteri traditam recuperandam curaret, aut a loco noxio subtraheret, an vero hoc diceremus merae charitatis officium? Concludatur ergo, VV. ex incongrua paritate falsum deduxisse consectarium.

Neque vero eiusmodi paritate aut argumento ductus S. Alphonsus asseruit, ex *sola charitate* confessarium in hypothesi ad monendum de errore a se commisso poenitentem obligari. S. Doctor (*l. c.*) videtur hoc ratiocinio usus: obligatio in casu non urget sub gravi incommodo; ergo confessarius tenetur ex sola charitate. Nemo tamen ex DD., quos ibi S. Alphonsus allegat, ita ratiocinatur. Nam omnes obligationem monendi *ex*

fessione, ut medicus spiritualis et minister Sacramenti. — Reparandus est autem etiam extra confessionem error, si positive et cum culpa gravi commissus fuerit; quia ex iure naturali quisque debet tollere causam mali, quam positive et voluntarie posuit (*a*). Quaerenda tamen est poenitentis venia; quam si poenitens neget, Confessarius ad nihil ulterius tenetur. — *S. Lig. n. 620.*

III. Nulla erit obligatio monendi extra confessionem, si defectus versetur circa integritatem confessionis, quia hic error vix, aut ne vix quidem poenitenti vel aliis nocere potest (*b*). — ***Ita communiter.***

officio confessarii repetunt, utcumque addant in hypothesi cum magno detrimento aut incommodo non urgere. Rem bene explanat Lugo (*De Poenit. Disp. 22. n. 62.*), quem et S. Alphonsus allegat: *Unusquisque* (Lugo inquit) *tenetur* EX IUSTITIA, *non solum ad non inferendum directe et ex industria malum proximo; sed etiam ad procurandum, quantum commode* POSSIT, *ne ex sua actione proveniat proximo damnum contra ius illius: v. gr. si inadvertenter accendisti domum alienam, teneris, cum primum advertis, ex iustitia extinguere ignem, si commode potes; licet alius, qui non accendit ignem, non teneatur ex iustitia, sed ex charitate illum extinguere. Nam licet actio fuerit inculpabilis; fuit tamen tua, et teneris procurare, ne ex tua actione patiatur aliquod detrimentum proximus in rebus suis, si commode possis: minor enim est haec obligatio, quam illa alia non laedendi positive; et ideo ad hoc non teneris, nisi cum commode possis impedire. Similiter si bona fide infamasti aliquem, putans esse verum crimen, quod audieras de illo; debes postea, si commode potes, cognito errore reparare illius famam, et extinguere incendium famae, quod inculpabiliter accenderas.* Egregie autem idem Lugo (*l. c.*) hoc principium praemiserat, nimirum quando error contingat *sine gravi culpa: Tunc,* inquit, *iuxta regulam supra positam dicendum est, debere, si commode possit, admonere poenitentem de errore;* ALIOQUIN INCIPIET IAM ILLI IMPUTARI IGNORANTIA POENITENTIS.

(*a*) Quod A. ad obligationem monendi extra confessionem videatur exigere, ut error commissus fuerit cum *gravi culpa*, id enimvero videtur contra communiorem sententiam DD., qui (Vid. Lugo, *De Poenit. Disp. 22. n. 73.*, et S. Alphonsus *Lib. 6. n. 620.*) tantummodo concedunt, eum, qui sine culpa, aut cum culpa levi in damnum poenitentis erravit, leviori causa a facienda monitione excusari, quam si error ex gravi culpa processerit. Qua in re sunt insuper pensanda hinc incommodum et detrimentum confessarii in monendo, atque etiam qualecumque gravamen poenitentis in sermone instaurando de confessionis materia, inde vero damnum seu periculum ex errore timendum, quod vel *levius* esse potest, si v. gr. confessarius erronee dixerit, poenitentem non teneri ad ieiunium vel ad missam audiendam et huiusmodi, vel *gravius,* si v. gr. confessarius ita poenitentem deceperit, ut maneat in occasione proxima, vel non tollat scandalum, vel contrahat invalidum matrimonium, etc.

(*b*) Distinctio aliqua videtur hic adhibenda. Aliud est enim, si Confessarius mere non curavit, ut integra fieret confessio; aliud, ut ait Lugo (*De Poenit. Disp. 22. n. 73.*), si positiva causa fuit, cur poenitens non confiteretur integre, dicendo, v. gr. non opus esse confiteri peccatorum species aut numerum. In primo casu valet doctrina Auctoris; de qua vide Suarez (*De Poenit. Disp. 32. Sect. 6. n. 8.*). In altero casu locum potius habent, quae *in not. praeced.* dicta sunt. Duo tamen sunt, quae hanc obligationem extra confessionem monendi minuere videntur. Unum est, quod in confessione sequenti alius Confessarius tum species tum numerum interrogabit, et poe-

614. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Ad quid teneatur Confessarius, qui indebite poenitentem a restitutione facienda solvit, vel e contrario ad eam obligavit?*

Resp. 1° Si ex malitia vel ignorantia vincibili, aut gravi negligentia solverit indebite poenitentem, tenetur errorem corrigere; quod si non corrigat, vel poenitens, qui secus restituisset, interea factus sit impotens ad restituendum, Confessarius ipse eius loco restituere tenetur, quia ius creditoris violavit, impediendo scilicet restitutionem ei debitam.

Resp. 2° Item si ex malitia aut ignorantia vel negligentia gravi obligavit poenitentem ad restitutionem indebitam, tenetur ex iustitia errorem retractare; et si poenitens iam restituit, tenetur ipsi damnum resarcire.

Resp. 3° Si inculpabiliter aut ex levi negligentia poenitentem indebite obligavit, vel ab obligatione solvit, tenetur ex iustitia errorem corrigere, non tamen cum tam gravi incommodo. Ratio est, quia ex una parte quisque tenetur ex iustitia impedire, ne sua actione etiam inculpabili pariat alteri damnum, quod facile praecavere potest; et aliunde ex culpa levi aut tantum materiali ordinarie non oritur obligatio cum gravi incommodo. — *S. Lig. n. 621.*

615. — QUAER. 2° *Ad quid teneatur Confessarius qui omisit monere poenitentem de restitutione facienda?*

Resp. 1° Tenetur, si damnum praevidet, monere poenitentem de obligatione cum aliquo incommodo, si nulla aut levis tantum culpa intervenerit, saltem ratione charitatis; maiori autem cum incommodo, si in omissione graviter peccaverit. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 621.*

Resp. 2° Probabilius non tenetur restituere, etiamsi monitionem omittendo graviter peccaverit; ratio, quia Confessarius non tenetur ex iustitia impedire damnum eius, cui debetur restitutio. — *Recole dicta in Tractatu de Iustitia et Iure,* ubi de cooperatoribus negativis, *n. 691.* — *S. Lig. ibid.*

616. — QUAER. 3° *An teneatur ad restitutionem, qui ex levi tantum culpa poenitentem ab obligatione restituendi solvit, si deinde negligat eum monere, cum facile possit?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia licet Confessarius sine culpa saltem gravi poenitentem exemerit a restitutione, tamen cum eius consilium pergat influere in damnum creditoris, ipse, cognito errore,

nitentem forte cunctantem ob errorem, quo fuerat imbutus, edocebit, atque adeo errorem corriget; et exinde cessat monitionis necessitas. Alterum est, quod in casu monitio ex natura materiae, quae necessario versatur circa gravia peccata, sermonem de iis adducit, quae magnam poenitenti verecundiam iniiciunt, et gravis idcirco eiusdem offensio timeri merito potest. Proinde a fortiori id valet, quod S. Alphonsus (*n. 619.*) adverterat de monitione omittenda in casu invalidae absolutionis; magis enim in nostro, quam in isto casu offensio ista ac poenitentis gravamen per se exsurgit.

tenetur ex iustitia causam damni auferre, si facile possit. — *S. Lig. n. 622., et alii communiter.*

QUAER. 4° *An Confessarius sine poenitentis licentia possit extra confessionem cum eo loqui de defectu commisso in confessione?*

Resp. Neg., si poenitens iam discesserit; ratio, quia monitio illa extra confessionem onerosa est poenitenti. Aliunde post absolutionem completum est iudicium; nec refert, quod monitio fiat ad reparandum eiusdem confessionis defectum. — *S. Lig. n. 622.* — *Lacroix, n. 1776.,* etc. — Attamen si error Confessarii inducat poenitentem in periculum salutis, v. gr. si non absolvisset, etiam non petita licentia, posset ex abrupto errorem suum aperire, dicendo v. gr. se non absolvisse; qua ratione sane nec sigillum frangitur, nec rationabilis adesse potest poenitentis offensio. — *S. Lig. n. 619.*

§. II. *De sigillo confessionis.*

Sigillum confessionis est religiosa obligatio servandi secretum circa ea, quae ex confessione sacramentali cognita sunt.

Agendum 1° de obligatione sigilli; 2° de subiecto sigilli; 3° de obiecto sigilli; 4° de variis modis illud violandi.

PUNCTUM I.

De obligatione sigilli.

647. **Principia.** — I. Datur strictissima obligatio inviolabiliter servandi sigillum confessionis. Constat 1° ex *iure naturali,* et quidem titulo tum iustitiae, tum religionis; 2° ex *iure divino positivo,* saltem implicito; nam ex institutione Christi confessio secreta esse debet: ergo eo ipso a Christo imposita est Confessariis obligatio sigilli servandi; 3° ex *iure ecclesiastico:* constat ex pluribus Iuris canon. locis, praesertim ex *Conc. Lateran. IV. c. 21. Omnis utriusque sexus,* ubi dicitur: *Caveat autem omnino* (Confessarius) *ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat.*

II. Obligatio sigilli confessionis semper in omni casu urget, ita ut nullo casu possibili liceat revelare quidquam in confessione auditum et acceptum. Ratio manifeste patet; quia si aliqua posset dari exceptio, homines semper timerent, ne tale peccatum foret illa causa frangendi licite sigillum; et proinde odiosum evaderet Sacramentum. Porro nulla causa boni assequendi, vel mali fugiendi istud malum odii Sacramenti compensare potest. — *Vide S. Lig. n. 634.*

III. Obligatio sigilli oritur ex *omni* et *sola confessione sacramentali,* quae nempe fiat cum animo se accusandi et absolutionem

obtinendi. Dicitur 1° *ex omni....*, quia tunc adest tota ratio praecepti; et hoc valet, etiamsi non collata esset absolutio quacumque de causa, cum confessio fiat in ordine ad recipiendam aliquando absolutionem; 2° *ex sola....*, quia sola confessio sacramentalis inducit sigilli obligationem, cum alia manifestatio quaelibet nullam relationem cum Sacramento Poenitentiae habeat. — *S. Ligor. n. 636.*, etc.

648. **Resolves.** — 1° Confessio quae *scienter* fit laico vel Sacerdoti iurisdictione carenti, non inducit obligationem sigilli, sed tantum secreti naturalis. Secus dicendum esset, si Sacerdos credatur approbatus; quia confessio ex parte poenitentis vere est sacramentalis.

2° Si quis ad Confessarium accedat animo eum decipiendi, irridendi, in peccatum pertrahendi, aliquid ab eo extorquendi, non se accusat in ordine ad Sacramentum, et proinde nulla est obligatio sigilli sacramentalis.

3° Si quis conscientiam Confessario aperiat sine voluntate absolutionem suscipiendi, sed ut consilium obtineat, vel ut mandato Superioris aliquo modo satisfaciat, urget tantummodo obligatio secreti naturalis, quia hoc non fit in ordine ad absolutionem.

649. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An detur parvitas materiae in sigilli violatione?*

Resp. Neg. saltem in revelatione directa. Ratio est, quia materia, etiam levissima, includit totam rationem praecepti. — *S. Lig. n. 635.*

Dixi, *saltem in revelatione directa,* quia si periculum indirectae revelationis sit valde remotum seu parum probabile, dari potest materiae levitas. Revelatio enim, si aliqua forte tunc sequeretur, casu et per accidens subsequi censenda foret.

650. — Quaer. 2° *An liceat uti opinione probabili in materia sigilli?*

Resp. Neg., quia non licet uti opinione probabili in praeiudicium iuris certi, quod alter possidet, etc. Confessarius igitur ad sigillum tenetur, etiam in dubio, an aliquid dictum sit a poenitente in ordine ad confessionem. — *S. Lig. n. 633.* (*a*).

(*a*) Praestabit heic ea subiicere, quae de hac re habet Diana (*Tom. I. Tr. 8. init.*) in prooemio ad Tractatum de Sigillo Sacramentali: *Miraberis fortasse* (inquit) *amice lector, me in sequenti Tractatu strictiores semper opiniones amplecti, qui tamen in aliis ad exonerandas conscientias benignioribus libenter adhaesi. Sed ita merito faciendum esse duxi. Laxae enim opiniones circa praesentem materiam odiosum ac onerosum efficiunt sacramentum poenitentiae, quod facile ac leve a nobis reddendum esse omnis recta ratio expostulat. Igitur in his materiis, quando duae adsunt opiniones, semper illa debet seligi, quae favet sacramento, ad cuius sacrosanctum tribunal alliciendi potius, quam retrahendi, sunt poenitentes. Adde quod licet speculative loquendo multae ex infrascriptis opinionibus contra sacrum sigillum sint probabiles, tamen, prout concedunt ipsi Do-*

QUAER. 3° *Quid Confessarius respondere debeat interroganti de auditis in confessione, aut de impertita absolutione?*

Resp. Quoad 1um respondeat etiam interposito iuramento, si opus sit, se nihil scire, vel nihil audivisse; quia nullam habet scientiam communicabilem. — *Ita omnes.*

Quoad 2um respondeat: *Functus sum meo officio;* vel *Suntne interrogationes istae faciendae? — S. Lig. Hom. apost. n. 148.*

PUNCTUM II.

De subiecto sigilli.

651. **Principia.** — I. Tenetur primario ad sigillum Confessarius quilibet, sive verus, sive fictus, et per errorem legitimus existimatus, et proinde etiam laicus, qui se Sacerdotem fingeret, et confessionem exciperet. Ratio est, quia quoties quis confitetur in ordine ad Sacramentum, quisquis eum audit, contrahit eo ipso sigilli obligationem; secus enim odium Sacramenti inde sequeretur. — *Ita omnes.*

II. Tenentur secundario, qui confessionis fiunt participes seu ii omnes ad quos notitia confessionis quomodocumque pervenit, sive ex ipsa confessione, sive ex mediis ad illam ordinatis. Dicitur 1° *ex ipsa confessione;* nam res accusata ad eorum notitiam pervenit eadem occasione; ergo eadem adest causa, propter quam obligatio sigilli datur, scilicet, ne odium in Sacramentum creetur; 2° *ex mediis;* nam odium mediorum in finem ipsum redundat.

Hinc ad sigillum tenentur 1° interpretes adhibiti in confessione peragenda (*a*); 2° Superiores, a quibus extra Sacramentum petitur facultas absolvendi vel recipiendi absolutionem a casu reservato; 3° qui peccatum, dum quis confitetur, sive de industria, sive etiam inculpabiliter audiant, et pariter si qui ab istis illud forte audirent; 4° qui scribunt confessionem rudium, vel ignorantium linguam Confessarii (*b*), praesertim si alio modo confessio peragi non possit; 5° doctores a Confessario consulti de licentia poenitentis; 6° ii omnes quibus Confessarius sacrilege vel imprudenter peccata in confessione audita manifestasset. — *S. Lig. n. 647. et 648.*

652. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An poenitens quoque obligetur sigillo respectu Confessarii?*

ctores contrarii, ut in praxim sine peccato deducantur, cum tantis circumscriptionibus agendum est, ut difficile sine aliquo scandalo fieri posse existiment. Recte igitur in hac materia semper a Confessariis in favorem sacri sigilli tenendum esse puto.

(*a*) Nempe si quis *sponte* per interpretem confiteri velit; nam, ut alibi dictum est, nemo ad id unquam obligatur.

(*b*) De his quoque valet, quod de adhibendo interprete dictum est, nullam nempe adesse obligationem his mediis utendi.

Resp. 1° Non tenetur ad sigillum sacramentale, quia obligatio sigilli est tantum in favorem poenitentis.

Resp. 2° Tenetur autem ad secretum naturale circa ea, quae revelare nequit sine iniusto Confessarii damno, aut contra rationabilem eius voluntatem, vel sine iniuria et contemptu Sacramenti. — *S. Lig. n. 647.*

Quaer. 2° *An Confessarius possit loqui cum poenitente de ipsius confessione?*

Resp. 1° Potest loqui in confessione de omnibus confessionibus praeteritis (*a*).

Resp. 2° Potest etiam loqui post absolutionem antequam poenitens discesserit, vel si postea redierit. Ratio est, quia licet completum sit Sacramentum, tamen iudicium adhuc moraliter perseverat.

Resp. 3° Extra sacrum tribunal ne ullum quidem verbum sine poenitentis licentia facere cum ipso potest circa ea, quae ad eius confessionem pertinent. Excipe, nisi ipse poenitens prior de sua conscientia (*b*) loquatur. — *S. Lig. n. 651.*

653. — Quaer. 3° *An teneatur ad sigillum, qui legit chartam in qua poenitens confessionem scripsit?*

Resp. 1° *Neg. per se.* Ratio est, quia hoc non est medium de se ordinatum ad confessionem, et proinde non infert *per se* obligationem *sigilli sacramentalis,* sed tantum *secreti naturalis;* sub gravi tamen per se urget, nisi de levissimis culpis agatur. — *S. Lig. n. 650.*

Resp. 2° *Per accidens* potest adesse obligatio sigilli, si charta esset aut fuisset medium necessarium ad confessionem: v. gr. si scripta esset a muto, vel directa ad Superiorem alicuius reservationis causa (*c*); item si charta iam tradita esset Sacerdoti; maxime vero si quis eam legeret, dum est in manu Confessarii, aut in actu

(*a*) Intellige, si gravis quaepiam causa id exigit. Nam etiam intra confessionem, nisi longa consuetudo confitendi apud eundem sacerdotem quandam familiaritatem inter hunc et poenitentem induxerit, grave poenitentibus solet accidere, quod refricetur memoria peccatorum, quae alias sunt confessi. Quin etiam minus prodest, nec gratum est poenitentibus, quod post longum tempus Confessarius memor appareat veterum peccatorum; et e contra prodest, quod Confessarius, velut Dei administer, illud in se praeferat, quod de ipso Domino Deo dicitur (*Is. XXXVIII. 17.*): *Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea;* et (*Mich. VII. 19.*): *Proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra;* et (*Hebr. X. 17.*): *Peccatorum et iniquitatum eorum non recordabor amplius.*

(*b*) Idest loquatur de iis, quae fuerunt confessionis materia: neque enim quivis sermo a poenitente iniectus de rebus conscientiae suae facultatem tribuit de omnibus in confessione ab eo auditis colloquendi; imo Confessarius excedere non deberet materiam, de qua poenitens verba fecerit.

(*c*) Alias iam animadversum fuit, neminem, ne mutum quidem, ad scribendum teneri; et si absens sit Superior, qui facultatem dare potest pro reservatis, dictum iam alias fuit, confiteri poenitentem posse apud alium, a quo directe absolvatur a non reservatis, et sic indirecte etiam reservata remittantur.

confessionis, aut amissa esset ab ipso Confessario (*a*), quia in his casibus ad confessionem pertinet. — *S. Lig. ibid.*

654. — Quaer. 4° ***An teneatur ad sigillum confessionis doctor consultus ab ipso poenitente?***

Resp. Neg. saltem *probabilius,* si consulatur circa confessionem alteri faciendam; sed tenetur tantum ad *secretum naturale.* Ratio est, quia obligatio sigilli oritur ex sola confessione sacramentali, in qua poenitens manifestat peccata in ordine ad absolutionem. — *S. Lig. n. 549. — Suarez, disp. 33. sect. 4. — Billuart, diss. 8. art. 3.,* contra *aliquos*, qui ideo affirmant, quod revelatio confessionem redderet odiosam. Sed, ut merito reponit *S. Ligor.,* non ipsa confessio, sed consultatio odiosa evaderet.

Dixi supra: *si consulatur circa confessionem alteri faciendam;* quia si poenitens eum consulat circa confessionem ipsimet faciendam, sigillo tenetur, cum haec consultatio velut inchoata confessio habenda sit.

PUNCTUM III.

De obiecto sigilli.

655. **Principia.** — I. Obiectum sigilli sunt omnia peccata confessa (*b*), et omnia quae ad individuam peccatorum explicationem pertinent. Ratio est, quia non tantum pro peccatis, sed etiam pro iis omnibus, quae iuvant ad ea explicanda, urget ratio sigilli, et aliunde haec cum peccatis quid unum constituunt.

II. Obiectum sigilli est etiam quidquid in confessione manifestatum est, cuius revelatio cederet in gravamen poenitentis et in odium Sacramenti; quia sigillum inductum est, ne ex metu revelationis fideles a Sacramento Poenitentiae retrahantur.

656. **Resolves.** — Sub sigillo confessionis cadunt: 1° Omnes peccatorum circumstantiae, etiam post absolutionem declaratae; nam unum moraliter sunt cum peccatis iam accusatis: imo idem dicendum, etiam si dubium esset, utrum circumstantiae in ordine ad confessionem declaratae fuerint, necne.

(*a*) Card. De Lugo, e quo desumpta haec sunt, non limitat, *si charta amissa sit ab ipso Confessario,* sed (*De Poenit. Disp. 23. n. 48.*) generatim dicit: *Imo licet post absolutionem aliquis invenisset eam in confessionali, probabile videtur, quod teneretur ad sigillum: quia illa videtur esse ipsa confessio manens.* In confessionali autem relinqui potest etiam a poenitente, sive ipse eam a Confessario lectam receperit (et optimo consilio Confessarius semper poenitenti chartam restituet), sive ex scripto poenitens confessus fuerit. Quocirca canon adhibendus hic quoque videtur, de quo supra *n. 650. Quaest. 2.*

(*b*) *Certum est* (inquit Lugo *Disp. 23. n. 50.*) *peccata omnia mortalia, imo et venialia esse materiam sigilli: cum hoc tamen discrimine, quod mortalia non solum in specie, sed etiam in genere; venialia vero in specie, et non in genere: potest enim dicere Confessarius:* Iste mihi confessus

2° Peccata complicis, etsi absque necessitate cum peccato essent revelata, quia ex intrinseca confessionis occasione dicta sunt.

3° Poenitentiae impositae, nisi forte sint valde leves, seu ex iis quae pro levissimis culpis imponi solent. — *S. Lig. n. 604. et seq.*

4° Defectus manifestati per confessionem ad explicandam peccati rationem, v. gr. si poenitens dicat se sacros Ordines cum irregularitate suscepisse, *eo quod sit illegitimus*, etc. — *S. Lig. ibid.*

657. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An virtutes et scrupuli poenitentis sub sigillo cadant?*

Resp. ad 1um *Neg. per se*, nisi inde sequatur gravamen poenitentis, vel aliorum (*a*).

Resp. ad 2um *Affirm.*, quia scrupulositas aliquo modo est materia

est sua peccata venialia. *Nam eo ipso, quod confessus est, supponitur confessus venialia: quare sicut potest dicere, confessum esse, ita potest dicere confessum esse venialia, et pro illis poenitentiam accepisse.*

(*a*) Huc pertinent etiam extraordinaria Dei dona, et charismata; quae, ut censet Lugo (*De Poenit. Disp. 23. n. 58.*), et post eum S. Alphonsus (*n. 642.*) cum aliis, materia sigilli *saltem in obliquo* evadere possunt, quando manifestentur ad melius declarandam proprii peccati malitiam propter ingratitudinem. Diana tamen (*Tom. I. Tr. 8. Res. 19.*) putat, raro id locum habere; consentit autem cum Lugo, *poenitentem posse Confessarium obligare sub secreto naturali has virtutes et dona celandi.* Caeterum allata ratio, cur virtutes ac dona evadere queant materia sigilli sacramentalis, non videtur magnam vim habere.

** Ad postrema huius *Notulae* verba scribunt VV. (*Pag. 643. in Not.*): *Concedere tamen debet P. B., eandem* (*rationem*) *esse saltem probabilem, ac proinde a Confessario non posse licite reiici aut negligi.*

Resp. Ratio quaepiam, ut probabilitatem pariat opinionis, iuxta omnes et etiam S Alphonsum, gravis et solida debet esse. Porro in casu licet ex revelatione donorum extraordinariorum quispiam coniicere posset, ea dona a poenitente manifestari non solum directionis gratia, sed etiam ad declarandam malitiam et ingratitudinem propriam, quid enimvero in hoc reperies, quod *ad sigillum confessionis* aliquo modo pertineat? Coniecerit, esto, quispiam, forte poenitentem ob ea dona intensiore peccatorum suorum dolore affectum fuisse. At vero cum poenitentes eiusmodi donis ditati vel de levissimis defectibus intensissimum concipere dolorem soleant, quid demum coniectatio illa infert, quod refundi in sacramentalis sigilli violationem possit?

S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 641.*) casum excipit, *si ea dona dicantur ad explicandum aliquem defectum.* Verum et haec ratio videtur longius petita. Numquid enim erit contra sigillum confessionis dicere, poenitentem esse aut Religiosum, aut sacris Ordinibus insignitum, aut coniugatum, aut ludimagistrum etc., quia aliquam ex his circumstantiis poenitens manifestavit ad aliquem defectum manifestandum?

Res ergo adducenda videtur ad eos limites, quos ita Lugo (*Disp. 23. n. 58.*) proponit: *Aliquando dici* (ea dona) *possunt ad declarandum melius aliquod peccatum, v. gr. ingratitudinem erga Deum post haec vel illa dona, et beneficia Dei; vel inconstantiam in bono post tale propositum firmum procurandae perfectionis, et similia: et tunc credo, quod pertineant ad sigillum, cum iam sint, saltem in obliquo, materia confessionis;* ET ALIUNDE APPARET, QUOD POENITENS NON VULT ILLA EXTRA CONFESSIONEM MANIFESTARE, SED RETINERE ILLA SUB SIGILLO ARCTISSIMO CONFESSIONIS. Curnam enimvero postremam hanc conditionem apposuit?

confessionis, et aliunde ex tali manifestatione gravamen poenitentis sequeretur. — *S. Lig. n. 644.* — *Lacroix, n. 1947.* — *Lugo*, etc. (*a*).

(*a*) Scrupulus certe est materia sigilli, quando quis id confitetur quasi peccatum, quod tale non est, sed peccatum ex falso iudicio ab illo putabatur. Ita Lugo (*De Poenit. Disp. 23. n. 59.*); qui tamen aliter iudicat de scrupulositate, sicut et de aliis defectibus poenitentis, *quos* (inquit *ibid. n. 60.*) *Confessarius ex ipso modo confitendi colligere potest. Circa quos aliqui videntur supponere, contineri sub sigillo, atque ideo non posse sine eius violatione confessarium dicere, poenitentem esse scrupulosum, impertinentiis et naeniis tempus conterere, et caput audientis rumpere, esse morosum, et his similia. Sed verius credo, non contineri; ut Navarrus Cap. 8. n. 12. dicit, non esse contra sigillum, si dicat aliquis, talem poenitentem obtundere caput Confessarii suis minutiis. Ratio est, quia defectus alii manifestantur a poenitente ad declarandam suam conscientiam, et peccata; et hi continentur sub sigillo. Alii fiunt ibi ab ipso poenitente, quos Confessarius non audit ex relatione poenitentis, sed ipse eos videt et percipit; et hi sicut non dicuntur secreto, sic non sunt sub sigillo.*

Hinc et S. Alphonsus (*n. 644.*) concedit, Confessarium posse fugere poenitentem, qui communiter dignoscitur esse prolixus, inquietus in fatendo etc.; quia clare apparet, Confessarium fugere, ne ab eius naturali prolixitate et inquietudine afficiatur taedio, ac molesta temporis iactura. Veruntamen idem S. Alphonsus tum (*n. 643.*) quoad alios defectus, tum (*n. 644.*) quoad scrupulositatem dicit, se non acquiescere sententiae Lugonis, et adhaerere potius sententiae Tamburini, qui contra Lugonem docet, *non esse licitum* ea revelare. At vero falsum est, De Lugo concedere, licitum esse ea detegere, de quibus est quaestio; tum ipse enim, tum Navarrus tantummodo contendunt, eam manifestationem non esse *violationem sigilli sacramentalis;* aliud est autem, manifestationem quamdam non esse violationem sigilli sacramentalis; aliud eam *manifestationem esse licitam,* cum possit esse contra legem secreti naturalis; quae duo idem S. Alphonsus (*n. 642.*) egregie distinxerat. Exemplum revelationis, quae odiosam potest reddere confessionem, nec tamen est violatio sigilli, habes infr. *n. 659.*

** Non placet VV. (*Pag. 642. in Not.*) 1° distinctio Card. De Lugo inter *defectus qui manifestantur a poenitente ad declarandam suam conscientiam et peccata*, et alios defectus, *quos confessarius non audit ex relatione poenitentis, sed ipse eos videt et percipit.* Itemque 2° non placet distinctio inter *manifestationem, quae sit violatio sigilli sacramentalis,* et *manifestationem,* quae non sit licita, utpote *quae sit contra legem secreti naturalis, non tamen sit violatio sacramentalis sigilli.*

Et reponunt: *Ut hisce breviter respondeatur, duplicem revocare sufficiat regulam a S. Doctore hac de re traditam.* 1° *Regula generalis est, quod laeditur sigillum, quoties utitur confessione... in poenitentis gravamen* (*Hom. Ap. Tr. 16. n. 157.*). — 2° *Non est licitum uti opinione probabili in praeiudicium iuris certi, quod alter possidet; poenitens autem possidet ius, ne occasione suae confessionis ullum patiatur gravamen* (*Lib. 6. n. 653.*).

Resp. Quoad secundam e praemissis distinctionibus, quas reprobant, VV. profecto, dum haec scribebant, obliti videntur eorum, quae pagina praecedenti (*641.*) ipsi ita scripserant: *Unica quaestio, de qua hic agitur, ea est, an Confessarius sigillum frangat; non autem, utrum licite loquatur, et nulla alia ratione delinquat.* Certe autem de *locutione* agunt, quae importat *manifestationem:* quaestio enim est de confessario, qui dicat se in confessione audivisse peccatum Religiosi *talis Ordinis.* Cur ergo sibi non applicant duplicem S. Doctoris regulam, quam contra *Notam* obiiciunt? Pondus, et pondus; mensura et mensura!

QUAER. 2° *An cadant sub sigillo defectus naturales poenitentis, v. gr., quod sit surdus, balbutiens, pauper, ignarus, claudus....?*

Resp. 1° *Affirm.*, si Confessarius noverit tales defectus ex declaratione poenitentis, seu quatenus fuerunt manifestati ad declaranda peccata (*a*); quia tunc connexionem cum confessione habent, et eorum declaratio Sacramentum redderet odiosum.

Quoad priorem vero Cardinalis De Lugo distinctionem, hic quoque VV. obliti videntur eorum, quae S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 642.*) ita habet: *Quaeritur, utrum frangat sigillum confessarius, qui propalat defectus naturales sui poenitentis, nempe quod sit ignobilis, pauper, aut ignarus, surdus et similia. Respondetur: Si confessarius tales defectus noverit, quatenus a poenitente fuerint manifestati ad explicanda, et ad plenius suam conscientiam manifestandam* (ut ait paulo post); *tunc certe cadunt sub sigillo, ut communiter tenent etc.* CUM LUGO etc... *Secus vero si confessarius noverit defectus illos, quatenus poenitens incidenter sive impertinenter ad confessionem eos detexerit, ut etiam communiter dicunt... Et hoc est valde probabile. Ratio, quia cum poenitens tales defectus ultro detegat sine ullo ordine ad explicanda peccata, eos minime videtur subiicere* (*nec subiicere posset*) *clavibus sigilli, cum ad confessionem nihil pertineant.* Et in his iam habes distinctionem Card. De Lugo; quinimo ulterius progreditur S. Alphonsus, qui loquitur de defectibus, *quos poenitens ultro detegit*, dum Lugo de defectibus agit non quidem a poenitente ultro detectis, sed de iis, *quos Confessarius ipse videt et percipit*, et quos non aliter adverteret, etiamsi non occasione excipiendi confessionem, sed de re mathematica disserendi cum poenitente colloquia haberet.

(*a*) Vix intelligi potest, quomodo ad declaranda peccata pertineat, quod poenitens sit balbutiens, claudus, surdus, etc. Praeterea cum hi defectus latere alios non queant, ne secreti quidem naturalis materia esse possunt. Potius ad declaranda peccata pertinere poterit, quod quis sit ignarus officii, quod forte exerceat, medici v. gr., advocati, parochi, Confessarii, magistri etc.

** Hic VV. (*Pag. 643. in Not.*) carpunt P. Gury, quod *veram S. Alphonsi doctrinam haud exacte referat;* tum remittunt ad *Hom. Apost.* (*Lib. 16. n. 154.*), ubi S. Doctor (aiunt) *distinguit inter defectus a Gury permixtim enunciatos*, nempe defectus, *quorum manifestationem ex se aegre ferre potest poenitens*, et *defectus, qui ei rubori aut exprobrationi non sunt.*

Resp. Gury refert defectus *permixtim,* uti permixtim eos exponit S. Alphonsus, qui (*Lib. 6. n. 642.*) habet: *Quod sit ignobilis, pauper, aut ignarus, surdus, et similia.* Et rursus (*Ibid. n. 643.*), *quod sit blaesus, surdus, rudis, hebetis ingenii etc.* Quinimo etiam in loco, quem VV. allegant ex *Hom. Apost.* (*Tract. 16. n. 154.*), sic habet: *Cadunt etiam sub sigillo* (*ut iam innuimus*) *defectus naturales poenitentis, v. gr. quod sit surdus, balbutiens, pauper, ignarus etc., quoties habetur eorum notitia ex confessione... etiamsi poenitens exponeret tales suos defectus sine necessitate, sed solum ad meliorem suorum peccatorum explicationem.* Ergo non erat, cur VV. reprehenderent Gury, *quod eos defectus referat permixtim* etc.; nec erat itidem, cur carperent *Notam*, quod in ea dicatur *vix apparere, quomodo ad declaranda peccata pertineat, quod poenitens sit balbutiens, claudus, surdus* etc. Caeterum cum inter eiusmodi defectus alii ad materiam sigilli pertinere possint, alii nequaquam, ut vidimus in praec. Nota etiam a VV. admitti, Gury autem ibi solum *de sigillo* tractet, et doctrinam S. Alphonsi mere de hoc exponat, necesse non erat, ut de aliis distinctionibus sermonem ibi iniiceret, cum huc non pertineant.

Resp. 2° *Neg.* vero, si confessarius illos defectus incidenter tantum noverit. — *S. Lig. n. 642. et alii communiter*, contra *nonnullos.*

658. — QUAER. 3° *An cadant sub sigillo peccata commissa in ipsa confessione, v. gr. impatientiae, contumeliae in Confessarium?*

Resp. 1° *Neg. per se*, quia culpas illas poenitens non confitetur, ut patet.

Resp. 2° *Affirm.* tamen plerumque, quamvis per accidens tantum; quia licet peccata illa non sint per se materia sigilli, saepe tamen per accidens revelationis periculum aliquo modo involvunt: iudicium enim probabile praebent, quod Confessarius vel poenitentem noluerit absolvere, vel propter culpam graviorem eum severius reprehenderit, etc. (*a*).

Non caderet autem sub sigillo furtum a poenitente in damnum ipsius confessarii tempore confessionis commissum. Imo si constaret, furem ad confitendum venisse, ut furandi occasionem haberet, peccata ab ipso accusata non forent materia confessionis; siquidem talis confessio non vera, sed simulata tantum esset.

659. — QUAER. 4° *An violet sigillum, qui dicit se audivisse talem personam in confessione?*

Resp. Neg.; nam quod aliquis ad confitendum accedat, id agnoscitur externe seu extra confessionem. Aliunde hoc non est *per se* odiosum, sed potius laudem affert. Confessarius tamen ad secretum naturale teneretur, si quis clam ad confitendum accessisset. Caeterum aliquando per accidens suspicio gravis peccati sic ingeri posset. — *S. Lig. n. 638.*

QUAER. 5° *An violet sigillum, qui dicit se talem poenitentem absolvisse?*

Resp. Neg. per se, quia istud poenitenti in tali casu onerosum esse nequit. Attamen posset in quibusdam adiunctis onerosum evadere aliis, de quibus idem dici non potest. — *Ita communiter.* Proinde parentes, magistri, heri, interrogantes de absolutione data filiis vel subditis, remittendi sunt ad ipsos poenitentes. Similes quaestiones facere solent Moniales curae infirmorum in nosocomiis addictae, ut sciant an necessaria ad Viaticum ministrandum parare debeant: hae pariter ad infirmos sunt remittendae; vel melius est

(*a*) Sic optime conciliantur et Lugo, qui (*De Poenit. Disp. 23. n. 60.*) negat, haec esse sub sigillo, et S. Alphonsus, qui (*n. 643.*) id affirmat.

** Et hanc *Notulam* VV. (*Pag. 643. in Nota*) carpere voluerunt, aientes: *P. Gury nihil conciliavit, nec conciliare intendit: quippe qui S. Doctoris sententiam iisdem fere verbis refert.*

Resp. *Nego prorsus.* Nam in Resp. 2. Gury apposuit vocem PLERUMQUE, quam S. Alphonsus neque *Lib. 6. n. 643.* neque *Hom. Apost. Tr. 16. n. 154.* habet. Ea autem vox conciliat S. Doctorem qui recte haec esse sub sigillo affirmat, quando periculum revelationis aliquo modo involvunt, et Cardinalem De Lugo, qui recte id negat, si quando hoc periculum non involvunt, v. gr. si poenitens in verba gravis impatientiae proruperit, quia confessarius, interrupta confessione, accurrit ad subveniendum homini in ipso templo repentina apoplexi correpto.

petenda ab infirmo licentia Moniales vel alios monendi. Sufficiet autem infirmo dicere: *Monebo*, etc. (*a*).

660. — QUAER. 6° *An Confessarius tradens poenitenti schedulam in testimonium confessionis, declarare possit eum fuisse absolutum?*

Resp. Neg. omnino. Ratio est, quia fieret comparatio cum poenitentibus, qui non possent declarari *absoluti*, et proinde sequeretur indirecta confessionis revelatio. — *S. Lig. n. 639.* (*b*). — Excipit S. Auctor, si schedulae essent typis editae et in iis diceretur absolutionem fuisse datam; quia tales schedulae omnibus traderentur.

QUAER. 7° *Quomodo conficienda sit schedula confessionis?*

Resp. Sic confici solet: Ego infra scriptus testor audivisse confessionem N. die tali etc.: huic schedulae nomen suum subscribit Confessarius. Vel brevius: Audivi talem in confessione, die, etc. Potest etiam dici: *Audivi confessionem sacramentalem;* quia est sacramentalis omnis confessio, quae fit in ordine ad absolutionem recipiendam, sive absolutio data fuerit, sive non.

661. — QUAER. 8° *An violet sigillum Confessarius, qui poenitenti indisposito schedulam confessionis denegat?*

Resp. 1° *Affirm.* quoties denegat schedulam poenitenti extra confessionem eam petenti. Ratio est, quia utitur notitia confessionis ad exterius agendum, et quidem cum magno poenitentis gravamine.

Resp. 2° *Affirm.,* etiamsi poenitens non absolutus petat schedulam intra confessionem, et agatur de iis circumstantiis, in quibus solet dari, vel a Superioribus poenitentis exigitur, ut saepe fit tempore Paschali pro alumnis collegiorum, famulis, etc. Ratio est, quia ex denegatione schedulae notum aliis fit, poenitentem non esse rite confessum nec absolutum, ideoque erit indirecta sigilli violatio. — *Ita communiter. — S. Lig. n. 639. — Elbel, n. 492. — Sporer, n. 8 9.,* etc.

Resp. 3° *Neg.* autem, si poenitens petat schedulam in confessione extra praefatas circumstantias, seu quando non solet omnibus dari, vel a Superioribus non exigitur. Ratio est, quia tunc Confessarius nihil dicens, se habet mere negative, et non approbat illam confessionem testimonio positivo, ad quod non tenetur. Aliunde poenitens non compellitur necessitate declarandi aliis, se non fuisse absolutum; unde si hoc dicat, ipse suam indispositionem patefacit, non vero Confessarius.—*Ita Lugo, disp. 23. n. 87. cum aliis.*

Interdum tamen potest Confessarius etiam poenitenti indisposito dare schedulam confessionis ob varia incommoda, quae ex eius

(*a*) Intellige, quando infirmus S. Eucharistiam sumpturus sit; nam quando omittere S. Communionem debeat, minus opportunum videbitur, Confessarium sibi hanc curam de hoc alios admonendi assumere.

(*b*) S. Alphonsus reipsa nihil horum habet. Omissa autem quaestione, an testari de impertita absolutione unquam expediat, manifestum est, resolutionem Auctoris locum habere tantummodo quando ea comparatio et consequens inde incommodum intercedat.

denegatione sequerentur; nec tunc cooperabitur sacrilegio poenitentis, qui forte hoc confessionis testimonio utetur ad Sacramentum vivorum, v. gr. Eucharistiam vel matrimonium in statu peccati recipiendum; ratio, quia id suae malitiae poenitens tribuere debebit. — *Elbel, n. 492.*

Resp. 4° *Neg.* etiam quoties poenitens simulatam confessionem fecit, v. gr. ad poenam fugiendam, infamiam vitandam, aut schedulam arripiendam, ut si iuvenis intuitu matrimonii sic confiteatur: *Feci quod solent facere iuvenes meae conditionis: nihil superest aliud dicendum: non peto absolutionem, sed testimonium peractae confessionis.* Non enim frangitur sigillum, sive schedula denegetur intra, sive extra confessionem. Ratio est, quia sigillum oritur ex sola confessione sacramentali, quae hic nullo modo habetur. Nec generatim potest Confessarius talibus schedulam concedere, quia sine ratione sufficienti eorum futuro sacrilegio cooperaretur. Praeterea falsum assereret, nempe ipsos fuisse confessos, quod verum non est. — *Lugo, disp. 23. n. 87. Elbel, n. 494.,* etc.

662. — Quaer. 9° *Quid agere debeat Confessarius detegens poenitentem esse surdum?*

Resp. 1° Si surditatem advertat in principio confessionis, imponere poenitenti debet, ut tempore et loco opportuno redeat.

Resp. 2° Si in decursu confessionis id deprehendat, *generatim* non potest alta voce poenitenti imponere ut redeat, ne aliis ingerat suspicionem, illum de materia gravi confessum fuisse; sed audiat peccata, quo meliori modo potest, et praetermissis interrogationibus, impertiatur poenitenti absolutionem modo absoluto, si eum dispositum iudicet, vel conditionatam, si de dispositione dubitet; et poenitentiam levem ei imponat, ne alii eum graviter peccasse existiment. — *Ita S. Lig. n. 642.,* cum *aliis communiter.*

663. — Quaer. 10° *An possit Confessarius monere complicem (de licentia poenitentis), vel alium ad complicem corrigendum?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia complex ex confessione alterius complicis nullum ius acquirit ad sigillum sacramentale; hoc enim sigillum institutum est in favorem poenitentium tantum; et proinde ius secreti acquiritur illi soli, qui illud committit. — *S. Ligor. n. 641., et alii communissime.*

Ordinarie tamen non expedit, ut Confessarius talem licentiam petat (*a*); sed satius erit, poenitentem inducere ad id extra confessionem sibi aperiendum; imo melius etiam erit, ut ipse poenitens rem deferat alteri, qui malo remedium afferre queat. — *S. Lig. ibid.*

(*a*) Fac recolas quae superius (*n. 501.*) dicta sunt de confessariis exquirentibus nomen complicis etiam ad correctionem, deque Constitutionibus Benedicti XIV. circa eandem materiam.

PUNCTUM IV.

De variis modis sigillum violandi.

664. — Duplici modo violari potest sigillum: 1° *directe*, revelando expresse aliquid ad secreta Confessionis spectans; v. gr. si dicatur: Titius hoc fecit, etc.; 2° *indirecte*, aliquid dicendo aut faciendo, ex quo quis cognoscere aut suspicari possit peccatum vel defectum (*a*) poenitentis in sola confessione cognitum, aut ex quo poenitenti vel aliis, v. gr. complicibus, possit oriri pudor, molestia, dedecus, damnum vel quodlibet gravamen (*b*).

Iª *Regula.* Violatur sigillum indirecte, quoties poenitentes vel alii merito offendi possunt de dictis aut gestis a Confessario ex sola notitia in confessione habita (*c*). Non autem violari censetur, si poenitentes haec indifferenter sint habituri. Ratio utriusque satis constat ex supra dictis. — *Ita communiter.*

IIª *Regula.* In dubio an in tali modo loquendi vel agendi adsit periculum *revelationis*, vel *offensionis*, pro *tutiori parte*, seu sigillo favente standum est. — *Ita communiter; et constat ex dictis supra, n. 650.*

IIIª *Regula.* Nulla est sigilli violatio si quis narret peccatum in confessione auditum, ita ut nullo indicio revelari possint peccatores. Attamen, seclusa utilitate instructionis vel consilii petendi,

(*a*) Distingue tamen inter defectus; nam, ut (*sup. n. 657.*) dictum est, non cuiuslibet defectus revelatio violationem sigilli importat.

(*b*) Haec accipe cum opportunis limitationibus, quae desumi ex praemissis possunt. Non enim quodvis Confessarii dictum vel factum, ex quo molestia, dedecus, damnum, aut gravamen poenitentis, sequatur, pertinet ad fractionem sigilli sacramentalis, sed solum ex quo revelatio aliqua directa vel indirecta sequatur eorum, quae ad sigillum pertinent. Ita v. gr. si Confessarius revelet, quempiam venisse etiam ad quaerendam eleemosynam, intercessionem, mediationem ad ineundam pacem etc. Secus vero non carebit quidem culpa sacerdos, sed non contra sigillum delinquet.

** Carpunt VV. hanc Notulam (*Pag. 643. in Not.*), quia (aiunt) distinctio inter *gravamen*, quod sit, vel non sit contra sigillum, involvit *petitionem principii*.

Resp. Non videntur VV. satis inspexisse prima *Notae* verba, ubi dicitur, *limitationes desumi ex praemissis posse.* In *praemissis* enim ea distinctio satis declaratur. Exemplum VV. habent apud S. Alphonsum (*Hom. Ap. Tr. 16. n. 154.*), ubi scribit: *Si poenitens communiter nosceretur nimis prolixus et molestus in confitendo, Confessarius non frangit sigillum, si ab eo aufugeret..., quando communiter una simul ille poenitens haberetur bonae conscientiae.* Ecce factum Confessarii, quod molestum certe poenitenti accidit, nec tamen est contra sigillum.

(*c*) Intellige, si Confessarius utatur notitia eorum, quae iuxta praemissa sint materia sigilli sacramentalis. Etiam secunda pars huius regulae rite intelligenda est; nam si agatur de materia sigilli, non minus contra hoc peccabit Confessarius, licet credat, poenitentes forte non esse id moleste laturos.

a similibus narrationibus generatim abstinendum est; ratio, quia audientes laici, praesertim simplices, facile scandalizantur, suspicantes violari sigillum. Et quandoque in frequentibus et promiscuis istis colloquiis periculum est, ne in suspicionem poenitentis quis inducatur, imo et sequatur revelatio.

665. **Resolves.** — Secretum confessionis indirecte violat

1° Qui unum prae aliis, quos audivit, laudans, dicit eum sola venialia commisisse; quia alii inde facile in suspicionem culpae mortalis adducuntur.

2° Qui de peccato poenitentis per solam confessionem cognito loquitur cum aliis, qui hoc aliunde norunt, etiamsi audientes non advertant, illud ex confessione acceptum esse.

3° Qui dicit, se non absolvisse talem, eum remisisse ad tale tempus, vel nondum absolvisse, vel nondum expletam esse confessionem (*a*); ratio postremi est, quia longa confessio denotat ordinarie multa peccata, aut indispositionem poenitentis, nisi cognosceretur esse confessionem generalem, aut a longo tempore resumptam, ita ut poenitens hoc non aegre ferat. Item qui de Titio, cognito ut fure, dicit, eum sua furta cum contritione magna sibi confessum esse.

4° Qui alta voce, aut alio modo a circumstantibus intelligibili, arguit poenitentem (*b*); hoc enim et grave est poenitenti, et aliis suspicionem ingerit, illum gravia peccata confessum esse; *a fortiori* autem, si nimis vocem extollendo repeteret peccata poenitentis, aut de eorum circumstantiis interrogaret.

5° Qui loquitur cum alio Confessario de peccatis alicuius poenitentis, etiamsi is utrique eadem peccata confessus fuerit.

6° Qui auditis paucorum confessionibus dicit se tale peccatum audivisse, licet celet personam; singuli enim ex illa revelatione aliquid suspicionis contra se patiuntur. Item qui peccata ex confessione cognita ita narrat ut audientes possint ratione aliqua coniicere vel suspicari, quinam ea commiserint.

7° Qui narrans alicuius personae peccata, quae extra confessionem cognovit, addit aliquam circumstantiam cognitam ex sola confessione, vel qui utitur notitia confessionis ad rem magis determinandam aut confirmandam.

666. — 8° Qui diceret, se in tali monasterio audivisse peccatum grave, etiamsi non nominaret personam; quia singuli Religiosi il-

(*a*) Differt ab hisce, quod Confessarius mere dicat, quempiam esse ad se reversurum; quippe aliis de causis praeter recensitas ab Auctore poenitens reverti potest, et reipsa contingit ut revertatur; et caeteroqui subinde necesse est id alicui dicere, ut liber ad Confessarium accessus poenitenti pateat. Ad hunc autem casum pertinet, quod A. subiicit, poenitentem hoc non aegre ferre.

(*b*) Intellige, nisi constet, poenitentem alia de causa redargui, v. gr. ob importunitates etc.

lius conventus detrimentum patiuntur (*a*). *A fortiori* violaret sigillum qui diceret, in conventu illo talia peccata committi. — Secus

(*a*) Si *singuli Religiosi domus illius patiuntur detrimentum*, manifestum est, infamiae et gravaminis participem esse eum quoque, qui peccatum confessus est, utpote qui et ipse domus illius pars est; et hinc vera ratio, cur id cedat in praeiudicium sigilli.

Oppositam sententiam, quae per hoc violari sigillum negat, S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 654.*) tribuit Escobario (*Lib. 16. n. 752.*) et apud hunc Nugno, Fagundez, Candido et Henriquez (quem tamen, nescio quomodo, deinde et pro alia contraria allegat); et Henriquez quidem (*Lib. 6. Cap. 21. n. 6. not. e*) pro se affert praeterea *Navarrum, Ledesma, Victoria, Manticam, et alios* (ut inquit) *recentiores;* quibus ex Diana (*Tom. I. Tract. 8. Res. 12.*) addi potest et Malderus. Sed duo de his advertenda occurrunt. Nam 1° plerique eorum non de *Monasterio* seu *Conventu* disserunt, sed de *Religione* seu *Ordine Religioso;* 2° eatenus tantum, et quidem mere opinando, negant, *in rigore* violari sigillum, quatenus *possit talis Confessarius puniri tamquam revelator confessionis*, ut ait Nugnus apud Diana (*Tom. I. Tr. 8. Res. 11. n. 3.*), vel, ut habet Malderus, quatenus *possit puniri poena ordinaria inflicta contra fractores sigilli.* Caeterum non negant hi DD., gravius vel levius pro qualitate criminis peccari. Imo Fagundez (*De 2. Praec. Eccl. Lib. 6. Cap. 5. n. 12.*) expresse peccari contra sigillum admittit cum Suarezio, qui de hoc argumento ista habet (*De Poenit. Disp. 33. Sect. 3. n. 8.*): *Cavendum maxime est, ne offendatur communitas, ad quam talis persona pertinet, ut si dicat* RELIGIONEM *in particulari: quia revera hoc iam redundat in gravamen notabile poenitentis propter iniuriam, quae fit Communitati. Videantur S. Antoninus et Navarrus, Petrus Sotus et Ledesma, qui dicit, in rigore hanc esse fractionem sigilli. Navarrus vero ait, non esse in rigore contra sigillum, licet sit peccatum. Sed certe non quodcumque peccatum est, sed contra Sacramentum; ergo et contra sigillum.* Et Escobar postquam (*l. c.*) dixit, imprudentem eiusmodi Confessarium *gravissime delinquere, dum Communitatem tanta inurit infamia*, concludit, quod *Sacerdos, adeo loquens incaute, dignus quidem est, qui ab hoc gravissimo ministerio, viros requirente praeditos prudentia, arceatur.*

Haec cum ita sint, cumque praemissi Auctores haec dicant non de Monasterio aut Conventu, sed de *Ordine religioso*, aut certe etiam de Ordine Religioso, ipsi vero fateantur, se laxiorem prae aliis viam hac in re tenuisse; aegre sane videbitur admittenda opinio, quam multo profecto laxiorem de detrahente cuipiam Ordini Religioso ex notitia confessionis S. Alphonsus amplexus est. Postquam enim (*l. c.*) dixit, sigillum violari, si Confessarius dicat, *Religiosum ex tali Conventu sibi confessum esse grave peccatum*, vel *in Conventu illo talia peccata committi*, mox subiicit: *Non vero, ut ait P. Concina... si tantum diceret, se audivisse peccatum Religiosi cuiusdam Ordinis: quia haec neque est revelatio sigilli, neque redundat in gravamen poenitentis, cum in quolibet Ordine aliqui mali sint: unde neque oritur scandalum, neque infamatur Religio, nisi Religio illa esset arctioris observantiae.* Quae quidem non modo sunt contra omnium Thh. sententiam, et eorum quoque, qui laxius circa hoc opinari visi sunt, sed iis rationibus fulciuntur, quas nemo facile admittet.

Et sane quis serio dixerit, non gravari inde poenitentem? Esto enim, quod persona eius non prodatur; at nonne grave accidet poenitenti, quod ex sua confessione imprudens Confessarius ansam sumat infamandi totum Ordinem? Imo nonne ipse poenitens, utpote eiusdem Communitatis membrum (quod sup. etiam Suaresius advertebat) infamiam participat? Quin adeo grave merito videri id potest, ut nemo possit in dubium vocare, poenitentem, qui peccatum suum a Confessario sic revelatum iri prudenter

autem si diceret, se audivisse peccatum grave alicuius Religiosi in *genere*, quin nominaret ipsius Ordinem, quia neque est revelatio

credat, posse illud in confessione reticere; adest enim causa sufficiens, infamiae scilicet et suae et proprii Ordinis discrimen.

Quod vero additur, *nec scandalum nec Religionis infamiam oriri, quia in quolibet Ordine aliqui mali sunt,* nemo facile admittet. Quod enim in quolibet Ordine aliqui mali sint, partim ratione illa generali, quod nec Apostolorum Collegio suus Iudas defuerit, partim levibus coniecturis, incertisque ac vanis rumoribus inniti solet. Porro quo leviores sunt vulgi coniecturae, eo atrocior profecto evadit Confessarii revelantis iniuria. Etiamsi vero apud vulgus religiosa aliqua familia non bene oleret, nonne infamia tam authentico Confessarii testimonio insigniter augeretur et confirmaretur? Nonne, cum fama haec percrebuerit, singulae alicuius Ordinis personae despici vulgo solent, quasi singulae crimen illud patrassent? Demum nonne gravamen haud exiguum, nonne grave scandalum accidit, quod vel sola horum memoria refricetur? Adde, quod in concreto causa Ordinis religiosi vix differat a causa unius monasterii. Cum enim Confessarius dicat *se in confessione id audivisse,* res profecto ad aliquot (ad summum) monasteria circumscribitur, e quibus ad eum accedere aliquis Religiosus potuerit. Adde religiosas quasdam familias perpaucis constare monasteriis, immo totum Ordinem interdum non plurimis constare hominibus.

Ut concludamus, haud forte toto caelo aberraverit, si quis suspicetur, opinionem, quam retulimus, mero oculorum lapsui deberi, quo ad peculiaris Ordinis Religiosum translata illa sint, quae de homine Religioso generatim dici a quibusdam potuerunt. Quamvis enim Suarez, ut ex allatis eius verbis patet, cum aliis vix utrumque casum distinguat, et contra sigillum peccari autumaverit, tum si aliquem specialem Religiosum Ordinem revelatione laeseris, tum si tacito speciali Ordine generatim de Religioso homine locutus fueris; non defuere tamen (Vid. Candidus, *Disq. 24. art. 50. Dub. 8.*), qui in posteriori casu praedicta incommoda saltem quadantenus cessare existimarunt, quibus et A. consentit.

** Duas et quadraginta columnas (*Pag. 624–645.*) opponunt VV. huic *Notae*. Verum cum saepe alias, seu melius, si unquam alias, hic sane dolendum de methodo, cui deserviunt. Haud prolixa alioquin responsione tam enormis moles indiget.

Primum criminationis caput desumunt VV. (*Pag. 625.*) ex illis *Notae* verbis: *Plerique eorum* (Auctorum) *non de Monasterio seu Conventu disserunt, sed de Religione seu Ordine Religioso.* Contra quae VV. (*Pag. 626.*) statuunt: *S. Alphonsus loquendo de Conventu, recte adscribit sententiae neganti Auctores pro eadem a se allegatos.*

Resp. 1° Cum S. Alphonsus uti veriorem profiteatur sententiam, quae docet in proposito casu *frangi sigillum,* enimvero gratum accidere potius debuisset etiam VV., quod S. Doctori consentientes exhiberentur etiam illi, quos sibi S. Doctor oppositos putavit innixus verbis Escobarii, a quo illas allegationes exscripsit. At aestus criminandi misellas hasce Notas nunquam in VV. non praevalet. — 2° Quidquid de hoc sit, advertendum in primis veniebat, quod in *Nota* alii, praeter allegatos a S. Doctore, Auctores afferuntur; deinde quod *Nota* non habet *omnes,* sed *plerosque,* de *Ordine Religioso* potius disserere, non autem de *Monasterio.* Ergo non erat, cur VV. illico putarent, his directe impeti S. Alphonsum, qui demum, ut diximus, suas allegationes ab Escobario mere exscripserat. — Sed 3° verumne est, omnes Auctores a S. Alphonso allegatos de Conventu seu Monasterio disserere? Quadantenus modo id concedatur de Escobario, et Fagundez; at idemne de aliis tribus, *Nugno* scilicet, *Henriquez,* et *Candido* dici poterit?

Et verba Nugni (*apud Diana Tom. 1. Tr. 8. Res. 11. n. 3.*): *Aliqui dicunt, peccare peccato revelationis sigilli illum, qui etiamsi non nominat*

sigilli, neque redundat in gravamen poenitentis, nec alicuius Or-

personam, *nominat tamen* Religionem specialem, *cuius erat Religionis talis poenitens, et est sententia probabilis; non tamen videtur ita certa, ut possit talis confessarius puniri tamquam revelator Confessionis.* Itaque disseritne Nugnus de *Monasterio,* an de *Religione speciali?* Cur VV. haec supprimunt, et contra evidentiam thesim illam statuunt, et insuper falsae criminationis *Notam* incusant?

Idem dicito de Henriquez, qui eodem illo loco (*Lib. 6. seu de Poenit. 3. Cap. 21. n. 6.*), quem indicat *Escobar* a S. Alphonso exscriptus, sic habet: *Narrare peccata, etiam mortalia, audita in confessione, quando nullo modo deveniri potest in cognitionem personae, non est contra sigillum; nec si dicat, Hispali vel tali loco, ubi constat eum audivisse multorum confessiones, fiunt gravia crimina...; vel si* de certa religione in genere *dicat, vendi officia, vel solitum fieri aliud peccatum.* Ubinam hic mentio Monasterii?

Vincentius Candidus vero (*Disquis. 24. De Confess. art. 10. Dub. 8.*) utique loquitur de *Monasterio;* sed in oppositam it sententiam, ac ipsi S. Alphonsus post Escobarium attribuat. En eius verba: *Dico decimo tertio: Si vero Confessarius loquatur de aliquo loco non valde amplo, aut si de aliquo Monasterio, in quo audivit Confessiones, dicat, gravia scelera in eo committi, videtur frangere sigillum confessionis; nam fieri potest, ut non levis suspicio de aliquo particulari concipiatur, et aliqui iacturae famam* (sic mendose pro *iacturam famae*) *patiantur. Videatur D. Antoninus, et Coninckius;* utitur nimirum Candidus eadem ratione, quam et S. Alphonsus pro sua eadem sententia affert, inquiens (*Lib.6. n.654.Dub.2.*): *Ratio, quia tunc singuli illius Conventus detrimentum patiuntur. Et sic pariter Confessarius violabit sigillum, si dicat in Conventu illo talia peccata committi.* Absit, ut S. Doctorem Alphonsum hic incusemus; quippe qui has allegationes mere exscripsit ex Escobario; veruntamen cum ex quinque illis allegationibus tres reperiamus perperam adductas, quomodo VV. (*l. c.*) fidentissime scribunt, *S. Alphonsum, loquendo de Conventu, recte adscribere sententiae neganti Auctores pro eadem a se allegatos?*

Sed et illud merito displicet, quod dum VV. quasi probaturi praemissam thesim suam lectores per undecim columnas (*Pag. 626-631.*) circumagunt, eius probationem et *Notae* confutationem quodammodo reservant sequenti articulo, scribentes (*Pag. 627.*): *Verum non est, quod plerique eorum* (*Auctorum, quos recenset P. Ballerini*) *non de Monasterio seu Conventu disserunt, sed de Religione seu de Ordine Religioso. Aliqui de Ordine loquuntur; alii vero de Ordine et Monasterio; permulti autem, quos in Articulo 2° allegabimus, de solo Monasterio seu Conventu.* Quocirca quisque haec legens iam crederet, in secundo Articulo sequenti VV. esse ostensuros, tum *S. Alphonsum recte adscribere sententiae neganti Auctores a se allegatos,* tum *Auctores a Ballerinio recensitos,* saltem *plerosque non de Ordine Religioso, sed de Monasterio loqui,* et quidem in negativam sententiam declinantes. Atqui (quod alioquin vix credibile videri potest) lector per haec sibi mirifice illudi demum deprehendet. Nam in tota illa secundi articuli per septemdecim columnas rerum congerie de tribus illis Auctoribus a S. Alphonso citatis solus memoratur Candidus, quem superius iam vidimus falso allegari. De Auctoribus vero a Ballerinio recensitis, (mirum!) in septemdecim illis columnis ne verbum quidem. Et Navarri utique aliquot textus in primo articulo VV. attulerant; sed et in his neque de *Religioso Ordine,* neque de *Monasterio aut Conventu* mentio ulla vel minima occurrit: afferunt ex *Lib. 6. C. 21. n. 6.* textum Henriquez; sed Henriquez *certam religionem* nominat, *monasterium* nequaquam. Quid hinc vero concludendum? Liceat sic concludere: Haec methodus de rebus theologicis

dinis, cum inter varios Ordines non desint aliqui minus boni Religiosi. Sed a scandalo laicorum sedulo cavendum est.

disputandi, obiectasque dissidentium difficultates solvendi, a S. Doctore Alphonso usurpata fuit nunquam, nec unquam probata.

Diximus superius concedendum, Escobarium et Fagundez, quibus addemus etiam Aversam, negasse, contra sigillum sacramentale peccari, si quis dixerit, audivisse se in tali *monasterio* grave peccatum, si tamen personam taceat. At addidimus, id concedendum QUADANTENUS. Curnam vero?

Ratio, utut brevissime, indicata fuerat in *Nota* per ea verba: *Eatenus tantum quidam negant, in rigore violari sigillum, quatenus possit talis Confessarius puniri tamquam revelator Confessionis, ut ait Nugnus, vel, ut habet Malderus, quatenus possit puniri poena ordinaria inflicta contra fractores sigilli.* Nimirum obiectum sacramentalis sigilli non ab omnibus theologis eodem modo accipitur, atque adeo quidam arctius illud videntur constringere, alii latius illud protendunt. Sunt enim qui sigillum eo sensu identidem usurpant, quo in iure ecclesiastico designatur; et idcirco eius obiectum cum Navarro (*Man. C. 8. n. 3.*) sic coarctant: *Christus voluit, ut sub ista obligatione non solum includerentur peccata mortalia et venialia: verum etiam eorum circumstantiae, necessario vel voluntarie confessae, et quaecumque alia, quae licet peccata non sint, sunt tamen talia, per quae detecta detegi potest, directe vel indirecte, in genere vel in specie, eum qui confessus est, confessum fuisse, se admisisse aliquod mortale, vel aliquod particulare veniale, etiamsi levissimum foret.* Ergo iuxta istos sigillum proprie et stricte laedi non dicitur, nisi ex revelatione dignosci possit, quempiam v. gr. Thomam confessum fuisse aliquod mortale, vel aliquod particulare veniale. Hinc consectarium a Navarro (*l. c. n. 16.*) deductum: *Male fecit Confessarius, licet non dicatur confessionis revelator, ita loquendo: In tali loco (expresso nomine loci, in quo audit confessiones) gravia crimina perpetrantur.* Et reipsa sic habet textus Iuris (*Cap. Omnis utriusque*): *Caveat autem* (sacerdos) *omnino, ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat: quoniam qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum.* Ex quibus patet, ad eiusmodi laesionem sigilli requiri revelationem tum *peccati* tum *peccatoris.*

Communissime tamen sigilli obiectum desumitur secundum quod, supposita divina Sacramenti institutione, et eiusdem obligatione, ius ipsum naturae exigit prohibitionem cuiuscumque revelationis, quae confessionem impedire, ac reddere odiosam possit; adeo ut reus violati sigilli possit esse confessarius, etiamsi ex revelatione ipsius non dignoscatur, Andream v. gr. confessum fuisse peccatum mortale, vel speciale aliquod veniale. Ad rem Lucius Ferraris (*V. Sigillum Sacram. n. 22.*): *Sub sigillo sacramentali cadunt omnia peccata tam mortalia, quam venialia non solum ipsius poenitentis, sed etiam complicis. Item circumstantiae peccatorum et defectus naturales, ob quorum revelationem potest poenitenti evenire infamia, vel aliud incommodum, et sic reddi odiosa confessio; tales enim circumstantiae, v. gr. quod quis sit illegitimus, sit genere obscurus, et huiusmodi, a confessario manifestari non possunt sine fractione sacramentalis sigilli.* COMMUNIS. *Et ratio est, quia sigillum sacramentale obligat ad celandum omne id, quod confessionem odiosam reddere potest; per revelationem autem supradictorum et similium redditur odiosa confessio, cum sic inferatur gravamen* etc. Et hoc quidem sensu sacramentale sigillum usurpari a S. Doctore Alphonso, ac iuxta hunc sensum quaestiones ab ipso resolvi, res est compertissima.

9° Qui poenitentem post confessionem oculo torvo aspicit, non

Hisce praemissis ad Escobarium redeamus. Is de confessario, qui dicat: *Religiosus quidam ex illo Conventu confessus mihi est grave peccatum*, scribit (*Lib. 16. n. 752.*): *Confessarius ille gravissime delinquit, communitatem tanta inurens infamia; non tamen sacri est sigilli violator.* Contra vero S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 654.*): *Tunc violatur sigillum; ratio quia licet tunc non reveletur persona, tamen cum revelatio emanet in infamiam totius communitatis, redundat etiam in gravamen poenitentis...; et ideo ex tali revelatione redderetur ei odiosa confessio.* Uterque igitur asserit, confessarium in casu peccare graviter. Cur autem alius negat, alius affirmat, confessarium esse sigilli violatorem, nisi quia alius secundum ius ecclesiasticum, alius secundum ius divinum de sigillo iudicat? At melius mens Escobarii ex hisce elucet (*l. c. n. 750.*): *Quando locus non est ita amplus, et peccatum aut vitium non esset ita publicum, non videtur id fieri posse absque incolarum detrimento, et nonnunquam absque confessionis iniuria ob ansam, quae suspicionibus exhiberetur. Existimo tamen, plerumque non incurri hac de causa poenas revelantis confessionem: quia non manifestantur poenitentis peccata, sed oppidi.* Ita ille. Porro in his habes Escobarium expresse usurpantem sigilli violationem iuxta ius ecclesiasticum, cui poenae infliguntur. Praeterea habes eundem confitentem, sic peccari cum *iniuria confessionis*. Atqui hoc nimirum est peccatum, de quo Suarez, in *Nota* relatus, aiebat: *Sed certe non quodcumque peccatum est, sed contra Sacramentum; ergo et contra sigillum.*

Idipsum vero dicito et de Fagundez. Nam utique hic sententiae Suarezii praeponere videtur opinionem Navarri, atque Henriquez. At enim id quoad *Monasterium* affirmare non potuit, neque affirmavit, cum neuter eorum, ut diximus, ullam Monasterii mentionem iniiciat. Adhaesit itaque praedictis Auctoribus, quatenus cum iisdem de sacramentalis sigilli violatione iuxta ecclesiasticum ius iudicavit. Verum, non secus ac Escobar, deinde in doctrinam Suarezii recidit. Nam (*De 2° Praec. Eccl. Lib. 6. C. 4. n. 2.*) ubi loquitur de Confessariis, *qui offendant communitatem aut religiosam familiam, nominando religionem in particulari aut Monasterium*, addit utique: *Ledesma et Suarez existimant in rigore loquendo, hoc esse revelationem sigilli; contra vero Henriquez et Navarrus existimant, in rigore non esse contra sigillum;* cum his tamen subdit, *posse esse peccatum mortale aliquando scandali, aliquando infamiae totius communitatis.* At enim ipsemet Fagundez (*Ibid. C. 1. n. 2.*) malitiam violati sigilli repetebat inde, quod sit contra duas virtutes; *primo contra virtutem iustitiae, quatenus est contra famam proximi: secundo contra virtutem religionis et reverentiam sacramento debitam, cui irreverentiam facit, et iniuriam maximam infert... reddendo (illud) hominibus onerosum ac formidabile.* Porro num abest eiusmodi irreverentia et iniuria sacramenti, quoties per imprudentem revelationem eorum, quae in confessione audita a sacerdote fuerunt, religiosa familia aut Monasterium infamia adspergitur? Num minus sacramentum Poenitentiae evadit intolerabile et odiosum? Unica ergo ratio conciliandi Fagundez cum Fagundez superest ea, quam diximus, illum nimirum strictiori sensu sigilli violationem eam sumere, quae iuris ecclesiastici obiectum est.

Sed iam ad ea transeamus, quae VV. contra secundam *Notae* partem opponunt. Articulo 2° hunc titulum ipsi praeponunt (*Pag. 631.*): *Confutatur falsa et temeraria assertio Ballerini, doctrinam S. Alphonsi laxam esse, et contra omnium Theologorum sententiam.* Ac de temeritate quidem haec (*Pag. 632.*) addunt: *Vel recta et credenda est haec Ballerinii assertio, et tunc vix intelligimus, curnam S. Sedes in solemni effato:* Nihil est censura dignum, *hanc saltem sententiam non damnaverit; vel assertio P. Ballerini singularis est temeritatis.*

eum alloquitur, sicut prius facere solebat, et ostendit verbis durio-

Resp. *Nego suppositum,* videlicet in Nota sententiam S. Alphonsi ceu *laxam* denotari. Alium quippe omnino sensum praefert, quod opinionem dicas absolute *laxam*, vel *strictam,* alium vero, quod comparative atque adeo relative ad aliam dixeris opinionem *laxiorem,* vel *strictiorem.* Exinde fit, ut aliquam sententiam comparative appellare possis *strictiorem,* quam tamen perperam *strictam* diceres. Et exemplum prostat in praesenti quaestione etiam quoad S. Alphonsum; nam doctrinam ipsius, quod sigillum frangat confessarius, qui dicit *in hoc aut illo monasterio commissum fuisse grave peccatum,* *strictiorem* dicere licebit prae sententia Escobarii aut Aversae, qui id negant; at nequaquam licet illam *strictam* appellare. Pari modo *laxiorem* verissime dicemus communem sententiam quoad absolvendos recidivos, prae sententia S. Alphonsi, ut alias vidimus; at male quis inde concluderet, communem sententiam a nobis tamquam *laxam* damnari. Eiusmodi autem sensu comparativo opinionem Concinae, a S. Alphonso adoptatam, in *Nota* dici *laxiorem*, inde etiam manifestum fit, quod ibidem alii Auctores exhibentur *confitentes, se laxiorem prae aliis viam hac in re tenuisse.* Prorsus enim male quis inferret, eos Auctores igitur fateri, se *doctrinam laxam* tenuisse. Minus ergo considerate VV. gravissimam hanc notam impingunt, quod ibi sententia S. Alphonsi *temere censura* inuratur contra Sedis Apostolicae effatum: *Nihil est censura dignum.*

Nunc ad Theologos, quorum textibus VV. septemdecim columnas (*Pag. 631-640.*) infarciunt, ut ostendant, falso affirmari contrariam esse theologorum doctrinam opinioni Concinae a S. Alphonso adoptatae, nempe si confessarius dicat, *se (in confessione) audivisse peccatum Religiosi cuiusdam Ordinis,* non frangi sigillum.

Claritatis et brevitatis gratia turbam hanc magnam Auctorum in varias classes partiamur. Primi itaque prodeant septem, *Mendo, Mazzotta, Billuart, Leonard. Iansen, Gotti, Reuter,* et *Cuniliati:* quorum textus, a VV. allati, mere dicunt cum S. Alphonso, *sigillum violari,* si confessarius dicat, *Religiosum ex tali Conventu sibi confessum esse grave peccatum.* — Brevis esto responsio, *Concedo Antecedens; Nego Consequentiam.* Nam VV. arguere sic volunt: Isti AA. damnant, si reveletur peccatum *Religiosi ex tali conventu;* ergo non damnant, si reveletur peccatum *Religiosi ex tali Ordine.* Perperam profecto. Unica conclusio vera ad summum haec esse posset: Ergo *alteram quaestionem non tangunt.* Sed neque hoc verum est omnino. Nam rationes, quae pro priori casu afferuntur, nempe *gravamen poenitentis, odium confessionis, infamia consequens, et scandalum,* etiam in posteriori casu locum habent. Ergo tacite, sed implicite et alterum casum comprehendunt.

Succedant tredecim alii, *Coninck, Bonacina, Laymann, Palaus, Trullench, Tamburini, Sporer, Salmanticenses, Gotti, Reuter, Struggl, Cuniliati, Henricus a S. Ignatio.* Horum textus, a VV. descripti, habent, confessarium, qui dicat, *in tali loco gravia peccata committi,* damnandum, *si de loco non valde amplo agatur;* secus *si de loco amplo, v. gr. de magna civitate.* — Resp. *Concedo Antecedens; Nego consequentiam et paritatem.* Neque enim, uti patet, ratio gravaminis, scandali, et infamiae consequentis eiusmodi revelationem par est in utroque casu. Numquid enim animo pariter aequo Religiosi cuiusdam Ordinis hanc revelationem ferre possunt, ac magnae cuiusdam Urbis cives? Quinimo ipsi VV. (*Pag. 645.*) fingunt (ut videbimus) S. Alphonsum excusare Confessarium sic loquentem de ampla communitate civili, non tamen excusare sic loquentem de Religione quantumvis ampla, quia nimirum (aiunt) religiosa Communitas facilius infamatur, et detrimentum patitur.

Accedunt octo, *Valentia* scilicet, *Herincx, Lopez, Iansen, Henricus a S. Ignatio, Antonius Fernandez, Ioannes Corradus,* et *Aversa,* quorum

ribus, gestibus, aut tota agendi ratione, se recordari de eius peccatis, de iis actu cogitare, et eum minoris, quam antea, facere.

textus, prouti VV. eos allegant, mere ferunt, *sacramentale sigillum non violari, si nullo modo indicetur persona, licet reveletur peccatum in confessione auditum.* — Resp. Haec assertio per se nimis probat. S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 654.*) scribit: *Verius frangit sigillum confessarius, qui dicit, religiosum ex tali conventu sibi confessum esse grave peccatum.* Viden violatum sigillum, licet non reveletur persona? Et rursus (*Ibid.*) idem S. Doctor ad quaestionem, *An confessarius violet sigillum, si asserit in aliquo loco gravia crimina perpetrari, quae ipse audierit in confessione,* respondet: *Sententia communissima et longe probabilior docet, quod si oppidum sit parvum (puta si non constet tribus millibus hominum circiter) tunc violatur sigillum. Ratio, quia* LICET TUNC NON REVELETUR PERSONA, *tamen cum revelatio emanet in infamiam totius communitatis, redundat etiam in gravamen poenitentis, qui illius communitatis est membrum; et ideo ex tali revelatione redderetur ei odiosa confessio. Secus vero si oppidum sit amplum, et crimina sint publica.* Ergo praedicta assertio vera est, si *positive* sumatur dicendo: *violat sigillum confessarius, qui revelat etiam personam;* minime vero, si sumatur *negative,* dicendo: *Nunquam frangitur sigillum, si non reveletur etiam persona.* Esto itaque responsum: *Distinguo Antecedens:* Si nulla alia accedat causa, ob quam sigillum frangatur, *Transeat;* secus, *Nego.* Atqui in casu nostro, *licet tunc* (ut docet S. Alphonsus) *non reveletur persona, tamen cum revelatio emanet in infamiam totius communitatis, redundat etiam in gravamen poenitentis, qui illius communitatis est membrum, et ideo ex tali revelatione redderetur ei odiosa confessio.* Ergo, *Nego consequentiam.*

Quatuor supersunt, *Candidus* nimirum, *Escobar, Stoz,* et *Roncaglia.* Verum de *Candido* et *Escobar* satis iam superius dictum est. *Stoz* affertur, quia (*Trib. Poenit. P. 2. n. 227.*) *nisi delicta sint publica et notoria, vel nisi communitas sit talis et tam magna, ut prudenter omnes iudicare possint, eam non carere eiusmodi zizaniis,* non excusat a crimine *infamandi iniuriose communitatem,* nec a peccato *contra charitatem,* immo nec *a violatione sigilli* ob periculum *ne personae quoque innotescant, maxime si locus aut coetus Regularium... non sit amplus et numerosus.* Hinc videntur VV. velle concludere, omnia haec incommoda abesse, si coetus Regularium *sit amplus et numerosus.* — Resp. *Distinguo:* Quod Stoz intermiscet etiam coetum non amplum Regularium, potest admitti quoad periculum revelandi personam, *Transeat;* intelligi potest etiam quoad iniuriam infamandi, et insuper quoad confessionem odiosam reddendam, *Nego.* Subiicit enim idem Stoz cum Dicastillo, *hoc ex eo quoque esse contra sigillum, quia confessionem plane reddit odiosam.* Neque enim VV. negabunt, etiam Regularibus, quinimo multo magis Regularibus, quam aliis, odiosam evasuram confessionem, si noverint aut suspicentur fore, ut ex eorum sacramentali confessione occasionem confessarius totum proprium Ordinem infamandi sumpturus sit. De Roncaglia demum, cuius assertio videtur associanda assertioni Danielis Concinae, nihil opus est iis addere, quae de hac opinione in Nota dicta sunt.

Concludamus itaque, totam illam textuum tot Auctorum farraginem, quam ingenti labore VV. congesserunt, ad eorum scopum, ut scilicet scholae auctoritate Concinae assertionem confirment, conferre prorsus nihil.

Nunc ad tertium Articulum (*Pag. 640–643.*), cuius est titulus: *Contra argumenta in* Nota *prolata clare exponitur S. Alphonsi doctrina.* Ad quae pronum sane est respondisse: Num clarius exponi poterat S. Alphonsi doctrina, quam allatis exactissime eius verbis? Atqui in *Nota* sententia S. Doctoris *ad litteram* exposita integre fuit. Veruntamen expositio a VV. addita

667. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An possit Confessarius Communio-*

non inutilis accidit, utpote quae satis palam facit, nullam denique causam ipsis affuisse, cur *Notam* nostram tanto aestu impugnarent.

Post descriptum itaque unum aut alterum textum Concinae 1° advertunt (*Pag. 641.*): *Unica quaestio, de qua hic agitur, ea est, an Confessarius sigillum frangat; non autem, utrum licite loquatur.* — Resp. Quaestio specialis hic est de *revelatione peccati*, quae cedat in gravamen poenitentis, in odium confessionis, et in infamiam communitatis religiosae. Atqui ex S. Alphonso hac revelatione frangitur sigillum, ut patet ex eius doctrina sup. allata. Ergo hic non intermiscendus sermo est de alia illicita locutione, cuiusmodi v. gr. esset mendacium.

Addunt 2. *S. Alphonsus, non secus ac Concina, amplam Religionem supponit.* — Resp. 1° Verba S. Doctoris Alphonsi, quae in *Nota* exacte describuntur, nullam distinctionem amplae aut non amplae Religionis praeferunt. 2° Iam animadversum in *Nota* fuit, *in concreto causam Ordinis Religiosi vix differre a causa unius monasterii; cum enim Confessarius dicat*, se in confessione id audivisse, *res profecto ad aliquot (ad summum) monasteria circumscribitur, e quibus ad eum accedere aliquis Religiosus potuerit*, nisi fingatur hypothesis extraordinaria Confessarii, qui remotissimas terras peragraverit. Verum textus allatus S. Alphonsi assertionem ad hanc hypothesim extraordinariam non restringit. 3° Etiam in extraordinaria hac hypothesi non deest gravamen poenitentis et eius confessionis odium, ex qua suspicari is possit futurum, ut propterea confusione, pudore, ac dolore ob infamiam Ordinis consodales affici debeant.

Et quidem responsum nostrum confirmant denique ipsi VV., dum (*Pag. 641–642. n. 3°.*) scribunt: *Si in aliqua dioecesi vel provincia unum vel plura Monasteria existunt, Confessarius, salvo sigillo, hanc Religionem nominare non poterit; quia certo aliqui unum alterumve Monasterium eiusdem Religionis suspicarentur. Idem dicendum, si Monasteria ibidem non existunt, at Religiosi ex aliis Conventibus saltem transeundo in hac provincia vel dioecesi versantur.* — Ad quae duo liceat animadvertere. Primum est, S. Alphonsum a generali sua affirmatione istos casus non excludere. Ergo suam ipsorum sententiam VV., non sententiam S. Alphonsi exponunt. Alterum est, ad solum incommodum suspicionis circa aliquod Monasterium aut Religiosum transeuntem, ab eis revocari *violati sigilli* causam. Atqui etiam secundum S. Alphonsi doctrinam necesse non est, ut talis suspicio ex confessarii revelatione exoriatur; cum ad id sufficiat communitatis infamia, odium confessionis, et poenitentis gravamen, uti iam saepius dictum est.

Et rursus ea, quae in *Nota* obiiciuntur opinioni Concinae, a S. Alphonso admissae, a VV. confirmantur, dum ipsimet (*Pag. 642. n. 4.*) fatentur, *Confessarium, Religionem nominando, raro sigilli fractionem evitaturum esse, nisi constet, ipsum in variis terris et dioecesibus munus Confessarii exercuisse, et ipse hanc circumstantiam exprimat.* Veruntamen minus apte id nobis oggerunt, tum quia assertio S. Alphonsi amplectitur confessarios omnes, sive in variis terris, sive in una terra seu dioecesi munus confessarii exercuerint; tum quia hic rursus VV. violationem sigilli repetunt mere ex periculo revelandi poenitentem. Atqui hoc suppositum, ut plus semel diximus, falsum est.

Subdunt VV. (*ibid. n. 5.*), S. Doctorem excipere, *Nisi Religio illa esset arctioris observantiae. Ergo* (aiunt VV.) *Confessarius, salvo sigillo, talem tantum Religionem nominare potest, in qua observantia notorie relaxata est.* — Resp. Verba S. Doctoris non praeferunt hunc sensum, sed dicit: *Neque redundat in gravamen poenitentis, cum in quolibet Ordine aliqui mali sint: unde neque oritur scandalum, neque infamatur Religio, nisi Religio illa esset arctioris observantiae.* Ratio igitur iuxta S. Doctorem, cur

nem negare poenitenti, cui prius absolutionem negavit, si hic ad sacram mensam accedat?

non violetur sigillum, haec est, *quia in quolibet Ordine aliqui mali sint:* cui tamen assertioni hunc limitem apponit, *Nisi Religio illa esset arctioris observantiae,* quae exceptio in eo contextu valet, *Nisi observantia sit huiusmodi, ut in eo Ordine facile non supponatur,* esse *aliquos malos.* Porro ut iam in *Nota* est animadversum, falsum est, etiam in ea hypothesi tum gravamen poenitentis, tum alia abesse incommoda, propter quae ipse S. Alphonsus frangi sigillum affirmat. Et sane nonne ipse S. Doctor (*Lib. 6. n. 654. Dub. 1.*) ad vitandam in casu sigilli violationem postulat, ut insuper *crimina sint publica?*

Demum VV. (*Ibid. n. 6.*) advertunt, nec Concinam nec S. Alpsonsum loqui *de veneficiis, adulteriis, aliisve gravibus sceleribus,* sed simpliciter *de peccato.* — 1° Concina, cuius verba etiam VV. afferunt, sic ibi habet: *Nec Ordo aliquo modo infamatur ex hoc quod sciatur,... aliquem* (Religiosum) ESSE CRIMINOSUM. Ergo si quidem sensus S. Alphonsi ibi ex verbis Concinae sit dimetiendus, etiam S. Doctorem ita interpretabimur, ut loquatur de *criminibus*, seu de *Religioso criminoso.* 2° Verba S. Alphonsi, *Si tantum* (confessarius) *diceret, se audivisse peccatum Religiosi cuiusdam Ordinis*, generalissima sunt, et cuiusvis generis ac speciei peccata complectuntur.

Et haec satis sint, ut pateat, nihil per istas VV. expositiones detrahi vi difficultatum, quae in *Nota* opinioni S. Doctoris obiectae sunt.

Quaedam hic iuverit adnotasse circa ea, quae VV. (*Pag. 645.*) in *Quaestionis Conclusione* habent.

Scribunt itaque: *Quamvis* (*S. Alphonsus*) *excuset Confessarium de ampla Communitate civili loquentem, nihilominus non excusat loquentem de Religione quantumvis ampla; quia iustam et prudentem rationem habet discriminis inter utramque Communitatem, quatenus religiosa facilius infamatur et detrimentum patitur.* — Resp. Parcant Praeclarissimi ac Religiosissimi VV.; at haec evidenter falsa arguuntur ex verbis S. Alphonsi, qui plane habet oppositum.

Nam rationem reddens, cur eiusmodi confessarius non violet sigillum, scribit: *Quia haec neque est revelatio sigilli, neque* REDUNDAT IN GRAVAMEN POENITENTIS, *cum in quolibet Ordine aliqui mali sint: unde* NEQUE ORITUR SCANDALUM, NEQUE INFAMATUR RELIGIO. Quomodo ergo VV. scribunt, S. Alphonsum non excusare hunc Confessarium, *quia infamatur Religio,* dum S. Alphonsus apertis verbis dicit, hunc confessarium excusari, *quia Religio non infamatur?*

Addunt (*ibid.*) VV.: *Attamen* (*S. Alphonsus*) *merito admittit sententiam Concinae, sigillum non frangere Confessarium, loquentem de peccato unius tantum Religiosi, Religionem nominando; dummodo Religio ampla sit et notorie relaxata, et peccata talia sint, quae in relaxatis occurrere solent, et in hac* (*Religione*) *notorie occurrerunt, nec non absit omne periculum suspicionis de aliquo monasterio in particulari.* — Resp. Haec utique opportunissima sunt, quae ad hunc locum S. Doctoris subiiciantur in Nota, cum nova Operis Editio, quam VV. parant, in lucem prodeat: nam et ipsi VV. iam fatentur, sine hisce adminiculis nudam ac simplicem S. Doctoris assertionem per se ad frangendum sigillum adducere. At aliud est, quod assertionem S. Doctoris hisce adminiculis communire necesse sit, aliud, quod per se, uti iacet, ea assertio admitti possit.

Denique VV. (*Ibid.*) concludunt, *doctrinam S. Alphonsi in hac materia, et nominatim sententiam modo expositam, quam S. Doctor rationabilem censet, et P. Ballerini acerrime impugnat, non tantum non laxam, sed potius rigidiorem esse illa, quam permulti DD., etiam rigidissimi, ut Alexander Natalis, et Henricus a S. Ignatio,... tenent.* — Resp.

Resp. Neg. Etiamsi occulte petat, quia Confessarius notitia confessionis ad agendum externe contra poenitentem uti nequit (*a*). — *S. Ligorius n. 658., et alii* contra *aliquos.*

Quaer. 2° *An frangat sigillum, qui dicit tale vitium regnare in civitate vel pago, aut ibi gravia crimina committi?*

Resp. Disting. Affirm., si locus sit satis angustus, v. gr. si non constet tribus hominum millibus circiter. *Secus,* si oppidum sit amplum, et crimina publica saepius ibi patrentur.— *S. Lig. n. 654., et alii communissime.*

668. — Quaer. 3° *An praedicatores uti possint notitia confessionis ad loquendum de iis, de quibus non cogitassent, nisi confessiones audivissent?*

Resp. Affirm., secluso revelationis periculo, et poenitentium gravamine. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 654. — Elbel, n. 525.* — Ratio est, 1° quia nemini gravamen esse potest quod aliquando Sacerdotes se dirigant in concionibus ex notitia confessionis, modo *hic et nunc* gravamen illud non adsit: possunt igitur *generatim* invehi in vitia, quae occulte grassantur; 2° quia pro Confessario hoc esset onus nimis grave; semper enim timeret, ne concionando confessionis notitia uteretur. Caveat tamen Confessarius, ne loquatur publice de peccatis omnino particularibus unius vel alterius poenitentis, praesertim si sermonem habeat coram aliqua parva com-

Missum fiat, quod hic quoque obiter VV., equidem minus iuste, ut iam vidimus, criminationem instaurant, quasi in *Nota* ceu *laxa* S. Doctoris opinio taxetur. Quod nunc interest, non apparet profecto, cur aut Natalis Alexandri, aut Henrici a S. Ignatio sententia circa praesentem quaestionem *laxior* ab iis prae Concinae et S. Alphonsi opinione dicatur, si quidem haec S. Doctoris opinio, prouti ab ipso effertur, et in se inspiciatur, non autem iis appendicibus circumvestita, quibus eam VV. undecumque exornarunt. Quidquid de hoc sit, quandoquidem VV. duobus hisce Auctoribus, quos hic *rigidissimos* ipsimet vocant, adscribunt, quod doctrinam teneant laxiorem opinione S. Alphonsi, quam perquam benignissimam, ac prope plus aequo benignam quis diceret, spectatis scilicet tot adminiculis et appendicibus, quibus ipsam circumornare et fulcire atque communire necesse ipsi duxerunt; enimvero iam habent exemplum aliquod, quod alibi (*Pag. 639. in Not.*) a nobis quaerunt, Auctorum nempe, *qui communiter ut rigidiores habentur,* et qui alioquin *non raro in illas laxitates declinaverint, quas nemo inter benignissimos admisit unquam.* Et caeterum plurima quidem eiusmodi exempla videre VV. poterunt apud AA., ubi calumniam diluunt impactam benignae, ut ipsam S. Alphonsus appellat, sententiae circa usum opinionis probabilis, quasi haec foret laxitatum scatebra. Ibi enim ob oculos rigidiorum adversantium ponunt laxitates obvias apud eos scriptores, qui rigidioris sententiae asseclae iactari solent. Sed his immorari praesentis instituti non est.

(*a*) Exceptionem addit De Lugo (*Disp. 23. n. 126.*), si publicus sit peccator. *Posset tamen* (inquit) *Confessarius meretricem vel usurarium publicum repellere ab Eucharistia in publico ex notitia, quam extra confessionem habet de illius peccato publico. Quod si dicat: Iam tibi confessus sum; potest respondere: Debet tamen constare Ecclesiae per satisfactionem publicam de tua emendatione, quod adhuc non constat.*

munitate, v. gr. in monasterio Monialium, etc.; quia tunc facile gravamen induci posset. — *Elbel, ibid.*

669. — Quaer. 4° *An Sacerdos, qui ex confessione novit sibi parari insidias, possit fugere, aut alio modo damnum praecavere?*

Resp. 1° *Affirm.*, si ex tali cautione minime manifestetur aliis peccatum accusatum, nec ullum gravamen poenitenti afferatur. — *Ita S. Lig. n. 659.* — *Lugo disp. 23. n. 108.* etc.

Resp. 2° *Neg.*, si fugere nequeat, quin aliquo modo manifestet peccatum aliquod accusatum fuisse a poenitente. Ratio est, quia fuga illa esset indirecta revelatio peccati confessi; et licet Confessarius fugam simularet ex aliquo praetextu, semper tamen rationabilem suspicionem peccati declarati praeberet. — *S. Lig. ibid.*, *et alii.* Monet tamen *Lugo, D. 23. n. 110.*, experientiam ostendere, nunquam revelationem etiam indirectam necessariam esse ad ea pericula effugienda, cum vel ex licentia poenitentis vel aliis modis obviari iis possit absque sigilli fractione.

670. — Quaer. 5° *An Superiores uti possint notitia confessionis ad gubernationem externam, si nullo modo appareat quod ex illa notitia se dirigant?*

Resp. Neg. omnino cum *S. Lig. n. 656., et aliis communiter* contra aliquos veteres Theologos, qui sententiam affirmativam defendebant. — Ratio est, quia evidenter hoc cederet in gravamen poenitentium: et qui nossent talem doctrinam passim doceri, a confessione retrahi possent.

Constat etiam ex variis Decretis SS. Pontificum, praesertim *Clem. VIII.* Decreto 26. Maii anni 1594. pro Regularibus, in quo dicitur: *Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant* diligentissime *ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Apud *S. Lig. n. 656.* Quamvis autem hoc Decretum latum fuerit pro Regularibus, ad omnes Superiores extendi debet, cum eadem ratio, quae urget pro Regularibus, etiam pro saecularibus valeat.

Constat etiam ex Decreto *S. Congr. Inquisitionis* edito auctoritate *Innocentii XI.* anni 1682. quo proscripta fuit sequens propositio: *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione, et gravamine poenitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur.* Addit Pontifex, Confessarios nullo modo posse uti tali doctrina, etiam seclusa quacumqne revelatione.

671. — Quaer. 6° *An saltem quandoque, vel quandonam Confessarius uti possit notitia confessionis?*

Resp. Iuxta omnes Theologos id potest in sequentibus casibus: 1° ad orandum pro poenitente, vel benignius erga ipsum agendum; 2° ad consulendos libros, vel sapientes, prudenter tamen, secluso revelationis periculo; 3° ad se dirigendum per experientiam ex con-

fessionibus acquisitam, v. gr. ad rigorem temperandum, et ad se dirigendum ex confessione unius ad alios prudenter interrogandos, vel instruendos, nullam dando prioris confessionis suspicionem; 4° ad reformandos proprios mores, ad corrigendos proprios defectus, aut ad melius fungendum suo officio, v. gr. ad socordiam exuendam, vigilantius in subditos invigilandum, seclusa revelationis suspicione, etc., quia quisque tenetur defectus suos corrigere statim ac ad eos advertit; nec potest ullus poenitens rationabiliter offendi, quod Confessarius ob audita in confessione vitam in melius mutet. — *S. Lig. n. 637.*

Conclusio. In re tam gravi, et adeo periculosa, snmmopere cautus esse debet Confessarius, ne verbum ullum proferat, aut quidpiam agat aut innuat, unde sequi possit odium etiam minimum Sacramenti, gravamen poenitentis, aliorum quorumlibet offensio vel scandalum. Sit igitur *prudens* et *discretus* non in sermonibus solum, sed in tota sua agendi ratione. Oret frequenter cum *Psalmista, (Ps. 140. v. 3.): Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis;* vel cum *Sapiente (Sap. c. 9. v. 4.): Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.*

FINIS TRACTATUS DE POENITENTIA

TRACTATUS

DE EXTREMA UNCTIONE

CAPUT I.

DE NATURA ET EFFECTIBUS EXTREMAE UNCTIONIS

672. — I. Extrema Unctio definitur Sacramentum novae legis a Christo institutum ad conferendam salutem animae, vel etiam corporis, aegroto vita periclitanti, per unctionem Olei benedicti et orationem Sacerdotis.

Extrema Unctio est verum novae legis Sacramentum. Constat, 1° quia est signum sensibile, conferens gratiam, et a Domino Iesu Christo institutum. Ratio enim signi satis patet per unctionem et orationem Sacerdotis. Quod conferat gratiam, constat ex eius effectibus. Institutio autem divina demonstratur apostolica traditione. Promulgatum fuit praesertim a *S. Iacobo* in Epistola catholica, V. 14. et 15., ubi dicitur: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae; et orent super eum, ungentes eum oleo...; et oratio Fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.*

Constat 2° ex definitione *Conc. Trid., sess. 14., de Extrema Unctione,* ubi sic dicitur: *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a beato Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

673. — II. Effectus Sacramenti Extremae Unctionis sunt 1° Gratia sanctificans cum gratiis actualibus Sacramenti propriis, quae mirifice iuvant ad recreandum infirmum, eumque confirmandum contra diaboli tentationes.

2° Remissio omnium peccatorum nondum remissorum, etiam mortalium. Constat ex textu *S. Iacobi* supra citato: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Hinc Sacramentum Extremae Unctionis est quidem primario Sacramentum *vivorum,* sed secundario est Sacramentum *mortuorum,* nempe in hypothesi status peccati. Remittit certo venialia *primario* et *per se; probabilius* autem eodem modo etiam mortalia remittit. — *S. Lig. n. 731.*

3° Abstersio reliquiarum peccati, quae sunt non solum poenae peccatis debitae, sed etiam animi anxietates, infirmitates, languor ad bonum, torpor, timor, et alia similia, quae ex peccatis contra-

huntur. Hi autem effectus maiores sunt, quo infirmus melius est animo comparatus.

4° Restitutio sanitatis corporis interdum, si animae saluti expediat. Constat ex textu *S. Iacobi* citato, et ex *Conc. Trid. sess. 14., de Extrema Unctione, c. 2.* Hinc apparet, quam turpiter errent, qui hoc Sacramentum non recipiunt, nisi cum morbus ita invaluit, ut iam sine miraculo sanari nequeant. — *S. Lig. n. 731.*

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA EXTREMAE UNCTIONIS

ARTICULUS I.

DE MATERIA HUIUS SACRAMENTI

674. **Principia.** — I. Materia remota est Oleum ab Episcopo benedictum. Constat ex *Conc. Trid. sess. 14. de Extrema Unctione c. 1.* ubi sic dicitur: *Intellexit Ecclesia materiam* (huius Sacramenti) *esse Oleum ab Episcopo benedictum; nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat.*

II. Oleum Extremae Unctionis, seu infirmorum ab Episcopo dioecesano, vel (Sede vacante) ab alio Episcopo vicino, in Coena Domini benedicendum est, sicut Chrisma, et singulis annis renovandum, non tamen ad validitatem Sacramenti. Ita ex praecepto *Clem. VIII.* apud *S. Lig. n. 708.; et Salmant., c. 2., n. 10.* Constat etiam ex praxi perpetua Ecclesiae, et ex Rituali Romano *de Extrema Unctione,* ubi dicitur: *Oleum sanctum singulis annis in Coena Domini, veteri combusto, renovandum est.*

675. — III. Materia proxima est unctio quarumdam partium corporis, quae sunt saltem quinque sensus. Facienda enim est unctio 1° in oculis, seu in palpebris; 2° in auribus; 3° in naribus; 4° in ore seu in labio inferiore; 5° in manibus, *supra* pro Sacerdotibus, *intra* pro laicis; 6° in pedibus, seu supra pedes; 7° in renibus; sed haec omittitur pro feminis, et etiam in viris, si facile fieri nequeat, nempe si infirmus moveri non possit. Imo hodie, ait *Scavini,* in omni casu et quoad omnes omittitur.

676. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An praeceptum renovandi oleum obliget sub gravi?*

Resp. Affirm., ut videtur, quia materia sat gravis apparet. Attamen si novum oleum haberi non possit, antiquo uti licitum est. — *S. Lig. n. 708.*

Si forte autem intra annum Oleum benedictum sit defecturum, neque aliud haberi queat, Oleo benedicto superstiti aliud oleum

non benedictum, in minori tamen quantitate, potest infundi. — *Rit. Rom.* Idque saepius fieri potest, quamvis paulatim longe etiam maior quantitas addatur, quam ab Episcopo consecrata fuit initio, modo tamen ea in unaquaque commixtione minor sit altera parte, cui infunditur. — *S. Lig. ibid.*

QUAER. 2° *An oleum necessario debeat esse olivarum?*

Resp. Affirm. Ratio est, 1° quia *proprie* nomine olei ex usu communi intelligitur oleum olivarum. 2° Constat aliunde ex Decreto *Eugenii IV.* pro Armenis, in quo de Extrema Unctione legitur: *Cuius materia est oleum olivarum.* 3° Patet etiam ex tota traditione et unanimi Doctorum consensu. — *Vid. S. Lig. n. 708.*

677. — QUAER. 3° *An hoc oleum debeat necessario esse benedictum ab Episcopo?*

Resp. Affirm. Constat ex variis Declarationibus *Pauli V.* et nuperrime *Gregorii XVI.* die 4. Sept. 1842.

QUAER. 4° *An oleum debeat esse benedictum in ordine ad Extremam Unctionem?*

Resp. Controvertitur. Duplex est sententia probabilis, ut ait *S. Lig. n. 709.* Alii negant, quia Ecclesia nihil aliud requirit, nisi ut oleum sit ab Episcopo benedictum. Hinc (aiunt) Oleum infirmorum et Chrisma valide adhiberi possunt ad unctiones faciendas. Alii vero affirmant, quia sicut Chrisma benedictione propria pro Confirmatione deputatur, ita etiam Oleum infirmorum pro Sacramento Extremae Unctionis. In praxi tutius omnino sequendum est, excepto necessitatis casu, in quo administrandum est hoc Sacramentum sub conditione cum alio Oleo benedicto, et postea si Oleum infirmorum haberi potest, iterandum est. — *S. Lig. ibid.*

Dixi alio oleo benedicto: nam triplex distinguitur Oleum sanctum, quod in eadem caeremonia Feria V. in Coena Domini ab Episcopo benedicitur, scilicet Oleum infirmorum, Oleum catechumenorum, et sanctum Chrisma, seu Oleum cum balsamo immixtum. 1° Oleum infirmorum non inservit nisi ad inungendos infirmos in periculo mortis et ad consecrationem campanarum pro Unctione externa; nam pro interna Chrisma adhibetur; 2° Oleum catechumenorum deputatur ad catechumenos ante Baptismum in pectore et inter scapulas inungendos, ad manus neo-sacerdotum consecrandas, necnon ad nonnullas alias consecrationes, v. gr. regum, etc.; 3° Chrisma vero adhibetur in Sacramento Confirmationis, in caeremoniis Baptismi, iam collato Sacramento, et ad alias consecrationes, v. gr. calicis, patenae, ciborii, altaris, campanae (interius), etc.... — *Vide Pontificale Romanum,* praesertim ubi de caeremoniis Feriae V. *in Coena Domini.*

678. — QUAER. 5° *An unctio quinque sensuum sit de necessitate Sacramenti?*

Resp. Probabilius affirmandum videtur cum sententia communiori Theologorum, cui consonat praxis Ecclesiae; haec autem, se-

cluso casu necessitatis, semper servanda est. Sententia tamen negativa speculative probabilis dicitur a *S. Lig. n. 710.*

679. — Quaer. 6° *An requiratur de necessitate Sacramenti gemina unctio in geminis partibus, v. gr. in utroque oculo, utraque aure* etc.?

Resp. Neg. quia sensus totus in parte unica habetur. Extra casum tamen necessitatis gemina unctio servanda est vi praecepti. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 7° *Quomodo unctiones fieri debeant?*

Resp. Uctiones fieri debent pollice dextro Sacerdotis, qui formam simul proferre debet, et per modum crucis infirmum ungit. Sic ex *Rit. Rom.* Sed haec ad liceitatem, non vero ad validitatem pertinent. In membris autem geminis incipitur a dextro, v. gr. ab oculo dextro, etc. — *Rit. Rom.*

680. — Quaer. 8° *An de necessitate Sacramenti servandus sit ordo inter variorum sensuum unctiones?*

Resp. Neg. Ratio est, quia huiusmodi inversio minime impedit Sacramenti significationem. Attamen communiter dicunt talem inversionem esse graviter illicitam, quia est contra usum Ecclesiae in re notabili. — *S. Lig. n. 710., in fine,* etc.

Quaer. 9° *An possit conferri Extrema Unctio mutis, surdis et caecis a nativitate?*

Resp. Affirm.; possunt enim inungi prope organa, quibus carent: nam etsi exterius per illa non peccaverint, per interiores tamen animae potentias, quibus ea respondent, peccare potuerunt (*a*).

681. — Quaer. 10° *Quomodo ungendus sit infirmus manu vel pede truncatus,* etc.?

Resp. Unctio facienda est in parte viciniori membro mutilato; sic enim loquitur Rituale Rom.: *Si quis sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma.*

Quaer. 11° *An una sola gutta olei sufficiat ad unctiones faciendas?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia qui ungit una gutta olei, vere ungit; oleum enim plus, quam alii liquores, diffunditur. — *Ita S. Lig.* ut *probabilius, Lacroix, n. 2094., et alii communius.* — Negant autem nonnulli; quia ungere, est oleum per varias partes diffundere, quod non fit per unicam olei stillam. Sed respondetur diffundi oleum per varias partes, cum quinque sensus unguntur, etiamsi eadem stilla adhibeatur. In praxi tutius est, et certe sufficit pro valore Sacramenti intingere in oleo extremam partem digiti ad singulas unctiones speciales, quae sub repetita forma fiunt.

(*a*) Necessarium non videtur ad hanc rationem recurrere. Sacramenta enim suapte vi operantur gratiae sanctificantis infusionem; haec autem, si subiecto congrua non desit dispositio, peccata quaevis expellit, sive exterioribus sensibus patrata ea fuerint, sive solis internis potentiis.

QUAER. 12° *Utrum tempore pestis, aut alicuius morbi contagiosi liceat unctiones sacras peragere mediante penicillo?*

Resp. Affirmative, saltem *probabilius* ex *Benedicto XIV,* qui multos auctores affert pro hac sententia. (*De Synodo, l. XIII, c. 19.*)

ARTICULUS II.

DE FORMA EXTREMAE UNCTIONIS

682. — Forma Extremae Unctionis haec est: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* (inuncto oculo, et sic de aliis) *deliquisti.* Constat ex *Conc. Trid. sess. 14. c. de Extrema Unctione,* et ex *Rit. Rom.* Forma integre repetenda est ad singulas partes ungendas, exprimendo membrum, quod tunc inungitur, nempe *per visum* ungendo oculos, *per auditum* in unctione aurium, etc.

683. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An ad validitatem Sacramenti requiratur expressio cuiuslibet sensus, scilicet,* PER VISUM, PER AUDITUM, etc.

Resp. Controvertitur. Alii *negant,* quia non reperitur in forma Graecorum, quae tamen ab Ecclesia admittitur ut valida. Alii *affirmant,* quia per unam unctionem et formam illi respondentem non remittuntur quorumcumque peccatorum reliquiae, sed eorum tantum, quae per illum sensum commissa sunt. Cum igitur res dubia sit, sub gravi expressio sensus adhibenda est. — *Billuart.*

QUAER. 2° *Quaenam verba sint formae essentialia?*

Resp. Sunt sequentia: *Per istam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti,* cum verbo sensum exprimente, idest *per visum* etc.

QUAER. 3° *An ad validitatem sufficiat unica forma ad omnes sensus, si singuli distincti exprimantur et ungantur?*

Resp. Controvertitur. Alii *affirmant,* quia haec forma est virtualiter multiplex, et aequivalet pluribus particularibus, sicque specialiter effectum cuiuslibet formae specialis significat. Alii vero *negant,* quia cum materiae partiales, scilicet unctiones, sint distinctae, singulis etiam formae speciales respondere debent.

Urgente tamen necessitate, suadenda est haec forma generalis: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum.* Ungendi autem sunt sensus dum exprimuntur. Sed si tempus supersit, sub conditione repetendae sunt unctiones cum forma singulis propria, et addendae sunt aliae orationes omissae, ut in *Rituali* praescribuntur. — *S. Lig. n. 710.*

CAPUT III.

DE MINISTRO EXTREMAE UNCTIONIS

684. — I. Solus Sacerdos est minister huius Sacramenti. Constat 1° ex verbis *S. Iacobi* iam citatis: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae,* etc.; 2° ex definitione Ecclesiae. Sic enim *Trident. Sess. 14. de Extrema Unctione, Can. 4.: Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiae, quos B. Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremae Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.*

II. Omnis Sacerdos potest illud Sacramentum valide ministrare, quia potestas valide illud conferendi competit Sacerdoti ratione ipsius Ordinis. Non tamen illud ministrare licite potest, nisi solus Pastor animarum; quia ad pastorem pertinet oves suas pascere. Religiosi autem qui hoc Sacramentum sine licentia Parochi *ministrare praesumant,* excommunicationem Papae reservatam ipso facto incurrunt. —*Sic ex Clement. de Privilegiis, et Constit. Pii IX. Apostolicae Sedis.*

685. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An quivis Sacerdos possit hoc Sacramentum ministrare ex consensu Parochi probabiliter praesumpto?*

Resp. Affirm. probabilius, quia non videtur cum tanto rigore procedendum esse, ubi agitur de delegatione ad meram liceitatem, nec ullatenus sermo est de valore ipsius Sacramenti. Attamen non facile praesumenda est talis delegatio.— *S. Lig. n. 722.—Salmant., et alii* contra *alios.*

Verumtamen si Sacerdos, cui administratio huius Sacramenti competit, abest, vel excommunicatione aut suspensione ligatur, quilibet Sacerdos in casu necessitatis hoc Sacramentum administrare potest, imo ex charitate debet. — *Scavini.*

QUAER. 2° *An sit mortale omittere orationes in Rituali praescriptas, vel ministrare sine vestibus sacris?*

Resp. ad 1um *Affirm.,* quia materia valde gravis est. Excipe necessitatis casum. — *S. Lig. n. 727., et alii communiter.*

Resp. ad 2um *Affirm.* pariter extra necessitatem; in necessitate vero probabilius *neg.* — *Ita communius* cum *S. Lig. n. 726.,* contra *nonnullos.*

686. — QUAER. 3° *An vel qualis sit obligatio Extremam Unctionem ministrandi?*

Resp. Pastor nisi gravi aliqua causa excusetur, tenetur ratione officii sub mortali eam subditis periculose aegrotantibus, eandemque petentibus ministrare. — *S. Ligor. n. 729.,* etc. — *Recole dicta de Sacram. in genere, n. 213.*

QUAER. 4° *An vel quale peccatum sit ministrare Extremam Unctionem sine lumine?*

Resp. Non excusandum est a veniali, nisi necessitas urgeat, tum propter Ecclesiae consuetudinem, tum ob reverentiam Sacramento debitam. — Attamen veniale non excedit, quia non videtur iniuria gravis Sacramento irrogari (*a*). — *S. Ligorius, n. 728.*, etc.

687. — QUAER. 5° *Quando suscipit aegrotus et Viaticum et Extremam Unctionem, quodnam Sacramentum debeat prius administrari?*

Resp. Extrema Unctio debet post Eucharistiam administrari. Sic expresse statuit Rubrica *Ritualis Romani.* — In illo casu bis recitari debet *Confiteor.—Sic S. Congreg. Indulg.* 5. Februar. 1841.

QUAER. 6° *Quale sit peccatum omittere signum crucis in unctionibus?*

Resp. Est veniale tantum iuxta communem sententiam, quia ibi materia gravis non apprehenditur; in necessitate vero nullum est peccatum. — *S. Lig. n. 728.*

688. — QUAER. 7° *An vel quale peccatum sit conferre hoc Sacramentnm sine ministro inserviente, et an in necessitate mulier adhiberi possit?*

Resp. ad 1um Non est mortale nullum adhibere ministrum, et in necessitate nullum est peccatum. — *Ita communissime Theologi.* — Imo iuxta *plures* probabiliter nullum est peccatum etiam extra necessitatis casum. Sed oppositum probabilius dicit *S. Lig. n. 824.*

Resp. ad 2um Mulier ad officium ministrantis nunquam est adhibenda; et si Clericus aut laicus inveniri facile nequit, Sacerdos solus omnes caeremonias peragat, et ipse orationibus respondeat.— *Ita S. Lig. ibid., et alii communissime.*

QUAER. 8° *An expectari possit mortis articulus ad conferendum hoc Sacramentum?*

Resp. Neg. Imo *communiter* docent Theologi, graviter peccare Parochos, qui illud differunt usquedum infirmus destituatur usu sensuum et rationis, quia sic caret infirmus uberiori fructu, quem percepisset, si compos rationis Sacramentum recepisset; insuper quia privatur spiritualibus viribus ad resistendum daemoni, et ad perferenda morbi incommoda; et etiam quia infirmus, si esset in mortali, et Sacramentum suscepisset adhuc rationis compos, auxilio attritionis gratiam fuisset adeptus, qua alioquin privatur; demum quia virtute huius Sacramenti consequi potuisset sanitatem corporis, si tempore congruo ipsi collatum fuisset. Hinc Catechismus Romanus: *Gravissime peccant, qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum iam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipit. De Extr. Unct. n. 18.*

(*a*) De hac re in Rituali Romano haec tantum habentur: *Sacerdos.... parari curet... ceream item candelam, quae deinde accensa ipsi ungenti lumen praebeat.*

Parochus in primis meminisse debet non postremas esse muneris sui partes aegrotantium curam habere. Ita *Rituale Rom.* tit. *de Visitat. et cura infirmorum.* — Quocirca recte dicit *Catalanus: teneri ex iustitia Parochum infirmis parochiae suae assistere, potissimum in commendatione animae, certa est sententia unanimi Theologorum consensu comprobata.* Consonant autem plures Declarationes *S. Congr. Conc.* relatae apud *Analecta Iuris Pontif.* (Iulio 1861).

CAPUT IV.

DE SUBIECTO EXTREMAE UNCTIONIS

689. — Subiectum huius Sacramenti sunt omnes, et soli peccatores et infirmi vita periclitantes. Constat 1° ex verbis *S. Iacobi: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae,* etc.: verbum autem *infirmatur* graece significat morbum *periculosum;* 2° ex definitione Ecclesiae. Sic enim in *Decreto unionis: Hoc Sacramentum nisi infirmo de cuius morte timetur, dari non debet.* Consonat *Trid., sess. 14. c. 3.*

Hinc huius Sacramenti capaces non sunt pueri ante usum rationis, nec perpetuo amentes, quia nulla peccata actualia commiserunt.

690. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An Extrema Unctio conferri debeat infirmis delirantibus?*

Resp. Affirm., si antea Sacramentum petiverint, aut petituri fuissent, si de hoc cogitassent, aut signum doloris de peccatis ostenderint. Imo et infirmis destitutis sensibus, ut constat ex *Rit. Rom.* — *Recole dicta de Sacram. in genere, n. 230.*

Quaer. 2° *An hoc Sacramentum licite conferri possit aegroto in periculo mortis dubio, seu probabili?*

Resp. Affirm. cum sententia communi et vera, quia ad ministrandum hoc Sacramentum *valide et licite,* sufficit ut infirmus laboret morbo ita gravi, ut prudenter existimetur versari in periculo mortis. Confirmatur ex *Rit. Romano,* ubi sic statuitur: *Debet hoc Sacramentum praeberi infirmis, qui tam graviter laborant, ut periculum mortis imminere videatur.* — *S. Lig. n. 714.,* etc.

Quaer. 3° *An Extrema Unctio possit conferri pueris?*

Resp. Affirm., dummodo *sint rationis compotes, ac iudicentur doli et culpae capaces.* Ita Bened. XIV. (*de Synodo l. VIII. c. 6.*), qui acriter improbat nonnullas synodales Constitutiones, quibus aetas certa determinata fuit, ante quam pueri non possint inungi.

691. — Quaer. 4° *An vel quando hoc Sacramentum iterari possit?*

Resp. 1° Certo iterari potest, quoties infirmus in periculoso morbo inunctus convaluit, et rursus in morbum periculosum inci-

dit. Constat ex *Conc. Trid. sess. 14. de Extrema Unctione, c. 3.* ubi dicitur: *Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius Sacramenti subsidio iuvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.*

Resp. 2° Potest etiam iterari in eadem infirmitate, si diuturna fuerit, et infirmus notabiliter convaluerit, ita ut a periculo mortis eripi visus fuerit, et iterum in idem inciderit. Ratio est, quia tunc est vere novum mortis periculum. Constat ex *Rituali Romano,* ubi dicitur: *In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit.*

Quaer. 5° *An iterari possit in eodem morbo diuturno, si dubitetur, an revera status morbi mutatus fuerit?*

Resp. Affirm. probabilius, si dubium sit vere positivum, scilicet quando est vere probabile, infirmum exiisse e periculo mortis; haec enim iteratio in istis casibus est veteri Ecclesiae consuetudini magis conformis. — *S. Lig. n. 715.*

692. — Quaer. 6° *An sit obligatio gravis recipiendi hoc Sacramentum?*

Resp. Duplex est sententia probabilis.

I^a^ Sententia *affirmat.* 1° Patet (aiunt) ex verbis ipsius Apostoli Iacobi: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae,* etc. Vox autem *inducat* praeceptum continet. Ergo etc. 2° Accedit praxis Ecclesiae, quae summa sollicitudine semper curavit, ut ab omnibus infirmis susciperetur. Constare etiam videtur ex consuetudine et sensu fidelium. 3° Insuper grave est, et contra charitatem, quam sibi quisque debet, medium adeo efficax, *firmissimumque praesidium,* ut ait *Conc. Trid.,* in extremo agone contra daemonis conatus omittere. — *Ita Roncaglia cum aliis.*

II^a^ Sententia *negat.* Ratio est, quia neque ex Traditione, neque ex Conciliorum Decretis constat de praecepto hoc Sacramentum suscipiendi. Quod vero *S. Iacobus* ait, *inducat Presbyteros* .... ut consilium accipitur atque explicatur. Ergo non potest imponi gravis obligatio de suscipienda Extrema Unctione. — *Ita Billuart, art. 7. post S. Thom., 3. part. qu. 65. art. 4. Sporer n. 106.,* etc. *et S. Lig. n. 733.,* ubi hanc sententiam communem vocat, licet primam omnino suadendam putet, praecipue ratione charitatis, quam sibi quisque debet: *Ingenti namque periculo,* ait, *se exponere videtur tentationibus succumbendi, qui negligit se munire hoc Sacramento a Christo Domino instituto tanquam firmissimo praesidio in tanto conflictu.*

693. — Quaer. 7° *Quaenam dispositio requiratur ad huius Sacramenti susceptionem?*

Resp. 1° Peccatorum confessio, si infirmus in mortali versetur; hoc enim Sacramentum est Poenitentiae complementum, ideoque haec praecedere debet. — *Billuart, art. 7. in fine.*

Resp. 2° Quod si infirmus non possit sua peccata confiteri, contritio saltem praecedat, necesse est: hoc enim Extremae Unctionis Sacramentum est *primario* Sacramentum *vivorum,* et ad reliquias peccatorum tollendas praecipue institutum. — ***Billuart, ibid.*** — Verum in tali casu ipsa attritio sufficere posse videtur; est enim simul Sacramentum ***mortuorum,*** et peccata mortalia cum attritione remittere potest. — ***Salmant. n. 13., et alii.***

TRACTATUS

DE ORDINE

Agendum 1° de natura et divisione; 2° de materia et forma; 3° de Ministro; 4° de subiecto Ordinis.

CAPUT I.

DE NATURA ET DIVISIONE ORDINIS

694. — Nomine Ordinis hic intelligitur *gradus* Clericorum ad specialia Officia ecclesiastica consecratorum. Quanta autem sit huius Sacramenti dignitas et excellentia vix humana voce exprimi potest. Hac de re sic inter plura alia Catechismus Concilii Tridentini: *Potestas tum Corpus et Sanguinem Domini nostri conficiendi et offerendi, tum peccata remittendi, quae illi collata est, humanam rationem atque intelligentiam superat, nedum ei aliquid par et simile in terris inveniri queat.*

Ordo communiter definitur *Signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas ordinato tribuitur. — S. Lig. n. 735.* post *D. Thom.,* etc. Definitur etiam recte iuxta *alios: Sacramentum novae legis, quo traditur spiritualis potestas, et confertur gratia ad munia ecclesiastica debite obeunda.*

695. **Statuenda.** — I. Ordo est verum et proprie dictum novae legis Sacramentum.

Constat, quia in eo reperiuntur omnia ad rationem Sacramenti requisita, scilicet 1° *Signum sensibile,* cum signo exteriori conferatur. — 2° *Institutio divina,* cum Christus Apostolos Ordinis Ministros instituerit, potestatemque consecrandi, remittendi peccata, sacra Mysteria dispensandi, regendi Ecclesiam, et alios Ministros instituendi eis dederit. *Act. 22. — 1. Cor. 12. — Galat. 2. — Matth. 28.* — 3° *Collatio gratiae,* ut constat ex *1. Tim. 4. 24.: Noli,* inquit apostolus, *negligere gratiam, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.*—Et *2. Tim. 1. 6.: Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae in te est per impositionem manuum mearum.*

Eruitur etiam ex definitione *Conc. Trid. sess. 23. Can. 3.* ubi sic legitur: *Si quis dixerit, Ordinem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, anathema sit.*

696. — II. Septem numerantur Ordines, scilicet *Presbyteratus,*

Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, et *Ostiariatus.* Primi tres dicuntur maiores, caeteri minores.

Deducitur ex pluribus Conciliis, praesertim ex *Trident. sess. 23. c. 2.;* postquam enim dixerat aperte de Sacerdotibus et Diaconis sermonem in sacris Litteris fieri, subdit: *Ab ipso Ecclesiae initio, sequentium Ordinum nomina, atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, Subdiaconi, scilicet, Acolythi, Exorcistae, Lectoris et Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur.* — Item *Can. 2.* ait: *Si quis dixerit, praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines, et maiores et minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit.*

697. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quaenam sit horum Ordinum natura et proprietas?*

Resp. 1° *Ostiariatus* est Ordo, quo specialis confertur potestas aperiendi vel claudendi ianuam Ecclesiae, dignos admittendi, excludendi indignos.

2° *Lectoratus* est Ordo, quo specialis traditur potestas legendi psalmos et lectiones ex pulpito in Ecclesia, ac populum catechizandi, seu instruendi in rebus Fidei.

3° *Exorcistatus* est Ordo, quo alicui confertur specialis potestas eiiciendi daemonia per exorcismos ab Ecclesia institutos.

Attamen hodie facultas exorcizandi solis reservatur Presbyteris, qui ea tantum de licentia Ordinarii uti possunt. — *Recole dicta, t. 1. n. 317.*

4° *Acolythatus* est Ordo, quo confertur alicui specialis potestas inter Missae solemnia Subdiacono inserviendi, accendendi cereos, praeparandi porrigendique ampullas vini et aquae.

5° *Subdiaconatus* est Ordo, quo confertur alicui specialis potestas in Missa solemni inserviendi Diacono, solemnique ritu Epistolam cantandi.

6° *Diaconatus* est Ordo, quo confertur specialis potestas in solemni Missa Presbytero immediate assistendi, inter solemnia decantandi Evangelium, praedicandi, et solemniter baptizandi, si iusta tamen interveniat causa. Utrum vero Diaconus, ut aliquando praedicet, speciali licentia Episcopi indigeat, vel licentia Parochi vel Rectoris Ecclesiae sufficiat, ex statutis particularibus vel consuetudine definiendum videtur.

7° *Presbyteratus* est Ordo, quo confertur specialis potestas Corpus et Sanguinem Christi in Missae celebratione consecrandi, a peccatis absolvendi, subditosque opere ac doctrina pascendi.

His adde *Episcopatum* et *primam tonsuram,* quorum alter est ipsius Sacerdotii complementum, altera vero Ordo non est, sed dispositio ad Ordines, qua quis Clericus renuntiatur.

698. — QUAER. 2° *An Diaconatus sit Sacramentum?*

Resp. Affirm. iuxta communem et certam sententiam, quia in eo reperiuntur omnia ad Sacramentum requisita, scilicet 1° *si-*

gnum sensibile, per impositionem manuum; 2° *signum gratiae,* in verbis formae: *Accipe Spiritum Sanctum,* etc.; 3° *signum a Deo institutum,* quia solus Deus instituere potest signa gratiam conferentia. Constat etiam ex *Tridentino, sess. 23. Can. 6.,* ubi sic definitur: *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris* (nempe Diaconis), *anathema sit. — Vide S. Lig. n. 737.*

699. — Quaer. 3. *An etiam Subdiaconatus sit Sacramentum?*

Resp. Controvertitur. Ia Sententia *probabilis affirmat.* Ratio est, quia Subdiaconatus, quemadmodum Diaconatus, omnibus signis Sacramenti constitutivis gaudet; est enim 1° *signum sensibile,* ut patet; 2° *signum gratiae,* cum sit Ordo sacer; 3° *signum a Deo institutum;* definivit enim *Conc. Trident.* esse in Ecclesia hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat *ex Episcopis, Presbyteris et Ministris;* Subdiaconi autem, non secus ac ipsi Diaconi inter Ministros recensendi sunt. — *Ita Billuart,* cum aliis multis post *S. Thomam Supplem. qu. 37. art. 2.*

IIa Sententia item *probabilis,* imo forte *probabilior negat.* Ambigitur enim tum de divina institutione, tum consequenter de gratiae promissione. Nec Subdiaconatus numerandus videtur inter Ordines maiores ex institutione divina, sed ecclesiastica tantum, cum apud Graecos non habeatur ut Ordo sacer. — *S. Lig. n. 737.*

Ordines autem minores iuxta communem sententiam inter Sacramenta minime adnumerandi sunt. — *S. Lig. ibid.*

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA ORDINIS

700. — Materia et forma variae sunt pro variis Ordinibus.

I. Quod spectat ad *Ordines minores,* ratione materiae, *Ostiarius* ordinatur traditione clavium Ecclesiae; *Lector* traditione libri lectionum; *Exorcista* traditione libri exorcismorum; *Acolythus* traditione ampullarum vacuarum, vel saltem unius, et candelabri cum cereo extincto, quia ipsius est praeparare lumen, vinum et aquam ad Missam. Forma his Ordinibus propria continetur verbis quibus utitur Episcopus, dum ipsa instrumenta tradit.

II. Quoad *Subdiaconatum,* tamquam materia *apud Graecos* censetur impositio manuum. *Apud Latinos* controvertitur. Iuxta alios traditio vacui calicis cum patena vacua est sola eius materia proxima. Alii vero contendunt traditionem libri Epistolarum esse pariter materiam huius Ordinis essentialem. Forma autem his continetur verbis: *Videte cuius ministerium vobis traditur, et vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.*

701. — III. Quoad *Diaconatum,* materia duplex statuitur, im-

positio scilicet dexterae manus Episcopi, et traditio Evangeliorum libri. Num harum utraque, an vero una tantum necessaria sit, in controversia est. Theologorum alii solam manuum impositionem, alii solam libri traditionem, alii tandem utramque necessariam censent. Ad praxim autem quod spectat, postrema haec sententia, utpote tutior, tenenda est. Forma consequenter etiam duplex habetur. Quae priori materiae adiicitur, haec est: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus eius, in nomine Domini.* — Quae posteriorem materiam comitatur, eiusmodi est: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini.*

IV. Quoad *Presbyteratum,* ipsius materia *apud Graecos* sita est in sola manuum impositione; *apud Latinos* vero duplex est, saltem ex praecepto, scilicet impositio manuum Episcopi, et traditio calicis cum vino, et patenae cum hostia superposita. Controvertitur autem inter Theologos, quaenam sit materia essentialis. *Probabilius* consistit in sola secunda manuum impositione, quae fit ab Episcopo cum Presbyteris assistentibus. — *S. Lig. n. 749.*

Forma etiam pro materiae diversitate varia est; quare de ea pariter controvertitur. Hinc forma, quae traditioni instrumentorum respondet, haec est: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasque celebrandi tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini* Forma autem impositioni manuum propria, est ipsa oratio, quam recitat Episcopus, dum manus ordinandis imponit. — *Vide S. Lig. n. 739., et seq.*

702. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An requiratur tactus physicus instrumentorum?*

Resp. Dicit *S. Ligorius n. 743.*, duplicem dari sententiam probabilem, et consequenter tutiorem in praxi sequendam esse. Attamen sententia negativa tuta dicenda est ex Decis. *S. Congr. Rituum.* Etenim cum Religiosus quidam Gallus, nomine Ephrem Chasteau, neque calicem, neque patenam tactu physico in sua ordinatione ad Presbyteratum tetigisset, scrupulo motus casum S. Congr. *Rit.* proposuit. Sacra autem Congregatio ad scrupulum hunc fratris Ephrem respondit: *Posse continuare celebrationem SS. Sacrificii absque ullo scrupulo, ac tuta prorsus conscientia* (3. Decembr. 1661. in una Galliarum). Et hanc Declarationem S. Congregatio rursus confirmavit in *Romana 21. Ian. 1863.* (*a*).

** (*a*) Decisio S. Congregationis 3. Dec. 1661. sic habet: *Ad scrupulum Fratris Ephrem Chasteau pro-agentis Recollectorum Galliae, nempe se non tetigisse tactu physico Calicem in sua Ordinatione ad Presbyteratum, S. Congr. respondit: Posse continuare celebrationem SS. Sacrificii absque ullo scrupulo, ac tuta prorsus conscientia.* Merito itaque advertunt VV. (*Pag. 389.*), in hac Decisione nullam *patenae* fieri mentionem.

Addunt VV. (*Ibid.*), *P. Ballerini sententiae P. Gury subscripsisse, quippe nullam adnotationem seu correctionem adiecit.* — Resp. *Nego Con-*

Caeterum nemini ordinato rationabilis et fundatus scrupulus incsse potest. Nam in praxi Episcopi solent ita procedere, ut in re tanti momenti tutiorem viam semper teneant. Aliunde tot Ministris et Officialibus incumbit munus invigilandi de ritu in Ordi-

sequentiam; quia silentium eiusmodi mere indicat, *quaestiones, in statu quo relictas,* iudicio lectoris permitti.

Aliam rationem VV. (*Ibid.*) addunt, quia *P. Ballerini brevius interiecit textui aliam S. Congr. Decisionem, quam Gury in Nota referebat* in haec verba: *Praefata Decisio recentius ab eadem Congregatione (SS. Rituum) confirmata est. Etenim cum similis casus Romae pro Neo-sacerdote Collegii Romani S. I. evenisset, P. Perrone, operibus theologicis notissimus, S. Congregationem Rituum de illo interrogavit; quae idem omnino responsum dedit ex Declaratione authentica iam prius facta, occasione scrupuli Fratris Ephrem, die 21. Ianuarii 1863.* — Resp. Ratio inserendi textui etiam hanc P. Gury adnotationem clare edicebatur in *Monito ad Lectorem* his verbis: *Submovere placuit confusionem quandam inductam duplici Notarum serie, quarum aliae auctorem habebant P. Gury, aliae vero additae primum fuerant in editione romana an. 1866. Ad priores quod pertinet, has omnes suo quamque loco textui inserendas curavimus.* Rursus igitur *Nego consequentiam.*

Denique VV. postquam sexdecim columnas textibus Auctorum impleverunt, hoc etiam (*Pag. 398.*) concludunt: *Si ergo S. Rituum Congregatio ann. 1661. definivisset, Ordinationem, utpote certe validam, non esse iterandam, eadem S. Congregatio non tantum communissimam Doctorum sententiam reiecisset, sed eam tamquam merum scrupulum contemnendam esse declarasset; quod ab omni verisimili abhorret. Porro verisimile non est, omnes Doctores, qui post annum 1661. hanc materiam pertractarunt, praefatam decisionem ignorasse; unde dicendum est, plures saltem eam pro responsione* in casu particulari, *non autem* pro definitione *generali habuisse.*

Liceat de his pauca breviter animadvertisse. Et in primis optandum erat, ut dum VV. haec scriberent, memoria tenuissent, quid factum sit de sexdecim Decretis S. Inquisitionis circa denuntiandos sollicitantes editis eodem anno 1661., et quidem solemniter a Bened. XIV. in Const. *Sacramentum Poenitentiae* confirmatis. Ipsi enim ad excusandum S. Alphonsum, qui conclusiones habet hisce Decretis reiectas, ostendere studuerunt, eiusmodi Decreta ignorari prorsus ab Auctoribus potuisse. Cur ergo nunc contendunt, *verisimile non esse, omnes Doctores, qui post ann. 1661. hanc materiam pertractarunt, praefatam Decisionem ignorasse?*

Item quod subdunt, *plures saltem eam* (Decisionem) *pro responsione in casu particulari, non autem pro definitione generali habuisse,* ceu verisimile dici posset, si aliquo modo eam Decisionem isti plures aut referrent, aut saltem memorarent. Atqui ipsi VV. (*Pag. 397.*) unum Scavini allegant, qui eiusdem mentionem fecerit.

Denique (*Pag. 398.*) concludunt, *quaestionem propositam nondum esse definitam.* At vero si hic fas putant asserere, post S. Congregationis Decisionem ann. 1661., et quidem ab eadem S. Congregatione confirmatam ann. 1863., *quaestionem nondum esse definitam;* cur enimvero ob Responsionem S. Congregationis, itidem privatam ad privatum, alias quodammodo triumphum canunt, et quaestionem, quamvis contra unanimem Theologorum et Canonistarum sententiam, definitam proclamant, cum tamen alias S. Alphonsus per eiusmodi responsiones adeo quaestionem non censuerit definitam, ut oppositum tenere et docere, prout alias (Vid. sup. Not. (*a*) ad n. 589. Pag. 542, et Pag. 486. in Not.) vidimus, non dubitaverit? Nonne etiam hic VV. lectori in mentem illud revocant: *Pondus et pondus, mensura et mensura?*

natione servando, ut moralis certitudo habeatur, omnia recte et valide gesta fuisse.

Quaer. 2° *An necessario traditio utriusque speciei requiratur?*

Resp. Affirm. probabilius, quia per traditionem unius speciei non traditur potestas in totum Sacrificium. — *S. Lig.* ut *probabilius, n. 750. — Salmant. c. 3. n. 45.*

703. — Quaer. 3° *An valide ordinetur, qui tangit hostiam, non autem patenam; et qui tangit calicem et patenam, non autem hostiam?*

Resp. ad 1um *Affirm.* cum sententia communi, quae probabilissima videtur. Ratio est, quia hostia et vinum sunt materia substantialis Ordinis, quibus principaliter significatur potestas in corpus Christi, et propter solam decentiam ex praecepto Ecclesiae usurpatur calix et patena. Attamen in praxi pars tutior sequenda est.— *S. Lig. n. 751.*

Resp. ad 2um etiam *affirmative* cum sententia *communi* et *veriori,* ait *S. Lig.* Ratio est, 1° quia tunc tangitur hostia mediante patena; non autem praescribitur ab Ecclesia tactus immediatus hostiae, sed tantum patenae, ut patet ex Pontificali; 2° quia vinum in calice nunquam tangitur immediate: ergo nec requiritur, ut hostia immediate tangatur. Caeterum curandum est ordinando, ut tangat calicem, patenam et simul hostiam, et sic ab omni scrupulo se eximet. — *S. Lig. n. 752.*

CAPUT III.

DE MINISTRO SACRAMENTI ORDINIS

704. **Principia.** — I. Solus Episcopus est ordinarius Sacramenti Ordinis Minister. Constat 1° ex Scriptura, quae non aliis quam Apostolis, et Episcopis eorum successoribus, ius tribuit Ordines conferendi.— *Act. Apost. 6. 6., et 14. 22.—2. ad Timoth. 1. 6.*

2° Ex perpetua traditione, quam innumera evincunt Concilia, sed praesertim *Florentinum* et *Tridentinum.* Sic enim *Florentinum* in Decreto unionis: *Ordinarius Minister huius Sacramenti (Ordinis) est Episcopus.* Et *Trident. sess. 23. Can. 7.: Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem ...., anathema sit.*

II. Simplex Sacerdos, S. Pontifice committente, potest tonsurae et quatuor minorum Ordinum extraordinarius esse Minister.

Probatur ex Conciliis, praesertim ex *Trid. sess. 23. cap. 10. de Reform.,* ubi dicitur: *Abbatibus et aliis quibuscumque quantumvis exemptis, et privilegiatis, non licet in posterum ... cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores Ordines conferre.* Ergo supponit *Trident.,* illos suis Religiosis Ordines conferre posse. — *Ita communissime. — S. Lig. n. 762.*

705. — III. Episcopus solos sibi subditos licite ordinare potest, alios vero licite ordinare nequit absque ipsorum Episcopi facultate.

Eruitur ex *Conc. Trid. sess. 23. c. 8. de Reform.*: *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur: quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei .... permittatur, nisi eius probitas ac mores* Ordinarii sui *testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus* (*a*).

706. **Quaesita**. — Quaer. 1° *Quisnam censeatur proprius ordinandi Episcopus?*

Resp. Triplici titulo proprius Episcopus esse potest, scilicet 1° titulo *nativitatis* ordinandi, seu cum ordinandus in eius dioecesi natus est, non tamen fortuito casu; 2° titulo *domicilii*, seu cum ordinandus in illius dioecesi verum et proprium *domicilium* habet, non vero *quasi-domicilium* tantum; 3° titulo *beneficii*, seu cum ordinandus *beneficium in Episcopi* dioecesi possidet. — *Ita Bonifacius VIII. cap. Cum nullus ordinandorum.*

Triplici, quem memoravimus, titulo quartus accedit, nempe titulus *familiaritatis*, vi cuius Episcopus potest familiarem suum non subditum ordinare, si per triennium eum secum habuerit, et beneficium, omni remota fraude, statim ipsi conferat. — Sic *Trid. sess. 23. c. 9. de Reform.* — *S. Lig. n. 780.*

In Gallia ex praxi generali solus Episcopus originis ordinare solet; attamen talis consuetudo vim legis habere non censetur. Non peccaret igitur Episcopus, aliquem ratione domicilii ordinans. — *Bouvier, c. 4. art. 3.* — *Gousset, n. 648.*

707. — Quaer. 2° *Quinam litteras dimissorias concedere possint?*

Resp. 1° Solus ordinandi Episcopus, sede non vacante, dimissorias litteras dare potest, sive per se, sive per Vicarios suos ge-

** (*a*) Hanc suspensionem latae sententiae Summo Pontifici reservat Constitutio SS. D. N. PP. Pii IX. *Apostolicae Sedis* 12. Octobr. 1869. his verbis: *Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu Beneficii statim conferendi aut iam collati sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus.*

Sedi Apostolicae item reservatur et sequens suspensio: *Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio, quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint: nec non Clerici pertinentes ad aliquem ex sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis, quam ad Card. Urbis Vicarium... suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.*

nerales, quibus Episcopi hanc facultatem ordinarie conferunt. Solius enim Episcopi est dioecesim gubernare, et ordinario iure Ordines conferre.

Resp. 2° Sede autem vacante, Capitulum habet quidem facultatem litteras dimissorias concedendi, sed non infra annum a die vacationis. — *Ita ex Trid. sess. 7. c. 10. de Reform.*

708. — Quaer. 3° *A quonam Episcopo Regulares ordinandi sint?*

Resp. Regulares ordinandi sunt ab Episcopo, in cuius dioecesi est monasterium, ubi tunc commorantur. — Sic ex cap. *Cum nullus.*

Si tamen Episcopus vel absens fuerit vel ordinationem habere non possit, Superior, dimissoriis traditis, poterit subditos ad quemlibet Episcopum ordinandos mittere, modo huic Episcopo ostendant testimonium Vicarii generalis, vel cancellarii, seu secretarii proprii Episcopi. — *Vide S. Lig. n. 788.*

In ordinatione autem Regularium servanda est dispositio Pontificalis Romani quoad formulam: *Promittis Ordinario tuo obedientiam*, etc. — *Sic Sacra Congr. Rit.* die 22. Iulii 1848. *in Gandaven.*

Quaer. 4° *Quaenam Missa dicenda sit ab Episcopo in collatione generali Ordinum, quando in sabbatis quatuor Temporum, aut ante Dominicam Passionis occurrit aliquod festum, an scilicet de feria, an vero de festo?*

Resp. De feria celebrare debet. — *Ita S. Congr. Rit.* multoties declaravit. — *V. Casus, n. 821. et seq.*

CAPUT IV.

DE SUBIECTO SACRAMENTI ORDINIS

709. **Principia.**—I. Subiectum Ordinis est solus mas baptizatus.

Ratio 1^mi^ est, quia feminae ex divina institutione sunt Ordinis cuiuslibet prorsus incapaces. Constat ex sacris Litteris: *1. Cor. 14. 34.* ait Apost.: *Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit.* Et *1. Tim. 2. 11. et 12.: Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto neque dominari in virum, sed esse in silentio.* — Probatur etiam ex perpetua Ecclesiae praxi et unanimi Patrum omniumque doctorum consensu.

Ratio 2^di^ patet. Nemo enim ante susceptum Baptismum aliud quodlibet Sacramentum suscipere valet.

Puerulus autem baptizatus, nondum rationis compos, valide quidem, sed illicite ordinaretur.

710. — II. Ut quis Ordines rite suscipiat, sequentes requiruntur conditiones: 1^a^ ut nulla irregularitate, suspensione, excommunicatione devinciatur; 2^a^ ut aetatem per sacros Canones requisitam attigerit; 3^a^ ut congruam scientiam specimine comprobatam prae se ferat; 4^a^ ut dimissoriales ostendat litteras, si sit ex alia dioecesi;

5° ut debito tempore, debitisque interstitiis interpositis, ordinetur; 6° ut vitae probitas divinam quoque vocationem comitem habeat.

Ad Subdiaconum ordinandum requiritur praeterea titulus *sustentationis honestae*, sive *patrimonii*, sive *beneficii*, sive etiam *religiosae paupertatis*. Si pereat titulus post susceptum Subdiaconatum, alius titulus requiritur ad Ordinem superiorem suscipiendum. — *Trident. sess. 21. c. 2. De Reform.*

711. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quaenam requiratur scientia in candidatis ad Ordines promovendis?*

Resp. 1° Ab initiandis ad Ordines minores exigitur, ut saltem latinum sermonem intelligant; 2° ab initiandis ad Subdiaconatum et Diaconatum requiritur, ut in litteris eruditi sint, et in iis quae ad Ordinem exercendum pertinent; 3° ab initiandis demum ad Sacerdotium exigitur, ut ad populum docendum ea, quae ad salutem omnibus necessaria sunt, et ad ministranda Sacramenta idonei reperiantur. — *Trid. sess. 23. c. 4. et seq.*

QUAER. 2° *Quaenam aetas requiratur ad suscipiendos Ordines?*

Resp. 1° Ad *primam tonsuram* suscipiendam requiritur, ut initiandus polleat rationis usu, scilicet ut saltem septennis sit. — *Conc. Trid. sess. 23., c. 4.* 2° Quoad *minores Ordines* nulla in Iure canonico assignatur aetas. 3° A *Subdiaconis* exigitur vicesimus secundus aetatis annus incboatus. 4° A *Diaconis* vicesimus tertius. 5° A *Sacerdotibus* vicesimus quintus. 6° Ad *Episcopatum* autem requiritur annus tricesimus. Colligitur ex *Conc. Trid. sess. 23., c. 12 de Reform.* Sufficit autem ut annus indicatus sit inchoatus, excepto tamen Episcopatu. — *S. Lig. n. 799.* Dispensatio vero quoad aetatem Summo Pontifici reservatur. — *S. Lig. n. 799–800.*

712. — QUAER. 3° *Quonam tempore Ordines conferri possint?*

Resp. 1° Prima *tonsura* quovis die, hora et loco conferri potest. — *Sic ex Pontif. Romano.*

Resp. 2° Ordines *minores* ubivis etiam conferri possunt singulis Dominicis, vel Festis duplicibus ex praecepto, dummodo mane conferantur. — *Vide Pontificale Rom.* Sed hoc est intelligendum de ordinatione, quae non sit generalis; siquidem generalis fieri debet iis diebus, quibus Ordines maiores conferri possunt, nisi consuetudo id feria IV. aut VI. ante ordinationem generalem permittat. — *Scavini.*

Resp. 3° Ordines *maiores* ex iure inter Missae celebrationem conferuntur 1° sabbato singulorum quatuor Temporum; 2° sabbato ante Dominicam Passionis; 3° sabbato sancto. Ex dispensatione vero a Papa obtenta, conferri possunt etiam extra tempora, aliis scilicet vel Dominicis vel Festis de praecepto (id est de ritu duplici 2ae classis) (*a*). — *Decretal. l. 1. tit. 11. c. 3.*, etc. — Festa au-

(*a*) Curnam A. pro uno eodemque habeat *festum de praecepto* et *festum cum ritu duplici secundae classis*, nondum comperi. Et siquidem

tem suppressa reputantur de praecepto quoad Ordines. *S. Congr. Rit.* 12. Nov. 1831. *et* 13. Mart. 1833.

Festa de praecepto intelligit, quae servantur tum *in choro* (ut aiunt), tum *in foro:* et profecto occurrent *festa duplicia secundae classis,* quae in foro non servantur; si vero *festa de praecepto* intelligit, quae *non ad libitum* celebrantur in choro, iam multa festa eiusmodi habebimus, quae tamen non sunt *duplicia secundae classis.*

Caeterum fuit quidem paucorum quorumdam opinio, *dies festos,* quibus ex Apostolico Indulto ordinatio *extra tempora* haberi queat, posse intelligi dies quoslibet, quibus recurrat festum ritus *duplicis* in ecclesiasticis officiis, et insuper id valere non modo in *duplicibus de praecepto,* sed etiam in duplicibus *ad libitum;* quam opinionem La Croix (*Lib. 6. P. 2. n. 2293.*) probabilem censuit, atque confirmari putavit ex eo, quod *ita* (inquit) *videmus fieri ab optimis Episcopis.*

Verum ista opinio dicenda videtur iam obsoleta, praesertim post tot Declarationes SS. Congregation. Mitto enim nunc, quod cum quidam, ut narrat Lugo (*Resp. moral. Lib. 1. Dub. 34.*), ansam ad eam opinionem obstinate defendendam sumerent ex verbis Pontificalis Romani, ubi tit. *de Ordinibus conferendis* dicebatur in rubrica: *Minores vero Ordines possunt dari singulis dominicis et festivis diebus duplicibus,* etc.; ideo iussu Urbani VIII. in nova recognitione et correctione Pontificalis Romani in eo titulo expresse additum fuit, Ordines minores conferri posse *omnibus Dominicis et diebus festivis ex praecepto; ut nemo* (subdit Lugo) *posset amplius praetendere, ibi etiam comprehendi dies, qui in Breviario appellantur festa.* Sed clarius controversia definita fuit ex Sacr. Congreg. Responsis. Nam, ut refert Fagnanus (*In C. De eo Tit. De temp. Ordin. n. 42.*), propositis hisce dubiis:

Praesupposito, quod minores Ordines possunt conferri diebus Dominicis aut alias festivis, dubitatur, an appellatione diei festi comprehendatur festum, in quo ab Ecclesia fit officium, an vero debeat esse festum, quod a populo colatur.

Secundo: Idem est dubium quoad promovendos vigore dispensationum de promovendo extra tempora diebus festis.

Ad primum S. Congregatio Concilii censuit, comprehendi dies festos, qui a populo servantur: toto tit. De Fer. – De Consecr. Dist. 3. C. 1. – C. 12. Sess. 25. De Regular.

Ad secundum, idem respondit.

Hanc tamen Declarationem plerisque incompertam fuisse ex eo patet, quod nec Croix (*l. c.*), nec Schmalzgrueber (*Lib. 1. Tit. XI. n. 11.*), nec Pichler (*eod. tit. n. 28.*), ubi hanc quaestionem attingunt, ullam illius mentionem iniiciunt; licet eam memoraverit Pirhing (*hoc tit. n. 78.*), ubi notat, satis esse si festus sit dies in *Ecclesia illa particulari.*

Binas praeterea, easque recentiores habemus Declarat. S. Rituum Congreg.; alteram in *Claramontensi* die 16. Mart. 1833. ad seq. dubium: *Quum diversae opiniones circumferantur in concilio Claramontensi circa haec verba Pontificalis Romani:* Minores Ordines possunt conferri in Dominicis et festis duplicibus; *ad certam in re legem stabiliendam S. R. C. humillimae datae sunt preces, ut suam sententiam edicere dignaretur.* Et S. Congreg. resp.: *Minores Ordines conferri possunt in festis de praecepto, vel in festis duplicibus, quae erant de praecepto ante reductionem.*

Alteram autem habemus in Quebecensi die 23. Maii 1836. ad seq. dubium: *Quum in Pontificali Romano titulo de Ordinationibus habeatur:* Minores Ordines possunt dari singulis Dominicis et festivis diebus duplicibus; *quaeritur, an verba,* festivis diebus duplicibus, *intelligenda sint pro festis de praecepto strictim servandis?* S. Congregat. respondit: *Affirmative.*

713. — QUAER. 4° *Quaenam sint interstitia inter singulos Ordines servanda?*

Resp. 1° Inter Ordines minores quaedam servanda sunt interstitia, nisi aliud Episcopo magis expedire videatur. — *Sic ex Trid. sess. 23. c. 11., de Reformatione.* — Tempus autem non determinatur. In multis locis ex consuetudine quatuor Ordines eadem die conferuntur.

Resp. 2° Quoad Ordines maiores sic statutum est a *Conc. Trid. sess. 23. c. 11. 12.* inter postremum e minoribus susceptum et Subdiaconatum, unus annus intercedere debet. Idem dicas Subdiaconatum inter et Diaconatum. Idem etiam dicendum inter Diaconatum et Presbyteratum, nisi Episcopus secus decernat. Hinc Episcopus potestatem habet ab interstitiis dispensandi, *si expedire ipsi videatur,* modo debitis temporibus Ordines conferat.

Graviter autem peccaret, qui eodem die praeter quatuor Ordines minores etiam Subdiaconatum susciperet, nisi excuset contraria consuetudo, quae per Episcopum probanda est. — *Ferraris, Bibl.* v. *Ordo.* — *S. Lig. n. 797.*

714. — QUAER. 5° *An peccet Clericus, qui initiatus in minoribus uxorem ducit?*

Resp. Per se loquendo certum est, non peccare graviter, imo nec etiam leviter, si ob iustam causam hoc facit, v. gr. ad sedandas inimicitias, aut tentationes carnis, ad subveniendum feminae pauperi, etc.; alias a veniali non excusabitur. — *S. Lig. n. 785.* — Dixi *per se loquendo;* nam valde timendum est, ait *S. Ligorius,* ne in malo statu existat ille, qui certus de sua vocatione ad statum ecclesiasticum, ab eo recedit, ut saeculo fruatur.

QUAER. 6° *An requiratur, ut ordinandus sit confirmatus?*

Resp. Trid. sess. 23. c. 4. haec habet: *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Sed disputatur, num haec verba sint *de praecepto, an de consilio* tantum: *Communiter,* ait *S. Lig. n. 786., dicunt, Confirmationem non requiri in ordinando sub obligatione gravi, sed requiri quidem sub levi; quia licet verba Trid. potius indicent decentiam quam praeceptum, tamen in hoc contraire non excusatur a levi saltem deordinatione.*

715. — QUAER. 7° *An peccet qui suscipit aliquem Ordinem sine animo ascendendi ad superiores?*

Resp. 1° Non peccat graviter, etiamsi suscipiat Ordines maiores, et non intendat suscipere Sacerdotium. — *Ita S. Lig. n. 785.,* ubi dicit, hoc esse certum et commune.

Resp. 2° Nec probabiliter *per se* peccat venialiter, quia nullo iure praescribitur alicui, ut ad superiores Ordines ascendat, nisi quis acceptet beneficium requirens Sacerdotium, vel Ordinem sacrum. — *S. Lig. ibid.*

QUAER. 8° *An vel quomodo peccet ordinatus, qui omittit recita-*

tionem precum, quae post ordinationem per modum poenitentiae ab Episcopo imponuntur?

Resp. Non consentiunt de hoc Theologi. Alii enim dicunt, eum peccare graviter, quia materia praecepti est gravis. Alii tenent, illum minime peccare, quia Episcopus praeceptum non imponit. Alii tandem censent, huiusmodi omissionem non vacare quidem culpa, sed venialem non excedere. Haec sententia probabilior videtur. — *Vide S. Lig. n. 829.*

Quoad istas preces haec habetur S. C. R. Declaratio *in Granatensi* 11. Aug. 1860: *Verba Pontificalis Romani* Nocturnum talis diei *intellige de unico Nocturno in feriali, vel de primo Dominicae, ut in Psalterio, id est duodecim Psalmorum cum suis antiphonis de tempore, quem Episcopus ordinans designare potest, vel ipsius diei, quo habet ordinationem, vel alterius pro suo arbitrio.— Quando vero Episcopus nihil aliud exprimit, quam id quod verba Pontificalis referunt, dicendum est Nocturnum feriae, quae respondeat illi diei, in quo facta est ordinatio.*

716. — Quaer. 9° *An vel quomodo Neo-sacerdotes tres Missas ab Episcopo praescriptas legere teneantur?*

Resp. 1° Non tenentur eas applicare ad Episcopi intentionem, et proinde stipendium pro illis accipere possunt. — *Ita communiter.* — *S. Lig. ibid.*

Resp. 2° Nec apparet obligatio gravis eas Missas celebrandi: neque prius dicendae sunt, quam adveniant dies non impediti, cum Missae votivae esse debeant.— *Vide S. Lig. ibid.*

Quaer. 10° *Ad quid teneantur Sacerdotes vi obedientiae, quam Episcopo in ordinatione promiserunt?*

Resp. Sic explicat *Benedict. XIV.* (in Epist. *Ex quo dilectus*): *Agnoscimus, Presbyterum huiusmodi promissionis vigore ea lege inter alias adstrictum teneri, ut a servitio Ecclesiae, cui addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia Episcopi.* — *S. Lig. n. 828.*

717. — Quaer. 11° *An Sacerdotes, vel etiam Parochi statum religiosum amplecti possint, renuente Episcopo?*

Resp. Affirm. Constat ex Iure can. cap. *Duae sunt, caus. 19. qu. 2.,* ubi ab *Urbano II.* statuitur, Presbyteros vel Parochos volentes transire ad aliquod monasterium, posse libere discedere, etiam contradicente Episcopo. — *Vide S. Ligor. n. 828.,* et cit. (Q. praec.) Epist. *Bened. XIV.*

718. — Quaer. 12° *An sit concedenda absolutio Clerico habituato in vitio turpi occulto, qui ad Ordines sacros ascendere velit, sine praevio continentiae experimento?*

Resp. Negative respondet *S. Ligorius de Sacram. in genere, n. 64.,* licet sincere sit conversus ad Dominum, et ideo possit statim absolvi. Ex eius igitur sententia sacrum Ordinem suscipere non poterit, nisi aliquandiu operam dederit ad pravum habitum extirpandum. Si vero persistat sacrum Ordinem suscipere, S. Ligorius

non censet dispositum ad absolutionem, quia legem Ecclesiae violat in re gravi. Excipit tantummodo casum, in quo Deus donet poenitenti extraordinariam compunctionis gratiam, quae eum reddat adeo probatum, ut ipse statim possit sacrum Ordinem suscipere, quin temporis experientia comprobetur. Alii tamen in tota ista quaestione apud eumdem *S. Lig.* aliter sentiunt. — *V. Casus n. 826.* (*a*).

APPENDIX

DE VOCATIONE CLERICALI

719. — I. *Necessitas vocationis divinae* evincitur imprimis ex Scriptura sacra: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* Hebr. 5. 4. — Hinc Apostoli, ut alium Apostolum in locum Iudae proditoris subrogarent, sic Deum deprecati sunt: *Tu, Domine, ostende, quem elegeris.* Ipse Christus, *Ioann. 10. 1.*, dixit: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, fur est et latro; qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.* — Iterum *Ioann. 15. 16.: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* — Rursus *Luc. 10. 2.: Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Illi igitur qui non sunt vocati a Deo, se intrudunt, et ipsi sunt, de quibus ait Dominus per Ieremiam (23. 21.): *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant.* — *S. Lig. n. 802.*

720. — II. *Signa divinae vocationis* ad statum ecclesiasticum praecipua sunt sequentia: scientia conveniens, probitas vitae, recta intentio, seu desiderium vacandi divinae gloriae et saluti animarum. — *S. Lig. ibid.*

Qui sine vocatione ex talibus signis explorata in sacrum ministerium se intrudit, non potest a magna praesumptione, et forte a gravi culpa excusari, cum magno damnationis periculo se exponat. Maiori autem periculo se committunt Episcopi, qui non vocatos ad Ordines sacros promovent, ex illo Apost. *1. Tim. 5. 22.: Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Hinc

(*a*) Proderit circa eiusmodi controversiam ea legisse, quae Card. De Lugo (*Resp. Moral. Lib. 1. Dub. 28.*) disserit de Novitio, qui Religionem observantem ingressus, patiebatur frequentes lapsus carnis voluntarios, quos Confessario manifestabat in confessione, et postea saepius reincidebat. Confessarius enim iudicans, eum non esse aptum Religioni, suadebat illi frequenter, ut ad saeculum rediret, vel Superiori fragilitatem suam extra confessionem aperiret; imo ad id tandem poenitentem obligare tentavit, significans, se deinceps, nisi obediret, absolutionem ei negaturum. *Quaesitum fuit* (inquit Lugo), *an Confessarius iure id facere potuerit, an vero potestatis suae limites fuerit transgressus.* Non vacat hic locus ea afferendi, quae disputat ibi doctus Auctor. Illud unum non est tacendum, ex sententia ipsius rationes omnes, quas Confessarius ad suam sententiam defendendam prompsisse perhibetur, rem non evincere.

in Iure can. cap. *Nullus,* praescribitur, ut *nullus ordinetur nisi probatus fuerit.*

721. — Quaer. *Quid agendum Episcopo, ut candidatos ad sacros Ordines satis probet?*

Resp. Sic S. Ligorius ibid.: *Ad hanc probationem ab Episcopo exquirendam, non sufficit quod ipse nihil mali noverit de ordinando, sed debet fieri certus de eius positiva probitate, iuxta sublimitatem gradus ad quem ille inhiat ascendere .... Qua de re Episcopi in hac probatione expetenda non debent esse contenti simplici attestatione Parochorum, qui humanis ducti respectibus in huiusmodi attestationibus concedendis facile Clericis indulgent, ne in se attrahant eorum odium, eorumque propinquorum; sed insuper ab aliis fide dignis, capta secreta informatione, certi fieri debent, non solum quod initiandus non sit malus,... sed etiam quod sit positive bonus, scilicet quod vitam agat spiritualem, sit assiduus in Ecclesiis, Sacramenta frequentet et orationem, vivat a saecularibus segregatus, sociis morigeris comitetur, studio vacet, modesta utatur veste, etc...*

Vide alia plura de obligationibus Clericorum in Tractatu de Statibus, scilicet de caelibatu n. 40.; de gestatione habitus, et tonsurae n. 45.; de recitatione Officii divini n. 49. et seq.; etc. etc.

FINIS TRACTATUS DE ORDINE.

TRACTATUS

DE MATRIMONIO

Matrimonium dicitur a matris *munere*, ut habent *communiter* Thh. cum *S. Thom.;* quia in hac societate praecipuae partes ad matrem pertinere videntur. Matrimonium appellatur etiam *coniugium* a communi iugo, cui vir et mulier subiiciuntur. Item vocatur *nuptiae* vel *connubium* a verbo *nubere;* quia sponsae olim velabantur, cum viris traderentur. Item dicitur *consortium*, quia vir et mulier communem sortem habent.

Magnopere iuvat instruere fideles de matrimonii excellentia et sanctitate, virtutem tamen continentiae, ut par est, multo magis extollendo.

Agendum 1° de sponsalibus; 2° de bannorum proclamatione; 3° de natura et proprietatibus matrimonii; 4° de eius materia et forma; 5° de eiusdem ministro et subiecto; 6° de impedimentis matrimonii; 7° de matrimonii irriti revalidatione; 8° de coniugali debito.

CAPUT I.

DE SPONSALIBUS

1° De natura; 2° de effectibus; 3° de dissolutione sponsalium.

ARTICULUS I.

DE NATURA SPONSALIUM

722. — Definitio. Sponsalia sunt promissio deliberata (scilicet cum deliberatione (*a*) sufficiente ad peccatum mortale), mutua (*b*)

(*a*) Quod sufficiat deliberatio, quae satis sit ad peccandum mortaliter, alii affirmant, negantque alii apud Bonacinam (*De Matr. Q. 1. punct. 4. n. 4.*) ac Sanchez (*Lib. 1. Disp. 16. n. 15.*), et in his est S. Thomas (*Suppl. q. 43. art. 2. ad 2. vel in 4. Dist. 27. q. 2. art. 2. ad 2.*). Utramque sententiam haud aegre conciliabis eadem ratione, ac concilientur DD. specie tenus dissentientes, an ad voti validitatem satis sit deliberatio, quae sufficit ad mortale peccatum. Qua de re *Vid. Vol. I. n. 320. cum not.*

(*b*) Si promissio *mutua* non sit, sed alterius tantum partis, non erit contractus *sponsalium*, qui est *onerosus*, et ultro citroque obligans ex iustitia, sed contractus simplicis *promissionis*, qui est *gratuitus*, et obligans

et signo sensibili expressa (*a*) futuri matrimonii inter personas habiles.

Divisio. Distinguuntur sponsalia:

1° *Ecclesiastica* seu *solemnia*, vel *privata*, prout vel in facie

ex mera fidelitate, si altera pars promissionem acceptaverit. Exemplum praebet S. Antoninus (*Part. 3. Tit. 1. Cap. 18.* §. *3.*) in eo, qui dixerit: *Do fidem meam..., et unum duosve menses aut annos aut tempus in omne exspectabo, paratus tibi nubere, si velis.* Altera autem pars acceptare promissionem potest, et libera interim permanere, ut habito consilio oblata sibi sponsalia vel admittat vel reiiciat. Dixi: *oblata sponsalia;* haec enim quaedam est sponsalium contrahendorum promissio; quae, ut advertit Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 1. n. 49.*), *quamvis obliget ad sponsalia contrahenda, et videatur esse promissio matrimonii, saltem mediate, nomen tamen sponsalium non meretur, et ideo nec publicam honestatem, aliosve effectus sponsalium proprios parit, sicut promissio venditionis non est venditio, neque titulum in alium transfert.* — Vid. Sanchez (*De Matrim. Lib. 1. Disp. 5. n. 7. et seqq.*).

(*a*) Dicitur, *signo sensibili,* idest quovis exteriori signo, quo id exprimatur, in quod quisque contrahentium consentiat, et quid acceptetur, atque ex mutua acceptatione alteri nota fiat, ut contractus evadat absolutus. Non ergo necessaria sunt verba, quae nec proferri a muto, nec audiri a surdo possent, inter quos tamen et sponsalia et matrimonium contrahi possunt, ut ex *C. Cum apud 23.* et *C. Tuae 25. De Sponsalibus* constat. Secus dicendum, ut notat Sanchez (*De Matrim. Lib. 1. Disp. 8. n. 13.*), de eo, qui surdus simul et caecus a nativitate sit; neque enim potest aut verba audire cum sit surdus, aut alia signa percipere cum sit caecus; atque adeo, quid sit matrimonium, edoceri non potest, nisi forte nova quadam arte erudiri et doceri queat.

Necesse tamen non est, ut consensus significetur ab ipso contrahente, aut ipso praesente, sed contrahi potest inter absentes vel per internuntium, vel per epistolam (*L. In sponsalibus 18. ff. De Sponsalibus*), vel per Procuratorem (*C. Procurator 9. De Procuratoribus in VI.*); qui tamen 1° habere debet mandatum *speciale ad contrahenda sponsalia* et quidem cum determinata persona; 2° mandatum exequi per se ipsum debet, nisi expresse facultatem acceperit alium sibi substituendi; 3° quo tempore Procurator mandatum exequitur, oportet ut hoc a Mandante non sit revocatum: nam alias (quae est praerogativa contractuum matrimonialium propria) invalide contrahit, licet nec ipse nec altera pars sit revocationis conscia.

Adeo autem necessaria est consensus per aliquod signum expressio, ut taciturnitas ad oblatas sibi nuptias nullatenus sufficiat. Quamvis enim matrimonium recenseatur inter causas favorabiles, in quibus (*Reg. iuris 43. in VI.*) *tacens videtur consentire;* at cum *certa persona* contrahere nocivum esse potest. Vide Schmalzgr. (*Lib. 4. Tit. 1. n. 58.*) et Sanchez (*De Matrim. Lib. 1. Disp. 23. n. 7.*). — Excipe sponsalia, quae parentes contrahant pro filiis, sive praesentes hi sint, sive absentes; si enim, re cognita, non contradixerint, ipso silentio eos tacite consentire ex iure praesumitur. Ita expresse in *C. unic.* §. *2. De despons. Impuber. in VI.: Ex sponsalibus, quae parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint vel tacite, ut si praesentes fuerint, nec contradixerint, obligantur: ex eis oritur iustitia publicae honestatis. Et est idem, si filii tempore sponsaliorum absentes et etiam ignorantes eadem sponsalia post scientes ratificaverint tacite vel expresse: alias ex sponsalibus contractis a parentibus pro filiis nec ipsi filii obligantur, nec publicae honestatis iustitia inde surgit.* Ad quae sunt plura advertenda.

Ecclesiae, id est coram Parocho (*a*) et testibus celebrantur; vel privatim solo contrahentium consensu, aut coram parentibus in media familia perficiuntur.

2° *Absoluta* vel *conditionata,* prout absque ulla conditione, vel cum aliqua conditione adiecta fiunt.

723. **Principia.** — I. Ad validitatem sponsalium requiruntur conditiones omnes in definitione contentae, ita ut si una earum

Ac 1° ex *communissima* sententia (Vid. Sanchez *Lib. 1. Disp. 23. n. 7.* et S. Alphonsus *Lib. 6. n. 839.*) nomine *parentum* unice veniunt *pater* et *mater,* non vero *tutor* ac *curator,* aut quivis alius consanguineus seu cognatus. Rationem bene reddit Schmalzgr. (*Lib. 4. Tit. 1. n. 67.*), *quia contractus matrimonii et sponsalium de iure naturali et divino ita est personalis, ut nemo, etiam pater, eo iure praestare possit pro filio, nisi speciale ab eo mandatum habeat; atque adeo si parentum consensus, iunctus cum taciturnitate filii, sponsalia praesumpta facit, hoc habetur ex dispositione et praesumptione iuris positivi tantum; porro cum haec dispositio iuris positivi sit restrictiva iuris naturalis, non debet extendi ultra casum in iure expressum; extenderetur autem, si hoc procederet etiam in tutoribus, curatoribus, fratribus, cognatis,* etc. Vide etiam Diana (*Tom. 2. Tr. 6. Res. 32.*).

2° Non refert, num filii legitimi sint, an illegitimi, aut etiam emancipati. Neque enim in textu allegato fit eiusmodi discrimen; et licet ex iure civili non appellentur filii, qui ex damnato concubitu nascuntur, tamen hac in re potior est consideratio *naturae,* quam iuris civilis; ratio autem, quae petitur a natura, non minus pro illegitimis et emancipatis pugnat, cum etiam in hos ingens praesumatur parentum amor.

3° Quod in textu dicitur, valere sponsalia a parentibus contracta pro filiis etiam absentibus, si hi postea scientes illa *expresse* vel *tacite* (qui tacitus consensus seu ratificatio satis arguitur, *si non contradixerint,* ut prius inquit idem textus) *ratificaverint,* intelligendum est, si non contradixerint, quando parentes ipsi vel coram per se, vel per nuntium aut epistolam ea de re certiores filios fecerint. Nam si alii praeter parentum mandatum id filiis referant, nulla subest causa, cur, si reclamare forte velint, dissensum suum exprimere debeant; quippe non tenentur animum suum cuique aperire; et ideo silentium nullo modo tunc consensum indicat.

4° Denique quod taciturnitas filiorum in praedictis adiunctis aequivaleat consensui, recte monet S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 838.*), id procedere solum quoad forum externum, cum eiusmodi consensus sit mere *praesumptus:* ad sponsalia autem requiritur consensus non mere praesumptus, sed verus et naturalis. Hinc si reipsa contingat, ut filius tunc taceat quidem vel ob reverentialem metum vel aliam ob causam, interiori tamen animo dissentiat aut etiam mere negative se habeat; in foro interno, in quo creditur dicenti tam contra se, quam pro se, exterior praesumptio nullum effectum habet, atque adeo sponsalia nulla sunt, et eiusmodi poenitenti potest Confessarius dicere, eum iis sponsalibus nequaquam obligari. Imo neque in foro externo ea valebunt, si v. gr. puella dissensum suum probaverit; quod fieri per coniecturas aliasve praesumptiones, aut in harum defectu per iuramentum poterit. Vid. Schmalzgr. (*Lib. 4. Tit. 1. n. 63.*).

(*a*) Solet quidem parochus, antequam ad proclamationes deveniat, explorare voluntatem seu consensum contrahentium de futuro matrimonio. At prudenter cavere solet, ut horum singulos seorsim interroget, nec tunc testes solet adhibere. Ratio prudentis huius cautelae est, ne si simul sponsi coram parocho adstent etiam cum testibus, potiusquam de matrimonio futuro evadant sponsalia de praesenti.

deficiat, contractus sponsalitius nullus sit habendus (*a*). Ratio patet ex dictis de natura contractus, *tom. I. n. 754. et 772.*

II. Sponsalia valent eodem modo, sive sint *solemnia* seu *ecclesiastica*, sive sint *privata* seu *clandestina*, quia consensus duorum

(*a*) Cum A. nihil addat de postrema conditione, quae requirit *personas habiles*, nonnulla de hoc praestat subiicere.

Illae itaque personae ad sponsalia sunt iure habiles, quae et *valide* et *licite* possunt matrimonium contrahere: ideoque e contrario inhabiles dicentur, quae contrahere nequeunt aut valide aut saltem licite: quod quidem dupliciter esse potest, nempe vel quia generatim inhabiles sunt ad actum humanum, vel quia inhabiles sunt ad hanc specialem promissionem. Postremum hoc continget, quando impedimentum intercedat aut *dirimens*, aut etiam *mere impediens:* et de his inferius suo loco dicetur: inhabilitas vero generatim ad actum humanum provenire potest vel ex defectu aetatis, vel ex inopia iudicii. De his modo nonnulla.

Cum ergo ad valorem contractus necesse sit, ut contrahens uterque sit sui compos, usumque rationis habeat, proinde si alteruter sit insanus, sponsalia nulla erunt. Confirm. *ex Cap. Dilectus 24. De Sponsalibus.* Insani tamen nomine hic non veniunt homines quidam stupidiores, sicut nec quidam semifatui, quibus rectus rationis usus quoad quaedam dumtaxat deficiat, quoad reliqua vero nequaquam. Advocanda nempe est regula generalis, capaces huius contractus esse, qui tantum habent de usu rationis, quantum ad letaliter peccandum satis est. Conf. Sanchez (*De Matrim. Lib. 1. Disp. 8. n. 15. seqq.*), qui insuper idoneam rationem suppeditat iudicandi de iis dementibus, qui lucida habent intervalla. Quod de insanis dictum est, aeque valet de eo, qui tempore ebrietatis contrahat; quippe consensu libero ac debita deliberatione ebrius caret. Neque sufficit, quod ebrius voluntatem contrahendi sponsalia aut matrimonium prius habuerit, dum sanae mentis erat. Nam contractus ipse debet esse actus humanus; insuper cum contrahentes matrimonium sint ministri Sacramenti, id praesentem rationis usum requirit.

Quoad habilitatem autem ratione aetatis, communis Thh. et Canonist. sententia est, ad sponsalia *regulariter et per se loquendo* requiri ac sufficere septennium completum. Illa enim perfecta deliberatio, quam onerosus huiusmodi contractus exigit, ordinarie et regulariter non adest ante hoc tempus, adesse vero solet septennio completo. Confirm. ex iure Can. *C. Litteras 4., C. Accessit 5., C. Ad dissolvendum 13. De Despons. Impub. et C. Unic. eod. tit. in VI.*

Dictum est, *regulariter et per se loquendo;* ex communi enim Thh. et Canonist. sententia (Vid. Ferraris *Bibl. V. Sponsalia n. 15.*) etiam ante septennium valide contrahentur sponsalia, si malitia et prudentia suppleat aetatem, scilicet si sufficiens eluceat usus rationis ad deliberandum, et simul contrahentes id, quod agitur, satis intelligant. Vide Sanchez (*De Matrim. Lib. 1. Disp. 16. n. 9. seqq.*). Contra vero etiam completo septennio invalida erunt sponsalia, si nondum adsit debitus rationis usus. Hinc S.Thomas (*Suppl. Q. 43. art. 2. ad 7.*): *Melius est, quod determinetur secundum conditionem contrahentium: quia in quibusdam magis acceleratur usus rationis, quam in alio.* Septennii ergo aetas iuribus praescribitur mere ad praesumendum prudenter ex iis, quae communiter solent accidere, adeo ut, nisi contrarium appareat, nec valida censeantur sponsalia contracta ante septennium, nec invalida post expletum septennium celebrata: ideoque valida non habeantur sponsalia ante septennium, nisi probetur contrahentes esse doli capaces; septennio autem expleto habeantur valida, nisi probetur, illos nondum capaces doli extitisse: atque idcirco in dubio standum pro eo, quod lex praescribit.

sufficit ad verum contractum; nec unquam Ecclesia irritavit sponsalia privata. Imo nunc in plerisque locis sponsalia solemnia in desuetudinem abierunt.

III. Sponsalia inita sub conditione *de praesenti* hic et nunc va-

Caeterum quamquam sponsalia puerorum, qui perfectum rationis usum adepti sint, ex SS. Canonibus valida habeantur, et idcirco impedimentum, quod dicitur *publicae honestatis iustitia*, inducant; tamen ut aetatis infirmitati prospiceretur, nonnulla de iis Ecclesia specialiter decrevit (*Vid. C. De illis 7. De Despons. Impuber.*), nimirum 1° si uterque contrahens maior quidem est septennio, sed impubes; nemo eorum resilire ante pubertatem, sed reclamare seu dissentire solum adeptus pubertatem potest. Quod sapientissime cautum est. Ut enim advertit Covarruvias (*Epit. Lib. 3. Decretal. Cap. 5. §. 1. n. 1.*), *impuberes propter aetatis fragilem constantiam saepe contraherent, ac saepe a contractibus dissentirent... Ex ea autem inconstantia... in infinitum multiplicaretur impedimentum publicae honestatis pro numero sponsalium.* — 2° Etiamsi contractus fuerit inter puberem et impuberem, hic, cum ad pubertatem venerit, potest resilire. — 3° Non tamen potest resilire, qui pubes iam erat (quae textus Canonici sententia praepostere ab eo, qui rubricam cit. Capiti inscripsit, redditur per haec verba: *Ille, qui primo fit pubes, alterum expectabit:* quod falsum est; ex communi enim sententia quisquis contrahentium primo pubes fiat, statim reclamare potest, nec tenetur expectare alterius pubertatem. Vide Covarruv. *l. c.*). — 4° Si ille, qui prior ad pubertatem venit, non reclamet, sed expectet alium, hic nihilominus, cum et ipse ad aetatem puberem pervenerit, potest reclamare ac dissentire.

Et hae quidem Iuris dispositiones aeque valent sive hi expresse voluerint solum sponsalia contrahere, sive sponsalia contraxerint tantum *virtualiter;* videlicet cum ex Iuris dispositione (*Vid. C. Tuae nob. fin. De Despons. Impub. et C. unic. §. 1. eod. tit. in VI.*), quando vel duo impuberes, in quibus malitia non suppleat aetatem, vel impuber cum pubere contrahant sponsalia non de futuro, sed *de praesenti,* hic contractus non valeat pro matrimonio, ad quod inhabiles sunt, sed ex interpretatione iuris solum pro sponsalibus *de futuro* (nisi forte expresse tantum intenderint matrimonii vinculo se constringere, ut advertit Sanchez *Lib. 1. Disp. 21. n. 3.*); quaecumque dicta sunt de iure resiliendi a sponsalibus expressis, cum ad pubertatem pervenitur, eadem prorsus et in posteriori hoc sponsaliorum modo valent. Et hic insuper fac advertas, antiquum hoc ius de matrimonio clandestine ab impuberibus contracto, quod in sponsalia transeat, correctum seu abrogatum a Tridentini decreto circa matrimonia clandestina non fuisse. Et in hanc rem Sanchez (*De Matrim. Lib. 1. Disp. 21. n. 5.*) memorat Declarationem Cardinalium ex relatione Petri De Ledesma. Quam quidem (nisi forte alia sit) sic refert Pignatelli (*Consult. Tom. IX. Cons. 133. n. 46.*): *Quaerebatur, an matrimonium per verba de praesenti per puberem et impuberem contractum clandestine, non servata forma a Concilio tradita, resolvatur in sponsalia; quod aliquibus placuit Doctoribus hac de re consultis ex Responso Bonifacii VIII. in C. Unic. §. 1. De Despons. Impub. in VI. Quam opinionem veram dixit S. Congregatio, ut clandestinitas non obstet, quin matrimonium per verba de praesenti contractum inter puberem et impuberem valeat. Quia tamen ius est interpretativum, tale matrimonium per verba de praesenti contractum esse tantum sponsalia per verba de futuro* (*dict. §. 1.*); *ergo sicut clandestinitas non obesset validitati sponsaliorum, quae per puberes fuissent contracta, ut iam S. Congregatio declaravit, et nullum est dubium in hoc; ita nec obstabit validitati horum sponsaliorum inter puberem et impuberem contractorum.*

lent, si conditio sit verificata; si autem sub conditione *de futuro* contrahantur, valebunt statim ac conditio adimplebitur, absque novo consensu contrahentium, modo neuter consensum antea datum revocaverit. Interea vero contrahentes tenentur ad exspectandum conditionis impletionem, si honesta sit.

IV. Quando verba vel signa sunt dubia, in foro conscientiae standum est intentioni contrahentium, si de illa constet: in externo autem, communi intelligentiae et sensui verborum. — *S. Lig. lib. 6. n. 840.* (*a*).

724. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An valeant sponsalia ex metu gravi contracta?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia matrimonium ex metu gravi contractum nullum est, ut ex Iure canonico constat, et infra explicabitur, *n. 747*. Ergo eo ipso nulla esse debent etiam sponsalia ex tali metu inita. — *S. Lig. n. 844.* (*b*).

Quaer. 2° *An valeant sponsalia ex metu levi inita?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia incutiens metum levem non censetur alteri gravem iniuriam inferre, siquidem hic metum talem facile contemnere potest, ac proinde censetur sponte voluisse iniuriam pati. Recole dicta de *Actibus humanis, tom. I. n. 10.* — *S. Lig. ibid.* — *Lacroix, n. 105.*, etc. *Negant* tamen nonnulli, quia nemo tenetur iniuriam pati, nec proinde per iniuriam obligari potest (*c*).

(*a*) Regulas ad definiendum verborum sensum habes apud Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 1. n. 50.*). Caeterum quando verba seu signa dubia adhuc maneant et aequivoca, ex communi Thh. sententia etiam sponsalia ut dubia haberi debent. Quo in casu S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 840.*), allata eorum opinione, qui in favorem matrimonii inclinandum putant, cum Viva probabilius censet, *inclinandum esse in favorem libertatis.* Sed reipsa hic Doctores solum specie tenus dissentiunt; nam alii de sponsalibus *de praesenti* loquuntur, alii vero de sponsalibus de futuro. Hinc Diana (*Tom. 2. Tr. 6. Res. 135. n. 4.*) sic rem ex utriusque partis sensu componit: *Putaverim, faciendum esse discrimen inter sponsalia ac matrimonium; ita ut qui in dubio aequali dubitant, num matrimonium sit contractum, cogendi sint in utroque foro contrahentes, ne forte fiat iniuria sacramento per dissolutionem matrimonii: quando vero dubitatur, num sponsalia valida sint, in utroque foro iudicandos esse liberos; quia si quis tunc invitus cogeretur, fieret ei iniuria per spoliationem libertatis, quam possidet.*

(*b*) Quaestio intelligi debet, an valida sint haec sponsalia *iure naturae.* In hoc enim duae sententiae differunt, quod alia (etiam S. Alphonso sane probabilior) contractum irritum dicat iure naturae; alia vero validum dicat, sed rescindibilem ab eo, qui metum passus est: quocirca haec insuper necessario admittet, inde oriri *publicae honestatis* impedimentum; quod prior consequenter probabilius incurri negat.

(*c*) S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 844. q. 2.*) non negat, hanc quoque posteriorem sententiam esse probabilem; nec immerito eam ut probabiliorem alii habebunt. Res enim semper eo recidit, ut alter per iniuriam cogatur ad alterutrum, nempe aut ad malum aliquod, quodcumque illud sit, certo subeundum, aut ad admittendum contractum, quem alioqui nollet admit-

725. — QUAER. 3° *An inter habentes impedimentum dirimens valida sint sponsalia sub conditione, si Papa dispensaverit?*

tere. Atqui hoc naturali legi repugnat, quippe quae exigit, tum ut ius suum cuique sartum servetur, tum ut si forte laesum fuerit, in integrum denuo restituatur. Neque firma est oppositae sententiae ratio; falsum est enim, sponte iniuriam admitti, quando quis inique ad alterutram iniuriam subeundam necessario cogitur.

Pro eadem sententia facit ratio, qua S. Alphonsus (*l. c. q. 3.*) cum communiori ac probabiliori DD. sententia probat, eum, qui levem quoque metum passus est, posse contractum rescindere: quia nempe *sicut hic* (scilicet iniustum metum incutiens) *tenetur relaxare fidem iniuste per talem metum extortam, ita metum passus potest fidem datam revocare.* Et sane, nisi abuti verbis velimus, nunquam validus dicit poterit contractus, qui nullam pariat obligationem; atqui nulla reipsa est dicenda obligatio, quam quis, ut in praesenti, pro lubitu potest excutere; merito igitur contractus dici debet ipso iure naturae invalidus.

Neque cuipiam videatur perinde esse, sive haec sponsalia iure ipso invalida dicas, sive valida, sed rescindibilia ad arbitrium illius, qui metum passus fuerit. Hoc enim summi momenti intercedet discrimen, quod in postrema hac sententia *publicae honestatis impedimentum* e contractu exsurgat, in priori vero nequaquam; cui cum sua negari non possit probabilitas, hinc probabile omnino erit, nullum impedimentum ex eo contractu oriri, atque adeo valide ac licite matrimonium contrahi ex regula generali, quam in casu dubii impedimenti iure ecclesiastico inducti ex communi DD. sententia tradi infra videbimus.

** Adversus hanc *Notam* VV. (*Pag. 792.*) obiiciunt 1° *P. Ballerini haud recte asserit, S. Alphonsum non negare, hanc posteriorem sententiam esse probabilem.* — Resp. Ergo VV. ostendant, quaeso, ubinam S. Doctor eam probabilem esse neget.

Reponunt VV. (*ibid.*): *S. Alphonsus auctoritates huic opinioni faventes refert, quin de illius probabilitate ullum iudicium proferat.* — Resp. 1° *Transeat Antecedens; Nego Consequentiam.* Ratio patet; quia qui nullum profert iudicium, hic neque affirmat, neque negat. Ergo verissimum est, S. Doctorem *non negare.* Cur vero transmissum sit *Antecedens,* ex dicendis patebit.

2. Contra *Notae* argumentum, quod *alter per iniuriam cogatur ad alterutrum,* VV. (*Pag. 791.*) haec obiiciunt: *Hic merum habes sophisma. Etenim ubi non adest nisi metus levis, ibi nec censetur* (*uti advertit S. Alphonsus*) *adesse veram iniuriam.*—Resp. Ego enimvero nescio, quomodo VV. dicant, *S. Alphonsum advertisse,* non adesse *iniuriam!* Nonne enim sunt S. Alphonsi haec verba (*Lib. 6. n. 844. q. 3.*) ab ipsis VV. (*Pag. 789.*) allegata: *Sicut ille tenetur relaxare fidem* INIUSTE *per talem metum extortam, ita metum passus potest fidem datam revocare?* Numquid vero *fides iniuste extorta* non est *vera iniuria?* Quinimo nonne ipsi VV. (*Ibidem*) paulo infra scribunt: *Qui metum levem passus est... cum passus fuerit iniuriam, etsi non gravem* etc.?

3. Addunt VV. (*Ibid.*): *Nec metum passus proprie dicitur* cogi, *cum facile possit huiusmodi metum depellere.* — Resp. *Distinguo:* si per τὸ *depellere* VV. intelligunt *evitare, Concedo;* sed hoc est *praeter*, imo *contra hypothesim* praesentem, qua statuitur, quempiam *necessario* alterutrum incommodum subire debere; unde *Nego suppositum.* Si vero per τὸ *depellere* intelligunt *tolerare, Nego*, hunc non *cogi;* vere enim ille cogitur, cui utut invito necessitas alterutrum tolerandi seu patiendi imponitur, non secus ac viatori a latrone necessitas imponitur inevitabilis aut pecuniarum aut vitae patiendi iacturam.

Resp. Iuxta *S. Lig. n. 859., et alios* non paucos, licet sponsalia non valeant ante conditionem impletam, attamen, verificata con-

4. Instant VV. (*Ibid.*): *P. Ballerini ut indubium et ab omnibus admissum supponit id quod praecise negatur, scilicet, in casu* VERAM ADESSE COACTIONEM. — Resp. Numquid hic VV. (minus equidem opportune) volunt paulisper verbis ludere? Lusui finem imponemus cum S. Thoma (*In 4. Dist. 29. q.1.art.1.O.*). Sic igitur S. Thomas: *Duplex est coactio. Una, quae facit necessitatem absolutam, et tale violentum dicitur a philosopho violentum simpliciter, ut cum quis alium corporaliter impellit ad motum. Alia, quae facit conditionatam necessitatem; et hanc vocat philosophus violentum mixtum... Et quia haec coactio fit ex hoc, quod timetur aliquod periculum imminens, ideo* ISTA VIS IDEM EST QUOD METUS, *qui voluntatem* COGIT *quodammodo.* Porro cum de *metu* in casu sit quaestio, facile profecto intelligitur, quo sensu vox *coactio* in *Nota* usurpetur.

5. Contra alterum *Notae* argumentum VV. (*Ibid.*) scribunt: *P. Ballerini verbis non leviter abutitur. Nam eo ipso quod contractus est rescindibilis, non est invalidus: cum nemo id rescindat, quod non existit. Utique nunquam validus dici poterit contractus, qui nullam pariat obligationem: de contractu autem rescindibili dici nequit, quod nullam pariat obligationem, quin potius in utroque contrahente, ut ex supradictis constat, veram et naturalem obligationem parit.*

Resp. Putaverim, neque levem neque non levem abusum verborum haberi in hisce, quae (*De Iust. et Iur. Disp. 22. n. 75.*) scribit Lugo: *Suppono definitionem contractus onerosi..., qui scilicet utrimque obligationem mutuam producit; quod si alterum solum obligat, iam ex ea parte deficit a vera ratione contractus, et est validus ex una solum parte. In tantum enim validus est, in quantum obligat; si ergo non utrimque obligat, non est utrimque validus.* Porro in praesenti non est quaestio, num obligetur is, qui metu extorsit fidem ab altero; consentiunt enim DD., hunc obligari: et sic concidit ratio eorum, qui ideo *validos* esse contendebant contractus metu extortos, ne ab obligatione liber haberetur ille, qui metum incusserat, aut alterum deceperat. Quaestio igitur est de eo, cui per metum consensus in contractum fuit extortus. Obligaturne iste ad matrimonium in casu contrahendum?

Obligatio est iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius solvendae rei. Ita Instit. Lib. 3. Tit. 14. Itaque adstringiturne iste necessitate contrahendi matrimonium? Et si etiam S. Alphonsus, prouti eum ipsi VV. allegant, hoc negat, quomodo ipsi dicunt, quod huiusmodi contractus *in utroque contrahente veram ac naturalem parit obligationem?* Scribunt VV.: *ut ex supradictis constat.* Atqui ex supradictis potius constat oppositum. Caeterum, ut Lugo inquit, *contractus in tantum est validus, in quantum obligat.*

6. *Eo ipso* (inquiunt VV.) *quod contractus est rescindibilis, non est invalidus: cum nemo id rescindat, quod non existit.* — Resp. Rescissio contractus in casu non dicit ablationem obligationis, quae existat. Quo enim pacto in foro conscientiae quis posset tuta conscientia contractum rescindere, si aliqua existeret obligatio, qua ipse adstringeretur? Rescissio igitur contractus in foro conscientiae mere dicit declarationem voluntatis respuentis obligationem, qua ius naturae eum vi illius contractus non adstringit.

Atque ita ad argumentum, quo utebantur qui defendunt validitatem horum contractuum, propterea quod nempe in iure praecipitur eos esse rescindendos, bene respondet Molina (*Tr. 2. Disp. 326. n.14.*), opus non esse, ut iura intelligantur de rescindendo contractu per se valido, sed intelligenda potius de declaranda eorum invaliditate. Et sane, ut idem Molina

ditione, valent sine novo consensu. Verum sententia negativa tenenda est ex Decisione *S. Rotae Rom.* apud *Clericati, de Matrim.*,

observat, adeo per eiusmodi contractum non censetur dominium translatum, ut in iure (*L. 9. §. 5. ff. Quod metus causa*) expresse dicatur, laeso concedi *actionem in rem, et rem ipsam esse in bonis eius*, ita ut actio detur contra quoslibet, ad quos res illa pervenerit. Vid. etiam Voet *Lib. 4. Tit. 2. n. 4.* Et re quidem vera numquid iudices, cum rescindendum contractum edicunt, auferunt obligationem ullam iure naturae impositam, et non potius declarant nullam eiusmodi obligationem existere?

Caeterum facile apparet ratio, cur ita de hisce contractibus iura loquantur, quasi sint rescindendi. Nempe *fictione iuris*, ut notat idem Molina, censetur translatum dominium rei vi metus traditae, seu, ut melius dicamus, contractus semper validus praesumitur; atque adeo onus probandi metum incussum in eum reiicitur, qui metum passus est; et merito quidem, quia metus non praesumitur. At *praesumptio* nihil per se concludit, ac demum *veritati* nunquam non cedit.

7. Nunc vero reddenda ratio est, cur ab initio ad primam VV. difficultatem responsum fuerit, *Transeat Antecedens*. Namque iam dictum est, rescissionem contractus supponere, nullam reipsa vi eiusdem contractus ortam esse in passo metum obligationem; atque inde repetendum, quod pro arbitrio is possit contractum rescindere. Concludendum idcirco cum Lugo: Ergo contractus non est validus. Quippe *contractus in tantum est validus, in quantum obligat.*

Porro S. Alphonsus quaerens (*Lib. 3. n. 718.*), *utrum contractus ex metu levi initus sit rescindibilis arbitrio metum passi*, dicit expresse (quam responsionis partem non bene VV. obtruncant) primam sententiam *affirmare probabiliter.* Quinimo licet hoc loco uti probabiliorem sectetur sententiam negantem, tamen cum Salmanticensibus excipit *contractum sponsalium.* Insuper (*Lib. 6. n. 844. Q. 3.*) quaerens, *An qui contraxit sponsalia ex metu levi dante causam contractui, possit illa in conscientia rescindere,* ait, *probabiliorem sibi videri sententiam affirmantem.* Ergo iuxta sententiam a S. Doctore probatam nulla ex parte metum passi supponitur orta obligatio. Atqui si nulla oritur obligatio, non potest ex ea parte dici validus contractus, quia totus valor seu vis contractus in eo residet, ut vinculum contrahenti necessarium iniiciat, seu ut pariat obligationem. Ergo sententia S. Alphonsi eo demum adducit, ut haec sponsalia ex parte metum passi non valida dici possint. Ergo illud Antecedens, ubi dicebatur, S. Alphonsum nullum iudicium de ea sententia ferre, transmittendum potius, quam concedendum erat.

8. Et quidem ad maiorem quandam rei claritatem proderit inspexisse rationes, quas ad probandam maiorem probabilitatem utriusque praemissae suae sententiae S. Doctor adhibet. Ut itaque evincat, probabilius posse in conscientia sponsalia rescindere, si quis ea ex metu contraxit, sic (*Lib. 6. n. 844. Q. 3.*) ratiocinatur: *Ratio, quia cum metus dederit causam contractui, ita ut alias initus non fuisset, incutiens metum tenetur contractum rescindere. Unde sicut ille tenetur relaxare fidem iniuste per talem metum extortam, ita metum passus potest fidem datam revocare.* Et haec quidem manifeste arguunt, eum, qui metum passus est, nullam contraxisse obligationem, neque ullam, quod ad ipsum attinet, vim contractum habere, atque adeo esse irritum: *irritum* enim dicimus, cui vis obligandi deest.

Ubi vero evincere vult, generatim contractus ex levi metu initos probabilius rescindi ad arbitrium metum passi non posse, quae conclusio videri potest praecedenti opposita, sic (*Lib. 3. n. 718.*) ratiocinatur: *Ratio, quia non praesumitur consensisse ex metu, sed vere sponte, qui noverit esse levem.* Porro hic non tam thesim S. Doctor probat, quam negat *hypo-*

dec. 17. n. 41., ubi testatur hanc fuisse perpetuam S. Rotae sen-

thesim, quae scilicet supponit metum in casu causam dedisse contractui. Nam in ista hypothesi, ipse, ut modo vidimus, solidissima ratione statuit, eum, qui reipsa ob metum consensit, nulla obligatione obstringi, atque adeo contractui nullam vim inesse. Neque iterum in casu praesumptio, quae quidem hic non est *praesumptio iuris de iure*, sufficiens fundamentum praebet, ut asseratur haec altera S. Alphonsi thesis, nempe *neque in foro externo, neque interno, rescindi posse contractum initum ex metu levi.* Missum enim nunc fiat, pro *foro interno conscientiae* nullatenus attendi *praesumptiones*, sed solam veritatem, cuius profecto conscius est quisque sibi. Verum etiamsi de foro externo agatur, equidem in eiusmodi casu generatim ex positivi iuris dispositione actio negabitur, praesertim si constet, metum non nisi uti levem contrahenti apparuisse; quamquam S. Alphonsus ex generali hac regula cum Salmanticensibus contractum sponsalium excipiat. Veruntamen non diffitendum denique, eiusmodi praesumptiones *per se* unicum hunc demum posse effectum inferre, ut, quemadmodum scribit Cuiacius (*Rubr. ff. De probationib. et praesumpt.*), omne probationis onus in eum transferant, contra quem faciunt; nam alioquin praesumptioni recte opponitur probatio veritatis. Ergo posterior haec thesis priori reipsa non opponitur, atque adeo argumentum a S. Alphonso allatum pro priori, ubi de sponsalibus agitur, eandem vim habet in quolibet contractu, siquidem consensus alterutrius partis per metum etiam levem revera fuerit extortus.

9. Postquam VV. sibi suaserunt, se iam ostendisse, primum ex argumentis in *Nota* adductis esse *merum sophisma*, alterum vero *duo omnino diversa confundere*, atque ideo ea argumenta *nullius esse valoris*, concludunt (*Pag. 791-792.*), collabi et consectarium in *Nota* deductum, *probabile* nempe esse, *nullum impedimentum ex his sponsalibus oriri.*

Non sufficit (inquiunt) *quaelibet incerta aut a quibusdam tantum asserta probabilitas; sed requiritur, ut opinio huiusmodi ab AA. universe vel certe tamquam probabilis recepta sit*, quae postrema verba e S. Alphonso sumunt (*Lib. 6. n. 901.*).

Resp. 1° Nisi quid solidius VV. promant, ex dictis satis patet, solidissimae firmitati rationum, quae in *Nota* sunt allatae, nihil ob ipsorum argumenta detrahi. — 2° Nonne S. Doctor Alphonsus uti probabiliorem censet sententiam, quae metum passo plenam facultatem facit rescindendi in foro conscientiae eiusmodi sponsalia? Atqui perinde id est, ut vidimus, ac ea sponsalia declarare invalida. Ergo iuxta S. Alphonsum *probabilius* est, ea sponsalia valida non esse. — Resp. 3° Ad id, quod VV. post S. Alphonsum exigunt, ut opinio pro impedimenti absentia ab AA. *universe* vel *certe tamquam probabilis recepta sit,* nobis satis esse poterit doctrina, qualem exhibent Doctores ibi a S. Alphonso allegati. Omisso itaque Suarezio, qui *Part. 3. De Sacram. Quaest. 67. art. 8. Dub. ultim.* (prouti citat S. Alphonsus) nihil habet, quod ad rem faciat, Sanchez (*Lib. 8. Disp. 6. n. 18.*) ita scribit: *Si omnino res sit dubia, an interveniat impedimentum, nec ne, nulla opus est dispensatione... Quando res non esset vere dubia, sed essent opiniones, quibusdam asserentibus id esse impedimentum, aliis vero negantibus, si opinio negans est vere probabilis, quamvis affirmans esset probabilior, posset ille, sequens opinionem probabilem inire id matrimonium absque ulla dispensatione.*

Et Palaus (*Tr. 28. Punct. 4. §. 9. n. 4.*): *Si opinionem vel dubium habeas subesse impedimentum, et diligentia facta ad veritatem investigandam vincere dubium non potes, a matrimonio contrahendo non impediris, quia dum tibi non constat de impedimento iure humano inducto, liberum te reputare debes ob possessionem innatae libertatis.*

Item Viva (*In Prop. 1. Innoc. XI n. 20*): *Si probabilitas sit circa ius,*

tentiam. Constat etiam ex Declaratione *S. Congr. Conc. in Ianuensi* 12. Decemb. 1733. (*a*).

QUAER. 4° *An promissiones, quae fieri solent de incundo matrimonio, semper habendae sint ut vera sponsalia?*

hoc est quando probabiliter utrinque DD. censent, aliquod esse vel non esse impedimentum,... consuetudo et praxis Ecclesiae fert, quod matrimonium sic contractum censeatur validum; atque adeo Ecclesia non vult dirimi ab impedimento, quod probabiliter non est impedimentum.

Denique Croix (*Lib. 6. P. 1. n. 117.*): *Quandocumque datur opinio probabilis pro absentia impedimenti, communissima sententia est..., quod tunc etiam dispenset Ecclesia, quando potest, si forte adsit impedimentum.* Porro eiusmodi probabilitatem in praesenti quaestione non deesse, satis superque ostensum est.

(*a*) Ex hac S. Congregationis Declaratione nihil reipsa adversus praemissam S. Alphonsi, pluriumque gravissimorum Thh. doctrinam concludi potest. Hi enim contendunt, etiam sine novo consensu valere ista sponsalia, *postquam impleta iam conditio fuerit*, idest *quando iam sublatum per dispensationem sit impedimentum.* Contra vero in ista Declaratione S. Congregatio definit, *non subsistere sponsalia,* quando, ut patet ex casu S. Congregationi proposito (*Thesaur. Resol. Tom. 6. pag. 205.*), conditio nondum impleta fuerat, neque per executionem Apostolicarum Litterarum adhuc sublatum fuerat impedimentum: quo in casu nec S. Alphonsus nec alius unquam dixit, sponsalia valere seu subsistere. Cum ergo de casu prorsus diverso utrobique agatur, perperam altera alteri sententia, quasi contraria, obiicitur. Et idem prorsus dicendum de aliis Declarationibus S. Congr., quae inani labore in eandem rem afferuntur, uti in Brugnatensi 20. Ian. 1709, in Sipontina 2. Maii 1857, in Milevitana 29. Mart. 1862, et in... 22. Febr. 1862. (Vid. *Acta*, etc. Romae, typ. Propag. Fid. Vol. 1. pag. 79-81.); nam et istae utique statuunt, *non sustinenda esse sponsalia* contracta cum conditione dispensationis ab impedimento petendae: sed semper sententiam ferunt in favorem illius, qui a contractu recedebat *ante conditionem impletam.* Exinde quisquis ex huiusmodi sententia contendit concludere etiam ad casum *conditionis iam impletae,* videlicet quod *ut valida sponsalia existant, necesse sit, ut confirmentur a contrahentibus etiam post obtentam effective dispensationem, qua actu sublatum sit canonicum impedimentum,* hic vitio logico conclusionem elicit, quae latius patet, quam praemissae.

Missas porro hic facimus ratiunculas quasdam a Iurisconsultis pro eadem conclusione adhibitas, quae quidem eo tendunt, ut vel ad contrahendum *conditionate* hae personae inhabiles putentur. Nam et passim penes Theologos dissolutae illae reperiuntur (Vid. etiam S. Alphons. *Lib. 3. n. 650.*), et facile, si urgeantur, ad consectaria absona et communi sensui repugnantia adducunt. Illud unum tamen non praetermiserim, a quibusdam hanc quoque rationem urgeri, quod *ignominiosum videatur illud in pactum deducere, quod pendet a Principis potestate:* in quo sane aequivocationem habes, prope dixerim, ignominiosam. Esto enim, probrum sit spondere ex pacto dispensationem a principe concedendam. At numquid qui *conditionate* contrahunt, ipsam conditionem (cuiusmodi nunc est dispensatio) spondent? Spondent nimirum futurum matrimonium, seque ad illud hypothetice obligant, obligationemque ita alligant conditioni dispensationis, ut hac deficiente obligatio quoque deficiat. Quaenam hic ignominia? Nisi forte (a pari) putes ignominiosum esse etiam ex voto cum eadem conditione spondere operam tuam in curanda infirmorum spirituali salute in nosocomiis, nempe si per dispensationem sacris initiari tibi contingat.

Quamquam alia ratione ignominiam in casu reperiunt, quia scilicet dispensatio (uti aiunt), utpote iuris immutatio, semper ferit ius publicum,

Resp. Videtur negandum; saepe enim promissiones illae potius propositi, quam verae promissionis speciem prae se ferunt. In praxi igitur ad intentionem particularem promittentium attendendum est. — *Vide Casus, n. 836. et seq.*

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE ET EFFECTIBUS SPONSALIUM

726. **Principia.** — I. Sponsalia ex iustitia obligant sub gravi ad matrimonium ineundum tempore determinato, si quod determinatum sit; si vero nullum tempus fuerit praefixum, quamprimum una pars rationabiliter exigit. Ratio est, quia ubi vera sunt sponsalia, adest verus contractus in re gravi, et inde gravis obligatio sequitur (*a*). — *S. Lig. n. 845.*

quo societas regitur. *Ubi porro conditio* iure *impleri non potest, nullius momenti est stipulatio,* etc. ut habetur *L. 137. ff. §. 6. De verb. obligat.* — At enim ista (praeterquam quod contra communem sensum evincerent, ignominiosam esse quamlibet dispensationis petitionem) omnimodam redolent oblivionem, quorsum in societate dispensandi potestas, ususque vigeat. Revocemus, quaeso, in memoriam primum de hac re principium, quod S. Thomas (*1. 2. q. 96. art. 6.*) sic declarat: *Quia legislator non potest omnes singulares casus intueri, proponit legem secundum ea, quae in pluribus accidunt, ferens intentionem suam ad communem utilitatem.... Et si posset* (pergit *ib. ad 3.*) *legislator omnes casus considerare, non oporteret, ut omnes exprimeret propter confusionem vitandam: sed legem ferre debet secundum ea, quae in pluribus accidunt. Contingit autem* (addit *ib. q. 97. art. 4.*) *quod aliquod praeceptum, quod est ad commodum multitudinis ut in pluribus, non est conveniens huic personae vel in hoc casu: quia vel per hoc impediretur bonum melius, vel etiam induceretur aliquod malum... Periculosum autem esset, ut hoc iudicio cuiuslibet committeretur, nisi forte propter evidens et subitum periculum...; et ideo ille, qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quae suae auctoritati innititur, ut scilicet in personis vel in casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut praeceptum legis non servetur.* Ex quibus manifestum est, eodem naturae iure, rerumque ordine exigi, tum ut legibus societas regatur, tum ut opportune in legibus dispensetur, atque adeo dispensationum usum, potiusquam publicum ius feriat, superiore quodam iure immo postulari. Allegata vero lex, quae loquitur de stipulatione cum hac conditione: *Si rem sacram aut religiosam Titius vendiderit, vel forum aut basilicam, et huiusmodi res, quae publicis usibus in perpetuum relictae sint, etc.,* uti patet, ad rem non facit.

(*a*) Haec obligatio urget tum in foro conscientiae, tum in foro externo. Idcirco resiliens cogi a iudice potest ad matrimonium etiam per censuras (*C Ex litteris 10. De Sponsal.*); quamquam hortationes prius ac monitiones debeant praecedere (*C. Requisivit 17. eod. tit.*) et a coactione quoque abstinendum sit, si quando inspectis circumstantiis iudex prudenter arbitretur, ex nuptiis invitis gravia mala ac scandala timenda, v. gr. rixas perpetuas, viri discessionem ab uxore, aut etiam coniugicidium; expedit enim ut minus permittatur malum ad gravius cavendum, et sic a iudice etiam Actori favor impenditur. Vid. Sanchez (*Lib. 1. Disp. 23. n. 4.*), et Schmalzgr. (*Lib. 4. Tit. 1. n. 94–95.*).

II. Sponsalia inducunt impedimentum *impediens* matrimonium, seu prohibens, ne matrimonium *licite* cum alia persona contrahatur, nisi priora sponsalia fuerint legitime dissoluta. Ratio est, quia ex dictis sponsalia obligationem iustitiae pariunt. — *Vide dicenda infra, n. 778.*

III. Sponsalia inducunt etiam impedimentum, quod in iure vocatur *publicae honestatis,* quo scilicet sponsorum alter inhabilis fit ad contrahendum matrimonium cum consanguineis alterius in primo gradu. — *Vide dicenda infra, n. 815.*

727. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Si quis cum duabus feminis sponsalia contraxerit, et cum secunda peccaverit, quamnam ducere debeat?*

Resp. 1° *Certo* matrimonium est contrahendum cum prima, si dum secunda contrahebat priorum sponsalium erat conscia. Ratio est, quia tunc secunda decepta non fuit, sed decipi voluit.

Resp. 2° *Probabilius* etiam cum prima matrimonium est contrahendum, licet secunda non fuerit conscia promissionis alteri factae. Ratio est, quia promissio facta secundae est semper nulla, utpote de re illicita, nec iniuria alteri illata ius priori adimit; et hoc valet etiamsi secunda promissio fuerit iuramento firmata. — *S. Lig. n. 848.*

QUAER. 2° *An tunc prior sponsa cedere debeat de iure suo, si altera ex defloratione grave damnum passura sit?*

Resp. Neg. probabiliter. Ratio est, quia secunda sponsa imbecillitati suae huiusmodi damnum imputare debet. — *S. Lig. ibid.* — Priori tamen suadendum foret, ut iuri suo sponte renuntiet, nisi forte et ipsa notabile damnum inde incurrat. — *S. Lig. ibid.*

728. — QUAER. 3° *An licitae sint arrhae in sponsalibus?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia nec Iure canonico prohibentur, nec iuri naturali adversantur. — *S. Lig. n. 852.*

QUAER. 4° *An sponsa reddere debeat munera* (a) *a sponso accepta, si matrimonium non subsequatur?*

Resp. 1° *Neg.,* si ex culpa sponsi sponsalia dissolvantur: quia ille, culpabiliter resiliendo a promissione, iacturam horum munerum facere merito censetur. Sic praxis communis.

Resp. 2° *Affirm., per se loquendo,* si absque culpa sponsi, et *a fortiori,* si ex culpa sponsae, sponsalia solvantur; sponsa enim absque iniustitia ea retinere non potest, cum tantum intuitu matrimonii collata fuerint. Idem foret dicendum, si unus ex sponsis, qui ab altero munera vel arrhas accepit, morte corripiatur ante

(a) Differunt munera seu donationes sponsalitiae ab *arrhis,* quia hae dantur ceu pignus seu hypotheca implendi rem promissam; ac propterea qui eas dederit, ipsas recuperat, cum illud impletur, de quo pactum fuerat; contra vero quidquid datur per modum sponsalitiae largitionis, nuptiis sequutis repeti nequit, sed dominium eius transit plene ad personam, cui datum fuerat, seu potius donatio confirmatur, et fit absoluta.

initum matrimonium; nam iuxta modo dicta parentes defuncti omnia sponso superstiti restituere tenentur.

Dixi, *per se loquendo;* quia si spectata sponsi conditione munera parvi sint momenti, et hic non reclamet, ea remittere censetur.

729. — Quaer. 5° *An ille qui promisit matrimonium puellae ea conditione ut cum ea peccet, eam ducere debeat?*

Resp. Affirm. cum sententia communi, iuxta dicta *de Iustitia, Tom. I. n. 729. et 760.* (*a*). — *Vid. S. Lig. l. 3. n. 642.*, ubi dicit esse hanc sententiam omnino tenendam.

730. — Quaer. 6° *An matrimonium mere* civile, *prout fit in Gallia coram magistratu, haberi possit instar sponsalium?*

Resp. 1° Affirmandum videtur, si contrahentes intentionem habeant recurrendi postea ad Ecclesiam, et coram Parocho contrahendi, et hanc intentionem signo externo manifestent (*b*). Ratio est, quia tunc non contrahunt matrimonium, sed tantum praescripto legis civilis satisfaciunt, et simul se obligant, saltem *implicite,* ad verum matrimonium coram Ecclesia contrahendum.

Resp. 2° Si talem intentionem non habeant, contractus civilis haberi nequit, ut contractus sponsalitius. Ratio est, quia nulla est promissio matrimonii (*c*); sed tantum hic et nunc adest matrimonium clandestinum, quod vim sponsalium nullatenus habet, ut declaravit *S. Congr. Conc. Trid.* (*d*). — *Carrière, n. 365.* — *Vide Casus, n. 847.*

(*a*) In notis, quas hisce locis subiectas reperies, ostensum est, oppositam sententiam mere fallacium allegationum fuco roborari.

(*b*) Haec quaestio prope inutilis videri debet. Neque enim existimandum est, eos, qui ad magistratum hanc ob causam accedunt, de matrimonio inter se contrahendo prius non convenisse, seu mutuam expresse fidem non dedisse. Supponi ergo debet, vera sponsalia iam praecessisse. Quod ergo attinet ad sponsalium obligationem, et inde consequens *publicae honestatis impedimentum,* inutile videtur inquirere, an quidpiam ad haec conferat istiusmodi coram civili magistratu caeremonia.

(*c*) Ubi desit intentio celebrandi matrimonium coram Ecclesia, non solum in civili isto contractu (si nomen contractus meretur), sed ne in praecedenti quidem, quae supponi debet, fide mutuo data futurarum nuptiarum aderit ulla matrimonii vera promissio, seu ratio ulla veri nominis sponsalium. Ratio patet; quia si illa desit intentio, iam non promittitur matrimonium, quod nullum inter Christianos datur extra matrimonii *Sacramentum,* sed sub nomine matrimonii promittitur coniunctio mere concubinaria.

(*d*) Quod matrimonium clandestinum, etiam copula subsequuta, non resolvatur in sponsalia de futuro, duplicem declarationem refert Bened.XIV. (*Quaest. Canon. 291. prope fin.*), et habes etiam in Thesaur. Resol. Congr. Conc. (*Tom. 2. pag. 239-244.*). Quocirca non audiendi sunt Cabassutius (*Iur. Can. Theor. etc. Lib. 3. Cap. 24.*), Coninck (*De Sacram. Disp. 32. n. 78.*), De Rhodes (*Theol. Schol. Tract. de 5. postrem. Sacram. Sect. 5. §. 7.*), Schram (*Instit. Theol. De Matrim. n. 1230.*), et si qui sunt alii, qui hac omnino de causa docuerunt, hinc *impedimentum publicae honestatis usque ad primum dumtaxat gradum* oriri. Excipiendum tamen cum Sanchez

ARTICULUS III.

DE DISSOLUTIONE SPONSALIUM

Sponsalia ex omnium sententia ob iustas causas dissolvi possunt. Causae autem praecipuae sunt: mutuus consensus; impedimentum superveniens (*a*); electio status perfectioris, v. gr. Pro-

(*Lib. 2. Disp. 20. n. 6.*), nisi clandestine matrimonium contrahentes habuerint animum se obligandi eo modo, quo possent; nam cum potuerint se per sponsalia obligare, sic obligati manebunt, non quidem vi *contractus de praesenti*, qui nullus est, sed ex sponsalibus in eodem contractu implicite *ex eorum mente* contentis.

Gravior agitatur quaestio, num istud publicae honestatis impedimentum ex clandestino matrimonio oriatur, non quatenus in sponsalia transeat, sed quatenus iuxta antiquum Ius (quod S. Pius V. in Const. *Ad Romanum* 1. Iul. 1568. quoad hoc declaravit nihil immutatum fuisse) eiusmodi impedimentum, et quidem usque ad quartum gradum, oritur ex quolibet matrimonio rato etiam invalido, dummodo invalidum non fuerit ob consensus defectum. Quae quidem quaestio ad eos quoque spectare potest, qui coram civili magistratu contrahendi sponsalia *de praesenti* intentionem forte habuerint.

Porro impedimentum incurri plures tradiderunt, iique graves Auctores, uti v. gr. Gonzalez, Pontius, Wiestner, Guttierez, Laurenius, Fagnanus etc.; potissimum autem abducti in eam sententiam videntur, quibusdam quae ferebantur, S. Congr. Conc. Declarationibus, quarum praecipuas ac magis notas videre licet hoc eodem loco in praecedenti huius operis editione. Veruntamen alii neque numero pauciores, neque auctoritate minus verendi, cuiusmodi sunt Navarrus, Sanchez, Lessius, Tanner, Pirhing, Engel, Barbosa, Card. De Laurea, Emman. Sa, etc., in oppositam sententiam iverunt, atque adeo negant, ullum ex matrimonio ob vitium clandestinitatis invalido subsequi impedimentum. Declarationibus autem, quas primae sententiae patroni allegant, facili se negotio expediunt, easque partim apocryphas esse, partim ad rem non facere ostendunt. In hac proinde sententiarum diversitate locus generali illi canoni superest, qui in dubii impedimenti ecclesiastici causis adhiberi inferius dicetur.

(*a*) Intellige impedimentum *dirimens*, et quidem *iure naturae*. Nam si impedimentum sit dirimens solum *iure ecclesiastico*, licet obligatio cesset ex parte innocentis, at non item ex parte eius, qui culpa sua causam impedimenti apposuit, sed tantum suspenditur; adeo ut hic (nisi inde damnum incurrat multo gravius, quam pars laesa ex nuptiarum omissione) teneatur dispensationem impedimenti petere, eoque sublato, si adhuc velit pars laesa, fidem eidem datam implere. Neque de hac re dissentiunt reipsa Doctores. Discrepantia enim, quam suspicari quis posset ex iis, quae S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 857-858.*) refert, tota prorsus Salmanticensium (*De Matrim. Cap. 2. a n. 70.*) oscitantiae et negligentiae in sententiis DD. describendis debetur.

** Excusationem S. Alphonsi, quam postrema huius *Notulae* verba praeferunt, in exprobrationem mihi VV. vertunt; atque adeo haec scribere (*Pag. 794.*) non dubitant: *Oscitantiae ac negligentiae haud excusabilis exprobratio potiusquam in Salmanticenses, in P. Ballerini redundat, qui textus citatos revolvendo non tantum oscitasse, sed dormitasse videtur.* Cum itaque, uti patet, in *Nota* textus non citentur nisi S. Alphonsi et Salmanticensium, de his inquiramus

fessio religiosa, etc.; crimen grave alterius, v. gr. fornicatio;

S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 857.*) haec habet: *Dubium est, an tunc sponsalia solvantur ex parte nocentis. Affirmat Dicastillus, et probabile putant Salmanticenses; quia supposito tali impedimento, iam factum est impossibile matrimonium. Negant vero communius et probabilius Sanchez et Palaus cum Coninckio et Guttierez; qui dicunt, tunc suspendi obligationem sponsalium, donec tollatur impedimentum; quia aequum non est, ut delinquens commodum ex suo crimine reportet.* In quibus, uti manifestum est, Dicastilli assertioni a S. Alphonso opponitur communior sententia Sanchezii cum aliis. Inquiramus ergo, utrum Dicastilli assertio revera discrepet a communiori aliorum sententia ibi exposita, an vero, prout in *Nota* dicitur, conciliari queant: et exinde patebit, utrum huiusmodi discrepantia aliunde sit repetenda, quam a non recte descriptis DD. sententiis.

Textus Dicastilli (*De Sacram. Tr. 10. Disp. 1. n. 554.*), a Salmanticensibus allegatus, sic habet: *Ratione generali probari potest, neutrum illorum* (scil. contrahentium), *supposito impedimento sive culpabiliter sive inculpabiliter inducto, manere obligatum* IMMEDIATE ET PROXIME *ad matrimonium; nemo enim potest obligari ad id, quod fieri non potest.* Sic Dicastilli textum etiam VV. (*Pag. 794.*) referunt.

Et hic quidem quaeri posset, quomodo mere *probabile* dici queat, contrahentes post inductum dirimens impedimentum non obligari *proxime et immediate* ad matrimonium, quando illud contrahere tunc nefas ipsis est, et insuper matrimonium cum impedimento dirimente initum iam foret invalidum. Nonne potius eiusmodi res est per se perspicua et evidens? Attamen S. Alphonsus, uti patet ex allatis eius verbis, scribit: *Affirmat Dicastillus, et* PROBABILE *putant Salmanticenses;* eandemque, ac Dicastillus, rationem addit: *quia supposito tali impedimento, iam factum est impossibile matrimonium.* Et reipsa sic habent et Salmanticenses, eandem addentes rationem (*De Matrim. Cap. 2. n. 70.*): *Addit* PROBABILITER *Dicastillus... Et ratio est, quia nemo tenetur ad id, quod non potest, et supposito tali impedimento, iam est impossibile matrimonium ex parte utriusque!*

Sed hoc omisso, iam quaeramus, utrum allatae Dicastilli assertioni iure quis opponat *Sanchezium, Palaum* etc. et communiorem sententiam. Dubitandi enim ratio est, quia etiam Sanchez (*Lib. 1. Disp. 56. n. 1.*) ad Quaestionem, *Utrum sponsalia dissolvantur ob superveniens iuris impedimentum,* non secus ac Dicastillus, respondet: *Quando impedimentum est dirimens,* FATENTUR OMNES, *dissolvi sponsalia..., quia iam non potest inter illos consistere matrimonium.* Cum itaque, teste Sanchezio, hanc doctrinam profiteantur omnes unanimiter theologi, et quidem ob eandem rationem, *quod tunc impossibile sit consistere matrimonium,* quid est, quod S. Alphonsus Dicastillo et simul Sanchezio et unanimi Doctorum sententiae ceu oppositos exhibet Sanchezium, Palaum... et communiorem sententiam? Undenam id, nisi ex sententia Dicastilli perperam a Salmanticensibus descripta seu proposita?

Sed rursus Sanchez, quamvis cum Dicastillo imo cum omnibus theologis statuerit, sponsalia in casu dissolvi, ob matrimonium *iam factum impossibile;* tamen (*l. c. n. 4.*) subdit quaestionem, *Utrum is, cuius culpa contrahitur impedimentum dirimens, teneatur dispensationem impetrare, ut sponsalia perficiat.* Et deinde hanc quaestionem solvit, statuens quandonam is ad id teneri, quando non teneri dicendus sit. Ergo nisi quis gratis velit contendere, Sanchezium pugnantia loqui, concludendum est, *suspensionem illam sponsalium,* pro qua S. Alphonsus, ut supra vidimus, Sanchezium allegat, nullatenus repugnare generali doctrinae tum Sanchezii, tum Dicastilli, tum omnium theologorum, nempe ob inductum dirimens

mutatio notabilis status, circumstantia scilicet, quae si cognita

impedimentum sponsalia dissolvi, seu, ut ait Dicastillus, neutrum contrahentium ad matrimonium *immediate et proxime* obligatum manere. Rursus ergo dicendum, discrepantiam, quae fingitur inter utramque doctrinam, nonnisi inexactae sententiarum expositioni deberi.

Sed neque hoc satis. Nam Dicastillus ipse (*l. c. n. 555.*) pro sua, quam supra attulimus, sententia allegat *Sanchezium, Guttierez,* et praeter alios etiam *Coninck,* illos nimirum, quos S. Alphonsus, ut vidimus, ipsi ceu contrarios opponit. Undenam hoc, nisi ex DD. sententiis minus exacte propositis? Nam reipsa Sanchezium in generali illa assertione cum Dicastillo convenire iam vidimus.

Sed iterum, Dicastillus (*l. c. n. 556.*) subdit: *Dixi non manere obligatum immediate et proxime; nam, quod attinet ad obligationem petendi aut procurandi dispensationem in impedimento, controversia est inter Auctores, an saltem ille, qui dedit causam impedimento, teneatur dispensationem petere et procurare.* Quam quidem quaestionem ipse quoque resolvit statuendo, quando ad hoc ille teneatur, quando non. Dicastillus igitur, non secus ac Sanchez, ita statuit obligationem sponsalium per inductum impedimentum solvi, ut nihilominus illi, qui causam impedimenti posuit, obligatio procurandi dispensationem maneat. Atqui hoc est illud, quod S. Alphonsus, Sanchezium allegans, dicit, *obligationem sponsalium suspendi.* Quid est igitur, quod S. Doctor Dicastillo opponat Sanchezium, Palaum, Coninck, qui cum communiori sententia *dicunt, obligationem sponsalium suspendi,* nisi quod DD. sententiae non exacte exhibentur?

Obiiciunt VV. (*P. 795.*): *Dicastillus obligationem petendi aliquando dispensationem non ex sponsalibus, quorum obligationem ex utraque parte penitus extinctam censet, sed unice ex damno illato ipse deducit.*

Resp. VV. non satis exacte, aut certe non satis clare sententiam Dicastilli hic referunt. Dicastilli verba (*l. c. n. 559.*) sunt ista: *Non tenetur* FORMALITER *ex promissione sponsalitia, sed ex damno illato, seu emergente ex apposito libere impedimento.* Attendatur igitur ad illam vocem, FORMALITER; quid vero iuxta Dicastillum importet *formaliter promissio sponsalitia,* iam ipse satis explicaverat, quando (*ibid. n. 554.*) dixerat, *neutrum manere obligatum* IMMEDIATE ET PROXIME *ad matrimonium.* Et cum vocibus *immediate et proxime* ex adverso respondeant *mediate et remote,* eo ipso non excludunt, quominus quis vi promissionis *mediate* et *remote* ad matrimonium obligatus maneat, idest ad removendum (nisi quid obstet) impedimentum quod libere ipse matrimonio apposuit. Itaque haec obligatio petendi dispensationem utique *proxime* exsurgit *ex damno iniuste illato;* at vero cur habetur damnum illatum *iniuste?* Quia nimirum damnum exsurgit ex laesione iuris alteri acquisiti per pristinam *promissionem.* Ergo ista *promissio* demum est radix, cur ad damnum reparandum teneatur, atque adeo, nisi quid obstet, ad dispensationem procurandam.

Alioquin vero numquid aliam, ac Dicastillus, alii reddunt huius obligationis rationem? En Sanchez eandem rationem (*l. c. n. 4.*) sic reddens: *Sponsus, qui iniuste impedivit, tenetur ex iustitia impedimentum auferre, modo sibi possibili.* Et Palaus (*Tr. 28. Disp. 1. Punct. 26. n. 4.*): *Qui voluntarie matrimonio contrahendo impedimentum apponit, ius compartis laedit; tenetur ergo illud reparare. At nullus alius modus reparationis aptior est, quam si impedimentum tollat; tenetur ergo illud tollere, si potest.* Quinimo videsis in Palao (*ib. n. 5.*) prope ad verbum repetitam Dicastilli sententiam. *Respondeo* (inquit), *ex lege sponsaliorum neminem obligatum esse ad impedimenti dirimentis dispensationem procurandam; bene tamen ex iniqua et iniusta impedimenti appositione, comparatione cuius dispensatio non est medium extraordinarium, sed ordinarium et*

fuisset, vel praevisa, prudentum iudicio a sponsalibus deterruis-

per se requisitum. Itaque cum etiam ii auctores, quos S. Alphonsus opponit Dicastillo, eandem, ac ille, rationem obligationis afferant, etiam in hoc frustra VV. discrepantiam inter sententias eorum quaerunt, quos S. Doctor discrepantes exhibet.

Rursus obiiciunt VV. (*Pag. 795.*), quod Dicastillus, *si damnum alia via sufficienter compensari potest, sponsum a petenda dispensatione eximit:* quo confirmare volunt, Dicastillum unice ex damno illato obligationem petendi dispensationem deducere.

Resp. Sententiam Dicastilli melius explicat Herincx, cuius verba ipsi VV. (*l. c.*) sic referunt: *Fieri tamen potest, ut qui advertenter impedimentum huiusmodi posuit, obligetur ad petendam dispensationem, vel ad reparandum aliter damnum sponsae illatum. Vide Dicastillo.*

Porro ut huius doctrinae ratio intelligatur, sedulo advertendum est, eos quoque Auctores, quos pro sua sententia S. Alphonsus affert, non semper neque in omni casu sponsum ad petendam dispensationem ab inducto per eum impedimento obligare. Hinc in textibus modo allatis Sanchezius et Palaus limitationem apponunt, alter, *modo sibi possibili,* alter autem, *si potest.* Hinc Sanchez (*l. c.*) ab eiusmodi obligatione eximit, si (absente graviori aliqua ratione) *dispensatio magnis expensis eget, et magna mora; promissio enim intelligitur rebus in eodem statu manentibus.* Quin et S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 858.*) scribit: *Alii probabilius dicunt, teneri quidem* (ad petendam dispensationem), *etiam secluso damno illato, si dispensatio facile posset impetrari; secus si ad eam requirerentur magnae expensae, et longa mora; quia obligatio orta ex sponsalibus urget sponsum ad apponenda media tantum ordinaria et facilia, non autem difficilia et extraordinaria. Excipit tamen Sporer cum Tamb., nisi esset reparandum damnum deflorationis, vel famae, ut supra; quia tunc teneretur etiam magnam expensam erogare; sed non tantam, ut cogeretur a suo statu decidere.*

Rursus autem id advertendum, quod cum omnibus theologis S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 857.*) de parte innocente sic scribit: *Si impedimentum sit dirimens, certum est apud omnes,* (*sponsalia*) *dissolvi ex parte innocentis, ita ut iste non teneatur admittere dispensationem.*

Hinc vero alia exoritur quaestio, *an sponsae laesae in tali casu detur optio, ut si non velit uti, vel admittere dispensationem, possit eligere, ut sibi aliter satisfiat.* Quae quidem quaestio suum locum habet etiam in praecedenti hypothesi, quando videlicet aut dispensatio impetrari nullo modo possit, aut certe eius impetratio incommodum seu damnum sponso importet longe eo gravius, quod sponsa ob nuptiarum carentiam passura sit. Ergo sua, eaque gravis suppetebat ratio, cur Dicastillus ulteriorem hanc ageret quaestionem, de qua scribit (*l. c. n. 561.*): *Nihil in Auctoribus legisse memini.* Et cum statuat haud ab omni obligatione exemptum manere sponsum, tum si dispensatio obtineri nequeat, tum si gravius eius impetratio onus ipsi inferat, tum si sponsa dispensationem oblatam admittere nolit; proinde merito (*l. c. n. 559.*) concludit, *praedictum sponsum teneri vel ad dispensationem petendam, vel ad damnum alioquin compensandum.*

Et hanc quidem conclusionem ipse Dicastillus duplici hypothesi applicat, nimirum 1° *quando damnum illatum nullum est aliud praeter damnum impedimenti culpabiliter inducti, atque adeo non servatae fidei promissionis, per quam obligabatur ad illam implendam, ac proinde ad non apponendum impedimentum;* 2° quando *sponsa aliud insuper grave damnum patiatur.*

Et quoad primam hypothesim (*l. c. n. 561.*) scribit: *Tunc ergo tantum tenebitur compensare seu satisfacere sponsae, quantum prudentis arbitrio*

set (*a*). Dissolvi possunt sponsalia etiam per nimiam matrimonii dilationem, praesertim si tempus ad matrimonium contrahendum fuerit determinatum.

731. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An sit causa sufficiens dissolvendi sponsalia, si sponso adveniat pinguis hereditas?*

sua intererat perseverasse sponsalia in suo rigore, illaque tempore debito impleri; quae compensatio, SI CITRA MATRIMONIUM FIERI POSSIT, *non poterit cogi sponsus ad matrimonium.* Quae quidem conclusio sensum aperit eorum, quae sic praecedunt: *Nec ipse sponsus tenetur obligatione sponsalitia..., atque adeo non poterit cogi ab illa* PRAECISE *propter eam obligationem, solumque tenebitur resarcire damnum illatum.* Nam conditio dein apponitur, SI CITRA MATRIMONIUM FIERI (compensatio) POSSIT. Non ergo liberae sponsi optioni res permittitur, sed quaestio decernenda manet ex generalibus principiis, quae de restitutione ob illatum damnum communiter traduntur.

Quoad alteram autem hypothesim, censet (*l. c. n. 562.*) Dicastillus: *Si sponsa patiatur damnum grave, quod duobus modis resarciri possit, scilicet vel ducendo illam, vel aliter satisfaciendo, debere sponsum aliter satisfacere, si ipsa velit... Quapropter si damnum, quod ipsa pateretur infamia propria, aut pro contrahendo alio* SIMILI *matrimonio, resarciri potest ab sponso constitutione dotis competentis,* ET IPSA HOC ELEGERIT, *videtur posse cogere sponsum ad id, et respuere illas nuptias; neque enim par est, ut cogatur ad resarciendum damnum acceptum copulari viro, illique nubere, a quo tantum damnum accepit dedecoris et infamiae, si non iam sibi (id enim per matrimonium compensatur), saltem sorori et familiae, et per participationem etiam sibi illatum in sua sorore.*

Dicastilli itaque doctrina nequaquam singularis est, aut caeterorum communi doctrinae repugnans. Quod si alii auctores hoc loco vix aut ne vix quidem postremam hanc tangunt quaestionem, de satisfactione nimirum seu damni reparatione aliter curanda, quando dispensatio ab impedimento posthabenda videatur, sive quia gravius, quam par sit, sic onus inferretur sponso, sive quia iustam recusandi dispensationem et nuptias sponsa causam habet; et huius quaestionis solutionem quaerendam relinquunt ex generalibus principiis, quae in Tractatu de Restitutione traduntur; id enimvero discrepantiam seu dissensionem inter DD. nullatenus affert.

Caeterum discrepantia inter DD. mere apparens, de qua in *Nota,* non versatur mere circa Dicastilli sententiam. Sed quandoquidem VV. circa hoc unicum caput difficultates moverunt, etiam nos de aliis dicere supersedemus.

(*a*) Hanc regulam sic bipartitam S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 865.*) explicat: *Pro causis supervenientibus sufficit illa, quae si praevisa fuisset, sponsalia non fuissent contracta... Pro causis autem anterioribus sed ignoratis, illa sufficit, quae si superveniret, iam sufficiens esset ad sponsalia rescindenda, vel etiam quae a contrahendo absterruisset, si cognita prius fuisset.* Et quidem iuxta Sanchez (*De Matrim. Lib. 1. Disp. 62. n. 6.*), Pirhing (*Lib. 4. Tit. 1. n. 63.*), et Schmalzgr. (*eod. tit. n. 188.*), asserenti, se non contracturum fuisse sponsalia, si talis circumstantia a principio extitisset aut fuisset cognita, fides habenda est non solum in foro conscientiae, sed etiam in foro externo, si prudentum iudicio, consideratis circumstantiis, verisimile videatur, eum nequaquam fuisse promissurum, si causam illam praecogitasset. Ratio, quia quae consistunt in animo, uti ignorantia, scientia, intentio, etc., cum hominibus innotescere nequeant, testibus probari non possunt, et proinde standum est cuiusque iuramento, si aliunde nihil contra probari queat.

Resp. Controvertitur (*a*). Alii negant, quia nihil prorsus ex parte

(*a*) Cum sat probabilis sit ista sententia, prouti concedunt illi quoque, qui oppositam praeferunt, non potest igitur Confessarius ad matrimonium obligare. Mendo autem typographico videtur tribuendum, quod penes S. Alphonsum (*Lib. 6. n. 876.*) prima dicatur *communissima*, cum et pro secunda plures afferri possint.

** Quatuor hae lineae argumentum VV. scribendi octo columnas (*Pag. 798-800.*) praebuerunt! En prima eorum obiectio (*Pag. 799–800.*): *Etiamsi opinio affirmans, solvi posse sponsalia, sit vere probabilis; tamen si in foro externo de eiusmodi causa ageretur, possetne iudex in favorem sponsi, ius dubium habentis, pronunciare? S. Doctor Lib. 1. n. 47. scribit:* Iudex tenetur iudicare iuxta sententiam probabiliorem... *Si ergo iudex sententiam ferre nequit in favorem sponsi, quomodo id posset confessarius in foro interno? Nonne et ipse iudex est?*

Resp. S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 604.*) huic difficultati iam responderat. Nam ita scribit: *Dices: Iudex fori externi debet iudicare iuxta opinionem probabiliorem unius partis, quamvis altera pars opinionem probabilem pro se habeat: ergo confessarius non potest absolvere poenitentem, qui vult sequi opinionem probabilem contra suam probabiliorem.* Nonne haec est VV. obiectio? — Porro pergit S. Doctor: *Respondetur: longe dispar est ratio inter iudicium fori externi et sacramentalis: in foro enim externo, cum agatur de veritate rei, nimirum, an ager sit unius vel alterius partis, iudex, qui tenetur unicuique ius suum tribuere, debet quidem rem adiudicare alteri, qui ius probabilius habet, nec potest certe adiudicare alteri, qui pro se opinionem habet minus probabilem; istius enim probabilitas non potest efficere, quod res probabilius non sit illius, qui ius probabilius habet, et per consequens iniuste ageret iudex, si ipsi rem non adiudicaret. Confessarius vero,* QUOTIES SUA OPINIO NON EST EVIDENTER CERTA, *non potest obligare poenitentem ad illam sequendam; unde tunc non solum potest, sed tenetur eum absolvere,* PERMITTENDO, UT ILLE OPINIONEM SUAM SEQUATUR. Porro si Confessarius debet permittere, ut poenitens opinionem probabilem sequatur; ergo etiam iuxta S. Alphonsum in casu *non potest* (ut dicitur in *Nota*) *obligare ad matrimonium.*

Urgent VV. interrogando: *Nonne et ipse* (*Confessarius*) *est iudex?* – En responsio S. Alphonsi (*l. c.*) ad huiusmodi interrogationem: *Respondetur, quod confessarius non est iudex opinionum, quas poenitens sequi teneatur; sed tantum dispositionis sui poenitentis.... Quoad alias opiniones, quae versantur circa obligationem poenitentis, nempe circa ea, quae a poenitente agenda aut vitanda sunt, confessarius non est iudex, nec potest obligare ad sequendam opinionem suam poenitentem, qui vult sequi contrariam.... Hinc quando.... confessarius non habet certitudinem evidentem de illius* (*opinionis*) *falsitate..., potest, imo tenetur permittere, quod poenitens suam sequatur opinionem..., quia confessarius non est controversiarum iudex.* Itaque cum confessarius teneatur permittere poenitenti, ut in agendis aut vitandis liceat ipsi sequi opinionem probabilem; siquidem probabile est, sponsum in casu a sponsalibus resilire posse, manifestum etiam ex S. Alphonsi doctrina est, confessarium non posse poenitentem ad matrimonium obligare.

2. Obiiciunt VV. (*Pag. 800.*): *Ex speciali Declaratione S. Poenitentiariae, omnes Confessarii in praxi sacri Poenitentiae tribunalis tuto sequi possunt omnes S. Alphonsi opiniones, quin necesse habeant momenta rationesque, quibus variae nituntur opiniones, perpendere.* Ergo *haec sententia* (nempe quod in Nota dicitur, *confessarium non posse in casu obligare ad matrimonium*) *omnino reiicienda est;* nam vi allatae Declarationis confessarius potest sequi oppositam sententiam S. Alphonsi, qui tenet, spon

sponsae mutatum est. Alii vero affirmant, quia inter utrumque sponsum non posse in casu a sponsalibus resilire, atque adeo potest obligare ad matrimonium.

Resp. S. Alphonsus, ut patet ex verbis supra allatis, diserte affirmat, quod *confessarius tenetur permittere, quod poenitens suam sequatur opinionem.* Ergo iuxta S. Alphonsum in casu confessarius non potest obligare ad matrimonium. Quomodo ergo ob Declarationem S. Poenitentiariae poterit Confessarius cum S. Alphonso ad matrimonium obligare, si iuxta S Alphonsum ipse tenetur non obligare?

Rursus: S. Poenitentiaria in ipsa Declaratione addit: *Quin tamen inde reprehendendi* censeantur, qui *opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.* Ergo ex S. Poenitentiariae Declaratione potest quis sequi Auctores probatos, qui docent, in casu sponsum ad matrimonium non obligari. Et siquidem id per S. Poenitentiariae Declarationem licet, quomodo VV. contendunt, hanc sententiam vi huius Declarationis *omnino esse reiiciendam?* Porro quando confessarius novit, poenitentem licite posse uti sententia, quae ab obligatione eum eximit, ex omnium et S. Alphonsi quoque sententia non potest obligationem imponere. Ergo etiam iuxta Declarationem S. Poenitentiariae Confessarius non potest in casu ad matrimonium obligare. Rursus ergo scitari licet: quomodo vi Declarationis S. Poenitentiariae, uti contendunt VV., in casu praesenti potest Confessarius cum S. Alphonso ad matrimonium obligare?

Ad vitanda itaque eiusmodi consectaria invicem pugnantia, prae oculis omnino habenda ea sunt, quae de hisce Apostolicae Poenitentiariae iudiciis scite adnotata reperiuntur in *Actis decerptis ex iis, quae apud S. Sedem geruntur etc. Vol. 1. Append. 17. Pag. 497-501. Huic S. Sedis iudicio* (ita ibi pag. 498.) *nonnulli videntur multo plus tribuere, quam ferat iudicium ipsum. Putare enim videntur, S. Sedem iudicasse veras omnes S. Alphonsi opiniones: vel etiam ex S. Sedis iudicio videntur inferre, quemlibet prudenter agere, si cuivis opinioni S. Alphonsi se accommodet, etiamsi cognoscat sive ex propria scientia, sive ex competenti auctoritate opinionem, quam sequitur, esse evidenter falsam.*

Ad haec porro ita doctus Appendicis Auctor (*Pag. 500.*): *Hoc iudicium nullimode respicit sententias, quae aliqua gaudeant probabilitate, quaeque inter Doctores disputantur, vel disputari possunt.* Hinc infert: *Quod ex hoc S. Sedis iudicio inferri potest, illud est, nempe unumquemque catholicum,* QUI NON VALEAT ULTERIUS DE VERITATE OPINIONUM INQUIRERE, *posse prudenter sequi magistrum et doctorem illum, qui nihil scripsit ea censura dignum, quae obstaret Canonizationis Actis.* Et infra (*Pag. 501.*): *Ex responsione, qua declaratum est, S. Alphonsum esse unum ex probatis Auctoribus, cuius opiniones qui sequitur,* TUTO *agit, non recte aliquis inferret, per particulam* TUTO *in proposito dubio expressam, declaratas fuisse veras omnes S. Antistitis sententias et opiniones; quod dignoscitur ex altera Responsionis parte, qua reprehendendi non sunt, qui opiniones ab aliis probatis Auctoribus traditas sequuntur. Nemo enim ignorat, ipsos probatos in Ecclesia Auctores, usuque receptos, diversas et contrarias interdum tradere opiniones, quas utpote probabilitate gaudentes, nemo, qui eas sequitur, reprehensione est dignus.*

Et infra: *S. Poenitentiariae Responsio non innititur principio scientiae, quatenus scilicet quidquid docuerit S. Alphonsus, verum sit; sed innititur aliis extrinsecis prudentialibus rationibus, ob quas qui eiusdem sequitur sententias, prudenter, ideoque tuto agit: quae rationes illae sunt, quas paulo ante indicavimus, quaeque in defectu scientiae subrogantur; videlicet, quivis prudenter ideoque tuto agit, si propriam sibi doctrinam faciat, usu in Ecclesia receptam, quam vir doctus et prudens, maxime vero si recens sit et sanctitate praefulgeat, docuit. Cum vero hoc pruden-*

sum non amplius eadem existit rerum conditio; et si sponsus hanc

tiae principium subrogetur defectui scientiae, exceptionem pati dicendum est, quoties evidenter nobis constet, aliquam auctoris, quem sequimur, sententiam falsam esse, nullaque probabilitate gaudere.

Ut itaque concludamus, cum commune sit, et etiam a S. Doctore Alphonso ut certum traditum principium, confessarium non posse poenitenti obligationem imponere, quando ex probatorum Doctorum sententia probabile sit, eiusmodi obligationem non adesse; et cum in casu probabile sit, sponsum ad matrimonium non obligari; plane consequitur, opinionem S. Alphonsi, ubi negat sponsum in casu posse resilire, utique ex illis esse, quas si quis *in defectu scientiae* et mere praedicto prudentiae iudicio innixus sequatur, reprehendi non poterit; nequaquam vero ex S. Poenitentiariae Declaratione inferri posse, eam opinionem in praxi tuto adhiberi ab eo confessario posse, qui aliqua scientia praeditus duo illa praemissa satis cognoscat, videlicet et probabile esse, sponsum in casu posse a sponsalibus resilire, et non posse licite confessarium obligationem imponere, quando probabile sit, eam obligationem non existere.

3. At enim VV. (*Pag. 799.*) videntur etiam dubium iniicere voluisse, num revera probabile sit, sponsum in casu posse resilire. Nam scribunt: *Ex praemissis liquet, hanc probabilitatem infirmiori tantum fundamento inniti.*

Resp. Si obscura hac phrasi VV. mere significare volunt, hanc opinionem, iuxta eorum iudicium, minori probabilitate pollere prae opposita, quam probabiliorem ipsi censeant; erit qui reponet: *Transeat Antecedens;* et *Nego consequentiam.* Nam *probabilitas etiam minor* (ut dicit S. Alphonsus) *deservit ad ostendendum..., quod lex eo casu, cum sit dubia, non obligat* (Textus plures S. Doctoris Alphonsi in hanc rem videsis Vol. I. pagg.60. et 65.). Manet ergo, quod in casu Confessarius non potest sponsum ad matrimonium obligare.

Si vero ea phrasi subinferre volunt, dubiam esse huius opinionis probabilitatem, ego enimvero nullus video, quid *in praemissis* (ut aiunt) attulerint, quo id *liqueat.* Et in primis quidem *in praemissis* nullam reperio rationem pro S. Alphonsi thesi ab ipsis afferri, quemadmodum neque S. Doctor (*Lib. 6. n. 876.*) rationem ullam attulerat. Numquid et ipsi persenserunt, rationes, quae ab illius opinionis patronis promi consueverunt, eas esse, quas apprime utile pro causa sit plane silentio pressisse? Ipsi utique in sequentibus duas illas superius relatas rationes adhibuerunt, alteram petitam ex officio Confessarii *tamquam iudicis*, alteram *ex Declaratione S. Poenitentiariae.* At vero num istae aliquid valeant, satis iam vidimus.

4. *In praemissis* itaque VV. mere congerunt multa Auctorum nomina; qua congerie evincere simul student, iure S. Alphonsum opinionem suam dixisse *communissimam.* Veruntamen iam valeat illud, quod ipsimet (*Pag. 798.*) advertunt, *Auctores, potiusquam numerandos, esse ponderandos:* et nos addemus, ponderationem etiam, immo maxime adhibendam videri circa argumenta, quae pro thesi forte ab iis afferantur.

Hanc sententiam (inquit Diana Tom. 2. Tr. 6. Res. 18. n. 3.) *prius solum Sanchez auctorem habet.* Sed quaero: Quamnam rationem Sanchez (*Lib. 1. Disp. 39. n. 7.*) attulit? *Quia,* inquit, *alter non est effectus deterioris conditionis, ut si promisi vendere equum pretio, quod tunc iustum erat, nihil nocebit valor multo auctior traditionis tempore.* — Atqui nec firma semper est ista ratio, nec quicquam valet allata paritas. Ac 1° non est generatim firma ratio; quia si v. gr. sponsus aut officium deinde amittat, aut alia de causa impos ad onera matrimonii ferenda fiat, recedere a sponsalibus potest, etiamsi sponsa deterioris conditionis non fuerit effecta. *Promissio matrimonii,* inquit Palaus (*De Spons. Disp. 1. Punct. 28. n. 3.*), *subintelligitur sub illo divitiarum statu; unde si ab illo cadit, obligatio*

mutationem fortunae praevidisset, nullo modo cum tali persona

cessat. 2° Non valet allata paritas, quae alioquin aequivocatione laborat. Nam verba illa Sanchezii, *Si promisi vendere* vel significant mere *promissionem vendendi,* vel *venditionem* peractam. Si mera fuit vendendi, etiam pretio quodam certo, promissio, negatur, promittentem teneri ad illud pretium, si prior rerum status in alium longe diversum mutetur; nam, ut ait idem Sanchez (*Ibid. n. 4.*), *promissio intelligitur rebus in eodem statu permanentibus*. Proinde si ea promissio v. gr. fuerit de vendendis certo pretio uvis, quo tempore uberrimam vindemiam vineae promittebant, et grando deinde universas provinciae vineas dire vastaverit, profecto ad uvas illo pretio vendendas promittens non tenetur. Si autem sermo sit de *venditione,* et non de sola *vendendi promissione*, prorsus paritas, uti patet, neganda est: neque enim conditiones, quae insitae sunt contractui *promissionis,* transferri ad contractum *venditionis* possunt. Porro numquid alia argumenta alii Auctores praeter hasce Sanchesii, nullius vere momenti, ratiunculas afferunt?

5. Sed videamus insuper, quid concludi possit ex congerie nominum, quam VV., ut diximus, collegerunt.

Sporer, uti VV. (*Pag. 799.*) fatentur, id repetit (*De Matrim. n. 282.*) totidem verbis, quod Tamburini (*Lib. 8. C. 5. §. 8. n. 15.*) ad litteram exscripserat ex Gobat (*Tract. 10. n. 340.*), nempe: *Circa has sententias interponat iudicium suum me sapientior*. Ergo, iudicio horum trium spectato, confessarius non potest ad matrimonium obligare; obligationem enim incertam relinquunt. Atqui obligatio incerta non est obligatio, et a Confessario tamquam vera obligatio nequit praescribi. Ergo. Et hic scitari subit: Quid est, quod VV. (*Pag. 798.*) accensent *Sporer* iis, qui cum S. Alphonso negant, sponsum posse resilire?

6. Memorant VV. (*Pag. 799.*), quomodo Sporer (*l. c.*) referat, Ferraris vero (*V. Sponsalia n. 117.*) laudet distinctionem Martini Perez, qui *dicit* (ait Ferraris), *quod resilire possit, si iniens sponsalia habuit reflexionem ad aequalitatem divitiarum vel bonorum* (melius lege, *honorum*); *et contra resilire non posse, si sine reflexione ad dicta contraxit propter aliam causam, quae perseveret, v. gr. ob specialem formositatem*. Ferraris itaque, utcumque minus exacte referat sententiam Perezii, negat tamen sponsum ad matrimonium teneri, nisi forte contraxerit sponsalia mere ob pulchritudinem sponsae. Porro iam hoc ipso tum thesim, tum ratiunculas Sanchezii subvertit. Cur igitur VV. (*Pag. 798.*) connumerant hunc quoque iis, qui doctrinam Sanchezii et S. Alphonsi propugnant?

Dixi, Ferraris minus exacte sententiam Perezii referre. Hic enim (*De Sponsal. Disp. 9. Sect. 11. n. 10-11.*) ita habet: *Sanchez... et alii censent, teneri valde divitem stare sponsalibus, quia ipse non est effectus deterioris conditionis, nec ipse dicitur deceptus in conditione sponsae, aut errasse circa conditionem sponsae, sed circa propriam, in quam non fertur consensus*. Ita Perez, qui in hisce omnes reipsa ratiunculas huius opinionis proponit. Sic autem prosequitur: *Probo magis oppositum cum Hurtado; quia ea mutatio ita facta est notabiliter gravior, ut si ab eo, qui ditior factus est, tempore sponsalium fuisset praevisa, non ea contraxisset: quae est ratio praecipua, et efficax, ob quam dissolvi queunt sponsalia in* (aliis) *casibus praedictis*. Cum itaque Perez manifeste a Sanchezii discedat sententia, quid est, quod VV. (*Pag. 798.*) hunc quoque ceu patronum eiusdem sententiae Sanchezii vendunt?

Perez autem sic deinde ratiunculas oppositae sententiae solvit (*ibid. n. 11.*): *Ad argumentum oppositum dico, alterum factum esse deterioris conditionis, ut relatum ad statum praesentem huius, sicut si ad altioris dignitatis gradum, Comitis, Marchionis, vel Ducis ascendisset*. Quam quidem responsionem sic clarius effert Oberrauch (*Tract. 20. n. 2373.*): *Huc*

contrahere voluisset. Hanc sententiam satis probare videtur *S. Lig. n. 876.*

pertinere (solvi scilicet sponsalia posse) *arbitror, si conditio alterius ex nobilitate aut opibus plurimum augeatur; nam pars altera non quidem quoad se, bene vero sub respectu ad sponsum fortunatum adeo multo deterior redditur, resque in eum casum adducta est, in quo sponsalia nunquam ineunda fuissent.* Nonne his concidit ratiuncula illa, quod sponsa effecta non sit inferioris conditionis?

En denique verba Perez (*l. c.*), ex quibus Ferraris et Sporer arguebant, Perezium loqui cum distinctione: *Praedictam doctrinam intelligo moraliter et regulariter loquendo; nam si quis contraxisset sponsalia* OB SOLAM NOBILITATEM VEL PULCHRITUDINEM, *ingens divitiarum copia non efficeret illi, facto ditiori, impletionem notabiliter graviorem; neque illa a principio existens illum a sponsalibus retraheret in eo eventu.* Perez ergo mere excipit, si quando fortunarum augmentum praevisum ab iis sponsalibus contrahendis non deterruisset. Atqui haec exceptio casus singularis nullo modo in regulam generalem trahi potest.

7. Sed redeamus ad nomina a VV. congesta pro S. Alphonsi sententia. Itaque praeter *Sporer, Ferraris,* et *Perez* inaniter ab ipsis allegatos, occurrunt ibi nomina *Struggl, Leonardelli, Schmalzgrueber,* et *Salmanticensium.* Porro ipsi VV. (*Pag. 799.*) fatentur, hos auctores aut expressis verbis aut aequipollenter etiam *oppositam sententiam ceu probabilem admittere.* Atqui, si ita est, isti auctores utique efficaciter allegari possunt ad negandam obligationem, neutiquam vero ad obligationem in praxi urgendam. Et ratio manifeste patet; quia ex principio tantopere inculcato a S. Doctore Alphonso probabilitas *negantis* sententiae sufficit ad negandam obligationem; probabilitas vero *affirmantis* ad pariendam obligationem, quae nulla est, si sit incerta, non sufficit. Ergo et isti potius contra S. Alphonsi conclusionem stare dicendi sunt. Quorsum ergo VV. ad amplificandum nominum numerum eos quoque auctores ingerunt, ex quibus concluditur oppositum?

8. Addunt VV. (*l. c.*) sententiam, a S. Doctore reiectam, probabilem etiam a *Concina* haberi. Ergo etiam iuxta Concinam, alioqui rigidum, sponsus ad matrimonium obligari a Confessario nequit: cum tamen pro se illum S. Alphonsus alleget.

Et uberiorem fidelitatis laudem VV. sane promeruissent, si addidissent, etiam *Escobar,* quem pro se S. Doctor affert, oppositam dixisse *probabilem.* Ergo et iste ex illo nominum catalogo delendus merito videri potuit, utpote qui conclusionem S. Doctoris iam subvertit.

Sed insuper eadem fidelitas a VV. exigebat, ut quandoquidem unico auctoritatis praesidio statum quaestionis exponebant, non pressissent silentio, etiam *Leandrum* (*Tr. 9. Disp. 2. q. 47.*) apud Salmanticenses (*Tr. 9. Cap. 2. n. 77.*) opinionem *negantem* dixisse *probabilem.* Leandro autem associari poterant tum Giribaldi (*Tr. 10. Cap. 2. n. 78.*), tum Voit (*Vol. 2. n. 1166.*), tum Croix (*Lib. 6. Part. 3. n. 173.*), tum Maschat (*Lib. 4. Tit. 1. n. 29.*), qui eandem opinionem ita referunt, ut saltem ipsam nequaquam reiiciant.

His addendus Baumgartner, qui (*Lib. 4. Tit. 1. Concl. 14.*) scribit: *Utrum una pars resilire possit, si ex insperata v. gr. hereditate facta sit notabiliter ditior, disputant Authores in utramque partem probabiliter.*

Item Scarpazza (*Decis. di Casi di Cosc. Sponsali Cas. 14. vol. 9. pag. 50.*): *Fra le due opposte sentenze l'una affermativa, negativa l'altra, parmi debba preferirsi, parlando generalmente, come più probabile la negativa.* Quibus sane utramque probabilem fatetur.

9. Itaque iam octodecim Auctores habemus, ex quorum suffragio Confessarius sponsum ad matrimonium obligare non potest. Sed alii his ad-

QUAER. 2° *An solvantur sponsalia per votum castitatis, vel votum sacros Ordines suscipiendi?*

dendi veniunt; nam, ut ait Voit (*l. c.*), *multi retinent*, partem *notabiliter ditiorem vel nobilem factam, ab altera iam impari licite resilire.*

Itaque ut nonnullos indicemus, qui in oculos incurrerunt, praeter Ochagavia et Trullench, quos pro hac sententia omnes et etiam S. Alphonsus allegant, et praeter Oberrauch sup. relatum, iam apud Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 1. n. 192.*) hanc sententiam tenent *Schmier, et Wex.*

Item Antonius a S. Ioseph (*Tr. 34. n. 42.*) dissolvi posse sponsalia docet, *si alter sponsorum simul cum divitiis ad altiorem statum seu gradum inopinatum elevaretur.*

Huc pertinet, quod sic habet Wagemann (*Part. 3. Tr. 3. n. 123.*): *Inter duas sententias utor distinctione: si divitiae et nobilitas inducerent enormem disparitatem inter sponsos, dissolvunt; secus non.* Hinc ratiunculae omnes exploduntur, quae post Sanchez contra afferri solent.

Et Viva (*De Matrim. Q. 2. art. 6. n. 2.*): *Si alteri post sponsalia superveniant plurimae divitiae, existimo etiam cum Hurtado contra Sanchez et Bonac., quod possit pariter resilire; cum haec sit notabilis mutatio, qua praevisa is non consensisset; esto verum sit, quod non sit deceptus in conditione alterius:* quae postrema verba ratiunculam a plerisque adversariorum adhibitam praeferunt.

Et reipsa sic Hurtadus (*D. 2. de Matr. D. 14. n. 25.*): *Sanchezii et Coninck sententiam difficilem existimamus, quia dicta mutatio est ita notabilis, ut ex se efficiat impletionem notabiliter gravem, sponso facto ditiore, et a principio existens etiam prudentem a sponsalibus retraheret.*

Addendus his Babenstuber, qui (*Tr. 8. Part. 7. Disp. 1. art. 4. n. 37.*) sic de hac controversia: *Placet sententia affirmans* (*sponsum a sponsalibus posse resilire*), *quam tenent Illsung et Magn. Schmier.... Ratio est, quia iudicio prudentum sponsus de matrimonio longe praestantiori non solum potuisset, sed etiam voluisset sibi prospicere, si hanc status sui mutationem praevidisset. Licet autem sponsa... non fiat deterior, notabiliter tamen inferioris conditionis efficitur, atque adeo deterior; ex quo solvitur ratio in oppositum.*

Et in eandem rem bene Illsung, a Babenstuber adductus, sic disserit (*Tr. 6. Disp. 9. Q. 1. n. 29.*): *Contractus tam difficilis, ineundi scil. matrimonium, nunquam amplius dissolubile, iuxta communem regulam iudicatam apud Palao, ex natura sua omnes notabiliter praeiudiciosas mutationes excipit, quibus cognitis non contracta fuissent sponsalia. Unde Amicus Disp. 32. a n. 66. etiam infert, non tantum dari ius renunciandi sponsalibus ex superveniente..... deterioratione alterius contrahentis, sed pari ratione posse resilire eum, cui ex superveniente nobilitate, aut magnis divitiis v. gr. pingui hereditate, tam notabiliter melior status accessit, ut prudentum iudicio longe praestantius matrimonium censeretur potuisse et voluisse inire, si illum statum praevidisset, ut adeoque alter contrahentium per unius exaltationem sit notabiliter inferior et comparative deterior factus.*

Egregie etiam Dicastillus (*Tr. 10. Disp. 1. n. 599.*) hanc quaestionem sic tangit: *Haec doctrina* (Sanchezii, Reginaldi, etc.) *mihi non parum videtur difficilis. Illa enim mutatio ex parte illius, qui factus est dives, videtur sufficere, ut contractus matrimonii reddatur longe difficilior ex parte sua; quia eo ipso quod valde creverit in divitiis, tollitur proportio considerabilis inter utrumque contrahentem, qui prius habita ratione bonorum et conditionis utriusque inter se contraxerunt. Eo autem ipso quod excessus tantus est ex parte unius, tollitur proportio, quae prius fuit considerata; atque adeo licet nulla facta fuerit mutatio ex parte alterius, sufficit alteramentum bonorum ex parte unius, ut ille notabilis excessus*

Resp. 1° Si votum *antecedat* sponsalia, certum est ea esse irrita.

inducat mutationem proportionis; quod si novisset ille, qui factus est dives, initio non contraxisset cum femina, cuius dos non est ipsi proportionata. Ex qua doctrina corruit fundamentum oppositae sententiae, estque deterioris conditionis non mutatione sui, sed alterius. Quod etiam approbat Hurtadus, et illum secutus Perez.

Nec minus luculenta sunt ea, quibus Franciscus Amicus (*De Matr. Disp. 32. Sect. 11. n. 66-67.*) eandem doctrinam confirmat. *Rebus notabiliter mutatis non tenentur sponsi sponsalia adimplere: nec intellige de mutatione alterius tantum sponsi in deteriorem partem, sed etiam de sui ipsius in partem notabiliter meliorem; tum quia DD. sine limitatione illam pronunciant; et licet exempla afferant de mutatione alterius in statum deteriorem, id ideo faciunt, quia hoc est regulare, et exempla non nisi de casibus regulariter contingentibus afferri solent; tum quia ea ipsa notabilis mutatio in melius ex parte unius constituit alterum in statu conditionis notabiliter deterioris respectu alterius: nam quo status unius extollitur, eo status alterius comparative ad alterum deprimitur; sunt enim haec correlativa, quorum unum sine mutatione sui per solam mutationem alterius variatur; tum ex illa regula communi:* Quotiescumque aliqua nova causa post contracta sponsalia emergit, quae si a principio affuisset, sponsalia contracta non fuissent, iustam praebet sponsalia dissolvendi occasionem. *Quis autem negabit, si a principio tanta divitiarum copia affuisset, ut per eam adeo notabiliter ipsius status sublimandus fuisset, ut aliud longe nobilius coniugium inire potuisset, haec, quae de facto contraxit, sponsalia contracturum non fuisse? Demum si sponsus aut sponsa interrogaretur, quid in eo casu factura fuisset, quis inficiabitur, eam responsuram, alia, quam de facto contraxit, sponsalia se contracturam fuisse, quibus ipsius status sublimandus foret? At ait Sanchez Disp. 62. n. 6., sponso vel sponsae asserenti, se minime promissuram, si a principio talis causa affuisset, fidem esse in utroque foro adhibendam, si iudicio prudentis, perpensis circumstantiis, verosimile sit, illum non fuisse promissurum. Ratio: cum in hoc contractu, quod speciale est supra reliquos, non tam attendatur contrahentium utilitas, quam eorum indissolubilis animorum coniunctio, quaecumque causa, quae potest contrahentium animos in ordine ad contrahendum matrimonium notabiliter mutare, sufficit ad sponsalia dissolvenda, ne matrimonium malum sit exitum sortiturum.*

10. Sit itaque conclusio: Etiamsi spectato dumtaxat auctoritatis pondere definienda res sit; cum tamen prope triginta Auctores habeamus, ex quorum suffragio obligatio standi sponsalibus incerta dici debet; cumque certum et ab omnibus tenendum sit principium, imponi obligationem a confessario non posse, ubi haec sit incerta; manifestum est, confessarium in casu ad matrimonium obligare non posse.

Multo autem magis id elucet, si intrinsecae rationes perpendantur. Verissime enim dixit in textu allato Amicus, COMMUNEM ESSE REGULAM: *quoties aliqua nova causa emergit, quae si a principio affuisset, sponsalia contracta non fuissent, iustam praebet sponsalia dissolvendi occasionem.*

Instar omnium Laymann (*Lib. 5. Tr. 10. P. 1. C. 2. n. 18.*) audiatur: *Solvuntur sponsalia, si notabilis mutatio accidat, seu grave aliquod supervéniat, quod si a principio extitisset, merito a sponsaliorum contractu absterruisset, sicut ex communi docent Abbas, Angelus, Sylvester, Navarrus etc., et colligitur ex* C. Quemadmodum de iureiurando. *Ratio est: Quia intentio spondentis non praesumitur se extendisse ad talem casum valde difficilem, qui quemvis hominem prudentem a matrimonii promissione absterruisset. Porro ad cognoscendum, utrum promittentis intentio, saltem virtualis, ad talem casum se extenderit, nec ne, examinari debet*

Ratio est, quia matrimonii promissio est de re illicita, et proinde non obligat. — *Ita communiter.*

sponsus, v. gr. si eo tempore, quo sponsae promiserat, illi aliquis proposuisset: Sed quid si tale postea eveniat? *Utrum responsurus fuisset, non esse sibi mentem ad hunc casum obligationem suam extendere. Cuius asseverationi etiam in externo foro, praesertim iurato, credendum erit, si, consideratis circumstantiis, et praecipua natura rei promissae, probabilis ei fides haberi possit, sicuti docent Navarrus, Sanchez etc.* Quid porro contra hoc principium ab omnibus receptum valere iam possunt ratiunculae sententiae oppositae, quae demum huc recidunt, 1° quod sponsa non sit facta deterioris conditionis, 2° quod sponsus in praebendo consensu circa conditionem sponsae non sit deceptus?

11. Illud demum non praetermiserim, de S. Doctoris Alphonsi sententia omnino non constare, utrum reipsa illi opinioni penitus adhaeserit, quae in casu negat, solvi sponsalia posse. Utique hanc opinionem dicit *communissimam;* quod quidem quo sensu accipi queat, ex praemissis colligatur; attamen iudicium suum revera nullum interponit.

Caeterum ipse quoque communem regulam, quam diximus, sic adoptat (*Hom. Apost. Tr. 18. C. 1. n. 19.*): *Ad iudicandum, quaenam causa valeat dissolvere sponsalia, hae duae regulae attendendae sunt. Prima est, quod ob causas sponsalibus supervenientes, sufficit ea, quae si praevisa esset, illa utique contracta non fuissent: unde tunc pars a tali defectu immunis remanet, quae praesumitur contraxisse semper sub conditione, quod talis rerum non adsit mutatio, quae praevisa si fuisset, eam a contrahendo removisset. Secunda regula haec est etc.*

Ex altera vero parte non videtur S. Doctor plurimum detulisse rationibus, quae pro sententia illa, quam *communissimam* dixit, afferri solent. Quaestionem sic ipse (*l. c.*) exponit: *Quaeritur, an superveniente alterutri sponsorum pingui hereditate, possit ille recedere a sponsalibus. Affirmant Hurtad., Trull., Leand., etc. dicendo, tunc notabiliter mutari sponsorum conditionem. Sed alii communissime... id negant, quia tunc ille iam non est deceptus in conditione alterius partis, in qua nulla accidit mutatio.*

Quid porro ipse sentiat de hoc argumento, haud aegre colligitur ex speciali quaestione, quam subiicit. Scribit enim (*tum l. c., tum Lib. 3. n. 876.*): *Iuxta hanc sententiam dicit Croix, quod si quis contraxit cum una, et postea offeratur ei coniugium cum altera ditiore, non poterit primam relinquere, quia tunc nulla in ea facta est mutatio.* Quid autem ad haec S. Doctor? En ipsius iudicium: *Si qualitas secundae sponsae esset excedenter melior, ego non auderem sponsum omnino damnare, si cum illa contrahere vellet.* Atqui (inquam) iste in conditione prioris sponsae non fuit deceptus, neque in ea accidit ulla mutatio: et hoc quidem est argumentum, quod ipse S. Doctor pro communissima, ut ait, sententia refert. Ergo manifeste hoc argumentum S. Doctor parvipendit.

Idque confirmant ea, quae mox S. Doctor sic subdit: *Licet enim in hoc casu non mutetur status sponsae, sive sponsalium, tamen, ut communiter dicunt Doctores, sponsalia non obligant, nisi rebus in eodem statu manentibus; unde sicut non teneretur sponsus illa exequi cum magno suo damno, ita nec teneri, alicui videri posset, cum amissione magni lucri; talis enim amissio gravi damno aequiparatur ex L. Unic. C. De Sententia quae pro eo etc. iuxta dicta Lib. 3. n. 301.* In quibus videsis illud argumentum reiectum ob eandem illam rationem, qua usos vidimus Auctores, qui illi sententiae non acquiescunt.

Sed et illud plane animadversione dignum, quod S. Doctor hoc iudicio suo non modo plane infirmam ostendit sibi visam esse rationem, cui nititur Sanchezii opinio, sed subvertit quoque aliud argumentum, quo alii eandem sententiam confirmare studuerunt. Fuerunt nimirum, qui ad pro-

Resp. 2° Si votum *subsequatur*, itidem sponsalia probabilius solvuntur. Ratio est, quia promissio sponsalium semper censetur facta sub tacita conditione, *nisi melior status eligatur.* — *S. Ligor. n. 873.* (*a*).

732. — Quaer. 3° *An dissensus parentum sit causa sufficiens resiliendi a sponsalibus* (*b*)?

bandum, resilire a sponsalibus quempiam non posse, etsi notabilis ei supervenerit status mutatio, argumentum inde desumunt, quod quispiam id non possit in hypothesi coniugii longe ditioris ipsi oblati. Et sane sic Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 1. n. 192.*) contra asserentes sponsalia dissolvi posse, *si alteri superveniant insperatae divitiae, nobilitas, dignitas, etc.*, etiam rationem urget, quia *alias quoties offerrentur sponsalia ditiora, minus ditia possent solvi, quod non est dicendum.* Itemque Catalani (*Part. 3. Q. 10. Cap. 7. n. 14.*): *Alias habitis sponsalibus ditioribus daretur larga facultas resiliendi a minus divitibus iam celebratis, quod est absurdum.* Et, ut alios omittamus, etiam Reiffenstuel (*Ius Can. Lib. 4. Tit. 1. n. 262.*) eodem modo sic ratiocinatur: *Nec obstat subito superveniens fortuna: tum quia alias etiam dissolvere quis posset sponsalia ex eo, quia alia longe pulchrior aut ditior ei vellet nubere, quod est contra communissimam Doctorum.* S. Alphonsus ergo, dum dicit de hac hypothesi: *sponsum damnare non auderem etc.;* iam et istud illorum argumentum diruit. Porro cum eiusmodi argumentum potius quam a pari, ductum a fortiori videatur, propterea quod minorem resiliendi a prioribus sponsalibus causam prorsus videatur ille habere, qui meliorem statum nondum habens, hunc abrumpendo sponsalia quaerit, quam qui per insperatam fortunam acquisitam statum longe meliorem iam adeptus est, atque adeo iure quodam suo sibi ac statui suo novo decentiora sponsalia aucupetur; iam satis patet, S. Doctorem Alphonsum, qui *damnare non audet sponsum* eo quod a sponsalibus recedat, si cum ditiore offeratur ei coniugium, a fortiori non damnare illum, qui cum statum iam mutaverit, aliud sibi conveniens matrimonium quaerat.

Et utique S. Doctor (*Lib. 6. n. 876.*) concludit: *Et sic invenio, in Vita S. Ioan. a Capistrano sensisse plures theologos in huiusmodi casu* (scil. ditioris coniugii oblati), *quamvis ipse S. Ioannes contrariae fuerit sententiae; a qua revera abscedere nec unquam ego consulere auderem.* Verum hic de mero consilio res est; et S. Doctor haec in altero opere (*Hom. Apost. l. c.*) praetermittit, et mere scribit: *Et ita invenio dixisse multos theologos in Vita S. Ioannis a Capistrano.* Et haec satis sint de hac speciali quaestione; ex quibus VV. colligere etiam poterant, cur P. Gury scripserit: *hanc sententiam*, nempe solvi posse sponsalia, si sponso adveniat insperata hereditas, *satis probare videtur S. Alphonsus.*

(*a*) Eum, qui a sponsalibus recedat ob emissum castitatis votum, iudex compellere solet, ut aut fidem sponsalium servet, aut in Religionem aliquam se recipiat. Cum enim iudici de interna voventis voluntate non constet, dum alioquin certo constat de sponsalium obligatione, non iniuste hoc perfectioris electionis indicium exigit, eo vel magis quod id necessarium videri merito queat ad eorum praecavendas fraudes, qui ad se eximendos ab incommoda sponsalium obligatione, facili negotio possent haec vota simulare.

(*b*) Cave, ne cum quibusdam (*Vid. Salmant. De Matrim. Cap. 6. n. 19. seq.*, et *S. Alphons. Lib. 6. n. 849.*) hanc quaestionem confundas cum alia, *an peccent filii contrahentes insciis parentibus.* Nam licet gravius leviusve sic filii offendere parentes possint pro variis adiunctis, proque vario rem gerendi modo, hoc tamen per se non infert necessario, contractum etiam quoad substantiam esse eiusmodi, cui repugnare iure parentes debeant,

Resp. Neg., si parentes iniuste dissentiant, quia ius filiorum laederetur (*a*). Secus vero, si dissensus parentum sit iustus, v. gr. si altera pars non conveniat familiae ratione conditionis, honoris, etc. — *S. Lig. n. 877.*

Quaer. 4° *An pars laborans occulto defectu teneatur illud aperire ante sponsalia, vel, iis contractis, ante matrimonium?*

Resp. 1° *Affirm.*, si defectus ille futurus esset *perniciosus* vel *iniuriosus* alteri parti, v. gr. si puella sit *gravida*, si sponsus morbo *venereo* laboret, vel *aere alieno* gravetur, etc. Ratio est, quia sicut peccat contra iustitiam, qui credenti se bonas merces emere, vendit noxias, ita *a fortiori*, qui cum defectu pernicioso vult matrimonium contrahere. Ergo si defectum aperire nolit, a contrahendo abstinere debet. — *S. Lig. n. 864.*

Resp. 2° *Neg.* autem, si defectus non reddat nuptias noxias, sed tantum minus appetibiles; v. gr. si puella, quae putatur virgo, sit corrupta. Ratio est, quia consuetudine receptum est, ad eiusmodi defectus alteri manifestandos neminem teneri. Insuper nemo tenetur manifestare suum defectum cum propria infamia, quando defectus non laedit ius grave alterius. — *S. Lig. ibid., et alii communiter.*

733. — Quaer. 5° *An sponsalia dissolvantur per matrimonium subsequens, ita ut, soluto matrimonio, non reviviscant?*

Resp. Neg. cum sententia communiori. — *S. Lig. n. 875.* Ratio est, quia nullo iure probatur, sponsalia omnino dissolvi per matrimonium subsequens; unde videtur tantum suspendi obligationem sponsalium, durante tali matrimonio, ut fit in eo, qui contrahit matrimonium cum voto castitatis. Plures tamen contradicunt, rationibus non spernendis innixi (*b*). Caeterum in praxi sponsus iniu-

atque adeo promissionem esse irritam. Et quidem generatim cum communi sententia statuendum est, ad sponsaliorum validitatem nedum consensum, sed ne scientiam quidem parentum per se necessariam esse.

(*a*) Aliquando tamen etiam *iniustus* parentum dissensus sufficientem causam praebere potest recedendi a sponsalibus, non quasi peccet tunc filius voluntati iniustae parentum non obsequens, sed quia hic dissensus multis de causis tam gravia secum ferre potest consectaria incommoda, molestiasque, quae ab obligatione implenda merito excusent.

(*b*) In hac quaestione et Theologi et Canonistae etiam magni nominis, tum veteres tum recentiores dissentiunt; et quaeque pars, ut facile intelligitur, opinionem propriam habet et dicit probabiliorem, dum etiam oppositam plures concedunt esse probabilem. Vid. Sanchez (*Lib. 1. Disp. 48. n. 2.*), et Salmant. (*De Matr. Cap. 2. n. 38.*). Confessarius igitur nec viduum cogere potest ad pristinam illam promissionem implendam, nec impedire, quominus altera pars ius suum persequatur et urgeat coram iudice, cuius sententiam admittere uterque tenebitur.

Quoad vim rationum, facile patet, exemplum contrahentis cum voto castitatis non esse ad rem; et contra urgeri potest exemplum voventis religionem aut castitatem, quem ita a praecedentium sponsalium obligatione solvunt DD., ut negent hanc reviviscere, etiamsi qui vovit, dispensationem deinde a voto obtineat, uti videre est apud S. Alph. (*Lib. 6. n. 873. in fin.*). Quae quidem resolutio prorsus consona est generali principio, quod ex

ste derelictus raro talem infidelem requiret, nec felix exitus huiusmodi matrimonii sperandus foret.

QUAER. 6° *An sponsus possit resilire si sponsa fuerit per vim violata post sponsalia?*

L. Si stipulantem 83. §. 5. ff. De Verbor. Oblig. cum aliis deducit Cuiacius (*Comment. ad h. Leg.*), nimirum quando res servituti seu obligationi prius obnoxia in alium transeat statum, qui non quidem ex accidentali impotentia excusationem habeat, sed suapte natura repugnet obligationi illi seu servituti, hanc non suspendi, sed prorsus extingui. *Negandum* (inquit Cuiacius) *extingui obligationem* (v. gr. ususfructus), *nave dissoluta ea mente ut reficeretur; cessat verius, quam extinguitur, quia eadem navis restitui potest eisdem tabulis, nec intercidisse prorsus videtur... Si tamen navis ea mente dissoluta sit, ut in alios usus convertatur, extincta videtur; et ideo licet postea iisdem tabulis compacta sit, alia navis videtur esse, nec restituitur obligatio semel extincta... In perpetuum extinguitur* (*obligatio ex promissione*) *servo manumisso, quia ea mente manumittitur, ut perpetuo sit liber.... Summa haec* (*est*), *obligationem extingui re consecrata vel publicata, vel servo manumisso, vel navi dissoluta, si modo ea mente dissoluta sit, ut in alios usus converteretur.* Porro eadem prorsus est ratio matrimonii; nam contractus est indissolubilis ex natura sua, ac per eum coniux in perpetuum se in alterius potestatem tradit. Sicut igitur servus libertatem adeptus non subiicitur obligationi, quae ipsum in servitute ligabat (eo quod v. gr. a domino promissus cuipiam fuerat), etiamsi in servitutem recidat, nec pristina v. gr. ususfructus obligatione obstringitur navis, si ea mente destructa sit, ut non reficiatur, etiamsi postea per accidens eam restitui contingat; ita et de accidentali libertate, quam coniux per alterius coniugis mortem acquirat, statuendum est.

** Duo sunt, quae VV. (*Pag. 946. not. 3.*) hic obiiciunt. Primo quidem contra priorem partem *Notae* scribunt: *Ex diversitate opinionum infert P. Ballerini nullam adesse obligationem, qua viduus ad priora sponsalia redeat. Sed ex regulis probabilismi contraria potius conclusio eruenda est. Hic enim certe contracta fuit obligatio, quae nonnisi dubie extincta est. Ergo ipsa semper urget.*

Resp. *Nego Minorem, et additam probationem.* Ratio est, quia, ut ait S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 112.*), *hic non versamur in dubio, sed in opinione probabili.* Apposite Card. De Lugo ad illud effatum, IN DUBIO MELIOR EST CONDITIO POSSIDENTIS, scribit (*De Iust. et Iur. Disp. 23. n. 110.*): *Bene advertunt Doctores, id procedere, quando est merum dubium negativum; nam si esset dubium positivum, et rationes probabiles pro utraque parte, tunc servandae essent regulae, quae communiter dantur circa conscientiam probabilem, et regulariter debitor amplecti potest iudicium probabile.* Eandem in rem S. Alphonsus (*l. c.*): *Quando probabile est, quod.... lex sit abolita, tunc cessat praesumptio pro lege, et possidet libertas.* Negatur itaque et *Consequentia*, quod videlicet in casu *obligatio adhuc urgeat;* nam urgere non potest obligatio incerta, quam scilicet probabile est non existere.

Impugnant deinde VV. argumentum, quod in *Nota* petitur tum ab exemplo votorum vel religionis vel castitatis, quibus sponsalia in perpetuum solvuntur, tum a natura matrimonii, quod est contractus indissolubilis ex natura sua, et per eum coniux in perpetuum se in alterius potestatem tradit; et regerunt: *Haec ad rem non faciunt. Nam matrimonium non est vinculum de se perpetuum, sicut votum religionis aut perpetuae castitatis; sed est essentialiter temporale iuxta illud Apostoli: Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit.*

Resp. Vis argumenti non in eo residet, quod vinculum matrimonii ita

Resp. Affirm. cum sententia communi. Ratio est, quia sponsa per talem oppressionem, licet sine sua culpa, notabiliter vilior red-

sit perpetuum, ut *per accidens,* morte scilicet alterius coniugis, cessare nequeat, sed in eo, quod, cum contractu suapte natura indissolubili coniux in alterius potestatem, quantum ex se est, perpetuam semet tradat, a qua scilicet se eximere non est in eius potestate, eo ipso in eum statum transeat, qui *non ex accidentali impotentia, sed natura sua* repugnat illi obligationi ac servituti, cui prius erat obnoxius. Tunc autem obligationem non mere suspendi, sed prorsus extingui, conficitur in *Nota* per allegationem Iuris, cui VV. nihil respondent.

Sic enim Ius habet in *Nota* allegatum: *Sacram vel religiosam rem, vel usibus publicis* IN PERPETUUM *relictam, ut forum, basilicam, aut hominem liberum, inutiliter stipulor; quamvis sacra profana fieri, et usibus publicis relicta in privatos usus reverti, et ex libero servus fieri possit.* En itaque imprimis, quo sensu res quaepiam *in perpetuum* obligata dicitur, ex natura scilicet status sui, quamvis *per accidens* in alium statum transire possit. Ex eo autem, quod *inutiliter* quis eam stipuletur, hoc deducitur ibi consectarium: *Nam et cum quis rem profanam, aut Stichum dare promisit,* LIBERATUR, *si sine facto eius res sacra esse coeperit, aut Stichus ad libertatem pervenerit.* Quaenam porro vis sit voci *liberatur,* ex his, quae sequuntur, manifestum fit: *Nec revocantur in obligationem, si rursus lege aliqua et res sacra profana esse coeperit, et Stichus ex libero servus effectus sit.* Curnam vero *in obligationem non revocantur,* nisi quia obligatio, per pristinam promissionem contracta, non quidem mere fuerat suspensa, sed penitus extincta? Curnam vero fuerat extincta, nisi quia res in eum statum transierat, cui non ex accidentali impotentia, sed ex natura sua repugnat pristina servitus, seu obligatio? Et rursus cur ex natura sua status hic repugnat servituti seu obligationi eiusmodi, nisi quia, ut ibi praemittitur, rem in eo statu consistentem *inutiliter stipulor?* Merito proinde Cuiacius (*l. c. in Not.*) huc revocat illam regulam: *Ea, quae initio constiterunt, postea extingui, si in eum casum recidant, a quo incipere non potuerunt.*

Et quidem hypothesim accidentalis impotentiae, propter quam obligatio maneat suspensa, non vero extinguatur, atque adeo, redeunte potentia, reviviscat et urgeat, apertissime Ius idem hinc excludit, ceu absurdum id reiiciens, perinde nempe ac *una atque eadem causa et liberandi et obligandi esset, quod aut dari non possit, aut dari possit.*

Et ex his quidem apte ratio redditur, cur votum aut castitatis aut Religionis, post sponsalia emissum, ita eorundem sponsalium obligationem extinguat, ut licet deinde obligatio voti per dispensationem cesset, sponsalium tamen illorum obligatio non reviviscat. Et ratio est, quia per votum eiusmodi vovens in eum statum se transfert, qui obligationi ac servituti sponsalium suapte natura repugnat. Et rursus ratio redditur, cur matrimonium, contractum post votum castitatis emissum, eiusdem voti obligationem suspendat, non vero penitus extinguat. Ratio est, quia status matrimonii non ita repugnat servandae castitatis obligationi, ut hanc omnino perimat, licet quadantenus impediat.

Ex dictis hucusque etiam colligitur, quid respondendum sit ad sequentia S. Alphonsi verba (*Lib. 6. n. 875. in fin.*), quae VV. obiiciunt: *Attendenda* (inquit S. Doctor) *tantummodo est conditio vinculi subsequentis: si illud est perpetuum, utique extinguitur prima obligatio; si vero est temporale, illa suspenditur, donec impleri possit, vinculo cessante: prout si quis venderet equum uni, et deinde venderet et traderet illum alteri, casu quo rediret equus in dominium ipsius, certe teneretur eum tradere primo emptori, ut colligitur ex L. 15. C. De rei Vindic.* Illud hic unice addemus, ex citata Lege Codicis utique colligi, equum manere illius, qui per tradi-

ditur; unde notabiliter rerum conditio mutatur (*a*). — *S. Ligor. n. 861.*, etc. — Idem dicendum est, etiam si fuerit vi deflorata ante sponsalia, et postea tantum vitium illud detectum fuerit. — *Ita communiter.* — *Vide casus, n. 859.*

CAPUT II.

DE BANNORUM PROCLAMATIONE

Bannum est vox germanica, quae idem significat ac proclamatio publica. Banna igitur sunt publicae denuntiationes, quibus fideles admonentur de matrimonio inter certas aliquas personas contrahendo.

Agendum 1° de necessitate bannorum; 2° de eorum circumstantiis; 3° de eorum dispensatione; 4° de impedimentorum revelatione.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE BANNORUM

734. **Principia.** — I. Ex praecepto Ecclesiae gravis est obligatio banna proclamandi. Constat 1° de praecepto ex *Conc. Later. IV.*

tionem equum iam possidet; nequaquam vero colligi, equum tradendum esse primo emptori, si in dominium venditoris recidat; de hoc enim in eo textu ne verbum quidem reperire est. En verba citatae Legis (*Cod. Lib. 3. Tit. 32. L. 15.*): *Quotiens duobus in solidum* praedium iure distrahitur: « manifesti iuris est, eum cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorem. Si igitur antecedente tempore te possessionem emisse, ac pretium exsolvisse apud Praesidem Provinciae probaveris: obtentu non datorum instrumentorum expelli te a possessione non patietur. Erit sane in arbitrio tuo, pretium, quod dedisti, cum usuris recipere: ita tamen, ut perceptorum fructuum ac sumptuum ratio habeatur: cum, et si ex causa donationis utrique dominium rei vindicetis; eum, cui priori possessio soli tradita est, haberi potiorem conveniat ».

(*a*) A fortiori id dicendum est de sponsae fornicatione, sive haec praecesserit sponsalia, sive subsequuta sit; quo in casu dupliciter sponsa peccat, ccedente scilicet iniustitia, qua rem alteri promissam ita corrumpit, ut inique sponsum cogat vel ad omittendum promissum sibi matrimonium, vel ad rem notabiliter corruptam recipiendam. Secus autem ex communi sententia de sponsi fornicatione statuendum est. Licet enim haec, si sponsalia subsequatur, iustam resiliendi causam praebeat sponsae, non sic tamen, si praecesserit. Ratio, quia per hoc sponsus in communi aestimatione non fit notabiliter vilior, nec gravi aliqua nota afficitur sponsa propterea quod huic nubat. Excipe cum DD. (*Vid. S. Alph. Lib. 6. n. 861.*) 1° si fornicatio frequens fuerit, adeo ut sponsa merito dubitet de sponsi pronitate ad alias feminas, deque inconstantia eius futura in servanda thalami fide; 2° si prolem sponsus ex praecedenti fornicatione susceperit; hoc enim etiam sponsae et probro et dolori esse merito solet; 3° quidam excipiunt etiam, si sponsa, quae virgo sit valde honesta, nunquam consensura fuisset, si sponsum fornicarium esse novisset. Quo in casu Confessarius renuentem ad nuptias obligare non posse videtur Vid. Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 1. n. 176.*).

et ex *Conc. Trid. sess. 24. c. 1.* — Constat 2° de obligatione gravi, quia disciplina generalis a duobus Conciliis generalibus praescripta gravibusque motivis innixa, gravem parit obligationem (*a*).

II. Proclamatio bannorum non requiritur ex necessitate Sacramenti. Ratio est, quia nec *Concilium Tridentinum*, nec *Concilium Lateranense*, quod prius idem praeceperat, ullam apponit clausulam irritantem. Nulla vero alia lex citari potest, ex qua constet, proclamationem requiri ad validitatem matrimonii.

735. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An omnes contracturi proclamationis legi subiiciantur?*

Resp. Affirm., quia lex est omnino generalis. — Ex usu tamen excipiuntur Principes, quia eorum genus satis notum est, et ordinarie satis publica sunt connubia. Excipe etiam casum necessitatis, v. gr. si quis morti proximus concubinam ducere vellet ad prolem legitimandam, et periculum esset in mora. — Vide *Ferraris Bibl.*, ad verbum *Denuntiationes matrimonii.*

Quaer. 2° *An peccet graviter Parochus omittens denuntiationem, si sciat nullum adesse impedimentum?*

Resp. Affirm. Ratio est, 1° quia difficile Parochus omnino certus esse potest, nullum adesse matrimonii impedimentum; 2° quia etiamsi nullum appareat impedimentum ante bannorum proclamationem, fieri potest, ut iis proclamatis aliquod superveniat. — *S. Ligor. n. 990.* (*b*).

Quaer. 3° *An peccet graviter Parochus, si unam tantum proclamationem sine dispensatione omittat?*

Resp. Controvertitur. Affirmant alii, quia proclamatio una e tribus velut pars gravis totius praecepti habenda est. Negant vero alii, quorum sententiam probabilem vocat *S. Lig. n. 991.* Probabilius est autem, omissionem duarum denuntiationum esse peccatum mortale. — *S. Lig. ibid.* — *V. Casus, n. 873.*

(*a*) Praecepti gravitas arguitur etiam ex poenarum gravitate. Synodus enim Tridentina (*Sess. 24. Cap. 5. De Reform. Matr.*) decernit, si postea detegatur impedimentum, coniuges, qualibet obtinendi dispensationem spe ablata, separandos esse; unde concludes, non posse illos, qui ex privilegio dispensationes dare possunt, v. gr. *ex S. Poenitentiariae pagella*, cum istis dispensare. Insuper (*C. Cum inhibitio 3. §. 1. De Clandest. Desp.*) si qua proles suscepta sit, illegitima habetur, etiamsi coniuges ita impedimentum ignoraverint, ut in bona fide censeri potuerint (*Vid. Scamalzgr. Lib. 4. Tit. 3. n. 73–74.*

(*b*) Adhibe principium, quod lex obligat, etiamsi in particulari casu ratio eiusdem cesset, praesertim cum gravissimum instet periculum, quando res ista iudicio parochorum relinquatur, ut patet ex dictis in not. praec. Quando igitur res urgeat, et post diligentem inquisitionem constet, nullum adesse impedimentum, peti dispensatio debet non vero denuntiatio pro parochi arbitrio omitti.

ARTICULUS II.

DE CIRCUMSTANTIIS BANNORUM

Triplex circumstantia hic spectanda est, scilicet 1° temporis; 2° loci; 3° personarum.

I. *Circumstantia temporis.*

736. — Proclamationes fieri debent *diebus festivis de praecepto continuis inter Missarum solemnia.* — *Conc. Trid. sess. 24. c. 1., de Reform.*

Dicitur 1° *diebus festivis*, id est diebus festis *de praecepto* (*a*), saltem in loco proclamationum; 2° *continuis,* id est, nullo die festo omisso a prima proclamatione ad ultimam (*b*). An vero possint fieri proclamationes diebus festis immediate sibi succedentibus, si occurrant, *controvertitur;* duplex est sententia probabilis (*c*). 3° Inter *Missarum solemnia,* id est in Missa *parochiali* vel conventuali, ex Decr. *S. Congr. C.* — *S. Lig. n. 991.* (*d*). Non possunt fieri proclamationes in Missis privatis, neque in Vesperis. — *Rit. Rom.*

Si tamen Parochus oblitus fuerit proclamationem ultimam facere in Missa, et nuptiae urgeant, eam supplere posset in Vesperis. Id permittitur ex Decisione *S. Congr. C.* 25. Oct. 1586. — *Ferraris.*

Si factis proclamationibus, matrimonium intra duos menses non celebretur, probabilius repetendae sunt proclamationes, nisi aliter Episcopo videatur (*e*).

(*a*) Posse fieri denunciationem etiam in feriali die, si quapiam ex causa magnus fiat populi concursus ad Ecclesiam, quia sic quoque satis finis Concilii obtinetur, plures docent cum Schmalzgr. (*Lib. 4. Tit. 1. n. 24.*), et S. Alphonso (*Lib. 6. n. 992.*).

(*b*) Probabile putat S. Alphonsus (*n. 992.*) ac plures alii tenent (*apud Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 1. n. 23.*), non graviter peccari, si dies festi, uno alterove interiecto, non sint continui, praesertim si agatur de festis praeter Dominicam. Ratio, quia leve periculum est, ne populus obliviscatur, et levis materia transgressionis censetur.

(*c*) Ut probabilis sit affirmativa, opus esse videtur, ut revera absit omnis suspicio impedimenti; quia tam brevi intervallo non facile aut fama diffundi satis, aut dubia dilui possunt.

(*d*) Doctores addunt *probabiliter,* ut ait S. Alphonsus (*n. 991.*), proclamationes fieri posse in concione vel occasione processionis, cum congregatus est populus.

(*e*) *Ex Concilio Ravennatensi fuit approbatum, et decretum in Congregatione, quod si qui peractis denunciationibus intra quatuor menses non contraxerint, non possint contrahere, nisi iterum peractis denunciationibus.* Gallemart (*not. 3. ad Cap. 1. De Ref. Matrimon. Sess. 24. Conc. Trid.*). — Eandem Declarationem refert Rebellus (*ad calcem Lib. 4. P. 2. Sect. 8.*

II. *Circumstantia loci.*

737. — Ex *Conc. Trid.* proclamationes bannorum fieri debent *in Ecclesia,* id est in Ecclesia parochiali contrahentium; non vero in Sacellis sive publicis sive privatis (*a*), nisi locum parochiae teneant, et Missa parochialis ibi celebretur. Per parochiam autem non est intelligenda parochia, in qua quis natus est seu parochia *originis,* sed parochia *domicilii* actualis, si *proclamandus* a notabili tempore ibi commoretur.

Hinc 1° Si sponsi in diversa parochia habitent, in utraque facienda est proclamatio. 2° Si unus aut uterque domicilium circiter aequale in duobus locis habeat, in utroque etiam banna proclamanda sunt. Si autem unum e duobus domiciliis sit praecipuum, aut proprie dictum, non ideo duplex proclamatio exigenda est. Si quis tamen, praeter domicilium, alibi quasi-domicilium habeat, etiam in quasi-domicilio proclamationes fieri debent. 3° Si contrahentes recens domicilium fixerint in actuali parochia, banna publicari debent etiam in parochia, ubi antea habitaverunt: sufficiens autem tempus sunt sex menses, ait *S. Lig. n. 991.* (*b*).

n. 8.), et Busembaum (*Lib. 6. Tr. 6. Cap. 3. Dub. 1. Res. 1.*). Quod autem dicit A. de elapso bimensi, cum Rituali Romano consonat.

Licet autem violari non videatur forma praecepti Tridentini, si statim post ultimam proclamationem contrahatur eadem die matrimonium; tamen si deferendis forte impedimentis desit tempus, legi illudi videtur. Hinc Croix (*Lib. 6. Part. 3. n. 480.*) memorat, Concil. Coloniense velle saltem unius diei intervallum, ut scilicet si quod subsit impedimentum, possit ante matrimonium deferri.

(*a*) Denunciationes in sacellis non obtinerent, ut patet, finem Concilii. Caeterum si denunciationes Parochus faciat in alia eiusdem paroeciae ecclesia, in qua forte solemnia celebrentur, satis Concilii legi factum videtur. Immo plures DD. apud S. Alphonsum (*Lib. 6. n. 991.*) *aiunt, posse fieri extra ecclesiam in loco magni concursus, quia sic iam obtinetur finis Concilii.*

(*b*) S. Alphonsus nequaquam loco citato sex mensium spatium determinat; sed ita scribit: *Dubium fit, ubinam faciendae denunciationes, si alter sponsorum de brevi moratur in aliquo loco. Pontius putat sufficere, si fiant in loco, ubi ille actu degit. Sed longe probabilius Sanchez, etc. ex declaration. S. Congr. dicunt, omnino fieri debere in parochia, unde discessit; quia denunciationes ideo fiunt, ut impedimenta manifestentur, ac propterea oportet eas fieri, ubi sponsi diutius sunt commorati.*

Caeterum P. Gury sex mensium spatium forte indicat ceu sufficientem causam, cur denunciationes fieri etiam in actuali parochia debeant. Nam alioquin, ut habet Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 3. n. 14.*), *necesse non est eas fieri in loco, ubi contrahitur, si v. gr. factis denunciationibus in civitate, de licentia ex iusta causa velint celebrare ruri, vel migrent in alium locum. Generatim enim satisfit Decreto Tridentino, si matrimonia denuntientur, ubi contracturi matrimonium tempore denuntiationum sunt parochiani.*

Quod vero Gury post S. Alphonsum addit, *banna publicanda esse etiam in parochia* ubi antea habitaverunt, intelligendum est, nisi hinc a

III. *Circumstantia personarum, scilicet minorum, militum, vagorum et famulorum.*

738. — 1° *Minores.* Banna minorum proclamari non debent, nisi de expresso consensu parentum, vel tutorum (*a*). Facienda est proclamatio, tum in domicilio *facti*, tum in domicilio *iuris*, hoc est, tum in loco ubi *minores* hic et nunc habitant, tum in loco ubi parentes vel eorum tutores degunt. *Minores* autem habentur masculi usque ad aetatem 25. annorum, et feminae usque ad annum 21. Masculus tamen ascendentibus orbatus, fit maior statim ac annum vicesimum primum complevit.

2° *Milites.* Banna militum sunt proclamanda 1° in loco ubi sunt in praesidiis; 2° insuper in domicilio parentum, si sint *minores* (*b*): si autem sint *maiores*, in loco ubi residebant ante militiam susceptam; quia aliud non acquisierunt domicilium iuris. — *Ita communiter.*

3° *Vagi* et *alienigenae.* Horum banna iuxta communem sententiam publicanda sunt in domicilio *facti et in loco originis*, si alibi verum domicilium non obtinuerint, vel saltem in loco in quo diutius commorati sunt. Insuper testimonium authenticum de eorum *statu libero* habendum est, nec matrimonio iungendi sunt sine licentia Ordinarii, ut habet *Trid. Sess. 24. Cap. 7. de Reform. matr.*

ARTICULUS III.

DE DISPENSATIONE BANNORUM

739. **Principia.** — I. Ex iusta causa potest dispensari a lege bannorum. — *Trident. Sess. 24. Cap. 1. de Reform. matr.* — Facilius autem ab una vel altera proclamatione, quam ab omnibus, dispensatur.

II. Dispensatio bannorum pertinet ad Ordinarium, seu ad Episcopum. Eruitur pariter ex *Concilio Tridentino* (loc. cit.), ubi dicitur, relinqui facultatem dispensandi prudentiae et iudicio Ordinarii.

III. Causae autem legitimae (*c*) dispensationis sunt 1° ne matri-

multo iam tempore, decennio v. gr., octennio, aut etiam quinquennio discesserint, uti satis ex S. Congr. Declarationibus colligitur (*Vid. Thesaur. Resol. S. Congr. Conc. Tom. 6. Pag. 272. 274.*); in hoc enim casu satis fuerit testimonium de statu libero quaesivisse.

(*a*) Nulla lex ecclesiastica quoad *minores* exigit hunc parentum seu tutorum consensum; sed A. haec monet iuxta praescriptiones legum civilium in Gallia.

(*b*) Vid. praec. not.

(*c*) Bene S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 1006.*) distinguit causas, ob quas dari dispensatio non solum potest, sed etiam debet, et causas, ob quas dispensari potest, licet dispensare Superior non teneatur. Ad primum causarum

monium malitiose impediatur; 2° damnum grave, infamia aut scandalum imminens ex matrimonii dilatione; 3° metus, ne vir puellam stupratam derelinquat; 4° si matrimonio iam civiliter contracto sponsus in tres proclamationes consentire nolit, et alia similia. — *S. Lig. n. 1005.*

740. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An cum sponsi sint ex diversis dioecesibus, dispensatio ab utroque Episcopo obtinenda sit?*

Resp. Affirm., ut videtur. Ratio est, quia nulla est connexio inter dispensationem unius et dispensationem alterius. Aliunde solus Ordinarius loci cognoscere potest de causa dispensationis: possunt enim esse rationes dispensandi pro una parte, quin adsint pro altera; et si ex una parte non detegantur impedimenta, non sequitur non posse detegi ex altera.

QUAER. 2° *An requiratur dispensatio bannorum ad coniungendos concubinarios iam civiliter unitos, si unus eorum sit in articulo mortis?*

Resp. Neg., si sit causa gravis illos coniungendi, v. gr. ratione prolis legitimandae aut ad maiorem conscientiae securitatem; quia casus ille omnino a lege excipiendus videtur. — *Schmalzgrueber, Lib. 4. tit. 3. n. 74.*

QUAER. 3° *An Vicarius generalis possit dispensare a proclamationibus bannorum?*

Resp. Affirm. probabilius, modo Episcopus sibi hoc non reservaverit, aut contradicat. Ratio est, quia Synodus hanc facultatem concedit *Ordinario;* nomine autem *Ordinarii*, si materia officio illius convenit, et ipse non est expresse exclusus, venit etiam Vicarius generalis, quippe qui unum tribunal cum Episcopo constituit (*a*). — *S. Lig. n. 1007.*

genus revocantur capita ab A. enumerata; quibus adde, si quando matrimonio iam celebrato detegitur impedimentum, atque adeo per renovationem consensus convalidari ipsum debet. Addunt nonnulli, si per denunciationes sponsi exponantur pudori et ludibrio hominum; quod plerumque contingit, quando vel sint valde senes, vel senex cum iuvencula aut nobilis cum plebeia, etc. copulandus sit; quaedam enim irreverentia fit sacramento, quando contrahentes irridentur. Vid. Sanch. (*Lib. 3. Disp. 9.*) et Schmalzgr. (*Lib. 4. Tit. 3. a n. 33.*). Ex mera autem gratia dispensari potest, quando agitur de matrimoniis principum seu magnatum, et generatim quando, cum nulla suspicio est impedimenti, absunt incommoda omnia, ad quae vitanda denunciationes fiunt. Vid. Schmalzgr. (*l. c. n. 35.*), qui monet (*ibid. n. 40.*) ad dispensandum sufficere notitiam extraiudicialem, omisso ordine iuris; ratio, quia Synodus rem totam relinquit iudicio et conscientiae Ordinarii.

(*a*) Quae promi solet S. Congr. contraria Declaratio, a plerisque habetur ut suspecta, quippe quae, licet quaesita, inveniri nunquam potuit; et dato, quod existeret, Vicarius adhuc id posset vi consuetudinis, quam Synodus Trid. non revocavit; neque enim declarationes Congr. consuetudinem tollunt.

Tria insuper hic fac advertas:

1° Tum Episcopum, tum generalem Vicarium posse facultatem in de-

ARTICULUS IV.

DE REVELATIONE IMPEDIMENTORUM

741. **Principia.** — I. Datur *per se* gravis obligatio impedimenta matrimonii, quantumvis occulta, revelandi. Ratio eruitur ex motivo Religionis et charitatis, necnon ex ipso bannorum praecepto.

II. Obligatio generatim spectat ad omnes fideles cuiuscumque sexus, aetatis, parochiae aut dioecesis, etc., et ad consanguineos quoque et amicos. Ratio est, quia lex illa fertur nomine Ecclesiae, cui subiacent omnes christiani, et nititur naturali praecepto Religionis et charitatis, quod ad omnes spectat. Imo licet, celebrato matrimonio, lex positiva denunciandi cesset; potest tamen lex charitatis pro circumstantiis dictam revelationem exigere. — *Scavini*.

III. Obligatio illa adimplenda est quamprimum moraliter; quia si sponsi forte obtineant dispensationem ab una aut altera proclamatione, et citius contrahant, tempus ad revelationem peragendam non supererit, etc.

742. **Quaesita.** — QUAER. 1° ***An revelari debeant impedimenta sub secreto etiam commisso cognita?***

nunciationibus dispensandi aliis subdelegare. Vid. S. Alphons. (*De Privil. n. 58.*), Sanchez (*Lib. 3. Disp. 7. n. 21.*), et Schmalzgr. (*Lib. 4. Tit. 3. n. 30–32.*).

2° Si quando urgente quapiam necessitate celebratio matrimonii praemittatur denuntiationibus *postea faciendis;* matrimonium, ut monet Synodus Trid. (*Sess. 24. Cap. 1. De Reform. matr.*), consummari ante factas denunciationes non debet. Quod praeceptum, licet grave habeatur a Sanchezio (*Lib. 3. Disp. 11. n. 3.*), tamen iuxta alios cum Diana (*Tom. 2. Tr. 6. Res. 63. n. 3.*) leviter obligat, si nulla sit impedimenti suspicio; quo in casu ipsa S. Synodus (*l. c.*) addit, denuntiationes ab Ordinario posse remitti.

3° Quod plures in utramque partem disputant (*Vid. S. Alphons. Lib. 6. n. 1007. dub. 2.*), possitne etiam parochus a denuntiationibus dispensare (idque, si verba proprio sensu accipiantur, negandum est, quia parochus iurisdictionem in foro externo non habet), facile componitur, si quaestio magis proprie fiat, an parochus absque dispensatione ab Ordinario obtenta possit aliquando matrimonio, omissis denunciationibus, assistere. Negandum enim est, tum quando differri matrimonium potest, dum Episcopus aut eius Vicarius adeatur, tum quando dispensatio non est debita et ex mera gratia conceditur; quibus in casibus neque licet epicheia uti, quae locum tantummodo in necessitate habet (*Sanch. Lib. 3. Disp. 10. n. 30. — Reiffenst. Lib. 4. Tit. 3. n. 40. — Schmalzgr. ibid. n. 45.*). Affirmandum vero est, quando periculum est in mora, et Ordinarius adiri non potest (*S. Alph. l. c. — Sanch. l. c. n. 27. — Schmalzgr. l. c. n. 42.*); vel etiam quando periculo illo urgente, dispensationem, quam dare teneatur, Ordinarius iniuste neget, nec ipsius Ordinarii Superior adiri possit (*S. Alph. l. c. — Sanch. l. c. n. 29.*); quamquam recte monet Reiffenstuel (*Lib. 4. Tit. 3. n. 46.*), id fere non esse suadendum; quia non parochus, sed Ordinarius est iudex in foro externo, et Ordinarii, non autem parochi, iudicio committitur, an causa allegata sit eiusmodi, cui dispensatio *debeatur*. Hinc, ut advertit Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 3. n. 44.*), parochus posset puniri, licet in foro interno forte non peccaverit.

Resp. Affirm., etiamsi iuramentum de iis non revelandis additum fuerit. Ratio est, quia secretum naturale, etiam commissum et iuratum, non obligat, quando damnum grave communitati vel tertiae personae imminet. — *S. Lig. n. 994.*

Excipe *probabilius* secretum *consilii,* seu secretum petendi consilii causa commissum homini officium publicum exercenti, v. gr. medico, advocato, Parocho, etc., modo id fiat ratione eorum professionis. Ita enim bonum commune postulare videtur. — *Collet, c. 3. — Bouvier, c. 3. art. 4. — Carrière, n. 409., et alii* contra *alios.* Sed illi, qui sub huiusmodi secreto impedimentum norunt, saltem monere debent sponsos, ut a matrimonio desistant.

Quaer. 2° *An tenearis impedimentum revelare cum gravi tuo incommodo vel detrimento?*

Resp. Neg. generatim loquendo, quia lex Ecclesiae et charitas non obligant cum tanto incommodo (*a*). — *Ita communiter. — S. Lig. n. 995.*

743 — Quaer. 3° *An tenearis impedimentum revelare, si tu solus illud noveris, nec probare possis?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia in praesenti materia sufficere potest unius testimonium. — *Ita communissima et verior sententia,* ait *S. Lig. n. 995.*

Quaer. 4° *An ipsi contrahentes impedimentum revelare teneantur?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia hic non agitur de poena infligenda, sed de peccato vitando: quare vel a matrimonio abstineant, vel impedimenta aperiant, necesse est. — *V. Casus, n. 848.*

CAPUT III.

DE NATURA ET PROPRIETATIBUS MATRIMONII

ARTICULUS I.

DE NATURA MATRIMONII

744. — Definitio. Matrimonium bifariam spectari potest, scilicet ut contractus, et ut Sacramentum.

1° Matrimonium ut contractus est Conventio, qua vir et mulier sibi invicem legitime tradunt dominium in corpora in ordine ad

(*a*) Communiter DD. excusant etiam in aliis hisce casibus, nempe 1° quando quis de impedimento tantum audiverit, sed a quo, nesciat; — 2° Si prudenter credat, se nihil profecturum revelando, seu etiam multo magis, si revelationem bona fide contrahentibus obfuturam censeat; — 3° Si probabiliter existimet, revelationem grave apud alios scandalum parituram; — 4° Si noverit, contrahentes dispensationem occultam pro foro conscientiae impetrasse. Excipit S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 994.*), si fama impedimenti sit publica; verum in re notoria vix opus esse potest denunciatione, nisi forte quis putet, impedimenti probationes sibi tantum notas esse.

actus ex se aptos ad generationem prolis, et se obligant ad individuam vitae societatem.

2° Matrimonium ut Sacramentum definitur *Sacramentum novae legis gratiam conferens ad legitimam viri et mulieris coniunctionem sanctificandam, et ad prolem pie suscipiendam, sancteque educandam.*

745. — Divisio. Matrimonium spectari potest tum quoad coniunctionem viri et mulieris, tum quoad vinculum quod ex ea oritur; hinc dicitur

1° *In fieri* vel *in facto esse.* — Matrimonium *in fieri* dicitur ipse actualis contractus, qui mutuo consensu viri et mulieris perficitur. Vocatur autem *in facto esse* connubium perseverans in vinculo, quod ex matrimoniali contractu provenit.

2° *Legitimum, ratum* et *consummatum.* — Matrimonium *legitimum* dicitur, quod contrahitur iuxta normam legis naturalis et civilis, non tamen Ecclesiae ratificationem aut rationem sacramenti habet, quale olim in lege naturae ac mosaica, et etiam nunc inter iudaeos ac gentiles initur. — Matrimonium *ratum* est, quod contrahitur inter christianos nullo impedimento irretitos, inter quos tamen post contractum nondum intercessit commercium coniugale. Dicitur *ratum,* quia non solum natura et ius civile, sed etiam Ecclesia illud approbat et ratum habet. — Matrimonium *consummatum* dicitur, quod copula coniugum completum est; quod intelligi non modo de *rato,* sed etiam de mere *legitimo* debet (*a*).

(*a*) Haec distinctio matrimonii in *legitimum, ratum* et *consummatum,* sedulo retinenda est, utpote summi momenti, prout infra patebit.

Interim adverte duo requiri, ut matrimonium dici *consummatum* queat: 1° ut coniunctio carnalis perfecta sit et sufficiens ad generationem, adeo ut (prout habetur in *C. Verum 2. De Conv. Coniug.*) coniuges *effecti simul fuerint una caro.* Non ea ergo sufficeret, ex qua, utut dempta mulieri foret corporalis virginitatis integritas, deficiente tamen apta virilis seminis effusione, generatio sequi non posset; 2° ut eiusmodi coniunctioni praecesserit legitimus consensus vel matrimonium *ratum.* Copula ergo ante contractum matrimonialem habita non efficit, ut contractum dein matrimonium consummatum censeatur, atque adeo neque indissolubilitatem neque alios consummati matrimonii effectus operabitur. Unde concludes, eum, qui voto religionis obstrictus, mulierem vitiaverit, posse eam ducere, et dein (nisi alia causa obstet) religionem votam ingredi, si postquam duxit, eam rursus non cognovit. — *Vid. Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 1. n. 227-228.*

Haud modici momenti in usum Thh. est et alia matrimonii distinctio in *verum, praesumptum* et *putatitium.*

Verum dicitur, quod reapse et valide contractum est, atque ut tale est probatum quopiam ex iis argumentis, quibus et caetera negotia probari solent, cuiusmodi est Parochi vel aliorum testimonium, liber matrimoniorum, confessio coniugum, diuturna honestae feminae cohabitatio, etc.; de his vid. Schmalzgr. (*Lib. 4. Tit. 1. n. 233.*), quocum adverte, leviores probationes sufficere, cum agitur de matrimonio sustinendo, quam cum res est de eo dissolvendo.

Praesumptum dicitur, quod *a iure* praesumitur; quae quidem *iuris* praesumptio maxime in triplici casu locum habet. Ac 1° quando in locis, ubi decretum Trid. de forma matrimonii non viget, post sponsalia abso-

746. Principia. — I. Matrimonium christianorum ritu legitimo celebratum, est verum et proprie dictum novae legis Sacramentum. Probatur 1° ex *Epistola S. Pauli ad Ephesios, c. 5. v. 32.*, ubi dicit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* — 2° Ex *Trid. sess. 24. Can. 1.: Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.* — Ex S. Augustino (*lib. de bono coniugali, c. 18.*): *In Christianorum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fecunditas uteri.*

lute inita inter duas personas habiles, secuta est inter eas carnalis copula; tunc enim consensus de futuro praesumitur transiisse in consensum de praesenti, et copula praesumitur admissa affectu coniugali. De gravissima hac quaestione vid. Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 1. a n. 115.*), Pirhing (*eod. tit. n. 27.*), et praesertim Barbosa (*In Cap. Is qui, eod. tit. n. 3. et seqq.*). 2° Quando post sponsalia inita *sub conditione*, ante eiusdem eventum intercessit carnale inter sponsos commercium; Ecclesia enim (loquimur, praecisione facta a praedicto Trid. Decreto de forma, etc.) tum praesumit, sponsos a conditione recessisse, adeoque voluisse pure et absolute matrimonium contrahere. Patet *ex C. Per tuas 6. De Cond. apposit.* 3° Quando post sponsalia *de praesenti* ab impuberibus (in quibus malitia aetatem non suppleat) invalide contracta, inter eosdem, ubi adepti pubertatem fuerint, signa interveniunt ratificati consensus, cuiusmodi sunt non tantum carnalis copula, sed etiam oscula, amplexus, cohabitatio, etc. Patet ex *Cap. unic. §. Idem quoque, De Desp. Impub. in VI.* Qui tamen casus et ipse locum habere potest solum ubi praedictum Tridentinum Decretum non viget.— *Vid. Schmalzgrueber, Lib. 4. Tit. 1. n. 234.*

Putatitium denique matrimonium dicitur, quod legitime contractum existimatur, cum tamen a parte rei ob latens aliquod impedimentum sit nullum. De quo ideo inquirunt DD., ut constet, quandonam vim legitimandi prolem inde susceptam, aliosque iuris effectus habeat. Duo porro ad id sunt necessaria: 1° ut contractum sit bona fide saltem ab alterutro coniugum, qui nescius impedimenti fuerit. Ita *in cap. Ex tenore 14. Tit. Qui filii legit.* Quam quidem bonam fidem nec error iuris, nec dubitatio de valore matrimonii excludit, ut probat Covarruvias (*De Spons. Part. 2. Cap. 8. §. 1. n. 9.*); in dubio autem bona haec fides praesumitur. 2° Ut matrimonium contractum publice fuerit et in facie Ecclesiae, idest coram parocho et testibus, et praemissis, vel saltem dispensatis, denunciationibus. — *Vid. Cap. fin. De Clandest. Desp. §. 1.*

Memoranda est et alia matrimonii distinctio in *canonicum, politicum seu civile,* et *conscientiae.*

Canonicum dicunt, in quo omnia concurrunt, quaecumque a sacris Canonibus ad matrimonium praescripta sunt.

Politicum seu *civile* illud dicunt, in quo concurrunt ea quoque, quae iure civili exiguntur, quaedam scilicet solemnitates, pacta dotalia, etc.; sine quibus matrimonium *canonice* quidem validum est, illegitimum tamen civiliter reputatur, atque adeo civilibus caret effectibus.

Matrimonium *conscientiae* demum, seu *morganaticum* dicitur legitima coniunctio viri cum femina inferioris conditionis eo pacto inita, ut uxor et liberi inde nati dono nuptiali vel alia certa portione, tempore sponsalium destinata, contenti sint, et a caeteris bonis avitis ac paternis, una cum titulis, dignitatibus et insignibus abstineant; de quo adeundi Iurisconsulti. — *Vid. Schmalzgrueb. Lib. 4. Tit. 1. a n. 236.*

II. Requiritur ad matrimonii validitatem verus consensus ex parte utriusque contrahentis; quia matrimonium, ut contractus, est conventio inter virum et mulierem: consensus autem conventionis essentiam constituit.

747. — III. Consensus vero debet esse

1° *Mutuus;* consistit enim in contractu, qui est essentialiter consensus duorum, seu consensus mutuus. Unde si ex una parte deficiat, nullum erit matrimonium.

2° *De praesenti;* quia per promissionem *de futuro* fiunt tantum sponsalia, non vero matrimonium. Deducitur etiam ex *C. Si inter 31. de Spons. et Matrim.*

3° *Deliberatus et voluntarius;* quia est contractus de re gravi, gravem propterea obligationem inducens; nemo autem censetur obligationem gravem sibi imponere, nisi libere ac plene consentiat. Constat ex Iure canonico, quod invalidat matrimonia ex metu gravi contracta, ut infra de impedimentis dicetur.

4° *Manifestatus signis externis;* quia omnis conventio inter homines aliquo signo externo cognosci debet: conventio enim mutuam acceptationem inter contrahentes necessario supponit.

748. **Quaesita.**—Quaer. 1° *An consensus verbis exprimi debeat?*

Resp. 1° *Neg.* quoad *validitatem,* quia de iure naturali in contractu sufficit, ut consensus certo aliquo signo exprimatur. — *S. Lig. n. 887.*

Resp. 2° *Affirm.* quoad *liceitatem,* quia alias ageretur contra rubricam et Ecclesiae consuetudinem. Attamen non videtur excedere veniale, si verba non adhibeantur; imo ab omni culpa verecundia aut alia rationabilis causa excusaret (*a*). — *S. Lig. n. 888.*

749. — Quaer. 2° *An sufficiat consensus per procuratorem?*

Resp. 1° Quoad *validitatem, affirm.,* modo adsint conditiones requisitae, quia matrimonium habet totam rationem contractus naturalis. Contractus autem quilibet per procuratorem fieri potest.

Conditiones vero ad matrimonium illo modo contrahendum sunt 1° ut procurator mandatum exequatur per seipsum; 2° ut mandans mandatum non revocaverit; 3° ut procurator cum comparte coram Parocho et duobus testibus compareat (*b*).

Resp. 2° Quoad *liceitatem neg.,* nisi causa valde gravis urgeat. Ratio est, quia iste modus contrahendi est contrarius praxi ordinariae Ecclesiae et vix inter alios, quam inter Principes et Magnates sic matrimonia fiunt. Hinc Parochus non debet propria auctoritate matrimoniis huiusmodi benedicere, ut ex praxi Ecclesiae et *Ritualibus* constat. — *S. Lig. n. 888.*

(*a*) Profecto si de mutis aut surdis agatur, manifestum est, aliis praeter verba signis utendum esse.

(*b*) Conf. quae superius (*not. ad n. 722.*) diximus de sponsalibus per procuratorem contrahendis.

750. — QUAER. 3° *An sit validum matrimonium* SUB CONDITIONE *initum?*

Resp. 1° Certum est, esse validum, si conditio est *de praeterito* vel *de praesenti,* et verificatur. Ratio est, quia consensus ille *conditionatus* statim transit in absolutum, et proinde nihil deest valori Sacramenti (*a*). — *Vide S. Lig. n. 890.*

Resp. 2° Si adiiciatur conditio *honesta et possibilis* de futuro, *dico* 1°: Non perficitur matrimonium, donec conditio impleatur; quia contractus transferre debet ius mutuum in corpora *de praesenti,* ut supra dictum est. *Dico* 2°: Impleta autem conditione, valet matrimonium; siquidem contractus conditionatus, adimpleta conditione, transit in absolutum, et eo ipso valet ratione Sacramenti, quia inter christianos contractus matrimonii a Sacramento disiungi nequit (*b*).

751. — QUAER. 4° *An sit licitum contrahere cum consensu conditionato?*

Resp. Neg. Talis modus contrahendi est illicitus, praesertim si conditio sit *de futuro,* nisi forte, ut habet *S. Lig. n. 892.,* adsit urgentissima causa. Ratio est, quia multa ac gravia incommoda ex tali modo contrahendi subsequi facile possunt, nempe, scandalum, iurgia, ambages, difficultates, etc. — *Ita communiter Theologi.*

752. — QUAER. 5° *An sit validum matrimonium initum sub conditione turpi?*

Resp. 1° *Neg.,* si conditio haec repugnet substantiae seu essentiae matrimonii, triplici nempe eiusdem bono, idest 1° bono *Sacramenti;* 2° bono *Fidei;* 3° bono *prolis;* quod fieret, si sponsi contrahendo matrimonium, generationem prolis (*c*), fidelitatem in

(*a*) Et hoc valet, licet contrahentes ignorent, conditionem purificari. Ratio est, quia suum consensum alligarunt non conditionis scientiae, sed eiusdem existentiae; uti tamen matrimonio non possunt ante acceptam de existente conditione notitiam, quippe secus se in periculo fornicationis constituerent; qua de re vid. historiam a Fagnano narratam (*In Cap. fin. De Condition. appos. n. 13.*), et Schmalzgr. (*Lib. 4. Tit. 5. n. 40.*).

(*b*) *Matrimonium conditionale perfecta conditione statim esse perfectum absque novo consensu, receptissima est Canonistarum sententia.* Ita Fagnanus (*In Cap. Super eo De Apposit. Condit. n. 3.*), qui subdit, hanc Canonistarum sententiam *in Curia servari etiam post Tridentinum, et ideo ab illa in consulendo et iudicando non esse ullatenus recedendum.*

(*c*) Quaestio facta est, num valori matrimonii obstet conditio excludens quidem bonum prolis, quae tamen non turpis sit, sed honesta, v. gr. quando contractui quis apponat conditionem, *si mecum in castitate seu continentia perpetua vivas.*

Et fuerunt, qui negarent sic matrimonium valere (Vid. Gonzalez in *C. Si conditiones 7. De Condit. appos. n. 8, seqq.*) ea praesertim ducti ratione, quod matrimonii contractus essentialiter dicat consensum in traditionem corporis ad usum coniugalem; cum autem haec traditio importet obligationem reddendi debitum, idest usum proprii corporis praestandi alteri, penes quem ex vi contractus eiusdem corporis manet potestas; profecto aut nullus erit contractus, aut certe qui contrahit, consentiat in usum

coniugio, aut perpetuitatem in matrimonio excluderent. Sed ad hoc requiritur, ut huiusmodi conditio expresse apponatur, et ut

coniugalem oportet. Atqui eiusmodi consensum plane excludit propositum continentiae; et a fortiori dicendum id erit de eo, qui contrahat cum firma voluntate servandi votum, quod forte emiserit, castitatis, quippe qui consensum illum, alioqui contractui matrimoniali essentialem, non habet, sed neque potest sine peccato habere, si bimestri spatio ad deliberandum concesso uti velit. A fortiori denique nullus erit matrimonii contractus, si illud ipsum in pactum seu conditionem deducatur. Et exinde difficultas etiam circa matrimonium Virginis Deiparae cum S. Iosepho, et aliorum quoque, de quibus historia ecclesiastica, v. gr. S. Pulcheriae, quae Marcianum Augustum, *salva, quam Deo voverat, virginitate, coniugem sibi delegit.*

Verum haud aegre ostenditur, conditionis illius appositionem nihil obstare, quominus valide contrahatur matrimonium, atque adeo vere alteri ius tradatur in proprium corpus, simulque obligatio matrimonii propria circa redditionem debiti suscipiatur.

Et sane certum est, matrimonii validitati nihil obstare propositum non consummandi matrimonium quoad eum, qui animum habeat vel ad Religionem transeundi et in hac profitendi, vel saltem executionem obligationis coniugalis suspendendi, si ad deliberandum de ea re concesso bimestri uti velit. Et nunc quidem nihil attinet disputare, quando id liceat vel non liceat; hoc interim ratum haberi debet, eiusmodi matrimonium esse validum, ideoque traditionem illam, potestatemque in proprium corpus alteri fieri, quae matrimonii substantiam constituit.

Dices forte, in casu substantiam matrimonii servari, concessumque ius ideo minime laedi, quod hoc ferat ipsa natura contractus, qui implicite hanc conditionem insertam habet; neminem autem censeri se obligare ultra id, quod ferat contractus indoles, ac proinde nullum ulterius ius alteri parti acquiri.

At enim, inquam, non ea sola ratio est, propter quam, servato alterius iure, suspendi obligatio debiti reddendi possit. Mitto nunc, quod matrimonii vinculum, suspensa manente ea obligatione, perduret non solum per duos menses ad deliberandum concessos, sed per totum tyrocinii religiosi tempus. Sed ut rem propius attingamus, numquid illud, quod iura Ecclesiae concedunt, praestare aeque non potest concessio ultronea illius, ad quem ius in alterius corpus pertinet? Quid prohibet, quominus contrahentes ipsi communi inter se consensu paciscantur de duobus non modo mensibus, sed annis, quibus deliberare possint? Cur non possent iuris proprii executionem ex pacto suspendere etiam alia de causa, v. gr. usquedum maritus officium par sustentandae proli sit adeptus? Cur non poterunt pacisci de matrimonio non consummando nisi post annum quadragesimum vel quinquagesimum? Et si hoc, cur non etiam per totam vitam?

In matrimonio nimirum, quod fiat cum pacto continentiae, duplex manifeste intercedit contractus: alter matrimonii proprius, quo potestas invicem in proprium corpus alteri traditur; alter, quo coniuges usui seu exercitio huius iuris invicem cedunt. Neque vero refert, quod de exercitio seu usu proprii iuris ante initum matrimonium potius quam post initum matrimonium paciscantur. Neque enim ratio ulla est, cur prius promitti illud non possit, quod licite possum postea praestare. Atqui licite, ut fatemur omnes, post initum matrimonium coniuges cedere usui matrimonii possunt; ergo et hoc ipsum possunt antea *spondere.*

Dixi, *spondere;* quia reipsa ante contractum matrimonium non renuntiant iuri in corpus alterius: renuntiatio enim seu abdicatio usus locum habet solum post acquisitam utendi potestatem. Ergo promittunt solum, se renunciaturos, vel, si ita mavis, promittunt, se ita contracturos matrimo-

sponsi non aliter se obligare animo intendant. Validum autem erit matrimonium, si haec conditio se habeat concomitanter, et ideo

nium, ut *simul* eiusdem usum abdicent. Haec autem inter se non pugnant: quippe si abdicatio eiusmodi fieri potest post contractum, fieri et in ipso contractu potest. Ita qui emit domum, utique in ipso contrahendi actu usum ipsius domus potest venditori cedere.

Nec dici potest, eiusmodi contractum ita carere omni effectu, ut quodammodo natura ac vi contractus destituatur. Nam 1° qui sic contrahit, vi matrimonialis vinculi manet inhabilis ad contrahendum cum alia persona; 2° si postmodum ipsi coniuges mutato proposito velint coniungi, non erunt fornicarii; 3° item si maritus, qui v. gr. ex pacto permisit uxori conditionem castitatis, vim ipsi inferat, peccabit utique contra iustitiam, quia pactum violat, aut saltem violabit virtutem fidelitatis, quia promissionem infregit; sed dici fornicarius non poterit; 4° si uterque coniux continentiam non solum alteri concesserit, sed etiam Deo ambo voverint, et deinde votum non servent, peccabunt contra virtutem religionis; sed non contra virtutem castitatis; 5° si alteruter sui corporis copiam extraneo fecerit, reus est violatae fidei matrimonialis, atque adeo adulter habetur; 6° denique (quod mirum est ab iis parum adverti, qui hanc quaestionem agitant) dum quis in conditionem castitatis contrahendo consentit, nonne matrimoniali iure vel maxime utitur? Sicut nimirum qui domum emat, ius suum in eam non minus exercet, si illa ipse inhabitando utatur, quam si ipsa uti nolens usum eiusdem vel ad tempus vel in perpetuum alteri concedat; ita sane cum quis usui iuris sui in alterius corpus sponte cedit, hoc ipso ius potestatemque sibi esse, illamque exercere putandus est. Nemo quippe cedit legitime nisi illud, quod in potestate habet, et eiusdem usui cedens, ipsam evidenter exercet. Falsum est igitur, per conditionem matrimonio appositam et acceptatam servandi castitatem, contractum iniri, cuius nulla vis, nullusque sit effectus, atque adeo qui naturam contractus exuat.

Doctores tum veteres, tum recentiores pro hac doctrina allegatos habes penes Rebellum (*Part. 2. Lib. 2. q. 10. Sect. 3. n. 19.*) et Clericatum (*De Matrim. Decis. 3. n. 21., et Decis. 20. n. 21.*), Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 5. n. 119.*), et Benedictum XIV. (*De Synod. Lib. 13. Cap. 22. n. 11.*), qui tamen addit, huius doctrinae patronis *necesse omnino esse, de viribus et subsistentia huius opinionis studiose disquirere:* quasi vero labor herculeus ad eam tuendam requiratur, aut nemo adhuc quidpiam solidi pro ea protulerit! Ipse mere opponit allegationem Schmalzgrueber, qui alioquin eandem sententiam concedit esse probabilem. Caeterum totum armamentarium, quod contra ipse Schmalzgrueber opponit (*l. c. n. 121.*), in hoc consistit, quod contrahentes *ius alterius in corpus suum et implicitum consensum ad actus coniugales reddendos appositione talis conditionis excludant,* cum vi illius ad copulam non exigendam et non reddendam obligentur. Cuius argumenti vis tota, uti patet, sita est in fallacia, qua ius cum iuris exercitio, atque adeo renunciatio usus cum iuris non existentia confunditur. Nunquid non aeque obligantur coniuges ad debitum nec exigendum nec reddendum, si ambo solemni voto se religioso Ordini mancipent? Et si obligatio haec ius in corpus alterius excluderet, curnam est adulter et contra iustitiam peccat eorum alteruter, qui extraneae personae commisceatur? Rursus si obligatio non exigendi aut reddendi copulam excludit ius in alterius corpus, quomodo validum erit matrimonium, quando contrahant duo simplici voto castitatis adstricti? Concludamus: pacisci quidem non potest contrahens de iis, quae ex naturae ordine abesse a contractu nequeunt, et ex vi contractus sunt inalienabilia, cuiusmodi est ius in corpus alterius; at in quibus usus est quidem licitus, sed non imperatus aut inalienabilis, falsum est, contrahentes non posse abdicationem pacisci.

non sit motivum, cur contrahatur matrimonium, et alioquin adsit voluntas aliqua generalis valide contrahendi (*a*).

(*a*) Contigit sane hoc loco Auctori illud Horatii: *Brevis esse laboro, obscurus fio.* Distinguatur itaque inter expressam conditionem contractui appositam, et solam intentionem internam.

Quando intentio seu conditio contraria substantiae matrimonii expresse apponitur seu in pactum deducitur, certum est ex *C. fin. de Condit. appos.* matrimonium in utroque foro esse invalidum; idque pluries, ut infra apparebit, Sedes Apostolica declaravit. Neque tunc opus illud est quod addit A., nempe *ut sponsi intendant se non aliter obligare.* Ut enim advertit Lugo (*De Sacram. Disp. 8. n. 128.*), *non potest validum esse matrimonium, nisi quis exterius verbis aut aliis signis exprimat sufficienter internum consensum. Atqui in praedicto casu* (scil. expressae conditionis, contrariae essentialibus matrimonii bonis) *nullo modo videtur exterius exprimi consensus..., quando potius significatur oppositum. Ergo non potest haberi matrimonium validum.* Excipe tamen ex communi sententia, si ea conditio ab uno tantum sponso adiiciatur, altero contradicente, quia si prior non obstante alterius contradictione ad contractum processit, in matrimonii favorem praesumitur ab ea conditione recessisse. Immo sunt, qui idem dicendum putant, quando ad appositam eiusmodi conditionem alter silet. Nam et in hoc casu in matrimonii favorem tacens praesumitur contradicere. — *Schmalzgrueber, Lib. 4. Tit. 5. n. 116.*

Si vero agatur de prava intentione mere interna, duplici modo intelligi haec potest: vel enim contrahens ita comparatus est animo, ut aliquam ex iis obligationibus, quae ad substantiam matrimonii pertinent, nequaquam suscipere velit; vel utique habet animum vere matrimonium contrahendi, et idcirco obligationes omnes matrimonii proprias suscipiendi, licet iis implendis, impudicam v. gr. cum alia femina amicitiam abrumpendo, non sit paratus.

Si posteriori hoc sensu accipiatur, ex omnium sententia matrimonium validum est, idque pro utroque foro. Quamquam facile quis advertet, obligationem, quae respicit *bonum sacramenti,* idest matrimonii insolubilitatem, vix aut ne vix quidem capacem esse praedictae distinctionis, adeo ut possit ipsa suscipi simul cum animo eam non servandi; nisi forte putemus huc pertinere casum illius, qui intentionem habeat uxorem post aliquod tempus relinquendi, et aliam, conscius certusque manentis prioris vinculi, clam alibi ducendi.

Si autem priori sensu res intelligatur, tunc etiamsi prava intentio in pactum non deducatur, *per se* tamen contractum *quoad conscientiae forum* invalidat. Et ratio patet, quia contractus matrimonii ex essentia sua consensum in illas obligationes exigit. Quisquis ergo intentionem habet excludentem aliquam ex iis obligationibus, eo ipso excludit matrimonii essentiam, ac proinde nullum est matrimonium. Vid. Sanchez (*De Matrim. Lib. 2. Disp. 29. n. 12.*), qui post S. Thomam hanc doctrinam, ab omnibus dein receptam, dilucide exponit.

Dixi, *per se;* nam locum hic habet et alia distinctio, quam subobscure etiam A. innuit, *concomitanterne,* an *antecedenter* ista intentio se ad contractum habeat. Quae quidem distinctio propter consectaria gravissimi momenti quoad praxim diligenter consideranda est. Et sane cum ad essentiam matrimonii pertineat v. gr. indissolubilitas vinculi, quid dicendum de iis erit, qui contrahunt cum animo instituendi divortium non solum quoad torum, sed etiam quoad vinculum, aut dandi uxori libellum repudii, prouti Iudaei solent iuxta legem Mosaicam? Huiusmodi profecto casus adeo non est chimaericus, ut frequentissima sit huius quaestionis occasio, propterea quod et inter schismaticos Graecos vigeat opinio solubilitatis matrimonii

Resp. 2° Si vero conditio turpis non repugnet substantiae matrimonii, *dist.*: 1° Censetur validum *in foro externo*, quia in eo conditio pro non adiecta habetur; 2° *Controvertitur* quoad forum

propter adulterium, et eadem invaluerit consuetudo inter plures haereticos protestantes, et tandem eadem facultas coniugibus fiat multis in locis ab iure civili, ut nihil modo addamus de infidelibus sive Iudaeis, sive Mahumedanis, sive idololatris. Quocirca nil mirum esse debet, si qui matrimonium in hisce adiunctis contrahunt, animum simul habeant matrimonium ob dictas causas et circumstantias solvendi.

Quaestionis porro resolutionem iuxta duplicem distinctionis casum ex communi doctrina sic proponit Card. De Lugo (*De Sacram. Disp. 8. n. 131. 132.*) : *Si coniuges sciant, in republica sua licere repudium, nec tamen tempore contractus addiderint limitationem istam se non aliter obligandi, quam sub eo respectu; tunc si ea scientia, quam habebant de usu repudii, se habuit antecedenter, hoc est, si ideo contraxerunt, quia sciebant licere repudium, et aliter non contraherent; iam videntur se simpliciter noluisse obligare ad perpetuitatem. Atque adeo in nullitatem matrimonii declinandum est iudicium... Si vero contrahentes ignorabant omnino, an vinculum foret perpetuum, vel si credebant etiam esse dissolubile, sed non limitarunt suam intentionem tempore contractus ad eam existimationem, verum habuerunt voluntatem generalem contrahendi matrimonium validum, ita ut illa ignorantia vel existimatio se habeat concomitanter, cum etiam sine illa aeque contraherent; tunc matrimonium videtur validum et observandum.* Et digna plane sunt, quae legantur ea, quae idem Auctor fuse disserit (*l. c. a n. 120. ad 130.*), ut explicet, quomodo duplex possit concurrere contraria voluntas, et quaenam utpote efficacior praevalere dicenda sit; ubi etiam explicat, quid sit voluntas illa prae altera generalior (quam et A. innuit), quae propterea efficacior sit. Quorum gemina habes etiam penes Schmalzgr. (*Lib. 4. Tit. 1. n. 302-304.*) ubi quaerit, an validum dicendum sit matrimonium baptizati, qui illud celebrare velit in ratione contractus, non vero in ratione sacramenti, atque adeo contrahat cum intentione sacramentum excludente, et multo etiam fusius (*Lib. 4. Tit. 19. n. 164-176.*), ubi de ipso Lugonis casu inquirit.

Haec autem, ut praemissum est, valent pro *foro conscientiae;* nam in *foro externo* semper praesumitur, affuisse generaliorem illam voluntatem contrahendi legitimum matrimonium, atque adeo errorem quemlibet substantiae matrimonii adversum mere se *concomitanter* habuisse, quousque scilicet oppositum non probetur. Generalem hanc doctrinam, cui ista fori externi praxis innititur, sic ex DD. consensu refert (*De Synod. Lib. 13. Cap. 22. n. 7.*) Benedictus XIV.: *Si expressa illa conditio de matrimonio ob adulterium dissolvendo apposita minime fuerit, quantumvis contrahentes in eo fuerint errore, ut matrimonii vinculum per adulterium dissolvi posset, nihilominus locus est praesumptioni ut dum matrimonium, prout a Christo institutum fuit, inire voluerunt, illud omnino perpetuum, ac interveniente etiam adulterio, insolubile contrahere voluerint, praevalente nimirum generali, quam diximus, voluntate de matrimonio iuxta Christi institutum ineundo, eaque privatum illum errorem quodammodo absorbente: quo fit, ut matrimonium ita contractum, validum firmumque maneat. At ubi contrahentes in ipso matrimonii contractu expressam apposuerunt conditionem de dissolvendo quoad vinculum matrimonio in casu adulterii, iam fieri nequit, ut error particularis absorptus maneat a generali voluntate contrahendi matrimonium, prout a Christo Domino institutum fuit; sed potius voluntas generalis huiusmodi extinguitur ac suffocatur ab errore particulari, qui manifeste praevalet ac dominatur; atque hinc oritur nullitas matrimonii, in quo contrahendo apposita fuit*

internum, sicut in caeteris contractibus. Ordinarie tamen non censetur conditio *sine qua non*, sed merum propositum aut promissio a contractu matrimoniali *independens*, ac proinde consensus non

conditio ipsius substantiae contraria. Quam doctrinam mox allatis SS. Congregationum Declarationibus in utrumque sensum confirmat.

Nec minus clare eam propositam reperimus in Litteris, quas Pius VI. 11. Iul. 1789. ad Archiepisc. Pragensem dedit: *Si conditio legalis* (inquit) *vinculi coniugalis allatis de causis solvendi, per pactum expressum matrimonio apponatur, nullum et irritum ab initio dicendum erit matrimonium, nec inde oriri potuisse coniugale vinculum, sed illicitam prorsus coniunctionem pactam esse, quam utraque pars, maxime catholica, Christi lege deserere omnino tenetur. Si vero nulla fuit apposita expressa eiusmodi conditio repugnans substantiae matrimonii, licet contrahentes generatim intendant contrahere iuxta placita sectae aut legis concedentis dissolutionem vinculi coniugalis, nihilominus matrimonium valide contractum censendum erit, ideoque ortum perpetuum vinculum coniugale, quod nulla civili lege, nulla Consistoriorum acatholicorum auctoritate dissolvi queat: adeoque nec partibus, minus vero catholicae, facultatem concedi posse convolandi ad alias nuptias.*

Rationem autem resolutionis, non secus ac Benedictus XIV., sic reddit Pius VI.: *Nec deest intima ratio, cur intentio contrahendi iuxta placita sectae adstruentis aut legis permittentis dissolutionem matrimonii, non officiat eius valori, modo non deducatur in pactum. Etenim hoc ipso quod acatholici, vano errore decepti existimant, solutionem matrimonii iis de causis minime repugnare legi Christi, hinc fit, ut in eorum mente propter falsam illam existimationem intentio contrahendi iuxta eiusmodi leges aut sectae placita, minime excludat primariam intentionem contrahendi iuxta divinam legem per Christum confirmatam. Permanet proinde haec voluntas in actu contrahendi, ex eaque fluit ac determinatur ratio consensus, qui actu praestatur. Porro consensus praestitus iuxta legem Christi aptus est ac sufficiens ad matrimonii valorem, nisi aliud obstet canonicum impedimentum.*

Haec tamen (ut habet in textu sup. allato Benedictus XIV.) revocanda semper sunt ad *praesumptionem*, qua praxis regitur externi fori. Neque enim definire per haec voluit Pontifex, verum consensum, etiam cum conditio illa in pactum non deducitur, deesse non posse; sicut nimirum non excluditur casus *ficti consensus*, dum generatim statuitur insolubilitas coniugii inter catholicos contracti. Quoad *forum* ergo *conscientiae*, semper inspiciendum superest, num *antecedenter* se prava illa intentio ad contractum habeat, an solum *concomitanter*. Nam si contrahentes ita matrimonium ineant, ut soli errori de coniugii solubilitate intentionem suam obligent, et prorsus nolint contrahere, quam sub solubilitatis conditione, matrimonium nullum est, licet conditio in pactum non deducatur, quia scilicet nolunt aliter, nisi dissolubiliter, contrahere; quam doctrinam communem esse Thh. et Canonistis, ostendit Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 19. n. 70.*). Imo si ex utriusque coniugis confessione constaret, eos non habuisse animum aliter contrahendi, id sufficeret, ut matrimonium possit declarari nullum etiam *in foro externo*, nisi tamen esset collusionis praesumptio. Et si hic animus etiam in uno tantum coniugum fuerit, id ipsi sufficiet *in foro externo;* imo id sufficiet et alteri parti, si eiusmodi rationes concurrant, quae prudenter suadeant, illum non mentiri. Vid. Sanchez (*Lib. 2. Disp. 45. n. 4–12., et Lib. 5. Disp. 12. n. 5.*), et Lugo (*De Sacram. Disp. 8. n. 130.*).

In dubio autem, an aliquis habuerit illam voluntatem generalem et efficacem faciendi matrimonium omnino validum, iudicandum est in fa-

iudicatur tali conditione suspensus, nisi de hoc omnino constet, ut dictum est in responsione prima. — *S. Lig. n. 891.* (*a*).

753. — QUAER. 6° *Quid agendum, si quis dicat se ficte consensisse?*

Resp. 1° Quoad *forum externum* fides ei non adhibetur, nisi ex circumstantiis pateat, illum aut dolo fuisse deceptum aut gravi metu inductum ad contrahendum: supponi enim nequit eum, qui libere matrimonium iniit, ficte consensisse.

Resp. 2° Quoad *forum internum* qui asserit se *ficte* consensisse, obligandus est 1° ad abstinendum a debito petendo et reddendo, donec vere consenserit; 2° ordinarie etiam ad consensum verum ponendum, ut sic iniuriam comparti illatam reparet. Dico *ordinarie,* quia si compars separationi consentiat, vel ipse ad contrahendum coactus fuerit, consensum supplere non tenetur (*b*). — *Decretal. lib. 4. titul. de conditionibus cap. ult.*

vorem contractus, ut valeat. Ratio, quia unusquisque praesumitur velle exercere contractum validum, nisi oppositum probetur, iuxta communem doctrinam Iuristarum, quod a fortiori habebit locum in casu matrimonii, quae est magis favorabilis. Ita Lugo (*De Sacram. Disp. 8. n. 136.*).

(*a*) Conditio *turpis,* de qua nunc A., sicut et *impossibilis,* reipsa tunc solum habetur pro *non adiecta,* quando dubium sit, an contrahentes illam serio, an ioco adiecerint. Cum enim in dubio iuxta Iuris normam iudicandum sit pro valore matrimonii, merito in hoc quoque dubio Ecclesia in favorem matrimonii praesumit, eam conditionem haud serio fuisse adiectam; *merito,* inquam; ne scilicet forte illi separentur, qui legitime sunt coniuncti, aliisque per illegitima matrimonia coniungantur. Quae tamen *praesumptio* cum sit tantum *iuris,* et non etiam *de iure,* idcirco adductis in contrarium rationibus elidi potest. — *Schmalzgrueber Lib. 4. Tit. 5. n. 64.*

Non habetur autem pro *non adiecta,* 1° Si contrahentes illam habeant pro *honesta;* 2° Si aliunde constet, eam conditionem a contrahentibus serio fuisse adiectam, atque adeo consensum nisi sub illius eventu praestitum non fuisse: praesumptio enim tunc cedet veritati, atque adeo non adveniente conditione, nullum erit matrimonium ob defectum consensus, quem sane Ecclesia supplere non potest; 3° Si ambo contrahentes, vel saltem alteruter ignoraverit Constitutionem, quae hasce conditiones habet pro non adiectis: neque enim dici tunc potest, illos utpote scientes hanc conditionem ab Ecclesia reiici, idcirco contrahere *absolute,* quod velint sacramenta iuxta Ecclesiae intentionem recipere; hoc quippe tunc solum valet, quando contrahentes norunt et conditionem esse turpem, et hanc ab Ecclesia non admitti.

Quatenus vero addit A., *quoad forum conscientiae controverti* (nempe an matrimonium, impleta turpi conditione, validum haberi debeat) *sicut in caeteris contractibus* (de materia nimirum turpi), videantur, quae diximus *ad n. 760. Vol. I.*, ubi ostendimus, opinionem negantem horum contractuum validitatem unico falsarum allegationum fuco muniri.

(*b*) Deceptor non tenetur deceptam ducere etiam in seqq. casibus: 1° Si deceptor matrimonium cum alia iam iniverit; etsi enim iudici probare non possit fictionem quoad aliud matrimonium, et idcirco iudex ad cohabitandum cum putata coniuge compellat etiam intentata excommunicatione, potius hanc censuram, quae animam non ligaret, pati, quam primae sponsae misceri carnaliter, debet, ut constat ex *C. Inquisitioni tuae 44. De Sent. Excom.* — 2° Si fraus ex altera quoque parte intercesserit, v. gr. si falso

Caeterum coniux, qui verum assensum posuit, non obligatur credere alteri asserenti se ficte consensisse, nisi id iuramento firmaret; ideoque licite debitum peteret, donec defectus consensus evidenter probaretur. — *S. Congreg. Concilii* 24. Febr. 1720.

754. — Quaer. 7° *An requiratur consensus parentum ad validitatem, vel liceitatem contractus matrimonialis?*

Resp. 1° Quoad *validitatem neg.* prorsus; quia consensus parentum nec iure naturali, nec positivo requiritur. Ac 1° Non *iure naturali;* quia contrahentes habent potestatem in proprium corpus, nec parentes habent potestatem in corpus filiorum suorum in ordine ad matrimonium; secus enim matrimonia eorum irritare possent, sive iuste, sive iniuste, quod omnino repugnat, et sensui communi hominum adversatur. 2° Nec *iure positivo;* nam *Trid. sess. 24. c. 1.,* anathemate percussit eos, qui *falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse.* Quod si lex civilis consensum parentum requirit ad valorem matrimonii, eius vis non extenditur nisi ad effectus mere civiles. — *Ita communiter omnes Theologi catholici.*

Resp. 2° Quoad *liceitatem affirm. generatim loquendo.* Constat 1° ex *iure naturali,* quia filii debent parentibus honorem, reverentiam et obsequium, praesertim in iis, quae ad totam familiam spectant, cuiusmodi est matrimonium, ex quo saepissime pendent honor et pax familiarum, etc.; 2° ex *Concilio Tridentino* (*ibid.*), ubi dicitur: *Sancta Dei Ecclesia illa* (matrimonia sine consensu parentum inita) *semper detestata est atque prohibuit* (*a*).

755. — Quaer. 8° *An filii aliquando, invitis parentibus, matrimonium contrahere possint?*

se iactarit virginem: deceptio enim tunc deceptione compensatur. Abs re tamen huc La Croix (*Lib. 6. P. 3. n. 258.*), et post eum S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 887.*) revocat S. Conc. declarationem. *Vid. Thes. Resol. C. Conc. Tom. 3. pag. 161-165.* — 3° Si nullum parti deceptae damnum obvenit; vel si decepta, cognita deceptione, aliam compensationem admittat; vel etiam si damnum illatum alio modo compensari queat. — 4° Si contrahens manifesta dedit indicia ficti consensus; tunc enim pars altera deceptionem sibi potius, quam alteri tribuere debet. Huc revocant DD., si deceptor sit conditionis ac status longe altioris; ex hoc enim deceptionis indicium alteri elucere potest, licet aegre id admittatur, ubi coram parocho contractus celebretur. — Sed et ingens disparitas aliam ob causam deceptum excusare potest, ob infelicem nempe exitum, scandala, aliaque incommoda, quae ex tali coniugio merito timeantur.

Caeterum obligatio ineundi vero consensu matrimonium gravissimam se facile prodit, non modo quia secus graviter peccatur contra reverentiam Sacramento debitam, sed quia per iniuriam gravissimum alteri parti damnum infertur. Quippe cum in foro externo difficillime probari fictio queat, deceptae parti non permittuntur aliae nuptiae, ideoque hoc unum illi superest, ut aut Religionem ingrediatur, aut in saeculo maneat innupta.

(*a*) Haec verba Trid. Synodi ad clandestina potius matrimonia referuntur, in quibus nunquam deest ratio, cur prohibeantur.

Resp. Affirm., si parentes iniuste consensum recusent. Verum cum hac in re facile filiifamilias sibi fucum faciant, antequam nuptias celebrent, consulere debent viros prudentes et praesertim Confessarios, ne in re tam gravi tantisque plena periculis imprudenter agant proprio iudicio confidentes.

756. — Quaer. 9° *Quid agendum Confessario vel Parocho, quando filiifamilias, invitis parentibus, matrimonium inire volunt?*

Resp. 1° Quoad *Confessarium,* generatim loquendo partes parentum pro virili tueri debet; ipsis enim generatim praesumptio favere censetur. Attamen si filii gravi ratione ducti, legalibus servatis conditionibus, in matrimonio ineundo persistant, inquietandi non videntur. — *Ita communiter* cum *Gousset.*

Resp. 2° Quoad *Parochum* matrimonio assistere non debet nisi adimpletis conditionibus iure civili praescriptis; quia Ecclesiae non adversantur. — *Gousset n. 839.*

ARTICULUS II.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII, SCILICET DE EIUS UNITATE ET FIRMITATE

§. I. *De unitate matrimonii.*

757. — Unitas matrimonii in eo sita est, quod matrimonium sit coniunctio unius viri cum una femina.

1° Certum est, *polyandriam* pugnare cum lege naturali, quia praecipuis matrimonii finibus adversatur, nempe generationi prolis et bonae eius educationi. — *Ita omnes.*

2° Certum est, *polygamiam simultaneam* esse in omni casu prohibitam, saltem de iure positivo divino novae legis, ut constat ex *Luc. 16. 18.: Omnis, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, moechatur.* Constat pariter ex *Trid. sess. 24. Can. 2.*

3° Certum est, secundas nuptias et ulteriores esse licitas tam viro quam mulieri etiam sub lege Evangelica. Constat ex auctoritate et praxi Ecclesiae, necnon ex Scriptura sacra, *1. Cor. 7. 39: Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit; quod si dormierit vir eius, liberata est: cui vult nubat; tantum in Domino.*

§. II. *De firmitate matrimonii.*

Duplex distinguitur matrimonii firmitas: alia enim vinculum, alia torum respicit.

PUNCTUM I.

De firmitate matrimonii, quatenus spectat vinculum.

758. — Matrimonium est indissolubile, idest matrimonio semel contracto, divortium quoad vinculum fieri nequit, saltem de lege positiva divina. De fide est. Probatur 1° ex verbis Christi, *Matth. 19.6.: Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* 2° Ex verbis divi Pauli *1. Corinth. 7. 10. et 11.: Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* 3° Ex *Trident. sess. 24. Can. 5.*

759. — Triplex tamen casus est excipiendus: nam

1° Dissolvi potest matrimonium *ratum* et *non consummatum* (*a*) Christianorum, gravi de causa, *per dispensationem* Papae (*b*), ex pote-

(*a*) Superius (*not. ad n. 745.*) diximus, non posse dici consummatum matrimonium, nisi actus sit per se idoneus ad effectum generationis. Imo S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 1036.*) post S. Thomam (*In 4. Dist. 41. Q. 1. art. 1. q. 4. ad 2.*) insuper requirit actum ex utraque parte perfectum: quae doctrina ad gravium quaestionum solutionem conferre potest.

Duo praeterea adverte. Primum est, hoc valere non solum quoad primum, quod quisque contrahat, matrimonium, sed etiam quoad secundum, tertium, etc. Hinc si nubant personae viduae, prolem quoque ex praecedenti matrimonio sortitae, etiam cum istis lex valet; et ideo si alteruter in religione profiteatur, antequam praesens matrimonium consummetur, vinculum dissolvetur. Alterum est, uxorem, quae intra duos menses, dum de capessenda Religione deliberat, per vim a sponso cognita fuerit, ex communiori et probabiliori Thh. et Canonist. sententia posse nihilominus religionem ingredi etiam invito sponso, qui ideo sibi imputare debet, quod, professione in casu vinculum non dissolvente, absque spe coniugii usque ad sponsae obitum manere debeat. Excipiunt DD., si uxor prolem concepisset, quae sine matre educari facile non posset (*Vid. Sanch. Lib.2.Disp.22. n. 7., et Pirhing. Lib. 3. Tit. 32. n. 56.*).

(*b*) *De S. Pontificis potestate in dispensando super matrimonio rato et non consummato, nulla est in foro et in praxi disputatio, et sola controversia reduci consuevit ad causam, an adsit videlicet causa sufficiens pro tali dispensatione concedenda.* Ita Bened. XIV. (*Quaest. Can. 24.*). Vid. etiam eiusdem Quaest. Can. 108. et 479., in qua dicit, notorie hanc doctrinam esse communem inter Theologos et Canonistas. Quare quod ait S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 959.*), adesse de hac quaestione *duplicem sententiam, probabilem,* inter opiniones obsoletas habendum est. Exempla autem harum dispensationum plura habes apud Schmalzgr. (*Lib. 4. Tit. 19. n. 46.*), et Pignatelli (*Tom. 1. Consult. 148. n. 5.*); posteriora vero usque ad Pium VII, Gregorium XVI, et Pium IX. apud Perrone (*De Matrimonio, Tom. 3.pag. 509-510. edit. Rom.*).

Extendenda autem haec facultas est ad matrimonia consummata in infidelitate, si coniuges post baptismum, quo coniugium fit *ratum*, rursus illud nondum consummaverint. Et id quidem luculentissime confirmatur ex Litteris Gregorii XIII. 25. Ian. 1585., quas habes apud Clericatum (*De Matrim Decis. XI. n. 28.*); in quibus primo quidem hanc facultatem sic

state divinitus ipsi concessa. Patet ex eo quod SS. Pontifices iam

adstruit: *Idcirco attendentes, huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem; non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint*, etc. Concludit exinde, vi dispensationis valida esse matrimonia, quae coniuges ad fidem conversi cum aliis contraxerint, licet prior quoque coniux tunc iam conversus ad fidem existeret. *Quae quidem matrimonia, etiamsi postea innotuerit, coniuges priores infideles suam voluntatem iuste impeditos declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida et firma esse.* Neque solum Gregorius XIII. sed et Urbanus VIII. in Litteris datis 20. Octobris 1624., et rursus 17. Septembris 1627. id ipsum declaravit, nimirum *Sedem Apostolicam ex gravi causa posse aliquando matrimonia infidelium dissolvere,* ut testatur Card. Lugo in libello supplici, quem eidem Urbano VIII. obtulit, eumque habes apud Cardenas (*Cris. Theolog. Part. 4. Dissert. 2. n. 552.*). Quod vero Pontius (*Lib. 7. Cap. 48. n. 22. et Lib. 9. Cap. 2. n. 17.*), et post eum Lambertinius (*De Synod. Lib. 13. Cap. 21. n. 4–6.*) Gregorii litteras ad meram dispensationem ab interpellando coniuge detorquere conentur, tantum non ad ineptias, utpote plane verbis Gregorii repugnans, amandandum videtur.

** Circa allatum textum Benedicti XIV. VV. obiiciunt (*Pag. 805.*), verba illa – *Nulla est in foro et in praxi disputatio* – *indicare, controversiam speculativam in scholis et inter theologos adhuc subsistere.*

Resp. VV. ostendunt (*Ibid.*), se ea profecto non ignorare, quae in Quaest. Can. 479. eiusdem Benedicti XIV. sic leguntur: *Secundum est, nullam de potestate Summi Pontificis moveri amplius posse quaestionem in eo, quod attinet ad dispensandum super matrimonio rato et non consummato, cum hodie opinio affirmativa sit communis inter Theologos et Canonistas, et sit in praxi recepta, uti notorium est.* Quomodo igitur VV. asserunt, verba Benedicti XIV. *indicare, controversiam in scholis et inter theologos* ADHUC *subsistere,* quando idem Benedictus ceu principium praestituit, *nullam de hac potestate S. Pontificis moveri amplius posse controversiam*, quia HODIE *opinio affirmativa est communis inter theologos et canonistas?* Nonne invicem haec duo repugnant: *controversia adhuc subsistit,* et *nulla amplius moveri potest controversia?*

Subsumunt (*Ibid.*) VV., in Quaest. 479. Benedictum *loqui de tempore recentiori.*

Resp. 1° Numquid dum VV. dicunt, *controversiam iuxta Benedictum XIV.* ADHUC *subsistere*, id affirmant de theologis, qui duo ante saecula scripserant et non potius de eiusdem Benedicti aetate? 2° Nonne idem Benedictus in Quaest. 108., quae etiam in *Nota* allegatur, ex Epistola 180. Cardin. d'Ossat refert, etiam sub Clemente VIII. in S. Congr. *nullam fuisse de hac potestate Pontificis controversiam,* cum tamen in Consultationem *quatuordecim fuissent a Summo Pontifice ad consilium acciti, octo videlicet Cardinales, quatuor Rotae Auditores, et duo Basilicae Vaticanae Poenitentiarii?* 3° Et si quidem in Roman. Congregation. iam inde ab aevo Clementis VIII. nulla erat controversia; et Benedictus XIV. in Quaest. 479., uno videlicet et dimidio ante nos saeculo (nam ea causa mense Ianuar. ann. 1726. acta est) scribebat, *nullam de hac S. Pontificis potestate amplius moveri quaestionem posse;* ab ea autem aetate ad nos usque lux huic controversiae affulserit usque maior; cur denique nefas habebitur, quod opinio, quae negabat hanc potestatem Romanis Pontificibus, iam *obsoleta* dicatur?

Addunt VV. (*Ibid.*), Benedictum XIV. (*De Beat. Canoniz. Lib. 4. C. 42. n. 13.*) haec habere: *Fiunt aliquando huiusmodi concessiones, nec tamen ex eis deducitur, certum esse de fide, posse Pontifices solvere homines a matrimonio rato, sed non consummato, atque a voto continentiae adnexo professioni monasticae.*

multoties hac potestate usi sint, uti *S. Gregorius VII, Paulus III,* etc.

Resp. *Transeat;* neque enim in *Nota* contenditur, tenendum esse *de fide,* Romanos Pontifices hac pollere potestate, adeo ut *haereticus* sit censendus, quisquis contradicit. Caeterum quis nesciat, Ecclesiam ad hasce definitiones, aliquid nempe tenendum esse *de fide,* devenire non consuevisse, nisi gravis causa id exegerit? Ea exempla Benedictus profert, ut ostendat, quomodo Sedes Apostolica cultum *Beatorum* permittat, nec tamen ideo *de fide* tenendum sit, eos caelestis gloriae esse participes. Sed (*Ibid. n. 9.*) praemiserat, quod *licet probabile videatur, Summi Pontificis iudicium in Beatificatione aequipollenti non esse infallibile, nec ad fidem pertinere; sed et certum est* (inquit), *a nota temeritatis immunem eum non esse futurum, qui ipsum errasse contenderet...., et cultum reprobaret, quem Pontifex ipse approbavit.*

Et quidem de opinione, quae R. Pontificibus facultatem negat dispensandi in matrimonio mere rato, non aliter censuit Iacobus Pignatelli (*Consult. Canon. Lib. 1. Cons. 148. n. 6.*) scribens: *Itaque Canonistarum omnium plurimorumque Theologorum calculo, atque Summorum Pontificum exemplis ad nostra usque tempora id ita firmatum est, ut temerarium esset contrarium asserere.* Nec aliter Georgius Gobat (*Tr. 10. n. 691.*): *Nec puto, posse iam absque contumelia Sedis Apostolicae defendi opinionem Pontii, postquam scilicet Diana nominavit septem Pontifices, qui cum facile triginta ita dispensarunt, et novissime Innocentius X. post tam longas, acresque inter Theologos concertationes de hac potestate, fuit ea usus erga vulgarem opificem, nullius prorsus gratia suffultum, et quidem absque causa bonum publicum concernente, ut fidelissime supra* (*n. 678.*) *retuli.* Hinc et Elbel (*De Matr. Conf. 15. n. 360.*): *Sine temeritatis nota dici non valet, quod* (*Pontifices*) *dispensando erraverint.*

Quidquid porro de hisce iudiciis quispiam sentiendum censeat, ne VV. quidem in dubium vocare poterunt, quin ea S. Doctoris de hac quaestione affirmatio – *Adest duplex sententia probabilis* – ad incommoda sane gravissima, etiam attentis suis ipsorum placitis, adducat. Et sane consequens iam est, Romanos Pontifices in hoc negotio egisse igitur innixos opinioni, quae falsa esse potest, immo quae probabiliter falsa est. At enim primo quidem hic agitur etiam de iure tertii; quippe notum est, eiusmodi dispensationes etiam invita altera parte concessas fuisse. Et siquidem dispensatio dicenda sit mere *probabiliter valida*, nonne ipsi VV. alias contendebant (*Pag. 799.*), probabilitatem nihil suffragari *contra ius certe prius existens?* Alioquin vero numquid certum non est ius per matrimonii contractum iam alteri parti acquisitum? Nonne igitur dicendum foret, inique cum altera parte actum per Romanos Pontifices fuisse? Nonne Pontius (*Lib. 9. Cap. 3. n. 8.*) hoc argumentum affert ad negandam hanc Pontifici potestatem, *quia difficile videtur contra ius iustitiae quaesitum tertio Pontificem legem ferre, aut matrimonium dirimere, id quod in minoribus contractibus perspicue videmus?*

Insuper nemo in dubium vocat, per matrimonii rescissionem ipsi Sacramento gravissimam iniuriam inferri, nisi legitime matrimonium solutum fuerit. At vero licetne iuxta VV. et S. Doctoris Alphonsi principia agere cum opinione mere probabili, simulque cum probabili eaque gravi Sacramenti irreverentia? Atqui nonne evidens est gravis huius irreverentiae periculum, si mere probabiliter solutum per Pontificiam dispensationem coniugium dicatur?

Praeterea cum per huiusmodi Pontificiam dispensationem facultas utrique sponso fiat ad alias nuptias transeundi, num licite ad alteras has nuptias *probabiliter* adulterinas progredi sponsi possent? Numquid consentire Ecclesia posset, ut ad sacramentum matrimonii ille admittatur, qui

2° Dissolvi potest matrimonium *ratum* et *non consummatum*, per solemnem *professionem religiosam* unius coniugum, atque hoc

adhuc vinculo ligaminis probabiliter manet constrictus, et probabiliter in adulterina coniunctione mansurus esset?

Merito proinde Salmanticenses (*Tr. 9. Cap. 4. n. 59.*): *Saepe saepius* (aiunt) *Summi Pontifices dispensarunt, ut matrimonium ratum dissolveretur; sed non est credendum, Pontifices errasse in materia adeo gravi, et quae maxime ad mores pertinet..., quia in rebus pertinentibus ad mores* IMPIUM VIDETUR ASSERERE, *Summos Pontifices errare.* Et tamen si S. Alphonsi affirmatio admittatur, nonne probabiliter dicendum foret, Summos Pontifices probabiliter in re gravi ad mores pertinente errasse?

Nec aliter Diana, quem subinde alioquin VV. ceu nimis benignum exhibent (*Tom. 3. Tr. 1. Res. 94. n. 4.*): *Non est ullo modo verisimile, Pontifices in re tanti momenti errare, cum eorum error graviter Ecclesiae noceret. Nam non solum esset in facto, sed redundaret in doctrinam Ecclesiae perniciosam, quia suo facto implicite docent etc.* Et paulo post (*n. 5.*): *Error eorum esset circa unum ex praecipuis capitibus Religionis nostrae, qui sane esset intolerabilis.* Et evasioni occurrens subdit: *Dices errorem tantum esse speculativum, in quo excusantur, eo quod sequantur probabilem variorum Doctorum sententiam. Respondetur, id non satisfacere, cum etiam error speculativus in doctrina morum vel in facto, ex quo sequeretur error in doctrina morum, et praesertim in Sacramentis, esset perniciosissimus Ecclesiae.* Tum egregie addit (*n. 12.*): *Et certe sufficere deberet cuicumque christiano, quantumvis literato, Rom. Pontifices, et praecipue Pium V. alioqui sanctissimum ac eximium theologum, saepe dispensasse in praedictis matrimoniis... Sufficere etiam debet, eosdem Rom. Pontifices declarasse, non fuisse de mente Christi Matth. 5. et 19. includere praedictum matrimonium, cui interpretationi summa fides adhibenda est, Cap. Haec est fides 24. Quaest. 1.*

In patrocinium affirmationis S. Alphonsi allegant VV. (*Pag. 802–803.*) aliquot Auctores, quos S. Doctori coaevos dicunt. In quo duo displicere possunt. Alterum, quod ex Card. Gotti, quasi hanc potestatem Pontifici negaret, promunt generalem thesim de indissolubilitate matrimonii, et de ipsius dissolubilitate occasione conversionis ex infidelitate, aut Religiosae Professionis; sed deinde silentio premunt, quod (*Q. 8. Dub. 3. §. 1. n. XV.*) potestatem Pontificis circa dispensandum in matrimonio rato imo plane probat. Alterum, quod item ex Antoine ea referunt (*ex Cap. 2. Q. 8.*) quae (*Resp. 1.*) generatim sic habet: *Quodvis matrimonium absolute contractum est et semper fuit sine speciali licentia Dei insolubile;* et deinde supprimunt, quae (*Ibid. Resp. 4.*) ita leguntur: *Matrimonium baptizatorum ratum, sed non consummatum dissolvitur in duobus casibus.* 1° *Per Professionem solemnem in Religione approbata...* 2° *Ex Canonistis et Theologis plurimis dissolvitur per auctoritatem Papae.* Quam thesim deinde pluribus vindicat.

Quidquid vero de hoc sit (sicuti et quod VV. *Pag. 802.* addunt *Arriagam S. I.* quasi a Salmanticensibus allegatum, cum hi utique *Aragonium* memorent, nuspiam vero Arriagam), nemo nescit, plures alios, praesertim paulo antiquiores pro opinione, quae aut negat aut in dubium vocat eam Romani Pontificis potestatem, de qua sermo, allegari potuisse. At nihil movere id potest aut debet. Illud nimirum in hac controversia factum cernimus, quod et de aliis factum novimus, ut cum in Scholis agitari coeptae sunt, summa extiterit, et subinde acerrima Doctorum dissensio; quae tamen decursu temporis, tum ope maturioris discussionis, tum praesertim ea luce, quae ab Apostolica Romana Sede etiam citra ullam definitionem, per facta tamen aliasve rationes sese prodit, paulatim imminuitur ac demum penitus evanescit.

ex privilegio speciali a Christo concesso et ab Ecclesia declarato. Sic enim *Trid. sess. 24. c. 6.: Si quis dixerit matrimonium non*

Qua quidem in re admirabilem sane sese ostendit prudentissima Sedis Apostolicae oeconomia ac longanimis patientia, dum scilicet quo tempore aut factis aut alia ratione satis indicat, quam in partem inclinet, et quo sensus suus tendat; ubi tamen nullum immineat grave periculum, non impedit, quominus filii sui, ad obediendum alioquin parati, interim disputent inter se, et inter disputandum eo interdum deveniant, ut reverentiae et honori tantae Matri debito deesse forte videantur.

Nec dissimili ratione eadem Sedes Apostolica, cum sibi per facta ipsa ius vindicaret dispensandi in matrimonio rato, patienter nihilominus tulit, quod v. gr. Sotus (*In 4. Dist. 27. Q. 1. art. 4. Vers. His tamen nihil obstantibus*) de hac doctrina scriberet: *Mihi tamen, ut tenuitatem mei ingenii fatear, salva semper Ecclesiae censura, nullam probabilitatis effigiem repraesentat.* Illud insuper Sedes Apostolica patienter pertulit, ut ipsam quispiam ideo tantum dixerit a peccato immunem, dum circa vota solemnia ac matrimonium ratum dispensat, quia eam excusat ignorantia invincibilis. Ita Martinus Wigandt (*Tribun. Confess. Tract. 2. Prooem. Exam. 3. n. 7.*): *Si tamen opinio, in se minus probabilis, alicui videatur probabilior, non peccat eam in praxi sequendo, quia excusat ignorantia invincibilis; et ita contingere potest in dispensationibus Papae circa vota solemnia ac matrimonium ratum.* Proinde iuxta hanc opinionem ne huiusmodi Acta Apostolicae Sedis, quae per plura iam saecula ad nostros usque dies frequenter repetita cernimus, improbitati Romanorum Pontificum adscribamus, oportet scilicet, ut ea ipsorum ignorantiae imputemus! Et exinde Charmes, prout ipsi VV. (*Pag. 804.*) referunt, Romanos Pontifices excusavit, quod DECEPTI FUERINT! Quid itaque mirum, quod opinio, quae ad huiusmodi consectaria necessario adducit, decursu temporis exoleverit?

Monent VV. (*Pag. 801.*), *S. Alphonsum,* dum opinionem, quae negat, Papam posse dispensare in matrimonio rato, *probabilem* dicit, *nonnisi de speculativa probabilitate loqui, quemadmodum et caeteri Doctores.*

Resp. Quid sibi velint ii, qui in hac controversia eiusmodi phrasi utuntur (nam non sic habet S. Alphonsus), vix enimvero intelligi potest, ac merito eos in aequivoco versari dixeris. Controversia est, an Pontifex habeat potestatem dissolvendi matrimonium mere ratum, atque adeo num matrimonii per dispensationem Pontificiam solutio valida sit, nec ne. Num itaque istorum sententia huc recidit: Pontifici *speculative* non inest probabiliter haec potestas, *practice* vero absolute inest haec potestas? Et rursus: huiusmodi matrimonii solutio *speculative* probabiliter non est valida, *in praxi* vero absolute est valida? Atqui eiusmodi sententia apertissime quid absurdum redolet.

Verum in aequivoco, ut dixi, versari hi videntur. Dum enim quaerunt, an Pontifex in matrimonio rato *dispensare possit,* et respondent, probabiliter, *speculative loquendo, non posse*, illud *an possit* intelligunt de potestate ad valorem actus necessaria; quando vero *de praxi* loquuntur, illud *an possit* non de pari ad valorem actus potestate, sed intelligunt de actus liceitate seu honestate, quam denique aut implicite aut explicite ex invincibili atque adeo inculpabili agentis ignorantia repetunt. At enim si sublata aequivocatione quaestio fiat, an *licite Apostolica Sedes* dispensare possit in matrimonio rato; numquid audebunt respondere: probabiliter, speculative loquendo, id est illicitum, practice vero omnino est licitum? Numquid enim, si invincibilis ignorantiae excusationem seponas, adiuncta quaepiam *in praxi* accedunt, quae diluant rationes, propter quas *speculative* actio est probabiliter illicita?

Paucis: Si reipsa dubia dicenda est potestas Pontificis ad valorem actus necessaria, in praxi vitari nulla ratione possunt ea incommoda, quae su-

consummatum, per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit (*a*).

Ut autem sponsi de huius privilegii usu deliberent, ab ipso iure duos menses post nuptias sibi concessos habent (*b*), quo tempore non tenentur reddere debitum. — *S. Lig. n. 870., 958.* Imo

perius tetigimus, atque illud in primis quod ad alteras nuptias illi admittantur, qui probabiliter praecedentis matrimonii vinculo adhuc vinciuntur. Et quidem merito vanissimum dicendum erit, quidquid demum deinde addatur de ignorantia invincibili, quae Pontificem dispensantem a peccato excuset. Nam consentiunt iam DD. omnes in id, quod ex propositionibus damnatis a Sede Apostolica eruitur, *illicitum esse in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti*, atque adeo inde consequitur manifeste, illicitum esse in casu praesenti ad Sacramentum matrimonii admittere, ubi contrahentium consensus probabiliter est invalidus. Porro si *in praxi* id illicitum est, etiam *speculative* illicitum dicendum erit. Egregie ad rem Card. De Lugo (*De Iust. et Iur. D. 10. n. 189.*): *Si haec inconvenientia per se ex illa sententia consequuntur, certe nec speculative erit probabilis; ad probabilitatem enim etiam speculativam rei moralis, oportet, quod materia sit talis, ut in circumstantiis humanis non afferat inconvenientia, quae eam reddant illicitam; si autem ex se talia inconvenientia affert, eo ipso est intrinsece illicita etiam speculative loquendo.* Cum itaque (ut denique concludamus) vanissima et viro Theologo plane indigna dicenda sit haec ratio excusandi Sedis Apostolicae Acta per plura saecula ad nos usque tam saepe repetita, quasi per meram ignorantiam Romani Pontifices ita dubia usi sint potestate, ut locum dederint iis incommodis gravissimis, propter quae ipsimet usum probabilitatis in subiecta materia damnaverunt; nil mirum videri debet, quod Theologi inania demum argumenta censuerint, quae dubium circa hanc Sedis Apostolicae potestatem iniiciebant, atque adeo temporis decursu res eo adducta fuerit, ut ea opinio iam exoleverit, et *obsoleta* dici debeat.

(*a*) Solemnis dicitur professio, quae fit in Religione aliqua a Sede Apostolica approbata, prouti haec distinguitur a Congregationibus, in quibus vota tantum simplicia emittuntur: quae sane nedum vim habeant praecedens matrimonium solvendi, imo ne sequens quidem efficiunt invalidum, ut dicetur inferius, ubi *de impedimentis mere impedientibus*. Quocirca erronee scripsit Pontius (*De Matrim. Lib. 9. Cap. 6.*), matrimonium ratum solvi per professionem votorum simplicium, quae post biennium tirocinii in Societate Iesu emittuntur; quem errorem e Pontio transcripsit etiam Vincentius De Iustis (*De Dispens. Lib. 2. Cap. 14. n. 106.*). Nam utique ex singulari Privilegio Societati Iesu per Gregorium XIII. concesso ea vota simplicia constituunt impedimentum dirimens, atque idcirco obstrictos iis certe reddunt inhabiles ad valide matrimonium contrahendum; at quod insuper matrimonium iam contractum solvant, ipsa Societas Iesu neque rescivit unquam neque cogitavit. Vid. Suarez (*De Relig. Tr. 10. Lib. 4. Cap. 2.*), Vasquez (*In 1. 2. Disp. 165. Cap. 10.*), Sanchez (*De Matrim. Lib. 1. Disp. 18. n. 6.*), Croix (*Lib. 6. Part. 3. n. 413.*), Schmalzgrueber (*Lib. 3. Tit. 31. n. 210., et Lib. 4. Tit. 6. n. 61-64.*), etc. Accedit Resol. S. Congr. quam refert Barbosa (*Collect. Apostolic. Decis. Coll. 465. V.* Matrimonium, *num. 30.*).

(*b*) Hoc tamen tempus arbitrio iudicis restringi vel prorogari potest; quamquam haud facile ab eo spatio discedere oporteat. Vid. Sanchez (*Lib. 2. Disp. 24. n. 12.*), et Schmalzgr. (*Lib. 3. Tit. 32. n. 1.*). Duo autem menses ex veriori et communiori sententia non a nuptiarum die, sed a die, quo iudex terminum praefigit, computandi sunt. Sanch. (*ibid. num. 21.*) et Schmalzgr. (*ibid. n. 3.*)

post illud quoque bimense, si matrimonium etiam per illicitam debiti negationem consummatum non fuerit, hoc privilegium manet. *Ferraris* (*a*). Neque illud impedit fornicatio habita inter sponsos ante matrimonii celebrationem (*b*). — *Scavini.*

Peccat tamen ille, qui matrimonium cum intentione Religionem ingrediendi contrahit, quin compartem moneat. — *S. Lig. ibid.*

3° Dissolvi potest matrimonium etiam *consummatum infidelium* ex concessione divina, quando alteruter coniugum convertitur *ad Fidem christianam* (*c*), et alter recusat cum eo pacifice cohabitare,

(*a*) Si tamen pars, quae religionem ingressa est, plus aequo professionem differat, vagando de una Religione in aliam intra tirocinii spatium, potest iudex tempus peremptorie assignare, ut vel maneat in aliqua religione, ibique expleto tirocinio profiteatur, vel ad sponsum redeat, et matrimonium consummet. — *Sanchez, Lib. 2. Disp. 24. n. 9.*

(*b*) Excipe nisi in matrimonio manere necessarium sit ad legitimandam prolem, vel reparandum scandalum, aut sponsae honorem. — *S. Alphonsus, Lib. 6. n. 958.*

(*c*) Intellige *conversionem per susceptionem baptismi;* per quam tamen nondum solvitur coniugale cum infideli vinculum, sed tunc solum, quando conversus, renuente altero pacifice et absque Creatoris contumelia cohabitare, alias nuptias contrahit. Quam doctrinam Benedictus XIV. (*Quaest. Can. 546. n. 6.*) *communem, imo communissimam Theologorum et Canonistarum* esse fatetur: unde, nisi mendum typographicum supponamus, vix intelligitur, cur alibi (*De Synod. Lib. 6. Cap. 4. n. 4.*) cum alioquin rursus eam fateatur esse *fere communiter receptam,* et a S. Congregatione Conc. ann. 1679. et 1680. *definitam,* PLEROSQUE tamen DD. dicat oppositum sentire.

Hinc duo consectaria. Nam 1° si coniux, qui manserat infidelis, ad fidem deinde ac baptismum veniat, antequam alter novum matrimonium iniverit; hic ad illum recipiendum tenetur, et compelli ad cohabitandum potest. Ita in *C. Gaudemus 8. De Divortiis;* idque rursus confirmatum a S. Congregat. cum Pontificis approbatione 1. Iul. 1679. et 13. Apr. 1680. refert Benedict. XIV. (*cit. Q. Can. n. 6.*). Ratio, quia coniugium nondum solutum, per alterius baptismum evadit *ratum;* quin et rationem sacramenti, quae (prouti iam definitum nunc est) in christianorum matrimoniis a ratione contractus nequit seiungi, plane assumit, non secus ac scilicet quando matrimonia *in radice* sanantur. 2° Si vero coniugium pristinum per novas conversi nuptias iam solutum fuerit, integrum erit alteri quoque parti (matrimonii quippe vinculum individuum est) alias inire nuptias non solum valide, sed et licite, tum si ad fidem convertatur, tum, ut communior habet sententia, etiamsi in infidelitate perseveret. — *Vid. Schmalzgrueber, Lib. 4. Tit. 19. n. 32-33.*

Cum vero concors sit DD. sententia, coniugem conversum, si alter infidelis cohabitare renuat, etc., posse aut Religionem profiteri, aut sacros Ordines suscipere, in neutra hypothesi, etsi alter dein convertatur, instauratur denuo coniugium, nisi forte adhuc novitius ille sit, aut minores dumtaxat Ordines susceperit. Ratio, quia per religiosam professionem, itemque per sacros Ordines status assumitur cum matrimonio incompossibilis (*Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 19. n. 37. — Sanchez, Lib. 7. Disp. 76. n. 6. — De Iustis, Lib. 2. Cap. 15. n. 40.*); quod item tenendum putat Sanchez (*l. c.*), si conversus votum absolutae castitatis emiserit. Et in hypothesi quidem emissae professionis religiosae *matrimonium resolvi, verius* (inquit Maschat *Inst. Can. Lib. 4. Tit. 19. n. 9.*) *affirmant S. Bonaventura, Sanchez,* etc.; et *commune Theologorum placitum* (inquit Sanchez *l. c. n. 9.*) *hoc a simili*

vel non cohabitat nisi cum *iniuria Creatoris*, et Religionis christianae contemptu, aut conatum adhibet, ut partem fidelem pervertat (*a*). Deducitur ex Declaratione *Innocent. III.* apud *S. Lig.*

deducit. Si enim ea vis concessa est a Christo professioni Religionis, ut dissolvat vinculum matrimonii rati inter fideles, multo magis dissolvet matrimonium tempore infidelitatis consummatum, quod ratum non est ex C. Quanto 7. De Divortiis. In hypothesi autem sacri dumtaxat Ordinis suscepti, aut voti absolutae castitatis emissi, cum matrimonii vinculum ex communi sententia non solvatur, et alioqui coniux his vinculis obstrictus restitui sine dispensatione non possit alteri coniugi forte converso; tunc si prius conversus dispensationes libenter non admitteret, alter vero non posset, nisi aegre, in statu continentiae vivere, expediret ad dispensationem recurrere, qua Pontifex, ut sup. dictum est, prioris matrimonii vinculum abrumpat.

(*a*) Periculum perversionis effecit, ut, licet pars infidelis consentiat pacifice habitare cum fideli, interdum tamen non admittatur ad cohabitationem, nisi et ipsa ad fidem convertatur. Qua in re Benedictus XIV. (*De Synod. Lib. 13. Cap. 21. n. 1.*) laudat sententiam Cabassutii, qui (*Prax. Iur. Can. P. 3. Cap. 23. n. 11.*) post Sanchezium concludit, quaestionem definiendam esse *a casuum circumstantiis et moribus regionum.*

Praxis porro fert, ut in locis infidelium, v. gr. inter Sinas, Indos, etc., conversis permittatur, ut cum infideli cohabitent, et rursus ut ad alias nuptias iuxta doctrinam Pauli transire possint, si infidelis aut nolit cohabitare, aut non consentiat cohabitare nisi cum iniuria Creatoris; et huc spectat *Cap. Gaudemus* Innocentii III. et Declaratio allegata a Benedicto XIV. (*l. c.*). Inter nationes vero christianas praxis invaluit, ut cohabitatio non permittatur cum parte, quae obstinate sectae infideli, v. gr. iudaicae, adhaereat, quamvis haec protestetur, se pacifice velle cohabitare. Vide Sanchez (*Lib. 7. Disp. 73. n. 12.*), qui recte animadvertit, et in hoc casu locum habere ea adiuncta, propter quae Apostolus docuit, conversum posse, dimissa parte infideli, ad alias nuptias transire, nec obligandum, ut caelibem vitam ducat; quod sane, cum grave iugum esse queat, a fide amplectenda removere eum posset, imo contra mentem Apostoli ipsum servituti matrimonii in infidelitate contracti subiiceret. Qua de re Cabassutius (*l. c.*) de Iudaeis in ditione pontificia degentibus scribit: *Libertas vero conceditur tam converso coniugi, quam pertinaci, aliis se nuptiis alligandi: sed pertinaci tamen non ante quam conversus aliud coniugium contraxerit.*

Diversitatem autem praxis pro locorum et adiunctorum diversitate cernere est in Decreto Concilii Limensis (*Act. II. Cap. 10.*), quod Sixtus V. apostolica auctoritate confirmavit (*Apud Pignatelli Cons. Can. Tom. IV. Cons. 189. prop. fin.*). Sic autem se illud habet: *De iis, qui matrimonio iuncti convertuntur ad fidem, coniuge adhuc infideli permanente, in superiori Concilio provide consultum est, ut si infidelis quidem spem suae conversionis maturam ostendat, christianus nullo modo ad alias nuptias transeat, quemadmodum est sacris Canonibus definitum, sed coniugis lucrum in Christo expectet. Si vero differat conversionem suam, neque tamen coniugi baptizato perniciosus existat, eum a fide avertendo, aut ad peccatum mortale pertrahendo... tunc et expectandum adhuc esse per semestre tempus, assidue de sua interim conversione admonendum. Sed quoniam tum periculum recens conversi cavendum est, ut si diu permanserit in toro infidelis, fidem Christi fortassis amittat..., tum vero libertati illius consulendum est, ne caelebs vivere cogatur...; idcirco decernimus, ut transacto sex mensium spatio res ad Episcopum deferatur, qui bene perspecta causa, fideli declaret, copiam esse aliud matrimonium ineundi.... Quod si nullum esse periculum in cohabitatione viderit, iubeat expectare*

n. 956., etc. Concessio autem haec divina eruitur ex verbis Apostoli, *1. Cor. 7. 12.*, ubi ait: *Si quis frater uxorem habet infidelem et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam....; quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi: in pace autem vocavit nos Deus.* Eandem fusius explicat Innocentius III in *Cap. Quanto 7. De Divortiis.* — *Vide plura in Cas. n. 903. et seq.* (*a*).

infidelem, vel etiam consulat cohabitare, si prodesse intelligat iuxta Pauli Apostoli consilium. Neque enim potest omnibus conversis eadem lex praefigi, cum occurrant profecto variae circumstantiae, neque sit omnium infidelium eadem ratio.

(*a*) Addendum hic (quod A. praetermittit), antequam conversus ad fidem secundis nuptiis se obstringat, necessarium esse interpellare coniugem adhuc infidelem, ut constet scilicet, velitne *pacifice cum converso cohabitare,* etc., aut, pro diversis circumstantiis, *velitne et ipse fidem amplecti,* etc. Ratio patet, quia sicut in dubio de morte prioris coniugis ad secundum coniugium ineundum opus est inquirere; an ille mortuus reipsa sit; sic in casu inquirendum est, an coniux infidelis, iuxta Paulinam phrasim, reipsa *discedat.*

Et Card. quidem Brancatius, quem exscripsit dein Clericatus (*De Matrim. Dec. XI. n. 21.*), censuit (*In 4. Sent. Disp. 16. n. 198.*), hanc interpellationem adeo necessariam esse, ut invalidum habendum sit matrimonium, quod non explorata prioris coniugis infidelis voluntate contrahatur; hanc autem affert rationem (*ibid. n. 199.*), quod *Privilegium non habet suum robur, nisi serventur conditiones exactae a legislatore. Atqui* (ait) *conditio praecipua est, ut infidelis discedat.* — At enim ut argumentum concluderet, *Minor* deberet ista esse: *Atqui conditio necessaria ad valorem matrimonii est, ut fidelis prius investiget et noscat, infidelem velle discedere.* Hoc autem nec ipse probat, nec, puto, facile quispiam probabit. Et sane certum pariter est, coniugium secundum non esse validum ante mortem prioris coniugis. Verum male hic ratiocinaretur, quisquis confundens conditionis eventum cum eiusdem eventus notitia sic concluderet: *Ergo in dubio de morte coniugis invalidum est aliud matrimonium, quod contrahatur non sublato dubio, an hic reipsa mortuus sit.* Recta conclusio est, peccare eum, qui sine certa notitia mortis prioris coniugis aliud contrahit matrimonium: hoc autem validum aut invalidum esse, prouti vivens vel mortuus, quo tempore novum coniugium contrahebatur, prior coniux erat. A pari in casu nostro concludes, peccare utique fidelem, qui coniuge infideli inconsulto, atque adeo ignorans, an velit *discedere,* novas nuptias contrahit; veruntamen has validas aut invalidas existere, prouti conditio istius *discessus* existit vel non existit. Argumentum vero, quod pro Brancatii opinione quidam, praesertim Missionarii, desumi putarunt ex S. Congreg. de Prop. Fid. Declaratione ann. 1816., multiplicem ob causam claudicat. Quippe aliae suppetebant rationes, propter quas secundum cuiusdam Tullii cum Martha matrimonium invalidum censeretur, uti genuina Acta S. Congregationis inspicienti facile patet. Vid. Sanchez (*Lib. 7. Disp. 74. n. 13-18.*), ubi de interpellationis necessitate ac modo, tum etiam de induciis infideli concedendis disserit.

Potior difficultas est, quid sit agendum, quando conversus interpellare alium non potest; quod duplici praesertim de causa contingere potest, nempe vel quia adiri infidelis non potest, vel quia non constat, quaenam e pluribus personis sit interpellanda, v. gr. cum ignoratur, quaenam e pluribus, quas quis habet, vel habuit, legitima sit eiusdem uxor.

Et quoad primum casum, missa fiat nunc quaestio de infideli, qui ma-

PUNCTUM II.

De firmitate matrimonii quatenus spectat torum, et de divortio a toro.

760. Principia. — I. Coniuges ratione vinculi matrimonialis tenentur simul cohabitare, et vitam socialem ducere. Ratio eruitur ex ipsamet matrimonii definitione.

litiose fugerit vel latitet, ne interpelletur. Ut enim advertunt DD. (*Vid. Clericatum, De Matrim. Decis. XI. n. 26.*), satis tunc constat, eum nolle converti aut cohabitare; et ideo poterit fidelis libere aliud matrimonium inire. Quaestio est, quando interpellari infidelis non potest, quia, ubinam sit, ignoratur, vel adeo distat, ut monitio censeatur impossibilis.

Plures (*plerosque* fuisse fatetur Benedictus XIV. *De Synod. Lib.6.Cap.4. n. 3.*) docuerunt, in casu non opus esse interpellatione eo *quod moraliter tunc certum sit, infidelem nolle converti, ac relinquere suos, ut legitime cum converso cohabitet: nulla autem monitione opus sit, quando de eius obstinatione moralis adest certitudo.* Vid. Sanchez (*Lib. 7. Disp. 74. n. 14.*), et Clericatum (*De Matrim. Decis. XI. n. 26.*). Verum aegre quis forte haec admittet. Nam ratio distantiae, et ignorantia loci, quo delatus sit proprius coniux (v. gr. si ex Africa raptus et abductus sit maritus, delatusque ad Americas), utique spem illum recuperandi forte auferent uxori in media Africa relictae; at quod haec insuper obstinate nolit aut converti aut cohabitare cum illo, si forte inveniatur, undenam certo evincitur? Immo experientia non raro oppositum ostendit, et aliquando ad fidem christianam prius relictus coniux, quam abductus, venisse deprehensus est.

Pontius (*De Matrim. Lib. 7. Cap. 48. n. 22.*), quem deinde exscripsit Benedictus XIV. (*De Synod. Lib. 6. Cap. 4. n. 3.*), contendit, fidelem *nubere non posse, nisi dispensatio Pontificis accedat, qua suppleatur ea admonitio,* scilicet (uti explicat Benedictus XIV. *l. c.*) *ut novum possit matrimonium iniri, omissa interpellatione alterius coniugis infidelis, quem constat legitime interpellari non posse.* At vero si haec ita intelligantur, ut unicus dispensationis effectus sit deobligare fidelem ab inquirendo, velitne coniux *discedere,* vel *non discedere;* merito haec opinio poterit intolerabilior videri, quam praecedens Sanchezii. Haec enim demum saltem adesse supponit moralem ideoque sufficientem certitudinem *discessus* coniugis infidelis; et idcirco supponit adesse illam essentialem conditionem, quae ex Pauli Apostoli doctrina et necessaria est et sufficit, ut fidelis ad alias nuptias transire, soluto prioris coniugii vinculo, possit. Contra vero posterior Pontii opinio nihil curans de existentia vel non existentia necessariae illius conditionis, putat satis negotio consultum esse, si quis ope dispensationis nihil de voluntate infidelis, *velit, nec ne, discedere,* ulterius inquirat: perinde nimirum ac si in dubio de morte prioris coniugis quispiam ad valide contrahendum aliud matrimonium, satis esse existimet, authentice a magistratu declarari, inquisitionem de coniugis vita aut decessu valde difficilem aut etiam moraliter esse impossibilem! nam huc demum totam vim dispensationis pontificiae in hac quaestione revocant. Qua in re partes quoque, prope dixerim, ridiculas Pontificiae potestati reservant, nimirum ut *dispenset ab interpellatione coniugis, quem non posse interpellari legitime constat!* At enim si forte conditio ab Apostolo requisita reipsa desit, et coniux v. gr. relictus in Africa potius quam *discedat,* certum gerit animum fidem coniugi suo in tempus omne servandi; quomodo vinculum matrimonii huius legitimi et consummati cessabit? Quid si coniux iste re-

II. Divortium tamen seu separatio a toro vel habitatione iustis de causis fieri potest, manente nihilominus coniugali vinculo, ita ut neutra pars possit ante mortem alterius inire aliud matrimo-

lictus christianam fidem ac baptismum iam susceperit, quando coniux in servitutem abductus ad baptismum venit, vel saltem quando de novis nuptiis cogitat, adeo ut prius illud matrimonium iam *ratum* evaserit, et *ratio Sacramenti* ipsi accesserit? Undenam, quaeso, solutionem huius vinculi, ad novum matrimonium ineundum essentialiter sane praerequisitam, in opinione Pontii repetemus?

Alia igitur ratione prospiciendum fuit isti difficultati, quam non esse chimaericam facta luculenta testabantur. Quod enim etiamnum in nundinis Aegypti contingit, ut venumdentur tum masculi tum feminae e mediterraneis Africae plagis in servitutem abducti, qui tamen matrimonio iuncti sunt; id ipsum factitatum scimus et elapsis saeculis, ut immensis Americae desertis coloni compararentur. Quos cum christiana Missionariorum charitas ad fidem perduxisset, gravis instabat difficultas, quo pacto iis consuleretur, quos nec continentes habere, nec matrimonio iuvare, utpote pristinis coniugiis adstrictos, facile dabatur. Usui enim facultatis, quam Apostolus ad fidem conversis concedit, obstabat, non modo quod interpellari coniuges barbaris in locis relicti non possent, sed etiam quod experientia compertum fuerat, non raro ope Missionariorum etiam relictos in Africa coniuges iam ad fidem conversos, et baptismo expiatos fuisse. Opus igitur fuit remedio, cuius ope miseri illi sive in servitutem peregre abducti, sive in patria sine coniuge relicti matrimonio non carerent, etiam quando nubendi facultati per Apostolum concessae nullus amplius locus forte superesset; et cum novum matrimonium, prioris matrimonii vinculo manente, contrahi non possit, opus erat remedio, per quod prioris matrimonii vinculum certo solveretur, etiam quando huic solutioni nullum aditum praebebat prioris *discessus*.

Et hoc profecto remedium est quod et Gregorius XIII. et dein Urbanus VIII. in Litteris, quas in Nota praec. memoravimus, adhibendum censuerunt. Nam disertissime in iis expressus apparet etiam casus, in quo nullus potest esse locus facultati per Apostolum factae occasione infidelis coniugis *discedentis;* quando scilicet non modo ignoretur hic discessus, sed supponatur et deesse, propterea quod et alter coniux in iisdem Litteris exhibetur uti ad fidem iam conversus, quo tempore alter novas nuptias contrahebat. *Quae matrimonia* (inquit Gregorius), *etiamsi postea innotuerit, coniuges priores infideles suam voluntatem* (voluntatem nempe adhaerendi suis coniugibus; nam secus eiusmodi voluntas nihil intererat) *iuste impeditos declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida et firma esse.* At enim quomodo *valida et firma* esse queant secunda connubia, nisi praecedentia vincula sint soluta? Porro soluta haec haberi non poterant vi Paulinae concessionis, uti patet, quia deest necessaria conditio, idest prioris infidelis coniugis *discessio;* prioris ergo vinculi ablatio adscribenda est Apostolicae potestati, quae vi concessae illius dispensationis, infidelium matrimonia, nondum post conversionem ad fidem *consummata,* sed adhuc *mere rata,* solvendi auctoritate pollet, et de facto dissolvit. Et hac prorsus de causa Gregorius XIII. et dein Urbanus VIII. hanc dispensationem largituri, in iisdem Litteris mentionem huius potestatis diserte iniiciunt, per ea verba: *Idcirco Nos attendentes, huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, nos tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint,* etc.; quae animadversio prorsus abs re iisdem Litteris insereretur, nisi in dispensatione ibidem concessa exercitium seu usus huius potestatis Apostolicae intercederet.

nium. Id declaratur a *Conc. Trid. sess. XXIV. Can. 8.: Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges, quoad torum seu quoad habitationem, ad certum incertumque tempus fieri posse decernit, anathema sit.*

Quod vero Pontius has Litteras prae oculis habens, affirmare (*l. c.*) potuerit, ex illis non colligi, Pontificem dissolvisse ea matrimonia, sed tantummodo declarasse, tunc verificari casum, *quod infidelis non velit cohabitare cum fideli,* quandoquidem (ait) *tanto tempore fidelis non requiritur ab infideli* (quae omnino sunt perridicula, dum ex hypothesi *interpellatio supponitur impossibilis,* et Pontifex, ut patet ex eiusdem verbis, supponit infidelem, *iuste impeditum, non potuisse declarare suam voluntatem*), haec, inquam, ab eo explicari tantum possunt, qui noverit, Pontium caeca abreptum libidine contradicendi Sanchezio (Sanchez enim affirmaverat, Pontificem per eas voluisse matrimonia, ubi opus esset, dissolvere) non hoc solum loco, sed saepe saepius ac passim per operis sui decursum ad paradoxa absurdasque opiniones divertisse. Et plane dolendum, quod hoc Pontii paradoxum in opus quoque irrepserit Card. Lambertinii de Dioecesana Synodo (*Lib. 6. Cap. 4. n. 3., et Lib. 13. Cap. 21. n. 3–4.*), unde factum est, ut haec quaestio, alioqui satis simplex, potiusquam ibi nova aliqua luce, ut quoad alias saepe accidit, perfundatur, densioribus obvolvatur tenebris, et inextricabilibus difficultatibus implicetur; idque etiam quoad alterum casum sup. propositum, ad quem gradum facimus.

Alia itaque difficultas est, quando interpellatio coniugis infidelis ideo prope impossibilis evadit, quia ignoratur, quaenam e pluribus uxoribus, quas quis actu habeat vel habuerit, interpellanda, ceu legitima, sit. Quamquam enim post promulgatam evangelicam legem sola *prima* iure sit legitima; at quaenam sit vere prima uxor, inter barbaros, qui facile uxores repudiant, subinde incertum fit. Contingit nimirum, ut prima cuiuspiam uxor alii prius nupserit, et ab hoc repudiata fuerit; neque tamen hinc cessat dubium; nam incertum est, an prioris viri, qui aliam forte uxorem prius repudiaverat, ista legitima coniux fuerit; et rursus eadem de causa non constat, utrum prioris illius viri prima uxor legitima extiterit, utpote et ipsa in antecessum ab alio marito repudiata, cuius tamen an esset legitima uxor iisdem de causis dubium est: et ita porro prope in infinitum est abire, quin tamen certi aliquid statuere detur.

Haec porro rerum conditio iamdiu valde anxios habuerat eorum locorum Episcopos, parochos, missionarios, etc. Nam qui convertebantur ad fidem, cum unam tantum sibi uxorem deligere ex iis iuberentur, quas vel habebant vel habuerant, fere quampiam cupiebant, quae fidem et ipsa amplecteretur, licet prima non esset. Hinc duplex scopulus. Nam primam, quae interpellari posset, invenire, nedum difficile, prope impossibile interdum videbatur; etiamsi autem inveniri potuisset, durum accidebat neophytis dimittere eam, quam praediligebant, et ideo plures ab amplectenda fide absterrebantur. Aliunde vero quomodo solutum credi poterat, si quod extabat, prioris matrimonii vinculum, quandoquidem vel interpellari non poterat prior, quae ignorabatur, uxor, vel interpellata quoque et cohabitationi consentiens, a viro, uti exosa, reiiciebatur? In neutro igitur casu locum habebat venia a Paulo facta transeundi ad alias nuptias, atque adeo prioris vinculi solutio; non in posteriori casu, quia aperte deerat causa dimittendi primam ac legitimam uxorem, quae manere potius cum coniuge voluisset; non in priori, quia de primae uxoris *discessu* constare non poterat, et idcirco non magis licebat de novis nuptiis deliberare, quam si quando de vita aut decessu prioris coniugis resciri nihil possit.

Hisce ad Apostolicam Sedem delatis, S. Pius V. Litteris 2. Augusti 1571. datis, remedium adhibens haud dissimile, ac dein Gregorius XIII., decrevit,

761. — III. Causae eiusmodi divortium cohonestantes sunt: mutuus consensus, grave animae vel corporis periculum, et alterutrius adulterium; quas causas ita pro praxi intelliges.

1° *Mutuus consensus:* scilicet uterque coniux simul possunt iuri

posse conversos manere cum ea e pluribus, quas duxissent, uxore, quae simul cum marito baptizaretur, licet haec nec prima nec legitima extitisset. *Cum itaque* (inquit) *sicut accepimus, Indis in sua infidelitate manentibus plures permittantur uxores, quas ipsi etiam levissimis de causis repudiant; hinc factum est, quod recipientibus baptismum permissum sit permanere cum ea uxore, quae simul cum marito baptizata existit; et quia saepenumero contingit, illam non esse primam, unde tam ministri quam Episcopi gravissimis scrupulis torquentur, existimantes illud non esse verum matrimonium; sed quia durissimum esset separare eos ab uxoribus, cum quibus ipsi Indi baptismum susceperunt; maxime quia difficillimum foret primam coniugem reperire; ideo nos statui dictorum Indorum paterno affectu consulere, ac ipsos Episcopos ac ministros ab eiusmodi scrupulis eximere volentes, motu proprio et ex certa scientia nostra, ac Apostolicae potestatis plenitudine, ut Indi sic, ut praemittitur, baptizati, et in futurum baptizandi, cum uxore, quae cum ipsis baptizata fuerit, et baptizatur, remanere habeant tamquam cum legitima uxore, aliis dimissis, Apostolica auctoritate tenore praesentium declaramus; matrimoniumque huiusmodi inter eos legitime consistere,* etc. Porro cum legitime consistere haec matrimonia non potuerint, nisi prioris coniugii vinculo dissoluto; cumque solutio vinculi in casu tribui non possit facultati a Paulo Apostolo concessae ob prioris uxoris infidelis *discessum*, manifestum est (nisi si quis malit dicere, S. Pium V. dispensasse, ut duas simul legitimas uxores Indi habere possent), Romanum Pontificem ex potestatis plenitudine primum illud, si quod extabat, vinculum solvere et auferre voluisse.

At enim ecce hic quoque Pontius, cui instar horrendi spectri erat sermo de Romano Pontifice haec dissolvente coniugia per potestatem extraordinariam, et post Pontium Lambertinius (*De Syn. Lib. 13. Cap. 21. n. 4.*) distorquent et hanc S. Pii Constitutionem ad meram dispensationem, ut iuridicae interpellationi coniugis infidelis substituatur extraiudicialis notitia de impossibilitate illum interpellandi: et sic rursus ridiculam inducunt scenam Pontificis, qui Apostolica auctoritate dispenset ab interpellando eo coniuge, qui interpellari non potest, et coniugis *discessui*, quem Apostolus requirit, subroget ignorantiam, *an velit discedere,* quasi haec unum idemque sint, perinde ac in ordine ad novas nuptias celebrandas unum idemque habendum sit, coniugem priorem esse mortuum et ignorari num sit mortuus, an adhuc vivat! Quod idem repetitur in eiusdem Lambertinii *Quaest. Can. 546. n. 37.*, ubi pro uno eodemque habetur, *difficillimum esse primam coniugem reperiri,* et *hanc iuxta Apostoli verba discedere, licet non fuerit interpellata!*

Posteriori hoc loco addit Lambertinius etiam eiusmodi argumentum: *Ut ex Brevi S. Pii V. argui posset dispensatio in matrimonio consummato infidelium, ostendendum esset, eundem Summum Pontificem supposuisse, repertam fuisse primam uxorem..., et hoc minime obstante eundem Pontificem declarasse validitatem matrimonii cum secunda aut tertia uxore ad fidem conversa.* Sed hoc alii facillime negabunt, utpote quod falsum nullo negotio ostenditur. Nam ut arguatur dispensatio quoad vinculum in praecedentibus infidelium matrimoniis, sufficit duo haec statuisse: 1° S. Pium decrevisse, ut matrimonium dein cum altera contractum ab *omnibus ac semper* legitimum haberetur; 2° contingere tamen quandoque potuisse, ut praecedentis coniugalis vinculi solutio prioris coniugis *discessui*, iuxta phra-

proprio renuntiare quoad torum, sive ad tempus sive in perpetuum, dummodo absit incontinentiae periculum (*a*). Item separari possunt etiam quoad habitationem sive ad tempus negotiorum causa, sive in perpetuum ob vitae perfectioris desiderium (*b*).

sim Apostoli, adscribi non posset. Atqui primum manifeste liquet ex S. Pontificis verbis; quoad alterum vero quisnam quaeso, aut cur dixerit *impossibile*, quod prima coniux, si forte reperiretur (S. Pius dicit id *difficillimum*, non autem *impossibile*), coniugi suo legitimo, praesertim si ipsa cum ad fidem conversa iam esset vel converti esset parata, adhaerere vellet? Quae cum satis sint manifesta, pluribus, quae in eandem rem afferri possent, adiungendis parcemus.

Illud unum iuvat quoad praesentem materiam addere, optandum, ut publicam in lucem prodeat Rmi P. Camilli Tarquini, in hoc Romano Collegio Iuris Canonici Professoris opusculum, in quo solide pro more suo, ac pererudite quaestionem versat, an privilegium Paulinum, de quo diximus, tunc etiam valeat, cum quis ex infidelitate ad Communionem Christianam, a Catholica tamen Ecclesia seiunctam, per baptismum se recipit. Nihil enim dubito, quin spectatis rationibus ab ipso allatis, in eius sententiam, quae affirmativam partem tenet, quisque sit concessurus.

(*a*) De hac re bene Laymann: *Propter incontinentiae periculum consultum non est coniugibus continentiam vovere, nisi praemissa matura deliberatione et longa experientia, quod facile continentes ambo esse possint: atque post votum toro eos separari oportet* (*Lib. 5. Tr. 10. Part. 3. Cap. 7. n. 1-2.*).

(*b*) Duplici modo contingere hoc potest: 1° per alterutrius aut utriusque coniugis ingressum in Religionem; 2° per susceptionem Ordinis sacri, et alterius vel religiosam professionem, vel saltem continentiae votum.

Et ad primum quod attinet, si alteruter, altero consentiente, Religionem amplectatur (idque ut licite fiat, Episcopi consensus requiritur ex *C. Si vir 23. Caus. 27. q. 2.*), coniux relictus, si iuvenis sit vel suspectus de incontinentia, debet et ipse Religionem ingredi; si vero senex, et nullatenus de incontinentia suspectus, saltem continentiae votum in saeculo emittat, oportet; cogique opportuna ratione ab Episcopo poterit ad honeste vivendum, si forte sponte promissa non servet. Si autem altero coniuge vel invito vel inscio in Religione profiteatur, et profitetur invalide (etiam si forte ex communi consensu prius votum continentiae emiserint), et coniugi relicto reddetur (*C. Quidem 3. et C. Placet 12. De Conv. Coniug.*): insuper (nisi forte profitendo noluerit continentiam vovere nisi dependenter a valore professionis) tenebitur eo iure (*cit. Cap. Quidem*), quod professionem illam habet saltem ut continentiae votum; unde et *exigere* debitum, et ad alias nuptias, post alterius coniugis mortem, transire non potest. — Vid. Schmalzgrueber, *Lib. 3. Tit. 32. n. 24-28.*

Quoad alterum vero, uxor, ex cuius consensu vir sacros Ordines suscipiat, iisdem legibus adstringitur, ac coniux relictus altero religiosa vota profitente, nempe ut vel ingredi Religionem et ipsa debeat, aut si provecta sit aetate, etc., saltem votum continentiae emittat. Religiosum tamen habitum assumere deberet, licet vetula esset, et quodvis abesset incontinentiae periculum aut suspicio, quando vir sacris initiatus forte ad Episcopatum assumeretur, ut expresse habet *C. Sane 6. De Conv. Coniug.* (Vid. Schmalzgr. *Lib. 4. Tit. 6. n. 38.*).

Licet autem votum continentiae, quod uxores in saeculo relictae in praemisso casu emittunt, sit *simplex*, et quatenus simplex est, suapte natura videatur non esse impedimentum dirimens matrimonii; certum tamen est apud DD., et expresse sancitum in iure canonico, ut hae mulieres, etiam post *coniugis sacris initiati* mortem, non possint *valide* aliud matri-

2° *Periculum grave animae*, si adsit perversionis periculum in uno ex causa alterius; et *periculum grave corporis*, si immineat periculum vitae aut mutilationis, vel si cohabitatio ex parte unius erga alium adeo evadat molesta, ut moraliter impossibilis reddatur; id eveniret, si coniux enormes aut frequentes saevitias pati cogeretur.

3° *Adulterium alterutrius*, scilicet tale, ut sit 1° certum (*a*); 2° voluntarium, non vero ex illata violentia patratum; 3° non condonatum sive expresse, sive implicite, v. gr. per actum coniugalem (*b*); 4° non mutuum, quia tunc existeret compensatio. Patet ex verbis Christi, *Matth. 5. 32.: Qui dimiserit uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam moechari*, etc. Quod si licet viro, eadem ratione etiam uxori licitum esse debet (*c*).

monium inire: quinimo idem tenendum docent, etiamsi mulier non vovisset continentiam, quando veniam suscipiendi sacros Ordines marito dedit. Vid. Sanchez (*Lib. 7. Disp. 40.*), et Schmalzgr. (*Lib. 4. Tit. 6. n. 40-42.*). Dixi, post coniugis *sacris initiati* mortem; quia si maritus, non susceptis sacris Ordinibus, mere in Religione profiteretur, illicite quidem, sed non invalide post eius mortem, non obstante continentiae voto, uxor alteri nuberet.

(*a*) Certitudo requiritur tantum *moralis*, ut habet ex communi DD. sententia S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 961.*). Communiter enim DD. monent, cum delicta carnis sint difficilis probationis, ideo ad probandum adulterium non esse requirendos testes, sed adhibendas coniecturas, ac sufficere praesumptiones, ut aiunt, violentas, quibus moralis quaedam certitudo inducatur, prudenter scilicet credi possit, crimen fuisse perpetratum; quas quidem praesumptiones recenset Alexander III. (*in C. Litteris 12. De Praesumpt.*). De his vide inter alios Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 19. n. 116-117.*).

(*b*) Intellige, si *scienter* ac *sponte* obsequia et signa coniugalis affectus coniux coniugi exhibuerit. Nam ubi sola affuerit adulterii suspicio, usus matrimonii non praeiudicat innocenti; itemque si, lite pendente, iudex iubeat, ut interim uxor debitum reddat, aut maritus reus ad usum matrimonii uxorem gravi metu adigat.

(*c*) Adverte ex communi DD. sententia nomine *adulterii* hic venire quamlibet *carnis divisionem*, licet adulterii proprie dicti rationem non habeat, cuiusmodi est sodomia et bestialitas. Dixi, ex *communi sententia;* nam ex mero errore typographico penes S. Alphonsum (*Lib. 6. n. 960.*) ceu contrarii exhibentur *Sanchez* et *Filliuccius;* et Pontius ipse (*De Matrim. Lib. 9. C. 16. n. 5.*) licet ad ingenii ostentationem contra attulerit ratiunculam, quam nemo non sprevit, conclusit, *in praxi non recedendum a priori sententia, quae* (ait) *communis est inter Doctores.*

** Monent hic VV. (*Pag. 806.*), errorem typographicum, de quo in *Nota*, non quidem in S. Alphonsi, sed in Hermanni Busembaum textu reperiri; idque verissimum est. Et quidem hunc errorem cernere est non modo penes S. Alphonsum, idest in textu Hermanni a S. Alphonso descripti (*Lib. 6. n. 960, in praec. edit..., erronea metathesi, n. 690.*), sed etiam apud Croix (*Lib. 6. Part. 3. n. 401.*), et in plerisque Hermanni Busembaum editionibus, quae communiter habent: *Bonac. contra Filliuc., Sanch., Perez,* cum alioquin scribi debuisset: *Bonac., Filliuc., Sanch. contra Perez,* qui reipsa (*De Matr. Disp. 56. Sect. 2. n. 3. 4.*) se inepta Pontii ratiuncula abripi passus est. Caeterum si quid et in textu S. Alphonsi (*l. c. n. 962.*) emendandum VV. desiderant, habent in plerisque editionibus allegatum Sanchez *Lib. 16. D. 4. n. 2.*, cum scribi debeat *Lib. 10.* etc. Rursus cum S. Alphonsus pro sententia negante post Sanchesium alleget etiam *Abulensem,* haud inutiliter

762. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An vir, cognito uxoris adulterio, illam dimittere teneatur?*

Resp. 1° Certum est non teneri ratione adulterii, quia divortium fuit concessum in favorem innocentis, non in eius poenam. — *Ita communiter Theologi. — S. Lig. n. 965.*

Resp. 2° Aliquando potest vir teneri ad dimittendam uxorem adulteram ratione correctionis fraternae aut scandali vitandi (*a*); sed rarus est iste casus, tum quia alia media adhiberi possunt ad uxorem corrigendam, aut scandalum vitandum, tum quia grave scandalum ex separatione timendum excusare potest (*b*). Aliunde eiecta uxor maiori periculo, saltem plerumque, exponeretur. — *S. Lig., ibid.*

763. — QUAER. 2° *An, facto divortio, possit innocens alterum cogere, ut ad se redeat?*

addereturr, ex eodem Sanchesio (*Ibid. n. 3.*), *Abulensem, sibi contrarium,* in affirmantem sententiam semel et iterum transisse.

Addunt VV. (*l. c.*): *Testante P. Ballerinio,* Pontius ad ingenii ostentationem affert ratiunculam, quam nemo non sprevit. *Verum ab isto nemine excipiendus est ipse S. Alphonsus, eandem ratiunculam referens et approbans; quod S. Doctoris iudicium, licet P. Ballerini omnino spernendum censeat, apud alios forsitan quidquam valere poterit.*

Resp. Nego, S. Alphonsum referre, aut approbare Pontii ratiunculam. Ratio iuxta Pontium (*Lib. 9. Cap. 16. n. 5.*) est, *quia cum divisio carnis in plures in iure dicitur esse causa divortii, de ea intelligendum, quae iuxta usum naturalem est; idque constat, quia ea divisione inducitur in iure bigamia et irregularitas. Nulla autem turpis coniunctio extra naturale vas bigamiam, et irregularitatem inducet ex bigamia ortam.* Porro hanc ratiunculam utique transcripsit Perez (*l. c.*); sed de ea S. Alphonsus ne verbum quidem habet; atque adeo et ipse illam sprevit. Et merito quidem eam ratiocinationem sprevit S. Doctor, quasi nempe ex bigamia, quae irregularitatem inducit, petenda generatim foret ratio ac natura divisionis carnis. Et sane si coniux adulterium committit, fatente Pontio, dividit carnem, nec tamen fit bigamus et irregularis; idem dicito de eo, qui cum duabus aut etiam pluribus mulieribus peccaverit, qui sane carnem divisit, neque per hoc bigamus habetur. Contra vero si quis in uxorem duxerit viduam, carnem suam non idcirco dividit, et tamen censetur bigamus et irregularis, sicut etiam si duxerit corruptam. Divisio ergo carnis, ex qua irregularitas bigamiae oritur, nec sola est, nec omnis divisio carnis, sed modus est quidam divisionis carnis; atque adeo putidum sophisma est ex absentia bigamiae defectum divisionis carnis deducere.

Caeterum quod ad meram ostentationem haec a Pontio prolata videantur, ipsemet Pontius suadet, dum concludit: *Sed quamvis speculative loquendo mihi videatur, quod dixi; attamen in praxi censeo non recedendum a priori sententia, quae est communis inter Doctores.* Atque hinc factum est, ut alii eum communis sententiae defensoribus accensuerint, uti v. gr. Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 19. n. 103.*).

(*a*) Ne scilicet coniux innocens consentire aut saltem connivere alterius crimini videatur. Veruntamen etiam ad hoc vitandum scandalum alia media suppetunt.

(*b*) Potest excusare etiam grave incommodum, v. gr. si exinde familia privaretur sustentatione, aut proles cura et educatione, etc. Si autem de marito haec valent, a fortiori valent de uxore, ut advertit cum aliis S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 964.*).

Resp. 1° *Affirm.*, si agatur de separatione *non iuridica*, quia haec per sententiam iudicis non firmatur.

Resp. 2° *Affirm. probabilius*, etiam in ipso casu *iuridicae separationis*. Ratio est, quia sententia separationis iuridicae fertur in favorem innocentis, et proinde non aufert ius revocandi alterum; nec ad hoc opus est nova iudicis sententia (*a*). Non est tamen cogenda mulier adultera ad redeundum, quoties potest rationabiliter timere, ne dure, acerbe, aut etiam crudeliter tractetur. — *S. Lig., ibid.* etc.

QUAER. 3° *An, facta iuridica separatione ob adulterium, coniux innocens teneatur redire ad compartem revocantem, si ipse postea lapsus fuerit?*

Resp. Neg., probabilius. Ratio est, quia primus adulter per iudicis sententiam iam omnino spoliatus fuit omni iure erga innocentem. — *S. Lig. n. 967.* (*b*).

764. — QUAER. 4° *An divortium privata auctoritate fieri valeat?*

Resp. 1° *Affirm.* quoad *torum*, si iusta subsit causa, ut supra dictum est; et speciatim ratione adulterii; quia iura matrimonii in perpetuum coniugi infideli denegari possunt (*c*).

Resp. 2° Quoad *habitationem* 1° *affirm.*, ratione adulterii, etiamsi crimen occultum sit, saltem *probabilius*, quia Christus divortium hac de causa permittendo non distinxit inter adulterium publicum et privatum. Sed ad hoc requiritur ut crimen sit certum, et ex separatione non interveniat scandalum, quod non possit aliter

(*a*) Advertendum, quod licet pars innocens post factum iuridice divortium ex communi doctrina possit, etiam invita parte adultera, ingredi Religionem aut sacros Ordines suscipere; hoc tamen non conceditur adultero dimisso; qui propterea nec Religionem ingredi nec sacris initiari potest, nisi innocens aut expresse consentiat, aut statum irrevocabilem iam susceperit; et si Religionem ingrederetur, posset ab innocente etiam post professionem revocari (*Sanchez Lib. 10. Disp. 10. n. 12-13.*). Monet tamen S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 969.*) cum Sanchez (*l. c. n. 14.*) sufficere ad id etiam consensum tacitum, si nempe innocens hoc sciat, nec contradicat, cum possit; qui tamen in casu non tenetur aut Religionem ingredi aut voto castitatis se obstringere. (*Vid. Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 19. n. 124-126.*). Id ipsum parti reae concedit S. Alphons. (*l. c.*) post Sanchez (*l. c. n. 16.*), quando innocens rogatus noluerit reconciliationem admittere, aut etiam si eam innocens elapso iam biennio non revocaverit.

(*b*) Licet S. Alphonsus hanc opinionem dicat longe probabiliorem, alii tamen, Canonistae potissimum, uti Fagnanus, Reiffenstuel, Gonzalez, Schmalzgrueber, etc., et cum his Barbosa, Koning, etc. veriorem habent oppositam. Nec omittendum, quod S. Thomas (*In 4. Dist. 35. Q. 1. art. 6. ad 4.*) licet dicat, virum antea innocentem non debere secundum rigorem iuris cogi ad adulteram recipiendam, addit tamen, *secundum aequitatem iuris iudicem ex officio suo debere eum cogere, ut caveat periculo animae suae et scandalo aliorum.*

(*c*) Hoc valet, licet crimen sit occultum; et etiamsi, deficientibus probationibus, a iudice ecclesiastico compelleretur innocens ad reddendum debitum, non teneretur tamen huiusmodi obedire sententiae, quae falsa niteretur hypothesi. Vid. Sanchez (*De Matrim. Lib. 10. Disp. 12. n. 34.*).

reparari (*a*). — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 969.* — Plures tamen dicunt, non esse licitum divortium ob adulterium occultum; quia non licet adulteri famam prodere. 2° *Affirm.* etiam ratione periculi vel animae vel corporis, modo periculum illud valde grave sit. Sed expedit in praxi, ut consilium viri prudentis, praesertim Confessarii, petatur.

Confessarius vero in hoc valde caute procedere debet. Caveat ne facilius credat uxorum adversus viros querelis; satagatque, ut eas compescat, et a divortio, in quantum fieri potest, avertat.

CAPUT IV.

DE MATERIA ET FORMA MATRIMONII

765. — I. Materia *remota* Sacramenti Matrimonii sunt corpora sponsorum in contractu matrimonii invicem tradenda.

Materia autem *proxima* est traditio ipsa corporum, quae per verba aut signa consensum exprimentia perficitur. — *Sic communiter Theologi.*

Nonnulli sunt, qui materiam proximam constituerunt in impositione manuum Sacerdotis: sed haec sententia omni prorsus caret fundamento, et ut obsoleta reiicienda est (*b*).

766. — II. Forma consistit in mutua contrahentium acceptatione verbis aut signis expressa. — *Ita pariter communius.*

Verum quonam pacto consensus, seu contractus contrahentium verbis aut signis expressus, constituit formam Sacramenti, cum etiam in materia reperiatur? Dicendum est contractum, seu consensum sponsorum, reperiri tum in materia, tum in forma Sacramenti Matrimonii, sed sub diverso respectu. Est *in materia,* quatenus mutuam alterius in alterum potestatis traditionem exprimit; est autem *in forma,* quatenus acceptationem huius traditionis significat. Vel, ut alii explicant, verba et signa sponsorum in contrahendo sunt simul materia et forma: sunt *materia,* in quantum exprimunt traditionem corporum; sunt *forma,* in quantum acceptationem traditionis exhibent. — *Ita communiter.*

(*a*) Verum huiusmodi scandalum vix abesse potest, nisi et ipsum coniugium sit *occultum;* et idcirco extra hunc casum *ob scandalum* nec in foro conscientiae posset coniugem dimittere. Et si dimittat, deficientibus probationibus, compellendus esset ad illum recipiendum, ne ansa detur malitiae hominum coniugem forte innocentem, eiusmodi dimissione vexandi.

(*b*) Haec quaestio iam definita est. Postquam enim constat, nullum matrimonium inter christianos esse, quod non sit sacramentum, et valida habenda esse matrimo,nia, quae absque sacerdote forte celebrentur in locis, ubi Decretum Tridentinum de forma matrimonii non viget, manifestum est ad materiam sacramenti nec manuum impositionem, nec aliud quidpiam, quod a sacerdote praestetur, ullatenus pertinere. Quocirca prorsus obsoleta et illa opinio est, quae matrimonii *formam* in verbis a Sacerdote prolatis statuebat (*Vid. infr. n. 768.*).

Quidquid sit, in praxi nullum incommodum est timendum, dummodo in contractu celebrando forma praescripta ab Ecclesia servetur. — *Vide dicenda in capite sequenti de ministro Sacramenti Matrimonii.*

CAPUT V.

DE MINISTRO ET SUBIECTO MATRIMONII

ARTICULUS I.

DE MINISTRO

767.—I. Certum est, ad matrimonii valorem requiri praesentiam Parochi aut delegati, ubicumque Decretum *Conc. Trid.* circa matrimonia clandestina publicatum est. — *Vide dicenda de imped. clandest. n. 836.*

II. Etiamsi alicubi hoc decretum Tridentini promulgatum non fuerit, certum est tamen 1° Ecclesiam semper voluisse, ut Sacerdos ad id deputatus matrimoniis fidelium assisteret; 2° Parochum non posse assistentiam suam in nuptiis fidelium omittere: eumque obligari ad benedictionem impertiendam iuxta ritum in loco proprio receptum; 3° Peccare graviter fideles qui matrimonium clandestine ineunt. Id evincitur ex *Trid. sess. 24., de Reform. matr c. 1.*, etc.

768.—III. Hodie, quidquid nonnulli iuxta obsoletam opinionem antea dixerint, certum est etiam, ministros matrimonii ipsos esse contrahentes. Rationes autem quibus haec doctrina innititur, sunt, 1° Quia *Eugenius IV.* in Decreto *ad Armenos,* sanam circa Sacramenta tradere volens doctrinam, sic statuit: *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.* Neque dubitandum est, quin illa verba, *causa efficiens matrimonii,* respiciant Matrimonium ut sacramentum, siquidem septem Sacramenta in eo Decreto ex professo explicantur. 2° Quia *Concilium Tridentinum, sess. 24. de Reformat., c. 1.*, declarat, matrimonia clandestina fuisse *vera et rata,* quibus vocabulis tunc Theologi et Canonistae exprimebant stricto sensu Sacramenta. 3° Quia ex recenti Declaratione *Pii IX.* referenda *n. 792. et 793.,* constat, matrimonium inter fideles existere nunquam posse absque Sacramento. Unde sic: Matrimonia clandestina ex *Conc. Trid.* sunt valida in locis, ubi non fuit promulgatum Decretum, quo invalidantur; aliunde nequeunt esse valida absque Sacramento: ergo datur Sacramentum Matrimonii, etiamsi a Sacerdote non conferatur; ergo Sacerdos non est minister Sacramenti. — *Vid. S. Lig. n. 897.*

769. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An Parochus assistere possit matrimonio eorum, qui sunt publici peccatores?*

Resp. 1° *Negat S. Lig. Lib. 6. n. 54., cum aliis.* Ratio est, 1° quia *de iure naturali* nemo sine causa gravi et proportionata potest coöperari peccato alterius, etiam materialiter, etsi ille iam interne peccatum consummaverit; 2° quia publice indigni non sunt ad Sacramenta admittendi.

Alii tamen melius affirmant, licet Parochus conari debeat, ut digne contrahant. Ratio est, quia Parochus non est minister Sacramenti, nec illud confert, sed assistit tantum tanquam testis seu notarius publicus, ad quem non spectat examinare contrahentium merita, sed fidem facere, et testari ea, quae videt. — *Lugo, de Sacramentis, D. 8., n. 216., et seqq.* — *Ita communiter*, ut fatetur ipse *S. Lig. n. 54.*

Resp. 2° Etiam iuxta primam sententiam aliquando tali matrimonio assistere potest, nempe ubi urget ratio valde gravis et aliquo modo proportionata malo, quod permittitur in Sacramenti profanatione, etc. v. gr. si Parochus cogeretur metu mortis aut mali fere aequalis (*a*), vel si imminerent gravia mala communitati, aut si sponsi iam sint coniuncti civiliter, ut in Gallia evenire solet,

(*a*) Auctores huius opinionis nimium quid videntur exigere. Obligatio quippe, quae concipi posset, impediendi contrahentium peccatum, cum sit obligatio charitatis, non tam grave exigit incommodum, ut quis ab ea excusetur. Bene advertit Lugo (*De Sacram. Disp. 8. n. 219.*), *eam cooperationem esse valde materialem et inculpabilem parocho, qui non potest negare suam assistentiam, quam debet ut minister publicus: sicut nec publicus notarius vel iudex potest negare auctoritatem sui muneris contractui alicui legitimo, licet contrahentes ex intentione prava peccent in ipso contractu; et sicut uxor non peccat reddendo debitum coniugale viro petenti contra votum castitatis, quod habet; sic nec parochus peccat assistendo, quia reddit, quod ex munere suo debet, et quod absque gravi inconvenienti negare non potest.*

Et haec quidem validissime confirmantur ex iis, quae tradunt DD., ubi quaerunt: *Utrum coniux ipse, quatenus minister Sacramenti, peccet mortaliter, contrahens matrimonium cum peccatore.* Ut enim inquit idem Lugo (*ibid. n. 226.*), *Nullus iniecit adhuc talem scrupulum personis catholicis, ut non possint libere contrahere matrimonium cum peccatoribus, nec ullus Theologus obligat feminam ad repellendum sponsum et negandum consensum matrimonii, quamdiu ille est in statu peccati; sed unusquisque tenetur se ipsum in gratia constituere; consortem vero relinquit suae conscientiae, ut constat ex usu omnium fidelium.* Alias probationes vid. apud eundem De Lugo (*ibid. n. 227-229.*), qui tamen advertit (*ibid. n. 219.*), quod parochus, *si posset facile petentem admonere, et removere ab ea indigna receptione Sacramenti, deberet utique ex lege charitatis id facere; persistenti autem et volenti contrahere matrimonium, non potest assistentiam debitam subtrahere.*

** Advertunt VV. (*Pag. 947. in Not.*), S. Alphonsum non fateri, opinionem affirmativam esse communem, prouti ipsi adscribitur in textu Gury. Nam S. Doctor id dixit de iis, qui essent indigni ratione peccati vel censurae occultae. Resp. Hoc verum est; non tamen id impediet, quominus cum Croix (*Lib. 6. Part. 1. n. 147.*) illa sententia dicatur communior, et admitti in praxi possit non modo propter DD. auctoritatem, sed etiamq uia rationes, quae apud S. Alphonsum contra afferuntur, plane rem non conficiunt.

cum matrimonium civile ecclesiasticum praecedere debeat. Maius enim malum, maiusque scandalum ex fornicaria cohabitatione sequeretur. — *S. Lig.*, *Bouvier*, etc. — Minor esset difficultas, si unus e sponsis esset innocens, aut in meliorem vitam mutatus; quia tunc liceret Parocho matrimonio assistere in favorem innocentis. Imo nulla superesset difficultas, si sponsi in concubinatu versarentur. Tunc enim per matrimonium tolleretur tum scandalum, tum peccati occasio.

770. — Quaer. 2° *Benedictio nuptiarum potestne abstrahi a celebratione Missae?*

Resp. Negandum est. Nam interrogata *S. Congr. Rit.*: *An vigentem pluribus in locis consuetudinem matrimonium celebrandi hora pomeridiana, simulque benedictionem nuptialem sic extra Missam etiam tempore vetito ex Ordinarii licentia dandi, liceat retinere, cum vix spes sit fideles adigendi, vel ad mutandum celebrationis matrimonii tempus, vel ad benedictionem supplendam?* responsum fuit: *Servetur Rituale Romanum* (die 7. Septembris 1850. *in Rupellen. ad 6.*). Porro ex Rituali Romano benedictio coniugalis non potest nisi inter Missae celebrationem fieri. Confirmatur alia Decisione *S. Congreg. Rit.* die 23. Iunii 1853. *in Limburg.* — Attamen Sacerdos non tenetur Missam applicare pro sponsis, nisi ab iisdem eleemosynam accipiat. *S. Congr. Inquisit.* die 1. Septembris 1841. Sed Missa pro nuptiis assignata dicenda est, licet sponsis non applicetur.

Porro Missa nuptiarum dicenda est singulis diebus, praeter Dominicas, Festa de praecepto, Duplicia 1ae vel 2ae classis, Vigiliam Pentecostes, sed sine *Gloria* et *Credo*. — Quibus vero diebus dici non potest Missa *pro Sponso et Sponsa,* addatur ex illa Missa Commemoratio. — *S. Congr. Rit.* 3. Martii 1818. et 20. Aprilis 1822.

Quando vero nuptiae celebrantur tempore Adventus vel Quadragesimae, non debet in Missa fieri commemoratio pro sponsis per Collectam, Secretam et Postcommunionem; nec licet recitare Orationes in Missali positas post Orationem Dominicam, et *Ite Missa est;* nec debent eaedem Orationes recitari extra Missam, elapso tempore prohibito. — *S. Congreg. Rit.* 31. Augusti 1839.

Insuper si mulier sit vidua, non solum omitti debet benedictio nuptiarum, sed etiam Missa propria pro sponso et sponsa. — *S. Rit. Congreg.* 3. Martii 1761.

Demum prohibetur, et reprobatur usus veli albi explicandi super sponsos. — *S. Congr. Rit.* 7. Septembris 1850. *in Rupellen.*

771. — Quaer. 3° *Quid parocho sit agendum, si sponsi iam sint in Ecclesia ad matrimonium contrahendum, et ex eorum confessione impedimentum adesse deprehendat?*

Resp. 1° Si nuptiae differri nequeant sine periculo infamiae, aut aliis gravissimis incommodis, et poenitens versetur in impedimenti ignorantia invincibili, omittenda est monitio, et permittenda

est matrimonii celebratio, donec dispensatio obtineatur.— *S. Lig. n. 613.*

Resp. 2° Si poenitens sit in ignorantia vincibili, aut si aperte cognoscat impedimentum, nec sine infamia aut scandalo differri possit matrimonium, ne ad dispensationem quidem ab Episcopo obtinendam, tunc maxima est difficultas. Iuxta *S. Lig. ibid.*, et alios posset Confessarius, seu Parochus declarare, legem Ecclesiae de impedimentis non obligare in tantis angustiis, et ad matrimonii celebrationem procedere. Attamen quamprimum, saltem ad cautelam, dispensationem postulare deberet. — Iuxta alios permitti posset simulatio contractus matrimonii cum proposito quamprimum dispensationem ab impedimento petendi. Non potest autem (aiunt) cessare naturaliter impedimentum; lex enim irritans nunquam cessat ob incommodum particulare, quodcumque illud sit. Quoties vero adiri potest Episcopus, adeundus est, quia iuxta sententiam communem in eo casu ab impedimentis Ecclesiasticis dispensare potest. — *S. Lig. n. 613.*

Omnis difficultas cessaret in praxi, si Episcopus a S. Sede facultatem obtineret delegandi Sacerdotes pro cura animarum laborantes, ut in huiusmodi casibus extraordinariis et urgentibus dispensare valeant.

ARTICULUS II.

DE SUBIECTO MATRIMONII

772. **Principia.** — I. Subiectum *Sacramenti* Matrimonii est omnis homo baptizatus, nullo impedimento, sive naturali, sive divino, sive canonico laborans.

Dixi 1°, omnis homo *baptizatus;* homines enim non baptizati non sunt capaces Sacramentorum Ecclesiae, ut patet. *Dixi* 2°, *nullo impedimento laborans;* licet enim *per se* omnis homo baptizatus sit subiectum capax Sacramenti Matrimonii, *per accidens* tamen plures a matrimonio valide contrahendo arcentur propter diversa impedimenta, tum iuris naturalis, tum iuris divini, aut ecclesiastici, ut infra suo loco dicetur, *n. 794.*

Hinc 1° matrimonium infidelium, licet validum esse possit in ratione contractus, non tamen est Sacramentum. Imo fidelis ipse contrahens matrimonium cum infideli, etiam ex Papae dispensatione, iuxta communem sententiam, contra paucos (*a*), sacramen-

(*a*) *Eligat studiosus lector opinionem sibi magis gratam, cum pro utraque militent eximii Theologi et Doctores.* Ita Clericatus (*De Matrim. Decis. 4. n. 25.*). Pro sententia affirmante, fieri pro fideli sacramentum, inter alios est *Andreas Vega,* Theologus tridentinus, et *Ferraris,* qui (*Bibl. Can.* V. Matrimonium *art. 1. n. 19.*) eam studiose defendit, aliosque pro ipsa allegat. Ratio vero, ab A. addita pro negante, levis est momenti, tum quia

tum non recipiet. Etenim signum unionis Christi cum Ecclesia, gratiam sacramentalem conferens, neque in unione viri, neque in unione mulieris, sed in unione utriusque consistit.

2° Haeretici et schismatici, qui ineundo matrimonium leges (*a*) Ecclesiae accurate, et integre servant, valide contrahunt et Sacramento muniuntur, cum nihil sit, quod valori huius Sacramenti obstare possit. Hoc ipsum confirmat praxis Ecclesiae, quae nullimode eos adigit sive ad renovandum consensum, sive ad benedictionem nuptialem recipiendam, si resipiscentes ad Catholicae Ecclesiae unitatem redeant. — *Ita omnes.*

773. — II. Sponsi matrimonium contrahentes, in statu gratiae versari debent, quia matrimonium est Sacramentum *vivorum*. Qui contrahunt peccato mortali coinquinati, rei sacrilegii evadunt, nec gratias sacramentales sponsis necessarias percipiunt. *Probabiliter* tamen illae gratiae sunt tantum suspensae, et remoto obice seu peccato mortali, animae applicantur, uti diximus agendo *de Sacramentis in genere, n. 232*. — Pro praxi si nullus fructus ex monitione speretur, fere melius erit indignum non monere de sacrilegio indigne accedentis, ut saltem sic minus peccet; et potius inducendus erit, ut saltem quamprimum ad confitendum accedat.

774. **Quaesita.**—Quaer. 1° *An parochus exigere debeat, ut praemittatur confessio matrimonio, vel ut libellus confessionis a sponsis exhibeatur?*

Resp. 1° Non potest *absolute per se* id exigere, nisi lex seu praeceptum Episcopi illud statuat. Ratio est, quia quamvis requiratur status gratiae ad hoc Sacramentum suscipiendum, non tamen requiritur necessario confessio, cum contritio absolute sufficere possit etiam iis, qui in statu peccati mortalis versantur. Aliunde Parocho plerumque non innotescit, sponsos in statu gratiae non versari.

Resp. 2° Ubi lex particularis, ut multis in locis, exsistit, Parochus confessionem exigere debet aut saltem illius testimonium. Possunt tamen quandoque occurrere casus, in quibus haec lex exceptionem admittere videatur, uti si matrimonium iam sit civiliter contractum, et una pars testimonium confessionis requisitum exhibeat, etc. Caeterum si sponsus non sit publicus peccator, nec de eius indignitate constet, rationes etiam minus graves sufficere possunt. Sed pro huiusmodi rerum adiunctis consultius est, ut Parochus ab ipso Episcopo resciat, quomodo generatim se gerere debeat.

775. — Quaer. 2° *An liceat matrimonium inire cum publico peccatore?*

essentia sacramenti est, ut significet *gratiam quam confert*, tum quia ex frequentissima Patrum doctrina significatio unionis Christi cum Ecclesia etiam in matrimonio ante legem evangelicam reperiebatur. — Sed haec parum ad praxim conferunt.

(*a*) Intellige leges, quae ad rei substantiam pertinent, cuiusmodi **non** est benedictio nuptialis, quam A. mox memorat.

Resp. Affirm., si nequeat sine incommodo a matrimonio recedere. — *Ita communius.* — Quamvis enim contrahentes conficiant Sacramentum, non sunt tamen ministri ad hoc deputati.

Eadem ratione puella catholica, quae habet graves rationes (v. gr. ob circumstantias familiarum, aliave motiva magni ponderis) matrimonium cum haeretico ineundi, non peccat illud contrahendo, quamvis alteri peccati materiam quodammodo subministret; sed prius petenda est dispensatio, ut infra dicetur.

Vide alia multa de subiecto matrimonii in capite sequenti, ubi *de impedimentis matrimonii.*

CAPUT VI.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII

Leges impedimenta matrimonii statuentes sunt duplicis generis: aliae enim sunt tantum prohibentes, aliae vero irritantes. Impedimenta prioris generis mere reddunt matrimonium illicitum; posteriora vero etiam invalidum. Quippe haec directe et primario ipsum contractum matrimonialem afficiunt, illumque nullum et irritum reddunt ob defectum conditionis absolute requisitae ad valide contrahendum. — Hinc articulus duplex.

ARTICULUS I.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIUM IMPEDIENTIBUS

776. — Impedimenta matrimonium mere impedientia olimsex enumerabantur, his versiculis comprehensa :

Ecclesiae vetitum, nec non tempus feriarum,
Atque *catechismus, crimen,* sponsalia, votum.

Sed impedimenta *catechismi* et *criminis* ex omnium tum Theologorum, tum Canonistarum consensu uti obsoleta modo habentur. Contrahebatur autem *catechismi* impedimentum ab eo, qui respondebat pro infante, quando supplentur caeremoniae post baptismum collatum in necessitate; ex veteri enim iure oriebatur inde quaedam cognatio spiritualis, non secus ac pro patrino baptismi, quae constituebat impedimentum *impediens* in iisdem gradibus, ac cum patrino Baptismi et Confirmationis. Ex communi autem sententia *(Vid. Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 11. n. 67. — Giraldi ad C. 5. eiusd. tit.—Barbosa Collect. ad C. Contracto 5. De Cogn. Spirit. n. 3., etc.)* in desuetudinem abiit; imo Gonzalez *(ad C. Contracto 5. De Cogn. Spirit.)* duas ea de re affert S. Congr. Declarationes.

Impedimentum autem *criminis* poena quaedam erat ex veteri iure quibusdam gravioribus criminibus imposita, qua nempe reus

prohibebatur a quovis matrimonio cum quavis persona contrahendo vel omnino, si caelebs esset, vel post coniugis mortem, si coniugatus. Crimina autem eiusmodi erant 1° incestus (*a*): — 2° raptus

(*a*) Reliquis praetermissis, haud erit inutile, quin et omnino praestabit de impedimento *incestus* nonnulla subiicere, quorum oblivio, ut videtur, tenebras haudquaquam modicas quibusdam gravis momenti quaestionibus apud recentiores scriptores affudit.

Ac primo quidem non convenit inter Doctores, quousque, cum agitur de poena incestuosis per sacros canones inflicta, de nubendi scilicet impedimento, sese protendat *incestus* significatio. Mitto nunc, quod contra alios plerique statuunt, non comprehendi hac lege commercium, quod inter personas *legali* tantum aut *spirituali* cognatione coniunctas intercesserit. Sed insuper controvertitur, num poena ista etiam incestum cum persona *consanguinea*, an vero solum *affini* patratum afficiat. Praeferendam autem esse sententiam, quae negat, poenam extendi ad incestum cum *propria consanguinea*, propugnat Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 13. n. 27–29.*) cum S. Thoma, S. Antonino, Turrecr., Sanchez, Laymann, etc. *Ratio est* (inquit), *quia huiusmodi incestuosi a coniugiis contrahendis nullibi expresse arceantur; textus enim in contrarium allegati solum loquuntur vel de incestu cum consanguinea uxoris aut sponsae, vel de incestu quidem commisso cum consanguinea propria, sed a cuius consuetudine delinquens monitus desistere, ecclesiasticae potestati non paruit; unde cum poenales sint istae leges, ad incestum commissum cum propria consanguinea sine contumacia et ecclesiasticae potestatis contemptu, inhabilitas ad contrahendum cum alia matrimonium in poenam huiusmodi delinquentibus iis iuribus statuta, extendi non debet.* Idipsum propugnari reperies a Pirhing (*Lib. 4. Tit. 13. n. 7.*), Engel (*Lib. 4. Tit. 13. n. 3.*), et Bonacina (*De Matrim. Q. 3. Punct. 14. n. 10.*), qui et plures alios allegant.

Controvertitur item inter Doctores, quemnam gradum attingere debeat incestus, ut praedicta poena incurratur. Et Thesaurus quidem (*De Poen. Eccl. Part. II. V. Incestus poenae n. 5–6.*) licet fateatur, aliter sensisse plures Doctores iuxta *probabiliorem sententiam*, contendit nihilominus, poenam *ad omnem copulam incestuosam etiam sine matrimonii figura extendi.* Quam in rem allegare non dubitat *Cap. 5. De Ref. Matr. Sess. 24. Conc. Tridentini,* quod reipsa nihil huc pertinet; sicut etiam Sanchezium invocat cum Guttierez et Garcia, qui in locis ab eo indicatis nihil eiusmodi habent; quin potius oppositum Garcia (*De Benef. P. 8. Cap. 3. n. 34.*) aperte tradit. Caeterum Schmalzgrueber (*l. c. n. 8–9.*) prolixum afferens Canonistarum catalogum contra statuit, non ultra primum aut secundum gradum eam poenam incurri. Quinimo Pichler (*Lib. 4. Tit. 1. n. 92.*) incestui in primo tantum gradu hunc tribuit effectum, ut nullum deinceps matrimonium contrahi licite possit.

Verum quod maxime hic interest animadvertere, illud est, veram hinc nobis originem, rationemque aperiri praxis illius, quae circumstantiam *incestus* non tacendam praescribit, si quando dispensatio petatur ad matrimonium inter affines, aut consanguineos contrahendum; unde et manifeste patebit, curnam haec *subreptitia* habita fuerit, si circumstantia illa silentio suppressa fuisset.

Missi enim nunc pauci quidam e recentioribus fiant, qui rationem huius controversiae penitus, ut videtur, ignorantes, rationem incestus necessario exprimendi in eo quaerunt, quod haec circumstantia difficiliorem ad dispensandum reddat Pontificem, maioremque compositionem secum inferat. Optime his reponit Vinc. De Iustis (*De Dispens. Lib. 1. Cap. 4. n. 322.*), *tantum abesse, ut Pontifex ex huiusmodi copulae expressione difficilior reddatur ad dispensandum, dum non ex fraude, sed ex humana fragilitate*

alienae sponsae ad perturbandum alienum coniugium, itemque consensus sponsae in eundem raptum; — 3° Uxoricidium iniuste ac privata auctoritate patratum; — 4° Presbytericidium, idest iniu-

habita sit, ut potius dicendum videatur, ex d. expressione facilius moveri, attenta probabili ac fere certa consequentia scandalorum, quae ob dictam praecedentem copulam ex dispensationis denegatione possent verisimiliter exoriri, ut bene advertunt Pontius, Caevallos, Escobar, Rodriguez, Diana etc. Et sic videmus, quod in proximioribus gradibus (nempe infra secundum), in quibus regulariter non admittuntur causae angustiae loci, defectus dotis... et aliae similes, tamen in his proximioribus gradibus (licet in illis Conc. Tridentinum prohibeat dispensari nisi inter magnos principes et ob publicam causam) si copula exprimatur una cum diffamatione mulieris, et exinde periculum, ut innupta remaneat, et gravia scandala possint verisimiliter exoriri, nisi matrimonium inter ipsos oratores contrahatur, Papa dispensat non solum cum personis illustribus, ac principibus..., sed etiam cum aliis infimae conditionis. Imo id est singulare, quod dum copula exprimitur, omnis alia causa cessat, ut animadvertit Pyrrhus Corradus (Lib. 8. Cap. 5. n. 58.), ubi testatur sic de stylo Curiae servari.

Alii rationem in eo inveniri putant, quod ubi circumstantia incestus exprimitur, maior compensatio imponitur. Unde vere pueriliter P. De Carboneano (*Append. I. ad Cap. 3. De Matrim. Antoine*): *Numquam* (inquit) *intendit Papa dispensare cum praeiudicio tertii: porro, non expressa copula, fit praeiudicium tertio, scilicet officialibus Curiae, qui ex ea suppressione fraudantur taxa, ad quam ius habent.* Responderat iam absurdae huic rationi idem De Iustis (*l.c. n.326.*): *Quamvis expressio copulae causa sit, cur maior compositio exigatur,... id tamen non pertinet ad causam motivam..., sed in poenam copulae incestuosae, cuius absolutio una cum dispensatione super impedimento committi solet delegato. Quamvis enim incestus non sit impedimentum Pontifici reservatum, ex quo tamen oratores exprimunt se illum commisisse et petunt absolutionem ab eo, Papa... in poenam incestus oratores maiori impensa et poenitentiis affligit, quia incestus vere est gravissimum crimen, gravique poena dignum...*

Sed neque aptius huius praxis rationem explicant nonnulli alii, qui illud unum concinunt, eius circumstantiae expressionem stylo Curiae postulari. Etsi enim illud detur, quod plures negant, stylo Curiae reipsa id exigi, quod obligationem pariat; veruntamen nemo nescit, stylum Curiae, formasque servandas in dispensationum tum petitione tum concessione quopiam inductas fuisse iure, quod vel specialem subiectae materiae vel generalem dispensationum naturam moderatur. Ergo reipsa nihil isti dicunt; quippe inquirenda adhuc ratio superest, cur eiusmodi praxis in stylum Curiae invecta fuerit.

Neque vero difficile est hanc rationem invenire, si quidem apud Theologos et Canonistas potius, quam in compendiolis vel doctrinae vel quotidianae praxeos, praesertim recentioribus, quaeratur: copulae nimirum necessario exprimendae rationem verissimam, manifestam, atque in iure fundatam reperies inde peti, quod incestus sit *impedimentum matrimonii,* licet non dirimens, sed mere impediens: vitium vero *subreptionis,* quod irritam efficiat dispensationem super affinitatis aut consanguinitatis impedimento, ex generali illo principio exsurgere, quod ubi plura intercedunt impedimenta, *subreptitia* habeatur dispensatio, si alterum eorum in petitione silentio prematur: irritam ergo esse dispensationem, si circumstantia *incestus* taceatur.

Sic itaque (ut eos tangam, qui pro hac doctrina a Barbosa allegantur. *Vot. Can. Lib. 2. Vot. 17. n. 57.*), Fr. Sarmiento rationem reddit (apud Bar-

sta sacerdotis interfectio; — 5° malitiosa propriae prolis susceptio ex baptismo, ad impediendam scilicet debiti redditionem; — 6° Poenitentia publica, quamdiu ageretur; — 7° matrimonium attentatum

bosa): *Quia incestuosus prohibetur matrimonium contrahere.* — Petrus Ochagavia (*De Matr. Tr. 4. Q. 11. n. 4.*): *Superstes* (incestuosus) *non potest migrare ad aliud matrimonium.* — Petrus De Ledesma (*De Matr. Q. 56. art. 4. dub. 2. diff. 2.*): *quia duo sunt impedimenta.* — Io. Guttierez (*Can. Quaest. Lib. 1. Cap. 15. n. 5.*): *Videntur esse duo impedimenta, alterum consanguinitatis, alterum incestus.* — Sanchez (*De Matrim. Lib. 8. Disp. 23. n. 7.*): *Dixi, esse necesse utrumque impedimentum declarari.* — Nicol. Garcias (*De Benef. Part. 8. Cap. 3. n. 54.*): *Impedimentum tacitum auget expressum..., necesse est de utroque mentionem facere.* — Paulus Comitulus (*Resp. Mor. Lib. 1. Q. 104. n. 2.*): *Multo maius est impedimentum duplex, quam quod est simplex.* — Reginaldus (*Prax. for. Poenit. Lib. 31. n. 200.*): *Si plura sunt impedimenta, narranda sunt omnia;* et exinde concludit, quod *debeant exprimere suum incestum.* — Filliucci (*Tr. 10. n. 337.*) negat, plures esse exprimendas in casu copulas, quia *ex omnibus actibus incestuosis oritur unum tantum impedimentum.* — Et in eandem rem Bonacina (*De Leg. Disp. 1. Q. 2. Punct. 5. n. 4.*): quia *non inducitur novum* (scil. praeter idem iam expressum) *impedimentum per supervenientem copulam.* — Ant. Sanctarellus (*Var. Resol. Q. 52. n. 2.*): *In iure prohibetur, ne incestuosi matrimonium contrahant; ergo iure optimo introductum est stylo Curiae, ut isti volentes contrahere debeant facere mentionem de copula.* — Rodriguez (*Sum. Cap. 238. Concl. 7.*): *Debet fieri mentio in supplicatione amborum impedimentorum, scil. consanguinitatis aut affinitatis, et incestus.* — Compend. Salmantic. (*Tr. 34. n. 299.*): *Debet* (*copula*) *exponi, sicut caetera delicta occulta, quae inducunt aliquod impedimentum.* — Verani (*Iur. Can. Lib. 4. Tit. 1. Part. 5. §. 16. n. 89.*): *Quia incestus est impedimentum, proinde exprimendum.* Praemiserat autem (*ibid. n. 4.*), subreptitiam esse dispensationem, etiam *quando unum impedimentum est dirimens, et alterum.... tantum impediens; est enim dispensatio etiam subreptitia, nisi utrumque impedimentum exprimatur.*—His addatur Marcus Paulus Leo, qui Opus Romae edidit ann. 1644. cum titulo: *Praxis ad Litteras Maioris Poenitentiarii et Officii S. Poenitentiariae Apostolicae.* Scribit enim (*Part. 2. pag. 310.*): *Ratio videtur esse, quia quando duo impedimenta se contingunt, impedimentum tacitum auget expressum, super quo dispensatur, et ideo necesse est de utroque facere mentionem; alias dispensatio est nulla.*

Denique ne inani labore alios congeramus hic testes, sufficiet allata testimonia cumulare Declaratione S. Congr. Concilii, quam a Rebello productam vel exscribunt vel certe allegant plerique omnes, et sic legitur apud Garciam (*Quaest. Can. P. 8. C. 3. n. 66.*) et Pyrrhum Corradum (*Disp. Apost. Lib. 8. Cap. 1. n. 38.*): *Congregatio Cardinalium censuit dispensationem subreptitiam, si inter consanguineos vel affines... carnalis copula praecessisset, cuius mentionem in supplicatione non fecissent, propterea quod tales consanguinei vel affines... per hanc carnalem copulam redditi sunt inhabiles ad contrahendum matrimonium, ex eo quod dicuntur commisisse incestum, qui impedit incestuosos contrahere matrimonium: ideo pro validitate dispensationis super gradu prohibito necessariam esse de iure expressionem copulae carnalis, prout stylus Curiae observat.* Ex qua declaratione, uti patet, tria in rem nostram luculenter confirmantur, videlicet, 1° ideo expressionem copulae habitam fuisse uti necessariam, quia cum incestus esset impedimentum matrimonii, dispensatione opus erat ad licite illud contrahendum; 2° ideo *subreptitiam* et eo ipso *nullam* habitam fuisse dispensationem, in cuius petitione mentio commissi incestus facta

cum moniali; — 8° demum propriae prolis interfectio. Quae quidem impedimenta hisce versiculis expressa legimus:

Incestus, raptus sponsatae, mors mulieris (al. muliebris)
Susceptus propriae sobolis, mors presbyteralis,
Vel si poeniteat solemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent haec coniugium sociandum.

non fuisset, quia cum duo intercederent ad contrahendum matrimonium impedimenta, alterum tantum, tacito altero, exprimebatur; 3° hisce omnino principiis, iuribusque inniti *stylum Curiae*, dum *incestus* expressionem exigit, ac *subreptitiam* habet dispensationem, si eius mentio fuerit praetermissa.

At vero si res ita se habet, qui fieri potuit, ut plurimi iique gravissimi Auctores, quorum syllabum cernere est apud De Iustis (*De Dispens. Matr. Lib. 1. Cap. 4. n. 279.*), et quibus alii addi facile possunt, necessitatem huius circumstantiae exprimendae infitiati fuerint, atque adeo validam propugnaverint esse dispensationem, etsi eadem circumstantia silentio praetermissa in petitione fuerit? Rursus qui fieri potuit, ut cum sententia superius tradita iure certo adeo ac manifesto fulciatur, ea tamen etiam a patronis suis fere nonnisi ut *probabilior, verior, tutior* proponatur?

Non ardua est huius dubii solutio, primo quidem si ista advertantur quae Navarrus habet (*Man. Cap. 22. n. 74.*): *Quoniam* (inquit) *super impedimento incestus magna fuit disputatio in sacro Poenitentiariae Praetorio, cum ei summa prudentia, miraque dexteritate tamquam summus Poenitentiarius praesidebat Card. Alciatus illustrissimus, idemque omniiuga disciplinarum encyclopaedia clarissimus,* An omnis incestus hoc impedimentum pareret; *his, quae alias hic dixi, substituo* Primum: *plerosque omnes iuris divini et humani peritos stricte ac proprie appellare incestum solum coitum cum consanguinea vel affine in gradu prohibito....* Secundum: *inter omnes convenire, ex omni incestu oriri impedimentum affinitatis impediens et dirimens.* Tertium: *inter omnes etiam convenire, ex incestu cum affine, durante matrimonio, admisso oriri impedimentum impediens matrimonium contrahendum cum quacumque alia...* Quartum: *plerosque omnes theologos tenere, ex incestu cum consanguinea oriri quidem impedimentum affinitatis, nullum tamen aliud, sive ante sive post matrimonium contractum admittatur; in quibus est S. Thomas, Sotus, S. Antoninus, Sylvester, quos etiam sequitur Covarruvias...* Porro si plerique omnes Theologi docebant, impediens hoc incestus impedimentum non oriri nisi ex incestu cum affine, durante matrimonio, quid mirum, si in aliis casibus incestus negabant petendam esse dispensationem, atque adeo negabant, in quaerenda dispensatione super impedimento consanguinitatis exprimendam esse circumstantiam incestus?

Sed illud maioris momenti accedit, quod et ipse Navarrus habet (*Cons. IX. De Consang. et Affin. n. 5.*), nimirum quod eiusmodi impedimentum *secundum Paludanum, quem sequitur S. Antoninus, videtur consuetudine abrogatum..., cui credimus.* Etenim si impedimentum incestus reipsa haberi queat ceu *abrogatum consuetudine,* ratio autem exprimendi in petitione dispensationis circumstantiam incestus inde solum, ut ostendimus, profluebat, quod incestus inducebat alterum impedimentum; manifestum est, eo ipso etiam necessitatem huius exprimendae circumstantiae penitus cessare. Et rursus cum abrogato hoc impedimento, inter consanguineos seu affines incestuosos contrahendo matrimonio non amplius duo impedimenta, consanguinitatis scilicet vel affinitatis, et incestus obstent, sed horum primum dumtaxat, corruit eo ipso ratio, propter quam, ut vi-

Nunc itaque quatuor tantum numerantur impedimenta impedientia, videlicet 1° Prohibitio Ecclesiae variis de causis facta. 2° Item Ecclesiae prohibitio, ne determinato quodam tempore ma-

dimus, *subreptitia* censebatur dispensatio, quasi nempe concurrentibus duobus impedimentis alterum dumtaxat, altero reticito, fuisset expressum.

Tota itaque controversia eo demum convertitur, an reipsa abrogatum censeri hoc impedimentum debeat. Porro nemo infitiari potest, iam hac in re unanimem esse et Theologorum et Canonistarum, eamque certam sententiam, duo illa inter impedimenta mere impedientia, *catechismum* scilicet et *crimen* consuetudine penitus cessasse. Ut recentiorum dumtaxat rationem habeamus, ita Babenstuber (*Tr. 8. Part. 7. Disp. 3. Art. 1. n. 5.*): *Haec omnia impedimenta criminis per non usum abrogata sunt, veluti docent communissime Auctores, et comprobat praxis Ecclesiarum.*

Billuart (*De Matrim. Diss. 6. art. 1.*): *Plura olim* (impedimenta impedientia) *fuerunt orta ex crimine; sed haec, sicut et Catechismus, desuetudine abrogata sunt.*

Card. Gotti (*De Matr. Q. 8. Dub. 1. n. 11.*): *Plura ex praefatis impedimentis non vigent amplius, sed per contrariam consuetudinem sublata sunt.*

Roncaglia (*Tr. 21. Cap. 2. Q. 1.*): *Ex longaeva consuetudine non amplius considerantur ut impedientia matrimonium quamplurima crimina, de quibus passim apud Theologos.*

Wigandt (*Tr. 16. Exam. 5. n. 53.*): *Haec impedimenta iuxta communiorem sententiam non amplius sunt in usu.*

Marcus Struggl (*Tr. 12. Q. 3. art. 1. n. 6.*): *Haec impedimenta criminis, sicut et impedimentum Catechismi, per non usum et contrariam praxim Ecclesiae iamdudum abrogata fuerunt.*

Viva (*De Matr. Q. 5. art. 11. n. 2.*): *Sublatum iam esse per non usum criminis impedimentum, docent Sanchez, Laymann, Ledesma etc.*

Salmanticenses (*Tr. 9. Cap. 13. n. 15.*): *Excepto interdicto, voto, et sponsalibus, reliqua iam non sunt in usu, sed consuetudine sunt ablata.*

Ferraris (*V. Impedimentum n. 10.*): *Ex assignatis sex impedimentis, cum duo iam non amplius vigeant, nempe impedimentum... criminis iam per longaevam desuetudinem abrogatum, hinc quatuor etc.*

Sporer (*Theol. Sacram. Part. 4. Cap. 1. n. 146.*): *Verum haec omnia* (criminis *impedimenta*) *per diuturnam desuetudinem sublata sunt secundum communissimam Doctorum sententiam, et omnium Ecclesiarum praxim.*

Giribaldi (*Tr. 10. Cap. 17. n. 18.*): *Haec impedimenta, quae a crimine oriuntur, non amplius obligare, sed in desuetudinem abiisse, testantur Doctores communiter; et Navarrus in Manuali, quod iam nonagenarius dedicavit Gregorio XIII., dicit, se nunquam audivisse, super tali impedimento criminis dispensationem fuisse petitam.*

Holzmann (*De Matrim. n. 499.*): *Crimen seu impedimenta impedientia criminis omnino omnia per universalem consuetudinem abrogata sunt.*

Mansi (*Th. Mor. Lib. 5. Tr. 10. Part. 4. C. 15.*): *Sotus, Corduba, Navarrus, Coninck, testantur, haec impedimenta criminum per diuturnam consuetudinem omnino sublata esse.*

Catalanus (*Part. 3. De Matr. Q. 15. Cap. 2. n. 15.*): *De facto per consuetudinem omnia alia impedimenta impedientia, praeter haec quatuor, sublata sunt.*

Ysambert (*De Matr. Disp. 9. art. 2.*): *Invaluit consuetudo, ut sine dispensatione ab istis impedimentis nova ineantur matrimonia.*

Mazzotta (*Tr. 7. Disp. 1. Q. 2. Cap. 15.*): *Duodecim olim numerabantur* (impedimenta impedientia); *nunc vero partim ex Tridentino, partim ex*

trimonii solemnitates celebrentur. 3° Contractus sponsalitius cum alia persona iam initus, nec legitime solutus. 4° Votum, quod

consuetudine ad quinque redactâ sunt (addit scil. proclamationum defectum).

Tamburini (*Lib. 8. De Matr. Tr. 1. Cap. 16.*): *Erant haec olim duodecim... Nunc partim a Tridentino, partim a consuetudine legitime usurpata, reducta sunt ad quatuor.*

Potestas (*Tom. 1. Part. 4. n. 3982.*): *Communis opinio est, ea esse per non usum sublata, ac proinde dispensatione non indigent.*

Elbel (*De Matr. Conf. 3. n. 64.*): *Olim quidem* (impedimenta impedientia) *antiquo iure diversa numerabantur. Iure novo de facto nonnisi quatuor communiter numerantur.*

Bouvier (*De Matr. Cap. 4. art. 3.*): *Octo alia in iure canonico reperiuntur; sed cum penitus desierint, de quatuor adhuc extantibus etc.*

Concina (*De Matr. Lib. 2. Diss. 3. Cap. 3. n. 15.*): *Advertunt Auctores, excepto interdicto, voto, et sponsalibus, caetera impedimenta obsolevisse.*

Edmundus Voit (*Vol. 2. n. 1234.*) recensitis impedimentis ex crimine, uti superius allata sunt, subdit: *Haec per non usum sublata nunc esse, passim testantur Auctores.*

Idipsum vero implicite dicunt quotquot nunc tantum quatuor, aut quinque (addita scilicet omissione Proclamationum) impedientia impedimenta enumerant. Ita Cuniliati (*Tr. 14. §. 14. n. 2.*): *Impedimenta nunc temporis impedientia hoc hexametro continentur* etc. — Et Amort (*Tr. 15. §. 3. Q. 2.*): *Post concilium Tridentinum solum quatuor impedimenta* etc. — Et Antoine (*De Matrim. Cap. 3. Q. 1.*): *Sunt quatuor, quae nunc certo vigent, hoc versu contenta* etc. — Et Reuter (*Part. 4. n. 526.*): *Quae nunc vigent, sunt quatuor* etc. — Et Wagemann (*Part. 3. Tr. 3. Cap. 9. n. 135.*): *Impedimenta sunt quatuor hodie, hoc versu contenta* etc. — Tournely (*De Matr. Q. 8. art. 2.*): *Olim iure veteri duodecim numerabantur, quae ad quinque revocata et restricta sunt.* — Et Fr. Ant. a Goritia (*Tab. 187.*): *Impedimenta sunt quatuor* etc. — Et Oberrauch (*Tr. 20. Cap. 5. §. 2386.*): *Impedimenta mere impedientia antiquitus plura erant: moderna aetate nonnisi quinque obtinent.* — Ita et Antonius a S. Ioseph (*Comp. Salmant. Tr. 34. Cap. 3. P. 1. n. 165.*), Segna (*De Matrim. Cap. 5. n. 390.*), Piselli (*De Matr. Part. 2. Cap. 4.*), Scavini etc.

E Canonistis vero satis fuerit attulisse ea, quae habent *Giraldi, Engel, Reiffenstuel, Maschat, Schmalzgrueber, Pirhing, Pichler, Krimer.*

Giraldi (*Expos. Iur. Pontif. Lib. 2. Tit. 23. Cap. 12. Sect. 269.*): *Haec Decretalis statuens, crimen incestus inducere impedimentum impediens matrimonium contrahendum cum quacumque persona, abrogata est contraria consuetudine. Quatuor enim dumtaxat hodie sunt impedimenta impedientia, videlicet* etc.

Engel (*Lib. 4. Tit. 13. n. 2.*): *Sed haec poena (incestus), sicut et alia impedimenta, videtur in desuetudinem abiisse.*

Reiffenstuel (*Lib. 4. Tit. 1. n. 352.*): *Criminum autem impedimenta impedientia ita habentur abrogata, ut non amplius sint in usu.*

Maschat (*Lib. 4. Tit. 13. n. 4.*): *Alterum impedimentum ne complices (incestus) inire possint matrimonium cum quacumque alia persona, contraria consuetudine abrogatum est.*

Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 13. n. 7.*): *Impedimentum, quo prohibetur incestuosus et eius complex contrahere matrimonium cum quacumque alia persona, verisimilius non usu seu consuetudine contraria est sublatum, ut recte observant Navarrus, Perez, Wiestner,* etc.

Pirhing (*Lib. 4. Tit. 16. n. 12.*): *Omnia haec impedimenta iure ecclesiastico inducta, (praeter sponsalia et votum et praeter interdictum speciale Superioris) omnino hodie sublata sunt per diuturnam consuetudi-*

ex natura sua in contractu aut societate coniugali servari nequeat. Quatuor haec versiculo sequenti comprehenduntur:

Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum.

De singulis pauca subiicere satis erit.

nem, secundum quam sic impediti, nulla petita dispensatione, passim ineunt matrimonia.

Pichler (*Lib. 4. Tit. 1. n. 92.*): *Cum Navarro, Sanchez, Henriquez, Coninck, notant Laymann, Pontius, Lessius, Illsung, et alii Doctores passim, omnia impedimenta* (impedientia) *criminis, seu ex delicto orta, per universalem consuetudinem sublata esse.*

Krimer (*Lib. 4. Tit. 13. n. 1174.*) ad hanc obiectionem: *Incestus praestat perpetuum impedimentum matrimonio; ergo manifestum est, incestum esse manifestandum;* respondet: *Hoc impedimentum iam dudum recessit ab usu; hinc generali iam consuetudine fit, nullam esse culpam matrimonium contrahere cum hoc impedimento; et ideo ob nullum incestum petitur dispensatio a Papa, vel Episcopo.*

Quod autem mirum videri forte poterit, etiam S. Doctor Alphonsus de huius impedimenti, utpote obsoleti, cessatione id ipsum, ac Doctores supra allegati, definiendum censuit. Neque vero uno in loco id asseruit, sed pluries id suffragio suo plane confirmavit. Et iam inde a prima Editione Operis Moralis an. 1748., ad illa verba Busembaum (*Lib. 6. Tr. 6. Cap. 3. Dub. 1.*), *Verum haec impedimenta* (nempe incestus, raptus sponsae etc.) *per non usum sunt sublata*, S. Doctor calculum suum adiecerat, subdens (*Not. f.*): *ut dicunt Salmanticenses cum Sanchez et communi.* — Disertius vero alibi (*Hom. Ap. Tr. 18. n. 53.*), ubi impedimenta impedientia recenset, idipsum de incestu iudicat, utut forte minus apte incestum cum *propria matre* substituat *incestui cum consanguineis coniugis*, idest cum persona *affini* patrato, prouti reipsa exigit textus Decretalis Constitutionis, quae hanc poenam imposuit. Quidquid de hoc sit, en diserta S. Doctoris verba: *Sub hoc nomine* (CRIMEN) *olim comprehendebantur quaedam delicta, nempe incestus cum propria matre, raptus alienae sponsae, etc.; sed hoc impedimentum etiam* DESUETUDINE OBSOLEVIT. Et rursus in eo loco, ad quem hic lectorem remittit (*Lib. 6. n. 905.*), ad sup. relata verba Busembaum, videlicet *impedimenta incestus*, et aliorum criminum, *per non usum esse sublata*, S. Doctor addit: *Sic etiam Concina, et Salmanticenses cum Sanchez et communi.* — Idque etiam magis diserte repetit (*Lib. 6. n. 857.*), ubi insuper addit, ita hoc impedimentum esse sublatum, ut nulla indigeat dispensatione. Ita S. Doctor ad quaestionem, an sponsalia dissolvantur per superveniens impedimentum: *Si impedimentum sit impediens, communissime et probabilius Sanchez, Palaus, Escobar, etc. negant, sponsalia dissolvi, nisi proveniat ex voto Religionis, et valde probabiliter etiam castitatis. Ratio, quia alia impedimenta* HODIE NON VIGENT, NEC INDIGENT DISPENSATIONE. Ita S. Alphonsus; unde et S. Doctoris abbreviatores, Neyraguet (*de matr. c. 3. a. 1. n. 4.*) et Galani (*Lib. 6. Tr. 6. n. 65.*), recensitis *criminis* impedimentis impedientibus, repetunt: *Sed haec per non usum sublata sunt.*

Dixi, id mirum forte videri posse. Et sane notum est, S. Alphonsum alibi contra communissimam (ut suo loco videbimus) Doctorum sententiam contendisse tamquam *indubium*, exponendum necessario esse *crimen incestus*, si quando pro alio impedimento postuletur a Sede Apostolica dispensatio ad matrimonium contrahendum. Porro, ut sup. iam vidimus, non modo ex Doctorum auctoritate, ac praesertim ex testimonio Pauli Marci Leonis, qui ex professo de praxi S. Poenitentiariae scripsit, sed etiam ex Declaratione explicita S. Congr. Concilii, vera ratio, cur in petenda dispensatione pro quopiam alio impedimento exprimendum foret crimen, si forte intercesserat, *incestus*, in eo residebat, quod crimen *incestus* per se

I. *Ecclesiae vetitum.*

777. — Est prohibitio sive particularis, sive generalis, ab Ecclesia facta aut ab aliquo Superiore ecclesiastico, ne aliquod matrimonium celebretur.

induceret impedimentum matrimonii impediens, adeo ut nisi utrumque impedimentum exprimeretur, dispensatio vitio subreptionis laboraret. Nonne igitur mirum videri potest, quod S. Alphonsus hinc quidem ut certum contendat, in casu crimen incestus necessario esse exprimendum, inde vero contendat, impedimentum *criminis incestus hodie non vigere*, sed *per non usum esse sublatum*, et *nullatenus dispensatione indigere?* Quomodo necessario quaerenda erit dispensatio impedimenti, quod, fatente ipso S. Doctore, dispensatione non indiget?

At enim (inquies) nonne idem perseverat in toto hoc dispensationum negotio stylus Curiae, qui alioquin instar legis esse debet? Responsio huic quaestioni haud difficilis apparet. Concedendum enim est, stylo Curiae, quoties certe de eo constet, et adhuc ius illud vigeat, quo stylus ipse est inductus, et cui innititur, vim legis inesse. At simul diffitendum non est, vim consuetudinis, quae et ipsa naturam legis induit, eam esse, ut cum omnes humanas leges, tum etiam leges, quibus stylus Curiae innititur, abrogare possit, et consequenter omnem vim obligandi eidem stylo adimere, quamvis sicut in Corpore Iuris immotae manent Constitutiones tum Synodales tum Pontificiae, alioquin contrario usu iam abrogatae, ita et in Curia immotae styli formae perseverent, utcumque earum vis post abrogata per contrariam consuetudinem iura, quibus innitebantur, prorsus alioquin interierit. Neque vero exempla desunt, quae palam id faciant. Sic apud Marc. Paulum Leonem, qui praxim Officii S. Poenitentiariae describit, formam reperies (*Praxis etc. Part. 2. pag. 329.*) absolutionis ab incestu cum dispensatione non quidem contrahendi cum complice eiusdem incestus, sed *ut dicto incestu non obstante cum* ALIQUA ALIA MULIERE *nullo alias sibi iure prohibita, matrimonium servata forma Concilii Tridentini contrahere possit, misericorditer dispenses in foro conscientiae etc.* Attamen ecce tibi Martinum Navarrum iam inde ab ea aetate sancte testantem (*Man. Cap. 22. n. 75., et Cons. 9. n. 5.*), se *in tota sua aetate nunquam legisse aut audivisse, dispensationem super hoc solo impedimento impetratam*, aut *ullum incestuosum petere dispensationem a Papa vel Episcopo.* Qua de re etiam Sanchez (*De Matrim. Lib. 7. Disp. 17. n. 8.*): *Iam diu ea consuetudo invaluit, ut affectus aliquo ex his impedimentis* (expresse autem disserit etiam de incestu) *minime petita dispensatione ineat matrimonium. Quod inde constat, quippe Doctores antiqui et neoterici, et sane insignes, qui in diversis orbis partibus scripserunt, ac versati sunt, eam consuetudinem legitime praescriptam esse testantur..., et praesertim Navarrus, qui varias regiones peragravit, ac centesimum vitae suae annum complevit, semper studiis intensissime vacans, ac undique circa conscientiae quaestiones consultus, et tandem Romae diu moratus est, quo ex universis orbis partibus dissolvendae quaestiones hae deferuntur, et tamen affirmat loquens de incestu..., se in tanta aetate nec vidisse nec audivisse peti dispensationem; et ita consuetudinem praescripsisse, ne dispensatio necessaria sit.* Sed neque alienis testimoniis opus nobis est. Nam etiamnum nemini sane venit in mentem, incestum, cuius reus quispiam sit, necessitatem inferre aut petendi dispensationem, si cum muliere nullo alias iure sibi prohibita contrahere velit, aut circumstantiam hanc in supplicatione exprimendi, si ad ducendam mulierem alia ac consanguinitatis vel affinitatis causa prohibitam necessaria sit dispensatio; cum tamen in

1° Prohibitio generalis in triplici praesertim casu habetur, scilicet 1° ne contrahatur matrimonium inter haereticum et catholicam, et vice versa; 2° ne contrahatur sine bannorum proclamatione; 3° ne contrahatur sine consensu parentum debite requisito. De bannis iam supra dictum est, *n. 734. et seq.;* item de consensu parentum, *n. 754.* De cultus autem disparitate dicemus infra, *n. 824. et seq.*

2° Prohibitio particularis habetur, quando iusta et speciali de causa matrimonium alicui interdicitur, sive a Parocho, sive ab Episcopo: v. gr. quia suspicio impedimenti dirimentis exorta est (*a*).

postremo casu eadem nullitatis ratio ex stylo Curiae valere deberet, quia nempe duobus concurrentibus impedimentis, alterum eorum supprimatur. Idque etiam ex Actis S. Poenitentiariae confirmare licet. Neque enim constat, etiam post Navarri et Sanchesii aetatem in praemissis adiunctis ullam unquam dispensationem petitam fuisse, cum tamen crimen (de quo sermo) per ista saecula ab hoc mundo equidem non exulaverit. Sed et hinc illud, quod supra diximus, confirmatur, suas in Curia styli formas servari, etiamsi contraria consuetudo vigorem legis habens vim omnem illis ademerit.

Exinde Caietanus Giraldi (*Expos. Iur. Pont. ad Lib. 4. Tit. 13. Cap. 1. Sect. 714.*) de interdicto disserens, quo coniux incestuosus matrimonium deinceps *cum quacumque* contrahere prohibetur, (de impedimento scilicet, de quo hic sermonem habemus), utique memorat *stylum Poenitentiariae* hanc poenam iniungentis in dispensatione ad petendum debitum; memorat et *stylum Datariae,* quae eandem poenam imponit in dispensatione super consanguinitate usque ad quartum gradum; et nihilo minus non dubitat advertere, *hoc impedimentum videri consuetudine sublatum, ut non sit necesse petere dispensationem.* Et reipsa factum iam cernimus, ut hunc Curiae stylum, qui impedimento prorsus antiquato innitebatur, ipsa S. Poenitentiaria demum amandare coeperit. Quippe in dispensationibus, quae incestuoso coniugi conceduntur ad petendum debitum, praedicta illa formula, utique ex stylo Curiae hucusque addita «*Si uxori supervixerit, maneat sine spe coniugii*» nunc iam coeperit omitti. Huc revocari illud etiam potest, quod in Benedicti XIV. Canon. Quaestione 183ª. legimus. Sibi enim haec ex stylo Curiae obiicit: *Egregii Datariae Officiales pervolutis Regestis a tempore S. Pii V. usque ad praesens,... comprobare conati sunt, nulla semper et invalida habita fuisse matrimonia contracta inter coniunctos tertio et quarto gradu, praevia dispensatione super quarto, et non obtentis litteris declaratoriis super tertio.* Quibus respondet: *Sicuti ad egregios Datariae Officiales pertinet Datariae* OPINIONES *et iura tueri, sic ad meam exiguitatem spectat huius sacrae Congregationis, cuius sum a secretis, sententias propugnare.* Et reipsa contra obiectum Datariae stylum rem suam ita propugnavit, ut S. Congr. Conc. pro validitate eorum matrimoniorum definitivam sententiam tulerit. E quibus illud etiam edocemur, aliter de stylo Curiae iudicandum esse, cum res est de controversia iam certis iuribus definita, aliter vero cum sententia Curiae OPINIONEM sequitur, de qua libere in scholis catholicis in utramque partem disputetur. In posteriori enim casu Curiae stylo ac sententiae nequaquam vim quoque tribuendam esse theoreticas quaestiones definiendi, etiamsi de matrimonii validitate aut invaliditate agatur, Benedictus XIV., quinimo et S. Congregationis prolata simul sententia manifeste evincunt. Vide et quae dicturi sumus in Not. ad n. 867.

(*a*) Causae iustae, propter quas ex communi DD. sententia interdici matrimonium potest, tres praecipue enumerantur: 1° Reclamatio de sponsalibus, quibus alteruter sponsorum prius se cum alia persona obstrinxe-

II. *Tempus.*

778. — Est determinatum aliquod per decursum anni tempus, quod *feriatum* dicitur, et quo Ecclesia solemnitates nuptiarum vetat. *Trid. sess. 24. c. 10.* — Tale autem nunc (*a*) est tempus quod fluit a prima Dominica Adventus usque ad Epiphaniam *inclusive*, et a die Cinerum usque ad Octavam Paschatis item *inclusive.*

Caeterum *Conc. Trid.* solas nuptiarum solemnitates praefato tempore prohibet, nimirum sponsos benedicere, sponsam cum strepitu domum deducere, convivia nuptialia solemniora instruere. Non autem vetat Parocho sponsos privatim coniungere, licet variis in locis propter consuetudinem id etiam prohibeatur (*b*). — *Ita communiter.*

rit; 2° Suspicio non vana latentis impedimenti coniugium inter eos aut dirimentis aut etiam mere impedientis; 3° Timor non inanis, ne ex eo matrimonio graves rixae, inimicitiae, scandala, aliave incommoda subsequantur. Vid. Pirhing. (*Lib. 4. Tit. 16. n. 1.*).

(*a*) Dicitur, *nunc;* nam ante Tridentinam synodum feriatum tempus erat 1° a dominica prima Adventus usque ad Epiphaniam; 2° a dominica Septuagesimae ad Octavam Paschatis; 3° a feria secunda Rogationum usque ad Octavam Pentecostes; 4° duabus aut tribus hebdomadis ante Nativitatem S. Ioannis Baptistae. — *Vid. Schmalzgrueb. Lib. 4. Tit. 16. n. 27.*

(*b*) Consuetudo nimirum quorumdam locorum habet, non quidem ne fiant proclamationes, aut ne celebretur contractus matrimonii, neve hoc consummetur per *tempora feriata*, sed *ne celebrentur nuptiae nisi aut urgente aliqua necessitate, aut obtenta Ordinarii licentia, etiam* (*si fieri possit*) *in casu necessitatis:* cui consuetudini utique par est, ut parochi sese accommodent. Ita Reiffenst. (*Lib. 4. Tit. 16. n. 12.*), Schmalzgr. (*eod. tit. n. 34.*), Wiestner (*eod. tit. n. 34.*), Konig (*eod. tit. n. 3.*), Schambogen (*eod. tit. n. 2.*), Schmier (*Part. 3. De Matr. Cap. 1. n. 103.*), Marchant, Gobat, Laymann, Sanchez, etc. Quocirca necesse non erat, ut hoc ipsum Lambertinius (*Instr. 80. n. 14.*) tamquam novam ac peregrinam *damnati Van-Espenii* sapientiam suis Bononiensis dioecesis parochis proponeret.

In eadem *Instr. 80. n. 20.* Lambertinius rursus affert *Van-Espen* etiam reprehendentem Canonistas, *quasi hi nimis addicti rigorosis antiquorum Canonum expressionibus* abstinentiam a matrimonii consummatione per tempus feriatum *reduxerint in praeceptum, quando potius erat meri consilii,* prouti ex Lambertinio refert etiam S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 984.*). Sed et ista ad antiquos obiectos canones responsio falsa est. Responsio vera est (*Vid. Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 16. n. 31-41.*), canones illos solum de solemni sponsae traductione loqui, non vero de matrimonii consummatione; atque ita necesse non est eos explicare *de mero consilio,* et non *de praecepto;* nam solemnis illa traductio reipsa *praecepto* interdicitur. Quod si canones addunt, separandos esse coniuges, qui contra Ecclesiae praeceptum nuptias *solemniter* celebraverint; haec poena foret, quae non de consilio, sed de praecepto esset subeunda. E quibus utique edocemur, inanem esse eorum spem, qui in damnatis operibus latitare thesauros sapientiae existimantes, potius e putridis hisce fontibus expiscari peregrina, quam a sinceris catholicae scholae promptuariis doctrinam haurire satagant.

III. *Sponsalia.*

779. — Sponsalia quaelibet, sive *ecclesiastica*, sive *privata* serio contracta, nisi aut mutuo contrahentium consensu, aut alia iusta de causa legitime dissoluta fuerint, sunt impedimantum matrimonium impediens. Patet ex iure naturali; existit enim gravis obligatio iustitiae pactum ex oneroso contractu servandi. Si quis autem, non obstante illo impedimento, nuptias contrahat, validum quidem erit matrimonium, cum impedimentum hoc sit tantum impediens, non tamen licitum.

IV. *Votum.*

Quadruplex distinguitur votum matrimonium impediens, nempe 1° votum castitatis; 2° votum non nubendi; 3° votum ingrediendi Religionem; 4° votum Ordines sacros suscipiendi.

780. — I. *Votum castitatis.*

1° Qui tale votum emisit, peccat graviter matrimonium iniens cum intentione illud consummandi, quia votum infringit.

2° Peccat etiam graviter, seclusa hac intentione, quia exponit se periculo vel votum vel ius alterius coniugis violandi.

3° Contracto matrimonio, nec petere nec reddere potest debitum labente primo bimestri, quia ex privilegio divino coniuges hoc tempore ab obligatione coniugalis debiti eximuntur, iuxta dicta supra *n.* 759. Elapso autem hoc tempore, potest quidem debitum reddere, et alterius iuri satisfacere, non tamen petere sine dispensatione a voto, aut sine suspensione seu indirecta voti irritatione ab altero coniuge facta.

4° Debet omnino abstinere, si alter consentiat, vel ius petendi amiserit, v. gr. ob adulterium vel incestum. Quod si aegre abstinere potest, dispensationem quamprimum postulare aut praedictam irritationem ab alio coniuge quaerere debet.

5° Si alter coniux moriatur, ad novas nuptias convolare nequit, nisi dispensationem a voto suo etiam ad hunc effectum impetraverit. — *Lacroix, l. 3. n. 564.*

781. — II. *Votum non nubendi, seu votum virginitatis.*

1° Qui voto isto emisso matrimonium contrahit, graviter peccat, ut manifestum est.

2° Contracto matrimonio, reddere atque etiam petere potest debitum, quia iam impossibilis facta est voti observatio.

3° Ob eandem rationem mortuo coniuge novum matrimonium saltem probabiliter contrahere potest.

In praxi dubium est quandoque, an quis virginitatem seu caelibatum, vel potius castitatem voverit. Interrogandus erit poenitens, an intentione se ab *oneribus* matrimonii liberandi sanctiusque Deo

serviendi ductus fuerit, vel *unice amore et affectu puritatis:* in primo casu caelibatum et virginitatem, in secundo autem vere castitatem vovisse censendus est. — *Lacroix, n. 357.*

782. — III. *Votum ingrediendi Religionem.*

1° Qui tale votum emisit, peccat graviter matrimonium ineundo, tum quia alterum decipit, tum quia se exponit periculo votum violandi.

2° Ante matrimonii consummationem tenetur Religionem ingredi; ideoque mortaliter peccat, quando prima vice sive petendo sive reddendo debitum, matrimonium consummat; quia votum adimplere debet, quando potest. Illud autem adimplere potest non consummando matrimonium in primo bimestri, cum tunc ex privilegio divino possit quilibet Religionem ingredi, et altera pars, coniuge solemniter profitente, a vinculo matrimonii liberetur, iuxta superius dicta *n. 759.*

3° Post consummatum matrimonium potest petere et reddere debitum, quia executio voti facta est impossibilis, et petitio actus coniugalis non est contra illius votum, cum non voverit *castitatem*, sed *Religionem.*

4° Etiam consummato matrimonio per se tenetur Religionem ingredi, quoties illaeso compartis iure id potest, v. gr. si alter consentiat, vel ius petendi debitum amittat in perpetuum, aut si matrimonium per mortem solvatur; quia obligatio voti semper subsistit. In praxi autem in hisce casibus magis expedit, ut ad dispensationem recurratur (*a*).

783. — IV. *Votum suscipiendi Ordines.*

1° Qui votum illud emisit, peccat graviter matrimonium ineundo, ut in comperto est.

2° Tenetur Ordines suscipere, si possit, v. gr. si obtineat consensum alterius. Iuxta plures tenetur Religionem ingredi ante matrimonii consummationem, etiam invito altero, ut votum adimplere possit. Sed alii *probabilius* hoc negant.

3° Inito matrimonio, potest illud consummare, si votum amplius adimplere nequeat.

784. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quinam dispensare valeant in impedimentis impedientibus?*

Resp. 1° Nemo dispensare potest, ne Summus quidem Pontifex, ab impedimento ex validis sponsalibus orto, cum hac in re de stricto iustitiae debito agatur. Idem dicendum de necessitate consensus parentum, quae a iure naturali repetenda est; haec tamen naturaliter cessat, si parentes iniuste dissentiant.

Resp. 2° Episcopi, seu *ordinarii* animarum *Pastores,* iurisdi-

(*a*) In praxi circumstantiae ratione *aetatis, prolis forte ex matrimonio susceptae, status fortunarum, habilitatis quoque ad munia religiosa* ita sunt immutatae, ut propter materiae mutationem voti obligatio fere per se cesset, nec opus sit dispensatione.

ctione plena in fōro externo gaudentes, dispensare possunt 1° in obligatione bannorum; 2° quoad contractum per tempus feriatum, ubi consuetudo hunc quoque interdicat; 3° in voto castitatis temporaneae, et virginitatis seu non nubendi.

Nequeunt autem dispensare 1° quoad votum perpetuae castitatis (*a*); 2° quoad votum ingrediendi Religionem; 3° quoad impedimentum disparitatis cultus inter catholicos et haereticos. Hoc enim triplex impedimentum Papae reservatum est.

Resp. 3° Regulares ex suis privilegiis dispensare valent mere pro foro interno in voto virginitatis, seu non nubendi (*b*). — *Recole dicta de privilegiis Regularium, in Tractatu de Statibus, n. 175.*

Quaer. 2° *An Episcopus, urgente necessitate, nempe cum periculum est in mora, dispensare possit in voto castitatis ad matrimonium contrahendum?*

Resp. Affirm., dummodo vere adsit illud periculum, nec aditus ad Pontificem facile pateat.—*S. Lig. n. 987.* — *Suarez*,— *Sanchez*, — *Navarrus*, etc.

ARTICULUS II.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS

Agendum 1° de impedimentis dirimentibus in genere; 2° de impedimentis dirimentibus in specie; 3° de dispensatione ab hisce impedimentis.

§. I. *De impedimentis dirimentibus in genere.*

PROPOSITIO I.

Ecclesia potestatem habet constituendi impedimenta matrimonium non tantum impedientia, sed et dirimentia. De fide est.

(*a*) Intellige ante contractum matrimonium; nam contracto matrimonio, Episcopus dispensare potest ad debitum petendum (*Vid. S. Alphons. Lib. 6. n. 987.*). Idem dicito de voto continentiae, quo alteruter coniugum post contractum matrimonium se obligaverit. Cum enim vi huius voti exigere quidem debitum prohibeatur, illud tamen reddere possit, imo et debeat, non est votum perfectae castitatis, atque adeo non est Summo Pontifici reservatum. Secus dicendum, si ex communi consensu coniux uterque perpetuam continentiam vovisset (*Vid. S. Alphons. ibid. n. 986.*).

(*b*) Ex generali principio, quod Regulares mendicantes vi privilegiorum suorum dispensare possint in iis votis omnibus, in quibus *iure ordinario* dispensare possint et Episcopi, S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 987.*) merito infert, eosdem non solum in voto *non nubendi*, ut habet A., sed etiam in voto castitatis *temporaneae* seu etiam quavis alia de causa *non perfectae*, tum ad debitum exigendum post initum matrimonium, dispensare posse. Imo cum sat probabilis sententia sit, ut paulo post A. innuit (*in Quaest. 2.*), ad ius Episcopi *ordinarium* spectare, etiam in voto perfectae castitatis, si necessitas urgeat, dispensationem ad matrimonium contrahendum tribuere, vi praemissi principii id quoque mendicantibus competet, uti reipsa plures DD. (*Vid. S. Alphons. Lib. 6. n. 1128.*) concedunt.

785. — Elucet 1° ex definitione *Conc. Trident. sess. 24. Can. 4.*: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Confirmatur 2° ex ratione theologica. Ecclesia enim accepit a Christo omnem potestatem necessariam vel etiam utilem ad Rempublicam christianam recte gubernandam; atqui potestas constituendi impedimenta matrimonii est valde utilis, imo et necessaria, ut matrimonium cum honore et decentia Sacramentis debita a fidelibus tractetur: ergo, etc.

PROPOSITIO II.

Ecclesia sola *impedimenta matrimonii dirimentia constituere potest, et consequenter Principes* SAECULARES *quoad subditos christianos non possunt* CONSTITUERE IMPEDIMENTA, *nisi ad meros effectus civiles.*

786. — 1° Probatur ex *Conc. Turonensi, an. 1583., a Gregorio XIII.* specialiter approbato, *c. 19. de Iurisdictione* §. *6.*, ubi sic dicitur: *Certissimi iuris cum sit, matrimoniales causas esse fori ecclesiastici, ideoque earum cognitionem ac decisionem iudicibus laicis a sacris Canonibus omnino esse interdictam; omnibus praeterquam Episcopis et eorum Officialibus, de iis, earumque appendicibus ac circumstantiis, veluti si de coniugali adhaesione sit quaestio, cognoscere ac decidere sub anathematis poena prohibemus.*— Collectio Conciliorum. *(Labbe.)*

2° Patet ex ipso *Conc. Trident. sess. 24. c. 12.*, ubi definivit, causas matrimoniales ad iudices ecclesiasticos pertinere.

3° Evincitur ex litteris *Pii VI.* ad Episcopum *Motulensem* 17. Septembris 1788., quibus *expresse* declarat, talem esse sensum *Can. 12. Conc. Trident.*

4° Id confirmat ratio theologica. Cum enim matrimonium a Christo elevatum sit ad dignitatem Sacramenti, necessario soli potestati spirituali subiicitur. Et quamvis in matrimonio distinguantur ratio contractus et ratio Sacramenti, integrum tamen matrimonium ad Sacramentum pertinet, cum contractus sit ipsius materia, et disiungi a ratione Sacramenti inter christianos non possit. Alioquin vero sequerentur maxima incommoda ex conflictu potestatis, si duae potestates ab invicem independentes impedimenta matrimonii constituere possent; quod enim una aedificaret, destruere altera posset.

787. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An impedimentum invincibiliter ignoratum irritet matrimonium cum illo contractum?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia lex tale impedimentum constituens habet pro obiecto ipsummet contractum irritandum, et proinde contractum semper irritat independenter a cognitione et voluntate contrahentis. Insuper leges irritantes effectum suum in omni casu sortiri debent, nisi bonum generale absolute obstet, ut dicetur de impedimento clandestinitatis, quod tunc tantummodo cessat, quando

saeviente persecutione, Sacerdotes idonei (*a*) ad assistendum matrimoniis haberi non possunt. — *Lacroix, n. 626., et alii communissime.*

Hinc si contracto matrimonio mulier certo detegat impedimentum dirimens, vi cuius nullum fuerit matrimonium, debitum petere non potest, nec reddere, etiamsi ad id comminatione mortis cogeretur, quia coniunctio fornicaria esset, quae in nullo casu licita est. Excipiunt quidam, nisi mulier mere passive se haberet, ita ut omnino materialiter tali actui cooperaretur; sed neque hoc concedi debet, cum de re intrinsece mala agatur; nisi iuxta sententiam probabilem mulier metu mortis ad id cogatur, secluso tamen consensus periculo. — *Recole dicta t. 1. de Act. hum. n. 21. et de 5° Praec. n. 390.*

788. — QUAER. 2° *An incurrantur,* licet ignorata, *ea quoque impedimenta, quae videntur habere rationem poenae, ut impedimentum criminis?*

Resp. Affirm. Ita communius cum *Lacroix, Lib. 6. Part. 3. n. 641.* (*b*). Ratio est, quia illa impedimenta habent *primario* et

(*a*) Nimirum etiam sacerdos, nisi delegatam facultatem habeat ab eo, qui iure ordinario assistere matrimonii contractui debet, ad ullum valorem contractui sua praesentia tribuendum prorsus ineptus est.

(*b*) Consulendus est de hac quaestione Ferd. Krimer, qui (*In Decretal. Lib. 4. a n. 1011. ad 1029.*) ex professo hanc quaestionem tractat, libratisque utriusque partis rationibus, sic concludit (*n. 1024.*): *Ex istis opinionibus sibi oppositis, affirmativa... est sine dubio valde probabilis: negativa tamen non modo probabilis est absolute, sed etiam relate ad oppositam suam probabilitatem retinet. Maior enim probabilitas sententiae affirmantis nec ex certis aut evidentibus principiis, nec certe aut evidenter concludit, sed solum probabiliter, et forte cum aliquo excessu ex auctoritate; consequenter non tollit neganti suam probabilitatem, etiam collata ad illam. Ea enim manet etiamnum intra fines purae probabilitatis; et solutiones suarum rationum habet valde probabiles seu prudenti fundamento subnixas.*

Quod autem vere affirmet Krimer, *affirmativam* sententiam neque certis principiis, neque certa conclusione deduci, id facile patet. Sit v. gr. Suarez, qui dum alioquin docet, ignorantiam non excusare ab hoc impedimento incurrendo, tamen (*De Leg. Lib. 5. Cap. 19. n. 6.*) statuit, hoc impedimentum esse poenale. Ita ille: *Inter impedimenta matrimonii, illa quae sunt ratione delicti, poenalia sunt, ut sunt uxoricidium cum promissione, adulterium cum aliquo, vivente coniuge, cum promissione futuri matrimonii, etc.* Et rationem (*ibid.*) reddit, *quia irritatio actus est magnum gravamen, et potest nocumentum afferre; ergo de se esse potest sufficiens poena, et aliquando est valde accommodata delicto.* Cui consentit et Palaus (*Tract. 3. Disp. 2. punct. 2. n. 2.*), ubi scribit: *Aliquando annullatio actus inducitur in poenam commissi delicti, qualiter* IN OMNIUM SENTENTIA *inducitur,... si aliquis coniugatus sub fide data de matrimonio contrahendo, cum aliqua adulterium commisit, etc.* Nec aliter Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 337.*): *In iis casibus matrimonium non prohibetur propter motivum honestatis specialis, sed in poenam delicti commissi, et ut consulatur... indemnitati coniugis, cuius vita periclitaretur, si cum spe futuri matrimonii fierent adulteria, et promissiones, aut machinationes de occidendo coniuge.*

Porro si hoc, ut aiebat Palaus, *ex omnium sententia tenendum est,*

principaliter rationem *vinculi* et *secundario* tantum rationem poenae; et consequenter semper incurruntur, quamvis ignorantia excuset a poena iuxta communem sententiam, ubi agitur de lege mere prohibente.

iam *quaestio, an ignorantia irritationis... impediat irritationem actus* (utemur verbis ipsius Suarezii, *l. c. Cap. 22. n. 4.*), *pendet ex quaestione, an ignorantia solius poenae excuset illam, etiamsi contra legem peccatum sit*. Et ipse quidem neganti opinioni sic (*ibid.*) adhaeret: *In qua* (quaestione) *partem negantem veriorem esse censuimus*. Quocirca quoad specialem quaestionem de irritationis poena sic arguit: *Unde consequenter in praesenti dicendum est, quando lex humana prohibet actum addendo irritationem per modum poenae, si lex non ignoratur ut prohibens, licet ignoretur ut irritans, actum contra legem factum esse irritum; quia talis ignorantia non excusat peccatum contra legem, et consequenter nec excusat poenam, licet ignoretur; ergo neque excusat irritationem*. Ita quidem Suarez.

At vero solidumne est hoc fundamentum? Nam Sanchez (*De Matrim. Lib. 9. Disp. 32. n. 17.*) quoad generale illud principium putat *veriorem* sententiam oppositam. Sic ille: *Verius tamen esse credo, universas has poenas non incurri, ubi adest praedicta iuris* (scil. punientis) *ignorantia*. Quare et quoad irritationem ipse in contrarium sic (*ibid. n. 18.*) concludit: *Adde annullationem actus, quando non est ex solemnitatis defectu, sed in delinquentis poenam, non incurri a legis ignaris, ut bene advertit Antonius e Butrio in C. 2. De Constit. n. 19*. Quod quidem referri ad irritationem quoque matrimonii, patet ex iis quae alibi habet (*Lib. 7. Disp. 5. n. 7.*) dicens, matrimonium inter quosdam interdici *in delicti admissi poenam*.

Exinde intelliges, cur supposito illo Suarezii principio, quod Palaus merito addebat esse *in omnium sententia*, nimirum matrimonium in casu irritari in poenam criminis, Leander a Murcia (*Disp. in 1. 2. S. Thom. L. 2. D. 4.*), concluserit, *pro hac sententia* (nempe non incurri irritationis matrimonii poenam) *stare omnes, qui asserunt, irregularitatem, et* ALIAS POENAS, *per leges ecclesiasticas impositas, non incurri ab eo, qui illas ignorat, etiam ignorantia vincibili..., dummodo non sit crassa et supina*.

Porro quod sententia ista, quae ad incurrendas poenas exigit scientiam iuris non solum *prohibentis*, sed etiam *punientis*, plurimis placuerit, ex DD. a Sanchezio (*l. c. n. 17.*) allegatis discere facillime licet. Et praeterquam quod etiam A. fatetur, hanc esse *sententiam communem*, in praesens sufficere illud potest, quod Schmalzgrueber (*In Lib. 5. Tit. 37. n. 109.*) ex communi itidem sententia scribit: *Est instar regulae* (inquit), *quod committens aliquod delictum, subiaceat quidem poenis tali delicto proportionatis, non autem aliis extraordinariis, quae imponuntur ad vitandum frequentem delicti usum, vel ob aliam causam, nisi delinquens sciverit, delictum sub ea poena prohibitum esse*. Quod quidem principium postquam Suarezius ipse (*De Cens. Disp. 4. Sect. 9. n. 21.*) retulit ex Navarro hisce verbis: *Addit Navarrus, quoties poena est exorbitans et extraordinaria,* CUIUSCUMQUE GENERIS SIT, *si illa ignoratur, etiamsi delictum committatur, non incurri;* sincere fatetur (*ibid. n. 22.*), quod Navarri *discursus est probabilis*, nisi quod extendi non debeat ad poenas, quas Deus in aeternitate peccatis infligit: secus enim, ut ait, eas non incurreret, qui ignoret poenarum aeternitatem. Caeterum nemo dubitat, quin irritatio matrimonii in casu sit poena extraordinaria; proinde Navarrus prorsus merito principium illud impedimento criminis sic applicat (*Man. Cap. 22. 46.*): *Si uterque probabiliter ignorat* (*impedimentum*), *possunt matrimonium contrahere, simul atque mortuus fuerit, qui impediebat*. Ex quibus patet,

QUAER. 3° *An leges Ecclesiae constituentes impedimenta dirimentia, urgeant etiam in casu gravissimi incommodi, v. gr. periculi mortis,* etc.?

principia ab ipso Suarezio admissa ad contrariam, ac ipse velit, conclusionem potius adducere.

Ut itaque suppetias ferant nutanti illi conclusioni, ad illud confugiunt, quod et A. innuit, et sic effert Sporer (*De Matrim. n. 44.*): *Hoc impedimentum ab Ecclesia inductum est, non praecise in poenam delicti, sed principaliter ad absterrendos homines, ne spe matrimonii crimina committant, prout unanimiter supponunt Doctores universi.* Unde Suarez (*De Leg. Lib. 5. Cap. 19. n. 10.*) vult, hoc impedimentum potius habere *rationem medicinae.* Sic enim ille: *Hic non consideratur tantum communis utilitas, quae invenitur in poena, ut poena est, quae est vindicare delictum...; sed ulterius consideratur utilitas* MEDICINAE (*ut sic dicam*) *auferendo occasiones perpetrandi similia delicta; quae utilitas non est communis omni poenae, nec de ratione eius, ut ad vindicationem spectat. Hoc ergo modo dicimus, per irritationem illam matrimonii in praedictis casibus auferri occasiones perpetrandi similia delicta, et hanc causam fuisse sufficientem ad imponenda talia impedimenta etiam sine vindicatione delicti, quod per aliam poenam fieri potuisset.*

Fusum, plenumque ad ista responsum directum reperies apud laudatum Krimer (*In Lib. V. Tit. 7. a n. 729. ad 743.*), qui instantias omnes oppositae partis diligentissime persequitur. Nam nobis in praesens satis erit ostendere, haec quoque ex ipsorum, qui ea proferunt, sententia prorsus nutare, imo invicem elidi.

Et in primis dum isti ad tuendam causam contendunt, impedimentum criminis potius ratione *medicinae* inductum esse, quam in delicti poenam, ecce tibi Haunoldus (*Tr. 1. De Leg. a n. 109.*), qui confutaturus *Ioannem Salas* et *Pallavicinum,* nobiscum hac in re contendentes, *leges irritantes praecise in poenam alicuius delicti* non ligare ignorantes, *quia ignorantia inculpabilis excusat a poena,* necessarium ad causam non prodendam putat contra contendere, irritationem matrimonii in casu esse *puram poenam.* Sic ille (*l. c. n. 110.*): *Hanc irritationem* (scil. *matrimonii contracti ab homicida vel adultero cum complice ex intentione vel promissione matrimonii, etc.*) *esse puram poenam, videtur mihi certum.* Tum subsidium, quod Suarezius contra quaesivit in utilitate *medicinae,* sic Haunoldus (*ibid.*) explodit: *Nam licet per consequentiam sit favorabilis coniugibus, hoc tamen si obstaret, nulla denique lex irritans esset pura poena, cum quaelibet tandem in aliquem favorem resolvi possit.* Quocirca eo demum confugit, ut contra communem sententiam neget, ignorantiam poenae excusare ab ipsa poena incurrenda. Quandoquidem vero omnes excipiunt, si quando poena sit *extraordinaria,* hoc unum reliquum denique illi fuit, ut (*ibid.*) adversus omnium sensum contenderet, irritationem matrimonii ob uxoricidium vel adulterium, etc., non esse poenam extraordinariam. Atque ita e patronis illius doctrinae alter destruere cogitur, quod alter adstruit: quod sane contingere non solet, quando solida, certa firmaque principia adhibentur.

At quisnam timor Haunoldum impulit, ut contenderet matrimonii irritationem in casu esse puram poenam? Illum nimirum coegit aliud principium, quod eiusdem causae patroni, sui prorsus obliti, alibi adstruunt. Adi enim v. gr. S. Alphonsum (*Lib. 7. n. 351.*); et cernes eosdem DD., ut evincant, ab incurrenda *irregularitate ex delicto* non excusare ignorantiam poenae, ipsius nempe irregularitatis, hac omnino uti ratione, *quia irregularitas non est poena medicinalis ad cavenda crimina in futurum, sed est inhabilitas vel poena punitiva propter maculam culpae.* Atque ita

Resp. Affirm., quia ex dictis ignorantia, etiam omnimoda, habilem facere nequit ad matrimonium illum, qui per legem inhabilis existit; ergo multo minus metus damni, etc. Hinc si quis con-

prorsus etiam Suarez (*De Cens. Disp. 40. n. 9.*) habet: *Cessat hic specialis ratio, ob quam diximus ignorantiam invincibilem excommunicationis seu censurae proprie dictae excusare, ne illa incurratur, quia illa est poena medicinalis, quae pro contumacia formaliter fertur, et ut ab illa recedatur; irregularitas vero, quando est poena, non fertur ut medicinalis, sed in vindictam delicti...; et ideo haec sola ignorantia non excusat irregularitatem.* Nec aliter quasi ex communi sententia Schmalzgrueber (*Lib. 1. Tit. n. 40.*): *Communis doctrina cum Covarruvia affirmat* (*irregularitatem ab ignorante solam poenam incurri*), *quia istae nec medicinales sunt, etc.* Itemque La Croix (*Lib. 7. n. 482.*) rationem, cur incurratur ab ignorante irregularitas ex delicto, affert, *quia irregularitas non est... poena medicinalis, requirens scientiam vel contumaciam, etc.*

Hisce positis, et omissa nunc hac quaestione de irregularitate (nam ut suo loco videbimus cum S. Alphonso, aeque probabile est, irregularitatem in casu praedicto non incurri), quid dicendum superest de argumento supra allato a Sporer ac Suarezio, nempe quod impedimentum criminis ideo etiam ab ignorante incurritur, quia potius *medicinae* rationem habet, quam poenae? Quid, quaeso, hoc est, quod qualitas *poenae medicinalis*, quae prius, ubi agitur de impedimento criminis, affertur ut ratio, cur poena etiam ab ignorante incurri debeat, postea vero, ut vidimus oculis nostris, ab iisdem auctoribus urgetur ceu ratio, cur ignorantia ab incurrenda poena debeat eximere? Firmumne habebimus illud eorum argumentum, quo ipsi deinde utuntur ad oppositum evincendum? Neque vero ipsi solum, sed (quod sane mirum videri debet) etiam qui defendunt, impedimentum criminis non incurri ab ignorante, argumento eodem utuntur petito ex ratione poenae *medicinalis*. Sic enim Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 7. n. 58.*) eorum sententiam exhibet: *Rationem dant, quia impedimentum criminis ex dispositione iuris ecclesiastici habet rationem poenae pro perpetrato crimine, et medicinae conducentis ad coniugiorum fidem, et incolumitatem coniugum servandam, variaque mala praecavenda; atqui ex communi doctrina poenae praesertim medicinales, iure ecclesiastico statutae, non incurruntur ab iis, qui invincibiliter ignorant, eas statutas esse; ergo, etc.* Quod quidem argumentum profecto eo validius adversarios perstringere debet, quod utramque praemissam ipsi non modo concedunt, sed ut verissimam assumunt et pro se contra alios urgent. Et forte perspectae huic rationum pro affirmante opinione infirmitati tribuendum quis putabit, quod Sporer (*l. c.*), memoratis etiam qui absque nota oppositam negantem defenderunt, concludat: *ideo ego cum P. Gobat non vererer illos, qui bona fide contraxerunt adstricti impedimento criminis, relinquere in bona fide.*

Levioris adhuc momenti est, quod opponit Wiestner (*De Imped. coniug. p. 2. n. 21.*), non esse paritatem a censuris, irregularitate et privatione debiti coniugalis; quia censurae requirunt specialem contumaciam, quae cessat in ignorante, censuram suo delicto adnexam esse. Bene respondet Krimer (*l. c. n. 1026.*): *Etsi censurae requirant contumaciam, haec tamen non supponit essentialiter monitionem aut comminationem poenae* factam ab homine; *id enim fallit in censuris latae sententiae generaliter a iure impositis, quibus incurrendis sufficit monitio et comminatio* Legis, ipso facto imponentis delinquenti censuram. *Sed haec monitio et comminatio legis praecedit etiam delictum, cui adnexum est impedimentum criminis. Ergo et hic adest illa contumacia. Si ergo censura, ipso iure lata, incurritur ab ignorante citra aliam contumaciam; id ipsum de hoc impedimento dicendum erit. Ergo ratione contumaciae quoad hoc inter censuras et hoc impedimentum nulla est disparitas.*

traxit impedimentum v. gr. affinitatis cum sponsa sua de futuro ob fornicationem cum eius sorore, et Superiores in hoc impedimento

Alii (*Vid. Diana, Tom. 2. Tr. 6. Res. 170. n. 3. in fin.*) pro affirmante sententia hoc argumentum adhibent, quod impedimentum criminis non sit poena, sed inhabilitas, aut si poena dici debeat, simul tamen et praecipue sit inhabilitas ad contrahendum. Verum haec ratio parum probat; quia ipsa inhabilitas iure statuta est in *poenam criminis;* atque adeo quod requiritur ad incurrendam poenam, requiritur etiam ad inhabilitatem incurrendam, et quod eximit a poena, ab ea quoque inhabilitate eximet.

Arguunt insuper (*Vid. La Croix Lib. 6. P. 3. n. 642.*) ex praxi et stylo Curiae, quod reis huius criminis nunquam permittatur contrahere sine dispensatione, ut testatur Pyrrhus Corrado in *Prax. Dispens. Apostol. Lib. 8. C. 9. n. 17.;* quocirca Diana (*l. c.*) opinionem negantem habet ut valde praeiudicialem sacris tribunalibus Poenitentiariae et Datariae Romanae. Cui instantiae reponi potest cum Benedicto XIV. (*Quaest. Canon. 183. n. 26. 27.*), quod cuiusvis dispensationis aut facultatis concessio vel negatio per SS. Congregationes, neque controversiarum statum, neque iurium conditionem ullo modo immutat. Proinde sicut (ut ibi habet idem Benedictus XIV.) dispensatio concessa vel negata super irregularitatibus vel censuris non evincit incursum in irregularitatem vel censuram, nec concessio aut negatio facultatis petitae v. gr. a Regulari mendicante, qui vi suorum privilegiorum ea iam pollebat, nihil ipsius aliorumve Regularium privilegiis detrahit; ita nec dispensatio concessa ad convalidandum matrimonium evincit praecedentem eiusdem matrimonii nullitatem, nec dispensatio concessa ad matrimonium contrahendum evincit certam impedimenti existentiam. Et sane numquid praxis est tribunalibus S. Poenitentiariae aut Datariae, ut mandent matrimonia sine dispensatione celebrari, quando Oratores etiam in casu dubii impedimenti ad ea pro dispensatione recurrunt? Et tamen quis ignorat (*Vid. S. Alph. Lib. 6. n. 901.*), matrimonium cum mera probabilitate carentiae ecclesiastici impedimenti tum valide tum licite sine dispensatione celebrari posse? Ad id vero, quod subditur ex Diana, bene respondet Krimer (*cit. Lib. 4. n. 1023.*), nullum per hanc opinionem praeiudicium iniuriamve iis tribunalibus fieri: secus abolendae forent opiniones omnes Thh., quae subinde necessitatem negant petendae dispensationis; at enim per usum talium opinionum quidpiam iis tribunalibus iure debitum detrahi aut negari, contendit nemo.

Alii demum ab absurdo argumentantur ad hominem, quod si poenale impedimentum necessario scientiam poenae in delinquente requirat, id valeret etiam quoad impedimentum affinitatis ex copula illicita. — Pro cuius difficultatis solutione aliquis forte remitteret obiicientes ad ea, quae de hac quaestione habet Engel (*Lib. 4. Tit. 14. n. 11.*): allegat enim DD., quibus arrisit opinio ab hoc quoque impedimento ignorantes eximens. Sed eiusmodi responsum nec necessarium est, nec opportunum. Nam multo melius advertit cum aliis Krimer (*l. c. n. 1018.*), inhabilitatem ex affinitate per se non supponere necessario delictum aliquod, sed solum propinquitatem personarum, quae ex sanguinis commixtione profluit: quocirca affinitas inhabilitatem istam aeque inducit, tum si ex licita tum si ex illicita commixtione oriatur, etsi Concilii Tridentini benignitate extensio inhabilitatis ex damnata coniunctione ortae iustis de causis ad arctiores limites restricta fuerit.

Et haec quidem sufficiant, tum ut constet, non inaniter Krimer dixisse, affirmantem sententiam *nec certis aut evidentibus principiis, nec certe et evidenter concludere;* tum etiam ut scandalum temperetur quorundam pusillorum, qui stupent et quodammodo horrescunt, dum audiunt, oppositam negantem sententiam non modo in Seminarii Romani scholis, praec-

dispensare nolint, ex nulla causa vel metu illam ducere potest (*a*).

789. — Quaer. 4° *An liceat contrahere matrimonium cum impedimento dubio, seu probabili?*

Resp. 1° *Affirm. probabilius* in dubio, seu *probabilitate Iuris ecclesiastici* de carentia impedimenti; quia, si forte impedimentum reipsa adsit, Ecclesia supplere censetur defectum contractus de Iure canonico irriti, sicut et iurisdictionis defectum supplet, quoties communiter Doctores tenent eam supplere iurisdictionem in Sacramento Poenitentiae, ubi communis error intercedit. Porro opinio docens Ecclesiam supplere etiam in praesenti casu de dubio impedimento generaliter ut probabilis recepta est ab innumeris Doctoribus, qui ei suffragantur. — *Ita Lacroix, n. 534. — S. Lig. n. 901., et alii communiter* (*b*).

Resp. 2° *Neg.* si agatur de probabilitate *iuris divini* aut naturalis, v. gr. in impedimento ligaminis, vel impotentiae; quia tunc Ecclesia defectui probabili supplere nequit, cum impedimentum illud ab Ecclesia non pendeat. Matrimonium igitur sic contractum dubium remaneret; ac proinde non licet unquam Sacramentum cum tali dubio recipere (*c*). Ergo, etc.

unte emerito Professore, Episcopo nunc Lauretano, Illmo ac Rmo Iosepho Cardoni, tradi ut vere probabilem iamdiu consuevisse, sed in consessu quoque Examinatorum Romani Cleri uti talem ultro admitti: cuius quidem sententiae consectarium habes in iis, quae paulo ante ex S. Alphonso (*Lib. 6. n. 901.*) attulimus, et infra habes (*n. 789.*) indicata. Qui vero hanc sententiam sive e veteribus sive e recentioribus tenuerint, praeter heic allegatos, habes penes laudatum Krimer *l. c. n. 1014. 1015.* Confer etiam Pichler, qui (*Lib. 4. Tit. 7. n. 6.*) thesim hanc statuit, et egregie vindicat: *Probabile est, impedimentum criminis non incurri ab illis, qui ignorant illud suo delicto esse adnexum a iure;* quam thesim proponit et vindicat etiam Reinhardus Baumgartner (*Conclus. ex quinque libris Decret. Lib. 4. Tit. 7. Conclus. 4.*), qui opus suum Romae an. 1759 edidit.

(*a*) Vide tamen, quae ipse Auctor post S. Alphonsum superius (*n. 771.*) de quodam necessitatis casu advertebat.

** (*b*) Ad hunc locum P. Gury monent VV. (*Pag. 947. n. 158.*), S. Alphonsum exigere, ut opinio de carentia impedimenti *sit universe vel certe ab Auctoribus recepta ut probabilis.* Et remittunt Lectorem ad Pag. 792.

Resp. Gury profecto non loquitur de probabilitate dubia. Quaenam porro sit de hac re sententia Doctorum, videsis sup. in Not. ad n. 724.

(*c*) S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 902.*) censuit, urgente gravissima causa posse matrimonium contrahi cum mera probabilitate non existentis impedimenti, etiamsi hoc sit iuris divini seu naturalis; modo accedat declaratio Summi Pontificis ceu interpretis legis divinae; idque evinci ex declaratione Urbani VIII, qui in dubio an valida essent matrimonia quorumdam Indorum infidelium, et idcirco num conversi ad fidem tenerentur accipere primam e pluribus, quas habuerant uxores, an vero possent ex iis, quam mallent, eligere, respondit, quod ubi DD. sententiae utrinque probabiles intercederent, Missionarii sequerentur opiniones barbaris pro conditione locorum hominumque favorabiliores. Libellum supplicem Urbano VIII. a P. De Lugo, postea Cardinali, de hac re oblatum, responsumque Pontificis habes apud Cardenas (*Cris. Theol. Part. 4. Dissert. 2. n. 552.*).

Resp. 3° *Neg.* etiam, si agatur de probabilitate *facti.* Ratio est, quia Ecclesia in huiusmodi probabilitate non praesumitur dispensare. Opinio autem contraria communiter non est recepta, ut probabilis; et aliunde nimia sequerentur incommoda, si contracto matrimonio error detegeretur. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 902.*

790. — Quaer. 5° *An liceat coniugibus uti matrimonio, si post nuptias initas dubium de aliquo impedimento oriatur?*

Resp. 1° *Neg.*, donec facta fuerit inquisitio sufficiens de veritate. Si tamen unus tantum dubitet, quamvis non possit debitum petere, debet tamen illud reddere alteri in bona fide petenti. — *S. Lig. n. 903.*

Resp. 2° *Affirm.* si adhibita seria diligentia ad veritatem detegendam, dubium adhuc remaneat, quia in dubio standum est pro valore actus.—*Ita communiter* contra *paucos.* — *S. Lig. n. 904.*, etc.

791. — Quaer. 6° *An valeat matrimonium contractum cum impedimento putato, sed non existente?*

Resp. 1° Si contrahens non sit omnino certus de impedimento, sed aliquo modo dubitet de illo, validum est matrimonium. — *Ita communiter* cum *Lacroix, n. 525.* — Ratio est, quia contrahit saltem conditionate, nempe *in quantum possum,* quamvis ad conditionem illam non reflectat: ergo non existente impedimento consensus iam adest absolutus.

Resp. 2° Si contrahat cum certitudine impedimenti, quod parvi pendit, ita ut statuat vivere in concubinatu, certum est, invalidum

Veruntamen advertendum est, iisdem Missionariis a Gregorio XIII. et eodem Urbano VIII. iam factam insuper fuisse facultatem dispensandi quoad ipsum vinculum matrimonii in infidelitate contracti, et nondum post utriusque coniugis conversionem iterum consummati, uti iam vidimus (*in not. ad n. 759.*). Quocirca dubio, si quod supererat de vinculo forte existente cum prima uxore, consulebatur aut certe consuli poterat per dispensationem saltem *ad cautelam.* Quam quidem dispensandi facultatem Episcopis, Vicariis Apostolicis, nec non Praefectis Missionum concedi solitam memorat etiam Benedictus XIV. (*De Syn. Lib. 6. Cap. 21. n. 6.*) his verbis expressam: *Dispensandi cum Gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si ipsa etiam fidelis fiat, retinere possint, nisi prima converti voluerit.* Quae postrema verba non indicant certe coniugem, *quae nollet cohabitare sine iniuria Creatoris,* etc., atque adeo quae dici posset iuxta phrasim Pauli *discedere;* sic enim nulla opus fuisset dispensatione; et ex Actis Concilii Limani (*Vide supra not. ad n. 759.*) constat, permissum fuisse fideli ut cohabitare cum coniuge adhuc infideli saltem ad tempus posset. Dispensatio igitur refertur ad casum, in quo non vi privilegii Paulini, sed vi Pontificiae dispensationis matrimoniale vinculum, si quod extabat cum prima coniuge, solvebatur. Quod autem Lambertinius (*l. c.*), allata hac dispensandi facultate, quodammodo mirabundus notet, nullam in ea mentionem fieri de coniuge infideli iuridice interpellanda, id praeiudicio, quod a Pontio ebiberat, tribuendum est, uti iam in not. superius cit. advertere licuit.

esse matrimonium. Ratio est, quia tunc voluntas contrahendi matrimonium non est praedominans.

Resp. 3° Si contrahat quidem cum certitudine impedimenti, sed dolens de impedimento et non audens illud aperire, ne impediatur matrimonium, vel ne infametur, aut ex inadvertentia aliqua, controvertitur. *Probabilius* valet matrimonium ob voluntatem praedominantem illud contrahendi. — *Ita Lacroix, ibid.* — Attamen *ad cautelam* in praxi inducendus foret ad consensum renovandum.

ERRORES A PIO IX. DAMNATI

Circa matrimonium eiusque impedimenta.

792. — Inter acta Pii IX. multa reperiuntur circa matrimonium, ex quibus praecipua referre iuvat.

I. In damnatione et prohibitione operum Nuytz, sic de isto impio auctore loquitur in Brevi *Apostolicae Sedis,* die 22. Augusti 1851.

Plura quoque de matrimonio falsa asseruntur:

Nulla ratione fieri posse, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem Sacramenti;

Matrimonii Sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse;

Iure naturae matrimonii vinculum non esse indissolubile;

Ecclesiam non habere potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed eam civili potestati competere, qua impedimenta existentia tollenda sint;

Causas matrimoniales, et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinere;

Ecclesiam sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepisse, non iure proprio, sed illo iure usam, quod a civili potestate mutuata erat;

Tridentinos Canones (sess. 24. c. 4. de Matrim.) *qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non esse dogmaticos, vel de hac mutuata potestate intelligendos;*

Tridentinam *formam sub infirmitatis poena non obligare, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere;*

Bonifacium VIII, votum castitatis in ordinatione emissum, nuptias nullas reddere, primum asseruisse.

793. — II. In Allocutione diei 27. Septembris 1853. circa res Reipublicae Neogranatensis *(Nouvelle-Grenade),* sic aiebat Summus Pontifex:

.... *Cum nemo ex catholicis ignoret, aut ignorare possit, ma-*

trimonium esse vere et proprie unum ex septem Evangelicae legis Sacramentis, a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse QUIN UNO EODEMQUE TEMPORE SIT SACRAMENTUM, *atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris,* PRAETER SACRAMENTUM, *coniunctionem cuiuscumque etiam legis civilis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum, ab Ecclesia tanto tempore damnatum, ac proinde a coniugali foedere* SACRAMENTUM SEPARARI NUNQUAM POSSE, *et omnino spectare ad Ecclesiae potestatem ea omnia decernere, quae ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere,* etc.

§. II. *De impedimentis in specie.*

794. — Impedimenta matrimonium dirimentia quindecim numerantur his versibus expressa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Aetas, affinis, si clandestinus, et impos,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutae:
Haec socianda vetant connubia, facta retractant.

De singulis seorsim sermonem instituemus.

PUNCTUM I.

De impedimento erroris et conditionis.

Duplex circa matrimonium error distinguitur, scilicet 1° error *substantialis,* qui versatur circa personam; 2° error *accidentalis,* qui personae qualitates afficit. Conditio autem intelligitur *servilis* ab altera parte ignorata.

795. **Principia.** — I. Omnis error circa *personam* matrimonium efficit nullum de iure naturali, etiamsi error sit omnino invincibilis. Ratio est, quia ex parte contrahentis tollit voluntarium circa obiectum contractus, et proinde consensu deficiente contractus est irritus.

II. Error circa *qualitates* personae, qualiscumque sit, per se non irritat matrimonium. Ratio est, quia error circa qualitates non cadit in obiectum contractus (*a*); obiectum enim istud est ipsamet

(*a*) Rationem solidam, cur validus consistere debeat contractus matrimonii, etiamsi error circa qualitates antecedenter se habeat, et det causam contractui, habes penes Molinam (*De Iust. et Iur. Tr. 2. Disp. 259. n. 8. et Disp. 252. n. 5.*), et Sanchez (*De Matrim. Lib. 10. Disp. 9. n. 20.*); clarius autem apud Lugo (*De Iustitia et Iure, Disp. 22. n. 88.*) ita disserentem: *Ego in primis de contractu matrimonii atque etiam de professione religiosa, vel*

persona, cum qua contrahitur, ut modo dictum est, non vero sunt ipsius qualitates. Excipe, nisi qualitas *explicite*, velut conditio *sine qua non* (ut aiunt) intendatur (*a*).

III. Error circa *conditionem servilem* compartis dirimit matrimonium de Iure ecclesiastico, ut constat ex *lib. 4. Decretalium, tit. 9.* Hoc impedimentum locum non habet amplius in Europa, ubi servitus penitus exstincta est (*b*).

votis constituentibus statum religiosum, qualia sunt vota simplicia nostrae Societatis, dicendum puto, quod si error vel dolus non versetur circa substantiam, etiamsi det causam contractui, non reddit illum irritum nec irritandum... Ratio autem est, quia in iis, quae constituunt statum ex natura sua firmum et irrevocabilem, quales sunt professio et matrimonium, voluntas iuxta naturam rei, de qua agitur, accommodat se et consentit sine restrictione vel conditione, sed omnino absolute et independenter ab aliis conditionibus praeter eas, quae sunt de substantia eiusdem contractus. Ex iis enim conditionibus manerent incerta matrimonia et professiones, atque adeo ipse status, quod non est iuxta naturam rei, de qua agitur. Quidquid igitur sit de aliis contractibus, in iis omnino dicendum est, non irritari ex dolo etiam dante causam contractui, dummodo non versetur circa substantiam. Incommoda autem *matrimonii*, ut ait Lugo, *incerti*, sic Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 1. n. 447.*) indicat: *Si talis error matrimonium vitiaret, plurima matrimonia, magno prolium, maximo reipublicae damno, et scandalo publico dissolverentur, cum saepissime in hoc contractu interveniat error circa qualitatem.* Vid. et S. Alphons. (*Lib. 6. n. 1012.*).

(*a*) Non in hoc tantum casu, sed etiam in alio, quem A. omittit, error circa qualitatem invalidum efficit matrimonium; quamquam uterque casus contineri potest generali illa, utut subobscura regula, *ob errorem qualitatis matrimonium invalidari, quando* eiusmodi *error* qualitatis *transit in substantiam.* Primus itaque casus, quem et A. innuit, est, quando qualitas est conditio, sub qua praestatur consensus; manifestum est enim, conditione deficiente, etiam conditionatum, idest consensum deficere. Alter casus est, quando qualitas est determinativa personae, quacum quis contrahere intendit; seu quando personam, cum qua contrahis, non cognoscis nec determinas, nisi ex indicio et nota illius qualitatis. Qua de re Pirhing (*Lib. 4. Tit. 1. n. 163.*): *Si per qualitatem, in qua erratur, certa et individua persona designetur, animoque concipiatur, quae visu prius ignota est, tunc error redundat in errorem personae.* Item sat clare Sanchez (*Lib. 7. Disp. 18. n. 38.*): *Ad explicandum, quando error circa qualitatem redundet in errorem personae matrimonium dirimentem, dico breviter, tunc id accidere, quando erratur circa qualitatem, quae certam personam designat, quae contrahenti prius nota non erat absque illa qualitate* (scil. nisi ex illa qualitate): *nec constat, mentem contrahentis fuisse in personam sibi praesentem, quaecumque illa sit, consentire.*

(*b*) Locum non habet in Europa hoc impedimentum, non quia cesset ius, sed quia communiter deest occasio, nisi forte in partibus turcici imperii, aut si quae personae servituti adhuc mancipatae in alias Europae partes aliunde adveniant. Error autem hac in re ex communi DD. sententia matrimonium dirimit, etiamsi crassus fuerit (*Vid. S. Alphons. Lib. 6. n. 1019., et Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 9. n. 29-31.*). Quod si contrahens sciat conditionem alterius servilem, aut coniugium ignoranter contractum, deinde, cognito errore, ratum habeat, ex omnium sententia certum est, matrimonium esse validum; ex dispositione autem Iuris Canonici (*C. Si viduam 15. Dist. 34.*) scienter contrahens cum ancilla fit irregularis (*S. Alph. l. c.*

796. **Resolves.** — 1° Si quis putet contrahere nuptias cum Anna, et ducat Agatham, invalidum est matrimonium. Secus, si putans se duxisse puellam nobilem, divitem, virginem, pacificam, e contrario plebeiam, pauperem, corruptam, rixosam eam inveniat.

2° Validum est matrimonium, si quis ducat viduam putans se ducere caelibem, etiamsi per fraudem in hunc errorem inductus fuerit; nam fraus inducit quidem obligationem reparandi iniuriam, non autem efficit, ut consensus non versetur circa substantiam rei, de qua agitur. Imo hoc valet, licet certo contrahere noluisset, si prius eam viduam esse novisset; non enim ad id, quod forte vel etiam certo quis facturus fuisset, sed ad id, quod reapse fecit, attendendum est.

3° Valide contrahit puella nobilis cum viro vago, qui falso se iactat nobilem et bonorum multorum possessorem, idque falsis testimoniis probat. Sed mulier illa non tenetur cum ipso cohabitare, et divortium perpetuum quoad torum et habitationem statim facere potest. — *S. Lig., et alii omnes.*

n. 1018., et *Schmalzgr. l. c. n. 15-18.*); et in secundo casu renovandus esset consensus coram parocho ac testibus, nisi forte nullitas praecedentis contractus ita omnino occulta esset, ut probari non posset: tunc enim sufficeret consensus denuo a parte libera emissus (*Vid. Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 3. n. 121., et Tit. 9. n. 18.*).

Hoc porro impedimentum, uti patet, valet solum quoad matrimonium liberi cum servo: nam (et haec sedulo notanda pro locis, in quibus adhuc servitus viget) coniugia inter servos extra controversiam (*Schmalzgr. l. c. n. 7.*) valida habenda sunt (*Vid. C. 2. Q. 2. Caus. 29., et S. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5.*), etiamsi contrahantur sine heri consensu (*C. Dignum 1. De Coniug. Serv. — Schmalzgr. l. c. n. 10.*); quocirca sicut servus licite, etiam hero suo invito, matrimonium contrahit, sic herus graviter contra iustitiam peccat, si servum aut positive a matrimonio impediat, aut illum, postquam contraxit, durius hac de causa tractet. Non tamen positive consentire tenetur, et consequens inde ex plurium DD. sententia praeiudicium subire, ut servus tunc possit ac debeat praeferre coniugem debitum petentem hero petenti servitium; quamquam Sanchez (*Lib. 7. Disp. 21. n. 15.*) censet, id locum habere, etiamsi matrimonium fiat hero non consentiente (*Vid. Schmalzgrueber, l. c. n. 13.*).

Quandoquidem autem herus ius habet vendendi servos, difficultatem inde profluentem, si sine illius consensu matrimonium contractum fuerit, DD. sic componunt: 1° Si nondum a servo inchoatum sit matrimonium per sponsalia de futuro, herus potest servum vendere, quia sic matrimonium non impedit, et alioquin utitur iure suo; — 2° Si vero matrimonium per sponsalia de futuro iam sit inchoatum, non licet hero uti eo medio, quia sponsae iam est ius quaesitum, ut servus stet promissis et matrimonium contrahat; quod herus, servum alio mittens, impediret; — 3° Denique si matrimonium iam contractum sit, quidam putarunt, posse servum venumdari, quia sic non matrimonium, sed tantum eiusdem usus impeditur; alii tamen magis cohaerenter id negant, nisi uxor commode possit virum sequi (*Schmalzgr. l. c. n. 14.*).

PUNCTUM II.

De impedimento voti et Ordinis.

797. — I. Votum dirimens matrimonium est solum votum solemne castitatis (*a*), per professionem in religione approbata emissum. Votum enim simplex castitatis, etiam perfectae et perpetuae, matrimonium non dirimit (*b*), sed tantum impedit, iuxta superius dicta *n. 779.*

II. Ordo autem matrimonium dirimens, est Ordo sacer, nempe Presbyteratus, Diaconatus et Subdiaconatus.

De utroque hoc impedimento loquitur *Concil. Later. I. et II*, atque *Trid. sess. 24. Can. 9.* inquit: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque esse validum, non obstante lege ecclesiastica vel voto, anathema sit* (*c*).

798. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quonam iure praedicta impedimenta matrimonium dirimant?*

Resp. 1° Impedimentum *Ordinis* iuxta sententiam communem dirimit tantum Iure ecclesiastico (*d*). Ratio est, quia ex una parte Ordo *per se* non repugnat cum statu coniugali; nec adest ex altera parte probibitio ulla divina, quae in Scripturis aut in traditione inveniatur. — *S. Lig. n. 1059.*

Resp. 2° Cum solemnitas voti sit Iuris ecclesiastici, eo ipso

(*a*) Dicitur votum *castitatis,* non vero votum *religiosum,* quia ideo et eatenus professio religiosa matrimonium dirimit, quatenus solemne votum castitatis includit. Non dirimunt ergo matrimonium vota, utut solemnia, quorundam Ordinum Equestrium, quae profiteantur tantummodo *castitatem coniugalem.* Vid. Schmalzgr. (*Lib. 4. Tit. 6. n. 45.*).

(*b*) Ex speciali privilegio Gregorii XIII. sunt excipienda vota simplicia, quae post biennium tirocinii emittuntur in Societate Iesu, uti alias (*sup. not. ad n. 759.*) diximus.

** (*c*) *In Clement. Unic. De Consanguin. et Affinit.* contra eos, qui scienter contrahere non vereantur matrimonium cum Moniali, tum contra Moniales, Religiosos, et Clericos in sacris constitutos matrimonium contrahentes excommunicatio fertur latae sententiae. Haec porro excommunicatio absolute non erat reservata, licet non possent rei absolvi ante separationem; sed post separationem a quolibet confessario absolvi poterant, nisi forte excommunicati denuntiati essent; tunc enim solus Episcopus absolvere eos poterat. Sed novo iure haec excommunicatio prorsus Episcopis sive Ordinariis reservatur. Nam in Constit. *Apostolicae Sedis* a SS. D. N. P. Pio IX ann. 1869 edita, inter excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatas haec primo loco legitur: *Contra Clericos in sacris constitutos vel Regulares et Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes, nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.*

(*d*) Vid. sup. *not. ad n. 41.*

Papa dispensare potest, dummodo adsit causa sufficiens, idest rei gravitati proportionata (*a*).

QUAER. 2° *Quaenam conditiones requirantur, ut votum solemne et Ordo matrimonium dirimant?*

Resp. 1° Quoad *votum*, debet esse emissum 1° voluntarie et deliberate; 2° cum vera intentione se obligandi; secus enim votum validum non foret.

Resp. 2° Quoad *Ordinem*, requiritur 1° ut sit susceptus valide; 2° ut sit susceptus voluntarie. — *Ita omnes.*

PUNCTUM III.

De impedimento cognationis.

Cognatio triplicis generis distinguitur, scilicet 1° *naturalis;* 2° *spiritualis;* 3° *legalis.* De singulis seorsim.

SECTIO I.

DE COGNATIONE NATURALI

799. — Cognatio *naturalis,* seu consanguinitas, est vinculum personarum ab eodem stipite proximo per carnalem generationem descendentium, quod scilicet exsurgit ex unitate et participatione eiusdem sanguinis.

In consanguinitate tria sunt distinguenda, scilicet 1° *stipes* seu persona, ex qua aliae ducunt originem; 2° *gradus,* seu mensura distantiae unius personae ab altera; 3° *linea,* seu series personarum ab eodem stipite descendentium.

Linea duplex est: alia *recta,* et alia *collateralis* seu *transversalis.* Prior est series personarum, quarum aliae ab aliis descendunt, vel *immediate,* ut filii a parentibus, vel *mediate,* ut nepotes ab avis, vel a proavis, etc. Posterior vero est series personarum, quae licet stipitem communem habeant, aliae tamen ab aliis non descendunt, ut sunt fratres, consobrini, etc.

Linea collateralis est *aequalis* vel *inaequalis,* prout consanguinei aequaliter a communi stipite distant.

800. **Statuenda.** — I. Consanguinitas in *linea recta* saltem de iure positivo matrimonium dirimit *indefinite* in quocumque gradu. Patet ex Iure can. *in Resp. Nicolai I. ad Bulgaros, c.* 37.

II. Consanguinitas in *linea collaterali* matrimonium dirimit

(*a*) Posse Pontificem ab hoc impedimento dispensare, sententia est receptissima Thh. et Canonist., quos longa serie allegat Sanchez (*De Matrim. Lib. 8. Disp. 8. n. 7.*): et quidem concessae huius dispensationis exempla passim suppetunt, ut videre est apud Schmalzgrueber (*Lib. 3. Tit. 36. n. 48.*).

usque *ad quartum gradum inclusive,* et non ultra. Constat ex *Conc. Later. IV.* et pluribus locis Iuris canonici.

III. Consanguinitas matrimonium dirimit etiam inter eos, qui tantum vel ex eodem patre, vel ex eadem matre nati sunt; item inter consanguineos ex illegitimis natalibus genitos. Ratio est, quia diversitas patris aut matris, vel illegitimitas, non impedit, quin carnalis consanguinitas inter eos existat.

Regulae ad gradus consanguinitatis computandos.

801. — Iª *Regula.* In linea recta *tot numerantur gradus quot personae, stipite dempto,* seu tot sunt gradus, quot sunt generationes. Hinc inter patrem et filium unicus est gradus, quia unica est generatio, seu unica filii persona, secluso patre utpote stipite. Inter nepotem et avum duo gradus numerantur, quia duae sunt generationes, licet tres interveniant personae, nempe avus, pater, et eius filius, seu nepos respectu avi. Ponas pariter proavum vel abavum, et tres vel quatuor gradus habebis.

IIª *Regula.* In linea collaterali AEQUALI *tot sunt gradus quot sunt personae in una parte, stipite dempto.* Hinc frater et soror sunt in primo gradu: quia si stipes communis seu pater seponatur, remanet unica persona ex utraque parte; et cum singuli distent uno gradu a stipite, etiam unico gradu inter se distant. Pariter patrueles, seu duorum fratrum filii, distant singuli duobus gradibus a stipite communi, seu ab avo, et proinde consanguinei sunt inter se in secundo gradu. Sic etiam de aliis dicendum est.

IIIª *Regula.* In linea collaterali INAEQUALI *tot sunt gradus quot personae in parte remotiori,* semper stipite dempto. Hinc si unus distet a communi stipite duobus gradibus, et eius consanguineus tribus, erunt inter se consanguinei in tertio gradu, iuxta effatum: *Gradus remotior trahit ad se propinquiorem.* Igitur Berta consanguinea erit in secundo gradu cum patruo, seu fratre patris sui, quia distat duobus gradibus ab stipite communi, nempe ab avo suo, licet patruus ipse unico gradu ab eodem stipite separetur, cum sit stipitis filius, seu frater patris Bertae. Sic etiam de aliis quibuscumque statuendum.

Ad gradus iuxta *ius civile* computandos, desumitur numerus, seu summa omnium personarum in qualibet linea, stipite dempto. Proinde in *linea recta,* eodem modo computantur ac gradus canonici: in *linea collaterali aequali,* gradus canonici duplicantur; in *linea collaterali inaequali,* duplicatur linea minor et additur excessus maioris.

802. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quo iure consanguinitas in praedictis gradibus matrimonium dirimat?*

Resp. 1° Certum est consanguinitatem *in linea recta,* iure naturae matrimonium dirimere in primo gradu, et *probabilius* iuxta

quorundam Theologorum sententiam (*a*) *indefinite* etiam in caeteris gradibus. Caeterum casus, uti patet, a praxi longissime distat.

Resp. 2° *Quoad lineam collateralem,* in primo gradu *probabilius* (*b*) dirimit iure naturali, aut saltem divino positivo, cum Ecclesia nunquam dispenset, ut fratres et sorores coniungi valeant, atque infideles ipsi huiusmodi nuptias detestentur; in aliis gradibus iuxta omnes dirimit Iure ecclesiastico (*c*), ut deducitur ex praxi Ecclesiae, quae ab iis dispensat.

Quaer. 2° *Quomodo inveniri facile possint gradus consanguinitatis?*

Resp. 1° Si cognitus sit stipes communis, scribas illius nomen in charta, et infra generationes et nomina personarum hinc et inde descendentium referas, usquedum pervenias ad eas personas, quae connubio iungendae sunt; facile inde gradus computabis.

Resp. 2° Si incognitus sit stipes, sic procedas: Scribas in inferiori parte chartae vel tabulae nomen sponsi ad unum latus, et

(*a*) Aliter tamen alii sentiunt; et omissis nunc variis opinionibus (*apud Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 14. n. 30.*), quae ad plures paucioresve gradus vim huius impedimenti extendunt, sunt qui cum S. Thoma opinentur, primum dumtaxat gradum iure naturae invalidas nuptias efficere; quam opinionem etiam S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 470.*) probabilem habet aeque ac illam, quam A. refert, eamque caeteris praeferendam censent cum Schmalzgr. (*ibid. n. 31.*) plures alii. Sed, ut bene A. advertit, ad praxim nihil haec conferunt.

(*b*) Irritum, nec ne, iure naturae sit matrimonium inter fratrem et sororem, dissident DD., et alii affirmantem, alii negantem opinionem probabiliorem dicunt; alii contendunt, Roman. Pontifices quoad hunc gradum nunquam dispensasse, alii dispensasse aliquando (*Vid. Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 14. n. 45. et 46.*); et quod etiam S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 470.*) notat, pro sententia, quae iure naturae hoc coniugium censet validum, stat etiam S. Thomas. Et inutile quidem foret utriusque partis argumenta, responsaque ad rationes contrarias recensere, quae videri passim apud DD. possunt (*Vid. S. Alph. l. c., et Schmalzgr. l. c. n. 45-48.*). Illud interim adverte, quantum hinc praeiudicii ultro profluat adversus opinionem, quae dum principibus negat potestatem statuendi impedimenta dirimentia pro subditis *infidelibus,* contendit, pro istis solum ius naturae valere. Hoc enim praestituto, matrimonium in infidelitate contractum inter fratrem ac sororem haberi non posset ceu certe invalidum, utcumque etiam eorum legibus damnaretur; et cum in dubio ex generali principio standum sit pro valore matrimonii, proinde si ambo illi ad fidem converterentur, separari non possent, etsi ea coniunctio infidelibus simul et fidelibus scandalo esset.

(*c*) Hinc gravissimi momenti consectarium. Nam cum leges Ecclesiae eos non obligent, qui non sunt baptizati, proinde spectato iure naturae valida habenda sunt matrimonia contracta inter infideles, qui hisce consanguinitatis gradibus coniuncti sint; atque adeo, si ad fidem convertantur, nec separandi sunt, nec dispensatione indigent, ut in contracto coniugio maneant. Quod autem de consanguinitatis impedimento, hoc ipsum et de aliis impedimentis iuris mere ecclesiastici dicendum est.

Num vero habenda sint valida coniugia, quae haeretici ineunt cum impedimento iuris mere ecclesiastici, dissident DD. Vid. de hac controversia Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 1. n. 378-380.*), qui allatis utriusque sententiae rationibus in affirmativam partem inclinare videtur

nomen sponsae ad alterum; dein supra nomen sponsi adnotes nomina eorum consanguineorum, qui forte causa esse possunt, cur aliqua intersit cognatio cum sponsa; idem facito quoad sponsam. Qua facta adnotatione, ascendas ex una parte, et videas utrum conveniant in communi principio seu stipite, ex quo sponsus et sponsa sint mediate generati. Hinc postquam inveneris, simulque animadverteris, utrum sponsi sint in linea aequali vel inaequali, applices tandem regulas infra proponendas, et resolutio dubii patebit. Pro quibus sit sequens exemplum:

ABAVUS

Didacus Noel.

	PROAVIA.		PROAVUS.
I.	*Iulia Noel* *Uxor Titi Pascal.*	I.	*Arthur Noel.*
	AVUS.		AVUS.
II.	*Maevius Pascal.*	II.	*Maurus Noel.*
	PATER.		PATER
III.	*Paulus Pascal.*	II.	*Hector Noel.*
	SPONSUS.		SPONSA.
IV.	*Petrus Pascal.*	IV.	*Maria Noel*

In hoc exemplo *Petrus Pascal* et *Maria Noel* sunt consanguinei in quarto gradu aequali. Si vero *Maria Noel* immediate descenderet a *Mauro Noel*, *Arthur Noel* esset eius avus et *Didacus Noel* eius proavus, et proinde consanguinei forent in *quarto gradu* quidem, sed *attingente tertium.*

803. — Alia etiam methodus indicatur ad gradus cognationis dignoscendos, scilicet cum *tabella genealogiae*, seu *arbore consanguinitatis.* Inspice tabellam, et vide in qua linea, et in quibus cellulis reperias personas, de quarum cognatione quaeritur, et attende quot gradibus distent a stipite communi. *Exemplum:* Quaeris v. gr. quonam gradu Titius sponsus sit consanguineus respectu Bertae sponsae, cum iam scias avum prioris fuisse fratrem proavi posterioris. Pone Titium in cella media N. Ascende ad eius avum; frater eius ad dexterum latus, in cella ubi notatur patruus, erit proavus Bertae; descende per lineam rectam illius numerando avum, patrem et sponsam ipsam, hinc stipes communis erit ille, qui reperitur in cella tertia superiore lineae mediae. Sic numerabis tres gradus ex parte sponsi, et quatuor ex parte sponsae; hinc concludes esse consanguineos in quarto gradu attingente tertium.

Finge alia quaevis exempla similia, alterutrum e sponsis in

qualibet cella sive media, sive ad unum latus supponens, et ad stipitem communem ascendens, ut inde ad alterum sponsum descendas; sed minime attendas ad nomina, quae in variis cellis occurrentibus reperies, quia pro cella electa omnia variabunt, ut patet.

Consanguinitas inter easdem personas ex duplici vel etiam multiplici capite oriri potest, et tunc est duplex vel multiplex propinquitas, seu impedimentum in petitione dispensationis aperiendum; ita v. gr. si duo fratres duas fœminas sibi consanguineas ducant, liberi ex utroque matrimonio provenientes, dupliciter inter se consanguinei erunt (*a*), et haec circumstantia necessario declaranda est.

804. — QUAER. 3° *Quinam sint consanguinei collaterales?*

Resp. Sunt sequentes, scilicet:

1° *Ex parte patris.*

PROPATRUUS, seu frater proavi *(grand-oncle)*.
PROAMITA, seu soror proavi *(grand'tante)*.
PATRUUS MAGNUS, frater avi *(frère de l'aïeul)*.
PROAMITA, soror avi *(sœur de l'aïeul)*.
PATRUUS, frater patris *(oncle paternel)*.
AMITA, soror patris *(tante paternelle)*.
PATRUELES, filii fratrum ex parte patris *(cousins-germains paternels)*.

2° *Ex parte matris.*

PROAVUNCULUS, frater proaviae *(grand-oncle)*.
PROMATERTERA, *(sœur de la bisaïeule)*.
AVUNCULUS MAGNUS, frater aviae *(grand-oncle maternel)*.
MATERTERA MAGNA, soror aviae *(grand' tante maternelle)*.
AVUNCULUS, frater matris *(oncle maternel)*.
MATERTERA, soror matris *(tante maternelle)*.
CONSOBRINI, filii fratrum ex parte matris *(cousins-germains maternels)*.
AMITINI, filii fratrum *(cousins germains)*.
SOBRINI, horum filii *(cousins issus de germains)*.
NEPOTES, filii fratrum *(neveux)*.
PRONEPOTES, horum filii *(arrière-neveux)*.

(*a*) Plura exempla tum duplicatae tum triplicatae consanguinitatis vide apud De Iustis (*De Dispens. Matrim. Lib. 2. Cap. 6. a n. 61.*).

GRADUS CONSANGUINITATIS



NOTA. 1° Personae quae tractu coniunguntur sunt inter se in linea recta, cum caeteris in linea collaterali.

2° Ubi lineae coniunguntur, ibi stipes habetur.

SECTIO II.

DE COGNATIONE SPIRITUALI

Cognatio spiritualis est propinquitas quaedam, quae ex statuto Ecclesiae oritur ex administratione et susceptione baptismi et confirmationis inter certas personas in Iure canonico determinatas.

805. **Principia.**— I. Cognatio *spiritualis* dirimit matrimonium de *Iure ecclesiastico* 1° inter ministrum Sacramenti et subiectum, huiusque genitores; 2° inter patrinum vel matrinam et filiolam vel filiolum, eorumque genitores. Sic ex *Conc. Trid. sess. 24. c. 2. de Reform.*

II. Plures conditiones requiruntur, ut patrini cognationem spiritualem contrahant, scilicet 1° ut sint baptizati (*a*), secus enim Ecclesiae non subiiciuntur; 2° ut sint rationis compotes, quia secus non sunt muneris patrini capaces; 3° ut designati fuerint a parentibus, vel etiam a Parocho in illorum loco vel defectu (*b*); 4° ut baptismus fuerit validus (*c*).

(*a*) Ad cognationem contrahendam baptismus est conditio necessaria *quoad omnes:* proinde si vel baptizans, vel parentes baptizati sint infideles (licet catechumeni), cognatio ab iis non contrahitur. Quocirca tam fidelis, qui baptizavit prolem infidelis, quam qui eam a sacro fonte suscepit, possent matrimonium contrahere non quidem cum prole baptizata, sed cum eius parentibus postquam ad fidem conversi essent (*Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 11. n. 62-65.*).

Certum est autem, hanc cognationem contrahi etiam ab haeretico, tum si baptizet, tum si teneat in sacro fonte, tum si prolem illius alius baptizatus (sive haereticus sive catholicus) vel baptizet vel teneat. Ratio, quia quisquis characterem baptismalem habet, est capax huius cognationis, et legibus Ecclesiae subditur (*Sanchez Lib. 7. Disp. 60. n. 2. Pirhing., Lib. 4. Tit. 11. n. 40.*). Caeterum iam nota sunt SS. Congr. decreta, quibus interdicitur, ne aut catholicus haereticorum filios in baptismo elevet, aut ad id muneris in baptismo catholici haereticus admittatur.

(*b*) Necesse reipsa non est, ut quis a parentibus aut a parocho designetur; sed satis est, quod sese ingerens admittatur. (*Vid. S. Alphons. Lib. 6. n. 154.*, et Declarationem S. Congr. apud Gallemart *in Not. ad Cap. 2. Sess. 24. Conc. Trid. n. 7.*, vel apud Rebellum *ad calcem Lib. 4. Part. 2. Sect. 4. n. 95.*). Opus tamen est generatim, ut quis non mere materialiter adsistat et infantem teneat, sed ut intentionem seu animum habeat suscipiendi seu agendi munus patrini; quamquam non requiritur insuper, ut intentionem contrahendi spiritualem cognationem gerat; quia hoc est consectarium nullatenus a voluntate eius, sed ab Ecclesiae statuto pendens, atque adeo etiam ab ignorante contrahitur (*Schmalzgrueber, Lib. 4. Tit. 11. n. 66.*).

(*c*) Videlicet si baptismus, quod est principale, non subsistat, neque accessorium, scil. cognatio, subsistere potest. Hinc argue, quod si baptismus denuo conferatur sub conditione, et postea detegatur, infantem prius valide baptizatum fuisse, nulla aderit cognatio. Quousque autem hoc non constat, Ecclesia cognationem praesumit. Quod tamen intellige, quando vere adsit dubium, quod S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 151.*) *negativum* dicit, cum scilicet pro baptismi prioris valore nulla faciat solida ratio; nam si

806. Resolves. — 1° Patrinus et matrina matrimonium inter se inire possunt, non vero cum patre vel matre baptizati.

2° Non contrahunt cognationem spiritualem, qui officium patrini et matrinae exercent in supplendis Baptismi solemnitatibus, nec qui tantum nomine alterius baptizatum de sacro fonte suscipiunt (*a*).

3° Contrahunt veram cognationem spiritualem patrini a parentibus designati et iniuste a Parocho reprobati, si infantem reapse teneant; secus, si a Parocho iuste reiiciantur (*b*). — *S. Lig. n. 154.*

4° Vir, qui puellam in casu necessitatis et privatim baptizavit, nec ipsam, nec eius matrem ducere potest (*c*). — *Ita communiter, S. Lig. de Bapt. n. 149.*

5° *Probabilius* autem non videntur hanc cognationem contrahere patrini in Baptismo privato adhibiti. Ratio est, quia in *Conc. Trid.* de iis tantum patrinis, qui in Baptismo solemni adhibentur, sermo est, cum pro Baptismo privato nulli requirantur. — *Ita communius* cum *S. Lig. n. 149.*

6° Patrini cognationem spiritualem contrahere non videntur, nisi baptizatum physice tangant, quia secus proprie eum de sacro fonte suscipere non censentur (*d*); omnes enim textus Iuris can.,

dubium sit *positivum*, nempe si in utramque partem adsit probabilitas, quisque resolvere dubium potest, prouti lubet, et (ut habet S. Alph. *l. c.*), matrimonium contrahi poterit, quasi nullum sit impedimentum, quia scilicet nullum adest certum impedimentum.

Quod idem dicendum in duobus aliis casibus, nempe 1° si quis ex errore unum pro alio infantem teneat; 2° si quis infantem teneat in baptismo privato. Nam cum in utroque casu (*Vid. S. Alph. Lib. 6. n. 149. et 151.*) DD. dissideant, fatendum est denique, rem esse dubiam. At si dubia est cognatio, dubium erit et impedimentum; dubium autem impedimentum (ut ipse S. Alphonsus advertit *n. 151.*) non est matrimonii impedimentum.

(*a*) Postremum hoc confirmant decreta S. Congr., quorum unum refert Barbosa (*Apost. Decis. Collect. 177. n. 9.*), duo alia vero Benedictus XIV. (*Quaest. Can. 227.*). Ex alia autem S. Congr. declaratione, quam refert Gallemart (*In not. ad C. 2. Sess. 24. Conc. Trid. n. 4.*), procuratoris officium praestare potest vir pro muliere, et viceversa; quo in casu non interdicitur, ut actu duo viri vel duae mulieres e sacro fonte elevent.

(*b*) Licet Synodus Tridentina (*Sess. 24. Cap. 2. De Reform. matr.*) decreverit, *ut unus tantum, sive vir sive mulier, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant;* hoc tamen decretum non esse *irritans* constat ex Declaratione S. Congreg. in causa Aquensi 10. Martii 1631. (eam refert Barbosa *Apostol. Decis. Collect. 177. n. 10.*), dummodo tertia vel quarta persona fuerit et ipsa *designata,* quae proinde cognationem contrahet.

(*c*) Idem dicendum, uti patet, de muliere, quae privatim puellulum baptizaverit.

(*d*) Requiritur, ut dum baptizatur, patrinus ita baptizatum tangat, ut dici queat, eum *suscepisse, accepisse, tenuisse, levasse, etc.*, in sacro vel de sacro fonte; vel si consuetudo sit, ut sacerdos teneat infantem, dum baptizatur, patrinus vel infantem baptizandum sacerdoti praesentaverit, vel mox infantem de sacerdotis manu immediate suscipiat; unde non satis esset, quod mediate commater acciperet eum a compatre, vel viceversa; nec et.

quibus spiritualis cognatio statuitur, hisce verbis exprimuntur: *qui suscipit, teneat, levat, tangit,* etc. — *S. Lig. n. 148., et alii communiter.*

7° Parentes baptizantes filios in necessitate vel bona fide nullam contrahunt spiritualem cognationem, qua ab usu coniugii prohibeantur; haec enim prohibitio rationem habet poenae, quae sine culpa non incurritur. — *S. Lig. n. 150.* — Imo *probabilius* nec videntur cognationem contrahere, etiamsi ex industria, seclusa necessitate, prolem baptizarent (*a*). — *S. Lig. ibid.*

SECTIO III.

DE COGNATIONE LEGALI

807. — Cognatio *legalis* est propinquitas personarum, quae oritur ex adoptione legali. Duplex distinguitur adoptio:

1° *Perfecta,* qua persona sui iuris, forma legali (*b*), transit in potestatem et familiam adoptantis, et omnia filii legitimi iura acquirit.

2° *Imperfecta,* qua persona extranea, quae sui iuris non est, assumitur in filium vel nepotem, non tamen transit in adoptantis familiam et potestatem, et propterea non fit huius heres necessarius ex testamento, licet ei succedat ab intestato (*c*).

Principia. — I. Cognatio *legalis* seu adoptio constituit impedimentum dirimens de iure ecclesiastico, quamvis prius in Iure romano stabilitum fuerit (*d*). Eruitur ex *Resp. Nicolai I. ad Bulgaros,* etc.

II. Cognatio *legalis* ad similitudinem cognationis naturalis ex iure romano matrimonium dirimit inter sequentes personas:

1° Quasi in linea recta inter adoptantem et adoptatum et eius filios, dum sunt sub paterna potestate constituti; 2° inter adoptatum

am sufficeret tactus momentaneus digiti vel manus, quia id non esset *levare* aut *tenere*, etc. Non tamen opus est, ut patrinus etiam respondeat pro infante; quia responsio ista ad patrinum catechismi, de quo (*sup. in not. ad n. 776.*) dictum est, pertinet (*Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 11. n. 38. 39.*).

(*a*) Cum saltem dubium sit, principium praevalet, in re dubia non posse certum ius coniugi auferri. Negandum ergo est, per hoc usui coniugii apponi impedimentum (*Schmalzgrueber, Lib. 4. Tit. 11. n. 46-49.*).

(*b*) Perfecta adoptio, quae et *arrogatio* dicitur, indiget rescripto *Principis;* pro imperfecta vero, quae dicitur *simplex,* sufficit auctoritas cuiusvis iudicis competentis. *Vid. Schmalzgrueber, Lib. 4. Tit. 12. n. 3.*

(*c*) Contra vero per adoptionem perfectam seu *arrogationem,* adoptatus evadit heres necessarius ex testamento in quarta bonorum parte (*Schmalzgrueber, Lib. 4. Tit. 12. n. 3.*).

(*d*) Cognatio ista matrimonium dirimit iure ecclesiastico, quatenus per ius ecclesiasticum approbatae sunt leges civiles romanae, per quas primitus inductum hoc impedimentum fuit.

et filios adoptantis, quasi in linea collaterali, dum huius filii sub paterna potestate versantur; 3° inter adoptantem et uxorem adoptati, ac vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis, quasi in linea recta per modum affinitatis, ut constat ex declaratione S. Congreg. in Hortana 26. Sept. 1734. (*a*).

808. **Quaesita.**—Quaer. 1° *An cognatio legalis matrimonium dirimat usque ad quartum gradum inter adoptantem et descendentes adoptati, aut vice versa?*

Resp. 1° Certo restringitur ad primum gradum quoad adoptatum et descendentes adoptantis. Ex iure canonico constat.

Resp. 2° *Controvertitur* quoad adoptantem et descendentes adoptati. *Probabiliter* cognatio non extenditur ultra primum gradum, seu ultra adoptatum, nisi habeat descendentes sub potestate sua constitutos (*b*); nihil enim in iure huic decisioni oppositum reperitur. — *S. Lig. n. 1027.*

809. — Quaer. 2° *An adoptio imperfecta dirimat matrimonium?*

Resp. Neg. probabilius cum *S. Lig. n. 1027., et aliis communius.* — Ratio est, quia sola adoptio perfecta censenda est adoptio proprie dicta (*c*).

(*a*) Differunt inter se istae cognationes (et consequenter etiam impedimentum ex iis ortum), quod prima et postrema sint perpetuae; quocirca adoptans v. gr. ducere nequit filiam aut neptem adoptivam in uxorem, etiamsi per emancipationem adoptio fuerit soluta, nec privignus aut nurus (intellige adoptivi) iungi matrimonio possunt cum noverca aut socero, licet adoptio aut per emancipationem aut per mortem adoptantis cessaverit. Requireretur igitur dispensatio Sedis Apostolicae, quae tamen etiam in postremo casu difficillime conceditur. Secunda vero in linea collaterali durat dumtaxat, quamdiu durat adoptio (*Vid. Schmalzgrueber, Lib. 4. Tit. 12. n. 26. et seq., et S. Alph. Lib. 6. n. 1027. not. 2.*). Sex autem modis ex iure romano solvitur adoptio: 1° morte naturali adoptantis; 2° morte eiusdem civili; 3° ob nuptias incestuosas; 4° ob dignitatem v. gr. episcopalem; 5° per sententiam; 6° per emancipationem (*Schmalzgr. ibid. n. 10.*).

(*b*) Sat claram regulam habes, si cum Sanchezii (*Lib. 7. Disp. 63. n. 34.*) communiori sententia statuas, ex romano iure impedimentum se ad eos extendere, qui simul cum patrefamilias adoptato transeunt in potestatem adoptantis.

Facilius autem indicari possunt personae, inter quas, constante adoptione, consistere matrimonium potest. Durante itaque adoptione potest matrimonium consistere 1° inter adoptantem et matrem adoptati (*S. Thom. in 4. Dist. 42. q. 1. art. 2. ad 5.*); — 2° inter adoptantem et filiam adoptivae; quia haec non est in potestate matris, ideoque non transit in potestatem adoptantis; — 3° inter adoptantem et filiam illegitimam adoptati, quia scilicet filii illegitimi non sunt in patris potestate, atque adeo filia adoptati in casu in potestatem adoptantis non transit; — 4° eadem de causa consistet matrimonium inter filium illegitimum adoptantis, et huius filiam adoptivam; — 5° inter filium et filiam duorum fratrum adoptivorum, quia isti nullo cognationis vinculo inter se vinciuntur; — 6° denique inter duos adoptivos unius adoptantis: nam nullo id iure vetitum est (*Schmalzgrueber Lib. 4. Tit. 12. n. 31. et seqq.*).

(*c*) Rationes, ob quas communiter DD. statuunt, impedimentum ex sola perfecta adoptione oriri, vide apud Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 12.*

In Gallia porro non videtur vigere adoptio *perfecta;* siquidem ex articulo 348. *Cod. civ.* adoptatus remanet iuris sui. Sic enim statuitur: *L'adopté restera dans sa famille naturelle, et y conservera tous ses droits.* Hinc controvertitur, utrum adoptio ista impedimentum dirimens constituat. Affirmant *Carrière, Bouvier,* etc. Negant vero *probabilius,* ut videtur, alii non pauci.

Et horum quidem sententia confirmari videtur ista *S. Officii* Decisione: *In Bulgariae provincia mos est, ut patresfamilias aliquando sibi in filios adoptent, absque tamen ulla iuris solemnitate, aliquos pueros et puellas. Huiusmodi adoptati communiter inter catholicos ibi commorantes, veluti filii legitimi reputantur, adeo ut in hereditate etiam succedant. Rev. DD. Ioseph Roveramus missionarius .... Sacram Congr. de Propaganda Fide humiliter supplicavit, ut declarare dignaretur, an talis adoptio impedimentum pareret* cognationis legalis. *Eadem S. Congr. instantiam remisit ad S. Congr. S. Officii. Deinde in Congregatione generali habita coram SS. DD. Nostro feria V^a^ die 16. Aprilis 1761., Sanctissimus .... declaravit, praefato in casu nullum existere impedimentum.* (Apud *Ferraris, Pro matrimonio art. 2. additio,* ex novissima Romana editione.)

Casus autem Galliae praefato casui prorsus similis videtur.

Plures ut adstruant impedimentum dirimens, innituntur responsioni *S. Poenit.* ad D. Lasserre, *Vicarium generalem Petrocorensem.* Sed illa responsio rem minime dirimit. Sic enim interrogaverat orator: *Cum in eodem regno (Galliae) adoptionis ius modo legaliter sit receptum, quaeritur an canonicum impedimentum adoptionis dirimens locum etiam habere debeat?* Resp. affirmative, si res sit de adoptione legitime inita. Porro non fuit propositum ab oratore, de quali adoptione ageretur. Insuper adoptio imperfecta, ut locum habet in iure, non dicitur *adoptio* simpliciter, sed *arrogatio* (*a*).

n. 18–22.), qui insuper cum communi DD. sententia advertit, ex adoptione *simplici* seu *imperfecta* nedum *dirimens,* sed ne *impediens* quidem impedimentum oriri. Porro cum lex Canonica hoc impedimentum tantum induxerit per approbationem romani circa hoc iuris; proinde quaestionem, incurratur, nec ne, canonicum hoc impedimentum, quando in civili variarum gentium codice ratio cognationis legalis plus minusve distat a iuris romani *arrogatione* seu *perfecta adoptione,* sola Apostolica Sedes definire certa sententia potest. Nam usquedum eiusmodi definitio exspectetur, Doctores privati, generalibus principiis inhaerentes, quod matrimonium sit res valde favorabilis, et idcirco iura prohibentia et irritantia matrimonium, si quando ambiguus sit eorum sensus, restringi potius (iuxta XV. Iuris Reg. in VI.), quam extendi debeant, recentiores civiles leges circa legalem cognationem et obicem nubendi inde ortum citius de *simplici* illa secundum ius romanum adoptione, quae nullum canonicum impedimentum parit, interpretandas statuent.

(*a*) Haec ratio, si ullum pondus per se habere posset, potius pro opposita opinione militaret; siquidem *arrogatio* perfectam indicat adoptionem, quae impedimentum inducit.

PUNCTUM IV.

De impedimento affinitatis.

810. — Affinitas est propinquitas, quam quis contrahit cum consanguineis personae, quacum carnale commercium habet; seu, est propinquitas orta ex copula carnali inter alterum et consanguineos alterius. Proinde exurgit affinitas inter virum et consanguineos mulieris, et vice versa.

Hinc 1° Affinitas oritur tum ex copula *licita*, hoc est, coniugali; tum ex copula *illicita*, nempe ex fornicatione, adulterio, incestu, etc.

2° Affinitas contrahi potest etiam inter ipsos coniuges, si alteruter rem cum aliquo ex consanguineis alterius habeat.

811. **Principia.**— I. Affinitas ex *copula licita* dirimit matrimonium usque ad quartum gradum *inclusive* (*a*); ex *copula* autem *illicita* solum usque ad secundum gradum *inclusive*. Evincitur ex *Conc. Later. IV.* et ex *Conc. Trid. sess. 24. c. 4.*

II. Affinitas non contrahitur nisi per copulam *perfectam* et *consummatam*, seu talem ex qua per se generatio sequi possit; quia secus vir et mulier non fiunt stricte una caro (*b*). — *S. Lig. n. 1075.*

III. Affinitas inter coniuges contracta matrimonium ipsorum dirimere nequit, cum huic indissolubiliter iam contracto superveniat; eiusdem tamen usum impedit in poenam coniugis adulteri vel incestuosi. Constat ex pluribus locis iuris canonici, praesertim ex cap. *Si quis, De eo qui cognovit,* etc. Haec autem utpote ex co-

(*a*) DD. advertunt, hoc decretum intelligendum esse de linea transversa; sed non cohiberi ad quartum gradum, si de linea recta sermo sit. Quae tamen animadversio nihil ad praxim confert, quia matrimonium inter affines quinto aut sexto gradu in linea recta vix est probabile, quando summa prosperitas in sacris Litteris exhibetur illius, qui quartam generationem viderit.

(*b*) Consentiunt unanimiter DD. in neganda affinitate, si sola femina seminaverit; non item, si seminaverit solus vir; de qua controversia S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 1075.*) concludit, utramque oppositam sententiam esse probabilem, et certum est, S. Thomam pro iis stare, qui exigunt actum utrinque perfectum. Quocirca cum agatur de impedimento, ex generali principio definiendum foret, rem esse dubiam, ac propterea impedimentum non adesse.

Quoad praxim autem valere debent regulae, quas et S. Alphonsus (*l. c.*) habet, nempe, 1° quando de copula constat, in foro externo semper praesumitur pro impedimento contracto; 2° idem praesumitur etiam in foro interno, quando de opposito non constet, quia iudicium prudenter fit ex communiter contingentibus, praesertim si femina fateatur magnum voluptatis sensum se expertam, esto seminalem effusionem non adverterit; 3° si certo constet, re ipsa seminationem alterutra ex parte non esse secutam, in foro conscientiae non potest sententia pro impedimento ferri (*Schmalzgrueber Lib. 4. Tit. 14. n. 71–73.*).

pula illicita, vi Decreti Trident. *Sess. 24. Cap. 4. De Ref. matr.* non contrahitur, nisi ex copula cum consanguineis alterius in primo et secundo gradu. Confirmatur ex Declaratione expressa *Gregor. XIII. apud S. Lig. n. 1070.*

812. **Regulae.** — 1° Personae, quae carnaliter coniunguntur, non sunt proprie inter se affines, sed sunt principium affinitatis, et quasi stipitis locum tenent.

2° Affinitas esse non potest inter duas personas, quarum neutra copulam habuerit cum consanguinea alterius; idcirco consanguinei unius coniugis nullam habent affinitatem cum consanguineis alterius.

3° Duo fratres ducere possunt duas sorores; pater et filius ducere possunt matrem et filiam; imo filius potest ducere matrem, et pater eiusdem filiam. Hinc axioma: *Affinitas non parit affinitatem* (*a*).

4° Gradus affinitatis eodem modo computantur, ac gradus consanguinitatis; imo affinitas gradus non habet *per se*, sed tantum ratione consanguinitatis; qualis igitur est gradus consanguinitatis cum una persona, talis est gradus affinitatis cum altera.

5° Qui peccavit cum duabus sororibus, aut consobrinis germanis, aut cum matre et filia, nullam harum ducere potest.

6° Vir, qui peccavit cum sorore, vel consobrina, vel amita compartis suae, debitum petenti reddere tenetur, quamvis petere ipse nequeat. Ratio est, quia cum agatur de lege mere prohibente, innocens ex culpa nocentis pati non debet.

7° Non privatur iure petendi debitum, qui cum propriis consanguineis peccat, quia nullam affinitatem inde cum uxore contrahit.

8° Si uterque coniux per incestum affinitatem cum altero contraxerit, neuter potest debitum petere, quia uterque ius suum amisit; et proinde neuter tenetur, imo nec potest debitum alteri reddere. — *S. Lig. n. 1069. et seq.*

813. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quo iure dirimat affinitas?*


Resp. 1° Ex certa omnium sententia dirimit *solo Ecclesiae* iure in linea *collaterali,* et multo *probabilius* etiam in linea *recta,* si forte primum gradum excipias.

Resp. 2° *Controvertitur* quoad primum gradum lineae rectae (*b*). Ecclesia tamen, licet pluries enixe rogata fuerit, nunquam voluit dispensare, si affinitas oriatur ex legitimo matrimonio, ut etiam

(*a*) Olim affinitas pariebat affinitatem; unde triplex affinitatis genus vigebat, et quidem dirimens matrimonium. Affinitates secundi et tertii generis sustulit Innocentius III. in Conc. Lateranensi (*Vid. C. Non debet 8. De Consang. et Affinit.*); quae quidem cuiusmodi fuerint, et quomodo orirentur, vide apud Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 14. n. 74. 75.*).

(*b*) Plures ac magni nominis tum Theologos, tum Canonistas, qui universim negarunt, matrimonium cum affini in primo gradu lineae rectae iure naturae esse irritum, habes apud Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 14. n. 103.*), qui hanc sententiam probabiliorem dicit.

GRADUS AFFINITATIS



NOTA. 1° Haec tabella refert consanguineos viri et mulieris in linea recta usque ad quartum gradum. Lineas collaterales, puta fratres, consobrinos, etc. facile adiicies.

2° Lineae ab uno centro ad opposita ductae affinitatem unius exhibent cum consanguineis alterius, et vice versa.

testatur *Benedict. XIV.* (*de Syn. l. 9.*), licet non raro dispensaverit in huiusmodi affinitate orta ex commercio illicito (*a*), v. gr. si quis ducat uxorem, postquam cum huius filia aut matre fornicatus fuerit (*b*).

14. — Quaer. 2° *Quinam sint varii affines?*

Resp. Sunt sequentes, scilicet:

SOCER, pater ratione affinitatis, sive coniugati, sive coniugatae *(beau-père)*.

SOCRUS, mater affinis, ut supra *(belle-mère)*.

PROSOCER, avus affinis *(aïeul par affinité)*.

PROSOCRUS, avia affinis *(aïeule par affinité)*.

(*a*) Manifesta est ratio diversae huius praxis; quia affinitas ex copula fornicaria non ita perfecta est, sicut proveniens ex legitimo matrimonio consummato, ut cum aliis advertit Lugo (*Resp. Moral. Lib. 1. Dub. 40. n. 29.*), quando in illa unio tantum corporum, in isto autem adest etiam societas in communem vitam, ut notat S. Thomas (*In 4. Disp. 41. Q. 1. art. 1. q. 3.*); *matrimonium vero* (ut addit S. Thom. *l. c. q. 4. ad 2.*) *affinitatem causat non solum ratione carnalis copulae, sed etiam ratione societatis coniugalis, secundum quam etiam matrimonium naturale est.*

Quia tamen gravissimi DD. (ut dictum est *in not. praec.*) negant, matrimonium cum eiusmodi affini irritum esse iure naturae, propterea si duo infideles tali matrimonio contracto ad fidem venirent, tutum non esset eos separare sine Pontificis dispensatione; nisi forte haec coniugia inter infideles lege positiva irritentur; quod pronum est, quia fatentibus DD. eiusmodi nuptiae etiam inter gentiles habebantur turpes et abominabiles (*Vid. Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 14. n. 101–105.*).

Verumtamen, ut Lugo advertit (*l. c.*), cum affinitas ex matrimonio, sive sit impedimentum dirimens de iure naturae, sive non, certissime tamen sit affinitas naturalis; proinde non posset quis post baptismum contrahere cum filia aut matre illius uxoris, quam ipse legitime habuisset tempore infidelitatis. Immo DD. *ex Cap. fin. De Divortiis* id extendunt usque ad affines in quarto gradu. Ratio est, quia cum affinitas ex legitimo matrimonio iuxta dicta sit vinculum naturale (*Vid. etiam S. Thom. in 4. Dist. 41. Q. 1. art. 1. q. 1.*), oritur etiam inter infideles, et manet etiam post baptismum; post baptismum autem iam subiacent legi Ecclesiae irritantis coniugia usque ad quartum gradum (*Vid. Schmalzgr. l. c. n. 86–89.*).

Imo iuxta illos DD., qui cum S. Thoma (*l. c. q. 3. et 4.*) docent, hoc *naturale* affinitatis vinculum oriri etiam ex copula illicita, quippe ex Paulo etiam tunc *fiunt una caro,* dicendum insuper esset, quod si quis tempore infidelitatis aliquam fornicarie cognoverit, post baptismum non posset ducere illius matrem, aut filiam, aut sororem, quia cum his contraxit affinitatem; quae licet matrimonio eius non obstet, dum infidelis est et Ecclesiae legibus non ligatur, cum tamen post baptismum perseveret, etiam rationem impedimenti sumit (*Schmalzgr. l. c. n. 86–89.*). Verum cum hanc *naturalem* ex copula illicita affinitatem negent Sanchez (*Lib. 7. Disp. 65. n. 9.*), et cum eo Card. De Lugo (*l. c.*), Gonzalez, Navarrus, aliique, hoc foret impedimentum *dubium.*

(*b*) Quando de eo agitur, qui filiam ducere velit, postquam cum matre fornicatus fuerit, in dispensatione addi conditio solet, *dummodo copula cum matre non antecesserit nativitatem filiae,* ut scilicet caveatur periculum, ne quis propriam filiam in matrimonium ducat. At satis impleta conditio censeri potest, si copula cum matre eo tempore praecesserit, ut illud periculum prorsus absit.

GENER, maritus filiae *(gendre)*.
NURUS, uxor filii *(bru, belle-fille)*.
PROGENER, maritus neptis *(mari de la petite-fille)*.
PRONURUS, uxor nepotis *(femme du petit-fils)*.
LEVIR, frater mariti, aut uxoris *(beau-frère)*.
GLOS, soror mariti *(belle-sœur)*.
FRATRIA, uxor fratris *(belle-sœur)*.
SORORIUS, maritus sororis *(beau-frère)*.
VITRICUS, maritus matris *(beau-père)*.
PRIVIGNUS FILIUS ex primo matrimonio patris aut matris *(beau-fils)*.
NOVERCA, uxor patris *(belle-mère, marâtre)*.

815. QUAER. 3°. *An affinitas ex matrimonio consummato, sed invalido, dirimat matrimonium ad quartum gradum, vel ad secundum tantum?*

Resp. 1° Ratione *affinitatis* dirimit ad secundum gradum tantum, quia non habetur affinitas ex legitimo matrimonio.

Resp. 2° Ratione vero *honestatis publicae* videtur dirimere usque ad quartum gradum, quia matrimonium, etiam invalidum, vi honestatis publicae dirimit ad quartum gradum. — *Vide mox dicenda, n. 818.*

QUAER. 4° *An uxor, vi aut metu cognita a consanguineo viri, ius debitum petendi amiserit?*

Resp. 1° *Neg.* si vis fuerit absoluta: impedimentum enim illud petendi debiti quoad coniuges incestuosos poenae tantum rationem habet; poena autem nulla esse potest, ubi nulla est culpa. — *Ita omnes.*

Resp. 2° *Neg.* etiam quando uxor, quae vim aut metum passa est, graviter non deliquerit; quia poena gravis cum culpa levi proportionem non habet.

Resp. 3° Imo *probabilius* etiam negandum videtur, si uxor illa graviter peccaverit, quia metus gravis excusat a legibus humanis, etsi a lege naturali excusare non valeat; ergo cum in nostro casu excuset a lege, prout est ecclesiastica, a poena etiam per eam legem inflicta excusare debet (*a*). — *Ita communius* cum *S. Lig. n. 1071.*, contra *aliquos.*

(*a*) Aptius rationem reddit Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 39. n. 79.*) ubi eum, qui ex gravi metu legem ecclesiasticam violaverit, dicit excusari, *partim, quia sic delinquens haberi nequeat pro contumace et ecclesiasticae potestatis contemptore, cum naturae potius infirmitate, quam obstinatae voluntatis malitia peccet; partim vero, quia eiusmodi metus plerumque excusat ab observatione legis ecclesiasticae.* Ex quibus apparet, rationem ab A. post S. Alphonsum aliosque allatam non semper valere, et ideo aliam adscisci oportere, defectum nempe contumaciae; adeo ut etiam quoad legem ecclesiasticam statuendum sit, fieri interdum, ut quis ratione metus excusetur a poena, licet totaliter non sit immunis a culpa.

PUNCTUM V.

De impedimento honestatis publicae.

816. — *Publica honestas* est propinquitas seu quaedam quasi affinitas, quae per coniunctionem, non corporum, sed animorum oritur tum ex *sponsalibus* inter unum sponsum et consanguineos alterius, tum ex *matrimonio rato* inter alterum coniugem et compartis consanguineos. De Iure ecclesiastico dirimit.

Regulae. — 1° Honestas publica ex *sponsalibus validis* orta ex novo iure Tridentini *Sess. 24. De Reform. Matr. Cap. 3.* matrimonium dirimit usque ad primum gradum tantum (*a*).

2° Honestas publica orta ex *matrimonio rato* dirimit matrimonium ad quartum gradum inclusive. Probatur ex pluribus locis Iuris canonici (*b*).

817. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An* HONESTAS PUBLICA *oriatur ex sponsalibus conditionatis, aut mutuo consensu, vel quavis iusta de causa dissolutis?*

Resp. ad 1um *Neg.*, nisi conditio adimpleta fuerit; quia, conditione non adimpleta, vera sponsalia non habentur (*c*). — *S. Lig. n. 1061.*

Resp. ad 2um *Affirm.* Ratio est, quia impedimentum contrahitur statim post inita valide sponsalia, et impedimentum semel inductum non potest auferri ex voluntate sponsorum, vel alia causa

(*a*) Nimirum ex iure antiquiori sponsalia tum de futuro, tum de praesenti matrimonium dirimebant usque ad quartum gradum, et quidem etiamsi invalida, dummodo non ex consensus defectu, exstitissent. Synodus autem Tridentina sic (*l. c.*) decrevit: *Iustitiae publicae honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant.*

(*b*) Reipsa quod *publicae honestatis* impedimentum oriatur ex matrimonio rato, nullus ex iure canonico textus promitur; et ideo DD. concludunt, id argumento *a fortiori* colligi. Ut enim inquiunt, vinculum, ex matrimonio rato exsurgens, fortius est, quam quod oritur ex sponsalibus *de futuro.* Aequum ergo fuit, ut si ex his inducitur impedimentum, ab illo quoque induceretur. Atqui per matrimonium ratum non inducitur vera affinitas, uti patet tum ex *C. Lex 18. Caus. 27. Q. 2.*, tum ex S. Pii V. Declaratione in *Constit. Ad Romanum 1. Iulii 1568.*, tum ex S. Congreg. Resol. *in Valentina 1607.* apud Benedictum XIV. (*Quaest. Can. 291.*); ergo inducet saltem impedimentum publicae honestatis.

(*c*) Hoc definitum habes *in C. unic. §. 1. De Sponsal. in VI: Cum ex sponsalibus conditionalibus ante conditionem exstantem, sicut consensum non habentibus, et incertis, nulla publicae honestatis iustitia oriatur,* etc. Quod vero post impletam conditionem, etiam non revocato consensu, eo ipso oriatur impedimentum, colligitur argumento a contrario (*Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 1. n. 108.*).

superveniente. Ita ex Declaratione *S. Congregat.* apud *S. Lig. n. 1063.* (*a*).

818. — QUAER. 2° *An* HONESTAS PUBLICA *oriatur ex sponsalibus* PRIVATIS?

Resp. Affirm. Ratio est, quia Ecclesia inter sponsalia privata et publica nullam admittit distinctionem.

QUAER. 3° *An oriatur* HONESTAS PUBLICA *ex matrimonio* INVALIDO?

Resp. Affirm., quia ante *Conc. Trid.* honestas oriebatur ex huiusmodi matrimonio. Concilium vero nihil circa hoc immutavit, quamvis ius antiquum pro sponsalibus de futuro coarctaverit (*b*).

Excipe 1° si oriatur invaliditas ex defectu consensus. Sic ex Iure canonico. — Hinc non adest impedimentum *publicae honestatis,* si matrimonium vel ex errore, vel ex metu, aut cum ficto consensu contractum fuerit. — *Vide S. Lig. n. 1062.*

Excipe 2° si invaliditas veniat ex priore impedimento publicae honestatis, orto ex sponsalibus valide contractis (*c*); in hoc enim casu non inducitur impedimentum in praeiudicium priorum sponsalium. — *S. Lig. n. 1064.* — Hinc si Titius v. gr. initis sponsalibus cum Berta, eaque relicta, eius sororem ducat, ad primam redire potest, imo debet; nec indiget dispensatione, nisi matrimonium *consummaverit.*

819. — QUAER. 4° *An* HONESTAS PUBLICA *oriatur ex matrimonio* CIVILI?

Resp. Videtur affirmandum, sive contrahentes intendant contrahere deinde coram Ecclesia, sive non; nam in 1° casu censetur contractus *sponsalitius;* in 2° censetur matrimonium *clandestinum,* quod licet invalidum sit, ex dictis matrimonium ad quartum usque gradum dirimit (*d*). — *Vide S. Lig. n. 1064.*

(*a*) Vid. Fagnanum in *Cap. Ad audientiam n. 29.,* et Benedict. XIV. *Quaest. Can. 291.*

(*b*) Sic declaravit S. Pius V. Const. *Ad Romanum* 1. Iul. 1568. hisce verbis: *Nos itaque... attendentes, quod sponsalium appellatione, qua dictum Concilium* (Trid.) *utitur, non nisi improprie matrimonium verbis de praesenti conceptis contractum continetur,... idcirco... declaramus ac definimus, Decretum Concilii huiusmodi omnino intelligendum esse et procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sic, ut praefertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus de iure veteri ante praedictum Decretum Concilii introductum erat.*

(*c*) Hoc est, quod communiter dicitur, hoc impedimentum non esse *retroactivum.* Qua de re expressam Bonifacii VIII. definitionem habes in *Cap. Unic. De Sponsal. in VI.*

(*d*) Alibi iam advertimus (*Sup. in not. ad n. 730.*), vix fieri posse, ut qui ad magistratum accedunt matrimonium civile contracturi, ea de re prius non convenerint. Et si quidem conventum inter eos fuerat de matrimonio contrahendo coram Ecclesia, sponsalia ergo iam ex tunc praecesserant. Si vero haec deerat intentio, non modo nulla praeiverant sponsalia, quae sunt promissio matrimonii, non vero concubinariae coniunctionis,

PUNCTUM VI.

De impedimento criminis.

Crimen matrimonium dirimens (*a*) triplex est, scilicet 1° adulterium, 2° homicidium coniugis, 3° utrumque simul, modo certae concurrant conditiones, quas subiicimus.

I. *Adulterium solum.*

820. — Ad impedimentum ex hoc capite incurrendum requiritur, 1° Ut adulterium sit *verum, formale, consummatum.* Et primo quidem *verum,* id est, ut saltem alteruter fornicator matrimonio non mere *putatitio,* sed legitimo ac valido, etiamsi forte non consummato, sit coniunctus. Deinde *formale* et quidem ex utraque parte, id est, ut uterque cognoscat, alterutrum esse coniugatum (*b*). Tandem *consummatum*, intercedente nempe copula carnali perfecta (*c*). Dixi, *formale ex utraque parte,* quia odia restringenda sunt. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 1036.*

2° Ut adsit *promissio* matrimonii facta ab uno adultero et ab altero saltem aliquo signo acceptata (*d*), sive haec promissio prae-

sed neque in gestis coram magistratu, iuxta solidiorem opinionem, habes invalidum matrimonium eiusmodi, quod publicae honestatis impedimentum inferat.

(*a*) Est impedimentum iuris ecclesiastici; a quo num excuset ignorantia, sup. *in not. ad n. 788. Q. 2.* dictum est.

(*b*) Sufficit igitur, ut quis scienter accedat ad feminam coniugatam, nec necessarium est, ut ista coniugata sciat, etiam eum, quocum adulterat, coniugatum esse.

Adde cum S. Alphonso (*Lib. 6. n. 1036. V.*), non esse dicendum *formale* adulterium, *etiamsi solum ex ignorantia culpabili et crassa complex ignoraret, alterum esse coniugatum.* A poenis enim excusat quaelibet ignorantia facti, nisi sit affectata; et praeterea ad *formale* adulterium requiritur *dolus,* qui abest, ubi adest ignorantia.

(*c*) In foro externo id semper praesumitur. Haec igitur valent pro foro tantum conscientiae; in quo (*Vid. dicta sup. in not. ad n. 811. II.*) si Confessarius vere deprehendat, actum etiam ex parte feminae consummatum non fuisse, non deberet scrupulum impedimenti iniicere, sive de matrimonio iam contracto agatur, sive de contrahendo (*Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 7. n. 50.*).

(*d*) Tum promissio tum acceptatio debet esse *vera,* et ideo non sufficit *ficta.* Vid. S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 1039.*), et Schmalzgr. (*Lib. 4. Tit. 7. n. 22-24.*), qui id confirmat ex *C. Significasti 6. De eo qui duxit, etc.* Insuper non sufficit *conditionata* promissio aut acceptatio, quousque conditio nondum extat. Secus dicendum, si adiecta conditio purificetur ante mortem coniugis, ac multo magis si ante patratum adulterium; nam futile prorsus est, quod quidam (*apud S. Alph. l. c. n. 1040. in fin.*) aiunt, promissionem etiam post impletam conditionem non posse *puram* appellari. (Vid.

cedat, aut comitetur, aut sequatur adulterium; sed si praecedat, requiritur, ut retractata ante adulterium non fuerit. Probabilius autem non requiritur repromissio (*a*).

3° Ut tum *promissio* matrimonii, tum *adulterium* fiant *vivente priore coniuge,* seu constante eodem matrimonio (*b*). — *Ita ex pluribus locis Iuris can.* v. gr. ex *C. Si quis vivente 5. Caus. 31. qu. 1.* Item ex *C. Propositum 1. de eo qui duxit* etc. — *S. Lig. n. 1037. et seq.* (*c*).

Schmalzgr. *l. c. n. 25–28.*). Et idem prorsus tenendum de opinione Pontii (*De Matr. Lib. 7. Cap. 45. n. 2.*), quod sufficiat alterius taciturnitas ad alterius promissionem. *Acceptatio* enim promissionis hic locum habet delicti, cui poena irroganda est; et notissimum est, delicta non praesumi; atqui in casu delictum praesumeretur, quia in taciturnitate habemus consensum mere praesumptum. Ergo. Quod vero mirabile est, Pontius, ut mox videbimus, dux est eorum, qui negant impedimentum incurri a machinante mortem coniugis, nisi intentionem matrimonii contrahendi exterius significet; et utitur ea potissimum ratione, quod *actus mere interior puniri non possit.* Nunc vero sui oblitus contendit, ad incurrendam poenam acceptationem *mere internam,* imo et *mere praesumptam* sufficere! Sed iam alias advertimus, caecum furorem contradicendi Sanchezio in ineptias et contradictiones passim hominem abripuisse. Caeterum incassum, etiamsi adesset, huc advocaretur istius opinionis probabilitas. Neque enim mera opinio satis esse potest ad certum impedimentum adstruendum. Vid. Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 7. n. 21.*).

(*a*) Huic sententiae nonnihil valoris accedere potest etiam ex *C. Significasti 6. De eo qui duxit, etc.* Verumtamen cum sua oppositae quoque sententiae non desit probabilitas (*Vid. Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 7. n. 30.*), in dubio an repromissio accesserit, ex generali canone, impedimentum ut mere probabile, atque adeo incertum (quod perinde est, ac nullum) censeri potest.

(*b*) Nimirum tum adulterium tum matrimonii promissio cedere in iniuriam debent unius eiusdemque coniugis: quod non contingeret, si Berta v. gr. vivente primo marito, promitteret matrimonium Titio; cum eodem vero adulterium committeret, quando post primi mariti mortem Caio nupsisset.

(*c*) Adulterium ex iure matrimonium dirimit, non modo quando accedit promissio matrimonii *futuri,* contrahendi scilicet *post mortem coniugis* (nam si promitteretur matrimonium contrahendum *alio coniuge adhuc vivente,* impedimenti ratio cessaret, ut cum DD. advertit *Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 7. n. 9.*), sed etiam si adulter, adhuc vivente coniuge, matrimonium de praesenti cum adultera contrahat, seu potius attentet; id patet ex *C. Cum haberet 5. De eo qui duxit, etc.* Nec refert, utrum attentet matrimonium contrahere coram parocho ac testibus, an clandestine. In statuendo enim hoc impedimento non attenditur valor matrimonii aut sponsalium (si sola promissio intercedat), quae invalide, uti patet, contrahuntur, sed ratio criminis. Quod si complex ignoraverit legitimum alterius coniugium, quando cum eo inivit matrimonium, duplicem distingue hypothesim; vel enim comperto alterius coniugio, adulterium, non retractans matrimonium, committit, et sic impedimentum inducetur; quia si post scientiam acceptam in matrimonio perseverat, hoc merito habetur pro scienter contracto, et cum adulterio coniunctum non minus provocat ad captandam alterius mortem, quam si scienter contractum ab initio fuisset; vel matrimonium retractat ante adulterium, aut etiam ab adulterio (quod *materiale* prius extitisset, et non *formale*) cessat statim, ac coniugium alterius comperit, et sic ratio impedimenti abest (*Conf. Schmalzgr. l. c. n. 12. et 15.*).

II. *Homicidium solum.*

821. — Tres conditiones requiruntur, ut ex hoc adsit impedimentum:

1° *Mutua conspiratio;* unde non sufficit, ut coniux coniugem suum occidat, si persona, quacum matrimonium initurus est, hanc actionem ignoret, aut contradicat. — *Ita communius ex C. Laudabilem 1. De conv. infidel. — S. Lig. n. 1033.* (*a*).

2° *Intentio matrimonii. — Ita communiter,* quamvis in iure non sit expressum. Ratio est, quia finis legis est, ne quis spe matrimonii propriam vel alterius coniugem occidat. Quidam cum Pontio requirunt, ut intentio illa aliquo modo fuerit alteri manifestata. Sufficere ait *S. Lig. n. 1034.,* ut indicia quaedam huius intentionis praecesserint, v. gr. familiaritates, epistolae amatoriae, etc. (*b*).

3° *Mors realiter secuta* ex actione physica vel morali alterutrius complicis. Patet ex Iure canonico. — *Ita communiter.*

III. *Utrumque simul.*

822. — Quando crimina adulterii et coniugicidii reperiuntur coniuncta, non requiritur mutua conspiratio ad coniugicidium, nec promissio matrimonii, sed haec tria sufficiunt:

1° Adulterium, quale supra expositum est. Hinc praecedere debet coniugicidio (*c*); non tamen necesse est, ut praecedat mortis machinationi.

(*a*) Communis itidem est doctrina, non sufficere, quod quis, audiens coniugis occisionem, eam approbet, ac ratam habeat (*Schm. Lib. 4. Tit. 7. n. 56. 57.*).

(*b*) *Parum* (ut post Sanchez *Lib. 7. Disp. 78. n. 19.,* aliosque inquit Schmalzgr. *Lib. 4. Tit. 7. n. 55.*) *hoc ad praxim interesse videtur. In foro enim externo semper praesumitur machinatio in mortem alterius facta esse animo ineundi cum alia matrimonium, si mulier et vir alienus communi opera concurrunt ad mortem coniugis innocentis, vel quando praecessit adulterium.*

Adverte insuper, hanc *intentionis* externam manifestationem ideo solum ab istis auctoribus requiri, quia Ecclesia, ut dicunt, actus mere internos non punit; ad quem finem nihil profecto interest, num haec intentio manifestetur complici, an alteri, itidemque num ante, an post crimen aliquo modo significetur; et insuper dum S. Alphonsus (*n. 1034.*) mere postulat, ut *familiaritates, munera,* aut *epistolae amatoriae* intercesserint, aperte patet, satis esse, quod alter significet, sibi animum inesse matrimonii contrahendi, non autem requiri ut significet, se *hac prorsus de causa mortem machinari, aut machinatum fuisse.* At enim si ita se res habet, quandonam haec intentionis manifestatio deesse poterit? Numquid enim celebrari matrimonium poterit, si qui contracturus illud est, aliquando suam hanc voluntatem non prodat?

(*c*) Ratio facile intelligitur; si enim praecedat mors coniugis, adulterium, quod consistit in copula cum coniuge alterius (certe viventis), locum habere amplius non poterit.

2° Machinatio mortis ab uno adulterorum ex intentione matrimonii; sufficit autem, ut haec intentio ab uno habeatur. — *Ita Gousset, n. 824. — Carrière, n. 739. — Collet,* etc. — *S. Lig.* insuper requirit *probabilius,* ut haec intentio alteri manifestetur (*a*).

(*a*) Quod superius diximus (*not. ad n. 821.*), hoc non esse intelligendum de manifestatione *finis*, quem quis sibi proponit occidendo, ex hoc confirmatur, quod res aeque procedat, etiamsi accidat, inscio adulterii complice. Demum adverte, pro opinione, quae intentionis significationem requirit, falso allegari (*apud S. Alphonsum n. 1036. VI.*) non solum Salmanticenses et Sanchez, sed et Vasquez, qui de speciali hac quaestione nihil omnino habet; sicut et Pontius (*Lib. 7. Cap. 45. n. 5.*) perperam in eamdem rem allegat S. Thomam (*Suppl. Q. 60. art. 2.*); nam S. Doctor sane de *intentione* loquitur; sed de externa intentionis manifestatione ne verbum quidem habet.

** Advertunt hic VV. (*Pag. 806. in Not.*), *solos Salmanticenses a S. Doctore directe et rectissime* (ut aiunt) *allegari... Idcirco opus non esse, ut inquiramus, utrum Auctores a Salmanticensibus pro hac sententia adducti recte allegentur, nec ne.*

Resp. 1° Etiam ista VV. animadversio ortum suum habet ex praeconcepta eorum opinione, quasi nempe ubi in hisce *Notis* indicatur, minus ad rem allegationes quasdam afferri, id tribuendum foret studio carpendi S. Doctorem Alphonsum, non vero curae genuinum controversiae statum fideliter oculis lectoris subiiciendi. Nonne in hac ipsa *Notula* innuitur, S. Thomam *gratis* allegari a Pontio, qua de re alioquin nihil S. Doctor Alphonsus habet?

Resp. 2° Quod VV. aiunt, Salmanticenses a S. Doctore *rectissime* allegari, non est omnino verum. Nam S. Doctor (*l. c.*) scribit: *Requiritur VI., ut occisio facta fuerit cum animo nubendi cum adultera, saltem ex parte occidentis, modo is externe talem intentionem* ALTERI (idest adulterae) *manifestarit.* Porro Salmanticenses nequaquam de intentionis manifestatione facta adulterae, sed generatim de exteriori aliquo interioris intentionis signo, prouti dictum est in *Nota ad n. 821.*, verba faciunt. Ita illi (*Tract. 9. Cap. 12. n. 53.*): *Requiritur tamen, quod talis intentio manifestetur exterius, quia Ecclesia non potest punire nisi quod potest cognoscere.*

Resp. 3° Quod dein VV. in Salmanticenses reiicere volunt mendum allegationum, quae etiam apud S. Alphonsum non faciunt ad rem, hoc quoque non omnino admittendum est. Nam S. Alphonsus hic allegat etiam *Sanchez et Dicastillum*, et *Sanchezium* allegaverat etiam in Opere Hom. Apost. (*Tr. 18. n. 65.*). Porro Salmanticenses ibi nec *Sanchezium* nec *Dicastillum* citant. Quocirca neque verum illud est, quod VV. dicunt, *solos Salmanticenses a S. Doctore directe allegari.* Nam hosce duos suo marte S. Doctor adducit, non vero a Salmanticensibus mutuatus est. Quod autem VV. (*l. c.*) addunt, *Sanchesium a S. Alphonso praec. n. 1034. expressis verbis pro opposita sententia citari*, id mere ostendit, ea, quae *n. 1036.* habentur, cum iis non cohaerere, quae *n. 1034.* scripta cernimus.

Concludunt VV. hisce verbis (*l. c.*): *Num autem* SPERNENDA SIT *doctrina S. Alphonsi cum Salmanticensibus, videlicet probabilius requiri externam intentionis significationem, eo quod Ecclesia actus mere internos punire non soleat; pro sua sapientia iudicent alii.*

Resp. Quaestio non est de SPERNENDIS doctrinis, quia *spretus* ad dirimendas controversias nihil confert; sed de suo rationibus pondere tribuendo. Porro ex Auctoribus a S. Doctore allegatis, praeter Salmanticenses, supersunt dumtaxat Pontius et Perez, demptis nimirum Vasquez, Sanchez, et Dicastillo. At enim Pontius, ut superius (*Not. ad n. 820.*) vidimus, in apertam se contradictionem per hoc coniicit; et in eandem omnino contra-

3° Mors ex machinatione unius adulterorum secuta, eodem modo ac supra dictum est de solo homicidio. Sic ex eodem Iure. — *Vide S. Lig. n. 1036.*

Hoc impedimentum, quod propter duplex crimen unitum voca-

dictionem se coniecit Perez (*Disp. 33. Sect. 2. n. 8., et Sect. 5. n. 4.*), qui libenter a Pontio transcripsit. Neque omnino eiusmodi incommodo forte caret argumentum a S. Alphonso adhibitum, scilicet quod *Ecclesia actus mere internos punire non soleat.* Et sane ubi quaerit (*Lib. 6. n. 1134.*), an, cum petitur dispensatio pro matrimonio contrahendo inter propinquos, exprimenda sit copula incestuosa, quae inter eos utique habita fuerit ex intentione facilius obtinendi dispensationem, haec tamen mala intentio *tantum fuerit mente concepta;* ipse exprimendam eam in petitione contendit, et quidem sub poena nullitatis. Et utique ut sibi S. Doctor cohaereat, ad obiectum argumentum, quod *crimen mere internum pravi illius animi non subiacet potestati Ecclesiae,* reponit, non agi hic de poena, sed de dispensatione, quae in casu negatur. At vero numquid dispensationis negatio poena non est? Nonne ipse praemisit, hoc crimen a Pontifice *puniri,* dum maiorem imponit tum poenitentiam, tum pecuniae compensationem?

Caeterum argumentum, quod Pontius, a Salmanticensibus deinde et Perez ac S. Alphonso transcriptus, in rem praesentem inde petit, quod Ecclesia actus mere internos punire non potest, quia cognoscere illos non potest, in aequivoco fundatur. Et sane theologi, qui qualicumque demum probabilitate tenent, obiectum legis humanae esse solum actus aliquo modo externos, non de quavis interioris actus manifestatione id asserunt. Exemplum esto in haeresi mere mentali seu interna. Consentimus enim omnes, hanc excommunicationis poenae non subiacere, uti peccatum mere internum. At vero quaero: ideone externum fit hoc peccatum, adeo ut excommunicationi subsit, quod quis manifestet, se hoc mere internum peccatum commisisse? Nimirum actus peccati non dicitur exterior, quia quomodocumque fit manifestus, sed quia in genere moris unum et idem est cum actu interiori, ita ut cum hoc unum totale constituat. Porro in casu praesenti actus interior in eo est, quod quis *ex intentione matrimonii* cum adultera occisionem machinatur. Est ergo mera voluntas seu potius intentio finis, quatenus animo suo ad hunc finem seligit ac dirigit tamquam medium coniugis occisionem. At vero quisnam demum in casu erit exterior actus, quo se ita prodat interior illa intentio, ut unum actum moralem constituat, adeo ut possit quodammodo dici *intentionis exterior actus?* Non occisio coniugis, quia ex alio fine occidi haec potuit. Non contractus ipse matrimonii cum adultera, quia nexum necessarium non habet cum voluntate medii selecti, nec per se est actus illius intentionis exterior. Restat ergo ut intentio illa indicetur quopiam alio signo. Atqui quodcumque demum signum excogites, nunquam tale erit, quod cum interiore intentione unum totale in genere moris constituat. Erit intentionis significatio aut confessio actui intentionis extrinseca, nequaquam vero actus intentionis exterior. Ergo sublata aequivocatione seu confusione inter interiorem et exteriorem actum quatenus haec duo unum eundemque moralem actum constituunt, et inter manifestationem actui interno omnino extraneam, quae idcirco nihil ad constituendum eundem illum actum confert, argumentum illud Pontii plane concidit. Quippe cum dicitur, Ecclesiam punire v. gr. censuris actum exteriorem, haud intelligitur confessio, seu expressio peccati interni, sed ipse actus peccati exterior unum idemque peccatum cum actu interiori constituens.

Ex his illud potius potest concludi, novum hinc oriri argumentum contra illam opinionem, quae Ecclesiae negat potestatem circa actus mere internos, de qua vid. vol. I. n. 89. Nam unanimis est omnium DD. seu

tur *utrumque simul*, unicum constituit impedimentum. Contra vero si et adulterium et homicidium suas proprias conditiones separatim habeant, uti n. 821. aut 822. expositae sunt, duplex inferunt impedimentum.

823. — Haec omnia sic paucioribus verbis memoria teneto.

1° *Adulterium* cum promissione matrimonii ab altero acceptata.

2° *Homicidium* ex communi conspiratione et cum intentione contrahendi, saltem ab uno habita, et manifestata.

3° *Utrumque simul* intuitu matrimonii, sed sine conspiratione et matrimonii promissione (*a*).

PUNCTUM VII.

De impedimento disparitatis cultus.

Disparitas cultus intelligitur *in genere* diversitas religionis inter contrahentes. Sed hic intelligitur proprie disparitas, quae inter baptizatum et non baptizatum intercedit. Attamen etiam de disparitate cultus inter baptizatos matrimonium contrahentes, seu *de matrimoniis mixtis* hic dicemus.

824. **Principia.** — I. *Cultus disparitas*, quae est inter baptizatum et infidelem, seu non baptizatum, matrimonium efficit invalidum. Ita ex iure non scripto, idest consuetudine vim legis habente (*b*). — *Vid. S. Lig. n. 1044.* — Hoc evincitur ex doctrina

tentia, impedimentum criminis iuxta praedicta incurri, quando constet de occisione coniugis ex intentione matrimonii cum adultera seu complice occisionis. Porro ista intentio, quae occisionem ceu medium assumit ad consequendum finem illius matrimonii consequendi, utique potest enarrari seu manifestari, sed non habet per se actum externum, quod dici queat externum peccatum pravo voluntatis internae actui respondens. Ergo facto ipso unanimiter omnes potestatem Ecclesiae in actus mere internos admittunt et profitentur.

(*a*) Cum hoc criminis impedimentum sit iuris ecclesiastici, locum non habet inter infideles, uti ex communi doctrina tangit et S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 1037.*), etiamsi dein ad fidem veniant. Quod idem dicendum, si quoad primam e receptis huius impedimenti causis, alterutrum, aut adulterium scilicet, aut promissio tantum facta sit post baptismum (*Vid. Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 7. n. 3.*), itemque, si quoad tertiam causam fidelis non fuit particeps caedis, quam infidelis patravit (*Schmalzgr. ibid. n. 46.*). Contra vero si fidelis, promisso matrimonio, adulterat cum infideli, itemque si fidelis (quoad tertiam causam) caedem patravit, vel (quoad causam secundam) particeps machinationis seu caedis fuit, impedimentum incurrit, quo consequenter, licet indirecte, ligatur et infidelis, non secus ac in impedimento disparitatis cultus contingit. Immo id locum habet, etiamsi uxor fidelis hoc ideo fecerit, ut vir infidelis, inito postea cum ipsa matrimonio, ad fidem convertatur, prouti diserte habetur in *C. Laudabilem 1. De Convers. infid.*, ubi Pontifex hanc reddit rationem, quod *tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit* (*Vid. Schmalzgr. l. c. n. 46–48.*).

(*b*) Cum consuetudine niti hoc impedimentum videretur, consuetudo autem vim non habeat in locis, in quibus, nedum invaluerit, ne inchoata

communi SS. Patrum et Theologorum (*a*), iuque compertum esse asserit *Benedictus XIV. in Epistola ad Cardinalem Eboracensem* §. *10.*

II. Diversitas autem religionis inter baptizatos non constituit impedimentum dirimens. Probatur ex eo, quod nulla lege aut consuetudine irrita declarentur matrimonia inter catholicos et haereticos. — *Ita unanimis consensus Theologorum.*

III. Diversitas religionis inter catholicos et haereticos seu apostatas constituit impedimentum impediens. Eruitur tum ex praxi Ecclesiae, quae fideles ab istis matrimoniis semper maxima sollicitudine avertit, tum ex Declaratione expressa *Benedicti XIV.*, qui haec connubia vocat *detestabilia, quae sancta Mater Ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit.* (Bulla *Matrimonia,* circa matrimonia Hollandiae *4. Novembr. 1741.*).

825. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quonam iure dirimatur matrimonium inter baptizatos et non baptizatos?*

Resp. Certum est, dirimi solo Iure ecclesiastico (*b*). Etenim prioribus Ecclesiae saeculis hoc impedimentum non existebat, et plura matrimonia huiusmodi approbata leguntur in Historia Eccle-

quidem fuerit, hinc factum ia est, quod et Diana (*Tom. 6. Tr. 1. Res. 13. n. 2.*), et Verricelli (*De Matr. Q. 175. n. 6.*), et Clericati (*De Matr. Dec. 26. n. 23.*), et post eos Benedictus XIV. (*Const.* Singulari Nobis, *9. Febr. 1749.* §. *19.*) narrant, graves aliquot Theologos, e quorum numero fuit Lessius, in Consultatione Romae habita, censuisse, disparitatem cultus apud Sinenses et Iaponios iis initiis conversionis non esse impedimentum dirimens, et in his circumstantiis posse Episcopos ibi suspendere legis promulgationem. Finis autem quaestioni, ut subiicit (*ibid.*) Benedictus XIV., impositus fuit *decernendo, consuetudinem non receptam posse id efficere, ut S. Sedes, cum coeperant Sinenses, Iaponensesque catholicam fidem amplecti, Vicariis apostolicis facultatem daret, qua super impedimento disparitatis cultus cum iis dispensarent.* Hanc porro facultatem concessam fuisse narrat Benedictus XIV. ex documentis impressis Parisiis an. 1627. et 1676.; pluresque eiusmodi concessiones videre est apud P. Perrone (*De Matrim. Lib. 2. Sect. 1. Cap. 7. art. 2.*).

Caeterum cum S. Sedes sub Clemente XIII. per instructionem ad missionarios missam e Congreg. S. Officii praeceperit, ut si matrimonia inter catholicos et infideles absque dispensatione forte contracta fuissent, *consensus deinde foret renovandus;* inde elucet, ibi quoque deinceps hoc impedimentum ceu dirimens habitum fuisse.

(*a*) Nimirum Theologi non solum ex doctrina Patrum, sed etiam ex S. Scripturis evincunt, eiusmodi matrimonia iure tum naturali, tum divino positivo, tum etiam Ecclesiae Canonibus prohiberi, atque adeo esse illicita; qua de re vid. Sanchez (*Lib. 7. Disp. 71.*) et Schmalzgr. (*Lib. 4. Tit. 6. n. 121-124.*); sed simul fatentur, nullo ex his fontibus elici, illa esse etiam irrita: et, ut ait Benedictus XIV. (Const. ab A. citata) *cum impedimentum illud iure canonico statutum non fuerit,* superest, ut *communi Ecclesiae Catholicae consuetudine susceptum atque firmatum inveniatur.*

(*b*) Catharinus cum paucis aliis apud Sanchez (*Lib. 7. Disp. 71. n. 6.*) maluerunt, haec coniugia esse irrita iure divino; quorum rationes refert, diluitque Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 6. n. 126. et seq.*). DD. autem pro communi et vera sententia opposita vid. apud Sanchez (*l. cit. n. 7.*).

siastica, uti matrimonium *S. Monicae* cum *Patricio* (*a*). — Confirmatur etiam ex Declaratione *Pii VI.* in Epist. ad Card. de Frankenberg, *Excquendo,* 23. Iulii 1782. (*b*).

826. — QUAER. 2° *Quibusnam competit facultas a tali impedimento dispensandi?*

Resp. Soli Romano Pontifici, exclusis omnino Episcopis, nisi hanc a Summo Pontifice facultatem obtinuerint, quae tamen iisdem, licet instantissime postulantibus, a S. Sede nunquam fuit concessa, prout testatur *Pius VII.* in litteris *Vix nova,* die 17. Februarii 1809. ad Episcopos Galliae (*c*).

827. — QUAER. 3° *Quibusnam conditionibus dispensatio praefata concedatur?*

Resp. Tria debent adesse: 1° ut absit pro parte catholica seductionis periculum; 2° ut infantes utriusque sexus ex matrimonio nascituri, in Religione catholica educandi sint; 3° ut sit ratio gravis. De his constat ex praxi Ecclesiae. *Vide* Epist. *Gregorii XVI.* ad *Archiep. Friburgensem* die 23. Maii 1846. Unde patet error eorum, qui credunt se Deo et Ecclesiae satisfacere, si filios in patris et filias in religione matris instituant (*d*).

828. — QUAER. 4° *An valeat matrimonium inter catholicos et haereticos initum, si obtenta dispensatione pars haeretica nolit acquiescere conditioni ab Ecclesia impositae, nempe ut filii* UTRIUSQUE SEXUS *in Religione catholica educentur?*

Resp. Affirm. Agitur enim de impedimento mere impediente, et consequenter haec conditio validitatem matrimonii non afficit.

(*a*) Plura eiusmodi exempla, ac SS. Patrum in eandem rem testimonia vid. apud Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 6. n. 120–125.*).

(*b*) Declaratio Pii VI. non spectat ad impedimentum *dirimens* matrimonia inter fideles et infideles, sed ad *impediens* inter catholicos et acatholicos.

(*c*) Responsio Auctoris, ut patet, spectat solum ad matrimonia catholicorum cum acatholicis; nam facultatem dispensandi in matrimoniis christianorum cum infidelibus penes nationes barbaras, iam diximus (*not. ad n. praeced.*) factam pluries fuisse Episcopis, Praefectis Missionum, ac Missionariis apud illas gentes. Vid. Perrone (*De Matrim. Lib. 2. Sect. 1. Cap. 7. art. 2.*).

(*d*) Haec pariter spectant solum ad dispensationem pro matrimoniis inter catholicos et acatholicos. Conditiones autem servandae in dispensationibus quoad matrimonia inter christianos et infideles, ex pluribus Instructionibus, quas habes etiam apud P. Perrone (*De Matr. Lib. 2. Sect. 1. C. 7. art. 2.*) hae praescriptae reperiuntur: 1° Ut cohabitatio cum infideli non adduceret aut contumeliam Creatoris, aut periculum perversionis; 2° ut proles institueretur in christiana religione; 3° ut dispensaretur solum in locis (intellige *Provinciam, Vicariatum,* etc. non vero pagum, in quo forte plures essent christiani), ubi plures essent infideles, quam christiani; 4° ut dispensatio gravibus tantum de causis concederetur, adeo ut potius dispensaretur in impedimentis consanguinitatis seu affinitatis, si hoc pacto vitarentur matrimonia cum infidelibus; 5° additur aliquando, ut adsit probabilis spes de conversione contrahentis infidelis.

QUAER. 5° *Utrum Parochus possit assistere matrimonio mixto, si intercesserit dispensatio?*

Resp. Affirm. Ita resp. *S. Congreg. Inquisit.* die 20. Decembris 1838: *Si altera pars sit catholica, obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis, et servatis solitis clausulis et conditionibus, licere.*

829. — QUAER. 6° *Quomodo his in adiunctis debeat sese gerere Parochus?*

Resp. Celebratio matrimonii fieri debet *coram Parocho et duobus testibus iuxta praescripta a S. Concil. Trid., extra tamen Ecclesiam, sub qua Sacristia comprehenditur, et sine Parochi benedictione.* Haec sunt ipsa verba instrumenti dispensationis super impedimento religionis mixtae iuxta instructionem *S. Congr. Inquisit.* confecti. Evincitur etiam ex Decis. *S. Officii* die 25. Novemb. 1838. Unde patet, Sacerdotem non posse tunc deferre stolam et superpelliceum (*a*).

QUAER. 7° *Possuntne fieri bannorum proclamationes?*

Resp. Neg. Constat ex eodem instrumento, in quo legitur: *omissis proclamationibus.* Confirmatur etiam ex Epistola supra citata *Pii VI. ad Card. de Frankenberg.*

830. — QUAER. 8° *Potestne matrimonio assistere Parochus, si uterque nolit consentire in catholicam educationem prolis, sed pars haeretica prorsus exigat, ut proles sui sexus suam religionem sectetur?*

Resp. Neg.; sed debet *abstinere a quocumque interventu.* Sic *S. Congr. Inquisit.* die 17. Iunii 1829. (*b*).

(*a*) In Instructione tamen 15. Nov. 1858. iussu SS. D. N. Pii PP. IX. ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, et locorum Ordinarios de mixtis matrimoniis data, haec de praesenti argumento habentur: *Quod si in aliquibus locis Sacrorum Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna, ac mala; in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad huiusmodi maiora damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem Sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a Coniuge Catholico, de conversione Acatholici Coniugis ab ipso Coniuge Catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in Sanctitate Catholicae Religionis omnino educanda, iudicent, quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra Ecclesiam et absque Parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce coniugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in Dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione.*

(*b*) Verum in instructione, quae addita est Litteris Gregorii XVI. ad Primatem et Episcopos Hungariae datis 20. Aprilis 1841. haec habentur: *Tolerari posse* (*Sua Sanctitas*) *declaravit, ut, quoties ex temporum, locorum, ac personarum conditione matrimonium acatholici viri cum catholica muliere, et vicissim, omissis licet necessariis cautionibus, sine graviori discrimine nequeat impediri, atque insuper Ecclesiae utilitati, communique bono expedire videatur, si illud, quamvis vetitum et illicitum, coram catholico parocho potius, quam coram ministro acatholico, ad quem partes facile confugerent, contrahatur, idem catholicus parochus, aliusve*

QUAER. 9° *Utrum non obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis, possit assistere Parochus, si lex eius assistentiam praescribit?*

Resp. Illud regulariter non potest fieri, nisi Parochus tanquam *magistratus politicus* interveniat. Sic *S. Congr. Inquisit.* die 20. Dec. 1838. Attamen SS. Pontifices huiusmodi assistentiam permittere solent ubi necessitas id exigit, prius alioquin omnino requisita utriusque partis promissione de prole in Catholicismo educanda. Ita *Pius VII.* concessit facultatem Parochis qui in Russia et Germania versantur, assistendi, si cogerentur, matrimoniis mixtis absque obtenta dispensatione initis. Praesentia tamen Parochi non impedit, quominus sponsi sic contrahentes *graviter* peccent. Hoc confirmavit *Gregorius XVI.*

QUAER. 10°. *An Catholicus has nuptias sine dispensatione contrahens, postea volens Sacramentorum particeps fieri, ad ea admitti possit?*

Resp. Affirm. Constat ex citata Epistola *Pii VI.* ad Card. de Frankenberg, in qua haec habentur: *Ad quod dicimus, dum ille demonstrabit, poenitere se peccaminosae suae coniunctionis, poterit hoc ipsi concedi, modo ante confessionem sincere declaret, procuraturum se conversionem coniugis haereticae, renovare se promissionem de educanda prole in Religione orthodoxa, et reparaturum se scandalum aliis fidelibus datum. Si tales conditiones concurrant, non repugnamus Nos, quominus pars catholica Sacramentorum fiat particeps.*

QUAER. 11° *An Sacerdos Catholicus, salva conscientia, matrimonio assistere possit, si sponsi, ante vel post, matrimonium contrahant etiam in ecclesia protestantica, ritu protestantico?*

Resp. Neg. — *Ita S. Congr. Inquisit.* die 21. April. 1847. (*a*).

831. — QUAER. 12° *An calvinistae et lutherani degentes in locis, ubi Baptisma dubium et suspectum est, tamquam infideles habendi sint, ita ut inter catholicos et eos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur?*

sacerdos eius vice fungens, matrimonio ipsi, materiali tantum praesentia, nullo adhibito ecclesiastico ritu, intersit, perinde ac si partes unice agat meri testis, ut aiunt, qualificati seu authorizabilis, ita scilicet, ut utriusque coniugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum valeat referre. Apud Roskovani, Tom. 2. pag. 818.

(*a*) De iis, qui in hisce adiunctis matrimonium sine praesentia parochi celebrant in locis, ubi forma a Conc. Trident. praescripta viget, sic Pius VIII. decrevit in litteris ad Archiep. Coloniensem datis 26. Martii 1830: *Nunc autem per Nostras has Litteras volumus et mandamus, ut matrimonia mixta, quae posthac in vestris Dioecesibus contrahi contingat, non servata forma a Concilio Tridentino praescripta, si eisdem nullum aliud obstet canonicum impedimentum, pro ratis et veris connubiis habeantur; prout Nos auctoritate Nostra apostolica matrimonia ea vera ac rata fore declaramus et decernimus.*

Resp. Sic ad hanc quaestionem ipsa *S. Officii Congregatio* respondit die 17. Nov. 1830.

1° *Quoad haereticos, quorum sectae Ritualia praescribunt collationem Baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis.*

2° *Quoad alios qui iuxta eorum Ritualia baptizant valide, validum censendum est Baptisma. Quod si dubium persistat etiam in primo casu, censendum est validum Baptisma in ordine ad validitatem matrimonii.*

3° *Si autem certo cognoscatur nullum Baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium.*

Eadem die et feria, *SS. D. N. Gregorius* divina Providentia PP. XVI. in solita audientia R. P. Assessori S. Officii impertita, resolutionem praedictam ab Eminentissimis latam approbavit.

Praefata Decisio innovata fuit ab eadem *S. Congr. Inquisit.* die 20. Iulii 1840.

Hinc statuendum videtur:

1° In dubio de valore Baptismi, validitas matrimonii in genere praesumenda est (*a*).

2° Si agatur de matrimonio inter catholicos celebrando, et una pars certo Baptismo caret, hoc Sacramentum, ut patet, ante matrimonium conferendum ipsi est. Si vero matrimonium iam celebratum sit cum hoc defectu, post Baptismum collatum revalidandum erit.

3° Tandem si sermo sit de haeretico invalide baptizato respectu matrimonii mixti, recurratur ad S. Sedem (*b*).

PUNCTUM VIII.

De impedimento vis seu metus.

Haec pauca statuenda sunt:

832.— I. Metus *gravis* dirimit certo matrimonium de Iure ecclesiastico, et probabilius etiam de iure naturali (*c*), ut sequitur *a fortiori* ex dictis *de Contractibus, t. 1. n. 780.*

(*a*) Imo validitas est retinenda iuxta prius allatum decretum. Dispensare enim tunc Ecclesia censetur, si forte baptisma reipsa validum non extiterit.

(*b*) Cum hoc matrimonium certe sit invalidum, si separari coniuges nequeant, nec baptismum alter velit recipere, superest, ut quaeratur dispensatio.

(*c*) Utrolibet iure dirimi dicas, hoc impedimentum dispensationem non admittit, sed necesse est, ut causa metus tollatur. Ita Alexander III. (*C. Cum locum 1. De Spons. et matr.*): *Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intervenit; necesse est, ut ubi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur.*

Idcirco perseverante causa metus, nec per copulam, nec per cohabita-

Requiruntur tamen sequentes conditiones, scilicet ut metus incutiatur 1° a causa externa et libera; 2° iniuste; 3° ad finem contrahendi matrimonii.

II. Metus *levis*, etiam iniustus, matrimonium non dirimit (*a*). Ratio est, 1° quia metus levis non censetur graviter et efficaciter in consensum influere; 2° quia ex iure positivo solus metus gravis

tionem (haec alias praesumuntur metu extorta) matrimonium convalidatur; durante enim metu sicut matrimonium non potest valide contrahi, sic nec convalidari contractum invalide. Secus dicendum, si prorsus libere et affectu maritali admittatur copula, ut habent communiter DD. post S. Thomam (*In 4. Dist. 29. Q. 1. art. 3. q. 2. ad 2.*), vel etiam spontanea sit cohabitatio, quae (*C. Ad id 21. De Spons. et Matr.*) pro consensus ratificatione accipitur. Quo in casu si occultum impedimentum extitit, necesse sane non erit rursus coram parocho consensum renovare ex generali doctrina, quam ex S. Poenitentiariae decretis S. Pii V. auctoritate latis, et S. Congreg. Concilii Declarationibus atque S. Rotae praxi confirmat Benedictus XIV. (*Instruct. 87. n. 62.*).

Non tamen opus est, illud quoque admittere, quod ipse (*ibid. n. 69.*) quasi Sanchezii (*De Matr. Lib. 2. Disp. 36. n. 4.*), quem summopere laudat, auctoritate fretus addit, necessarium esse, ut et alter coniux, qui nesciverit impedimentum, de ipso certior fiat, quando novo consensu matrimonium convalidandum est. Nam licet Sanchez id tradat (*l. c.*) ut *magis probabile,* quando *utriusque* contrahentis consensus invalidus est propter impedimentum, quo uterque ipso iure inhabilis est ad contrahendum; oppositum tamen docet de casu praesenti, quando res est de *solo defectu consensus,* prout etiam fit, quando alteruter contrahentium *ficte* consentiat. Ita ille (*De Matr: Lib. 4. Disp. 18. n. 2.*): *Secundo supponendum est, si post matrimonium metu extortum accedat copula sponte habita affectu coniugali, ratificari prius matrimonium, et ex tunc incipere valere, si alter, qui absque metu consenserat, in pristino consensu perseverat. Et ratio est, quia cum non oporteat, consensus esse simul, et consensus illius, qui metum passus non est, fuerit legitimus, solum desiderabatur ad matrimonium consensus spontaneus illius, qui metu consenserat, ut dixi Lib. 4. Disputatione 15. n. 2. Sed hic consensus sufficienter exprimitur per copulam, etc., ex Cap. Is, qui 30. De Spons. Ergo ea sequuta ratificatur prius matrimonium.* Et eodem modo paulo post (*ibid. n. 3.*) ratiocinatur de consensu per diuturnam mutuam ac spontaneam cohabitationem expresso, id confirmans ex iuris explicita definitione in *C. Ad id 21. De Spons. et Matrim.* Quocirca ista Lambertinii opinio posthabenda est, utpote non modo fundamento destituta, sed etiam iuris canonici dispositionibus a Sanchezio allegatis opposita.

(*a*) In dubio an metus censendus sit *gravis,* communis doctrina est, iudicandum pro valore matrimonii, tum *quia matrimonii causa favorabilis est*, tum *propter reverentiam Sacramenti,* ut ait Laymann (*Lib. 5. Tr. 10. P. 2. C. 5. n. 4.*). Quo spectat illud Innocentii III. (*C. Licet 47. De Test. et Attest.*): *Tolerabilius est, aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam coniunctos legitime contra statuta Domini separare.* Vid. Schmalzgr. (*Lib. 4. Tit. 1. n. 432.*).

Dissidium autem DD. de metus *reverentialis* sufficientia facile conciliatur, si repules, hunc quoque metum pro adiunctorum varietate modo levem, modo gravem merito censeri, ut dictum est *in Tract. De Act. Humanis.* Ita cum aliis Laymann (*l. c. n. 3.*), qui simili ratione iudicandum censet quoad preces importunas, quibus pro diversis personarum circumstantiis facile aut difficillime contradicere liceat, ut notant etiam Sanchez (*Lib. 4. Disp. 7. n. 7.*), Konink, Lessius, etc.

irritum facit matrimonium; 3° quia secus innumera matrimonia fierent irrita cum maximo societatis detrimento.

PUNCTUM IX.

De impedimento ligaminis.

833. — Per *ligamen* intelligitur vinculum matrimonii, quo coniuges ita inter se constricti sunt, ut utroque vivente, neuter cum alio quolibet matrimonium validum inire possit.

Impedimentum ligaminis fundatur in duobus matrimonii attributis, quae sunt *indissolubilitas* et *unitas*. Hinc deducitur impedimentum ligaminis esse iuris divini.

834. **Resolves.** — 1° Qui bona fide credat, coniugem esse mortuum, dum reipsa vivit, et ad alias nuptias convolat, non peccat quidem, sed invalide contrahit, et ad priorem coniugem comparentem redire tenetur.

2° Ad novum igitur matrimonium ineundum non sufficit sola coniugis absentia, quantacumque sit; sed requiruntur certa et authentica mortis argumenta (*a*). — *Sic ex Iure canonico* (*C. In praesentia 19. De Sponsal.*).

3° Certitudo moralis a iure requisita non habetur per rumorem etiam publicum, nisi aliquo argumento positivo fulciatur, nec per unicum testem, nisi aliae adsint coniecturae, de quibus solius est Episcopi iudicare. Hinc in dubio semper ad Episcopum recurrendum est (*b*). Hic autem, remanente dubio, matrimonii celebrationem permittere non potest. Validum tamen foret, licet graviter illicitum, matrimonium, quod in tali dubio celebraretur, si revera mortuus esset coniux, de cuius morte dubitatur.

PUNCTUM X.

De impedimento aetatis.

835. — Impedimentum *aetatis* consistit in defectu aetatis sufficientis ad matrimonii officia adimplenda. Dirimit matrimonium impuberum de Iure ecclesiastico (*c*), ut eruitur ex *c. 7., 10. et 14. de Despons. impub.,* etc.

(*a*) De hisce indiciis seu argumentis vide Schmalzgr. (*Lib. 4. Tit. 21. n. 10. 11.*).

(*b*) Fortasse nimis dure Giraldi (*Ad Cap. In Praesentia 19. De Sponsal.*) exigit, ut ad Ordinarium recurratur, si legitima adsit probatio *solum per testes;* quasi vero sic moralis illa certitudo, quae ex omnium sententia sufficit, haberi non posset.

(*c*) Quod pubertas solo *iure ecclesiastico* requiratur, communis est doctrina cum S. Thoma (*In 4. Dist. 36. Q. 1. art. 5.*). Ratio, quia iure naturae praeter consensum ad matrimonii contractum non plus requiritur, quam

Pubertas autem habetur ex Iure can. pro feminis anno duodecimo expleto, et pro maribus expleto anno decimo quarto (*a*).

Excipitur tamen in Iure, *modo malitia non suppleat aetatem;* quod intelligitur de impuberibus aetate, qui iam sunt puberes corporis viribus, seu potentes ad generationem, et aliunde onus vinculi coniugalis satis intelligere possunt (*b*).

PUNCTUM XI.

De impedimento clandestinitatis.

836. — Matrimonium *clandestinum* dicitur illud, quod contrahitur sine solemnitate ab Ecclesia requisita, nempe sine assistentia Parochi et duorum saltem testium. Impedimentum istud est de solo Iure ecclesiastico, cum fuerit a *Trident.* constitutum, ut patet ex *sess. 24. cap. 1.*

Ad matrimonii validitatem testes quilibet sufficiunt, sive mares sint, sive feminae, sive aetate maiores, sive minores, modo rationis usum habeant, et de contracto matrimonio testari valeant (*c*).

corpora habilia, etsi non sint habilia proxime. Unde sequitur, matrimonia impuberum, qui rationis usum habeant, inter infideles, qui legibus Ecclesiae non subduntur, valida esse, nisi speciali apud eos lege interdicantur et irritentur (*Vid. Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 2. n. 48. 49.*).

Inde etiam sequitur, posse Pontificem pro bono pacis, aliave iusta de causa etiam cum fidelibus dispensare, ut infra pubertatis annos matrimonium contrahant; idque constat etiam auctoritate Nicolai I. (*Cap. Ubi non est 2. De Despons. Impub.*), confirmantque exempla dispensationum huiusmodi, quas S. Pius V., Clemens VIII., et Gregorius XV. concessere. Vid. Schmalzgr. (*l. c. n. 50–52.*), qui tamen scite rationem reddit, cur ante pubertatem non sit permittenda cohabitatio. Immo Reiffenstuel (*Lib. 4. Tit. 2. n. 11.*) cum Barbosa, Gonzalez, Suarez, aliisque docet, satis probabiliter etiam Episcopum ex causa urgentissima praesertim publica, v. gr. pro bono pacis, dispensare posse, maxime si contrahentes sint prope annos pubertatis, et dubium sit, an non malitia suppleat aetatem, de quo varias DD. sententias apud S. Alphonsum (*Lib. 6. n. 1065.*) habes.

(*a*) Ratio diversae pro feminis et masculis aetatis inde petitur, quod potentia generandi citius in feminis, quam in masculis et incipere et deficere solet, ut notant Gonzalez (*Ad C. 3. De Desp. Impub.*), Reiffenstuel (*eodem tit. n. 3.*), et Schmalzgrueber (*eodem tit. n. 45–47.*).

(*b*) Cum de iure naturae validum sit matrimonium, licet contrahentes nondum sint proxime habiles ad actum coniugalem, uti supra dictum est; ius vero ecclesiasticum non exigat, nisi expletam aetatem illam statutam; nihil est, cur invalidum censeri matrimonium possit, si quando legitima quidem aetas adsit, nondum tamen vir carnaliter cum femina commisceri, nec generare possit. Quo in casu quid agendum sit, vide apud S. Alphonsum (*Lib. 6. n. 1066.*).

(*c*) Recte S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 1085.*) post Sanchez, aliosque advertit, munus testium posse exercere etiam infideles; nec necessarium esse, ut sint ad hoc vocati, sed etiamsi casu transeant aut sint ibi praesentes, dummodo adverterint id, quod factum est; immo sufficiunt, licet dolo et in alium finem vocati fuerint, quin etiam licet inviti ac vi detenti adsint. Vid. Barbosa (*De Offic. Parochi Part. 2. Cap. 21. n. 46. et 80.*).

Agendum 1° de vi Decreti Concilii Tridentini; 2° de assistentia Parochi.

SECTIO I.

DE VI DECRETI CONCILII TRIDENTINI

837. — Concilium sic statuit: *Qui aliter quam praesente Parocho, vel alio* sacerdote, *de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit .... Declarat insuper, ut huiusmodi Decretum in unaquaque parochia suum robur post 30 dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem parochia factae, numerandos.*

838. **Resolves.** — 1° Matrimonia *clandestina* sunt omnino invalida in omnibus locis, ubi Concilii Decretum fuit promulgatum. Ex ipso Decreto manifestum est.

2° Invalida vero non sunt in locis, ubi haec promulgatio sive culpabiliter sive inculpabiliter omissa fuit; nam iis in locis valida erant ante *Conc.*, et in eadem ibi conditione sunt habenda, qua antea habebantur, prout ex ipso *Concilii* Decreto patet, quod anathemate eos ferit, qui eorum valorem negant, quamdiu Ecclesia ea non irritet.

3° Matrimonia *clandestina* sunt ubique illicita, et sub gravi probibita (*a*). Ecclesia enim ea semper *detestata est,* ut declarat *Trid.* et evidenter ostendit *Benedictus XIV. de Syn., l. 8. c. 12. n. 4.*

Agnoscitur ut receptum *Tridentini* Decretum in Italia, Hispania, Lusitania, Gallia, Hollandia, Belgio, Hibernia, et in partibus Germaniae, tunc catholicae. — Non autem receptum est in Anglia, Svecia, Saxonia, Dania, et pluribus Germaniae et Helvetiae locis (*b*).

Insuper *Bened. XIV.* edidit Declarationem ann. 1741, in qua statuit, matrimonia clandestina, inita vel ineunda in Hollandia et

(*a*) Synodus Trid. sanctionem sic (*ibid.*) addit: *Insuper parochum vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, et testes, qui sine parocho vel sacerdote, huiusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes, graviter arbitrio Ordinarii puniri praecipit.* Hinc, prouti notat Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 3. n. 131.*), immerito quidam conqueruntur de Episcopis, qui poenam inflixerint excommunicationis ipso facto incurrendae, sicubi excrescens malitia hoc remedio indigeat. Insuper quoad loca, ubi Trid. decretum non viget, Doctores quosdam casus excipiunt, in quibus etiam licite contrahi clandestine possit, scil. ad grave periculum vel damnum vitandum. Vid. Tanner (*Tom. 4. Disp. 8. De Matr. Q. 3. Dub. 6. n. 111.*).

(*b*) In dubio, an alicubi promulgatum Decretum hoc fuerit, promulgatio praesumitur, *ubi decretum fuerit aliquo tempore in Parochia, tamquam decretum Concilii observatum.* Ita S. Congr. Declaratio apud Bened. XIV. (*De Synod. Lib. 12. Cap. 5. n. 6.*). Aliam declarationem refert Card. Petra (*Comment. ad Constit. Apost. Tom. 4. fol. 81. n. 35.*).

in foederatis Belgii Provinciis inter haereticos, vel inter unam partem haereticam et alteram catholicam, esse valida. Nihil autem statuit circa matrimonia catholicorum inter se (*a*).

839. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An valeat matrimonium eorum, qui discedentes ex loco ubi receptum est Decretum Conc. Trident., contrahunt in loco, ubi non est receptum?*

Resp. 1° Invalide contrahunt, si pergant in alium locum in fraudem legis, hoc est, intentione clandestine contrahendi. Constat ex Decreto *Urbani VIII. ann. 1627*, etc., etc.

Resp. 2° Valide tamen contrahunt, si ibi quasi-domicilium (*b*)

(*a*) Immo Benedictus XIV. expresse declaravit, ad catholicos eam dispositionem haudquaquam spectare. *Sciant* (inquit), *nisi coram ministro catholico et duobus testibus nuptias celebraverint, nunquam se neque coram Deo, neque coram Ecclesia, veros et legitimos coniuges fore.* Ita in Litteris 17. Sept. 1746. ad Simonem in Hollandia Missionarium §. 3. (*Bullar. Tom. 3. Supplem. n. III.*). Vid. etiam *De Syn. Lib. 6. Cap. 7.* Neque movere debet, quod oppositum insinuari videatur in Responso Congregationis pro negotiis Ecclesiae Gallic. 22. April. 1795. (*Vid. Curs. Complet. Theol. Tom. 25. pag. 689.*), ubi dicitur, matrimonia coram parocho intruso esse nulla, et *non suffragari iis Declarationem Benedicti XIV. pro Hollandia, quia Sedes Apostolica non extenderat eam Declarationem ad Gallias,* quasi vero pro catholicorum matrimoniis valeret, etiamsi extensa ad Gallias illa fuisset! Ea enim ratio ibi non minus ad abundantiam, quam abs re addita videtur.

Elenchum autem locorum, ad quae extensa est ab Apost. Sede Declaratio Benedictina, videre est apud P. Perrone (*De Matr. Lib. 2. Sect. 1. Cap. 6. art. 4.*), de quo tamen duo fac advertas. Primum est, decreta ibi relata (*pag. 270. Edit. Rom.*), quae pertinent ad Hiberniam an. 1785., ad universum imperium Russiacum, regnumque Poloniae an. 1844., item ad provincias Rhenanas sub ditione Borussica an. 1830., tum quae (*ibid. pag. 271.*) spectant ad Bavariam an. 1834., et ad Hungariam an. 1841., ac Georgiam an. 1845., reipsa non esse extensionem Benedictinae Declarationis. Praeterquam enim quod haec Declaratio ex aliis prorsus principiis ducit originem, insuper primario ad haereticorum matrimonia refertur; ad matrimonia vero mixta deinde per quandam quasi extensionem protracta est, prouti ipse Benedictus XIV. (*De Syn. Lib. 6. Cap. 6. n. 12.*) indicat; contra vero Decreta, quae ad regiones superius recensitas pertinent, decreti Tridentini derogationem, seu dispensationem quandam continent, et solum ad matrimonia mixta referuntur. Alterum est, decretis a P. Perrone ibid. collectis duo permisceri; unum pro Iaponia 2. Iul. 1625., alterum pro Curacao an. 1851.; quod utrumque cum solum ad catholicorum inter se matrimonia referatur, nihil, uti patet, cum Benedictina Declaratione commune habet.

Loca porro, ad quae reipsa Declaratio ista extensa est, supervacuum foret heic enumerare; quippe facile de suo quisque domicilio id addiscet.

(*b*) Ut quasi-domicilium quis acquirat, et non mere hospes, sed habitator et incola censeatur, sunt, qui putant, opus esse ut maiore anni parte degere ibi velit. Tamen conformius iuri sentire videntur, qui tenent, ad id sufficere propositum habitandi per aliquot menses, praesertim si domus, conclave, etc., fuerint conducta. Ita Suarez, Navarrus, Laymann, etc., apud Schmalzgrueber (*Lib. 2. Tit. 2. n. 19.*). Caeterum simul ac quispiam animum reipsa gerat inibi manendi quamdiu ad eiusmodi effectum requiritur; communis omnium sententia est, matrimonium valere, etiamsi illud, statim ac appulerit illuc, contraxerit. Ratio est, quia sicut domicilium, ita etiam

habeant vel acquirant, quia vi huius domicilii omnibus privilegiis incolarum gaudent. Et hoc valet, etiamsi e patria domicilium illuc transtulerint eo fine, ut ibi clandestine contrahant; quia ibi fraus non est, cum privilegium loci ipsis, sicut aliis incolis, faveat. Ex eodem Decreto *Urbani VIII.* (*a*). — *S. Lig. n. 1080.*, etc....

quasi-domicilium, statim acquiritur, ac aliquis ad eiusmodi locum cum animo ibi per tempus legitimum persistendi accedit. Vid. Barbosa (*De Offic. Parochi Part. 2. Cap. 21. n. 36.*).

(*a*) De triplici casu, ad quem refertur Urbani VIII. decretum, ita Benedictus XIV. (*Instr. 33. n. 9.*) disserit: *Igitur matrimonium primo et secundo loco expositum, irritum decernitur, cum fraus intercesserat; matrimonium tertio loco allatum, etiam cum fraude validum declaratur, quia novum quoque domicilium acceperat.* Hosce casus ab Archiep. Coloniensi propositos cum S. Congregationis responso ac Urbani VIII. decreto habes apud Benedictum XIV. in Litteris ad Antonium Archiep. Goanum 15. Martii 1758. (*In append. Bullarii De Propag. Fide, aut in altera Appendic. ad Tom. IV. Bullarii Benedicti XIV.*).

Caeterum ad quaestionem ab A. propositam tertius quidam spectat casus, quem ipse nec in primo nec in secundo responso tangit, illius nimirum, qui in praedictum locum se conferat non tamen cum fraude, idest intentione contrahendi clandestine, at simul sine intentione domicilii aut quasi-domicilii ibidem figendi. Et quidem non est quaestio de matrimonio, quod iste contrahat cum persona, quae ibidem iam domicilium aut quasi-domicilium habeat: tunc enim ut A. mox tradit, ex omnium sententia alter sponsus privilegio sui consortis gaudet; sed quaestio fit, quando in praedictis adiunctis uterque contrahentium ibi peregrinus existat.

Communior porro sententia cum Sanchez (*Lib. 3. Disp. 18. n. 28.*), Pontio (*De Matrim. Lib. 5. c. 9. n. 2.*), Reiffenstuel (*Lib. 4. Tit. 3. n. 123.*), Engel (*eod. tit. n. 20. Concl. 3.*), etc., tenet, istos valide contrahere, etiamsi contractui illi nec parochum nec testes adhibeant. Ratio est, quia peregrini non adstringuntur patriae legibus, quando extra eam vagantur, et praesertim quoad contractus (cuiusmodi est matrimonium), cum in hisce subiiciantur legibus et sortiantur forum locorum, in quibus versantur, uti edicitur *Cap. fin. De foro compet. et L. Si fundus 6. ff. De Evictionibus.* Neque obstat, quod Tridentinum inhabilitaverit personas ad contrahendum sine praescripta solemnitate; inhabilitatio autem, ut dici solet, personam sequatur, sicut umbra sequitur corpus. Hoc enim procedit dumtaxat, quando persona inhabilitata fuerit absolute, ac simpliciter et in individuo per sententiam iudicis; secus vero, si inhabilitatio sit generalis ex lege; tunc enim sequitur naturam legis, et consequenter ubi lex non obligat, ibi nec obligat inhabilitatio, nec actus sequitur annullatio. Ita praeter allegatos etiam Barbosa (*De Offic. Episc. Part. 2. Allegat. 32. n. 153.*) et Schmalzgrueber (*Lib. 4. T. 3. n. 110.*).

Praestat porro in hanc rem hic subiicere ea, quae leguntur in *Act. S. Sedis* etc. (*Vol. 7. Pag. 557.*), ubi occasione Declarationis, qua S. Congr. invalidum quoddam matrimonium pronunciaverat, Appendix subiicitur, ut constet, aliis de causis S. Congregationem ad eam sententiam ferendam devenisse.

« Existimandum non est, per hanc S. Congregationis Declarationem » quidquam detractum fuisse sententiae tum Theologorum tum Canoni- » starum, ubi statuunt, eos, qui se conferant in locum, in quo Decretum » Tridentinum aut numquam promulgatum fuit, aut obligare desiit, valide » contrahere non servata forma a Concilio praescripta, etsi animum non » habeant figendi ibi domicilium aut quasi domicilium, dummodo tamen » illuc se non contulerint *in fraudem legis,* intentione scilicet inibi con-

Quaer. 2. *An valeat matrimonium eorum, qui discedentes ex loco ubi non viget Decretum Trident., contrahunt clandestine in loco ubi viget?*

Resp. Neg., etiamsi contrahant transeundo tantum, quia hic

» trahendi clandestine. Quam quidem Scholarum doctrinam sic paucis com-
» plexus est clarissimus P. Antonius Ballerini in Collegio Romano S. Theo-
» logiae Moralis Professor in *Not. ad Gury Vol. 2. §. 839.*: *Communior*
» *porro sententia cum Sanchez* etc. ut supra.

» Et quidem admodum temperate cl. Ballerini hanc doctrinam mere
» dixit *communiorem;* quando ceu absolute *communem* eam tradide-
» runt et Reiffenstuel (*Lib. 4. Tit. 3. n. 123.*) et Pichler (*Lib. 4. Tit. 3.*
» *n. 123.*), et Marcus Struggl (*De Matrim. L. 3. n. 180.*), et Ferraris (*V. Im-*
» *pedim. art. 2. n. 110.*); quin et communissimam Georgius Gobat (*Tract. IX.*
» *n. 484.*) eam professus est. Adde quod et Ferraris (*l. c.*), et Pichler (*l. c.*),
» et La Croix (*Lib. 6. Part. 3. n. 712.*) in huius doctrinae confirmationem
» Declarationes S. Congreg. afferant. Alioquin vero perpaucos omnino re-
» peries, qui contrarium docuerint; quibus prorsus immerito Alberti Defen-
» sor S. Doctorem Alphonsum accensuit. Rectius dices S. Doctorem hanc
» quaestionem missam fecisse. Et sane cernes (*Lib. 6. n. 1081.*) quoad hoc
» doctrinae caput contra Sanchesium ab ipso opponi La Croix et Salmanti-
» censes. Atqui tum Salmanticenses (*Tract. 9. Cap. 8. n. 21.*), tum La Croix
» (*Lib. 6. Part. 3. n. 712.*) utique a Sanchesio recedunt, si de iis agatur,
» qui cum fraude, idest animo contrahendi matrimonium in ea loca de-
» venerint; sed si ille animus atque adeo ista fraus defuerit, et Salmanti-
» censes (*ibid. n. 19.*), et La Croix (*l. c.*) cum Sanchesio plane consentiunt
» indubitanter matrimonium esse validum. Ergo S. Alphonsus de profi-
» ciscentibus in fraudem disserebat, non vero de aliis. Idque ex eo lucu-
» lenter confirmatur, quod S. Doctor eam tantummodo doctrinam oppugnat
» quae adversum se habet Declarationem ab Urbano VIII. confirmatam.
» Atqui Declaratio ista ferit dumtaxat abeuntes in fraudem legis sive cum
» fraude. Ergo.

» Et Alberti quidem Defensor istiusmodi fraudem reperiri etiam in
» mero facto contendit, quamvis in proficiscentibus nulla omnino inten-
» tio fuerit celebrandi inibi clandestine matrimonium. At hanc Decreti
» interpretationem, ad nostra usque tempora prorsus inauditam, explodit
» unanimis omnium et Theologorum, et Canonistarum consensus, quorum
» ne unum quidem reperire erit, qui huc eum *fraudis* sensum spectare
» sit suspicatus. Quandoquidem vero Benedictum XIV. hac in re, Defen-
» sor, appellat, iuverit genuinam ipsius Pontificis sententiam lucidissimam
» contra novam istam eius theoriam proferre. Postquam enim communem
» doctrinam proposuit (*De Synod. Lib. XII. Cap. 4. n. IX.*), *non obligari*
» *loci statutis, qui extra statuentis territorium degit,* mox (*ibid. n. X.*)
» excipit, *si quis e loco egrediatur in legis fraudem scilicet solo animo*
» *declinandi statuti obligationem.* Quibusnam vero exemplis huius fraudis
» indolem declarat? Nimirum primo eorum, qui solo animo matrimonium
» clandestine contrahendi recesserint a loco, ubi Tridentinum est promul-
» gatum, et se ad locum contulerint in quo promulgatum non est; quod
» matrimonium invalidum pronunciat ex S. Congr. declaratione ab Ur-
» bano VIII. sancita; deinde exemplo eorum, qui peccata in propriis dioe-
» cesibus reservata habentes, in fraudem reservationis ad alienam Dioecesim
» pro absolutione a Regularibus obtinenda migrant. Et concludit: *Ex quo*
» *manifestum fit, dolum et fraudem nemini patrocinari ad evadendum*
» *legis vinculum, eamque fraudem vere ab illo committi qui* SOLO ANIMO
» LEGEM ELUDENDI, e loco se proripit, ubi illa viget. Perperam ergo, teste
» Benedicto XIV., Defensor Alberti fraudem in solo facto, si animus absit

agitur de lege generali Ecclesiae: ex generali autem principio exemptio a iure communi est localis, non vero personalis; qui ergo ibi domicilium habent, exemptione uti tantummodo possunt, quamdiu eo in loco sunt; qui si alio commigrant, ubi ius commune viget, iuri communi subiiciuntur.

840. — QUAER. 3° *An valide contrahant clandestine sponsi, quorum unus habet domicilium in loco ubi receptum est Decretum Conc. Trid., et alius ubi non est receptum?*

Resp. 1° *Affirm.,* si contrahant in loco, ubi non est receptum Tridentinum Decretum. Ratio est, quia sponsus loci, ubi *Trid.* non est receptum, lege Concilii non tenetur, et privilegium suum alteri communicat propter individuitatem contractus.—*Ita Bened. XIV. de Synodo, l. 6. c. 6. n. 12., et Clemens XIII. ann. 1767. in responso ad Archiep. Mechlin.*

Resp. 2° *Neg.,* si contrahant in loco, ubi viget Decretum *Trid.* Ratio eadem est ac in quaesito secundo.

QUAER. 4° *An excuset ab impedimento clandestinitatis impotentia ad proprium Parochum vel Episcopum recurrendi?*

Resp. 1° *Affirm.,* si illa impotentia sit communis in aliqua pro-

» eludendi legem, requirit; quod confirmat et unanimis omnium sententia, » qui validam a reservatis absolutionem habent, quoties animus eludendi » reservationem in commigrante desit.

» Quod vero Defensor addit, iuxta Benedictum XIV. (Instr. 33.) *fraudem in parochum committi,* id utique valet, quando matrimonium celebratur in Dioecesi seu Paroecia aliena, in qua Tridentinum Decretum » vigeat: tunc enim matrimonium invalidum est, tum si nuptiae contrahantur sine assistentia parochi, tum si cum assistentia parochi non » proprii, cum proprio tantum parocho vi Tridentinae legis competat officium adsistendi ceu testi legitimo ut matrimonium sit validum, et de » hac quidem postrema hypothesi sermonem habet (*l. c.*) Benedictus XIV. » Quando vero nuptiae celebrantur in loco, ubi Decretum Tridentinum » non viget, atque adeo ad contractus validitatem nullus parochus a lege » requiritur, qui uti testis assistat, vanissimum est cogitare iniuriam aut » fraudem adesse in parochum, cuius officium necessarium non foret, » etiamsi proprius contrahentium parochus eodem in loco forte versaretur.

» Ex quibus omnibus iam concludere sane licet, aliis prorsus rationibus innixam S. C. matrimonium Alberti cum Armanda invalidum declarasse.»

Caeterum tum doctrinae ab A. traditae, tum iis, quae hic suppleta sunt, nihil id officit, quod Benedictus XIV. habet in cit. Epistola ad Archiep. Goanum, dum respondet, ad validitatem matrimonii in casu satis videri, quod *antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille, qui contrahit, habitaverit in loco, ubi matrimonium celebratur.* Neque enim Pontifex ibi statuere voluit, aut moram unius mensis sufficere quoad eum, qui animum non habeat acquirendi domicilium vel quasi-domicilium, aut eum, qui hunc animum habeat, prius non posse valide contrahere, quam mensis elabatur, aut denique mensis spatium sufficere ad domicilium vel quasi-domicilium acquirendum; sed mere indicium tradere voluit, quo satis praesumi possit, animum acquirendi saltem quasi-domicilium contrahenti fuisse, atque adeo, nisi quid secus suadeat, pro valore matrimonii iudicandum esse.

vincia, v. gr. durante perturbatione aliqua politica et religiosa. Ratio est, quia si lex obligaret in tali casu, esset bono communi nociva, et in detrimentum societatis vergeret. Praeterea evincitur ex Declaratione *S. Congr.* apud *Bened. XIV. de Synod. l. 12. c. 3. n. 5.* necnon ex diversis *Pii VI.* Decisionibus (*a*).

Resp. 2° *Neg.*, si impotentia casus particulares respicit, quia lex irritans non cessat ob incommodum privatum. — *Recole dicta, n. 787.* (*b*).

(*a*) Ita de hac re Pius VI. (*Epist. ad Episc. Lucion.*) occasione perturbationis Gallicae an. 1793: *Quoniam complures ex istis fidelibus non possunt omnino parochum legitimum habere, horum profecto coniugia contracta coram testibus et sine parochi praesentia, si nihil aliud obstet, et valida et licita erunt, ut saepius declaratum fuit a S. Congr. Conc. Trident. Interpret.*

Nuper autem e Congr. Supr. Inquisitionis decretum prodiit, quo declaratur, facultatem celebrandi valide ac licite matrimonium cum duobus testibus sine praesentia parochi tunc adesse, quando *per spatium mensis* tutus non sit ad eundem accessus. Unde fit, ut quando prudenter censeri queat, *intra mensem* non affore facultatem tuti accessus ad parochum, iam ex tunc et alia mora non interposita, ea forma matrimonium valide ac licite contrahi possit.

(*b*) Nullum hucusque decretum prodiit, quo controversia ista definiatur; nec §. 787., ad quam A. remittit, quidpiam habet huic quaestioni solvendae idoneum.

S. Alphonsus, qui alioqui (*Lib. 6. n. 1079.*) iuxta fusiorem sententiam negat in casu validitatem, alibi tamen (*De Privileg. n. 57.*) haec scribit: *Immo asserit Pignatellus,* PROBATQUE *Tom. 3. Cons. 66. n. 5. in tali casu* (scil. urgentis necessitatis) *cessare non modo reservationem* (scil. dispensationis) *sed etiam* LEGEM IMPEDIMENTI, *utpote quae iam perniciosa evaserit; cum certum omnino sit, legem nocivam non obligare, ut docent omnes cum S. Thoma Et ex hoc inferunt Roncaglia, et Instructor novor. Confessariorum* (scil. Giordanini alias a nobis laudatus), *quod adveniente casu, quo sponsi iam ad Ecclesiam pervenerint, et unus ex ipsis manifestaret Confessario impedimentum occultum iam contractum tanquam peccatum, et sine scandalo aut infamia matrimonium differri non posset, potest tunc Confessarius declarare, eo casu non obligare legem impedimenti, et posse licite contrahi.* Alia autem huius necessitatis exempla promunt tum Franciscus Amici (*Curs. Theol. Tom. 9. Disp. 7. Sect. 13. n. 139.*), tum Iacobus a Graffis (*Decis. Aureor. Lib. 2. Cap. 86.*) quae videre licet etiam apud Diana (*Tom. 2. Tr. 6. Resol. 72. n. 4., et Resol. 73. in fin.* ubi pro eadem sententia allegat Theologum Tridentinum Dominicum Soto *In 4. Dist. 22. Q. I. art. 2.*); tum etiam sup. laudatus Pignatelli, qui de celebrando matrimonio morte instante disserit.

Alioquin autem rationes omnes, quae pro negante sententia afferri solent (*Vid. Schmalzgr. Lib. 4. Tit. 3. n. 106., et S. Alph. cit. n. 1079.*), hac demum unica, diversis modis proposita, continentur, quod Decretum Tridentinum sit *invalidans* et *irritans.*

At enim nonne aeque *invalidans* et *irritans* et *reddens inhabiles ad contrahendum* erat impedimentum, de quo superius idem S. Alphonsus cum Pignatelli, aliisque ibi allegatis agebant? Et quod caput est, undenam est ratio discriminis inter casum impotentiae communis, et impotentiae particularis? Numquid non aeque militaret illa ratio, quod de *lege irritante* agatur? Nam (ut scite arguit Franc. Amici *l. c.*) disparitas utique extaret, quando Declarationes, quae plures habentur quoad casus impoten-

841. — Quaer. 5° *An censeantur valida matrimonia clandestina haereticorum, ubi viget lex Tridentina?*

Resp. Controvertitur. Plures affirmant, quia (ut aiunt) Ecclesia non censetur velle, ut tot matrimonia sint invalida. Sed omnino negandum esse videtur ob sequentes rationes:

tiae communis in aliquo v. gr. pago vel oppido, vim haberent *Dispensationis* a lege, quae dispensatio sese non porrigeret ad casus impotentiae particularis. Verum Declarationes illae ne minimam quidem *Dispensationis* speciem praeferunt; declarando autem validitatem coniugiorum, quae in iis adiunctis citra formam a Tridentina Synodo praescriptam celebrantur, eam rationem reddunt, quae aeque pro utroque casu militat, necessitatem scilicet fidelium, quibus matrimonium subtrahi absonum foret, et impossibilitatem seu physicam seu moralem servandi formam a sancta Synodo statutam. Inde autem est quod Marchant (*Tribun. Sacr. Tom. 3. Tr. 1. Tit. 7. q. 8. Concl. 3.*), postquam hanc thesim statuit: *Datur Epicheia et interpretatio in lege illa de praesentia parochi in matrimonio, quando ex causis realibus illa praesentia est impossibilis, etc.;* hanc ipsam confirmat ex Respons. S. Congr. ad Episcopum Tricaricensem (*Apud Gallemart, ad Sess. 24. C. 1. De Reform. Matrim. n. 11.*), quia nimirum quae affertur ratio, pro utrisque adiunctis eandem vim habet. Nil proinde mirum, quod opinio affirmans aliis quoque (*apud Sanchez. Lib. 3. Disp. 17. n. 3., et Diana cit. Res. 7.*) satis probabilis visa fuerit. Quae quidem ideo dicta sint, ut genuinus controversiae status lectorem non lateat.

** Ex octodecim columnis, quibus VV. (*Pag. 807–815.*) hanc *Notam* impugnant, ea tangemus, quae speciem aliquam obiectionis habent, vanis nempe praetermissis dicteriis, quae in rationum locum substituta dixeris.

Ac 1° quidem obiiciunt (*Pag. 809.*), *perperam in Nota asseri, rationes omnes pro sententia negante demum hac unica contineri, quod Decretum Tridentinum sit invalidans et irritans.* Nam (inquiunt) *potissima* (pro ea sententia) *ratio est, quod Tridentinum formam substantialem praescripsit, qua omissa contractus irritus et nullus fit, et contrahere tentantes ad contrahendum omnino inhabiles redduntur.*

Resp. Undenam, quaeso, desumitur, hanc solemnitatem esse *substantialem* nisi ex eo, quod Synodus Trid. *aliter contrahentes* omnino *reddit ad sic contrahendum inhabiles?* Haec sunt Decreti verba (*Sess. 24. De Ref. Matr. C. 1.*): *Qui aliter, quam praesente Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt; eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit; et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti Decreto irritos facit, et annullat.* Contra vero solemnitatem praemittendi *Denunciationes,* quam S. Synodus in eodem Decreto praescribit, non dicimus substantialem, sed *extrinsecam,* quia S. Synodus utique damnat, sed non reddit ad contrahendum inhabiles personas, quae sic contrahere attentarunt, neque huiusmodi contractus irritos fecit aut annullavit. Ergo cum ratio, cur *substantialis* dicatur circumstantia Parochi ac testium praesentiae, haec sit, quod Decretum Tridentinum non mere est prohibens, sed etiam invalidans, satis patet, cur Auctores argumenta pro sententia negante huc demum, et solum huc reipsa revocent.

Hinc, quod impraesens attinet, levia prorsus, quin et inania ea sunt, quae VV. (*Pag. 810.*) disserunt de discrimine inter hoc et alia impedimenta dirimentia. In contractu scilicet matrimonii *substantiale* seu *essentiale* est et dicitur, quicquid demum illud sit, ob cuius absentiam contractus est irritus, adeo ut non sit apta Sacramenti materia. Hinc Schmalzgrueber eodem illo loco, quem VV. (*l. c.*) allegant, ita ratiocinatur (*Lib. 4. Tit. 3. n. 106.*): *Decretum Trid. contrahentes omnino reddit inhabiles ad contra-*

1° Quia ubi lex Trid. publicata est, omnes indiscriminatim obligat; ergo urget haereticos, sicut catholicos, cum etiam illi Ecclesiae iurisdictioni subiaceant.

hendum sine parocho et testibus; atqui inhabilitatem materiae sacramenti nullus necessitatis casus supplere potest...; neque enim ob defectum aquae naturalis licet baptizare in vino, aut ob defectum vini celebrari potest in aqua...; sicut in nulla necessitate, absque dispensatione, possunt consanguinei copulari, eo quod iure Ecclesiae ad contrahendum inter se inhabiles redditi sint. Ergo semper conclusio inde ducitur, quod contrahentes sive iure naturae, sive iure positivo Ecclesiae *inhabiles ad contrahendum existant,* quaecumque demum sit inhabilitatis causa, atque adeo quaecumque sit ratio, cur contractus invalidus efficiatur.

2° Obiiciunt VV. (*Pag. 810. 811.*) doctrinam, quam Suarez (*De Leg. Lib. 5. Cap. 28.*) defendit, *in lege irritante actum ipso facto et ante omnem sententiam, non habere locum epikiam.* Et praecipue notant illa Suarezii verba: *Ergo in nullo casu potest irritatio cessare, quae oritur ex defectu talis formae* (scil. *substantialis*).

Resp. 1. Iurisconsultus Albertus Brunus (*De Forma et solemnitate secundum Iuristas*), a Barbosa allegatus (*De Offic. et Potest. Parochi Part. 2. Cap. 21. n. 81.*), praedicto principio, *Quod nullus sit actus, si non servetur forma substantialis,* quadraginta apponit exceptiones seu limitationes (*Op. cit. art. 15. a fol. 44. vers. ad fol. 65.*). Ex his autem limitationibus trigesima tertia (*fol. 63.*) est ista: *Trigesimo tertio: Praedicta Regula, quod, forma non servata, actus sit nullus, fallit imminente necessitate iuris vel facti.* Trigesima quarta vero est huiusmodi (*F. 63. vers.*): *Trigesimo quarto: Praedicta Regula, quod, non servata forma, actus sit nullus, limitatur, ut non procedat in impedito formam implere ac solemnitates adhibere, quod multipliciter contingit.* Quas quidem exceptiones seu limitationes idem Brunus multiplicibus confirmat exemplis; e quibus quoad postremam ipse Barbosa (*l. c.*) memorat, quod quamvis *Cap. Quia propter 42. De Election.* statuatur *pro forma substantiali, ut electio fieri debeat per tres scrutatores, tamen si in Collegio non adsint tres, qui possint eligi scrutatores, valet electio de minori numero vel sine illis facta.* Et huc revocari possent non omnino inopportune ea quoque, quae legi possunt apud S. Alphonsum tum (*Lib. 3. n. 711.*) de contractibus celebratis sine debitis solemnitatibus, tum (*Lib. 3. n. 927.*) *de testamento facto ad causas non pias sine solemnitatibus iure requisitis.*

Resp. 2. Verum his non indigemus. Nam ipsi VV. (*l. c.*) praedictam Suarezii doctrinam afferunt non solum quoad impedimentum *clandestinitatis,* sed etiam quoad alia impedimenta dirimentia. *Nec cogitari potest* (inquit apud VV. Suarez l. c.), *quod per se cesset inhabilitas, vel quod sub ea conditione inducta sit, ut in casu necessitatis auferatur vel quasi suspendatur;.... ut patet de inhabilitate ad contrahendum cum consanguinea in gradu prohibitio, quae in nullo casu cessare potest sine dispensatione.* Itaque si uti inconcussam doctrinam Suaresii opponant circa impedimentum *clandestinitatis,* inconcussam pariter habere eam debent quoad impedimentum *consanguinitatis.* Idem enim principium utrobique valet.

At enim si inconcussum est istud principium, quomodo ergo S. Doctor Alphonsus, cuius verba in *Nota* leguntur, probat sententiam Pignatelli, quod *in casu necessitatis cesset etiam lex impedimenti, utpote quae iam perniciosa evaserit?* Quomodo probat, quod inde inferunt Roncaglia et Giordanini, quod *adveniente casu, quo sponsi iam ad Ecclesiam pervenerint, et unus ex ipsis manifestaret Confessario impedimentum occultum iam contractum tamquam peccatum, et sine scandalo aut infamia matrimonium differri non posset, potest tunc declarare, eo casu non obligare le-*

2° Quia si haeretici ab illa lege generali Ecclesiae eximerentur, commodum ex rebellione sua reportarent; quod sane absurdum est.

3° Quia eruitur ex Declaratione *Bened. XIV.* circa matrimonia

gem impedimenti et posse LICITE *contrahi?* Quomodo cohaerent verba Suarezii, quae VV. nobis obiiciunt, – IN NULLO CASU CESSARE POTEST INHABILITAS – et probata a S. Alphonso – IN CASU NECESSITATIS CESSAT LEX IMPEDIMENTI – POTEST DECLARARE, EO CASU NON OBLIGARE LEGEM IMPEDIMENTI ET POSSE LICITE CONTRAHI – ?

Dixi, haec a S. Alphonso probari. Subdit enim (*De Privileg. n. 57.*): *Sed advertendum, hoc currere, quando Episcopus est absens; quando etenim fieri potest, necessario ad ipsum recurrendum est.* Ergo illud Suarezii principium S. Doctor Alphonsus adeo non habuit uti inconcussum, ut sententiam illi principio e diametro repugnantem amplectatur. Ergo VV., nisi damnare doctrinam velint S. Doctoris Alphonsi, praemissam Suarezii doctrinam urgere non debent. Et quandoquidem, ut in *Nota* animadversum est, *nullum hucusque Decretum prodiit, quo controversia ista definiatur;* et alioquin unica ratio, quae pro sententia negante affertur, peremptoria seu convincens non apparet; enimvero non videtur par esse, ut VV. obstent, quominus quispiam, iuxta S. Poenitentiariae responsum, quod ipsi VV. tam saepe, opportune et importune, regerunt, *tuta conscientia* possit sive sequi in tribunali Poenitentiae sive profiteri in scholis sententias S. Doctoris Alphonsi. Et si S. Poenitentiaria respondet, *hosce non esse inquietandos,* nec inquietare VV. ipsi deberent, neque esse inquietandos eos proclamare.

3° Obiiciunt VV. (*Pag. 814-815.*), quod S. Alphonsus, prouti etiam in *Nota* indicatur, (*Lib. 6. n. 1079.*) negat, matrimonium clandestinum etiam in casu necessitatis valere. Igitur potiusquam S. Doctorem sibi minus cohaerere putemus, utriusque loci conciliationem quaeramus, oportet. Et haec facilis iuxta VV. apparet, si advertatur, in uno loco (*De Privil. n. 57.*) agi de impedimento, *in quo S. Pontifex dispensare potest et dispensare solet.* At *in impedimento clandestinitatis in casibus particularibus S. Pontifex nunquam dispensat.* Insuper S. Alphonsus *in priori loco loquitur de impedimento occulto; ad impedimentum autem clandestinitatis id nullo modo spectat.* Ita quidem VV.

Resp. Libentissime excipiendus utique est, quicumque proponatur concinnus conciliationis modus; verum non videtur huiusmodi is esse, qui a VV. proponitur. Difficultas autem in eo est, quod ubi S. Alphonsus negat, in casu necessitatis tolli clandestinitatis impedimentum, rationem cum Salmanticensibus sic reddit: *Quia necessitas non potest reddere habiles eos, quos Tridentinum omnino inhabiles declaravit.* Alibi autem (*De Privil. n. 57.*) S. Doctor admittit, *in tali casu* (*tantae* nempe *necessitatis*) *cessare legem impedimenti, legem impedimenti non obligare, et posse licite* (atque adeo *valide*) *contrahi matrimonium.* Atqui *lex impedimenti* ea est, quae reddit *omnino inhabiles;* ergo cessante lege impedimenti, contrahentes non sunt amplius inhabiles. Atqui necessitas, fatente S. Doctore, ea est, quae facit, ut lex impedimenti cesset, non obliget, et possit valide ac licite contrahi. Ergo necessitas potest reddere *habiles* eos, quos lex alioquin *reddit omnino inhabiles.*

Et quidem difficultas inde etiam augetur, quod ubi sermo fit a S. Doctore de ea necessitate, propter quam lex impedimenti cessat, generale quoddam principium statuitur. Dicitur enim (*De Privil. n. 57.*), *in casu tantae necessitatis cessare legem impedimenti, utpote ea quae iam perniciosa evaserit; cum certum sit, legem nocivam non obligare, ut docent omnes cum S. Thoma.* Hinc vero iam concidunt ea multa, quae VV. con-

haereticorum, vel matrimonia mixta in Hollandia. Pontifex enim declaravit, haec matrimonia esse valida, licet clandestina. Ergo sine illa Declaratione irrita forent, ut saepius a S. Congr. declaratum est. Exceptio autem firmat legem.

gerunt (*Pag. 811–812.*) contra id quod in *Nota* dicitur, *eandem rationem militare pro utroque casu* (*impotentiae nempe tum communis tum particularis servandi solemnitates*), *necessitatem scilicet fidelium etc.* Etenim iuxta praemissa in eo necessitatis casu *lex perniciosa ac nociva evadit.* Porro ad quaestionem, *an cesset lex, cessante fine adaequato* IN CASU PARTICULARI, S. Doctor Alphonsus (*Lib. 1. n. 199.*) clarissime respondet: *Si cessat contrarie, quando scilicet materia legis redderetur* IN EO CASU NOCIVA, *vel valde difficilis;* TUNC OMNES ASSERUNT LEGEM NON OBLIGARE. Ergo iuxta generalia principia a S. Alphonso admissa, etiam in *casu particulari* necessitas eos habiles ad contrahendum reddit, quos alioquin lex in genere reddit inhabiles.

Quod vero a VV. subiicitur, Pontificem in impedimento *consanguinitatis* dispensare posse ac solere, neutiquam vero dispensare in impedimento *clandestinitatis* in casu particulari, nihil est. Nam 1° Principia praemissa S. Alphonsi generalia sunt, et pro quavis impedimenti lege valent, quemadmodum generale est principium, quo quaestionem solvit subiectam de impedimento quopiam occulto; quod VV. suo ipsorum marte supponunt esse consanguinitatem. Principium autem generale ibi adhibitum hoc est (*De Privil. n. 57.*): *Ubi sine scandalo et infamia matrimonium differri non possit, potest confessarius declarare eo casu non obligare legem impedimenti, et posse licite contrahi.* Ergo inaniter hic recurritur ad discrimen inter impedimentum et impedimentum. — 2° Est inane itidem quod dicitur, S. Pontificem in impedimento clandestinitatis non dispensare. Quorsum enim sermo fit de quaerenda dispensatione a S. Pontifice, dum quaestio est de casu necessitatis, quando aditus ad Superiores supponitur impossibilis? Et si recursus ad Superiorem pateret, nonne in promptu aliud esset remedium, dum nempe Superior alium potest sacerdotem parocho sufficere? — Sed 3° quorsum hic sermo intermiscetur de dispensatione, quando, ut dicit S. Alphonsus, in ea necessitate *lex impedimenti cessat?* Numquid etiam quispiam e theologis aut canonistis docet, petendam esse dispensationem in iis casibus, in quibus lex cessat, et non obligat? Profecto dispensatio definitur ut sit *relaxatio legis sive obligationis:* absurdum est autem quaerere relaxationem legis aut obligationis, quando lex aut obligatio non existit. Et hinc etiam patet responsio ad illa plura, quae VV. disserunt, ut S. Congregationis Declarationes circa validitatem matrimonii clandestini in casu necessitatis in totidem Dispensationes convertant, prouti absurde asseruit Iansen ab ipsis (*Pag. 811.*) allegatus.

Et huc faciunt ea quoque, quae communiter habent Theologi, ubi quaerunt, *An ad revalidandum matrimonium nullum ob occultum impedimentum, sed in facie Ecclesiae iam celebratum, sit iterum revalidandum coram parocho et testibus.* Et quidem qui stabant pro sententia affirmante, ratione utebantur, quae nequaquam futilis videri potuit. Nam primum matrimonium ob occultum impedimentum fuerat invalidum; secundum autem, nisi servetur forma a Tridentino praescripta, invalidum dici debet ob defectum *formae substantialis,* quae suppleri nulla re potest, quemadmodum, ut aiebat Schmalzgrueber sup. citatus, aqua in baptismo non potest suppleri vino, nec vinum potest suppleri aqua in Missa celebranda. Porro qui tenent sententiam negantem, iam confirmatam etiam ex S. Congr. Declarationibus, num recurrunt ad *dispensationem,* quae obtineatur? Nullo modo, et en ratio, quam post alios affert etiam S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 1110.*) *Ratio, quia Concilium praescribendo parochi praesentiam et testium ad*

4° Quia constat ex pluribus Decisionibus S. Congreg., ut videre est apud *P. Perrone, de Matrimonio christiano t. 2. l. 2. sect. 1. cap. 6.* (*a*).

valorem matrimonii, merito praesumitur noluisse hunc casum comprehendere. Atqui qui ita ratiocinatur, non remedio dispensationis, sed *Epiikia* utitur. Epiikia enim (*Vid. Schmalzgr. Lib. 1. Tit. 2. n. 44.*) dicitur *interpretatio restrictiva seu restrictio legis secundum aequum et bonum, cum nempe interpretamur, aliquem casum particularem propter suas circumstantias sub lege universaliter lata non contineri.* Nec aliter S. Alphonsus (*Lib. 1. n. 201.*): *Epicheia* (ἐπιεικεία) *est exceptio casus ob circumstantias, ex quibus certo vel saltem probabiliter iudicatur, legislatorem noluisse illum casum sub lege comprehendi.* Ergo demum etiam S. Alphonsus admittit Epiikiam in ea lege Tridentina, in qua VV. tanto apparatu contendunt (*Pag. 810.*), Epiikiam nullum locum habere posse.

4° Obiiciunt VV. (*Pag. 812.*): *Si, ut dicit Suarez, fingendi et excogitandi casus daretur licentia, innumeris hallucinationibus et abusibus, dispositionem Concilii Tridentini eludentibus, latissima porta aperiretur.*

Resp. Hoc argumentum nimis probat. Etiam quando lex non *contrarie* quidem, sed mere *privative* cessat, S. Alphonsus (*Lib. 1. n. 199.*) utique minus sibi arridere dicit sententiam, quae usum epiikiae permittit, *eo quod* (inquit) *communiter loquendo fere nunquam in particulari cessat omnino periculum hallucinationis.* Attamen subdit: *Si vero aliquando casus acciderit, quod aliquis omnino certus et securus esset, abesse omne hallucinationis periculum, tunc non auderem secundam sententiam* (quae usum epiikiae permittit) *improbare.* Porro si id S. Doctor affirmat, ubi agitur de lege tantum *privative* cessante, a fortiori id valet, ubi agitur de lege cessante *contrarie;* cuius exemplum ipsemet (*De Privil. n. 57.*) proposuerat.

Et hucusque dicta fuerint, ut magis intelligatur huius controversiae status. Nam VV. (*Pag. 813.*) reprehendunt illa Notae verba: *Quae quidem ideo dicta fuerint, ut genuinus controversiae status lectorem non lateat.* Et subdunt: *Sane laudandus esset P. B., si id revera praestitisset, et non potius spurium controversiae statum lectori proposuisset: veras et gravissimas rationes, quas negativae sententiae patroni adducunt, aut silentio praetermittendo, aut minus recte referendo.* Nunc itaque lector magis etiam perspicue conditionem controversiae perspectam habebit, quando omnes alterius sententiae rationes a VV. propositas prae oculis habet, et quid ipsae valeant, etiam adhibita S. Doctoris Alphonsi auctoritate, decernere potest.

(*a*) Ut pateat, quo loco haec quoque controversia se habeat, e multis, quae dici possent, pauca haec nunc sufficiant.

Inspiciatur itaque ac probe teneatur iudicium, quod Pius VII. generatim de hac quaestione tulit in Litteris ad Carolum Dalberg Archiep. Mogunt. (*Apud Roskovani De Matr. mixt. Tom. 2. pag. 86., et Monum. Cathol. Tom. 2. pag. 94.*), et sic se habet: *Illorum opinio docentium, matrimonia haereticorum, coram ministro acatholico inita, nulla esse, atque adeo validas fore secundas nuptias, si modo coram catholico parocho contrahantur, nec undique vera est, nec satis tuta, neque idcirco in praxi quibuscumque in casibus indiscriminatim sequenda.... Hinc factum est, ut praefata opinio, quae matrimonia inter haereticos contracta coram ministro acatholico generatim nulla et irrita esse propugnat, adversarios semper habuerit et numero plures, et auctoritate praestantissimos, adeo ut vix aliquem retinuerit probabilitatis gradum, maxime post editam a Bened. XIV. an. 1741. pro matrimoniis Hollandiae celeberrimam declarationem. Cave igitur, Venerabilis frater, tuoque exemplo tuisque monitis edoce Episcopos suffraganeos tuos, ne in praefatis matrimonialibus causis*

842. — QUAER. 6° *An Decretum Trid. vigere censeatur in Ecclesia recenter formata apud haereticos vel infideles?*

Resp. Affirm., si decretum Trid. in illis paroeciis publicatum fuerit. Licet autem lege ordinaria hoc Decretum promulgari debeat,

expendendis ac diiudicandis, pravis hisce doctrinis, ac fallacibus rationibus decipiantur, etc.

Mirum profecto, quod Pius VII. potissimum Declarationi Benedictinae adscribat, quod opinioni asserenti horum coniugiorum nullitatem vix ulla modo supersit probabilitas; contra vero Auctor ad eandem confugiat, ut subsidium eidem opinioni quaerat! Neque vero quispiam admodum haerebit, utri credendum magis.

Et sane dum Auctor asserit, nullitatem illorum matrimoniorum constare ex S. Congr. Decisionibus, quas refert P. Perrone, ex adverso Benedictus XIV. affirmat, nihil adhuc a Sede Apostolica generatim aliquo decreto fuisse definitum; Sacrae autem Congr. responsa ad peculiares quasdam circumstantias tantum referri, eaque ipsa idcirco non semper fuisse uniformia. Ita Pontifex in Constit. *Matrimonia* §. *2.: Licet Sanctitas Sua non ignoret, alias in casibus quibusdam particularibus, et attentis tunc expositis circumstantiis, S. Congregationem Concilii pro eorum invaliditate respondisse; aeque tamen compertum habens, nihil adhuc generatim et universe super eiusmodi matrimoniis fuisse ab Apostolica Sede definitum,* etc. Et rursus (*De Synod. Lib. 6. Cap. 6. n. 4.*) eadem de re: *Nos quidem cum plurium annorum spatio, antequam ad maiores dignitates ascenderemus, munera tum Secretarii Congr. Conc. Trid. Interpretum, tum Doctoris in Decretis in Poenitentiariae Apostolicae Officio, tum etiam Consultoris Supremae Inquisitionis exercuerimus, memoratarum causarum discussioni interfuimus; sed nunquam opinioni illi acquiescere potuimus, per quam praedicta matrimonia nulla iudicantur. Quare nobis continenter in votis erat, ut aliqua se opportunitas offerret, in qua generalis regula et lex pro eorundem matrimoniorum aut nullitate aut validitate statueretur: quoniam anteacto tempore nonnisi particularia decreta in hac vel illa causa condita erant, quae ne inter se quidem conformia semper fuerant propter varietatem circumstantiarum, quae modo in una specie facti aderant, modo in altera desiderabantur.* Ex quibus apparet, S. Congregationis Decisiones adeo legem generalem non statuisse, ut ipsa Congregatio oppositum aliquando definierit, et idcirco Benedictus XIV. in re adhuc omnino incerta pro contraria semper se stetisse profiteatur. Et si S. Congregationis responsa rem incertam tunc relinquebant, a fortiori id dicendum de responsis, quae post Benedictinam Declarationem ad nostram usque aetatem reddita sunt. Ergo ex S. Congregationis Decisionibus quoad generale aliquod principium concludi nihil potest.

Arguit deinde Auctor ex generali doctrina, quod haeretici ecclesiasticis legibus subiaceant, atque adeo huic legi Tridentinae Synodi. Contra vero Benedictus XIV. disertissime significat, ideo valida declarata fuisse haereticorum matrimonia in Hollandia, quia lege Tridentina illa matrimonia non comprehenduntur. Ita ille in Constit. *Singulari Nobis* 9. Febr. 1749. ad Henricum Card. Eboracensem §. 17.: *Ex verissimis siquidem argumentis, coniecturisque probatum est, Concilium Tridentinum, cum novum illud dirimens impedimentum constituit, decretum suum ad ea matrimonia non extendisse, quae disceptationis a Nobis an. 1741. solutae occasionem dedere, ut commode colligi potest ex suffragiis Theologorum et Canonistarum, qui hac de re scripserunt, etc.* Quod idem rursus in Litteris ad Antonium Archiep. Goanum sic inculcat, loquens de Patribus Tridentinis: *Iniiciebat scrupulum aliis consideratio illa, ne scilicet clandestinis coniugiis abrogatis, iis nempe, quae sine parocho viri aut mulieris celebrantur,....*

sicubi publicatum non fuit, quandoque tamen, ratione specialis difficultatis, novae Ecclesiae fundatores promulgationem huius Decreti differre possent, quando scilicet in magna provincia adeo sunt rari Sacerdotes, ut matrimoniis subinde assistere nequeant. Consultius autem foret in simili casu ad Sedem Apostolicam recursum habere, cuius est iudicare, quid in re tam gravi magis expediat.

843. — QUAER. 7° *An fidèles debeant coram alio Sacerdote contrahere, si facile possint, quando ad proprium Parochum recurrere nequeunt?*

Resp. 1° Debent petere licentiam Parochi vel Episcopi per litteras, si facile fieri possit, ut aliquis Sacerdos ad adsistendum matrimonio delegetur.

Resp. 2° Si non possint hanc facultatem requirere vel obtinere, valide contrahere possunt coram duobus testibus etiam sine ulla sacerdotis adsistentia. — *Ita communiter.* — Ratio est, quia simplex Sacerdos, itemque alius parochus, qui saltem alterius contrahentium proprius non sit, nihil ad valorem actus conferre potest. Constat etiam ex responsione *S. Congreg.* die 22. Aprilis 1795. a *Pio VI.* approbata. Respondit enim, ut in iis adiunctis tantummodo benedictio a catholico aliquo Sacerdote recipiatur. — *Vide* collectionem Decisionum Curiae Romanae circa res matrim. ad calcem Opusculi *de Impedimentis matrimonii*, Lovanii editi ann. 1827.

844. — QUAER. 8° *An coniuges, qui deficiente Parocho clandestine contraxerunt, ad benedictionem, data opportunitate, accipiendam teneantur?*

Resp. Non tenentur quidem, sed ad hoc adhortandi sunt. Sacerdotes autem coniugibus declarare debent, huiusmodi benedictionem ad matrimonii validitatem minime pertinere. Patet ex responsione Congr. in praec. quaes. memorata, eodemque die data, et ab eodem Pontifice approbata. — *Vide* Opusc. modo dictum *p. 175.*

posset id exasperare graviter haereticorum animos, quorum matrimonia fuissent nulla, et consequenter illegitima soboles, quoniam coram catholico parocho ac binis testibus nunquam celebrata fuissent. Verum Concilii Patribus sapienter in hunc modum statuentibus: Decernit insuper, ut huiusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos; *sicuti credibile non erat, decretum eiusmodi ab ipsis promulgandum, inde sequebatur, quod eorum matrimonia sine praesentia parochi et duorum testium facta, irrita nunquam dici potuissent, ut prosequitur Card. Pallavicinus,* etc.

Neque firmum id est, quod Auctor addit, ex eo quod Pontifex declaravit esse valida illa (in Hollandia) matrimonia, licet clandestina, consequi, sine declaratione ea irrita futura fuisse. Declaratio enim non *intrinsecam* iis matrimoniis firmitatem seu valorem dedit, sed mere *extrinsecam,* idest declaravit authentice *quid iam essent,* et quid censendum de ipsis foret, non autem effecit, ut intrinsece talia, idest valida essent. Ex adverso autem defectus Declarationis non efficit, ut sint invalida, sed tantummodo ut de eorum validitate nobis authentice non constet.

SECTIO II.

DE ASSISTENTIA PAROCHI.

1° Qualis Parochus assistere debeat; 2° quomodo assistere debeat.

I. *Qualis Parochus assistere debeat.*

845. — I. Ille solus Parochus matrimonio valide assistere potest, qui est proprius Parochus alterutrius contrahentium, et idcirco qui in eos vel saltem in alterutrum iurisdictionem habet. Evincitur enim ex *Conc. Trid.* solum Parochum valide matrimonio assistere posse. Parochum vero sic intelligendum esse, ex pluribus Declarat. *S. Congreg. Concilii Trid.* compertum habemus.

II. Iurisdictio Parochi constituitur per domicilium habituale, aut quasi-domicilium contrahentium vel eorum alterutrius in sua paroecia, non vero per domicilium originis, nec per solam habitationem ad breve tempus. Eruitur ex Declarationibus *S. Congreg.* et *Bened. XIV.* etc.... *Ita unanimi consensu Theologi.*

846. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quodnam tempus requiratur, ut aliquis advena possit in loco non suo matrimonium contrahere?*

Resp. Sufficit habitatio *unius mensis.* Deducitur ex Declaratione *Bened. XIV.* in Epistola ad Archiepiscopum Goanum, *Paucis abhinc hebdomadis,* 19. Martii 1758. (*a*), quae est huiusmodi:

Post haec necessarium fore censemus nonnihil adiungere ut in propatulo sit, quidnam requiratur ad quasi-domicilium adipiscendum. *Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod, antequam matrimonium contrahatur,* spatio saltem unius mensis, ille qui contrahit, habitaverit in loco ubi matrimonium celebratur. *Definitiones* Congr. Concilii *hac de re observari poterunt apud Fagnanum .... ubi, earumdem contextu perpenso, haec habet:* Vir et mulier Traiectenses timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam urbem Aquisgranam se contulissent, et ibi aliquamdiu morati matrimonium contraxissent, Sacra Congregatio consulta super validitate, censuit exprimendum tempus quo contrahentes Aquisgranae manserunt; quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate....

... *Dubitari autem posset, num ad quasi-domicilium acquirendum matrimonii causa, non solum requiratur praecedens habitatio, verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium. Verum cum observaverimus subsequentem habitationem ab iis auctoribus qui hanc tractarunt materiam, tanquam magni momenti adminiculum reputari, ut novum domicilium quaesitum dicatur, nihil vero de illa*

(*a*) Confer superius dicta in *notis ad n. 839. Q. 1.*

praescriptum fuisse a Concilii Congregatione *in adducta paulo ante definitione, nolumus hac de re quidquam novi decernere* (*a*).

847. — Haec *Benedicti XIV.* doctrina confirmatur recenti Decisione *S. Congreg. Inquisitionis* die 6. Decembr. 1843. Ad hoc enim Postulatum: *Ioannes et Maria Mechliniae domicilia habentes, Londinum veniunt, et sine auctoritate vel licentia suorum Parochorum, uno solummodo mense elapso, Londini matrimonium contrahunt. Quaeritur utrum hoc matrimonium sit invalidum propter supra dictum Conc. Trid., sess. 24. cap. 1. de Reform.* — necne? *S. Congregatio Inquisit. die 6. Decembris 1843. ad dubium propositum respondit: Stet Epistolae Benedicti XIV. ad Episcopum Goanum.*

Habitatio autem per unum mensem in aliquo loco non sufficit ad tribuendam Parocho loci illius iurisdictionem, adeo ut valide

(*a*) Haec manifeste id confirmant, quod superius (*in not. ad n. 839.*) dictum est, nempe spatium *unius mensis* a Benedicto XIV. non ideo statui, quasi sufficiat *unius mensis* mora sine animo ibidem degendi quantum temporis satis sit ad quasi-domicilium acquirendum, aut quasi necesse sit, quando hic animus adsit, mensem, antequam nuptiae celebrentur, esse elapsum. Diserte enim dicitur, moram unius mensis in casu censeri ut *adminiculum*, cuius nimirum ope praesumi queat animus figendi in eo loco saltem quasi-domicilium. Secus illa mensilis mora non esset merum *adminiculum* ad quidpiam praesumendum seu probandum, sed esset ipsa quasi-domicilii manifesta praestatio. Et id ipsum ex eo evidenter colligitur, quod mox Pontifex subdat, nolle se quaestionem dirimere, an praeter praecedentem *mensis* habitationem requiratur insuper post contractas nuptias subsequens aliqua in eodem loco mora. Si enim definivisset, spatium mensis sufficere ad constituendum illud quasi-domicilium, quod iam par sit ad matrimonium ibidem valide contrahendum, eo ipso etiam definivisset, subsequentem istam moram nullatenus esse necessariam; prouti reipsa nemine dissentiente validum censeretur matrimonium illius, qui ex Gallia Londinum adveniens cum intentione ibi figendi quasi-domicilium (finge v. gr. hominem addictum gallico apud Angliae regem Legato), postridie adventus sui nuptias contraheret, et eadem die, iuxta exemplum allatum, iussu Principis nullatenus praeviso Parisios revocaretur; quandoquidem hic iure quasi-domicilii valide poterat contrahere; ei autem, qui hoc iure legitime iam potitur, adiaphorum est, num quaepiam inopinata causa ipsum, contra ac statuerat, alio abducat. Contra vero quod subsequentis inibi habitationis mentio a Benedicto XIV. iniiciatur tamquam alterius *adminiculi* ad praesumendum de intentione figendi, nec ne, in eo loco domicilii, patet etiam ex eiusdem Benedicti Instructione XXXIII. (*n. 9.*), ubi loquens de eisdem, quas et hic appellat, Decisionibus Congr. Concilii a Fagnano memoratis, haec habet: *Advertendum tamen est, matrimonium hoc pacto ineuntes, antequam rem perficerent, domicilium in eo loco, vel quasi-domicilium assecutos fuisse. Nam diu morati ibidem ante matrimonium fuerant, neque inde postea discesserunt, ut primam sedem ac domicilium repeterent.* Ubi vides, et praecedentem habitationem, et quae illam subsecuta sunt, invocari ut mera *adminicula,* quibus et acquisitio domicilii seu quasi-domicilii, et consequenter validitas contracti matrimonii evinceretur.

Caeterum fac advertas, ea omnia, quae Auctor affert ex Benedicti XIV. Litteris ad Archiep. Goanum, nihil ad rem facere, nisi id supponas, quod alioquin A. non indicat, quaestionem de eo advena esse, qui suum domicilium non relinquens, in alium locum apposite se confert, ut ibi matrimonium celebret. Vid. quae diximus in *not. ad n. 839. q. 1.*

matrimonio assistere possit, si fiat recreationis aut rusticationis gratia, vel pro rusticanis negotiis; quia tunc nec domicilium nec quasi-domicilium verum habetur (*a*), uti constat ex Declarat. S. Congreg. relata *a Benedicto XIV. Inst. 33. n. 7.* — Vide *Analecta Iuris Pontif. tom. 2. §. 1886., et S. Lig. n. 1086.*

848. — Quaer. 2° *An vagi contrahere possint coram quolibet Parocho?*

Resp. 1° *Affirm.*, si ambo contrahentes sint vagi. Ratio est, quia Parochum proprium non habent.

Resp. 2° Si unus tantum sit vagus, adhuc contrahere possunt coram quolibet Parocho, quia sponsus habens domicilium fixum, alterius privilegio uti potest. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 1089.* (*b*).

Quaer. 3° *An matrimonio* VALIDE *assistere possit Parochus suspensus, irregularis, excommunicatus, aut schismaticus?*

Resp. Affirm., dummodo non renuntiaverit titulo, vel ab illo canonice depositus non fuerit. — *Ita communiter.* — Sed plerumque *illicite* assisteret (*c*). — *S. Lig. n. 1083. 1084.*

(*a*) Quando deest animus figendi alicubi domicilium aut quasi-domicilium, nihil refert, brevisne an longa ibi mora trahatur; ita v. gr. si peregrinus in quapiam consistas urbe occasionem opperiens merces emendi, aut itineris seu navigationis socium, aut litis alicuius exitum, aut cessationem difficultatum, quae reditum in patriam retardant, et huiusmodi; etsi enim etiam quinquennio, immo vel decennio moram in dies precariam ibi trahens permaneas, nunquam illud domicilii ius acquires, quod ad matrimonium coram parocho, quasi tuo, valide contrahendum sufficiat.

(*b*) *Vagum* definit Benedictus XIV. (*Instr. 33. n. 10.*), *qui relicto suo domicilio sedem in exteris terris inquirit;* quod intelligendum est, tum si destinavit ubi sedem collocaturus sit, tum si nondum destinavit; adhuc enim in utroque casu aeque domicilio caret, ut notat Sanchez (*De Matr. Lib. 3. Disp. 23. n. 3.*). Adde necessarium non esse, ut *sedem inquirat;* aeque enim, imo a fortiori *vagus* dicetur, qui nullibi certam et constantem sedem habet aut vult habere, ut advertit idem Sanchez (*l. c. n. 1.*). Insuper, quoad rem praesentem, ut vagus quis dicatur relate *ad parochiam,* nec opus quidem est, ut domicilium in remota seu *extera* aliqua regione quaerat; sed generatim satis est, quod priori parochia relicta, nondum in alia sedem defixerit, quia tunc revera sine parochia est, quippe qui priorem amisit, et aliam nondum acquisivit. Idcirco 1° qui relicta parochia, nondum domum invenit, in qua habitet, et interim aliquo in loco hospitatur, iste est vagus; 2° etiamsi domum invenerit, in qua habitaturus erit, alibi tamen hospitatur, dum inventa domus antiquo expeditur habitatore, pariter quoad parochiam vagus est; 3° sic etiam si in urbem advenerit, et nondum statuerit, qua in parte habitet, inter vagos seu parochia carentes recensetur. *Sanchez* (*l. c. n. 4.*).

Duo autem quoad vagos sancta Synodus Trid. parochis praecipit (*Sess. 24. C. 7. De Ref. Matr.*) 1° *ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint;* 2° *ut re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Inquisitionis autem modum habes in Instructione, quam probante Clemente X. addidit S. Inquisitio, ac integram cum aliis eiusdem inquisitionis encyclicis referunt Giraldi (*Exposit. Iuris Pontif. Sect. 656.*), Ferraris (*V. Instructio Parochorum n. 36–53.*), et ex parte S. Alph. (*Lib. 6. n. 1089.*).

(*c*) Parochus in casu non est minister sacramenti, sed merus testis; et

849. — QUAER. 4° *An valide assistat Sacerdos, qui falso Parochus existimatur?*

Resp. Affirm., si habeat titulum *coloratum*, et ex *errore communi* Parochus reputetur. Ratio est, quia Ecclesia tunc ob bonum commune iurisdictionem supplet. — *Ita omnes.* Sic etiam *probabi-*

num peccet, quando adsistit a contrahentibus requisitus, DD. inter se non consentiunt. Nimium autem videtur postulare S. Alphonsus, dum in contrahentibus exigit causam *gravissimam* illum requirendi, quando ipse alioquin non adeo gravem causam exigit, ut licite sacramenta peti ab indigno ministro possint.

Adde heic, parochum valide alicui matrimonio assistere, etsi nondum sit sacerdos, et licet Episcopus hoc ei prohibuerit; quod idem dicito de Vicario Generali, si contra Episcopi inhibitionem vel ipse matrimonio assistat, vel cuipiam sacerdoti facultatem assistendi dederit. Vid. S. Alphons. (*Lib. 6. n. 1081.*), et Bened. XIV. (*Quaest. Can. 98.*).

Facultatem autem assistendi matrimoniis habent tum Cardinales in suo quisque Titulo, et ecclesiis huic subiectis, tum Pontificii Legati in provinciis sibi concreditis. Vid. Ferraris (*V. Matrimonium art. 3. n. 12. 20. 45.*).

** Advertunt hic VV. (*Pag. 816. in Not.*) ea, quae in prima huius *Notae* particula dicuntur, non cohaerere cum *Nota* ad n. 960., ubi dicitur, *parochum vitandum valide,* sed *illicite adsistere matrimonio.*

Resp. Quod in altero loco mere affirmetur, Doctores de proposita quaestione inter se non consentire, prouti in praesenti *Nota* cernitur, in altero autem e pluribus sententiis una aliqua admittatur, prout habetur in *Nota* ad n. 960., hoc nullam pugnam involvit; eo vel magis, quod in posteriori loco per vocem ILLICITE non dirimitur praecipua quaestio, num scilicet *graviter,* an *leviter* parochus peccet, sed ad summum posthabetur eorum opinio, qui Parochum ab omni peccato eximunt. Nam reipsa tres opiniones S. Doctor Alphonsus (*Lib. 6. n. 1083.*) sic refert: *An Parochus excommunicatus vitandus peccet graviter assistendo, affirmant Coninck, Pontius,...Negant vero Sanchez, Bossius, ac Hurtadus, Diana, Villalobos, Leander, etc., quorum aliqui tenent, nec etiam leviter peccare.* Immo neque dirimitur omnino quaestio adversus tertiam opinionem; ratio, quia non inquiritur ibi de cura a parocho praemissa aut non praemissa alium sacerdotem ad illud officium sibi substituendi.

Contra vero id, quod in *Nota* dicitur, nempe *quod nimium quid in casu videatur postulare S. Alphonsus, dum in contrahentibus exigit causam* GRAVISSIMAM *parochum requirendi,* oggerunt (*Pag. 817.*) gravissimam causam requiri, quia *secus adesset, absque necessitate, communicatio in re sacra et gravi cum homine vitando.*

Resp. Ut adsit aliqua necessitas in huiusmodi, non requiritur causa *gravissima,* sed potest sufficere etiam necessitas, seu causa mere gravis, seu non levis. Hinc Suarez licet de graviori negotio tractet, nempe de petendis a *vitando* sacramentis, non gravissimam causam postulat, sed (*de Cens. Disp. 16. n. 27.*) *necessitatem aliquam iustam;* iustam autem causam generatim dicunt Doctores, quae sufficiens censeatur ad excusandum ab ecclesiastico praecepto, de quo quaestio fiat. Qua in re illud etiam prae oculis habendum, quod Ecclesia, dum nominatim quempiam excommunicat, utique praeceptum imponit tum excommunicato, ne se fidelibus, praesertim in re sacra, intermisceat, tum fidelibus, ut cum illo communicationem vitent. Verumtamen satis liquet, quod per id Ecclesia utique gravem poenam reo contumaci infligere intendit, non vero fideles gravissimo onere imposito quasi punire. Hinc Doctores apud Salmanticenses (*Tr. 9. Cap. 8. n. 48.*) sufficientem necessitatem, quae in adsistendo matrimoniis ipsum *vitandum* excuset a peccato (saltem gravi), reperiunt, quando

liter videtur dicendum, si adsit solus error *communis* sine *titulo colorato* ob eamdem rationem, ut dictum est de iurisdictione in foro interno *in Tract. de Poenit. n. 548.*

QUAER. 5° *An valide assistat matrimonio Sacerdos quilibet cum licentia praesumpta Parochi?*

Resp. Neg., quia non est vera licentia; sufficit tamen licentia tacita, aut etiam metu vel dolo extorta. — *S. Lig. n. 1088., et alii communiter.*

850. — QUAER. 6° *An Vicarius possit valide matrimonio assistere, seclusa Parochi delegatione?*

Resp. 1° *Affirm.,* si Vicarius suppleat vices Parochi defuncti vel absentis; tunc enim est certo delegatus ad *universitatem causarum;* imo tunc potest et alium subdelegare; nam ex iure delegatus ad *causarum universitatem,* alium ad *casum particularem* subdelegare potest. — *Recole dicta in Tract. de Leg. n. 116., et de Poenit. n. 545.*

Resp. 2° Si autem Vicarius sit Parochi praesentis cooperator, maior est difficultas, nec res generali et absoluta regula definiri potest. Quare attende ad statuta vel consuetudinem dioeceseon. Episcopus enim constituens Vicarios Parochi adiutores, vel eis immediate conferre potest ius matrimoniis assistendi, vel illud ex delegatione Parochi ipsis committendum relinquere. Sed ex consuetudine in Gallia et in aliis locis communius recepta, haec statui posse videntur.

1° Vicarius assistere potest matrimonio Parochianorum in ipsa paroecia celebrato, quia vices ipsius Parochi gerit.

2° Vicarius potest etiam alium Sacerdotem constituere ad matrimonio in casu particulari assistendum. Ratio est, quia vigente memorata consuetudine, est delegatus ad universitatem causarum et consequenter alium subdelegare potest. — *Bouvier, c. 7. art. 6.* — *Carrière, n. 1344.*

II. *Quomodo Parochus assistere debeat.*

851. **Principia.** — I. Requiritur, et satis est ad matrimonii validitatem, ut Parochus sit moraliter praesens, sicut testis qui de re peracta testimonium perhibere debet. Ratio est, quia Parochus adhibetur hic tamquam testis principalis ab Ecclesia deputatus, ut constat ex *Bened. XIV. de Synod. l. 13. Cap. 23.*

II. Requiritur, ut Parochus interpelletur et moneatur de eo, quod agere volunt contrahentes, seu ut sit ab eis adhibitus. Ra-

hic munus suum exequatur *in aliorum utilitatem.* Ergo ad alios excusandos sufficit *ipsorum utilitas.* Scitum est enim (*Vid. Suarez l. c.*), causam, quae excusat conferentem, etiam recipientes excusare, et viceversa; quamquam parochus a peccato non excusabitur, si, cum facile et sine aliorum gravamine possit, alteri munus assistendi matrimonio non committat.

tio est, quia alioquin Parochus non censetur advertere ad illud quod fit, nec iudicare potest, eos, qui agunt, velle serio agere (*a*). Non tamen requiritur, ut fuerit ad hoc expresse vocatus. Sufficeret enim, si fortuito ibi praesens adesset, aut sub alio praetextu accersitus fuisset. Patet ex Declaratione *S. Congreg.— Carrière, Comp. n. 309. — Bouvier.*

Hinc 1° non sufficit praesentia Parochi mere physica, cum ad id, quod fit, animadvertere debeat: unde ebrius, dormiens, amens matrimonio assistere nequit.

2° Non est necesse, ut videat contrahentes, dummodo eos suum consensum clare exprimentes audiat: proinde caecus matrimonio assistere potest: non tamen caecus et surdus.

832. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An valide assistat Parochus vi et metu coactus?*

Resp. Affirm., quia sufficit de iure, ut sit praesens, et sciat, quid fiat, sive volens, sive nolens; manifestum est ex Declaratione *S. Congr. — Vide S. Lig. n. 1092.* (*b*).

QUAER. 2° *Quo in loco Parochus vel Sacerdos ab eo deputatus, matrimonio assistere possit?*

(*a*) Sufficit ut contrahentes, dum consensum exprimunt, signum aliquod, v. gr. oculis, vocis modulo, nutu, etc., praebeant, quo parocho indicent, se illum ut testem habere velle, licet *non antea certioratus hic fuerit, nec vocatus et casu, nihil cogitans se ad id vocatum, eos audiat,* etc., quae sunt verba Declarationis S. Congr. apud Benedictum XIV. (*De Synod. Lib. 13. Cap. 23. n. 1.*).

(*b*) Non praetermittendus est casus, quo Parochus volens resistere, ne haberi queat velut testis, claudit oculos, obturat aures, vel clamat, et aufugere conatur, ut videlicet irritum actum efficiat propterea quod affirmare dein possit, se nihil vidisse aut audivisse. At enim iam centies id respondit S. Congregatio, quod habetur etiam in responsione ad Episcopum Giennensem an. 1581. (*apud Bened. XIV. De Synod. Lib. 13. Cap. 23. n. 1.*), matrimonium scilicet esse invalidum, si parochus ea, quae agerentur, neque vidit, neque audivit, NISI TAMEN AFFECTASSET NON INTELLIGERE.

Quam clausulam perpendens Benedictus XIV. (*l. c. n. 11.*) docet, *de eo casu accipiendam eam esse, quo parochus invitus ad matrimonii contractum adhibitus, ideo nec videt, nec percipit, quia data opera neque videre voluit, neque percipere, cum tamen et videre et percipere naturaliter potuisset eadem ratione, qua testes ad eum ipsum contractum adhibiti et vidisse se, et percepisse fatentur.* Et deinde de causa agitata an. 1753.: *Celebris fuit anno praeterito 1753. Causa Carthaginiensis matrimonii, in Concilii Congregatione agitata et iudicata, in qua agebatur de quodam matrimonio contracto coram parocho domi suae inopinate deprehenso, qui virum quidem aspexerat, eiusque verba perceperat; feminam vero nec viderat, nec audiverat.* Et memoratis Theologorum studiis, ac DD. sententiis concludit: *Sed cum factum ipsum, de quo agebatur, accurate perpensum fuerit, eiusque circumstantiae omnes diligenter excussae, manifesto compertum est, quod si Parochus mulierem non vidit, eiusque verba non intellexit, hoc ideo evenit, quia ipse obfirmato animo eandem videre et audire noluit, cum eam facile videre et audire potuisset, quemadmodum bene viderant, et recte audiverant testes ad eum actum adhibiti. Itaque pronunciatum fuit, Nobisque annuentibus sententia prodit pro matrimonii validitate.*

Resp. 1° Ubique valide assistere potest, etiam extra parochiam.

Resp. 2° Non potest licite assistere, seclusa gravi causa, nisi 1° in Ecclesia sua parochiali; 2° in alia Ecclesia parochiali de consensu Parochi loci illius; 3° in Sacellis vel Oratoriis privatis de licentia Episcopi, in cuius ditione situs est locus.

853. — QUAER. 3° *An in omni casu sponsis dari possit, aut debeat benedictio?*

Resp. 1° Si nomine benedictionis accipiantur verba: *Ego vos coniungo* etc..., semper sub gravi (*a*) danda est in matrimonio catholicorum, quia a Concilio Tridentino praecipitur.

Resp. 2° Benedictio autem, quae dicitur *solemnis* et datur in Missa, semper danda est, nisi sponsa sit vidua (*b*).—*Recole dicta, n. 770. 829. et seq.*

PUNCTUM XII.

De impedimento impotentiae.

854. — Impotentia ad officia matrimonialia obeunda, seu incapacitas ad copulam carnalem, per se aptam ad generationem, multiplex distinguitur, scilicet

(*a*) Haec resolutio repugnat canoni ab omnibus recepto, non esse quidpiam damnandum de mortali, nisi certo id constet (*Vid. Vol. 1. n. 152. in not.*). Hanc autem omissionem vix pauci quidam contra plures alios (*apud S. Alphonsum n. 1094.*) mere opinando quasi *gravem* haberi posse dixerunt.

** Opponunt hic VV. (*Pag. 947. n. 159.*) opinionem S. Alphonsi, qui (*Lib. 6. n. 1094.*) scribit: *mortale non esse* (si Parochus omittat: *Ego vos coniungo* etc.) *docent probabiliter Pontius, Sanchez, Palaus, et Salmantic. cum Guttierez, et Bonacina* (adde Coninck, Villalobos, et Diana eo loco a Busembaum allegatos). *Sed Bossius cum Rebello, Barb., Veracr. et Salsed. adhuc probabiliter et forte probabilius dicit esse mortale, quia videtur transgressio in re magni momenti.*

Resp. In *Nota* in memoriam revocatur Canon ab omnibus receptus, *non esse quidpiam damnandum de mortali, nisi certo id constet;* et hunc quidem Canonem impensissime inculcat etiam S. Alphonsus tum in System. morali (*prop. fin.*), tum in Tract. de Poenitentia (*Lib. 6. n. 604.*).

Porro S. Alphonsus in praesenti quaestione utramque sententiam fatetur esse probabilem, et mere subdubitando dicit, FORTE *alteram probabiliorem.* Ergo cum ipse S. Doctor definiat, rem esse plane incertam, iam ista dubia maior probabilitas ad meram eruditionem, non vero ad confessariorum usum, neque ad conscientiarum regulam deservire potest, quinimo maxime idonea est ad confirmandum, eam omissionem gravis culpae damnari non posse.

(*b*) Quoad hoc mire DD. dissentiunt; aliqui benedicendas generatim volunt quaslibet nuptias, dummodo iustae sint; alii non benedicendas contendunt, quando uterque vel saltem alteruter sponsorum benedictionem accepit; alii cum S. Thoma benedicendas dicunt, quando viduus ducat virginem: secus, si sit vidua. Bene concludit Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 21. n. 41. 42.*), optime facturum, qui Rituali Ecclesiae suae se accommodaverit: in hoc enim consuetudo Ecclesiae suae apparebit.

1° *Certa,* vel *dubia,* prout est vel non est manifesta.

2° *Antecedens,* vel *consequens,* prout matrimonium praecedit, vel illud subsequitur.

3° *Temporalis,* vel *perpetua,* prout lapsu temporis aut arte tolli potest, vel non potest.

4° *Naturalis,* vel *accidentalis,* prout oritur ex vitio intrinseco, vel a causa extrinseca, v. gr. maleficio.

5° *Absoluta,* vel *respectiva,* prout existit inter virum et omnes mulieres, vel inter virum et aliquam mulierem determinatam; aut vice versa.

855. **Principia.** — I. Impotentia *antecedens* et *perpetua,* sive absoluta, sive relativa, matrimonium *invalidum reddit* de iure naturali. Ratio est, quia obiectum contractus matrimonialis non existit, cum copula sit impossibilis. Constat etiam ex Iure canonico. — *S. Lig. n. 1095.*

II. Impotentia *consequens,* et impotentia *antecedens temporalis* matrimonium non dirimunt; ratio est, quia usus actualis matrimonii ad eius essentiam non pertinet, et sufficit, ut consummatio vel fuerit possibilis tempore contractus, vel possibilis futura sit.

III. Impotentia certo cognita illicitum reddit matrimonii usum, etiam solummodo attentatum; quia ubi copula perfici nequit (*a*), deest finis, qui licitum efficit congressum.

(*a*) Ubi sermo sit de impotentia matrimonium consequente, iuxta principia in Medicorum seu Physiologorum scholis communiter nunc recepta perrarus erit casus, in quo ratione impotentiae congressus coniugibus quasi illicitus interdici debeat. Tunc enim tantummodo prorsus illicitus dicendus est congressus coniugalis, quando natura ipsius in se spectata, nullo omnino modo naturalis eiusdem effectus, conceptio scilicet seu generatio sequi ex eo possit: contra vero licitus censendus erit, quando generatio licet sperari facile non queat, non tamen sit impossibilis, et alioquin a coniugibus nihil amplius in iis adiunctis praestari possit. Atqui quoties vir adhuc vim retineat seminalem substantiam aliquo modo emittendi, eiusmodi congressus ex quo generatio, licet difficulter, absolute tamen sequi possit, vix unquam coniugibus impossibilis erit. Receptum scilicet nunc communiter apud physiologos medicosque illud est, quod experientia docuit, ad conceptum, generationisque effectum nequaquam necessarium esse, ut vir seminalem humorem effundat, iniiciatque in interiores usque feminei organi partes, sed satis esse, quod eiusmodi humor ad externam eiusdem organi superficiem, seu ad vaginae (ut aiunt) os, ingressumve affundatur et applicetur. Ita Vallisnieri (*Istoria della generazione dell' uomo Part. 1. Cap. 8. n. 7., et Part. 2. Cap. 13.*); ita et recentiora Medicinae lexica e celebriorum in scientia medica virorum studiis compilata, quorum alterum an. 1834. Venetiis prodiit cum titulo: *Dizionario classico di Medicina interna ed esterna,* alterum 1840. item Venetiis cum titulo: *Dizionario di Medicina, Chirurgia e Farmacia pratiche.* Ac primum quidem ad vocem *Impotenza* (Tom. XVII. pag. 89.), *molti fatti* (inquit) *tendono a dimostrare, che basta che il liquore spermatico sia deposto nella entrata delle parti sessuali della donna, acciocchè avvenga la fecondazione.* Quocirca (*ibid. pag. 101.*) concludit: *Non sarebbe lecito affermare, che un individuo.... capace di versare sperma nelle parti genitali maggiormente esterne della donna, sia assolutamente inetto a riprodursi.* Alterum vero

856. **Resolves.** — 1° Impotentes reputantur eunuchi seu spadones utroque testiculo destituti; secus si tantum uno careant.

2° In dubio de impotentia antecedenti, standum est pro valore matrimonii, et coniugibus copulam experiri permittendum est. Imo ad hoc triennium ipsis a Iure canonico conceditur, non obstante maiori probabilitate pro impotentia perpetua. — *S. Lig. n. 1103.*

3° In dubio de impotentia consequenti, licet pariter coniugibus copulam experiri, usquedum certi sint, eam perfici nullo modo posse. — *S. Lig. n. 1101.* Caute autem procedere debet Confessarius; et si deprehendat coniuges impotentes in bona fide versari, saepius monitione abstinere melius erit, ne a peccato materiali in formale labantur.

4° Non est confundenda impotentia cum sterilitate; steriles enim non sunt ad actum coniugalem impotentes: hinc valide contrahunt senes, qui matrimonium consummare valent; item mulieres, quae

item ad V. *Impotenza* (*Vol. 3. pag. 691.*): *Siccome parecchi fatti tendono a dimostrare, che basta talvolta, che lo sperma sia deposto all' ingresso delle parti genitali per fecondare, non si deciderà l' impotenza affatto assoluta, fuorchè quando, ecc.* Demum ita recentius Ludovicus Fleury in opere, cui titulus: *Traité therapeutique et clinique d'hydrotherapie, Paris, 1866. Pag. 1025.: La fécondation peut avoir lieu en l'absence de toute intromission pénienne, par le seul fait de la présence de sperme à l'orifice du vagin.*

Dixi autem, *ubi sermo sit de impotentia matrimonium consequente;* quando nimirum quaestio esse tantummodo potest de honestate actus inter coniuges certo legitimos. Nam si de impotentia antecedente ageretur, iam quaestio circa matrimonii valorem versaretur; haec autem iudici ecclesiastico dirimenda relinquitur.

Dixi insuper, *si alioquin a coniugibus nihil amplius in iis adiunctis praestari possit.* Neque enim existimandum est, quia ex ea congrediendi ratione possibilis manet aliquomodo generatio, et sic fine seminalis substantiae non omnino frustrato, actus dici naturae repugnans non potest, ideo fas esse coniugibus imperfectissima ea ratione matrimonialibus iuribus uti, quoties congredi aptiori modo possunt. Etsi enim generatim non teneantur summam adhibere diligentiam, quo effectus, a natura in opere coniugali intentus, certius sequatur; ad cavendum tamen, quantum in eorum potestate situm est, eum operis modum obligantur, vi cuius non solum praepediri, sed etiam non obtineri nisi difficillime generatio posset.

Illud interim Confessarius sedulo advertet, occasionem utendi praemissis physiologicae scientiae principiis non iis dumtaxat circumstantiis circumscribi, in quibus vir perfectius, quam ibi dictum fuerit, partes suas explere non valeat. Nam frequentius forte contingit, ut dum vir officio suo fungi perfecte posset, muliebria tamen organa huic operi deservientia, aut etiam valetudinis, complexionisque praesens conditio, iis afficiantur incommodis ac morbis, ut congressum praedicto perfectiorem nullatenus permittant. Qui tamen morbi seu conditio cum effectum a natura intentum non praepediant prorsus, sed adhuc possibilem per se generationem relinquant, idcirco interdici, quasi illicitus, in iis adiunctis coniugalis congressus, utut minus perfectus, non potest. Quod idem et de senibus advertendum venit, quibus Theologi (*Vide infr. n. 908. Resol. 4.*) usum coniugii concedunt, *dummodo opus sufficienter perficere valeant, vel illud perficiendi spem non habeant inanem.* Nam sufficienter ad opus idonei censeri poterunt, quousque saltem praedicto modo partes suas explere valeant.

possunt semen excipere, etsi illud non retineant.— *S. Lig. n. 1095. — Gousset, n. 791.*

5° *Summopere caveat Confessarius, ne in re adeo gravis momenti, ac tot difficultatibus obnoxia temere procedat, aut quidquam propria auctoritate decernat; sed casum rite examinatum cum omnibus suis circumstantiis ad Ordinarium deferat, cuius tunc erit statuere ac determinare, quid in simili negotio fieri oporteat. Imo, ut nobis videtur, Confessarius prudens ac discretus de impotentia coniuges non interrogabit, neque etiam eos, quos credit impotentes, praemonebit; neque ipsis ea de re consulentibus ultimo respondebit, nisi ipse prius consuluerit Episcopum. — Gousset, n. 791.*

PUNCTUM XIII.

De impedimento raptus.

857. *Raptus* est violenta abductio mulieris de loco tuto in alium, ubi sub potestate raptoris detineatur (*a*), matrimonii ineundi causa.

Raptus dirimit matrimonium de Iure ecclesiastico inter raptorem et raptam. Constat ex *Trident. sess. 24. c. 6.*

Triplex requiritur conditio ad illud impedimentum incurrendum, nempe 1° ut mulier rapta abducatur de loco in locum; 2° ut femina rapiatur tantum matrimonii causa; 3° ut raptus fiat muliere repugnante (*b*) seu omnino invita. Sic ex textu *Concilii Tridentini* eruitur (*c*). — *S. Lig. n. 1107.*

(*a*) Perinde est, sive raptor per se, sive per alios raptum exequatur; itemque sive per se et penes se, sive per alios ac penes alios raptam personam in sua retineat potestate. Id eruitur ex Declaratione S. Congr. Concilii 25. Iunii 1864., ut videre est in *Actis Romanis* Vol. 1. pag. 15–25. Impedimentum autem incurrit, qui pro se rapit, non vero qui rapiunt pro alio, quamquam hi alias poenas tum civili tum canonico iure in raptores decretas incurrere possunt. Vid. Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 17. n. 20.*).

(*b*) Nihil refert, num mulier e propria domo per vim abstrahatur, an vero dolis circumducta in potestatem molientis rapinam inscia deveniat; itemque num e propriis aedibus abstrahatur, an vero per fraudes ex iis abducta, praepediatur deinde, ne ad eas libere reverti possit. Aeque enim liber consensus abest, tum si per vim apertam, tum si per fraudes suae esse potestatis amplius non sinatur. Vid. Declarat. S. Congr. *in praec. not.* allegatam.

(*c*) Concilii Tridentini textus ab A. allegatus conditionem istam, quod mulier *omnino repugnans et invita* abducatur, reipsa non apponit: eam tamen DD. communiter solent inde arguere, quod Concilium de eo raptu loquatur, quo libertas matrimonii laedatur (*Vid. Schmalzgr. Lib. 5. tit. 17. n. 55.*); libertas autem consensus satis adesse videtur, quando mulier in sui abductionem consentit.

Verumtamen haec doctrina facile conciliari potest cum sententia opposita, si opportuna adhibeatur distinctio; dupliciter enim contingere potest abductio mulieris in sui raptum consentientis: nimirum *primo* quando tractatus de nuptiis cum raptore praecessit, ac mulier in sui abductionem

858. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An impedimentum inducat raptus* SEDUCTIONIS, *seu cum mulier inducitur muneribus, blanditiis,* etc. *ad raptorem sequendum?*

Resp. Neg. Ratio est, quia Ecclesia per raptus impedimentum intendit tantum consulere perfectae libertati matrimonii, quae non laeditur cum mulier consentiens abducitur, etiam invitis parentibus. — *Ita communiter,* iuxta *S. Lig. n. 1107.* Consentiunt *Sanchez, Bonacina, Salmant., Scavini,* etc.

Et Theologi quidem Galli non pauci contendunt, saltem in Gallia ex praescripta consuetudine *raptum seductionis* dirimere matrimonium. Sed hoc non est admittendum; non enim obligare potest consuetudo, quae solum in falsa legis interpretatione innititur. — *Conf. Gousset n. 797.*

Declarationes vero S. Congregationis Concilii, quae pro ea opi-

consentit, ut iniri queat coniugium, quod alias impediebatur: et tunc nullum oritur impedimentum, cum potius fuga cum viro dici debeat ad matrimonium libere contrahendum, quam raptus; *secundo* quando nullus de nuptiis contractus praecesserat; et tunc mulieris consensus in sui abductionem extortus per dolum praesumitur; cumque ex consensu in raptum inferri non possit consensus in matrimonium, raptus mulieris utut volentis decreto Concilii includitur (Vide Riganti *ad Cancellar. Reg. 49. a n. 79.*).

Et haec quidem luculenter confirmantur ex S. Congregationis Declarationibus, quas collectas habes in Appendice inserta Vol. Primo Actorum Romanorum (*a pag. 54.*); e quibus Appendicis Auctor haec consectaria elicit: I. *raptum, qui sub decretum Concilii cadat, non haberi, quando praecedunt raptum concludentes tractatus de matrimonio ineundo. Hoc enim casu vir ius habet ad mulierem sibi desponsandam, et mulier tenetur matrimonio consentire;* II. *neque hunc raptum verificari, si vir sine dolo mulierem ex condicto abducat, eo quod tractatus de matrimonio ob parentum oppositionem non potuerit concludi;* III. *neque verificari raptum, si non vir, sed mulier virum sollicitaverit, ut ab eo abduceretur. In his duobus casibus dicenda est potius fuga mulieris cum viro, ut liberius matrimonium contrahant, quam raptus;* IV. *e contra raptum verificari, si mulier insidiis et dolosis sollicitationibus meditantis raptum abducatur, ut deinde sub raptoris influxu in matrimonium consentire cogatur.*

Et merito idem A. concludit, quoties mulier raptui consensisse videatur, resolutionem ex perspectis adiunctis desumendam esse. *Si enim mulier ideo in abductionem consentiat, ut liberius matrimonium contrahat, et hoc abductionis medio utatur ad obstacula removenda, non videtur raptus, sed mera fuga, quamvis aliqua iniuria parentibus dissentientibus irrogetur. At si vir recta via non possit mulieris consensum in matrimonium obtinere, et inde rapinam sive furtum puellae meditatus, incipiat inexpertam circumvenire insidiis, sollicitationibus dolosis, etc., ut hisce artibus... aliquam versatilis puellae complacentiam extorqueat, qua obtenta in spretum parentum eam rapiat; nemo non videt, virum quidem intendere puellam in matrimonium cogere, puellam autem insidiis viri ex circumventione quodammodo adhaerere, quin ipsa serio advertat, se ad coniugium ineundum adigi, quod sponte et contra parentum voluntatem nunquam forsan fuisset initura.*

Et in his quidem habetur, quo et sequens A. quaestio solvatur. *de raptu seductionis.*

nione referuntur in *Analectis Iuris Pontificii* (*Tom. IV. p. 1848. et seqq.*) casus omnino particulares respiciunt, nec satis de circumstantiis constat, adeo ut asseri possit, defuisse *violentam* mulieris abductionem. *In ipsa Gallia* (ait Scavini) *sententia docens, raptum seductionis inducere impedimentum dirimens matrimonium, quae iamdiu viguit, passim reiicitur.*

859. — QUAER. 2° *An valeant sponsalia contracta, dum mulier rapta sub potestate raptoris versatur?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis:

Iª SENTENTIA *negat,* quia sponsalia libertatem requirunt, sicut ipsum matrimonium; lex enim poenalis extenditur, ubi eadem ratio militat. — *Sanchez.* — *Salmant.*, etc.

IIª SENTENTIA *affirmat,* et hanc probabiliorem dicit *S. Lig.* cum *Lacroix*, etc. Ratio autem huius sententiae est, quia sponsalia, utpote quae semper sunt rescindibilia, minorem libertatem, quam matrimonium, requirunt (*a*).

860. **Resolves.** — 1° Non contrahitur impedimentum, si mulier abducatur tantum de cubiculo in cubiculum in eadem domo, quia sic proprie non constituitur sub raptoris potestate; sed de domo in domum abduci debet.

2° Non contrahitur impedimentum, si mulier rapiatur alia de causa, praeter finem matrimonii ineundi, v. gr. ex fine libidinis explendae, etc.; quia Concilium hoc impedimento nihil aliud intendit, nisi libertati matrimonii favere.

3° Non incurritur impedimentum, si mulier rapiat virum, quia Concilium loquitur tantum de viro raptore.

4° Non incurritur impedimentum, si matrimonium contrahatur raptorem inter et raptam, postquam haec a potestate raptoris fuerit liberata. Ex *Tridentini* textu hoc clare apparet. — *S. Lig. n. 1032.* — Adnotat autem recte *S. Lig. ibid.*, durare hoc impedimentum *quamdiu* mulier rapta est in potestate raptoris, etiamsi libere consentiat (*b*).

§. III. *De dispensatione ab impedimentis matrimonii dirimentibus.*

Agendum 1° de potestate dispensandi; 2° de causis dispensationis; 3° de modo dispensationem obtinendi.

(*a*) Dubia tamen cum sit haec obligatio, confessarius eam urgere non potest.

(*b*) Ecclesia scilicet mulierem raptam, quousque est in raptoris potestate, inhabilem ad contrahendum efficit; quocirca eius consensus, utcumque liberrimus supponatur, semper effectu vacuus existet.

PUNCTUM I.

De potestate dispensandi.

861. **Principia.** — I. Papa dispensare potest ab omnibus impedimentis iuris Ecclesiastici; 1° valide in omni casu, quia primarius Superior est; 2° licite, si iusta de causa id faciat, prouti recta gubernatio requirit.

II. Episcopus dispensare nequit *ordinarie et iure proprio* in impedimentis dirimentibus. Ratio est, quia Episcopus nihil potest in communi Ecclesiae iure, nisi ex concessione Concilii vel Papae, aut ex legitima consuetudine. Episcopi autem ex nulla harum rationum ius dispensandi in talibus impedimentis sibi vindicare possunt, ut patet tum ex praxi Ecclesiae, tum ex variis Declarationibus *S. Congreg.* et praesertim *Pii VII.* anno 1809. in Rescripto ad Episcopos Galliae; in quo Pontifex conqueritur, quod non omnes Galliae Episcopi ad S. Sedem recurrerint pro obtinendis facultatibus ad renovanda matrimonia tempore perturbationis Galliae invalide contracta (*a*).

862. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An si sponsi sint diversae dioecesis, dispensatio obtinenda sit ab utroque Episcopo, si uterque ex Indulto speciali facultate dispensandi gaudeat?*

Resp. Controvertitur, et duplex est sententia probabilis:

I[a] Sententia *negat*. Ratio est, quia cum Episcopus aufert a suo subdito impedimentum, eum habilem reddit ad contrahendum cum alio impedito. Unus enim fieri nequit habilis ad contrahendum cum altero, nisi etiam iste fiat habilis ad contrahendum cum illo. Aliunde Papa, delegando Episcopum, ipsi totum ius suum tribuit; ergo valet dispensatio Episcopi perinde ac si a Papa ipso concederetur. Hanc opinionem probabilem dicit *S. Lig. n. 1142.* (*b*).

II[a] Sententia *affirmat*. Ratio est, quia Episcopus unius iurisdictionem non habet in subditum alterius; facultas vero dispensandi ad proprios subditos restringitur.

863. — Quaer. 2° *An Episcopi dispensare possint in impedimentis dirimentibus dubiis?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia licet dispensatio im-

(*a*) Olim nimirum plures Episcopi in Galliis, ex privilegio Sedi adnexo, in impedimentis dirimentibus dispensare solebant. Sed privilegia ista suppressa sunt cum ipsis sedibus in nova dioecesium circumscriptione a Pio VII. facta anno 1802, per Bullam *Qui Christi Domini*, in qua haec habentur: *Supprimimus, annullamus, et perpetuo extinguimus titulum, dominationem, totumque statum praesentem Ecclesiarum archiepiscopalium, episcopalium una cum respectivis earum capitulis, iuribus, privilegiis, et praerogativis cuiuscumque generis.*

(*b*) Cum probabile sit, non opus esse altera dispensatione, licet sic contrahere ex generali principio, quod Ecclesia supplet, ubi opus forte fuerit.

pedimentorum dirimentium sit Papae reservata, attamen cum reservatio sit odiosa, stricte est interpretanda, et restringenda tantum ad casus certos. At si agatur de dubio, seu de probabilitate iuris, inutilis videtur dispensatio, ex dictis supra de impedimentis in genere, cum in hoc casu Ecclesia censeatur supplere (*a*).

QUAER. 3° *An Metropolitanus possit dispensare cum subditis suffraganeorum suorum in casu necessitatis, vel Indulti?*

Resp. Neg., quia dispensatio est actus iurisdictionis voluntariae et gratiosae, et conceditur ex indulgentia et misericordia dispensantis; recursus autem ad Metropolitanum haberi nequit, nisi in materiis ad forum contentiosum pertinentibus. Ergo etc. (*b*).

PUNCTUM II.

De causis dispensationis.

864. — Causae, quae afferuntur ad dispensationem obtinendam, sunt 1° graves vel leves; 2° motivae seu finales, vel tantum impulsivae; 3° verae vel falsae. — *Vide Tract. de legibus, n. 117. et seq.*

Si in petitione taceatur veritas necessario exprimenda, v. gr. impedimentum aliquod aut circumstantia declaranda, etc., dicitur *subreptio* in dispensatione, seu dispensatio *subreptitia;* si autem quid falsi efferatur ut verum, *obreptio*, seu dispensatio *obreptitia.*

Quando dispensationes dicuntur sine causa, hoc significat nullam adesse ex his causis, quae allegari solent ut canonicae.

865. **Principia.** — I. Ad *liceitatem* dispensationis requiritur causa. Constat ex *Conc. Trid. sess. 24. cap. 5. de Reform. matr.: In matrimoniis contrahendis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, et gratis concedatur.*

II. *Ad validitatem* dispensationis requiritur, ut in petitione nulla sit obreptio vel subreptio cadens in causam motivam seu finalem. Ratio est, quia Superior non censetur dispensare nisi sub tacita conditione, *si preces veritate nitantur.*

866. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quaenam sint causae iustae, ut dispensetur in impedimentis dirimentibus?*

Resp. Sunt sequentes: 1° *Angustia loci*, id est, si timeatur, ne ob loci angustiam, puella convenienter alteri non nubat: angustus autem reputatur omnis locus non habens 300 focos; et hoc valet, licet sponsa domicilium alio sit translatura (*c*). 2° *Defectus dotis*

(*a*) Resolutio Auctoris, uti patet, eo desinit, ut in casu neque Pontificis, neque Episcopi dispensatio necessario sit requirenda.

(*b*) Si sermo sit de facultate dispensandi ex Pontificio indulto concessa, spectandum erit, qua verborum forma concipiatur, et exinde iudicandum, an ad solos subditos coarctetur.

(*c*) Facile quisque videt, causam dispensandi hanc esse, quod *eo in loco* difficile sit virum reperire, cui puella convenienter nubat; neque vero

competentis, quae alioquin puellae a consanguineo offertur, vel ab extraneo; sed ea conditione ut consanguineo nubat. 3° *Aetas iam provecta seu superadulta feminae,* nempe quando iam 24um aetatis annum excedit, et alium virum suae conditionis, cui nubere possit, non invenit (*a*). 4° *Copula carnalis* iam habita cum consanguinea, vel alia persona impedimento laborante, et periculum caeteroquin adest, ne infamia sequatur, etc. 5° *Nimia partium familiaritas,* ex qua timetur scandalum, nisi contrahant. 6° *Legitimanda proles* ex fornicatione nata aut concepta. 7° *Sedatio gravium inimicitiarum,* vel litis exstinctio inter oratorum parentes, consanguineos vel affines. 8° *Virtutes christianae,* quae in altero viro probabiliter non invenirentur. 9° *Excellentia meritorum* erga Ecclesiam. 10° *Conservatio bonorum* in illustri familia. 11° *Larga eleemosyna* in pia opera refundenda. 12° *Paupertas viduae* filiis onustae, quos vir alere intendit et promittit.

Aliquando contingit ut una causa seorsim sumpta non sit sufficiens, sed cum altera iuncta gravis reputetur et proinde sufficiat.

Causae nunc admissae ut canonicae pro 2° et 3° gradu sunt: angustia loci, lites vitandae, copula habita, scandalum tollendum, et aetas superadulta mulieris. — *Bouvier.*

Suppressio veri, aut expressio falsi circa ea quae iure, consuetudine, aut stylo Curiae Romanae aperienda sunt, semper *substantialis* reputatur.

867. — QUAER. 2° *Quaenam sint necessario exprimenda de iure sub poena invaliditatis in petitione dispensationis?*

Resp. Sunt sequentia: 1° Vera et legitima *causa movens* ad impetrandam dispensationem. 2° *Species* etiam *infima* impedimentorum, v. gr. affinitas ex copula licita vel illicita; honestas ex sponsalibus, vel ex matrimonio rato. 3° *Numerus impedimentorum,* v. gr. si praeter cognationem adsit etiam affinitas, vel si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas. 4° *Filiatio* aut *compaternitas* in cognatione spirituali. 5° *Gradus consanguinitatis* vel *affinitatis* aut *honestatis* ex matrimonio rato; imo si oratores sint in linea inaequali, exprimi debet etiam gradus propior. Hoc tamen non requiritur ad validitatem, nisi sint coniuncti in 2° gradu attingente 1um. 6° *Copula incestuosa* habita inter oratores, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione (*b*). Evincitur ex Bulla *Benedicti XIV. Pastor bonus....* 7° *Va-*

attenditur, an forte haec difficultas, sponsum alibi inquirendo, cessare queat, utpote quod infrequens est, et a communibus moribus alienum.

(*a*) Quoad hoc non eadem est omnium locorum ratio. Alicubi enim puella, quae vigesimum, aut etiam decimum octavum annum attigerit, ita superadulta habetur, ut aegre reperiat, cui nubat.

(*b*) 1. Sequutus est Auctor hoc loco S. Alphonsum, qui (*Lib. 6. n. 1135.*) hanc controversiam, de qua ad eam usque aetatem a Doctoribus in utramque partem consueverat disputari, censuit dicendam iam prorsus diremptam, et ideo tamquam *indubium* tradit, *si taceatur circumstantia ince-*

riae circumstantiae matrimonii cum impedimento celebrati, scilicet an clandestine; an cum debitis proclamationibus; cum bona vel

stus, licet non patrati ad finem dispensationis facilius obtinendae, ita vitiari Rescriptum, ut dispensatio sit irrita, atque adeo invalidum matrimonium.

Ita S. Doctor (*Lib. 6. n. 1135.*): *Sed omnino est tenendum,* (*matrimonium esse nullum*).... *Et de hoc hodie non est amplius dubitandum ex Bulla* Pastor bonus *Benedicti XIV, ubi* §. *41. dicitur: « Quod si Oratores » obtinuerint a Nostra Dataria dispensationem super gradu prohibito in » primo et secundo, vel in secundo tantum, ac etiam in tertio vel quarto, » cum reticentia copulae inter eos sequutae, quam sine honoris detri- » mento detegere non valeant; et ratione huiusmodi reticentiae petant » dispensationem pro matrimonio contrahendo, seu revalidationem con- » tracti; possit idem maior Poenitentiarius, si copula sit adhuc secreta, » huiusmodi dispensationem seu respective revalidationem in foro con- » scientiae tantum concedere; facta, quando agitur de primo et secun- » do, vel secundo tantum gradu, compositione quinquaginta ducatorum » auri de Camera ad Datariam transmittendorum ad effectum* (*ut incon- » cussi moris est*) *erogandi in eleemosynas* etc. » Ad quae S. Alphonsus subdit: *Ex his attende, quod Papa dicendo:* Possit revalidationem concedere, *non habet pro validis matrimonia cum tali reticentia contracta.*

Et rursus (*Hom. Apost. Tr. 18. n. 85.*): *De hoc hodie* (inquit S. Doctor) *dubium omne cessat, dum declaratum est a Benedicto XIV. in Bulla* Pastor bonus (§. *41.*), *ubi irritum pronunciatur matrimonium ex dispensatione obtenta, tacito* INCESTU.

2. Verum Beati Alphonsi sententia (quam deinde nonnulli exscripserunt) sicuti et argumentum a Constitutione Benedicti XIV. petitum non videtur suis difficultatibus carere.

Et quidem, ut modo a praemissis Benedictinae Constitutionis verbis praescindamus, non est diffitendum, sententiam, quae deinde S. Alphonso placuit, etiam Benedicto XIV., seu (ut melius dicamus) Lambertinio aliquando placuisse. In Institutione enim 87., quam pro Confessariis bononiensis suae dioecesis vulgavit, ut hi plene cognoscere ea possent, ob quae necessario ad Cardinalem Poenitentiarium confugiendum est, ista habet (*n. 13.*): *Equidem decertant inter se scriptores, an haec aperte exponenda sint* (scilicet *copula quae intercessit, aut voluntas et consilium ut facilius dispensationem assequerentur*), *ut consanguinitatis vel affinitatis impedimentum a Sede Apostolica dispensetur; reipsa tamen nullus dubitandi locus superest, cum Summi Pontifices mentem suam super hac re clarissime declaraverint. Nam in suis Litteris, cum dispensationem aliquam impertiunt, sub poena subreptionis vel obreptionis indicant, ut non modo copula explicetur, si prius obvenerit, sed etiam quo consilio ac voluntate inita fuerit.* Quam in rem allegat Corradum *Prax. Disp. Lib. 8. Cap. 1. n. 36. seqq.*, et P. Syrum *in Constit. Innoc. XII. Facult. 32.* §. *26., et Facult. 33.* §. *27.*

3. Atqui ex hisce allegationibus difficultas haud modica iam exsurgit. Nam Corradus (*l. c. n. 37.*) cur nulla sit dispensatio, hanc rationem reddit, *quod incestus sit de iure impedimentum;* idque confirmare nititur Declaratione S. Congregationis, quam alias (*sup. Not. ad n. 776.*) retulimus, in qua legitur: *Propterea quod tales consanguinei, et affines per hanc copulam redditi sunt inhabiles ad contrahendum matrimonium, ex eo quod dicuntur commisisse incestum, qui impedit incestuosos contrahere matrimonium.*

At enim haec ratio, a Corrado allata, iuxta S. Alphonsum omnino claudicat. Iam enim alias (*Not. ad n. 776.*) ostendimus, iuxta S. Alphon-

mala fide utriusque vel alterutrius tantum; an cum spe facilius dispensationem obtinendi; et an matrimonium fuerit consummatum.

sum tum impedimentum *incestus*, tum alia, quae comprehendebantur sub impediente impedimento *Criminis*, ita esse vi consuetudinis sublata, ut non amplius indigeant dispensatione. Ita S. Doctor (*Hom. Apost. Tr. 18. n. 53.*): *Sub hoc nomine* (CRIMEN) *olim comprehendebantur quaedam delicta, nempe* INCESTUS *cum propria matre* (Canon non de matre, sed de matrina intelligendus est), *raptus alienae sponsae, etc.; sed hoc impedimentum etiam desuetudine obsolevit.* Et rursus (*Lib. 6. n. 857.*): *Alia impedimenta* (INCESTUS nempe, *raptus sponsae alienae* etc.) HODIE NON VIGENT, NEC INDIGENT DISPENSATIONE. Neque vero, ut iam vidimus (*Not. ad n. 776.*), haec dici debet singularis sententia S. Alphonsi; nam (*Not. cit.*) fuit ostensum, hanc communissimam esse omnium sententiam; quin et idem S. Doctor (*Lib. 6. n. 905.*) impedimenta *incestus* et aliorum criminum per non usum esse sublata, *communem* sententiam dicit: *Sic* (inquit) *etiam Concina et Salmanticenses cum Sanchez, et* COMMUNI. Iudice ergo S. Alphonso cum communissima omnium sententia, hoc Lambertinii argumentum, si quidem testimonio et auctoritati Corradi inniti ipse voluit, iam plane corruit.

4. Neque vero plus aliquid valet altera *P. Syri* allegatio ex Opere MSS. ad usum offic. S. Poenitentiariae cum titulo: *In Constitutionem Innocentii XII. etc.* Allegat Lambertinius ex eo MSS. *Facult. 32. §. 26., et Facult. 33. §. 27.* De hac posteriori citatione nihil dicere opus est in praesens, quia disseritur ibi de iis, qui in committendo incestu hunc sibi finem proposuerunt, ut facilius dispensationem consequerentur. Igitur pauca de priori, in qua P. Syrus videtur vitare voluisse difficultatem, quam in Corradi ratione advertimus occurrere. Sic itaque P. Syrus scribit: *Advertendum, quod licet copula incestuosa inter consanguineos vel affines non praebeat aliquod impedimentum matrimonii; nihilominus dispensatio, obtenta a Dataria, subreptitia et invalida existit, si in illius impetratione non fiat mentio dictae copulae inter eos praehabitae.* Porro exclusa hoc pacto ratione a Corrado allata, Syrus substituit ratiunculam adhibitam a Sanchezio, e quo et praemissa exscripserat. Sic enim pergit: *Talis enim est stylus Curiae, qui obtinuit, ut incestus hic declaretur ad hoc, ut timore huius manifestationis faciendae avertantur consanguinei et affines ab incestuosa copula, ut notat Sanchez Lib. 8. Disp. 25. n. 8.*

5. Sed quantum miserabilia et ista sunt! Praemittit Syrus, *copulam incestuosam inter consanguineos vel affines non praebere aliquod impedimentum matrimonii.*

Missum nunc id fiat, quod Syrus intermiscet de incestu *inter consanguineos:* quae quidem additio, cum iura mere disponant de incestu inter affines, debetur inanibus ratiocinationibus ex eo deductis, quod in versiculis denotantibus crimina matrimonium impedientia generatim memorabatur *incestus*, et quidem debetur ratiocinationibus deductis contra notissimum Iuris scitum, *odia esse restringenda.* Contra quam additionem Giraldi (*Not. ad Thesaur. De Poenis P. 2.* V. Incestus *Cap. 1.*) apposite monet, Canonem *Si quis cum matre* 17. Caus. 33. Q. 2., ex quo quidam inferebant, etiam incestum inter consanguineos ea lege comprehendi, de *matrina* agere, nequaquam vero de matre quae sit consanguinea.

Sed quod propius ad rem facit, nonne ipse Syrus apertissime falsam assertionem suam esse ostendit, dum refert *Dispensationum formulas?* Etenim (*De Form. Disp. matrim. Part. 2. Cap. 2. Form. 3.*) sic refert formulam Dispensationis *De contrahendo super incestu non expresso in litteris obtentis a Dataria: Insuper Auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum* SUPER IMPEDIMENTO EX INCESTUOSA COPULA, *quam*

868. — Quaer. 3° *Quid agendum in dubio. an causa falso allegata fuerit finalis aut impulsiva, vel an vera aut falsa?*

cum tua consanguinea seu affine habuisti, PROVENIENTE, *ut* PRAEFATO IMPEDIMENTO *non obstante, matrimonium cum illa... contrahere l cite possis et valeas.* Et rursus (*Ibid. Form. IV.*) formulam Dispensationis *De contracto super incestu reticito in Dataria,* sic ipse refert: *Insuper Auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum* SUPER IMPEDIMENTO EX INCESTUOSA COGNITIONE *in litteris Dispensationis, cuius vigore contraxisti, non expressa,* PROVENIENTE, *ut ipso non obstante denuo matrimonium cum illa contrahere, renovato consensu, et consummare, et in eo remanere licite possis et valeas.* Quid itaque miserum ac monstruosum magis, quam quod neget quis, incestum *praebere impedimentum aliquod matrimonii,* ad illudque evincendum appellare non dubitet ad *stylum Curiae,* ac deinceps ipsemet referat Dispensationis formulas, in quibus et *incestus exhibetur ut* MATRIMONII IMPEDIMENTUM, et deinde tamquam *super impedimento* dispensatur? Numquid *stylus Curiae,* ad quem P. Syrus appellat, melius aliunde, quam ex Dispensationis formulis cognosci potest?

Rursus igitur concludatur, Lambertinium inniti testimonio hominis, qui ea in re sibi turpiter contradicit. Sed et rursus huc iam est advocandum, iudice S. Alphonso cum communissima Doctorum sententia, argumentum hinc petitum nullius esse roboris, quandoquidem impedientia impedimenta *incestus* aliorumve criminum *antiqua consuetudine sint sublata, nec dispensatione indigeant.* Ergo et argumentum, quod ex *Syri* allegatione Lambertinius petit, nullius est roboris.

6. *Ratiunculam* autem diximus rationem, quam, ut sup. innuimus (*n. 4.*), ex Sanchez exscripsit Syrus, ut eam substitueret argumento, quo alii ad statuendam necessitatem exprimendi incestum utebantur, quamque ex Syro deinde exscripsisse videtur et Lambertinius; nam et ipse (*l. c.*) scribit: *Id autem sapienter constituerunt* (*Summi Pontifices*), *ut gravissimum crimen incestus longe a consanguineis arcerent.* Et his quidem subiicit Lambertinius praedictam allegationem Corradi et Syri: quae allegatio duplici ulterius de causa displicere potest: primo, quia duos allegat, quorum alter alteri contradicit, dum alter negat, per incestum induci impedimentum matrimonii, alter vero hoc ipsum affirmat, imo et id statuit ceu suae thesis fundamentum: deinde vero, quia dum *consanguineos* subinfert pro *affinibus,* quorundam potius sectatur opinionem inani deductioni subnixam, quam Iuris praescripta. Satis quippe notum id est, quod retulimus (*Not. ad n. 776.*) ex Navarro, *plerosque omnes theologos tenere, ex incestu cum consanguinea oriri quidem impedimentum affinitatis,* NULLUM TAMEN ALIUD, *sive ante sive post matrimonium contractum admittatur: in quibus est S. Thomas, Sotus, S. Antoninus, Sylvester, quos etiam sequitur Covarruvias* etc.; quod quidem et Sanchez, ut mox videbimus, confirmat.

Quidquid porro de hoc sit, Sanchez utique (*Lib. 8. Disp. 25. n. 6.*) advertit, quod *verior opinio habet,* EX INCESTU CUM CONSANGUINEIS NULLUM MATRIMONII IMPEDIMENTUM CONSURGERE, tum etiam quod *incestus cum affinibus, quamvis id impedimentum praestet, est tamen id contraria consuetudine sublatum,* NEC ULLA EGET DISPENSATIONE; et exinde concludit, quod *non est, cur dispensatio ab impedimento consanguinitatis aut affinitatis, tacito eo incestu, sit subreptitia.* Idcirco ut nihilominus contra aliam sententiam, quam dicit probabilem, tueatur necessitatem aperiendi incestum non modo cum affinibus sed etiam cum consanguineis, ad praedictam rationem recurrit. *Huius sententiae,* inquit (*l. c. n. 8.*), *legitimum fundamentum non est, quod is incestus praebeat aliquod matrimonio impedimentum.* NAM CONTRARIUM EST VERIUS. *Sed fundamentum est stylus*

Resp. In omnibus his et similibus dubiis, valida censenda est dispensatio. Ratio est, quia in dubio standum est pro valore actus. — *S. Lig. n. 1133.*

Curiae..., et eius ratio est, ut timore huius manifestationis faciendae arceantur consanguinei et affines ab incestuosa copula. Hinc vero sunt et ea Lambertinii (*l. c.*): *Id sapienter constituerunt* (*Pontifices*) *ut gravissimum crimen incestus longe a consanguineis arcerent.*

At enim aegre forte alii miram Pontificum sapientiam suspicient in lege hisce coloribus descripta. Quaesitum nimirum est (ut aiunt) remedium ac fraenum contra crimen incestus. Porro eiusmodi remedium ac fraenum utique perspicere erit in ea lege, quae ex veteri Iure, expresso *in Tit. 13. Lib. 4., de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae,* deduci consuevit. Etenim eiusmodi incestuosis poena infligebatur, vi cuius perpetuo spe carere deberent matrimonii cum quavis persona contrahendi: quippe cui incestui et adulterii insuper crimen accedebat. Quocirca quilibet huius criminis reus a matrimonio citra dispensationem, saltem ab Episcopo obtinendam, interdicebatur. At vero quo demum desinit eiusmodi remedium iuxta novam hanc theoriam, quae poenam aliquam tantummodo ad eos paucos ex omnibus incestuosis constringit, qui forte matrimonium inter se contrahere velint? Et quidem ita, ut poena non iam in matrimonio inter eos interdicto consistat, quod relaxari aut etiam non relaxari ex iusto ecclesiasticae potestatis arbitrio possit, sed resideat in mera criminis manifestatione, quae insuper manifestatio nullum per se onus afferat, quoties tacitis reorum nominibus res cum S. Poenitentiaria transigenda sit? Elucetne in novo isto ad incestus cohibendos remedio sapientia illa, quam in poena per ius vetus imposita reperire licuit?

7. Sed et aliud haud leve incommodum in paragrapho illa Lambertinianae Instructionis occurrit. *Nullus* (inquit) *dubitandi locus superest, cum Summi Pontifices mentem suam super hac re clarissime declaraverint. Nam in suis litteris, cum dispensationem aliquam impertiunt, sub poena subreptionis vel obreptionis indicant, ut non modo copula explicetur, si prius obvenerit, sed etiam quo consilio ac voluntate inita fuerit.*

Postremum hoc missum fiat, de quo nemo dubitat. Egregie post alios omnes scribit S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 1134.*): *Commune est apud omnes, quod si copula ex parte utriusque fuerit habita ad facilius obtinendam dispensationem, et copula allegetur pro unica causa consequendi dispensationem, tunc necessario malus ille animus est exprimendus; alias matrimonium erit nullum, quia nemini debet suum crimen prodesse.*

Difficultas in altero membro residet, quando scilicet copula prorsus sine prava illa intentione habita fuerit. Lambertinius nimirum provocat *ad litteras, quibus dispensatio impertitur.* Sed quo pacto ex eiusmodi *Dispensationum* litteris conclusionem suam efficaciter eliciat, non satis apparet. Nam ex hisce *Dispensationis* Litteris deduci ista conclusio ab ipso posset, quatenus de *incestu* sermo in iis fit, tamquam de *matrimonii impedimento,* cuius proinde mentio necessario fieri debeat ab iis, qui dispensationem quaerunt ab alio v. gr. affinitatis impedimento, et cuius proinde impedimenti taciturnitas subreptitiam dispensationem reddat. Nam reipsa in *dispensationum formulis*, quas superius (*n. 5.*) ex P. Syro descripsimus, *incestus* ceu *matrimonii impedimentum* exhibetur. Et idipsum cernimus in formulis Litterarum, quas in sua *Praxi ad Litteras Apostolicas, et S. Poenitentiariae* exhibet P. Paulus Marcus Leo. Ita v. gr. in Dispensatione data iis, qui coram Ordinario, Dispensationis litteras exequente, falso negaverant habitam fuisse copulam, quae revera inter eos intercesserat, legitur (*Op. cit. Part. 2. Pag. 309.*): *Dummodo* IMPEDIMENTUM EX INCESTUOSA COGNITIONE PRAEDICTA PROVENIENS, *sit occultum etc.* Et rursus

QUAER. 4° *An cessante causa dispensationis, cesset dispensatio, v. gr. si mortua fuerit proles per matrimonium legitimanda,* etc.?

(*Ibid. Pag. 316.*): *Cum autem praedicta Dispensatio* (*a tertio consanguinitatis gradu*) *ob carnalem copulam praedictam in litteris non expressam sit invalida.... dummodo* IMPEDIMENTUM, EX INCESTUOSA COGNITIONE PRAEDICTA PROVENIENS, *occultum sit..., misericorditer dispenses* etc. At enim si hinc conclusionem suam Lambertinius putandus sit elicuisse (nec sane aliunde potuisset eam elicere); ecce ex adverso P. Syrus (ad quem ipse lectorem in hanc rem remittit) negat absolute (*Sup. n. 4.*), *copulam incestuosam inter consanguineos vel affines praebere aliquod impedimentum matrimonii!* Et P. Syro licebit adiungere tum S. Alphonsum, qui (*Sup. n. 3.*) absolute docet, *impedimentum incestus non amplius vigere, nec indigere dispensatione,* tum (*Vid. Not. ad n. 776.*) communissimam DD. sententiam, quae eiusmodi impedimentum diuturna atque adeo legitima consuetudine sublatum prorsus esse profitetur. Superest igitur, ut Lambertinianae Instructionis conclusio innitatur ratiunculae, quam P. Syrus, inibi allegatus, a Sanchezio sumpserat, et qua Sanchez (*Sup. n. 6.*), exclusa ratione petita ab antiquato impedimento incestus, evincere nihilominus *probabiliter* studuit necessitatem incestuosam copulam exprimendi. Verum ut modo id praetermittatur, quod supra innuimus, nempe eiusmodi rationem plane infelicem apparere, minusque sapientia legislatorum dignam, prorsus obstat insuper contextus Litterarum Apostolicarum, ad quas ibi Lambertinius provocat. Quippe in iis tota *subreptionis* ratio, ut iam vidimus, in eo statuitur, quod Oratores dum dispensationem ab impedimento affinitatis, incestuosam copulam tacendo, petunt, alterum hoc matrimonii impedimentum tacent, quod non secus ac primum illud, dispensatione indiget, prouti et Corradus, ibidem simul cum P. Syro allegatus, aperte habet. Ergo et ratiuncula ex P. Syro et Sanchezio desumpta per provocationem ad Apostolicas Litteras exploditur.

Satis itaque iam patet, hanc Lambertinianae ad clerum suum bononiensem instructionis partem gravissimis difficultatibus premi. Nihil proinde mirum, quod suus ille Bononiensis clerus parum adeo huic Archipraesulis sui doctrinae detulerit, ut per illud ipsum tempus, prout videbimus, in solemni Casuum conscientiae Resolutione in oppositam sententiam abiverit.

8. Sed iam satis de argumento, quod quispiam ex Lambertiniana illa Instructione forte deducat; eo vel magis, quod inferius (*n. 30.*) eundem Lambertinium visuri sumus egregie confutantem argumenta, quae ex Apostolicis Dispensationum litteris petuntur. Ad argumentum iam revertamur, quod S. Doctor Alphonsus (*Sup. n. 1.*) ex Benedictina Constitutione *Pastor bonus,* desumit, quodque unicum ceu peremptorium proponit.

Dictum est superius (*n. 2.*), eam S. Doctoris sententiam suis difficultatibus non carere. Et sane in primis illud occurrit, quod ipsemet S. Doctor ultro concedit, ante Benedictum XIV. de hac controversia libere in utramque partem disputatum in scholis fuisse. Quinimo ipsemet in Operis sui Neapolitana Editione anni 1748. sententiam Lambertinianae oppositam (*Lib. 6. Tr. 6. Cap. 3. Dub. 4. Not. C. Quaer. 3.*) sequi uti vere probabilem nihil cunctatus est. Et quidem aliis etiam de causis praestat S. Doctoris textum referre. Ad Quaestionem scilicet, *An quando petitur dispensatio pro matrimonio inter propinquos, exprimenda sit copula incestuosa inter eos habita;* respondet: *Adest duplex sententia probabilis. Prima affirmat, exprimendam esse in S. Poenitentiaria, si copula fuit occulta; in Dataria autem, si publica. Ita Pal. Sanch. Laym. Con. etc. apud Salm. Et testantur, declarasse S. Congr., talem esse stylum Curiae Romanae. Secunda tamen sententia negat, quia incestus ex se non est impedimentum diri-*

Resp. 1° *Affirm.*, si causa cesset antequam dispensatio expediatur, aut fiat ab Episcopo vel ab alio, cui a Pontifice commissa fuerit. — *S. Lig. n. 1132.*

mens (intellige *impediens*) *illius matrimonii, nec reddit dispensationem difficiliorem. Ita Salm. cum Led. Hurt. Henr. Per. Rodr. Bas. Villal. Praepos. et aliis. Et probabilem* RECTE *vocat Sanchez. Ex quo inferunt, quod si dispensatio committatur Episcopo, et ille interroget de copula, possunt illam negare contrahentes etiam cum iuramento, cum interrogatio probabiliter non sit legitima. Et hoc,* ETIAMSI IN RESCRIPTO PONTIFICIO DICATUR: NISI COPULA INTER EOS FUERIT HABITA. *Quia hoc intelligitur* etc.

9. Seponantur modo postrema haec consectaria, quae magni sane momenti iis videri poterunt, qui sententiam hanc, a S. Alphonso ceu vere probabilem habitam, praeferendam censeant sententiae, ad quam (*sup. n. 1.*) deinde declinavit. Haec interim notentur: 1° S. Alphonsus nihil deferendum hic censuit iudicio Sanchezii, qui (*Lib. 8. Disp. 25. n. 8.*) primam illam sententiam *longe veriorem* dixerat; 2° Ne mentione quidem dignam iudicavit ratiunculam, qua Sanchez opinionem suam defendit (*sup. n. 6.*), quam deinde P. Syrus, et Lambertinius exscripserunt; 3° Heic quoque S. Doctor repetit, *incestum non esse matrimonii impedimentum*, quod dispensatione indigeat: quam quidem thesim cum constanter retinuerit, etiam postquam a praemissa sententia recessit, non facile apparet, quo fundamento intrinseco novam (*sup. n. 1.*) doctrinam suam S. Doctor communire posset; 4° Illud vero desiderandum erat, ut hoc loco sicut pro prima sententia innuit Declarationem, quod *ita ferat Curiae stylus*, ita non tacuisset pro secunda, quod, ut refert etiam Sanchez (*l. c. n. 6.*), habet Guttierez (*Quaest. Can. Lib. 1. Q. 15. n. 11.*) scribens: *Cum eadem sententia concordant alii duo theologi insignes huius civitatis; quinimo* ET IUXTA EAM IN UNA CAUSA BIS FUISSE PRONUNCIATUM, *mihi renuntiatum est. Et post huius Operis primam editionem, quod dispensatio super impedimento consanguinitatis vel affinitatis, non facta mentione copulae prius habitae, valeat nec requiratur altera dispensatio Papae, consuluit ex praedictis Navarrus.*

10. Quod vero caput est, S. Doctor dum plane et verbis et factis profitetur, ad suam usque aetatem libere in scholis in utramque partem, et intra probabilitatis fines, disputatum de hac quaestione fuisse, iam eo ipso quispiam merito concludet, nervos prope omnes praecidi illius argumenti, quod pro nova sua sententia ex praedicta (*sup. n. 1.*) Benedicti XIV. Constitutione ipse deduci posse putavit.

Et sane quaecumque demum depromi et urgeri possunt ex Constitutione Benedicti XIV. *Pastor bonus*, haec eadem leguntur in Constitutione *Romanus Pontifex* (*3. Sept. 1692.*), qua Innocentius XII., non secus ac in Constitutione sua Benedictus XIV., *Facultates Maioris Poenitentiarii et Officii Poenitentiariae* recenset et constituit; adeo ut verba Benedicti XIV. ex Innocentiana Constitutione manifeste appareant exscripta. Sic enim Innocentius XII. (*Cit. Const.* §. *34.*): *Quod si Oratores, qui obtinuerint a Nostra Dataria dispensationem super gradu prohibito tam in primo et secundo, quam in secundo tantum, ac etiam in tertio vel quarto, tacita copula inter eos sequuta, quam sine honoris detrimento detegere non valent, et ratione huius taciturnitatis petant dispensationem pro matrimonio contrahendo, seu revalidationem matrimonii contracti, possit idem Maior Poenitentiarius, si copula sit adhuc secreta, in foro conscientiae tantum concedere, facta, quando agitur de primo et secundo, vel secundo tantum gradu, compositione quinquaginta ducatorum auri de Camera ad Datariam transmittendorum, ad effectum, ut inconcussi moris est, erogandi in eleemosynas etc.*

Resp. 2° *Neg.* si causa cesset, dispensatione iam expedita et a delegato supplicantibus communicata, etiamsi cesset ante matrimonii

Hinc vero obvia quadam argumentatione aliquis ita ratiocinabitur: Aut contenditur, hisce Innocentianae Constitutionis verbis definiri necessitatem exprimendi incestus, et consequenter definiri, si incestus taceatur, Rescriptum dispensationis esse invalidum; aut contenditur, haec ibi nullatenus definiri. Si contenditur, hanc quaestionem ex Innocentii verbis habendam esse ut definitam; ergo minus consequenter tenetur et asseritur, libere in scholis tum a Theologis tum a Canonistis ea de re fuisse controversum, ac sine nota controverti potuisse, quousque Benedictus XIV. sua Constitutione litem diremerit; iam enim ab Innocentio prius dirempta dici quaestio deberet. Si vero contenditur, per Innocentii Constitutionem controversiam hanc non fuisse solutam; velint, nolint, concedi debet, neque per Benedicti Constitutionem controversiam ullatenus definiri. Et huius conclusionis ratio satis est manifesta. Quippe utriusque Constitutionis una eademque prorsus sententia est, ac porro una eademque simul auctoritas. Immo vero nonne ipse S. Alphonsus Constitutionem *Pastor bonus* habet ut meram confirmationem Bullae Innocentii XII.? Sic enim S. Doctor (*Lib. 6. n. 1144.*) scribit: *Quaeritur, in quibus impedimentis S. Poenitentiaria habeat facultatem dispensandi. Ad huius quaesiti declarationem, quae multum potest prodesse ad praxim parochorum et Confessariorum, hic operae pretium duxi adnotare, quae habentur in Bulla S. Pontif. Benedicti XIV., quae incipit* Pastor bonus *edita die 13. April. ann. 1744., ubi* CONFIRMATA ET INSERTA EST *Bulla Innocentii XII., emanata 3. Apr. 1692., incipiens: Romanus Pontifex.* Ergo quocumque demum te verteris, nova illa eiusdem S. Alphonsi assertio, quod HODIE POST BENEDICTUM XIV. *dubitandum de hac controversia non amplius sit,* nullo modo admitti potest.

11. Hinc et illud corruere videbitur, quod in recentissimo Opere *De Dispensationibus Matrimonialibus, Neapol.* 1866. habet vir egregius, Petrus Giovine, ubi (*Cons. 27. §. 9. n. 8.*) scribit: *Hodie explorata res est, irritam manere dispensationem... reticita copula incestuosa...; idque... definitive declaratum fuit a Benedicto XIV. per celebrem Constitutionem, cuius initium «Pastor bonus.»* Nihil enim in Benedicti verbis reperimus, quod magis ea *declaret,* quae in Constitutione Innocentii dicebantur. Et siquidem non contendis, per Innocentii XII. verba controversiam definiri, equidem cum Benedictus XIV. mere repetat Praecessoris sui sententiam, nulla cogitari ibi potest nova *declaratio,* quae rem definiat. Quinimo cum Benedictus optime nosset, per Innocentii Constitutionem controversiam adeo non habitam fuisse ceu definitam, ut liberrime in scholis catholicis ea de re in utramque partem disceptaretur, prouti et ipse, ut vidimus, in sua Instit. 87. testatur, profecto si quid *declarare* magis, si quid voluisset definire, aliquid Praecessoris sui sententiae addere, aliquid mutare in ipsa debuisset, ut scilicet Innocentianae Constitutionis sensum ac vim tandem aliquando Theologi et Canonistae intelligerent. Atqui nihil addidit, ac nihil prorsus in ea mutavit. Ergo eo ipso, quod Innocentii Constitutioni nihil ulterius addidit, sed mere Innocentii verba ac sententiam repetiit, facto ipso satis superque ostendit, se nihil *definire* aut *declarare* voluisse, et rem totam *in statu quo,* ut aiunt, voluisse servare, idest liberae Theologorum et Canonistarum disceptationi, non secus ac Praedecessores Pontifices, permittere.

12. Et haec quidem ratio maiorem quandam vim ex eo etiam haurit, quod idem Benedictus XIV. adhuc *in minoribus* persuasum se ostenderat (*Vid. sup. dicta de eiusdem Institutione 87*), Romanos Pontifices necessitatem copulae exprimendae *sub poena subreptionis* aperte declarasse. Quo enim gravior et crassior videri ipsi potuit communis omnium Doctorum aberra-

celebrationem. Ratio est, quia per dispensationem iam impedimentum sublatum est. — *S. Lig. ibid.* — *Vid. vol. I. not. ad n. 120.*

tio, quorum ne unus quidem ad eam usque diem suspicatus fuerat (ut infra patebit) Romanos Pontifices ullum de hac quaestione iudicium interposuisse; eo vehementior eum urgebat ratio, cur factus Pontifex aliquo saltem modo declararet, quinam Innocentii XII. verbis sensus subesset. Atqui tamen nihil eiusmodi praestitit.

13. Sed et illud hic addendum, ex illa 87ª Institutione satis deduci, ipsum Benedictum XIV. nihil in Innocentii XII. Constitutione reperisse, quod efficaciter ad huius controversiae solutionem conduceret. Et sane quid est, quod ipse dum in ea Institutione nervos omnes contendit, ut evincat necessitatem exprimendi incestuosam copulam, argumentum tamen ex Innocentiana Constitutione nequaquam desumit, sed recurrit ad Apostolicas Dispensationum litteras, quae ab Officiis S. Poenitentiariae et Datariae dari solent, et ad P. Syrum et Corradum remittit, qui hasce formulas referunt, et qualecumque commentarium iis addunt? Numquid ipsi Lambertinio suspicabimur incompertam fuisse Innocentianam Constitutionem, quando ipse per plures annos munus Doctoris SS. Canonum in ipso S. Poenitentiariae Officio exercuit? Aut putabimus, ipsi efficacius visum fuisse argumentum, quod, potiusquam a Pontificia ista Constitutione, peteretur ab eiusmodi dispensandi formulis, e quibus nullum argumentum efficax deduci posse ipsemet alibi, ut videbimus, acerrime et invicte defendit? Aut denique itane Benedictus XIV. tardus erat ingenio, ut in Constitutione Innocentiana, quam in hac ipsa Institutione (*l. c.*) ideo mere allegat, ut dispensandi facultatem ab Innocentio traditam indicet, ne a longe quidem et parum aliquid interviderit illius argumenti, quod luculentissimum atque ad finiendam quaestionem peremptorium in iis verbis deprehendisse sibi visus est S. Alphonsus? Et si quidem Benedictus XIV. nihil in ea Constitutione reperit ad hanc controversiam dirimendam idoneum, adeo ut in sua illa Institutione diserte testetur (*sup. n. 2.*) post Innocentianam Constitutionem et ad suos usque dies huiusmodi quaestionem in utramqne partem agitari consuevisse, quomodo suspicari quis poterit, Benedictum XIV. eadem usurpando verba, quae usurpata a Praecessore Innocentio XII. noverat, hanc controversiam dirimere voluisse?

14. Accedit, quod post editam 87. illam Institutionem, apud Bononiensem clerum, quem ipse ibidem Archiepiscopus regebat, parum adeo sententia ab ipso defensa et inculcata invaluerat, ut cum in coetibus ecclesiasticis qui in metropolitana Ecclesia ad quaestiones morales agitandas haberi solebant, et ad quos se convenire consuevisse ipse (*Instr. 87. n. 1.*) testatur, propositus fuisset casus, de quo nunc sermo, sententia (ut paulo post videbimus) eiusdem persuasioni atque encyclicae Institutioni contraria fuerit adoptata. Dixi, *post editam illam Institutionem;* nam coetus, in quo casus fuit resolutus, habitus est mense Septembri an. 1740; (Institutiones autem prodierant primum quidem Bononiae singulae seorsim quo quaeque tempore proponebantur; deinde autem in eadem urbe simul omnes collectae; iterum vero an. 1740. Venetiis ad editionis Bononiensis normam. Quo difficilius igitur sententiam suam etiam a clero suo excipi videbat, eo magis necessaria videri ipsi debuit declaratio aliqua, qua opinio ex eius sententia Apostolicis dispensationum Rescriptis contradicens demum aboleretur. Atqui eiusmodi Declarationis nullum vestigium apparuit. Ergo eo ipso se prodit posterius Benedicti propositum, nihil scilicet de hac materia definiendi.

15. Et huius quidem conclusionis robur inde etiam videtur augeri, quod si reipsa definire aliquid, communemque opinionem ex supradicta

869. — Quaer. 5° *Quid speciatim exponi debeat, quando agitur de matrimonio primum contrahendo?*

eius sententia erroneam corrigere per Constitutionem suam Benedictus XIV. voluisset, minus aptam sane consilium suum exequendi rationem elegisset. Non solum enim mera repetitio verborum Innocentii ineptus extitisset modus declarandi Innocentii verba; sed insuper conditio aberrationis, inter gravissimos quosque Doctores communis, omnino postulasset, ut Declaratio seu Definitio eo modo prodiret ac promulgaretur, quo erroris correctio facile obtineretur. Porro promulgatio huic scopo assequendo consentanea aegre deprehendetur in Litteris ad Maiorem Poenitentiarium datis, quibus eiusdem facultates recensentur; idque, in ista Declarationis hypothesi, facta confirmant: ut enim inferius palam fiet, nemo in ipsa Urbe Romae, quousque Benedictus XIV. Pontificatum gessit, huiusce suppositae Declarationis seu Definitionis notitiam, imo nec suspicionem habuit.

16. Eo autem minus de eiusmodi Definitione suspicari quis potuit, quod nemo ignoret, constantissimum eiusdem Pontificis morem hunc extitisse, ut si quando suum interponere iudicium institueret in gravi aliqua controversia, circa quam eousque Doctores inter se dissensissent, numquam controversiae statum exponere aut saltem innuere omisit, nec silentio premere consuevit rationes alterutram partem suadentes, semper vero expressam aliquam mentis ac propositi sui significationem addidit, qua aperte constaret, Auctoritate Eum sibi propria velle controversiae finem imponere. Atqui horum omnium in verbis Ipsius superius allatis ne minimum quidem vestigium reperire licet.

17. Caeterum per Innocentianam Constitutionem nihil de ista controversia definitum reipsa fuisse, haud obscure aliunde colligi potest. Nam simul ac innotescat, *primo* quidem plerosque Auctores, qui deinceps pro necessitate exprimendi incestus pugnarunt, nihilominus non secus ac alii ante Innocentium fere consueverant, intra probabilitatis terminos thesim suam proposuisse; quin etiam *secundo* alios, eosque bene multos, extitisse, qui post editam Innocentii Bullam contenderunt, saltem uti probabilius, nihil opus esse, ut in petendis dispensationibus circumstantia incestus exprimatur; denique *tertio* pro quacumque tandem e contrariis opinionibus Auctores steterint, neminem eorum, pro vel contra, in medium Constitutionem Innocentianam (quam alioqui non ignorabant) traxisse, imo ne ullam quidem eiusdem mentionem iniecisse; satis profecto manifestum videri debet, ex communi Doctorum sensu praedictam Constitutionem ad praesentem solvendam quaestionem nihil conferre. Atqui ita se rem habere quoad singula illa tria capita, lectio Auctorum, qui ab Innocentii XII. aetate floruere, facile suadet.

18. Et ut a primis incipiamus, qui licet (exprimendae copulae necessitatem defenderent, id tamen nonnisi tamquam probabilius) post Sanchez habuere, aut in neutram magis partem inclinarunt, sit v. gr. Mazzotta, sic scribens (*Tr. 7. Disp. 1. Q. 3. Cap. 3. §. 3. n. 3.*): *An autem petens dispensationem consanguinitatis vel affinitatis cum Berta exprimere etiam debeat copulam incestuosam cum ea commissam, lis est inter Doctores.* Et postquam dixit, Sanchez affirmare cum multis, alios vero contradicere, nihil ipse ulterius addit.

Ita Collet (*Tract. De Dispens. in specie Part. 1. Cap. 17. art. 1.*), qui allata opinione Sanchezii addit: *Huic opinioni, ut quae tutior sit, et ad minus eiusdem cum opposita probabilitatis, adhaerendum puto.*

Ita La Croix (*Lib. 6. Part. 3. n. 922.*): *Si cognovisti consanguineam vel affinem tuam in gradu dirimente, posteaque, volens contrahere cum ea, petas dispensationem, sed non exprimas, intervenisse copulam, Nav. Gutt. Ledes. Rebel. Laym.... Sanch. valde probabiliter dicunt, dispensationem*

Resp. 1° Impedimentum, cuius dispensatio quaeritur, in sua propria specie exprimi debet, non unum pro alio, ne maius quidem

esse irritam.... Oppositum tamen tenent alii cum Henr. Salas, Vega, Rodr., Diana, Pont., Hurt., Krim., Perez, Aversa, qui vocat in praxi tutum....

Ita Simonnet (*Tr. 18. Disp. 5. §. 23.*) dum adhaeret opinioni Sanchezii, tamen sine ulla nota etiam aliorum oppositam sententiam refert.

Ita et Kugler (*De Matrimon. n. 259.*) ceu *probabilius* habet cum Sanchez, surreptitiam esse dispensationem, si reticeatur incestus. Sed advertit, *non esse sponsos de hoc interrogandos,* ubi praxis non viget.

Adde hisce et Habert Ludovicum, qui (*De Leg. Cap. 10.*) docet, dispensationem non esse surreptitiam, si ex ignorantia non exprimatur incestus circumstantia.

19. Quod vero ad alios multo plures attinet, qui post Innocentianam Constitutionem saltem ceu *probabilius* propugnarunt, nihil opus esse, ut incestus circumstantia exprimatur, horum agmen ducat Vincentius De Iustis, Innocentio XII. paulo suppar ac prope coaevus, qui (*De disp. matr. Lib. 1. Cap. 4. n. 250. ad 364.*) ex professo ac data opera argumentum hoc pertractavit, ac postquam funditus et fusissime pariter atque pererudite quaquaversus hanc materiam evolvit, sic concludit: *Ex quibus cumulatis satis superque constat, non esse necessariam copulae expressionem..., si oratores aliam causam habeant, quae moveat Pontificem ad dispensationem concedendam; cum ipsius copulae taciturnitas dispensationem intrinsece non afficiat..., nec ullo iure, stylo, consuetudine, Concilio, Canone, Decreto, Regula aut Constitutione exprimi praecipiatur.* Insuper praemiserat (*n. 317.*) *plures Doctores... hanc opinionem apertissime in suis tractatibus probabilem et in praxi tutam docuisse,* ET IN DIES DOCERE.

Non multo post Innocentium XII. ac Vincentium De Iustis opus suum morale scripsit Constantinus Roncaglia. Hic porro cum praemisisset (*Tr. 21. Q. 4. Cap. 3. q. 10.*), iuxta communiorem opinionem copulam exprimendam esse, si publica sit, quamquam (ut ait) *non pauci contrarium asserunt;* subdit deinde: *Praedicta procedunt, si copula sit publica; nam exprimenda non est, si sit occulta. Et quamvis Sanchez velit, copulam occultam esse manifestandam, dum petitur dispensatio pro impedimento a S. Poenitentiaria, nihilominus id non esse necessarium alii affirmant: sicut etenim Dataria vel Cancellaria etiam pro foro interno dispensat, etsi occulta copula non exprimatur, ita et dicendum de Poenitentiaria, dum praeter copulam adest alia legitima causa petendae dispensationis, eo magis quod incestus cum consanguinea propria dispensatione non indiget.*

Paulo Innocentii Constitutioni suppar fuit et Dominicus Viva. Qui tamen ad propositam quaestionem, an valida sit dispensatio, si copula taceatur (*De Matr. Q. 6. art. 3. n. 8.*), respondet: *Negat Sanchez cum aliis... sed Pontius... et alii apud Perez probabiliter* DOCENT, *dispensationem in casu adducto esse validam, quia neque incestus indiget dispensatione, neque iure aliquo praecipitur, ut exprimatur; et praeterea si exprimatur incestus, redditur dispensatio facilior, non difficilior.*

Circiter his aequalis fuit Ioannes Reuter, qui (*Theol. Mor. Part. 4. Tr. 8. n. 583.*) de hac re ita scribit: *Qui petit dispensationem, ut cognitam a se consanguineam vel affinem ducat, et non exprimit copulam, invalida est dispensatio iuxta Sanchez et alios; valida iuxta Krimer et alios; quia si copulam expressisset, dispensatio fuisset facilior. Nec obstat stylus Curiae contrarius, quando non est confirmatus Pontificis Decreto, quod non extat.*

Itemque Ioannes Clericatus, qui (*De Matr. Dec. 40. n. 11.*) de ista quaestione sic disserit: *Si inter sponsos habentes impedimentum dirimens con-*

pro minori, v. gr. consanguinitas pro affinitate. Ratio est, quia in dispensationibus non valet argumentum a maiori ad minus, nec Superior vult in eo dispensare, quod ignorat.

sanguinitatis vel affinitatis, habita fuerit copula carnalis, Utrum sit exprimenda Papae sub poena subreptitiae dispensationis? Magna est altercatio Doctorum, quos referunt Salmanticenses, asserentes utramque opinionem esse probabilem, sed negativam praevalere, quam etiam amplectitur Vinc. De Iustis (De Disp. Matr. Cap. 4.), ubi appellat hanc Quaestionem magnam et difficilem; at n. 259. limitat, quando in Bulla dispensationis esset clausula, Dummodo copula non intercesserit; *quam tamen hodie non inseri in Bullis dispensationum matrimonialium dicit n. 263., et testatur Pyrrhus Conradus Lib. 8. C. 8. n. 20., invehens contra Vicarios, executores earumdem dispensationum, qui interrogant Oratores, an simul habuerint copulam, cum id non habeant in mandatis. Verum tamen est, quod circa hanc quaestionem supponunt Doctores, dispensationem peti et obtineri ex aliqua alia rationabili causa, nempe propter angustiam loci...; quibus attentis, aut earum aliqua non est opus exprimere copulam, quam forsan sponsi consanguinei inter se habuissent, ut post longam disputationem concludit ipse Vinc. De Iustis.*

Ita etiam Schmalzgrueber (*Lib. 4. Tit. 16. n. 197.*): *Si copula sit occulta, non est necessaria eius expressio, ut cum aliis docet Sanchez... Neque opus est hoc casu copulam occultam exponi apud S. Poenitentiariam, et sollicitari, ut vitium dispensationis suppleat; tum quia incestus cum propria consanguinea dispensatione non indiget; tum vero quia non apparet solidum fundamentum huius expressionis.*

Prope eadem habet Reiffenstuel (*Append. ad Lib. 4. §. 4. n. 191. 192.*): *Dicitur autem* (ait) *notanter,* Si copula iam est publica: *haec enim si est occulta, eius expressionem necessariam non esse, bene cum aliis docet Sanchez.... Et quamvis Sanchez velit, quod copula exsistens occulta saltem apud S. Poenitentiariam exponi et sollicitari debeat, ut vitium dispensationis suppleat; verum huius expressionis non apparet solidum fundamentum... praesertim cum incestus cum propria consanguinea dispensatione non indigeat.*

Ita et Maschat (*Ad Calc. Lib. 4. Tract. De Dispens. §. 3. n. 24.*): *Si copula allegatur pro causa, exprimi debet, an habita sit sub spe facilioris impetrationis; et si alia causa allegatur, nihilominus copula publica exprimi debet ex stylo Curiae, non autem occulta.*

Huc revocari debet, quod Card. Gotti (*De Matr. Q. 7. Dub. 2. §. 3. n. 17.*) expressionem copulae exhibet mere ut *quid tutius* atque ad amovendos scrupulos idoneum, etsi incestus ad facilius obtinendam dispensationem commissus fuerit: *Ad amovendas tamen* (inquit) *omnes dubitationes et scrupulos tutius est, ut qui dispensationem petunt, fideliter et sincere exponant omnia, quae iuvare vel retardare possunt dispensationem, puta, expresse et distincte gradus consanguinitatis vel affinitatis et incestus, si commissus fuit ad finem facilius obtinendi dispensationem.* A fortiori autem, ut patet, iuxta egregium Purpuratum necessaria non est copulae expressio, si non eo fine habita fuerit, ut facilius dispensatio impetretur.

Non aliter Vitus Pichler (*Lib. 4. Tit. 16. n. 37.*), ubi scribit: *Notandum tamen, quod mentio copulae, si sit occulta, impedimentum autem publicum, fieri non debeat in supplica ad Datariam, bene tamen iuxta multos, si copula quoque foret notoria. Aliqui putant, debere recurri ad Poenitentiariam ut suppleatur vitium dispensationis ob copulam occultam in Dataria non expressam; sed non videtur necessarium.* Neque tamen ob allata verba quis sibi suadeat, iuxta Pichler necessariam esse copulae mentionem, saltem si publica exstiterit. Nam paulo post subdit: *Si aliqua le-*

Resp. 2° Si postuletur dispensatio impedimenti ex commercio illicito, exponendum est, an ab uno vel utroque sub spe dispensationis facilius obtinendae commercium illud habitum sit.

gitima causa allegetur, et copula non sit habita sub dicta spe (scilicet facilioris dispensationis), *controversia est ingens, utrum copula non occulta exprimi debeat in impedimento consanguinitatis.*

His accedit Giribaldi, qui (*Tract. X. De Matr. Cap. 18. n. 9.*) facta quaestione, *An sit necessario exprimenda copula incestuosa forte habita inter consanguineos et affines, quando petitur dispensatio pro matrimonio contrahendo,* respondet (*n. 58.*): *Prima sententia docet, illam esse necessario exprimendam, ne dispensatio sit subreptitia, et ne matrimonium postea contractum sit nullum...* Subdit vero (*n. 59.*): *Secunda sententia verior et probabilior docet, non esse necessario exprimendam copulam habitam inter consanguineos et affines matrimonium contrahere volentes, nec per hoc dispensationem reddi subreptitiam, nec matrimonium postea contractum reddi nullum. Ratio est, quia incestus non est impedimentum dirimens, quod ratione sui egeat dispensatione, nec forte impediens, cum iam sit consuetudine abrogatum.*

Demum etiam in Resolutionibus Casuum Conscientiae, qui in fronte voluminis dicuntur *propositi et resoluti de mandato Emi Prosperi Lambertini,* Archiepiscopi tunc Bononiensis, *dein SS. D. N. Papae Benedicti XIV.*, eandem doctrinam reperies. Postquam enim (*Cas. 2. mens. Septembr. an. 1740.*) statuta ibi est necessitas exprimendi pravam intentionem incestus habendi, obtinendi nempe facilius dispensationem, haec adduntur: *Hoc tamen intelligendum puto, primo quando praedicta intentio fuerit manifestata, cum Ecclesia de internis non iudicet; secundo quando eadem intentio fuit inter copulam habentes reciproca; cum aequum non sit, ut unius delictum alteri noceat; tertio denique quod alia sufficiens dispensationis causa enarrata non fuit, cum secus obligatio manifestandi sive culpam sive intentionem in copula habitam non videtur amplius urgere.*

Manifestum ergo satis est, Theologos et Canonistas Innocentio XII. posteriores non modo non habuisse tamquam certam ac Pontificia auctoritate constitutam exprimendi incestus necessitatem, aut dispensationis ob eiusdem circumstantiae silentium nullitatem, sed ipsorum plerosque uti probabiliorem, veriorem, ac tutam censuisse doctrinam, quae illam necessitatem negat.

20. Quod vero ad tertium caput attinet, Theologos scilicet et Canonistas, qui hanc quaestionem post Innocentii Constitutionem agitarunt, nullam huius rationem habendam censuisse, id breviter expediri potest. Equidem pervolvat, quisquis oculis suis rem haurire cupiat, doctores, quos allegatos hic habet. Cernet sane, neque eos, qui incestum in petitione explicandum docent, pro ea sententia argumentum ex Innocentii Constitutione desumere: neque iterum eos, qui eam sententiam oppugnant, sibi Innocentianae Constitutionis auctoritatem obiicere; atque idem omnino silentium circa Innocentii Constitutionem reperies apud paucos alios, qui nulla iniecta oppositae sententiae mentione incestum exprimendum docent, cuiusmodi sunt Billuart (*De Legib. Diss. 5. art. 3. §. 4.*), Cuniliati (*Tr. 14. Cap. 7. §. 29. n. 6.*), et Catalani (*Part. 3. Q. 14. Cap. 19. n. 13.*). Porro prorsus incredibilis est, ac manifeste repugnat hypothesis, qua fingatur, hinc quidem controversiam Pontificia auctoritate per solemnem Constitutionem fuisse definitam, inde vero Theologos omnes et Canonistas, catholicos alioquin et erga Apostolicam Sedem obsequentissimos, adeo nullam Pontificiae Constitutionis ac Pontificii Oraculi rationem habuisse, ut in ea controversia tractanda ne mentione quidem dignam illam putarent, quinimo definitam (ut

870. — QUAER. 6° *Quid in postulatione dispensationis super matrimonio invalide contracto generatim sit exprimendum?*

supponitur) doctrinam, Sede Apostolica inspectante, alii quidem ad summum uti probabilem haberent, alii vero aperte impugnarent.

21. Et huc sane ea faciunt, quae in eandem rem disserit Vinc. De Iustis (*l. c. n. 317.*): *Quamvis hi Tractatus* (in quibus nempe negatur necessitas exprimendi incestum) *typis excusi, undique circumlati, et per manus plurium publice habiti, lectique sint, et quotidie habeantur, teneantur, et publice legantur, nulla tamen hucusque Constitutione, de qua publice et authentice constet, fuit haec opinio reprobata, prout si falsa et erronea esset, praesumi debet, quod aliquo modo reprobata fuisset, ita ut de huiusmodi reprobatione penes Tribunalia Ecclesiastica publice et authentice constaret. Agitur enim de re gravissima; quia si contraria opinio certa esset, insurgerent ex huiusmodi copulae taciturnitate invaliditas dispensationis, nullitas matrimonii, irritatio Sacramenti, illegitimitas prolis, concubinatus et incestus perpetui, et consequenter innumera peccata, scelera, et scandala gravissima.... Ergo praesumi potest et debet, quod si ista opinio non esset probabilis, sustinibilis, et tuta, aliquo modo damnata fuisset ab Ecclesia, et tali modo, ut eius reprobatio ubique legitime et authentice publicaretur.*

22. Diximus porro, si ex unanimi Doctorum suffragio nihil vi Constitutionis Innocentianae de proposita controversia definitum fuit, non dissimile iudicium de Constitutione Benedicti XIV. ferri posse. Ut enim facile patet, non plus auctoritatis ac ponderis Benedictinae, quam Innocentianae Constitutioni tribuere fas est, et alioquin nihil de re praesenti in Benedictina Bulla edicitur, quod non edictum, et fortassis efficacius in Innocentiana fuerit.

Sed potest hoc ipsum confirmari non dissimili argumento, ac usi sumus in sensu Innocentianae Constitutionis hauriendo, eorum nempe testimoniis, qui commodius sensum Bullae Benedictinae nosse, ac nobis prodere potuerunt. Nam fuerit utique B. Alphonsi, viri sane doctissimi, sed longe ab Urbe absentis, eum sensum verbis Benedictinae Bullae ratiocinando tribuere, ut controversiam a Benedicto iam diremptam putare posset. At non sic profecto qui Romae per ipsam Benedicti XIV. aetatem commorantes in huius Urbis luce de hac re melius quidpiam rescire potuerunt, immo et pro muneribus, quae gerebant, nosse necessario debuerunt, et idcirco magis idonei testes de sensu Benedictinae Constitutionis esse possunt. Hos nimirum, non secus ac eos qui ante Benedictum XIV. scripserunt, reperimus, necessitatem exprimendi incestus aut tamquam mere probabilem asserentes, aut etiam probabiliter impugnantes.

23. Ac primus nobis occurrit Daniel Concina, qui anno 1751, nono nempe anno postquam edita fuerat Constitutio *Pastor bonus*, Romae in volumine, cuius frontem Benedicti XIV. stemma exornat, proposita sibi (*De Matr. Lib. 2. Diss. 3. Cap. 5. n. 17.*) hac quaestione: *Quando petitur dispensatio inter consanguineos vel affines, exprimenda ne est copula incestuosa inter eos habita?* neque Innocentii neque Benedicti nomina aut Bullas appellat, sed ita respondet: *Disputant in utramque partem super hac quaestione Auctores. Pontius, Henriquez,... quibus accedit Viva... negantem opinionem defendunt.... Contra Sanchez, Diana.... defendunt, manifestandam esse, et ita declarasse Congregationem Cardinalium testantur.... Alii respondent, Congregationem Cardinalium declarasse exprimendam esse copulam, ut quid securius et tutius, non ut quid probabilius. Sed haec mera figmenta probabilistica sunt, atque adeo reiicienda: quare posterior sententia* PROBABILIOR *est.*

Succedit P. Philippus a Carboneano *in Collegio de Propaganda Fide*

Resp. Exponendum est, 1° an ambae partes vel alterutra tantum bona vel mala fide, nempe cum notitia impedimenti matri-

Professor, S. Congr. Indicis Consultor, et Supremae et Univers. Inquisitionis Qualificator. Et huius quidem suffragium eo validius habendum videtur, quod ipsimet Benedicto XIV. opus dicaverit, in quo suam de hac controversia sententiam profitetur; Pontifex vero ita Minoritae labores probaverit, ut ipsi provinciam commiserit ea quoque addendi, quae in usum Missionariorum facere possent. Quid porro ad quaestionem nostram P. Philippus? Nimirum (*Append. I. ad Tr. de Matr. art. 1.*) statuit imprimis, copulam exponendam, si sit notoria.

Deinde vero ita prosequitur: *Dixi, exprimendam esse copulam, si notoria sit; quia si remanserit occulta, praesumi non potest, piam matrem Ecclesiam intendere, ut haec cum ingenti sui diffamatione... divulgetur; et hoc sensu intelligenda sunt argumenta mox allata... Sed erit ne tunc ad Poenitentiariam recurrendum? Negant Pichler, et Reiffenstuel, quia, inquiunt, incestus propria dispensatione non indiget; et aliunde Poenitentiaria nec potest nec solet compositionem ullam exigere, utpote quae quidquid expedit, gratis expediat. Idipsum docent Theologi plures et Canonistae... At Sanchez censet in hoc casu recurrendum esse ad Poenitentiariam... Idipsum tradit M. Paulus Leo. Huic opinioni, ut quae tutior sit, et ad minus eiusdem cum opposita probabilitatis adhaerendum puto, eique qui adhaeserint, Episcopos cognovi.* E quibus patet, hunc quoque scriptorem, fama tunc ac gestis muneribus insignem, utcumque opinioni obligationem adstruenti magis adhaereret, tamen non secus ac Concinam, meram illi probabilitatem tribuisse, et ne minimum quidem fuisse suspicatum, eam controversiam Benedictinae Constitutionis vigore fuisse definitam.

Tertius sit testis Ubaldus Giraldi, qui Examinator extitit cleri Romani, ac celebrem suam *Iuris Pontificii Expositionem,* doctrinis praesertim Benedicti XIV. insigniter exornatam Romae edidit decennio post eiusdem Pontificis obitum. Hic porro quoad praesentem quaestionem e re esse censuit nihil promere aliud (*Vid. Part. II. Sect. 122.*), quam quod de eadem scripserat Rhemigius Maschat, cuius Canonicas Institutiones ipse additamentis suis ditaverat. At vero ex allatis superius huius scriptoris verbis patet, eum stetisse cum negantibus obligationem exprimendi copulam, si haec occulta mansisset.

Ex his autem sic resumet quispiam argumentum. Prorsus improbabile videri debet, hanc Benedicti XIV. mentem fuisse, et rursus vix credibile videri potest, eius Constitutionem *Pastor bonus* sic fuisse Romae intellectam, ut obligationem definiret exprimendi incestum, et nihilominus praefatos scriptores in ipsa Urbe, eodem inspectante Pontifice, quin etiam in scriptis nihil S. Palatii Apostolici Magistro aut quopiam alio e Revisoribus obstante Romae editis, imo et eidem Pontifici nuncupatis, imo et ita ab Eodem laudatis, ut eius iussu in scholis adhiberentur, de doctrina notorie (ut supponitur) ab ipso Pontifice definita ratione adeo ancipiti disputare potuisse, ut illam aut ut mere probabilem haberent et contenderent, aut etiam oppositae quasi probabiliori adhaererent; Pontificiam vero Constitutionem, quae incertis ea de re disputationibus propria sibi auctoritate finem imponeret, penitus posthaberent, et ne commemorandam quidem, quasi non existeret, ipsam arbitrarentur. Atqui, ut ex prolatis testimoniis erui potest, hac omnino ratione de proposito argumento praefati Auctores libris Romae evulgatis disseruerunt; et scripta Philippi De Carboneano ipsi Pontifici ab Auctore dicata, Pontificis eiusdem nutu in scholis Collegii De Propaganda Fide praelegi meruerunt, quin et in pluribus Italiae Seminariis iussu Episcoporum fuerunt adoptata. Ergo.

monium inierint; 2° an sub spe dispensationis facilius obtinendae; 3° an matrimonium consummaverint; 4° an clandestine aut in fa-

24. Et ad sic iudicandum de ista Constitutione impellunt ea quoque, quae in Lucanis casuum Resolutionibus legimus. Proposita enim mense Iul. an. 1743. quaestione de Caio et Berta consanguineis, qui obtinuerant dispensationem, non expressa copula, responsum est: *valere eam dispensationem, ut quidem probabile est: nam primum copulam illam exprimi oportere, nusquam est in iure cautum. Deinde copula non est dispensandi causa finalis. Mox cum incidit dubitatio, ea potius interpretatio est facienda, quae actum sustinet, quam quae tollit.... Caeterum si quis adhaerere velit contrariae sententiae, petenda est dispensatio a S. Poenitentiaria* (*Solut. Comp. Luc. Tom. 1. p. 183. Lucae 1762.*).

Sed in rem nostram magis forte facit solutio (*Ibid. Tom. 3. pag. 366.*) cuius Auctor fuit Io. Dominicus Mansi mense Martio an. 1760. Eodem enim casu proposito, utique posthabita sententia Vincentii De Iustis oppositae adhaeret, allegans Pyrrhum Corradi, M. Paulum Leonem, et *Institutionem quoque 87. Lambertini dein Pontificis* Benedicti XIV. Veruntamen sic rem concludit: *Quae hactenus allata sunt, non habent locum, quando dispensatio optatum obtinuit exitum, et iam matrimonium contractum est.* Quam in rem rursus praedictam Lambertini Institutionem allegat. Porro manifestissimum est, casum, in quo Mansius eximit ab obligatione Dispensationem rursus a S. Poenitentiaria petendi, illum prorsus esse, in quo iuxta S. Alphonsum Constitutio Benedicti XIV. definivisset, pro dispensatione ad S. Poenitentiariam recurrendum esse. Alioquin vero cum praecl. Mansius totam solutionem suam doctrinis et auctoritate Benedicti XIV. communire studeat, curnam ad roborandam, imo decretoria ratione solvendam primam quaestionis partem ad Constitutionem *Pastor bonus* non se convertit, sed Institutionem 87. Lambertini appellat, quae nedum quaestionem dirimendi vim habeat, ea (ut sup. vidimus) argumentorum supellectile hanc doctrinam communitam praefert, ut causam prodere videatur? Quinimo quid est, quod in altera solutionis parte in sententiam abit quam idem Lambertini iam Pontifex iuxta S. Alphonsum damnasset? Concludendum est igitur, nemini praeter S. Alphonsum, vel ullam suspicionem de hac Benedicti XIV. definitione obortam fuisse.

Idque confirmare licet suffragio alterius Theologi anonymi ex Ord. Praedic., qui anno 1797. Venetiis edidit lingua italica opus, cui titulus: *Decisioni di casi di coscienza e di dottrina canonica fatte nella diocesi di Bologna per ordine e giusta la mente dell'Emo Card. Lambertini e poscia Sommo Pontefice. Edizione ricorretta e aumentata per opera di un Religioso Domenicano,* etc. Etenim ad titulum, *Consanguinità* Cas. III. de praesenti quaestione sic (*Tom. 3. pag. 144.*) disserit: *Dissi doversi esprimere nella supplica il commesso incesto, se questo sia notorio; perchè se rimasto fosse occulto, non può nè deve presumersi, che la pietosa madre Chiesa intenda, che siffatto turpe peccato resti divulgato con gravissima infamia delle persone.... Ma dovrassi almeno in tal caso ricorrere alla S. Penitenziaria, e manifestarle sotto nomi finti l'impedimento insieme della consanguineità, e l'occulto incesto, onde chiederne la dispensa nel foro della coscienza? Alcuni Teologi rispondono che no: perchè, dicono, l'incesto non abbisogna di propria dispensa... Ma il Sanchez è d'opinione doversi in questo caso ricorrere ad essa Penitenziaria... Dello stesso parere è M. Paolo Leone.... Ad uomo di tanta pratica in siffatte materie conviene arrendersi ed attenersi nella pratica a questa opinione, che è più sicura, e almeno di eguale probabilità colla contraria, tanto più che anche il continuatore del Tournely attesta d'aver egli conosciuto de' Vescovi che aderivano a questa opinione.* Ad quae rursus subit quaerere:

cie Ecclesiae, an post bannorum denuntiationes, aut his omissis contraxerint. Facilius enim aut difficilius pro variis istis circumstantiis solet dispensatio impetrari.

Numquid Theologus iste quodammodo incertus haesisset, ac demum unico Sanchezii ac M. Pauli Leonis sic opinantium praesidio quaestionem aggressus esset solvere, quando in theologicis scholis aliquis saltem rumor, aut suspicio aliqua pervagaretur de controversiae definitione per celeberrimi Benedicti XIV. Constitutionem iam emissa?

Addendus et egregius theologus ex Ordine Servorum B. M. V., nempe Marcus M. Struggl, eo vel magis, quod in ipsa libri fronte idem testetur, Theologiam se tradere *iuxta canonicam moralemque doctrinam, quae in praeclaris Operibus Benedicti XIV. feliciter regnantis elucet;* quinimo *in Monito ad Lectorem* expresse profiteatur, se opus suum *in omnibus secundum Constitutiones universales ad Theologiam Moralem etiam reductive pertinentes Benedicti XIV. Summi Pontificis* composuisse. Cumque alias eiusdem Pontificis alleget Constitutiones, quae in primo Bullarii volumine ann. 1746. edito continentur, profecto et Constitutionem *Pastor bonus* plane novit.

Sic porro ille (*Tr. 12. Q. 4. art. 2. n. 22.*): *Si matrimonium nondum est contractum, et Oratores sunt consanguinei vel affines...; tunc exprimendum est, an copula carnalis, quae ex. gr. in Poenitentiaria allegatur pro causa dispensationis, non contigerit sub spe facilius obtinendae dispensationis. Si tamen propter impedimentum consanguinitatis aut affinitatis publicum dispensatio ex aliis causis petitur a Dataria, non debet fieri mentio copulae carnalis,... nisi etiam haec fuisset publica; ut cum communiori aliorum docet Reiffenstuel* (cuius sententiam vid. sup. n. 19.). Struggl itaque, non secus ac Reiffenstuel, censuit, exprimendam utique pravam intentionem in habenda copula, quando haec allegetur ut causa dispensandi, itemque exprimendam, si publica esset; aliis vero in casibus nuspiam. Et rursus (*Ibid. art. 4. n. 57.*) ubi docet, *invalidam esse dispensationem, quando Oratores ex dolo non exprimunt aliquod obstaculum dispensationis,* utique memorat, quod Oratores *copulam ex spe futuri matrimonii habuerint;* at de mera copula citra eiusmodi intentionem habita, ne verbum quidem.

25. Et haec quidem historica expositio sensus, quem tum Theologi, tum Canonistae Constitutionibus sive Innocentii XII. sive Benedicti XIV. (perinde enim est, de utravis sermo sit) universim tribuerunt, satis esse potest, ut quis concludat, valde dubitandum, num nova illa earundem interpretatio, quam contra unanimem catholicarum scholarum omnium sententiam B. Alphonsus invexit, legitima censeri queat. Superest itaque inquirendum, an solido aliquo fundamento innitatur.

Hoc autem reipsa totum residet in hisce eiusdem verbis (*Lib.6. n.1135.*): *Attende, quod Papa dicendo,* Possit reconvalidationem concedere, *non habet pro validis matrimonia cum tali reticentia contracta.* Quod quidem argumentum (nunquam antea ex Innocentii verbis ductum) generali huic principio innitatur oportet, nunquam a superiore delegari potestatem aliquam, nisi omnino certa sit causa necessitatis, cui per exercitium delegatae potestatis sibi subveniri subditi postulent.

At vero eiusmodi principium facile fallax apparebit, illudque falsitatis arguit vel quotidiana praxis. Quis enim nesciat, ad Superiores recursum patere ac porro haberi consuevisse, tum quando huius recursus necessitatem certa iura imponunt, tum etiam quando iura ita incerta videntur, ut illam quoque necessitatem minus certam relinquant? Et cum delegatus a Superiore ad prospiciendum subditorum necessitatibus pollere potestate debeat in utraque hypothesi, quid mirum, si Superior facultates illi dele-

Exinde si qui coram magistratu civili contraxerunt, ut inde facilius cum illis dispensetur, illud exprimendum est, cum mala fides

get *absolvendi, dispensandi, convalidandi, condonandi, remittendi, relaxandi, componendi, derogandi, revalidandi* etc., etiam quando iura non ita sunt certa, ut omnimode necessariam reddant *absolutionem, dispensationem, convalidationem, condonationem, remissionem, relaxationem, compositionem, derogationem, revalidationem* etc., quam tamen subditi postulent?

Utque rem exemplo aliquo illustremus, alii e Doctoribus contendunt, ob incestum excommunicationem incurri latae sententiae, alii excommunicationem ferendae tantum sententiae, alii ne ferendae quidem sententiae excommunicationem huic crimini esse statutam. Attamen in forma *absolutionis ab incestu cum dispensatione* (*apud M. Paulum Leonem Prax. Offic. S. Poenit. Part. 2. pag. 329.*) fit facultas *absolvendi a censuris propter incestum.* Concludemus ne idcirco, Pontificem, a quo est ista absolvendi facultas, iam declarasse aut definivisse, ob incestum censuras incurri?

Sunt, qui censent probabile aut etiam probabilissimum (*Vid. sup. Not. ad n. 65. Q. 5.*), licite sequentis diei matutinum hora post meridiem secunda recitari ac porro sic praecepto satisfieri; alii id infitiantur. Fac modo, quispiam petierit, et obtinuerit facultatem matutinum hora secunda recitandi, quae sane ab inferiore nonnisi vi facultatis a Pontifice delegatae conceditur; concludes ne ideo, Pontificem sic definivisse aut declarasse, invalide, si desit haec facultas, matutinum recitari? Atqui alias (*sup. pag. 47. in Not.*) retulimus haec Suaresii verba: *Hoc argumentum infirmum est, quia multa in privilegiis conceduntur, non quia necessaria sunt, sed quia petuntur vel propter timorem seu scrupulum, vel ob dubitationem ex variis opinionibus ortam removendam.* Haec quoque (*Ibid.*) descripsimus ex Diana: *Dices: Pontifices concedunt privilegia, ut matutinum possit recitari duas horas post meridiem.* Ergo. *Respondeo: qui petunt hoc privilegium, signum est, quod tenent contrariam sententiam; et multa petuntur a Pontifice ad maiorem cautelam, et propter scrupulum; sed non ex his sequitur, citatam Doctorum sententiam non esse probabilem, nec sequi posse.*

26. Immo in hac ipsa materia, de qua quaestio, et in ipsis Constitutionibus tum Innocentii XII. (Const. *Romanus Pontifex*), tum Benedicti XIV. (Const. *Pastor bonus*) luculentissimum nobis se offert exemplum in rem nostram.

Et sane in Constitutione Innocentiana (§. 32.) haec habentur: *In matrimoniis contrahendis possit idem Maior Poenitentiarius, in foro conscientiae tantum,* SUPER IMPEDIMENTIS OCCULTIS, *quae matrimonium non dirimunt, dispensare, vel dispensari mandare.*

Item in Benedicti XIV. Const. *Pastor bonus* (§. 39.) sic legitur: *In matrimoniis contrahendis possit idem Maior Poenitentiarius, in foro conscientiae tantum,* SUPER IMPEDIMENTIS OCCULTIS, *quae matrimonium non dirimunt, dispensare vel dispensari mandare; itemque super omissione denunciationum, etiam ad effectum contrahendi secreto etc.*

At vero quaenam demum ista sunt occulta impedimenta matrimonii, non tamen dirimentia, ad quae relaxanda Maiori Poenitentiario hic facultas fit? S. Alphonsus, qui (*Lib. 6. n. 1144.*) in praemissa §. 39. mendose legebat *super impedimentis* OCCURRENTIBUS, subdidit: *Huiusmodi autem impedimenta tantum impedientia hodie, ut diximus supra, ad tria reducuntur, nempe votum, sponsalia, et Ecclesiae vetitum.* At lectio ista manifeste mendosa est, et legi debet, *Super impedimentis occultis.* Quaenam itaque sunt haec impedimenta *occulta non dirimentia?* Equidem non *votum;* nam de voti dispensatione utraque Constitutio inferius agit. Non

adfuerit, quae reddit dispensationem ad obtinendum difficiliorem. Si contraxerunt civiliter cum intentione non contrahendi coram

sponsalia; quia in praeiudicium tertii Sedes Apostolica non dispensat. Non *tempus;* nam nullo tempore prohibentur nuptiae, sed solum quibusdam temporibus interdicuntur nuptiarum solemnitates: insuper vero hoc non est impedimentum *occultum*, quemadmodum neque *Catechismus*, aut *Ecclesiae vetitum* sunt impedimenta *occulta*, de quibus exclusive sermo est in allatis Pontificiarum Constitutionum textibus. Superest ergo, ut in relatis textibus facultas Maiori Poenitentiario fiat dispensandi in illis mere impedientibus impedimentis, quae alias diximus (*sup. Not. ad n. 776.*) nomine *Crimen* comprehendi, et quorum primum est *incestus*, quod Paulus Marcus Leo *in Praxi S. Poenitentiariae* (*Part. 2. Pag. 205.*) his verbis notatu dignissimis designat: *Incestus cum consanguineo vel consanguinea coniugis vel sponsae ex C. 1., et C. Transmissae 4. De eo qui cognovit consanguineam uxoris suae.*

Et reipsa idem Paulus Marcus Leo (*l. c. Pag. 329.*) formulam dispensationis ab hoc impedimento sic refert: Titulus: *Absolutio ab incestu cum dispensatione pro eo, qui cognovit matrem et filiam, et intendit matrimonium contrahere* CUM EXTRANEA, NULLO SIBI IURE PROHIBITA;; *Litterae absolutionis et dispensationis fiunt ut infra. – Fr. Antonius Barberinus etc. Quatenus, si ita est, dictum latorem, audita prius eius sacramentali Confessione, a quibusvis sententiis, censuris, et poenis ecclesiasticis, quas propter praemissa quomodolibet incurrit, incestu et excessibus huiusmodi absolvas hac vice, etc. iniuncta inde ei pro modo culpae poenitentia salutari, et aliis etc. iniungendis etc. cum eodem latore, ut dicto incestu non obstante,* CUM ALIQUA ALIA MULIERE NULLO ALIAS SIBI IURE PROHIBITA, *matrimonium, servata forma Tridentini, contrahere possit, misericorditer dispenses in foro conscientiae* etc. Rationem autem, cur eiusmodi dispensatio sit necessaria, sic subdit Leo ipse in Nota: *Incestuosus impeditur contrahere matrimonium cum qualibet persona..., et ideo eget dispensatione.*

Hisce praemissis, modo iam quaeratur: Ex eo quod praeter Innocentium XII. etiam Benedictus XIV. in Constitutione *Pastor bonus* facultatem confert Maiori Poenitentiario dispensandi circa occultum praedictum *impedimentum Incestus,* efficax ne exsurgit argumentum, quo *indubie* concludatur, personam incestuosam a contrahendo matrimonio *cum quavis alia persona, nullo alias sibi iure prohibita,* ita interdici, ut necessaria ipsi ad hoc sit ab eiusmodi impedimento Apostolicae Sedis dispensatio? At enim nonne alias (*sup. Not. 776.*) ex communissima DD. sententia ostensum est, impedimenta non dirimentia tum *incestus,* tum aliorum criminum, per desuetudinem esse sublata, et exolevisse? Nonne iam inde a sua aetate ipse S. Alphonsus (*sup. n. 4.*) proclamabat: *Impedimenta incestus, etc.* HODIE NON VIGENT, NEC INDIGENT DISPENSATIONE? Et si dispensatione haec impedimenta non indigent, quorsum in Benedicti XIV. Constitutione, quasi haec dispensatio sit necessaria, Maiori Poenitentiario facultas tribuitur dispensandi? Et si facultas a Pontifice tribuitur ab iis impedimentis dispensandi, quomodo eodem, ac S. Alphonsus, argumento non concludimus, ea impedimenta indigere dispensatione? Quid, quaeso, haec ratiocinatio a praemissa S. Alphonsi ratiocinatione differt?

Concludatur itaque omnino fallax esse principium, cui S. Alphonsi argumentum innititur, nunquam a Superiore delegari potestatem aliquam, nisi certa sit causa necessitatis, in qua per exercitium talis potestatis subvenire sibi subditi postulent.

27. Verum huiusce principii atque argumenti fallaciam non aliunde melius nosse licet, quam ex iis, quae ipsemet Benedictus XIV. in cente-

Ecclesia, illud etiam exprimi debet, quia matrimonium clandestinum attentarunt. Si autem bona fide, et cum intentione dispensationem

sima octogesima tertia inter Quaestiones suas canonicas disputat. Quae quidem opportunissima accidunt, non modo quia ad cognoscendum vim ac sensum Constitutionum tum Innocentii XII., tum ipsius Benedicti XIV., hunc ipsum quodammodo interpretem adhibere datur, sed etiam quia propter causae et argumentorum similitudinem maxime in rem nostram ea faciunt.

De iis scilicet causa agebatur, qui tertio et quarto mixto consanguinitatis gradu coniuncti, dispensationem obtinuerant super quarto, tertio reticito. Dissidiis autem post matrimonium sic contractum et consummatum inter coniuges exortis, agi coeptum est de dispensationis invaliditate, atque adeo de matrimonii nullitate (prouti reipsa graves DD. sentiebant), et controversia ad S. Congregationem Conc. delata fuit. Quod autem maxime ad rem praesentem attinet, attente inspiciendum est, quomodo et quibusnam argumentis matrimonii nullitatem defendendam susceperunt S. Datariae Officiales. *Egregii Datariae Officiales* (prout dicitur in Quaestionis expositione) *pervolutis Regestis a tempore S. Pii V. usque ad praesens, discursum una cum Summario iustificativo exararunt, et simul et semel comprobare conati sunt, nulla semper et invalida habita fuisse matrimonia* etc.

Ex eorum autem argumentis sic ultimum refert in discursu, quem subiicit, Benedictus XIV. tunc S. Congregationis Conc. Secretarius (*n. 8.*): *Ultimum argumentum est, quod quidquid agit Dataria Apostolica, dicitur gestum ab ipso Papa. Cumque ab Egregiis Datariae Officialibus in Discursu impresso afferantur viginti quatuor exempla, ex quibus ostenditur nullitas matrimonii..., quando propinquior gradus reticitus fuit..., nil clarius afferri posse videtur ad rem, de qua agitur. Quomodo etenim in litteris* perinde valere *in terminis matrimonii... potuisset S. Pius V., potuissent et alii Pontifices mandare, quod Ordinarii publice indicerent nullitatem prioris matrimonii, et quod coniuges de novo contraherent, si praecedens matrimonium pro valido habitum fuisset? Et rursus quomodo in aliis litteris* perinde valere *in terminis matrimonii contracti, et consummati.... potuissent iidem Romani Pontifices declarare,.... quod servata forma Concilii matrimonium de novo contraheretur, quod contrahentes absolverentur ab incestu, et ab excommunicatione lata in* Clementina unica de Consanguinitate, *quod proles declararetur illegitima, et quod propter incestum commissum, alter ex coniugibus alteri supervivens perpetuo absque spe coniugii remaneret, si matrimonium contractum de iure validum fuisset?*

Quis porro non videat, eiusmodi argumenta, quibus usos Officiales S. Datariae in hac causa cernimus, prorsus simillima illi argumento esse, quod deinceps S. Alphonsus ex facultate Poenitentiario facta revalidandi matrimonia deduxit eorundem nullitatem? Quippe et Officialibus S. Datariae, ut matrimonia, quae in casu putarentur irrita, aut saltem dubia, SANARE ET REVALIDARE possent, et insuper iteratam coniugii celebrationem, et caetera de stylo Curiae iniungenda imponere, necesse profecto fuit, ut ad hoc ipsis facultas a Pontifice facta fuisset: non secus ac in casu nostro facultas Maiori Poenitentiario fit *revalidandi* matrimonia, de quibus sermo est.

28. Quid porro ad haec Benedictus XIV? Nimirum rotunde negavit, ex his argumentum pro matrimonii nullitate desumi posse. Nam (*l. c. n. 21.*) *praevia protestatione debiti obsequii erga stylum Datariae,* sic praemisso argumento Benedictus respondet (*n. 26.*): *Denique quod nihil adducatur directe percutiens controversiam, de qua nunc agitur, clarissime dignoscitur. In omnibus quippe exemplis, in quibus Summi Pontifices*

ab Ecclesia expostulandi civiliter contraxerunt, haec circumstantia non videtur absolute exprimenda, quamquam satius sit illam non omittere. — *Bouvier.*

ABSOLVERUNT A POENIS INCESTUS, PROLEM LEGITIMAM DECLARARUNT, ET PRAESCRIPSERUNT CONSENSUS RENOVATIONEM *servata forma Concilii, Oratores supplicabant pro dispensatione, et sic se promptos ostendebant ad permanendum in matrimonio, ita ut mirum non sit, si supplicantibus iisdem pro absolutione a Censuris, pro legitimatione prolis, Summi Pontifices petitis* **AD ABUNDANTIAM INDULGENDO**, *et absolverint a censuris, et prolem legitimam declaraverint,* **ET RENOVATIONEM CONSENSUS PRAESCRIPSERINT.**

Concedit itaque Benedictus XIV., Datariae Curiam in iis omnibus ita se gessisse, quasi matrimonia extitissent irrita. Sed plane consequentiam negat; negat nimirum, contra Datariae Officiales, ex illis Actis consequens esse, ut matrimonium irritum extiterit. *At ab his* (inquit) *argumentum deduci non potest ad declarationem nullitatis matrimonii.* Curnam vero? Quia nimirum (uti praemiserat) Summi Pontifices, atque adeo Officiales tum S. Datariae tum S. Poenitentiariae, pro facultatibus sibi factis, et ab incestu dispensant, et a poenis ac censuris absolvunt, et taxa imposita consensus renovationem praescribunt, quasi irritum foret matrimonium; sed ista omnia etiam hypothetice locum habent, quando pro hisce obtinendis Oratores suppliciter rogant, et petentibus **AD ABUNDANTIAM INDULGENDO**, ut Benedictus XIV. ait, praestantur, quippe quae omnia intactam relinquunt quaestionem theoreticam, an ista prorsus necessaria sint.

29. Quod autem itidem in rem nostram facit, intentum suum Benedictus XIV. sic confirmat aliis exemplis (*Ibid. n. 27.*): *Exemplum esse potest in dispensationibus, quae petentibus indulgentur ad cautelam, vel super irregularitatibus, vel super censuris. Quemadmodum enim ab hisce dispensationibus non valet argumentum ad incursum in irregularitatem vel in censuram etiam in casu consimili et vallato omnibus circumstantiis, quae adfuerunt in casibus, in quibus dictae dispensationes concessae sunt, quando formiter est disputandum, an fuerit incursa irregularitas vel censura; sic a* **VERBIS SUMMORUM PONTIFICUM NULLITATEM MATRIMONII SUPPONENTIBUS IN HYPOTHESI,** *in qua Oratores supplicant et prompti sunt ad permanendum in matrimonio,* **NON VALET ILLATIO AD POSITIVAM MATRIMONII NULLITATEM.**

Huc usque Benedictus XIV., cuius responsio, uti patet, omnem vim elidit argumenti, quo S. Alphonsus ex iisdem praemissis, etiam in Constitutione eiusdem Benedicti XIV. propositis, inferre contra voluit matrimoniorum nullitatem. Neque ullus hic locus est forte obiiciendi, haec scripsisse Benedictum XIV., antequam ad apicem Pontificatus eveheretur. Non enim pensanda hic est scribentis auctoritas (quamquam et si haec pensaretur, nae suum ea pondus, illudque haud leve haberet, et cum iis potissimum habere debet, qui in praesenti controversia octogesimam septimam eiusdem Benedicti XIV. Institutionem nobis obiiciunt), sed exitus inspiciendus est causae, quam S. Congregatio definivit. Quippe ad Quaesitum: *An constet de nullitate matrimonii:* S. Congregatio respondit: *Negative.* Cum itaque S. Congregatio sententiam demum tulerit pro matrimonii validitate, eo ipso auctoritate sua ostendit, responsionem Benedicti XIV. invicti esse roboris, et ex adverso nullius extitisse roboris sup. allatum argumentum (cuius simile est a S. Alphonso productum) quo S. Datariae Officiales, ex stylo Curiae arguentes, contendebant, ea matrimonia invalida habenda esse.

30. Et haec quidem Benedicti XIV. Responsio, ex S. Congregationis suffragio plane invicta, non solum infringit robur omne illius argumenti, quo usus est S. Alphonsus, sed etiam pari modo vim omnem adimit rationi, qua idem Benedictus XIV. in sua Institutione 87. voluit evincere

871. — QUAER. 7ª *An qui obtenta dispensatione ab impedimento* AFFINITATIS *ex copula illicita, v. gr. cum consanguinea sponsae, iterum cum eadem ante matrimonium peccat, nova indigeat dispensatione?*

(ut sup. vidimus) invalidam esse dispensationem ab impedimento consanguinitatis, si in petitione reticitus fuerit praecedens incestus. Nam argumentum (*sup. n. 2.*) ipse petebat ex Apostolicis Dispensationis Litteris. At vero numquid in hisce Apostolicis Litteris quidpiam excogitare possumus aptum ad exprimendam aut dispensationis, aut matrimonii contracti invaliditatem, quod non appareat in argumentis superius (*n. 27.*) allegatis in eundem finem a S. Datariae Officialibus? Porro ipse Benedictus XIV., ut modo nostris perspeximus oculis, ea omnia argumenta ad inferendam dispensationis aut matrimonii nullitatem prorsus inefficacia iudicavit et proclamavit, et eiusdem iudicium S. Congregatio plane ratum habuit. Ergo ex illa Benedicti 87ª Institutione nullum validum praesidium pro S. Alphonsi conclusione, ipso Benedicto XIV. et S. Congregatione iudicibus, hauriri potest.

31. Proderit autem hic subiicere etiam responsum, quod in eadem Quaest. Canon. 183. Benedictus XIV. fecit obiicientibus stylum Curiae. *Caetera alia* (inquit *n. 20.*), *quae in contrarium ponderabantur, stylum respiciunt Datariae; et a dicto stylo nonnulli praedicti Auctores inducti fuerunt ad sustinendam nullitatem matrimonii... Porro de hoc stylo loquendo, mirum est, quae et qualia dicta sint ab aliis Auctoribus, qui sentiunt pro validitate matrimonii... P. Sisius Poenitentiarius Apostolicus in S. Basilica Lateranensi in suis Adnotationibus MSS. ad Const. Innocentii XII. super facultatibus Maioris Poenitentiarii inquit: Ad stylum autem Curiae respondetur, ipsum quidem facere ius, sed non quando est contra ipsum ius. Stylus autem in subiecta materia, quod matrimonium sit nullum* (quem stylum in Dataria servatum vidimus), *nisi in dispensatione exprimatur gradus proximior, non facit ius, nec potest observari, eo quod adversaretur eidem Motui proprio S. Pii V.* Ita P. Sisius; cuius tamen responso Benedictus XIV. praeferi hoc alterum (*n. 21.*), quod nempe *nihil in contrarium adducitur, quod directe percutiat controversiam:* quod superius (*a n. 28.*) iam retulimus, et reipsa in idem recidit: quippe negat, stylum Curiae iuri inniti.

Veruntamen nonne relatum P. Sisii responsum reddi et iis posset, qui post Sanchezium ad defendendam necessitatem exprimendi copulam incestuosam, maxime urgebant *stylum Curiae*, habendi nempe ut *subreptivam* dispensationem, si praecedens incestus reticitus fuisset? Curnam responderi etiam hisce Auctoribus non posset, *stylum Curiae quidem facere ius, sed non quando est contra ipsum ius?* Quod si quaeras, quodnam istud sit ius; facilis enimvero responsio est. Amandetur enim, plane pro merito, nova illa ratiuncula, quam ad probandam necessitatem exprimendi *incestum* Sanchez, uti vidimus (*n. 6.*), excogitavit; revocetur autem verissima huius praxis ratio, cuiusmodi genuinam ac certam nobis exhibent tum DD. testimonium (*Not. ad n. 776.*), tum S. Congregationis Conc. Declaratio (*Ibid.*), tum stylus ipse S. Poenitentiariae, qui in allatis formulis Dispensationum clarissime prostat (*sup. n. 5. et 26.*): et manifesto ex his patebit, necessitatem exprimendi incestum inde oriri, et in eo fundari, quod *incestus* ex veteri iure praeberet matrimonii impedimentum non dirimens, propter quod incestuosus a contrahendo matrimonio cum quavis muliere, nullo alias sibi iure prohibita, interdicebatur. Exinde vero *subreptitia* habebatur dispensatio, si quando incestuosus alterius impedimenti dispensationem postulasset, et incestum tacuisset, quia ex *Curiae stylo* subreptionis vitium est, quoties duplici laborans impedimento, altero reticito alterum dumtaxat exponit. Haec prorsus certa sunt.

Resp. 1° *Neg.* si dispensatio nondum fuerit *executioni* mandata a delegato; quia tales dispensationes non sortiuntur effectum a die *expeditionis,* sed a tempore *executionis.* — *Ita omnes.*

Porro res est unanimi DD. testimonio confirmata, ob contrariam consuetudinem non dirimentia impedimenta *criminis,* atque adeo etiam impedimentum *incestus,* fuisse sublata; idque, ut vidimus, iteratis vicibus affirmat etiam S. Doctor Alphonsus. Et siquidem ad admittendam *consuetudinis* existentiam ceu veram, iudice S. Alphonso (*Lib. 5. n. 1025.*), sufficit, ut de ea testentur pauciores aliqui Auctores recentiores, quippe qui aptius, quam antiquiores, testari de re possunt, quae in quopiam facto residet; a fortiori id admittendum est, quando ad illud ipsum testandum et confirmandum unanimiter Doctores conveniunt; convenire autem in id unanimiter Doctores, in Nota ad n. 776. evidenter ostensum est. Quis porro nesciat, ex Theologorum omnium et Canonistarum sententia consuetudinem, quae diuturna annorum immo et saeculorum serie viguerit, etiam contra leges Ecclesiasticas praescribere? Et siquidem habetur eiusmodi consuetudinis praescriptio, nonne ipsa consuetudo iam *ius facit?* Nil mirum idcirco, quod S. Alphonsus diserte affirmaverit, tum *incestum* tum reliqua *criminis impedimenta non dirimentia* ita non vigere amplius, ut non indigeant dispensatione. En itaque ratio satis obvia, cur responsum *P. Sisii* a Benedicto XIV. pro re sua allatum, etiam in rem praesentem facere possit, et quidem *a fortiori.* Nam uti patet ex causae expositione, de qua Benedictus XIV. in Quaest. Canon. 183., erant aliqui Doctores, erant etiam rationes, quibus inniteretur *Datariae stylus,* qui ceu invalida habebat matrimonia, si in postulanda dispensatione de mixto gradu, proximior gradus reticitus fuisset; at qui modo defendant, incestum habere rationem impedimenti ad matrimonium contrahendum, allegari iam nemo potest, adeo comperta res est, quam et S. Alphonsus testatur.

32. Circa quam conclusionem illud unum forte movere quempiam poterit, undenam fiat, ut Sedes Apostolica Maiori Poenitentiario specialem quamdam facultatem contulerit dispensandi atque etiam matrimonia revalidandi, ubi incerta ac forte nulla adest dispensationis, aut revalidationis necessitas.

Cui difficultati hoc in primis responsum debetur, tum hanc tum quaslibet alias difficultates efficere non posse, ut neganda sint facta, quando de factis certo constat. Porro nonne superius vidimus (*n. 26. 27.*), Maiori Poenitentiario in Constitutione quoque *Pastor bonus* factam facultatem et absolvendi a censuris plane obsoletis, et dispensandi in impedimentis, quae etiam iuxta S. Doctorem Alphonsum *dispensatione non indigent?* Sed sua alioquin, eaque gravissima adest ratio, cur Sedes Apostolica eiusmodi quoque facultatibus S. Poenitentiariae Officium communitum velit. Praeter enim generalem rationem, quam superius (*n. 26.*) indicatam videre est, necessitatem videlicet prospiciendi conscientiarum tranquillitati in causis forte dubiis, alia ratio eaque duplex adest, quae hanc in Maiori Poenitentiario facultatem quoad rem praesentem exigebat.

33. Prima est summa anxietatis gravitas, qua non modo fidelium, sed et Confessariorum animi in dubiis de matrimoniorum valore torquentur. Neque enim agitur de mera actus honestate, quando tranquillitas conscientiis facile reddi ex illo principio potest, quod honestus censeri actus debet, quoties nulla ipsi lex certa obstat; sed agitur de valore actus, contractus scilicet matrimonialis, qui nullo modo a dictamine conscientiae pendet. Quamvis autem etiam cum de matrimonii agitur valore, si quidem dubiorum causa versetur circa impedimenta iuris mere ecclesiastici, occurri anxietatibus queat per doctrinam satis in scholis receptam (*Vid. sup. n. 789.*), quae a quaerenda dispensatione eximit, si illud, quod matrimonii valori

Resp. 2° Imo *neg.*, etiamsi dispensatio *executioni* mandata fuerit. Ratio est, quia impedimentum affinitatis iam sublatum est per dispensationem quoad effectum contrahendi matrimonium. — *Ita communiter* contra aliquos.

obstare videtur, quidpiam dubium sit, aut mere probabile; nemo tamen ignorat non deesse, quorum animi vix pace aliqua frui possint, nisi ope dispensationis quemlibet scrupulum abiiciant. Quo spectant illa Cardinalis Petra (*Comment. ad Const. 8. Gregorii XI. n. 13.*): *Posthabitis Moralium DD. opinionibus..., cum nostris Canonistis tutius dicendum est, quod in eiusmodi dubio titubans, tenetur se et conscientiam suam informare iuxta dispositionem iuris, antequam actum prohibitum attentet; deinde vel scrupulum omnino deponere iuxta viri prudentis iudicium, vel si laesam conscientiam sedare non valeat, ad S. Sedem Apostolicam confugere pro dispensatione saltem ad cautelam, quam facile obtinebit, ut consulit Fagnanus.*

34. Altera ratio residet in singulari huius causae seu quaestionis conditione. Videlicet, prouti late superius prosequuti sumus (*Vid. etiam not. ad n. 776.*), genuina origo ac legitima ratio, quae necessitatem invexit exprimendi incestum, si quis huius criminis reus contrahere nuptias vellet, inde profecta est, quod incestus, non secus ac alia quaedam gravia crimina, per sacros canones hac plecteretur poena, ut reus in perpetuum a quibusvis et cum quavis persona nuptiis arceretur, nisi dispensationis beneficium a Sede Apostolica vel ab Episcopo impetrasset.

Et missum quidem nunc fiat, qui factum sit, ut dum graviores quique Theologi ac Sacrorum Canonum Interpretes, ut etiam alias innuimus (*in Not. mox cit.*), evidenter ostendunt, hanc poenam per Constitutiones Pontificias incestui dumtaxat commisso cum affini in primo aut secundo gradu fuisse inflictam, aut commisso quidem cum persona consanguinea sed solum quando incestuosi pervicaciter et cum contemptu auctoritatis ecclesiasticae in eo crimine sub figura aut sine figura matrimonii perseverabant; quidam tamen contra notissima iuris principia, quae praecipiunt, *odia esse restringenda*, ac *poenas non ultra casus in iure clare expressos extendendas esse*, non modo ad proprie dictum incestum quemlibet idest cum persona affini aut consanguinea, et in quarto quoque gradu, sed ulterius ad minus proprium incestum, cum personis nempe spirituali tantum aut legali cognatione coniunctis transtulerint.

Quidquid de hoc sit, praedicta iura, nuptias incestuosis interdicentia, efficiebant, ut hi dispensatione ad contrahendum cum quavis persona indigerent, duplici vero indigerent dispensatione, si contrahere cum consanguinea aut affini voluissent. Et hinc, ut alias vidimus (*Not. cit.*), verissima ratio, cur *subreptitia* haberetur dispensatio tacito incestu, quia scilicet duobus concurrentibus impedimentis alterum in petitione tacebatur.

Cum vero impedimenti, quo per illa iura incestuosus adstringebatur, vim paulatim contraria consuetudo iam elideret, ecce tibi Doctores circa necessitatem incestus exprimendi iam dissentientes, et simul ecce tibi hanc controversiam aliis tenebris obductam per eos, qui eiusdem fundamentis superius expositis elementa prorsus aliena importune iuxta atque imperite miscuerunt.

Interim vero quid in re, quae in praxim quotidianam venit, Apostolica Sedes ageret in tanto Doctorum dissensu, inque tanta disceptationi superaddita praesertim post Sanchesium confusione?

35. Dixi *post Sanchesium;* quia reipsa Sanchesio debetur, quod haec controversia a nativa eiusdem conditione ac fundamentis omnino suis deturbata et amota fuerit. Nam genuinum controversiae statum recte enimvero et clare ipse exposuit, quando (*Lib. 8. Disp. 25. n. 6. 7.*) duplicem

Si autem, contracto matrimonio, rursus peccaverit cum eadem consanguinea uxoris, privatur iure petendi debitum, quia dispensatio iuxta stylum Curiae concessa fuit *ad effectum contrahendi matrimonium*, non vero ad liberius peccandum.

sententiam retulit, quarum altera negabat, altera affirmabat necessitatem exprimendi incestum, sed ita ut controversiae solutio ab una eademque praevia quaestione penderet, nempe vigeret, nec ne, adhuc ius illud et impedimentum, quo incestuosus citra dispensationem a nuptiis arcebatur. At enim ecce deinde Sanchez, quaestionis statum funditus perturbans, importunissime tertiam, quam probabiliorem dixit, opinionem promere instituit (*Ibid. n. 8.*). Et quidem dum ille diserte confitetur, praedictum incestus impedimentum non amplius vigere, tu iam concluderes, eum causam adiudicare auctoribus primae sententiae, quae idcirco necessitatem exprimendi eam circumstantiam negat. Veruntamen ecce potiores partes, saltem ceu probabilius, secundae sententiae adsertoribus ille attribuit, et rationi, quam isti petebant ex praedictis poenis per vetus ius incestuoso impositis, inanem ratiunculam (*sup. n. 6.*) substituit addens *Curiae stylum*, quasi vero *stylus hic Curiae* non inniteretur veteri illi iuri, quod ipse vi consuetudinis iam exoletum proclamat. Et quidem ex hoc ansam deinde scriptoribus porrectam cernimus, ut inanes alias ratiunculas (*Vid. Not. ad n. 776.*) expiscarentur, quibus nempe praedicti styli aliquod fundamentum afferrent. Interim autem, prout iam diximus, quamnam in hac rerum confusione oeconomiam Sedes Apostolica servaret?

36. Nam etiamsi verus tantummodo controversiae cardo, verumque ac totum eius fundamentum prae oculis habeatur, vigeatne *impedimentum incestus*, unde sola et vera ratio est crimen hoc in petitione exprimendi, et universim vigeant, nec ne, adhuc *impedientia* illa impedimenta certis quibusdam criminibus imposita; utique respondebunt Pichler (*Lib. 4. Tit. 1. n. 92.*), contendere passim Doctores, *omnia impedimenta criminis, seu ex delicto orta per universalem consuetudinem sublata esse;* Reiffenstuel (*Th. mor. Tr. 14. Dist. 14. Q. 2. n. 11.*), *per contrariam et longaevam consuetudinem videri sublata nec amplius esse in usu;* Pirhing (*Lib. 4. Tit. 16. n. 12.*), *omnino hodie sublata esse per diuturnam consuetudinem;* Io. Dominicus Mansi (*Th. mor. Lib. 5. Tr. 10. Part. 4. Cap. 15.*), *DD. testari, haec impedimenta criminum per diuturnam consuetudinem omnino sublata esse;* Babenstuber (*Tr. 8. Part. 7. Disp. 3. art. 1. n. 5.*), *haec omnia impedimenta criminis per non usum abrogata esse, velut docent communissime Authores, et comprobat praxis Ecclesiarum;* Card. Gotti (*De matrim. Q. 8. Dub. 2. §. 2. n. 11.*), *plura ex praefatis impedimentis non vigere amplius, sed per contrariam consuetudinem abrogata esse;* et ne alios frustra addamus, ipse S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 985.*) hanc sententiam vocat absolute *communem*. Nihilominus Fortunatus Veneri elapso saeculo (*De Matrim. Q. 7. art. 1.*) de hisce impedimentis disserit, quasi aliquo saltem modo tunc vigerent. Clericatus vero (*De Matr. Dec. 38. n. 33.*) tres refert sententias, quarum *prima* tenet, non esse amplius in suo robore, et ideo tamquam ab usu et consuetudine abrogata, scientibus et consentientibus Ecclesiarum Praelatis, non amplius impedire: *secunda* tenet, ea etiam nunc esse in suo robore; *tertia* autem, quae fuit Mastrii, ita utramque conciliat, ut prima sit vera, quando impedimenta sint occulta; posterior vero, si sint ad forum contentiosum delata. Quas opiniones memorat et laudatus Petrus Giovine (*op. cit. §. 376. n. 2.*), subdens, secundam placuisse Card. Ursinio Archiep. Beneventano, dein Bened. XIII., tertiam vero Lambertinio, dein Bened. XIV.

Item si seposito hoc controversiae cardine ac fundamento quaeramus Doctorum de ipsa controversia sententias, non modo, uti iam vidimus, alii

Indigeret vero nova dispensatione, si peccaret cum alia sponsae consanguinea ante matrimonium, etiam post expeditam dispensationem, quia nova affinitas contraheretur.

872. — Quaer. 8° *An nova requiratur dispensatio, si obtenta dis-*

exprimendam istam incestus circumstantiam affirmant, alii negant, sed insuper deprehenditur pro sententiarum diversitate diversam quoque viguisse praxim. Ita iam inde ab aetate sua Petrus Ledesma (*De Matr. Q. 56. art. 4. Concl. 3.*) distinguit, *ubi sit, vel non sit consuetudo petendi dispensationem* etiam ab incestu. — Io. Praepositus (*De Matr. Q. 7. Dub. 24. n. 227.*) memorat consuetudinem *ut ea dispensatio non sit necessaria.* — Et Pirhing (*l. c.*): *Sic impediti, nulla petita dispensatione, consciis et videntibus praelatis, passim ineunt matrimonium.* — Et Giribaldi (*De Matr. Cap. 18. Dub. 9. n. 59.*): *Non semper exprimi ex consilio virorum doctorum, etsi aliquando ex consilio aliorum exprimitur.* Et, aliis omissis, Vinc. De Iustis (*l. c. n. 343.*): *Haec namque copula, ut ponderant Diana et Trullench, de consilio virorum doctorum non semper exprimitur, quamvis aliquando de consilio aliorum, contrariae opinioni adhaerentium, exprimatur.*

37. Iuverit autem rursus hic scitari: Quid enimvero ageret Apostolica Sedes in tanta non sententiarum modo, sed etiam praxis incertitudine ac varietate? Nam Curia quidem, quae, ut inquit Maschat (*Tract. De Disp.* §. *3. n. 34.*): *Ab antiquis formulis suis non tam facile recedit,* suum stylum servat, quasi scilicet impedimentum ac poena incestus vigeret, licet, uti advertit ad id Giraldi (Sect. 714.), *impedimentum videtur desuetudine sublatum, nisi sicubi talis poena sit usu recepta,* uti subdit cum Thesauro. At Apostolica Sedes, quandoquidem nondum censuit declarandum, ex non usu ac vi contrariae consuetudinis impedimenta illa cessasse, prospicere tamen iis debuit ac voluit, qui vel ob consuetudinem alicubi forte adhuc vigentem, vel ob suasionem illis a sic sentientibus ingestam, remedium ab ipsa suae conscientiae requirunt. Sapientissime itaque tum Innocentius XII. tum Benedictus XIV. dum nihil de hac controversia tum quoad theoriam tum quoad praxim definiunt, facultatem tamen Maiori Poenitentiario faciunt, ut si qui putant, dispensatione se indigere vel ad contrahendum matrimonium, vel ad contractum convalidandum, postulata concedere possit. Et idcirco factum videtur, ut quemadmodum in Benedicti XIV. Constitution. §. 43. dicitur, *si ad ipsam recurrant,* quia scilicet recursus etiam ad Datariam patebat, sic in §. 41. dicatur, *si petant;* quia nempe contingere utique et potuit et potest, ut alii aliam sententiam sectantes, in iisdem adiunctis a petendo abstineant.

38. Illud demum quoad praxim praetermittendum hic non videtur, revocari nempe huc quoque posse doctrinam communiter traditam de impedimentis, quae rationem poenae habere videntur. Et si quidem iuxta eam doctrinam (*Vid. sup. Not. ad n. 788. Q. 2.*) probabile censeri potest, *impedimentum criminis etiam dirimens* ab ignorantibus non incurri, profecto potiori iure id teneri posse videtur de *impedimento criminis mere impediente.* Et cum hoc impedimentum resideat in poena crimini incestus inflicta, ut citra dispensationem a spe cuiuscumque coniugii in perpetuum excidere debeat; haec autem, etiam ob confusiones in hanc quaestionem inductas, iam plerisque etiam Theologiae studiosis fere ignota ob desuetudinem maneat; a fortiori fidelium plebi haec ignota debet existimari. Etiamsi itaque hoc impedimentum vigere dicendum foret (quae alioquin hypothesis ex praemissis nullum iam locum habet), vix tamen ullus hominum occurrere modo posset, qui ob eiusdem impedimenti ignorantiam non posset ac porro deberet haberi probabiliter ab ipso excusatus; qui propterea, cum ob hanc causam nulla ad contrahendum matrimonium dis-

pensatione ab impedimento CONSANGUINITATIS, *copula* INCESTUOSA *inter sponsos intercesserit?*

Resp. 1° *Affirm.*, si copula habita fuerit ante dispensationis executionem. Sic ex interpretatione communi (*a*), atque ex stylo Curiae Romanae huiusmodi incestus declarationem exigente; hoc enim manifestato, Pontifex maiorem supplicanti poenitentiam imponit. Confirmatur quoque ex Declaratione *S. Congr.* mense Maio 1634. — *S. Lig. n. 1141.* (*b*).

pensatione indigeret, valide ab alio forte impedimento dispensaretur, etiamsi in petenda dispensatione nullam incestus mentionem iniecisset.

39. Et de his quidem hucusque dictum fuerit eatenus, ut ne quempiam lateat, quid ad praeiactae quaestionis solutionem conferre possint Doctorum sententiae simplicissima quadam et historica ratione expositae ac perpensae. Quippe omnia denique eorum iudicio subiici volumus, quorum est cum de caeteris omnibus, tum etiam de hac controversia, quae mere disciplinaris videri merito potest, legitimam ac definitivam proferre sententiam. Eademque de causa addendum ulterius dicimus, suam hac etiam in re rationem habendam Responsionum S. Poenitentiariae, quae aliquando (prouti et mihi datum est nosse a Tabularii seu Archivi secreti S. Poenitentiariae custode) poscenti cuidam Episcopo respondit, controversam circumstantiam in petendis dispensationibus exprimere, *mere tutius esse;* aliquando autem in S. Alphonsi opinionem visa est declinasse. Quidquid enim tandem iudicaverit, novimus sane omnes, etiam privatas eiusdem et ad privatos Responsiones, sin minus, ut apud omnes Theologos et Canonistas in confesso est, decretoriae sententiae vim habeant, at ex omnium Doctorum consensu *magni,* ut ait S. Alphonsus (*Lib. 1. n. 106.*), *esse ponderis,* meritoque dignas obsequio.

Decem columnis, quas VV. (*Pag. 817–822.*) circa hanc *Notam* scripserunt, nihil attinet quidpiam respondere; quippe aliquid, quo rationes in *Nota* allatas utcumque infirmarent, non habuerunt. Hoc unum autem postulare ab ipsis liceat, ut antequam clamitent, huic theoreticae controversiae finem impositum iam fuisse, ea, quae S. Doctor Alphonsus habet (*Lib. 6. n. 556.*), et quae superius (*Not. ad n. 588. Pag. 542.*) retulimus, perpendere attente non negligant.

(*a*) De his confer, quae in praec. Nota dicta sunt: e quibus illud etiam concludes, perperam ista tribui *communi,* ut ait A., *interpretationi.* Nam praeter S. Alphonsum, et si quis alius ab ipso haec exscripsit, ubinam sunt tot isti Auctores, ut eorum *interpretatio* possit dici *communis?*

Quod autem de Curiae stylo dicitur, praeter ea quae adnotata iam habes in Not. praec. et ad n. 776., illud adverte, quod cum pluribus aliis scite monet Vinc. De Iustis (*De Disp. Matrim. Cap. 4. n. 344.*), huius styli, qui exigat *incestus* expressionem, *adhuc probandam esse existentiam;* qui stylus alioquin necessitatem aliis non induceret, *nisi sit scriptus, probatus, et speciali Decisione ac Declaratione Pontificis confirmatus,* ut Canonistae apud eundem De Iustis (*ibid. n. 345.*) docent.

(*b*) De hisce Declarationibus ita post alios Vinc. De Iustis (*De Disp. Matrim. Cap. 4. n. 355.*): *Dico primum, assertas Declarationes non probare, nec de iis curandum esse, cum non constet de illis authentice.* Et praestat sane ea addere, quae idem subiicit (*ib. n. 362.*), quippe et Garciam illum tangit, quem paulo post A. allegat. *Ex dictis infertur, quoad huiusmodi Declarationes nec posse nec debere praestari fidem doctoribus, qui illas in suis tractatibus citant, ut passim faciunt Garcias, Fr. Leo, Bellarminus, Barbosa, Possevinus, et alii; quia nisi authenticae exhibeantur, non probant, nec sunt attendendae, ita maxime disponente ea-*

Resp. 2° *Neg.* vero, si habita fuerit copula post dispensationis executionem. Ratio est, quia concessa dispensatione, atque adeo ablata prohibitione matrimonii, cessat etiam malitia incestus. — Constat etiam ex eadem *S. Congr.*

873. — Quaer. 9° *An nova requiratur pro consanguineis dispensatio, si post obtentam dispensationem copula ab eisdem iteretur?*

Resp. Neg., quia incestus moraliter idem est, nec numerus copularum declarari debet, ut modo dictum est. Unde nova copula non invalidat dispensationem, sive habeatur ante eius expeditionem, sive post, sicut fuit resolutum supra de casu simili *n. 871.*; datur enim rationis paritas.

874. — Quaer. 10° *Si quis petat secundam dispensationem in eadem materia post primam alias obtentam, an primam exprimere debeat?*

Resp. 1° *Affirm.*, si impedimentum contractum fuerit ex aliquo crimine. Ratio est, quia relapsus in idem crimen retrahit Superiorem a dispensando.

Resp. 2° *Neg.*, si impedimentum non sit ex aliquo crimine vel ex crimine diverso. — *Ita S. Lig. n. 1137., et alii communiter.*

dem S. Congreg. per sua peculiaria Decreta de mandato expresso et iussu tum Gregorii XV. 6. Iun. 1621., tum Urbani VIII. 2. Aug. 1633.: quo tempore cum multae Declarationes per tribunalia circumferrentur, et a S. Congregatione factae assererentur, ex quibus multae mendosae, mutilatae, et alteratae essent, mandavit S. Congregatio de expresso ordine dicti SS. D. Urbani, ac expresse praecepit, huiusmodi Declarationibus impressis et imprimendis seu manuscriptis nullam fidem in iudicio et extra a quoquam esse adhibendam. Quod S. Congregationis mandatum iussu Urbani VIII. editum (*ibid. n. 363.*) Vinc. De Iustis refert.

Eadem de re sic antea scripserat Hieronymus Nicolius (*Iur. utr. Theorica-Praxis etc. Part. 2. Lib. 5. Tit. 39. pag. 319.*): *Die 27. April. 1721. Illustrissimi sacrae Congregationis Conc. Patres decreverunt, Indici librorum prohibitorum esse addendas omnes et quascumque collectiones declarationum, decisionum seu interpretationum eiusdem Congr. Conc. Tridentini, tam impressas, quam imprimendas; tum quia ut plurimum falsae; tum quia diversae et valde inferiores a gravitate styli eiusdem S. Congr., ac proinde non ex dignitate huius S. Tribunalis. Id quod S. M. Gregorius XV. probavit.*

Neque vero heic a nobis quaerat quispiam, curnam igitur in Not. ad n. 776., nos quoque quamdam ex hisce Declarationibus in rem nostram adhibere nihil dubitaverimus. Respondebimus enim haud incompertum nobis fuisse, eam quoque desumptam esse ex catalogo Declarationum, quas nullo pretio, nullaque fide dignas ad 166. usque Rebellus ad calcem libri IV. Partis II. infelicissimo opere collegit. At duplici ex causa poterat haec ultro admitti. Primo quidem quia saltem ex aliqua sui parte praeferebat doctrinam unanimiter tunc in scholis receptam, et certis in iuribus fundatam. Deinde vero quia cum a Pyrrho quoque Conrado afferretur, aptissima accidebat ad ea submovenda, quae ipse inepte prorsus ac miserrime quoad hanc quaestionem fuerat molitus.

Declaratio autem, quam Auctor a S. Alphonso mutuatus est, desumpta est e Pittonio, Auctore scilicet, qui inter scriptores huiusmodi declarationes nullo delectu et iudicio corrogantes et consarcinantes singulariter eminet, et cuius proinde collectiones nulli usui esse possunt.

875. **Resolves.** — 1° Invalida esset dispensatio, si exprimeretur in petitione affinitas pro consanguinitate, et viceversa, etc..., etiamsi ex errore inculpabili id fieret. Superior enim concedit dispensationem iuxta exposita in supplicatione, quae cum de facto sint falsa, necessario nullam dispensationem efficiunt. Ex opposito valida esset dispensatio, si error inveniretur in Rescripto Pontificis, puta ex culpa amanuensis.

2° Invalida item esset dispensatio, si exprimeretur gradus tertius pro secundo, aut quartus pro tertio; ratio, quia multo difficilius conceditur dispensatio pro gradu propinquiore, quam pro remotiore. Secus autem foret dicendum, si ex errore poneretur gradus tertius pro quarto; quia dispensatio *in maiori* continet dispensationem *in minori* eiusdem speciei.—*Ita communiter* contra *paucos.*

3° Non est necessarium dicere in petitione, quoties copula habita sit cum consanguinea uxoris; quia ex variis copulis exsurgit unica affinitas; debet tamen exprimi copula habita cum pluribus uxoris consanguineis; quia ex iis tot diversae affinitates contrahuntur: et licet haec impedimenta non sint specie diversa, sunt tamen numero distincta. Manifestum est ex Declarat. *Bened. XIV.* — *S. Lig. n. 1138.*

4° Error in nomine vel cognomine oratorum, vel dioeceseos aut parochiae, probabilius validitati dispensationis non officit, modo constet de *corpore*, id est de impedimento et causa. — *Ita Sanchez, l. 8. d. 21. n. 37., et alii communiter.*

PUNCTUM III.

De modo dispensationem petendi.

876. — Ad concedendas dispensationes S. Sedis duo pro varia impedimentorum qualitate tribunalia, scilicet *Dataria* et *Poenitentiaria*, Romae constituta sunt.

I. *Dataria.* Ad Datariam recurrendum est pro omnibus impedimentis notoriis, aut quae in notitiam aliorum ventura praevidentur, aut quae sine infamia, scandalo, aliisque incommodis manifestari possunt.

II. *Poenitentiaria.* Ad S. Poenitentiariam recurrendum est pro dispensationibus et facultatibus, quae forum internum solum spectant, scilicet pro impedimentis occultis. In postulato autem, tacitis propriis sponsorum nominibus, ficta nomina apponuntur (*a*).

877. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quomodo petenda sit dispensatio, si adsint duo impedimenta, quorum unum publicum sit, alterum occultum?*

(*a*) In praesens tamen conceditur, ut adeatur Poenitentiaria etiam pro impedimentis notoriis, quando dispensatio *in forma pauperum* postulatur.

Resp. 1° Si sint omnino *disparata*, recurrendum est ad Datariam pro publico, et ad Poenitentiariam pro occulto; nec necessarium est, ut mentio fiat apud unum tribunal de dispensatione ab altero tribunali postulata vel obtenta. Censentur autem disparata impedimenta, quando unum non augetur ex altero, ut v. gr. *consanguinitas* et *votum*, aut *consanguinitas* et *machinatio*.

Resp. 2° Si vero non sint *disparata*, petenda est dispensatio impedimenti publici a *Dataria*, tacito altero quod secretum remanere debet, et utrumque est exprimendum in supplicatione ad Poenitentiariam; ratio, quia ex dictis dispensationem difficiliorem reddunt. Habenda vero sunt ut *non disparata*, quando sunt talis rationis, ut coniuncta afferant maiorem repugnantiam ad matrimonium contrahendum, puta, si quis velit ducere consanguineam, cuius sororem turpiter cognovit; tunc enim difficilior redditur dispensatio. Hinc in praefato casu orator petere debet a *Dataria* dispensationem ab impedimento consanguinitatis, et a *Poenitentiaria* dispensationem ab impedimento affinitatis ex causa illicita, simul exponendo aliam dispensationem a *Dataria* obtentam. — *Ita communiter*. — *S. Lig. n. 1139.*

878. — Quaer. 2° *An recurrendum sit ad Sacram* Poenitentiariam, *ut circumstantia copulae occulte habitae inter consanguineos manifestetur?*

Resp. 1° Certum est non dari obligationem exponendi copulam *occultam* in petitione ad Datariam pro impedimento consanguinitatis. Ratio est, quia nemo tenetur se diffamare, et aliunde haec revelatio *publica* incestus occulti non praecipitur.

Resp. 2° Haec autem circumstantia manifestanda est S. Poenitentiariae. Ratio est, quia generatim praescribitur, ut exponatur copula habita inter consanguineos, qui matrimonium inire volunt. Iam vero cum certum sit, non dari obligationem exponendi copulam occultam in petitione ad *Datariam*, quia nemo tenetur sese diffamare, nec dicatur in praecepto faciendam esse revelationem *publicam* incestus occulti, sequitur, copulam occultam saltem secreta manifestatione apud Poenitentiariam aperiendam esse, ne lex inutilis omnino evadat, et a certa lege absque ulla causa exemptio concedatur. Plures olim oppositum tenebant; sed hodie non est amplius de hoc dubitandum, ait *S. Lig. n. 1135.*, post Bullam *Bened. XIV. Pastor bonus* (a).

879. — Quaer. 3° *An valeat dispensatio petita in forma pauperum, si oratores non sint pauperes?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia obreptio cadit tantum in causam impulsivam, non autem in motivam seu finalem; paupertas enim

(a) Superius iam dictum est, *praeceptum* hoc seu *legem* exponendi in casu praesenti occultam incestus circumstantiam non evinci: nec ullam huic opinioni vim accedere ex Constitutione Benedicti XIV., quam A. rursus adducit.

non est ratio, ob quam conceditur dispensatio, sed ob quam conceditur *gratis*. Unde debet semper adesse alia causa motiva. — *Ita S. Lig. in Hom. apost. n. 87.*, ubi dicit hoc constare ex decisione *S. Congr.* 9. Septembris 1679. — Negant tamen *aliqui*, quia (aiunt) Papa dispensare non intendit nisi cum illis, qui vere sunt pauperes. — *Lacroix n. 859.* — *Gousset n. 866.*

In praxi autem licet peccent graviter illi qui obtinent dispensationem in forma pauperum, cum non sint pauperes; attamen, contracto matrimonio, videtur quod standum sit pro illius valore, saltem ob auctoritatem *S. Lig.* et *S. Congreg.*, nisi probetur hanc declarationem authenticam non esse.

Quaer. 4° *Quinam censendi sint pauperes?*

Resp. Ex Iure canonico debent esse aliquo modo *miserabiles*, cum de stylo Curiae sic confici debeat petitio: *Oratores pauperes et miserabiles existunt, atque ex labore, et industria sua vivunt.* In praxi exponendus est status fortunae, vel standum est regulis ab Episcopo datis.

Ex Declaratione a Rectoribus apostolicae Datariae anno 1841, data, illi reputandi sunt *pauperes*, quorum fortuna valorem 5,000 fr. non excedit; illi vero quorum fortuna 10,000 fr. valorem non excedit, *fere pauperes* dicuntur. — *Bouvier, Dispens. imped. sect. 3.* §. *3.*

880. — Quaer. 5° *Quomodo sit exequenda dispensatio?*

Resp. 1° Quoad dispensationem *S. Poenitentiariae,* fiat post absolutionem his verbis, aut similibus: *Auctoritate apostolica dispenso tecum super impedimentum N., quod incurristi, ut matrimonium inire* (vel initum consummare, vel in eo permanere) *valeas et legitimam reddo prolem susceptam* (vel suscipiendam). *In nomine Patris,* etc.

Si vero dispensatio sit a voto castitatis, dicitur: *Insuper tibi votum castitatis, quod emisisti, ut valeas matrimonium contrahere, et illo uti, in opera, quae tibi praescripsi, dispensando commuto. In nomine,* etc.

Nulla formula sub poena nullitatis, imo nec sub praecepto praescribitur; nulla enim in *Rit. Romano* habetur. Si Confessarius prolem legitimare omisisset, hanc omissionem reparare posset; tunc enim causam sibi commissam et nondum absolutam continuaret. — *Bouvier.*

Resp. 2° Quoad dispensationem *Datariae* 1° Delegatus ad dispensandum debet inquirere de veritate causarum, ut in Rescripto habetur; probabilius tamen haec informatio ad validitatem non requiritur. 2° Debet declarare coram partibus et testibus, tolli impedimentum matrimonii, et iubere ut attestatio huius dispensationis scribatur in registris dioecesis. 3° Debet transmittere Rescriptum Datariae ad Parochum alterutrius partis cum licentia ut matrimonio assistere possit.

Dispensatio a Dataria semper per Episcopum petenda est. Dis-

pensatio autem a Poenitentiaria immediate ab oratore, vel ab alio eius loco, peti potest. Securius tamen et facilius ista quoque mediante Episcopo et tacito nomine oratoris postulatur.

881. — Quaer. 6° *Quomodo ab Episcopis dispensatio obtinenda sit, quando ex Indulto dispensare possunt?*

Resp. Eaedem regulae, quae in Curia Romana habentur ut necessariae, necessario etiam in casu servandae sunt; quia mens est Summi Pontificis, ut Episcopi non alio modo concessione apostolica uti queant.

Episcopus virtute Indulti Apostolici dispensans, sub poena nullitatis exprimere debet, se dispensare tanquam S. Sedis delegatum ex Indulto delegationis concesso, tali die et anno, et tot mensibus aut annis valituro; quia Indulta illud vulgo praescribunt, et illud tunc praescribi sub poena nullitatis asserit *Benedictus XIV.* in Constitutione *Ad tuas manus,* 2. Aug. 1748.

882. — Quaer. 7° *Quaenam sint clausulae, quae in dispensationibus a S. Poenitentiaria apponi solent?*

Resp. Sunt sequentes, scilicet 1° *Si ita sit.* Fides autem poenitenti adhibenda est, nisi delegatus certe sciat oppositum ex notitia extra confessionem accepta. 2° *Audita prius Sacramentali confessione.* Iuxta igitur hanc clausulam necessaria est confessio. 3° *Sublata occasione peccandi.* Intelligitur, si occasio sit voluntaria, quae de facto est tollenda; si vero necessaria, auferatur saltem ex animo, reddendo illam ex proxima remotam per debita media. 4° *Dummodo impedimentum sit occultum.* 5° *Iniuncta ei gravi poenitentia.* Intelligitur iuxta conditionem ac vires poenitentis. 6° *Praesentibus laceratis, sub poena excommunicationis latae sententiae.* Haec laceratio statim facienda est, sed intellige moraliter, nempe saltem infra triduum post dispensationem executam. Si autem in litteris non sit apposita clausula lacerationis, prout non apponitur quando matrimonium nondum est contractum, tunc non est obligatio eas lacerandi, sed huiusmodi dispensatio debet a Parocho caute annotari in libro qui non possit a quopiam alio aspici, quo ipse scilicet, ubi opus fuerit, fidem facere de dispensatione impetrata possit. — *S. Lig. n. 1143.*

883. — Quaer. 8° *Quomodo taxa pecuniaria, quae oratoribus imponitur, conciliari possit cum Decreto Conc. Trid. iubente, ut dispensatio* GRATIS *concedatur?*

Resp. Si pecunia occasione dispensationum percepta in beneficium dispensantis vergeret, mandatum *Conc. Trid.* violaretur et dispensatio simoniaca foret: verum non ita se res habet: pecunia enim accipitur tantum uti eleemosyna in opera pia impendenda (*a*).

(*a*) Necesse non est, ut dispensandi causa concessionem eiusdem praecedat, sed sufficit, quod per ipsam dispensationem, huiusque modum causa ipsa consummetur. *Nam quando datur dispensatio sine causa, imponitur aliqua satisfactio vel mulcta in pium opus vel in aliam utilitatem Ec-*

884. — QUAER. 9° *Quomodo exequenda sit dispensatio Sacrae Poenitentiariae, si impedimentum sit utrique contrahenti notum et commune?*

Resp In hoc casu uterque a respectivo Confessario dispensandus est. Constat ex responsione *S. Poenitentiariae,* die 15. Novembr. 1748. — Idem autem Rescriptum duobus Confessariis inservire potest, et dilacerandum est ab eo, qui posterius cum suo poenitente illud exequitur. Si vero impedimentum uni tantum notum sit, unica executio requiritur. — *Collet, Traité des Dispenses.* — *Bouvier,* etc.

FORMULAE

AD POSTULANDAS DISPENSATIONES

I. A DATARIA

Beatissime Pater,

885. — *Ioannes* N. (ponitur nomen proprium) *et Anna* N., *e Parochia vulgo dicta* N., *Dioecesis* N., *consanguinei in* 2° *gradu aequali, matrimonium secum inire cupiunt, et ideo dispensationem sibi necessariam a Beatitudine Vestra suppliciter efflagitant. Rationes sunt* 1° AETAS PUELLAE, *quae iam viginti quinque annos nata, alium probabiliter non inveniret virum, cui convenienter nubere possit,* 2° VIRTUTES CHRISTIANAE *in utroque oratore existentes;* 3° ANGUSTIA LOCI. (Ponantur aliae causae, si adsint.)

In loco N., *die* .... etc.

P. Rector Parochiae.

Si sint *pauperes,* post expositas rationes dicitur: *Pauperes ac miserabiles existunt, atque ex labore et industria tantum vivunt.*

Supplicatio a parocho oratorum confecta ad Episcopum mitti debet. Episcopus vero, vel loco ipsius Vicarius generalis, eam testimonio, sigillo et chirographo episcopali munitam, mittit Romam ad mandatarium suum, qui dispensationem sollicitat, eamque ad Episcopum transmittit.

II. A POENITENTIARIA

Eminentissime et Reverendissime Domine,

886. *Titus conscius* (vel *ignarus*) *impedimenti, contraxit in facie Ecclesiae matrimonium cum muliere, cuius matrem,* vel *filiam,*

clesiae communem; per quod opus consurgit causa dispensationis, quae tunc fit per modum commutationis, sicut etiam in concessione Indulgentiarum fieri diximus. Ita Suarez (*De Leg. Lib 6. Cap. 18. n. 26.*).

vel *sororem prius carnaliter cognovit; quare cum absque scandalo separari non possint, et impedimentum sit occultum, humillime supplicat Eminentiae Vestrae, ut ei dispensationem benigne indulgeat, ut valide contrahere possit.*
Dignetur Eminentia Vestra responsum dirigere ad me infrascriptum.

Hic exprimendum est nomen et cognomen illius, ad quem rescribendum est; nomen item oppidi vel civitatis ad quam aut per quam rescribendum, et haec quidem vulgari lingua. — Supra supplicationem clausam et sigillatam ponitur: *Eminentissimo ac Reverendissimo DD. Cardinali Maiori Poenitentiario.*

887. — Altera formula, quando duplex est impedimentum, unum publicum, aliud occultum.

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Petrus et Anna consanguinei in secundo gradu, non spe facilioris dispensationis obtinendae (*a*), *sed vesana libidine victi, rem simul habuerunt. Ioannes vero Petri frater Annam ducere intendit, constituta illi dote, quam aliunde habere non posset iuxta status sui conditionem: ambo supplicant SS. DD., ut Dataria apostolica dignetur cum illis super dicto consanguinitatis impedimento dispensare. Eminentiae autem Vestrae humiliter supplicat oratrix Anna, quatenus ex speciali gratia cum ipsa dispensare dignetur, ut non obstante praedicto affinitatis ex illicita copula provenientis impedimento penitus occulto, matrimonium cum dicto Ioanne licite et valide contrahere possit.*

ALIA FORMULA PRO VOTO CASTITATIS PERPETUAE

Eminentissime et Reverendissime Domine,

888. — *Puella quaedam annos circiter quindecim nata scienter et libere votum emisit castitatis perpetuo servandae; nunc autem iudicio Confessarii, qui iamdudum ipsius confessiones excipit, in certum salutis discrimen veniret, nisi nubat; quapropter supplicat humiliter et enixe, votum sibi commutari ad effectum contrahendi matrimonium.*

Dignetur Eminentia Vestra, etc.

(*a*) Haec non sunt ad rem; circumstantia enim copulae antecedenter habitae, cum fine vel absque fine obtinendi facilius dispensationem, tunc solum in causa est, quando de matrimonio *inter ipsos incestuosos* contrahendo agitur. Caeterum si absque fine ac spe dispensationis obtinendae patratus fuerit incestus, et de nuptiis inter ipsos incestuosos ineundis agatur, iam diximus (*sup. in Not. ad n. 867. et 872.*), huius exponendae circumstantiae nullam urgere necessitatem, nisi forte haec unica causa dispensationis obtinendae suppetat.

ALIA FORMULA DE RE EADEM

889. — *Titius cum castitatis voto sit obstrictus, et cum in gravi versetur periculo incontinentiae, suppliciter orat Eminentiam Vestram, ut dignetur oratori a praefato voto dispensationem indulgere, quo matrimonium contrahere possit*, etc.

Pro prece haec insuper fac advertas: 1° Supplicationes ad Datariam, in quibus causae canonicae non exprimuntur, vel quae testimonio Episcopi, aliave conditione requisita carent, dilacerantur, et ab Officiariis *S. Congr.* non respondetur.

2° In Gallia occurrit nunc sat frequenter *causa*, quae in supplicatione addi potest, scilicet matrimonium civiliter contractum, vel periculum ne contrahatur; tunc vero dispensatio praecipue conceditur in gratiam sponsae, prolis natae vel nasciturae, et familiae, vel ad vitandum scandalum religioni et moribus perniciosum.

3° Forma dispensationum tum in Poenitentiaria tum in Dataria nunc recepta, est *commissaria*, id est, datur potestas dispensandi, non vero praecise dispensatur. Unde infertur causas illatas debere esse veras, tum tempore quo Rescriptum Roma expeditur, tum tempore quo executioni dispensatio mandatur; nam in rescripto dicitur: *si res ita sit*, aut quid aequivalens, vel saltem subintelligitur (*a*).

4° Dispensatio pro foro interno committi solet Doctori in Theologia, vel in Iure canonico, vel, si haberi nequit, Confessario ab Episcopo approbato, qui non potest exequi dispensationem, *nisi audita prius confessione;* sed quoniam raro nunc inveniri possunt in plerisque locis confessarii in Theologia Doctores, ordinarie simpliciter facultas dispensandi Confessario a poenitente eligendo committitur.

(*a*) Alii tamen cum Garcia (*De Benef. P. 6. Cap. 2. n. 283.*) et Pyrrho Conrado (*Prax. Dispens. Apost. Lib. 7. Cap. 2. n. 32.*) censent, satis esse quod causa existat, quo tempore Delegatus Dispensationem ipsam exequitur; quia Rescripti verba, *Si vera esse repereris*, etc. sunt futuri temporis: et alioquin Pontifex dicens in Rescripto, *Certam de praemissis notitiam non habentes*, etc., negotium committere videtur secundum ea adiuncta, quae Delegatus reperiet. Opponit Suarez (*De Leg. Lib. 6. Cap. 20. n. 14.*) cum aliis (apud De Iustis *De Dispens. Matrim. Lib. 1. Cap. 6. n. 299-301.*), petitionem esse *subreptitiam*, nec praesumendum esse, quod Pontifex velit fraudibus favere. At respondebunt alii fortassis, non esse *subreptitiam* dispensationem, quae demum ob causam vere existentem conceditur; et adversarii convenire ultro debent, *validam* fore, si in casu falsitas non per dolum, sed bona fide fuerit exposita. Quocirca dispensationis nullitatem non ex defectu causae demum repetent, sed ex crimine fraudis, quam Pontifex punire sic velit, etiamsi alioquin dispensatio causae vere existenti concedatur. At vero id minus cohaerenter ab iis dicetur, qui iuxta communem sententiam tenent, validam esse dispensationem ab eo obtentam, qui simul cum causa vera et sufficienti in supplici libello fraudulenter alias causas itidem *per se* sufficientes sed prorsus falsas superaddat. Hanc tamen quaestionem definire, sapientiorum esto.

CAPUT VII.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII

890. — Matrimonium invalidum esse potest 1° ob defectum consensus; 2° ob defectum formae praescriptae; 3° ob inhabilitatem partium.

ARTICULUS I.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII IRRITI OB DEFECTUM CONSENSUS

Certum est, 1° matrimonium irritum ob solum defectum consensus revalidari posse per simplicem consensus renovationem.

Certum est, 2° requiri renovationem consensus utriusque partis, si utraque vere non consensit, et saltem illius, qui non consensit, si unicus sit. De pluribus autem controvertitur: hinc

891. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An consensus ab utroque debeat renovari, si unus tantum ficte vel coacte consenserit?*

Resp. Neg. Ratio est, quia consensus alterius vere positus perseverat, quamdiu positive retractatus non fuerit. *Ita communiter Theologi*; et hanc sententiam veriorem, id est moraliter certam vocat *S. Lig. n. 1114.*

Nonnulli tamen affirmant, quorum alioqui sententia non videtur probabilis. At in praxi praestat tutius consilium eligere, et quoad fieri absque incommodo seu periculo potest, curandum, ut consensus ab utroque eliciatur.

Quaer. 2° *An consensus renovandus sit coram Parocho et testibus?*

Resp. Neg. Apparet ex praxi Ecclesiae et sententia communi, ob incommoda nimirum, quae ex illa obligatione sequerentur.

ARTICULUS II.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII IRRITI OB DEFECTUM FORMAE PRAESCRIPTAE

892. — I. Certum est, matrimonium invalidum ratione clandestinitatis ineundum esse coram Parocho et testibus, nisi obtineatur a Summo Pontifice dispensatio a lege *Conc. Trid.*, quae alioquin raro conceditur. Lex enim illa tamdiu obligat, quamdiu non fuit impleta, cum sit conditio *sine qua non,* requisita in omni casu ad matrimonii validitatem, nisi recursus ad Parochum sit impossibilis, ut supra, ubi de impedimento clandestinitatis dictum est.

II. Si ambo coniuges non renuant se sistere coram Parocho, coram eo revalidandum erit matrimonium vel *publice* vel *occulte,* prout nullitas matrimonii publica aut occulta fuerit. Ratio est, quia in *priori* casu scandalum est removendum, in *posteriori* vero praecavendum illud est, et fama sponsorum servanda.

Confirmatur insuper ex Declaratione *Card. Caprara* legati *a latere* in Galliis, in Instructione de matrimoniorum irritorum revalidatione. Sic enim ille: 6° *Si nullitas matrimonii occulta sit, seu communiter ignoretur, matrimonium coram proprio Parocho, adhibitis saltem duobus testibus confidentibus, secreto ad vitanda scandala contrahendum est; adnotata deinde particula in secretorum matrimoniorum libro.* 7° *Si nullitas matrimonii publica sit, ad scandalum removendum matrimonium publice servata forma* Conc. Trid. *celebrandum est. Quod si Ordinarius ob peculiares circumstantias iudicaverit expedire ut secreto coram proprio Parocho et duobus testibus potius celebretur, secreto celebrari poterit, dummodo tamen publicum scandalum alia ratione removeri possit, et quamprimum removeatur.*

Variae autem occurrunt difficultates, si una pars consentiat ad contrahendum coram Parocho et altera renuat, vel si ambae sint male dispositae. Hinc

893. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quid agendum, si una pars vel utraque consentiat ad consensum coram Parocho renovandum, sed renuat pergere ad Ecclesiam?*

Resp. Coniungendi sunt in sua ipsorum domo vel alio loco ab ipsis electo, dummodo adsint testes graves, quorum ope convalidatio huius matrimonii fieri possit publica, si hoc ad tollendum scandalum sit necessarium, scilicet si invaliditas prioris coniunctionis sit notoria.

Quaer. 2° *Quid agendum, si unus renuat contrahere coram Parocho?*

Resp. Sic respondet *Card. Caprara* in Instructione citata: *Si renuentia oriatur ex ignorantia vel aliquo errore contra leges aut doctrinam Ecclesiae circa impedimenta matrimonium irritantia, renuens debita cum prudentia et in charitate instruatur. Et quatenus adhuc renuat matrimonium suum in facie Ecclesiae convalidare, tunc satagendum est, ut specialem procuratorem constituat, qui eius nomine matrimonium contrahat de more; aut saltem, expresso consensu de praesenti per Epistolam directam proprio Parocho vel alteri Sacerdoti Ordinarii aut Parochi licentiam habenti, matrimonium renovetur.*

894. — Quaer. 3° *Quid, si pars indisposita ne per procuratorem quidem velit contrahere, etc.?*

Resp. Sic idem respondet *Cardin. Caprara:*

Si hactenus praescripta obtineri nullatenus possint, et pars una ad celebrationem matrimonii, iuxta superius tradita, faciendam adduci nequeat ..., ad dispensationem in radice matrimonii, seu ad matrimonii sanationem in radice deveniri posse iudicamus, ita ut saltem innocentis partis animae saluti, prolis legitimitati et familiarum tranquillitati omnino consultum sit, et quamprimum etiam renuentis animae saluti provideri possit.

QUAER. 4° *Quid, si neutra pars denuo matrimonium contrahere consentiat?*

Resp. Nihil omnino hic et nunc faciendum est, cum nulla dispensatio ab Ecclesia in tali casu concedatur. Restat igitur, ut Parochus vacet ferventi orationi, frequenter Deo miserrimos concubinarios commendet, et assiduis curis horum conversionem procurare satagat.

ARTICULUS III.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII IRRITI OB INHABILITATEM PARTIUM

Ad revalidandum matrimonium irritum ob impedimentum ecclesiasticum, ante omnia obtinenda est impedimenti dispensatio. Duplicis vero generis datur, scilicet 1° dispensatio simplex, seu modo consueto; 2° dispensatio in *radice* matrimonii.

§. I. *De revalidatione matrimonii modò ordinario.*

895. — Ia *Regula.* Si uterque coniux sit conscius impedimenti, uterque tenetur consensum renovare, obtenta dispensatione ad matrimonium revalidandum. Ratio est, quia scientia nullitatis matrimonii ob notum impedimentum dirimens necessario verum consensum in praecedenti matrimonii contractu excluserat.

IIa *Regula.* Si una tantum pars impedimentum cognoverit, illa certo tenetur consensum suum renovare, saltem sola seorsim. Sequitur ex modo dictis.

IIIa *Regula.* Pars ignara impedimenti non deberet necessario renovare consensum ad matrimonii validitatem, si impedimentum alteram tantum partem respiceret. Ratio est, quia consensus illius fuit ab initio validus, et proinde perseverat; ergo sufficeret renovatio consensus partis inhabilis. Hinc si fidelis duxisset non baptizatam, quae ignorat impedimentum, sufficeret, ut cessante infidelitate vel obtenta dispensatione, fidelis renovaret consensum; quia consensus infidelis fuit validus, cum Ecclesia non potuerit ei imprimere inhabilitatem personalem.

896. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An pars ignorans impedimentum, necessario debeat consensum renovare ad validam matrimonii redintegrationem?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis:

Ia SENTENTIA *communiter affirmat.* Ratio est, 1° quia impedimentum tollit efficaciam consensus a principio; ergo remanet inefficax, et proinde nullum effectum producere potest, cum perseveret eodem modo, quo datus est: dispensatio autem simplex non sanat vitium, quod praecessit, sed partes reddit solummodo capaces ad consentiendum in posterum: 2° quia in Rescriptis *S. Poe-*

nitentiariae haec clausula addi solet: *Altera parte de nullitate prioris matrimonii certiorata.* Ergo, etc. — *Sanchez,* — *Sylvius,* — *Navarrus,* etc.

IIª Sententia *negat.* Ratio est, quia prior consensus, licet effectu suo caruerit ob impedimentum a iure positivo appositum, tamen de iure naturae fuit validus, cum fuerit praestitus erga personam de iure naturae habilem ad contrahendum: ergo, sublato impedimento, sufficit prior consensus, qui virtualiter in effectum per copulam coniugalem, cohabitationem aut per alia signa externa perseverat. Ergo, accedente consensu interno coniugis conscii impedimenti, expresso saltem per similia signa externa, utriusque consensus unitur et matrimonium convalidatur. Nec obstat clausula *S. Poenitentiariae,* quae apponi censetur, non ut vera conditio, sed ut simplex instructio; quia alias haec conditio saepe frustraretur.— *Salmanticenses,* etc.

Caeterum in praxi non est recedendum a prima sententia, nisi obtineatur dispensatio *in radice,* saltem extra casum urgentis necessitatis. Si autem casus urgeat, nec facile dispensatio in radice obtineri possit, licebit uti secunda sententia; quia in eiusmodi angustiis non est prohibitum uti opinione probabili etiam cum periculo frustrationis Sacramenti (*a*). Necessitas autem urgens adest, quando ex manifestatione nullitatis matrimonii alteri parti facta, vel ex separatione coniugum, periculum mortis aut gravis infamiae vel scandali timeri prudenter potest. — *Ita S. Lig. n. 1114, 1115.*

897. — Quaer. 2° *An renovatio consensus praerequirat cognitionem nullitatis matrimonii?*

Resp. Videtur affirmandum cum sententia communiori. Ratio est, quia renovatio consensus necessario procedere debet ex intentione efficiendi matrimonium: ille autem qui credit, prius matrimonium validum fuisse, non vult matrimonium efficere, sed tantum renovat et ratum habet matrimonium prius initum; et cum irritum matrimonium istud extiterit, matrimonium per eiusmodi consensum convalidari nequit. Illud praesertim affirmandum est, si agatur de coniuge, qui praesumitur matrimonium dissoluturus, si nullitatem agnosceret. Tunc enim censeretur dicere, se velle matrimonium, sed quod fuit ab initio, et non aliud. — *Vide S. Lig. ibid.*

898. — Quaer. 3° *An consensus renovari debeat coram Parocho et testibus?*

Resp. 1° *Affirm.,* si impedimentum sit publicum. Ratio est, 1° quia urget tunc ratio scandali tollendi aut praecavendi; 2° quia sic exigunt semper Brevia Datariae; 3° quia secus validitas matri-

(*a*) Dic potius, non frustrari tunc sacramentum; agitur enim de materia, in qua supplere Ecclesia potest; cumque in casu ad eandem recurrere non liceat, alioquin vero contrahentes agant secundum probabilem sententiam, de facto Ecclesiam supplere tenendum est.

monii probari non posset coram Ecclesia, cum constet publice Parochum et testes non adfuisse nisi celebrationi matrimonii invalidi, et sic finis intentus a *Conc. Trid.* non obtineretur; possent enim coniuges, post matrimonium clandestine revalidatum separari, et cum aliis impune novas inire nuptias.

Resp. 2° *Neg.*, si impedimentum sit occultum. Ratio est, 1° quia lex *Conc. Trid.* tunc videtur iam sufficienter adimpleta per praesentiam Parochi et testium in primo matrimonio, vel quia *Conc. Trid.* praescribendo praesentiam Parochi et testium, merito praesumitur noluisse hunc casum comprehendere. Concilium enim voluit tantum occurrere incommodis, quae exurgebant ex nuptiis clam celebratis; sed in nostro casu matrimonium iam publice est contractum, et idcirco illud abest periculum; sufficit igitur novum consensum clam ponere; 2° quia non modo inutilis foret legis extensio ad hunc casum, sed etiam nociva; quippe locum praeberet pluribus scandalis, partes exponeret diffamationi, multaque alia incommoda induceret; ergo ....; 3° quia evincitur ex praxi constanti *S. Poenitentiariae, S. Congr. Cardinal.* et aliorum tribunalium. — *S. Lig. n. 1110., et alii communiter* contra *paucos.*

899. — QUAER. 4° *An saltem matrimonium nullum ob impedimentum occultum, sit revalidandum coram Parocho et testibus, si isti tempore matrimonii fuerint conscii impedimenti?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia assistentia Parochi et testium fuit praescripta a *Conc. Trid.*, non tam ad testandam matrimonii validitatem, quae multipliciter potest eis esse ignota, quam ad probandam externam matrimonii celebrationem, ut periculo obvietur, ne iidem coniuges alias nuptias ineant.

Affirmant autem *probabiliter,* ait *S. Lig., Sanchez* cum *Lacroix,* et *aliis pluribus;* quia Parochus et testes, assistendo matrimonio ipsis noto tamquam invalido, testes tantummodo fuerunt nullitatis matrimonii.

In praxi seclusa gravi difficultate tutior pars esset sequenda. Caeterum casus iste quoad praxim vix est probabilis.

900. — QUAER. 5° *Quotuplici modo possit renovari seu exigi consensus a parte ignara impedimenti post obtentam dispensationem?*

Resp. Hi sunt praecipui a variis auctoribus assignati:

I^us^ *Modus.* Si coniux simpliciter dicat: *Nullum est matrimonium nostrum propter aliquod impedimentum,* vel: *Dixit mihi Confessarius nullum esse ..., ideoque renovemus consensum.*

II^us^ *Modus.* Si dicat coniux: *Non habui verum consensum, quando matrimonium contraxi; novum nunc praestare volo, vis et tu praestare?* Hic modus communiter admittitur ab auctoribus, et recte adhiberi potest sine mendacio, cum consensus nullus non sit *verus consensus;* et aliunde coniux ignarus impedimenti satis sic cognoscit matrimonii nullitatem.

III^us^ *Modus.* Si dicat: *Angor scrupulis de valore nostri matri-*

monii, ideoque renovemus consensum. Admitti potest hic modus iuxta communiorem sententiam cum *S. Lig. n. 1117.* — Sufficit enim, ut altera pars ponat consensum a priori independentem; ad hoc autem satis est, si dubitet prudenter de valore primi matrimonii.

Exhibentur etiam varii alii modi a pluribus Theologis; v. gr. si coniux comparti dicat: *Dic, quaeso, si nullum esset nostrum matrimonium, nonne iterum contrahere velles?* Vel: *Si non mihi nupsisses, nonne nunc nubere velles?* etc. Sed merito isti modi reiiciuntur; quia sic incertum est, num altera pars intendat consensum iterare in praecedens matrimonium, an vero in novum consentire. — *Vide S. Lig. n. 1117.*

§. II. *De revalidatione matrimonii cum dispensatione in radice.*

901. — Dispensatio *in radice* est abrogatio legis ecclesiasticae, quae impedimentum induxit, in casu particulari, coniuncta cum irritatione omnium effectuum, qui etiam antea ex lege subsecuti sunt. — *Bened. XIV. Institut. 87. n. 80., de Synodo l. 13. cap. 21. n. 7.*

Haec igitur dispensatio effectum producit tollendo de medio legis effectus, qui ob matrimonii nullitatem ante inductam dispensationem, ac etiam in ipso contrahendi actu producti fuerunt. — *Ita etiam idem Summus Pontifex.*

Hinc dispensatio simplex a dispensatione in radice in eo differt, quod prior effectum suum non habet nisi *a tempore quo conceditur,* seu *ex nunc,* nec proinde eximere potest a consensus renovatione. Posterior vero convalidat matrimonium *a tempore matrimonii,* seu *ex tunc,* id est, per *fictionem iuris,* ascendendo ad radicem seu originem matrimonii, et in eodem statu rem ponit, ac si impedimentum nunquam extitisset. Hinc dicitur dispensatio *in radice,* propterea quod destruat effectum impedimenti *a radice* seu a principio matrimonii, scilicet 1° sanando vitium consensus; 2° validitatem matrimonio tribuendo; 3° legitimitatem filiis conferendo in ordine ad effectus spirituales (*a*).

(*a*) Intellige, quod idoneus fiat ad beneficia, sacros Ordines, atque ecclesiastica officia; qua de re nulla unquam extitit sententiarum dissensio.

Quaestio est, ut ait Sanchez (*De Matrim. Lib. 8. Disp. 7. n. 3.*): *An Pontifex dispensando in matrimonii irriti radice, possit legitimare filios ex eo ante matrimonii dispensationem natos, in locis sibi temporaliter non subditis, ita ut capaces sint officiorum ac successionis bonorum temporalium? idest an possit efficere, ut dispensatio illa retrotrahatur ad tempus, quo id matrimonium irritum contractum est, ita ut censeatur, quasi a principio fuisset valide initum media illa dispensatione, ad eum effectum, ut proles, ante dispensationem ex illo habita, sit quoad omnia etiam legitima, non aliter quam si ex legitimo matrimonio nata foret. Et tota difficultas est, quando impedimentum, ob quod id matrimonium fuit irritum, est iure pontificio inductum.* Quae controversia gravissimi sane momenti est, cum ex ea definiri debeat, v. gr. an filius ex illegitimo

902. **Principia.** — I. Potest Ecclesia, seu Summus Pontifex, dispensare *in radice* matrimonii quoad omnia impedimenta Iuris ecclesiastici. Ratio est, 1° Quia dispensare in radice nihil aliud est, quam auferre impedimentum non tantum *in futurum*, sed etiam

matrimonio natus, sed ope huius dispensationis in radice adeptus legitimationem, in Maioratus ac Fideicommissi successione praeferendus sit aut alteri fratri minori, sed post dispensationem obtentam legitime nato, aut alteri consanguineo.

Sanchez porro (*ibid.*) post allatas rationes pro opinione negante, et nonnullos eiusdem patronos, sic suam deinde sententiam explicat (*ibid. n. 4.*): *At frequentissima ac verior sententia habet, id posse Pontificem. Ducitur, quia radix et origo, ex qua consurgit, ut proles sit illegitima, ac subinde incurrat illegitimitatis damna, sive ecclesiastica sive saecularia, est lex ecclesiastica, qua statutum est, ut id impedimentum in eo matrimonii contractu repertum, illud dirimat: ac ea non stante matrimonium fuisset validum, ac proles legitima, nec ea damna incurrisset. At Pontifex potest suam legem irritare et revocare quoad effectus iure humano ex ea sequutos, et non tantum quoad imposterum incurrendos, efficiendo ut non incurrantur, sed etiam quoad iam incursos, aboiendo illos ac si lex edita nunquam fuisset, ut constat ex* Clement. Unica De Immunitate Eccles., *ubi Clemens V. revocat quasdam Praedecessorum Constitutiones etiam quoad effectus antea productos, ibi:* Quidquid ex eis sequutum est, vel ob eas, penitus revocamus, et eas haberi volumus pro infectis. *Ubi Glossa, Card., Anchar., Imol., Abb., inde inferunt, tantam esse Pontificis potestatem circa ea, quae sunt iuris positivi, ut possit ea revocare prout ex tunc, quando edita sunt: ac omnes effectus praeteritos abolere, ac si nunquam edita fuissent. Ergo sic dispensans Pontifex in radice matrimonii, idest, in initio ipsius, revocando impedimentum, quod ipsum irritavit, ac si nunquam extitisset, efficiet, ut dispensatio retrotrahatur ad matrimonii initium, ac perinde censeatur ac si id matrimonium fuisset ab initio validum, nullo impedimento irritante existente: in quo casu proles esset vere legitima quoad omnia. Et confirmatur, quia hoc non est dispensare in lege civili et effectibus eius, sed indirecte et per quandam consequentiam; quia scilicet lege civili incurruntur ea damna a prole, supposita legis ecclesiasticae irritantis praedictum matrimonium firmitate, ex qua subsequutum est, ut matrimonium sit irritum, et subinde proles, ex ea concepta, illegitima ac subdita omnibus illegitimitatis damnis iure civili statutis. Cum ergo Pontifex sua dispensatione in ipsa matrimonii radice tollat directe firmitatem illius legis ecclesiasticae, eamque prorsus aboleat, perinde ac si lex illa nunquam prodiisset, efficiet indirecte et per quandam consequentiam, ut ea omnia damna cessent, utpote quae ex legis ecclesiasticae firmitate pendebant. Et adhuc explicatur magis haec ratio,* et caetera, quae videri ibi possunt; ubi post rationes uberiori adhuc luce collustratas permultos addit Doctores, qui eandem sententiam tradiderunt.

Veruntamen huic paragrapho, in qua Sedis Apostolicae iura tam strenue aggressus est tueri ac vindicare, huic, inquam, paragrapho prorsus debetur, quod nomen Thomae Sanchezii in *Indicem Librorum prohibitorum* sit relatum, et in catalogis quoque librorum, qui venales etiam in Urbe prostant, saepe videas Sanchezii nomini et Operi *De Matrimonio* hanc infamiae notam inustam. Qui fieri, dices, id potuit? Paucis accipe. Cum Venetiis hoc opus an. 1612. ederetur, paragraphus ista oculos pupugit Theologastrorum, qui Venetae reipublicae deserviebant in diuturno bello, quod adversus Apostolicam Sedem eiusque iura pervicaciter gerere per annos complures imo et saecula non intermisit. Indictum itaque a Magi-

in praeteritum, seu tollere effectus, quos produxit, ita ut coram Ecclesia habeantur, quasi nunquam extiterint. In his autem nihil est quod potestatem Ecclesiae excedat. Ergo, etc. 2° Quia id constat, confirmaturque ex praxi Ecclesiae, quae a pluribus saeculis tales dispensationes concedere consuevit. Primus sic dispensasse legitur *Bonifacius VIII.* ann. 1301.; recentioribus autem temporibus frequentius eodem modo dispensarunt *Pius VI. Pius VII. Leo XII.*etc.

903. — II. Tres autem conditiones requiruntur, ut matrimonium ope dispensationis in radice convalidari possit, scilicet

1° Ut coniunctio coniugum *habuerit speciem extrinsecam iusti matrimonii,* neque fuerit manifeste fornicaria. Sic *Benedictus XIV.* Idemque exigit *Card. Caprara.* Ratio est, quia secus non adesset verus consensus, et proinde nullo modo posset adesse matrimonium, seu non adesset radix matrimonii, ut loquitur *Benedictus XIV.*

2° Ut consensus *utriusque perseveraverit;* neque enim Ecclesia consensum etiam ex una tantum parte retractatum convalidare potest. Aliunde non raro Pontifex exigit in Rescripto, ut constet de permanenti consensu utriusque partis. Contradicunt tamen nonnulli.

3° Ut adsit urgens et gravissima causa. Sic *Benedictus XIV.* In triplici autem casu praecipue haec haberi potest; nempe 1° quando una pars ad renovationem consensus adduci nequit, et nihilominus consensum de praesenti exhibet remanendi in matrimonio; sic *Card. Caprara;* 2° quando uni tantum parti notum est impedimentum, quod sine gravibus incommodis alteri manifestari non possit; 3° Quando urgens adest ratio non monendi coniuges de nullitate matrimonii.

Haec tertia conditio non requiritur ad validitatem dispensationis, si dispensatio concedatur a Summo Pontifice; secus, si concedatur ab Episcopo ex Indulto particulari. — *Carrière, n. 1444.*

904. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An dispensatio in radice possit obtineri et applicari, utraque parte illius ignara?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia nullo modo cognitio dispensationis requiritur, ut Ecclesia possit tollere effectum legis, seu obsta-

stratibus fuit, ne opus prodire in lucem ibi posset, nisi invisa paragraphus, quasi reipublicae iuribus adversa, praecideretur ac penitus tolleretur. Id vero factum vigilantiae romanae oculos non subterfugit; quae ex illa in celeberrimo ac omnium manibus trito opere maligna omissione conspiciens suorum iurium offensam, et exinde complurium scandalum, corruptam illam editionem Sancheziani operis ereptam e manibus fidelium voluit, atque adeo tomum tertium inter damnatos libros referri iussit. Quocirca damnatio non in genuinum Sanchezii opus, sed in peculiarem operis scelesta fraude corrupti editionem cadit. Quod vero in librorum venalium catalogis nullo inter genuinum opus corruptamque editionem facto discrimine, ea infamiae nota saepe saepius Sanchezii nomini apponatur, id eorum, qui horum catalogorum curam in se suscipiunt, inscitiae, aut inadvertentiae debetur.

culum, quod oberat efficaciae consensus; potestas enim Ecclesiae a tali cognitione est omnino independens. Confirmatur ex praxi Ecclesiae. Etenim *Clemens XIII*, ut refert *Collet*, concessit cuidam Procopo (qui videtur fuisse Episcopus) facultatem, ut sanaret *in radice*, non monitis partibus, multa matrimonia invalide inita ob nimiam facultatum acceptarum extensionem. Alia quoque exempla ab aliis de simili matrimoniorum revalidatione referuntur.

QUAER. 2° *An possit concedi dispensatio* IN RADICE, *si ambae partes, dum contraherent, impedimentum cognoverint?*

Resp. 1° *Neg.*, iuxta communiorem sententiam, si coniuges contrahendo clare cognoverint matrimonii nullitatem. Ratio est, quia cognita matrimonii invaliditate, nequit dari in illud verus ac proprie dictus consensus, sed habetur tantum intentio vivendi in *concubinatu;* et proinde consensus sanari nequit, cum a principio fictus fuerit.

Resp. 2° *Affirm.*, si coniuges contrahendo, etsi impedimentum cognoverint, non tamen matrimonium esse nullum dubitaverint, vel ad eius invaliditatem non attenderint. Sic videtur intelligendus *Card. Caprara*, qui supponit posse obtineri dispensationem *in radice* ad convalidandum matrimonium *clandestinum,* quando una pars recusat consensum renovare coram Ecclesia. Eodem modo de matrimoniis civiliter tantum contractis distinguendum videtur.

905. — QUAER. 3° *An Episcopus dispensare possit* IN RADICE, *quando potest de impedimentis dirimentibus ex indulto particulari dispensare?*

Resp. Neg. Ratio est, quia dispensatio in radice requirit maiorem potestatem; et ideo non censetur contineri in aliis facultatibus. Comprobatur ex praxi Ecclesiae, quae semper dat specialem facultatem, quando potestatem dispensandi in radice concedere intendit.

QUAER. 4° *Quomodo sit exequenda dispensatio* IN RADICE?

Resp. Eodem modo, ac dispensatio simplex, addendo in formula verba *in radice.* Sic ex gr.: *Ego, auctoritate apostolica mihi concessa, matrimonium a te contractum cum N., in radice eius sano et consolido, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam declaro, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Sed nulla formula in *Rit. Rom.* habetur.

CAPUT VIII.

DE DEBITO CONIUGALI

906. — Audi *S. Ligorium,* quaestionem hanc aggredientem, *de Matrimonio, n. 900.: Piget me de hac materia, quae tantam prae se fert foeditatem, ut castas mentes ipso solo nomine perturbet, longiorem habere sermonem. Sed utinam non esset haec materia frequens in confessionibus excipiendis, ut non oporteret omnino, Confessarium*

plena tractatione, sed sufficeret compendio instructum esse! Ignoscat mihi propterea castus lector, si fuse de ea hic loquar, et ad casus particulares, qui deformiorem exhibent turpitudinem, descendam.....

Coniugale *debitum* dicitur communis ea coniugum actio, quae generationi necessaria est, quaeque a summo rerum omnium Provisore ad humanam societatem propagandam est ordinata. Haec autem actio sita est in carnali copula, qua vir ac femina unum quasi corpus et una caro efficiuntur.

Eiusmodi actus vocatur *debitum* ab Apostolo; est enim id quod sibi mutuo debent coniuges.

Agendum 1° de liceitate actus coniugalis; 2° de eiusdem obligatione; 3° de peccatis coniugum.

ARTICULUS I.

DE LICEITATE ACTUS CONIUGALIS 1° IN SE; 2° QUOAD CIRCUMSTANTIAS

§. I. *De liceitate actus coniugalis in se spectati.*

907. **Principia.** — I. Actus coniugalis inter legitimos coniuges per se *honestus* est et *licitus:* est enim medium ab ipso naturae conditore statutum atque ordinatum ad legitimam humani generis propagationem.

II. Fines, qui actum huiusmodi honestum reddunt, sunt 1° prolis generatio, quae inter praecipuos matrimonii fines enumeratur; 2° satisfactio obligationis erga alterum coniugem; 3° sedatio concupiscentiae, atque exinde vitatio incontinentiae tum in se, tum in comparte; 4° desiderium honesti amoris fovendi vel conciliandi, coniugalis affectus patefaciendi, vel promovendi, etc. —*Ita communiter* cum *S. Lig. n. 881. et seq. Sanchez, aliique* contra *nonnullos,* qui postremos duos fines non admittunt.

908. **Resolves.** — 1° Illicitus est coniugii usus, si fiat ob solam voluptatem, id est, alios fines expresse excludendo (*a*). Patet ex propositione 9ª ab *Innocent. IX.* damnata, quae sic sonat: *Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali.* Per se tamen esset tantum veniale peccatum, quemadmodum veniale est cibum ob solam delectationem sumere. Immunis autem ab hac culpa est coniugii usus, si remedium sit concupiscentiae; quippe tamquam concupiscentiae remedium licita est eius satisfactio, sive expresse, sive implicite intendatur (*b*). — *S. Lig. n. 912.*

(*a*) Vide uberiorem huius doctrinae explicationem in *Not. ad n. 28. Vol. I.* quae sane prae oculis sedulo habenda est, ne quis quoad delectationum usum inanibus angustiis et semet et alios importune divexet.

(*b*) Voluit Auctor per haec adsignificare, etiam levem istam inordinationem seu culpam *operantis propter solam voluptatem* vix unquam reipsa

3° Illicitus graviter est usus matrimonii cum mente adultera, ut si quis accedens ad suam, sibi aliam repraesentet. — *S. Lig. n. 913., et alii communiter.*

3° Sterilibus licitus est usus matrimonii, tum quia nulla lex in

adesse. Et ratio patet; quia inordinatio non residet in appetendo delectationem: ut enim inquit S. Thomas (*Contr. Gent. Lib. 3. Cap. 26. n. 6.*), *Delectatio, quae consequitur bonas et appetendas operationes, bona est, et appetenda;* idque (ut *ibid. n. 7.* subdit Angelicus) *convenit cum ordine naturae.... Videmus enim, quod natura illis operationibus animalium delectationem apposuit, quae sunt manifeste ad fines necessarios ordinatae... Nisi enim adesset delectatio, animalia a praedictis usibus necessariis abstinerent.* Inordinatio itaque *operantis propter solam voluptatem* tunc aderit, cum quasi ita in voluptate sistit, ut *positive* quemlibet alium finem excludat. Dixi, *excludat positive;* nam quod de qualibet actione communis ac certa doctrina tradit (Vid. quae ex S. Thoma attulimus *Vol. I. nn. 31. 32.*), ad actum bonum satis esse, quod fines aut ulteriores aut operi intrinseci non excludantur, licet quoad ipsos agens alioquin negative se habeat, idest de iis inter operandum minime cogitet, sed solum generali quodam conceptu actum ut sibi licitum atque adeo honestum apprehendat, hoc ipsum etiam de actu coniugali dicendum est, nimirum ad eius honestatem sufficere, quod fines huic operi intrinseci, quos et A. (*n. praec.*) recenset, *positive* non excludantur, agens vero opus ut sibi licitum, seu (quod idem est) non illicitum apprehendat, licet de illis finibus nihil inter agendum cogitet.

Vix porro contingere potest, ut fines operi coniugali intrinseci *positive* prorsus excludantur. Et hoc quidem Auctor innuere voluit, dum sermonem iniicit de coniugii usu tamquam de concupiscentiae remedio.

Et sane hunc quoque matrimonio finem inesse, et quidem intrinsecum, ut concupiscentiae sit remedium, auctor est Apostolus (*1. Cor. VII. 2.*) inquiens: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat.* Et rursus (*ibid. v. 5.*): *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus... et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Iterum autem (*ibid. v. 9.*): *Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri.*

Quinimo Chrysostomus haec Apostoli verba explicans, contendit hunc finem nunc temporis esse praecipuum. Sic enim ille (*Lib. De Virgin. Cap. 19.*): *Cum liberorum procreandorum causa proditum est matrimonium, tum* MULTO MAGIS *ad naturae ardorem restinguendum. Atque id Paulus testatur dicens:* Sed propter fornicationem, suam quisque uxorem habeat, *non propter liberorum procreationem. Namque ibi convenire iubet, non ut multorum filiorum parentes sint; sed cur?* Ne vos tentet, *inquit,* Satanas. *Ac progressus non dixit: Si optant liberos; sed quid?* Qui se non continent, matrimonium contrahant. *Principio enim, ut dicebam, duplicem hanc occasionem* (coniugium) *habebat; sed deinde terra ac mari atque orbe repleto, unus dumtaxat praetextus est reliquus, nequitiae ac libidinis abolitio.* Et rursus (*Hom. Quales ducendae sint uxores §. 5.*): *Ante omnia disce, quaenam fuerit causa coniugii, et quamobrem in communem vitam introductum sit, nec quicquam requiras amplius. Quae igitur causa coniugii, et cur illud datum est divinitus? Audi Paulum dicentem:* Ad vitandas autem scortationes quisque suam uxorem habeat. *Non dixit, ut evitetur paupertas, et parentur divitiae; sed quid? Ut scortationem evitemus, ut moderemur concupiscentiam, ut vivamus sobrie, ut Deo placeamus contenti uxore propria, hoc nobis affert coniugium, hic eius fructus, hoc inde lucrum est.... Hoc enim in coniugio spectandum*

oppositum ostendi potest, tum quia steriles per se idonei sunt ad actum coniugalem perficiendum: quod si generatio nulla sequatur, id per accidens omnino fit; et alii praeter generationem adsunt honesti fines coniugalem congressum cohonestantes.

est, maxime ut peccatum effugiamus, ut immunes simus a scortationibus: in hoc quaerendae sunt nuptiae, ut ad vitam pudice degendam nos adiuvent.

Superfluum porro videbitur explicare, quo pacto coniugium ad finem praedictum conferat, seu qua ratione *naturae ardorem restinguat, tentationes Satanae arceat, nequitiae ac libidinis sit abolitio, et ad moderandam concupiscentiam, sobriamque ac pudicam vitam degendam conducat.* Iuverit tamen id ex S. Thoma audire, qui ad allatum Apostoli textum (*Lect. 1. in Cap. 7. Epist. 1. ad Corinth.*) haec inter alia habet: *Apostolus considerans humanum genus iam multiplicatum..., intermisit hanc necessitatem, qua scilicet institutum matrimonium fuerat in officium naturae, et proposuit secundam necessitatem, secundum quam institutum est in remedium culpae. Quia enim carnalis concupiscentia adhuc post baptismum in fidelibus remanet..., instigat homines maxime ad actus venereos propter vehementiam delectationis. Et quia maioris virtutis est, totaliter hanc concupiscentiam superare, quam possit hominibus convenire..., necessarium est, quod in parte concupiscentiae cedatur, et in parte superetur; quod quidem fit, dum actus generationis ratione ordinatur...* Per duo autem iuxta eundem S. Doctorem generationis actus ratione ordinatur, scil. (*ibid.*) 1° *quod homo utatur generationis actu secundum quod convenit generationi... filiorum; 2° Quod in specie humana non sint vagi et incerti concubitus, quales sunt concubitus fornicarii, sed sint determinati viri ad determinatam feminam: quae quidem determinatio fit per legem matrimonii.*

Docente ergo S. Thoma, concupiscentiae remedium, divinitus per matrimonii institutionem homini paratum, in eo residet, ut per actus in legitimo coniugio generationi idoneos ipsi concupiscentiae satisfiat, cedatur nimirum ac satisfiat illi appetitioni venereorum, quam excitat apprehensa delectationis vehementia. Cumque haec concupiscentiae satisfactio constituat finem operis intrinsecum, manifestum est, eum, qui delectationis apprehensione movetur ad actus coniugales, quos alioquin sibi legitimis nuptiis copulato plane licitos esse novit, adeo finem debitum non excludere, ut potius, dum huic appetitioni vult satisfacere, ipsum finem, propter quem nuptiae a Deo sunt institutae, sectetur et impleat. Quocirca proscripta illa propositio, quam Auctor memorat, damnanda utique fuit; sed hac etiam de causa profecto fuit damnanda, quod opus coniugii absurde exhibeat velut opus indifferens ob solam voluptatem susceptum, quando in eo opus potius sedandi concupiscentiam per venerei appetitus licitam et honestam satisfactionem, in quo intrinsecus ipsius operis finis consistit, ex doctrina Apostolica inspici debuit.

** 1. Occasione huius *Notae* sex et triginta columnas (*Pag. 822-840.*) VV. conscripserunt; in quibus reprehendenda ea assumunt, quae tum in hac ipsa *Nota*, tum etiam in aliis per totius Operis decursum cum huius *Notae* argumento nexum aliquem habent. Trifariam autem ita partiuntur materiam, ut 1° *De opere coniugii ob voluptatem exercito; 2° De actibus delectabilibus in genere; 3° De interpretatione Propositionum 8. et 9.* disserant *inter damnatas ab Innocentio XI.*

Visum porro est, a postremo hoc capite initium ducere; planior enim inde via sternetur ad difficultates etiam circa duo priora capita diluendas.

2. Contendunt itaque VV. (*Pag. 836-840.*), damnationem illius propositionis IX. (*Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali*) non vitari per eius interpretationem tradi-

4° Etiam senibus, quorum semen non est amplius prolificum, licet usus coniugii, dummodo copulam sufficienter perficere valeant, vel ipsam perficiendi spem habeant non inanem. Favent enim senibus eaedem rationes, quas de sterilibus adduximus. Confirmatur

tam tum in hac *Nota*, tum in *Not. ad n. 28. Vol. 1.*, in qua haec habentur: *Aliud est agere* PROPTER DELECTATIONEM, *aliud agere* PROPTER SOLAM DELECTATIONEM. *Posterius hoc ulteriorem operis finem positive excludit,... At primum illud nullam eiusmodi inordinationem involvit... Exinde se manifeste prodit ratio, cur merito ab Innocentio XI. proscriptae sint propositiones VIII. et IX. de opere coniugii aut actu comedendi ob* SOLAM *voluptatem. Intrinseco enim vitio laborant propter praedicatum* SOLAM, *quod positive excludit alios quosvis fines, in quos actiones eiusmodi ordinantur. Nam quod alioquin ad opus quis alliciatur ac moveatur appetitu delectationis, quemadmodum et ad laborem spe praemii seu mercedis, id ordini naturae est consentaneum, ut habet S. Thomas.*

3. Porro nonne vades pro hac doctrina prostant auctores, quos S. Alphonsus ceu *probatos* habet, e quibus nonnullos ibidem indicatos quisque videt?

Cardenas v. gr. eodem plane modo distinguit opus *propter voluptatem* exercitum, et exercitum *propter solam voluptatem;* et alterum culpae expers, alterum non expers affirmat. De priori enim sic habet (*Diss. 6. Cap. 2. art. 2.*) in titulis §. 53. 54. 55.: *Non est illicitum vacare copulae coniugali propter voluptatem tamquam propter finem subordinatum. — Voluptas ordinata est a natura ad faciliorem generationem prolis. — Eo ipso quod habeatur propter voluptatem tamquam propter finem subordinatum, non habetur propter solam voluptatem.* De posteriori autem sic in titulo §. 63.: *Qui utitur copula coniugali propter solam voluptatem, invertit ordinem naturae.* Quaero: distinguit ne clare Cardenas inter alium et alium modum agendi *propter voluptatem?* Quorsum ergo VV. contra *Notam* allegant Cardenas, et insuper ex Cardenas transcribunt prolixum Auctorum catalogum, qui uti illicitum damnant operari propter SOLAM voluptatem? Nonne idipsum et in Nota ut illicitum damnatur?

4. Neque aliter, ac Cardenas, habet Didacus Duarte, olim in Lateranensi Basilica Poenitentiarius (*Brevis Exposit. Propp. damnatarum etc. Romae 1712. n. 162.*) inquiens: *Quaeritur an sit licitum vacare coniugali copulae propter solam voluptatem? Resp. Esse damnatam ab Innoc. XI. cum prop. 9. opinionem, quae negat, copulam carnalem habitam propter* SOLAM *voluptatem non carere omni culpa etiam veniali...; si vero vacetur dictae copulae propter voluptatem, tamquam propter finem subordinatum..., nulla omnino interveniet culpa; nam qui sic operatur, sequitur ordinem naturae, quae destinavit voluptatem copulae ad reddendam faciliorem generationem prolis et conservationem speciei.*

5. Idipsum brevius Felix Potestas sic effert (*Tom. 1. P. 2. n. 2280.*): *Opus coniugii est a natura institutum ad duos fines, ad procreandam prolem..., et ad sedandam libidinem; qua ratione nullum peccatum committit, qui opus coniugii exercet ob delectationem, si eam ordinet... ad finem principalem; peccat tamen venialiter, qui ob* SOLAM *delectationem illud exercet.*

6. Veruntamen VV. contendunt, perinde esse, tum si dicas, actum positum *ob voluptatem*, tum si dicas, actum positum *propter solam voluptatem:* in neutro enim casu vitari dicunt praedictae propositionis condemnationem. Sic enim illi (*Pag. 837.*): *Ad verificandam propositionem damnatam, necesse non est, ut quis voluptatem quaerens, quemlibet alium finem positive excludat; sufficit ut excludat negative. Sive enim positive, sive negative alii fines excludantur, semper verum est, quod talis operans*

praeterea ex praxi Ecclesiae, quae matrimoniis senum benedicit.— *Vide S. Lig. n. 954.*

§. II. *De liceitate actus coniugalis quoad circumstantias.*

Praecipuae circumstantiae respiciunt personam, situm ac tempus.

agat propter solam voluptatem, seu, quod alium non habeat finem, nisi ipsam voluptatem. Hinc genuinus sensus propositionis IX. damnatae est: Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum (*idest ad nullum alium finem relatum, quam ad voluptatem*) omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

7. Resp. Merito enimvero dixeris, omnino minus caute haec e calamo VV. excidisse. Quid sibi velit, *negative se habere quoad aliquos operis fines,* satis manifeste in *Nota* explicatur per haec verba immediate sequentia: *idest de iis inter operandum minime cogitet.* Quem quidem sensum illi dicendi modo in scholis subiici, ii solum ignorant, qui doctores scholasticos numquam attigerint. *Supponendum est*, inquiunt Salmanticenses (*Tr. IX. Cap. 3. n. 24.*), *dupliciter posse se habere, qui aliquem finem accidentalem praecise quaereret in matrimonio, vel* positive *excludendo finem alium substantialem..., vel* negative *se habendo circa finem proprium matrimonii, aut quia ad eum non attenderet, vel non recordaretur, vel de eo non curaret,* SED NON EXCLUDENDO EUM.

Tantum vero abest, quod perinde sit (uti VV. contendunt), sive excludere *positive*, sive *negative* se habere ad matrimonii fines, ut primum illud gravis culpae iidem Salmanticenses damnent, alterum dicant actum bonum et meritorium. Nam haec de primo (*ibid. n. 25.*) habent: *Si quis contraheret* POSITIVE EXCLUDENDO *finem proprium et substantialem matrimonii, non solum peccaret mortaliter, sed nullum matrimonium iniret.* De altero vero (*ibid. n. 30.*): *Si quis intendat praecise alios fines extrinsecos matrimonio, non excluso fine proprio illius substantiali, et sic eo tacite et implicite retento, ut divitias, honorem,* VOLUPTATEM, *pulchritudinem etc., nullum peccatum committeret, sed in contrahendo matrimonium,* ACTUM BONUM ET MERITORIUM EXERCERET.

8. Sed dictum est insuper, *omnino minus caute* VV. scripsisse, perinde esse, *sive positive alii fines excludantur, sive negative quis se quoad illos habeat, idest de iis nihil inter agendum cogitet.* Quippe ex hoc generali principio immediate et directe consequitur, habendum iam esse in quovis actu ceu *positive* exclusum illum finem, circa quem agens se *negative* habeat, idest de quo inter agendum non cogitet. Porro hinc immediate iam consequitur, vitiosam esse actionem quamlibet, quae non eliciatur a charitate, et per charitatem *actu* non referatur in Deum, qui de iure est ultimus omnium actionum finis; quae quidem doctrina damnatum praefert quesnellianum ac baianum dogma, peccatum esse, quidquid ex charitatis fonte non procedit, et peccatis accensenda esse etiam opera bona, quae mere mercedis aeternae intuitu peragantur.

Et huius consectarii ratio manifeste patet. Ut enim habet S. Thomas (*3. Dist. 27. Q. 1. art. 4. q. 3.*), *charitas comparatur ad alias virtutes et ut motor et ut finis et ut forma.* Sic autem explicat, cur charitas dicatur *motor* aliarum omnium virtutum: *Quod* (*charitas*) *sit motor aliarum virtutum ex hoc patet, quod ipsum bonum, quod est obiectum charitatis sub ratione finis, est finis virtutum. In omnibus autem potentiis vel artibus ordinatis ita accidit, quod ars vel potentia, quae est circa finem, ordinat aliarum actus ad finem proprium. Unde charitas etiam omnes alias virtutes ad finem suum movet, et secundum hoc dicitur earum actus imperare.* — Deinde sic de charitate prouti est finis: *Si ergo charitas est mo-*

I. *De circumstantiis personae.*

Quadruplex circumstantia, seu impedimentum personae adnexum, petitioni debiti obesse potest, scilicet 1° votum castitatis;

tor aliarum virtutum, similiter est finis: quia hoc commune est omnibus virtutibus, quod actus ipsarum sint proximi fines earum.... Finis autem inferioris potentiae vel habitus ordinatur ad finem superioris...: unde actus omnium aliarum virtutum ordinantur ad actum charitatis, sicut ad finem; et propter hoc dicitur charitas finis praecepti.

Et rursus (*2. Dist. 38. Q. 1. art. 1. O.*), ubi S. Doctor probare vult, et Deum et simul charitatem esse finem omnium voluntatum seu virtutum: *Sicut rerum omnium* (inquit) *finis unus est, scilicet Deus, ita et voluntatum omnium est unus ultimus finis, scilicet Deus; nihilominus tamen sunt alii fines proximi; et si secundum illos fines servatur debita relatio voluntatis in finem ultimum, erit recta voluntas... Debita autem relatio voluntatis ad finem ultimum salvatur secundum illum finem, quo voluntas nata est ultimum finem participare..., et hic est charitas....; et ideo non solum Deus, sed etiam charitas finis est omnium rectarum voluntatum.*

Hisce porro praeiactis, fac, quaeso, id statuatur, quod VV. assumunt, censendum esse uti *positive* exclusum illum finem, circa quem agens se *negative* habeat, idest de quo inter agendum nihil cogitet; nonne *positive* exclusus habebitur finis ultimus, Deus scilicet et charitas, si homo inter agendum de Deo et charitate non cogitet? Atque adeo nonne actiones omnes, quae ex charitate non eliciantur, nec actu referantur in Deum, totidem erunt peccata?

9. At enim ab hisce absurdis longissime S. Thomae doctrina recedit, quia nimirum ab incauto illo VV. principio penitus abest. Sic enim (*Ibid. ad 4.*) S. Doctor: *Dicendum quod ad hoc, quod alicuius actionis finis sit Deus vel charitas, non oportet, quod agendo illam actionem aliquis de Deo vel charitate cogitet.*

Et alibi (*1. 2. q. 1. art. 6. ad 3.*): *Dicendum, quod non oportet, ut semper aliquis cogitet de ultimo fine, quandocumque aliquid appetit vel operatur; sed virtus primae intentionis, quae est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cuiuscumque rei, etiamsi de ultimo fine actu non cogitetur.*

Et rursus (*De Malo Q. 2. art. 5. obiect. X., quam concedit*): *Constat, quod ille, qui habet charitatem, se et omnia sua ordinavit ad Deum, cui inhaeret, ut ultimo fini. Ergo quidquid ordinat vel ad se, vel ad quodcumque aliud sui, meritorie agit, etiamsi actu de Deo non cogitet; nisi impediatur per aliquam inordinationem actus, qui non sit referibilis in Deum. Sed hoc esse non potest, quin sit peccatum saltem veniale.*

Et rursus (*De Malo Q. 9. art. 2.*): *Contingit quandoque, quod homo* actu *non ordinet aliquem actum in Deum, cum tamen actus ille de se non contineat aliquam inordinationem, ratione cuius non sit in Deum referibilis: et tamen quia mens hominis est habitualiter relata in Deum sicut in finem, actus ille non solum non est peccatum, sed etiam est actus meritorius.*

10. Hinc illud, quod sic habet Valentia (*In 1. 2. Disp. 8. Q. 6. Punct. 3.*): *Notandum est, non oportere, ut actu explicito sive praesenti, sive paulo ante elicito opera iustorum, ad hoc ut sint meritoria de condigno, referantur in Deum; sed satis esse ad id virtualem relationem consistentem in hoc, quod iustus* ALIQUANDO *se et sua omnia per charitatis actum in Deum retulerit.*

2° affinitas ex incestu; 3° cognatio spiritualis; 4° impotentia corporalis.

909. **Principia.** — I. Quilibet coniux voto castitatis innodatus, vel affinitate ex proprio facto contracta impeditus, sub gravi de-

Et communem hanc esse in scholis doctrinam testis est Montesinos, qui (*In 1. 2. Q. 1. art. 4. q. 1. n. 13.*) diserte scribit: *Est doctrina communis Theologorum..., quod actus virtutis cuiuscumque moralis tendat in proprium obiectum ratione propriae honestatis: nihilominus implicite et natura sua absque aliquo alio tendit in Deum:* NEQUE OPUS EST, UT EXPRESSE ORDINETUR IN IPSUM.

Concludamus itaque, falsum omnino esse principium illud, quod VV. assumunt, nempe *positive* excludi finem illum, circa quem agens *negative* se habeat, idest de quo inter agendum non cogitet: quinimo eiusmodi principium ad doctrinas erroneas et ab Ecclesia damnatas directe adducere.

11. Quod vero magis mirabile videri potest, non satis advertunt VV., per illud ipsorum principium etiam S. Doctorem Alphonsum eadem omnino damnatione involvi. Haec enim sunt verba S. Doctoris (*De Act. Hum. n. 44.*): *Quamvis aliquis, accedens ad mensam, non cogitat de conservatione vitae, sed* SOLUM *de cibi delectatione, ut ait Gonet, non propterea peccat; quia talem delectationem, saltem virtualiter, vult propter conservationem vitae, sicque non inordinate illam appetit.* Manifestum porro est, eum, qui accedit ad mensam mere cogitans de voluptate ex cibis capienda, nihil vero de conservatione vitae, *negative* se habere quoad intrinsecum hunc cibi finem. Atqui, inquiunt VV. (*sup. n. 6.*), *sive positive, sive negative alii fines excludantur, semper verum est, quod talis operans agat propter solam voluptatem.* Ergo et S. Alphonsus (iuxta VV. principia et ratiocinia) licitum esse docet, comedere *propter solam voluptatem,* atque adeo damnatam profitetur doctrinam, quod *comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini:* quae est propositio VIII. ab Innocentio XI. proscripta!!

Et ad confirmandam (si Superis placuerit) eiusmodi condemnationem doctrinae S. Alphonsi concurrunt et ea, quae VV. (*Pag. 837.*) afferunt ex Martinet (*Theol. Mor. Lib. 5. art. 8. §. 6.*) in praedicti eorum principii confirmationem. *Quod* (inquiunt) *recte exprimit cl. Martinet his verbis: « Qui » in copula, coniugii fines nec excludens, nec intendens, solam quaerit » delectationem, inordinate profecto agit, nec excusari potest a culpa ve- » niali, ex damnata ab Innoc. XI. Prop.: Opus coniugii etc.* » Et sane qui in actione neque excludit eius proprios fines, neque expresse eos intendit, hic profecto relate ad eos fines *negative* se habet. Atqui hoc nimirum illud est, quod praeferunt S. Alphonsi verba de eo, qui ex cibo quaerens *solum* delectationem, neque excludit finem conservationis vitae, neque hunc intendit, quippe qui de eo non cogitat; iuxta Martinet autem qui ita operatur, excusari non potest a culpa ex damnata ab Innoc. XI. Propositione. Ergo S. Alphonsus, qui docet, hunc non peccare, incidit in damnatam doctrinam!!

12. Sed iterum non minus mirabile videri debet, quod VV. easdem illas *Notas,* quas, ut vidimus, damnati dogmatis incusant, has deinde dicunt non longe distare a S. Alphonso. Sic enim ipsi (*Pag. 834.*) scribunt: *In quantum vero P. B. dicit: « Ut honeste quis delectationem ex ludo... » capiat, nequaquam opus est, ut de ludi fine sive intrinseco, sive ulte- » riori cogitet;» a S. Alphonso non longe distaret, si adderet, aliquem finem honestum esse necessarium, saltem virtualiter intentum. — Ait enim S. Doctor* (*De Act. Hum. n. 44. in fine*): *« Non requiritur quippe » actualis relatio omnium sive verborum, sive operum in bonum hone- » stum: quod esset importabile pondus, et res sexcentis implexa scrupu-*

bitum petere prohibetur: alteri tamen coniugi petenti reddere potest, quin etiam tenetur, cum altera pars iure suo privari non possit. Plures sunt, qui hoc ipsum extendunt ad coniugem, qui praeter necessitatem prolem suam baptizaverit. Satis tamen pro-

» *lis; sed sufficit virtualis, ut diximus. Unde, quamvis aliquis accedens* » *ad mensam non cogitat de conservatione vitae* » etc. (ut supr. n. praec.).

13. Resp. Ut probe dignoscatur, quanta et cuiusmodi intercedat distantia inter sensum *Notae* illius et S. Alphonsum in tam gravi quaestione, praestat integrum *Notae* contextum prae oculis habere, qui est huiusmodi (*Not. ad n. 28. Vol. 1.*): *Exclusio finis negativa actum non vitiat; neque enim ad actionis honestatem necesse est de ulteriori aut etiam de fine operis intrinseco cogitare. Proinde ut honeste quis delectationem ex ludo, aut cibo, aut quiete capiat, nequaquam opus est, ut de ludi, aut cibi, aut quietis fine sive intrinseco sive ulteriori cogitet; sed satis est, ut actionem ceu rectae rationi consonam apprehendat, seu etiam ut nihil in ea ordini rationis contrarium inveniat.*

Et hisce prorsus consona sunt, quae in huius quoque loci *Nota* sic leguntur: *Communis ac certa doctrina tradit* (*Vid. quae ex S. Thoma attulimus Vol. 1. nn. 31. 32.*) *ad actum bonum satis esse, quod fines aut ulteriores aut operi intrinseci non excludantur, licet quoad ipsos agens alioquin negative se habeat, idest de iis inter operandum minime cogitet, sed solum generali quodam conceptu actum ut sibi licitum atque adeo honestum apprehendat.*

Nunc vero inquiramus, an in hisce illud desit, quod VV. desiderandum dicunt, *finis nempe honestus saltem virtualiter intentus.* Atqui caecutiat oportet, quisquis finem honestum, seu, ut ait S. Alphonsus, *bonum honestum,* heic non videat nedum *virtualiter*, sed omnino *actualiter* intentum.

Et sane in altero textu diserte exigitur, ut operans *actionem apprehendat ceu rectae rationi consonam.* Atqui S. Thomas rationem boni honesti in eo reperit, ut ratione ordinetur. Ita S. Doctor (*1. 2. Q. 39. art. 2. O.*): *Omne bonum honestum ex his duobus procedit, scilicet ex rectitudine rationis et voluntatis.* Et rursus (*2. 2. Q. 145. art. 2. ad 3.*): *Dicitur aliquid honestum..., in quantum habet quemdam decorem ex ordinatione rationis. Hoc autem, quod est secundum rationem ordinatum, est naturaliter homini conveniens etc.* Et alio modo idem S. Doctor (*2. 2. Q. 145. art. 1. O.*): *Honestum proprie loquendo in idem refertur cum virtute.* Porro de virtute sic loquitur (*2. 2. Q. 23. art. 3. O.*): *Humana virtus, quae est principium omnium bonorum actuum hominis, consistit in attingendo regulam humanorum actuum... Unde virtus moralis definitur per hoc, quod est secundum rectam rationem.* Quod quidem deinde alibi repetit (*2. 2. Q. 145. art. 2. O.*) inquiens: *Hoc autem pertinet ad rationem honesti, quod diximus, idem esse virtuti, quae secundum rationem moderatur omnes res humanas.* Quando itaque in *Nota* dicitur, actionem apprehendi atque adeo elici ceu *rectae rationi consonam,* nonne aperte dicitur, voluntatem in *bonum honestum* ac virtutem *actualiter* tendere?

Et in altero textu nonne disertissime dicitur, voluntatem tendere in id, quod *sibi licitum atque adeo* HONESTUM *apprehendit?* Atqui sic voluntas non iam mere *virtualiter*, sed prorsus *actualiter bonum honestum* prosequitur. Quorsum itaque VV. has Notas incusant, quasi iuxta eas desit *finis honestus,* in quem actio tendat?

14. Utut vero falsum sit, iuxta *Notarum* sensum deesse actionibus relationem ad *bonum honestum,* concedendum est tamen id, quod VV. dixerunt, harum *Notarum* sententiam distare ab assertione S. Alphonsi, saltem si haec verbo tenus accipiatur; nam S. Doctor ad actus honestatem

babilis est sententia, quae id negat, eamque tenent plures et graves doctores, ut ait *S. Alphonsus Lib. 6. n. 150.*

II. Neuter coniux debitum petere aut reddere potest, si vel castitatis voto devincitur uterque, vel uterque affinitatem, aut spi-

mere exigit, ut bonum honestum *virtualiter* intendatur· dum in Notis exigitur, ut *actualiter* voluntas in *bonum honestum* tendat. At vero estne haec distantia seu sententiarum discrimen talis naturae, ut merito VV. contendant, sententiam *Notarum* ad S. Alphonsi sententiam esse deflectendam? Ego vero putaverim, haud paucos de hoc dubitaturos valde esse; idque aliam ob causam.

Et re quidem vera si S. Doctoris sententia verbo tenus accipiatur, iam quaerere subit, undenam exsurgat *virtualis* illa relatio in *bonum honestum*, seu quomodo *bonum honestum* ibi *virtualiter* intendatur. Exemplum enim, quod S. Doctor subiicit, est *delectatio* ex cibo hausta. Quaeret ergo quispiam: Quo pacto ista delectatio ad bonum honestum virtualiter refertur, seu quomodo bonum honestum in ea *virtualiter* intenditur? Id enim procedat oportet vel ex praecedenti aut actuali intentione agentis, prouti fit, cum quis media *ordinat* ad finem, vel id, citra omnem agentis additam intentionem, orietur ex natura ipsa delectationis, non secus ac cum S. Thoma vidimus, omnes omnium virtutum actus suapte natura *virtualiter* ad finem charitatis referri, etsi qui agit, nihil de charitate cogitet. Atqui in casu primum manet exclusum, quia, ut ait S. Alphonsus, accedens ad mensam SOLUM *de cibi delectatione cogitat.* Si autem alterum dicas, curnam vero (scitabitur quispiam) peccare eum coniugem dicemus, qui accedens ad coniugem *non cogitat de conservatione humanae speciei* (aut alio matrimonii fine), *sed* SOLUM *de copulae delectatione?* Cur non posset quis contendere, hunc *non peccare,* addita S. Alphonsi ratione (*sup. n. 11.*), *quia talem delectationem, saltem virtualiter, vult propter conservationem humanae speciei,* aut propter concupiscentiae remedium, *sicque non inordinate illam appetit?* Alioquin vero num arridere haec VV. possunt, qui interim notionem relationis virtualis ex hoc S. Alphonsi loco desumendam proponunt?

15. Caeterum multo congruentius putabitur, eam S. Doctoris locutionem prorsus esse ellipticam, et subintelligi, eum qui accedit ad mensam, cibi sumptionem nosse et apprehendere ut actionem per se licitam et rationi consonam.

Et hoc quidem pacto facile intelligitur, quomodo agens in casu conservationem vitae, et generatim fines illos, qui actionem cohonestant, virtualiter velit. Quippe dum vult actum ceu rationis ordini consonum, profecto virtualiter vult ea, propter quae actus est consonus ordini rationis, quamvis de iis tunc non cogitet, imo etiam haec prorsus ignoret.

Quinimo non alia profecto norma infirmae hominum conditioni apparet consentanea, cuius ope ad agendum honeste dirigantur, quam ut generatim actionem licitam apprehendant. Et reipsa quis enimvero ad honestatem actionis insuper exigat, ut agens etiam rationes habeat prae oculis, propter quas actio censeri honesta potest? Haec rationum inquisitio et philosophis et theologis relinquitur, qui alioquin in iis designandis saepe valde laborant, et non raro etiam inter se reperiuntur dissidentes, uti in praesenti quoque materia cernimus eos inter se non convenire, utrum v. gr. licite appetatur remedium matrimonii ratione sanitatis, aut vitandi in se incontinentiae periculum. Quomodo itaque ad honeste agendum haec norma communi fidelium conditioni proponeretur?

Et huc quidem spectare ea dicenda sunt, quae etiam VV. afferunt ex S. Alphonso (*De Act. Hum. n. 44.*), ubi scribit: *Non requiritur quippe actualis relatio omnium sive verborum, sive operum in* BONUM HONESTUM;

ritualem cognationem ex propria opera contraxit; etenim propter votum vel peccatum uterque impeditur. Postremum tamen hoc impedimentum ob cognationem spiritualem alii, ut dictum est, incurri negant.

quod esset importabile pondus, et res sexcentis implexa scrupulis; sed sufficit virtualis. Namque a vero prorsus abhorret, quod S. Doctor significare voluerit, non esse necessariam conscientiam honestatis actionis, quam quis positurus est, ac sufficere tantum virtualem. Sensus ergo hic illis verbis subiici debet, non esse necessariam actualem relationem seu directionem actionis in eos fines intrinsecos, ad quos suapte natura ordinatur, sed sufficienter eos virtualiter intendi eo ipso quod generatim actio noscitur honesta, seu etiam quod nihil in ea actione deprehenditur ordini rationis adversum.

Concludamus igitur, 1° nullo iure VV. postulasse, ut sententia in *Notis* expressa ad S. Alphonsi deflectatur sententiam, si haec verbo tenus accipiatur; 2° Si autem obscurus illius ellipticae locutionis sensus apte, uti par est, intelligatur, nihil *Notarum* sensum a *sensu* S. Doctoris distare.

16. Nonnulla nunc de iis, quae per novem columnas (*Pag. 832–836.*) VV. disserunt in Articulo, cui titulum inscribunt: *Perpenditur doctrina P. Ballerinii de actibus delectabilibus in genere.*

Ex *Nota* itaque ad n. 28. Vol. 1., ubi tangitur discrimen inter agentes ob delectationem, et agentes ob SOLAM delectationem, VV. (*Pag. 833.*) haec verba afferunt: *At primum illud* (scilicet *agere propter delectationem*) *nullam eiusmodi inordinationem involvit* (*nempe ulteriorem operis finem positive non excludit*). *Nam primo quidem delectatio, ut ait S. Thomas* (*Contr. Gent. Lib. 3. C. 26. n. 6.*), *bona est et appetenda, si bonam consequatur operationem: et proprium virtutis temperantiae est, ut usum delectabilium moderetur, et ab iis quidem retrahat, quae sunt contra rationem, non vero ab iis, quae secundum rationem sunt convenientia* (*Vid. S. Thom. 2. 2. q. 141. art. 1. ad 1.*).

Opponunt autem VV. ex eodem S. Thomae loco, quae sequuntur: *Si delectatio esset ultimus finis, ipsa secundum seipsam esset appetenda. Hoc autem est falsum.... Nam delectatio, quae consequitur bonas et appetendas operationes, bona est et appetenda; quae autem malas, mala est, et fugienda. Habet igitur, quod sit bona et appetenda* EX ALIO. Et rursus (*Ibid.*): *In naturalibus autem est delectatio propter operationem, et non e converso; videmus enim, quod natura illis operationibus animalium delectationem apposuit, quae sunt manifeste ad fines necessarios ordinatae... Nisi enim adesset delectatio, animalia a praedictis usibus necessariis abstinerent.* Et Cap. 27.: *Ostensum est enim, quod secundum naturae ordinem delectatio est propter operationem, et non e converso.*

17. Resp. 1° In *Nota* non negatur, quod delectatio sit bona vel non bona, atque ideo appetenda vel fugienda, prout operatio, unde hauritur delectatio, est aut non est bona. Idcirco neque negatur, quod delectatio EX ALIO habeat, quod sit bona et appetenda. Respondendum ergo est: *Transeat Antecedens,* et *Nego Consequentiam,* idest quidpiam ex priori illo textu contra *Notam* inferri.

Dixi, *Transeat Antecedens;* quia cum alioquin ex eodem S. Thoma delectatio, qua delectatio, sit aliquod bonum, obiectus eiusdem S. Doctoris textus indiget aliqua explicatione. Hanc autem nobis suppeditat Franciscus De Silvestris, vulgo *Ferrariensis,* in Comment. ad hunc S. Thomae locum, ubi sic disserit: *Aliquid potest dici bonum et appetibile dupliciter. Uno modo in esse naturae. Alio modo in genere moris. Primo modo, consideratur bonitas rei absolute secundum quod in se est. Secundo modo, consideratur in ordine ad rectam rationem; dicitur enim bonum moraliter,*

910. **Resolves.** — 1° Debitum reddere potest, quin imo tenetur, non solum qui post initum matrimonium, sed etiam qui ante matrimonium, votum iuri alterius oppositum emisit; nam licet matrimonium contrahendo graviter peccaverit, valide tamen tradidit con-

quod est conforme et proportionatum rectae rationi, et est secundum rectam rationem appetibile. Propositio ergo haec, delectatio non est secundum se appetenda, sed ex operationibus, quas consequitur, *est intelligenda in genere moris, non autem secundum esse naturae. Sic enim verum est, quod ex se non est appetenda, quia ex se non dicit aliquod bonum concors rationi, aut discordans ab ea, sed ex operationibus, quod illi sit conformis aut difformis: in esse tamen naturae* EST BONA ET APPETIBILIS SECUNDUM SE : *propter quod inquit S. Thomas in 4. Dist. 49. Q. 3. art. 4., quod delectatio, in quantum delectatio, aliquod bonum nominat.*

Et reipsa S. Thomas loc. hic cit. qª. 1. ad 3. obiectionem, quae est huiusmodi: *Omne esse, in quantum huiusmodi, est bonum. Ergo et illud, quod est ultima entis perfectio, universaliter est bonum: sed delectatio est ultima entis perfectio, perficit enim operationem, quae est actus secundus. Ergo omnis delectatio est bona;* ad hanc, inquam, obiectionem sic respondet: *Ad tertium dicendum, quod illa ratio non probat delectationem esse bonum, nisi inquantum est delectatio.* Et exinde solvens argumenta dicentium, *omnem delectationem esse malam,* subdit: *Dicendum est, quod virtuosus non fugit quamlibet delectationem, immo propriam delectationem amplectitur, quod est delectari de operibus virtutum; fugit autem delectationes inordinatas.* Et rursus (*Ibid. qª. 3. ad 4.*): *Dicendum, quod cuiuslibet rei finis est sua perfectissima operatio; ideo omnes delectationem appetunt, qua operatio perficitur, sicut et propriam operationem perfectam; et sicut accidit error in appetitu operationis, quia quidam insistunt operationibus extraneis, dimissis propriis operationibus, ut omnes mali sequentes operationes bestiales, dimissis humanis, ita etiam quidam loco propriarum delectationum extraneas sequuntur.* Ita S. Doctor.

Itaque Resp. 2°, ex doctrina S. Thomae, delectationem *in esse naturae* et bonam et appetibilem *secundum se esse; in genere autem moris* et bonam et appetibilem esse, cum consentanea est ordini rationis; et postremo quidem hoc sensu S. Thomam dixisse, delectationem *ex alio* habere quod et bona et appetenda dicatur. Ergo concludere rursum licet, quod prior ille textus S. Thomae contra *Notam* obiectus, ad rem minime facit. Quippe in *Nota* idipsum affirmatur, quandoquidem de delectatione agitur, *quae ordini rationis concors supponitur.* Sed iam ad alterum obiectum S. Thomae locum.

18. Magnam in hoc textu inesse vim VV. putaverunt, quod in eo affirmet S. Thomas (*sup. n. 16.*), quod *secundum naturae ordinem delectatio est propter operationem, et non e converso.* Unde sic instituunt argumentum (*Pag. 853.*): *Delectatio in recte operante est propter operationem, seu* MEDIUM AD FINEM, *minime vero operatio propter delectationem.*

Resp. 1° *Distinguo:* ea S. Thomae sententia ferit operantem *propter* SOLAM *delectationem*, *Concedo;* ferit etiam operantem propter delectationem, sed non propter eam SOLAM, *Nego.* Sic enim S. Thomas mentem suam explicat in alio loco, quem etiam VV. (*l. c.*) allegant, nimirum Contr. Gent. Lib. 4. Cap. 83., ubi ait: *In hac vita inordinatum et vitiosum est, si quis cibis et venereis utatur* PROPTER SOLAM DELECTATIONEM, *et non propter necessitatem sustentandi corporis etc.* Et rursus: *Est ergo ordo praeposterus et indecens, si operationes propter* SOLAS *delectationes exerceantur.* Porro in *Nota* expresse dicitur, non excludi intrinsecos operationis fines, v. gr. sustentationem corporis, etsi quis comedat propter delectationem, utcunque

iugi illud, quod Deo promiserat; alioquin alter coniux, votum alterius ignorans, ius in rem vi contractus validi acquisivit.

2° Debitum petere ac reddere potest, qui post matrimonium initum vovet religionem ingredi, vel sacros Ordines suscipere post

inter comedendum de illa corporis sustentatione non cogitet. Alioquin vero nonne etiam S. Alphonsus scribebat (*sup. n. 11.*): *Quamvis aliquis, accedens ad mensam, non cogitat de conservatione vitae, sed* SOLUM *de cibi delectatione..., non propterea peccat?* Non ferit igitur ea S. Thomae sententia *Notae* doctrinam, sicut nec S. Alphonsi doctrinam ferit.

19. Resp. 2° Dum VV. ex S. Thoma volunt concludere, quod *delectatio in recte operante est propter operationem, seu medium ad finem,* non satis assecuti videntur sensum illius sententiae, quod *secundum naturae ordinem delectatio est propter operationem, et non e converso.*

Audiendus hic fidelissimus ille S. Thomae interpres, Ferrariensis (*Comment. ad Cap. 83. Lib. 4. Contr. Gent.*), qui illius sententiae vim pulchre sic exhibet: *Advertendum est* (inquit), *quod, cum dicitur delectationes ciborum et venereorum non esse propter se, sed propter operationes, aliud est dicere delectationes esse propter operationes, et aliud ipsas quaeri propter operationes. Nam ipsas esse propter operationes, dicit ordinem ipsarum secundum utrorumque* INSTITUTIONEM AB AUCTORE NATURAE, *et secundum naturae intentionem. Deus enim, qui naturam instituit, ordinavit praedictas operationes ad conservationem individui et speciei; istis autem operationibus addidit delectationes, ut ex harum appetitu huiusmodi operationibus animalia intenderent, et sic voluit delectationes propter operationes esse. Delectationes autem quaeri propter operationes, dicit ordinem ipsarum secundum* QUOD TERMINANT ACTUM APPETITUS; *et tunc si... ad appetitum sensitivum comparentur, sic non quaeruntur delectationes propter operationes,* SED E CONTRARIO OPERATIONES PROPTER DELECTATIONES, *ut inquit S. Thomas 1. 2. q. 4. art. 2. ad 2.*

Qua de re alibi (*Comm. ad Lib. 3. C. 26.*) idem Ferrariensis ait: *Loquitur ergo in hoc loco S. Thomas de illo ordine comparando* AD INTENTIONEM INSTITUENTIS *naturam et ordinem; in loco autem allegato loquitur de ipso ordine, comparando ipsum* AD APPETITUM SENSITIVUM. Et paulo post: *Duplex est intentio instituentis naturam in ordine huiusmodi* (ordine scilicet inter operationes et delectationes); *una est prima et principalis, alia est secundaria. Prima et principalis est, ut individua et species per operationes conserventur, et ad hoc operationibus adiuncta est delectatio. Secundaria est, ut quaerant operationes ex appetitu delectationis,... sicut si diceremus, quod lex proponens praemia studiosarum operationum, primo et principaliter intendit, ut homo studiosis operibus vacet, et ad hoc ordinat praemium; secundario autem et accessorie intendit, quod homo allectus praemio quaerat propter praemium consequendum studiosas operationes.*

Ex mente igitur S. Thomae, dum dicitur, *delectationem esse propter operationem, et non e converso,* id utique intelligendum est *de intentione Dei instituentis naturam;* quia ideo Deus delectationem operationibus adiunxit, ut ex appetitu delectationis quaererentur operationes. Secus vero si ordo inter delectationes et operationes consideretur, secundum quod terminant actum appetitus. Sic enim non quaeruntur delectationes propter operationes, sed e contrario operationes quaeruntur ad consequendam delectationem. Ergo perperam VV. scribebant, delectationem in agente esse propter operationem, *ceu medium ad finem.*

Idque luculentissime ostendit allata comparatio cum praemio, quod praestitutum sit v. gr. elegantiori elegiae aut picturae. Numquid enim non absurde diceretur, poetam aut pictorem ordinare praemium ad opus, ceu

obitum uxoris; nec dispensatione indiget; nam eiusmodi vota non obligant, nisi post matrimonii solutionem.

3° Iuxta communiorem et probabiliorem sententiam, debitum petere potest coniux ligatus voto, aut impedimento (post initum

medium ad finem, et non e converso ordinare opus suum ad quaesitum praemium obtinendum?

20. Sed rursus assertio VV., quod delectatio ex parte agentis se habeat ad operationem ceu *medium ad finem*, a doctrina S. Thomae alio modo ostenditur aliena. Obiicit sibi S. Doctor (*Contr. Gent. Lib. 3. C. 26. ob. 3.*): *Delectatio videtur ita propter se desiderari, quod nunquam propter aliud. Stultum enim est quaerere ab aliquo, quare velit delectari. Haec autem est conditio ultimi finis, ut scilicet propter se quaeratur.*

Porro S. Thomas non negat huius argumenti antecedens, sed hoc concesso, negat consequens. *Neque autem* (inquit) *quod delectationem non propter aliud volunt homines, sed propter seipsam, est sufficiens signum, quod delectatio sit ultimus finis.... Nam delectatio etsi non sit ultimus finis, est tamen ultimum finem concomitans: cum ex adeptione finis delectatio consurgat.*

Haec eadem autem videsis alibi sic clarius a S. Thoma exposita (*In 4. Dist. 49. Q. 3. art. 4. q^a. 3. ad 3.*). Denuo enim sibi obiicit: *Illud, quod desideratur tantum propter se, et nunquam propter aliud, est ultimus finis; sed delectatio est huiusmodi; stultum est enim quaerere, quare aliquis velit delectari.* Et S. Doctor respondet: *Ad tertium dicendum, quod de illis ordinatis ad finem consuevimus quaerere, propter quem finem fiant, quae fini non sunt coniuncta. De iis vero, quae fini coniunguntur, talis quaestio non fit, quia statim apparet, ea esse appetibilia: et quia delectatio est coniuncta operationi perfectae, quae est finis, ideo non consuevit quaeri, propter quid aliquis velit delectari. Et praeterea delectatio dicit quietationem appetitus in aliquo: unde quaerere, quare aliquis velit delectari, est idem quod quaerere, quare velit appetitum suum quietari, quod idem est ac si quaereretur, quare aliquis* VELIT FINEM VOLUNTATIS CONSEQUI.

Itaque si iuxta S. Thomam delectatio non quaeritur propter aliud, manifestum est, non igitur delectationem ab agente quaeri, quasi medium ad finem.

21. Et plane dignus, ut advertatur, modus est, quo Ferrariensis (*Comm. ad cit. C. 26.*) hanc S. Thomae doctrinam conciliat cum alia, ubi S. Thomas dicit, quod delectatio quaeritur propter aliud.

Delectatio (inquit Ferrariensis) *ultimum finem concomitatur, et ex hoc scilicet habet, ut non quaeratur ab hominibus propter aliud, licet non sit ultimus finis.* Apparentem autem pugnam sic innuit: *Dictum est, quod delectatio in comparatione ad operationem est similis perfectioni, quae ordinatur ad speciem rei et quod res est finis talis perfectionis; ex quo apparet, quod delectatio quaeritur propter aliud: hic autem dicitur, quod delectationem homines volunt non propter aliud.*

Ad quam difficultatem solvendam, ut modo alia omittamus, Ferrariensis haec praemittit: *Delectatio et operatio, ad quam consequitur, se habent non sicut duo bona* (*In 4. Dist. 49. Q. 3. art. 4.*), *sed sicut unum bonum, in quantum delectatio* EST PERFECTIO OPERATIONIS. *Sicut enim ex perfectione et perfectibili fit una res perfecta, ita ex operatione et delectatione fit una perfecta operatio, quae est felicitas. Inde est, quod sicut operatio ultima et perfectissima hominis ad nullam aliam intrinsecam perfectionem hominis ordinatur, ita neque delectatio, quae ipsam comitatur et perficit: ideo non consuevit quaeri, quare aliquis velit delectari.... Sed licet delectatio non quaeratur propter aliquid aliud ab ipsa separatum*

matrimonium contracto) affinitatis, cum advertit, compartem, petere non audentem, versari in periculo incontinentiae. Petere etiam potest, quoties alter *interpretative* petit, ex. gr. quando mulier verecundia detinetur, ac vir sentit, ut ait *S. Thomas*, eius volunta-

tamquam per ipsam acquirendum, ipsa tamen ordinatur ad operationem, quam comitatur, tamquam ad finem, SICUT ET OMNIS PERFECTIO SUPERADDITA SPECIEI, QUAE SCILICET AD EIUS (*speciei*) CONSERVATIONEM AUT DECOREM PERTINET, AD IPSAM SPECIEM, SICUT AD FINEM ORDINATUR, *utpote quae perficit operationem, ut decor iuventutem, quem* (decorem) *constat esse propter eum, cui inest iuventus, non autem e converso.*

Sensus itaque, quo S. Thomas dicit, delectationem esse propter operationem, et non e converso, huc demum recidit, quod delectatio ordinatur ad operationem, sicut quaelibet perfectio ordinatur ad rem, quam perficit, non secus ac decor perficit iuventutem, et (ut alibi ait S. Thomas) sicut sanitas perficit hominem; quocirca dicimus, sanitatem esse propter hominem, non autem e converso. Ita S. Doctor (*1. 2. q. 33. art. 3.*): *Delectatio dupliciter operationem perficit. Uno modo per modum finis, non quidem secundum quod finis dicitur id, propter quod aliquid est, sed secundum quod omne bonum completive superveniens, potest dici finis; et secundum hoc dicit Philosophus, quod delectatio perficit operationem, sicut quidam superveniens finis, in quantum scilicet super hoc bonum, quod est operatio, supervenit aliud bonum, quod est delectatio, quae importat quietationem in bono praesupposito. Secundo modo ex parte causae agentis, non quidem directe, quia Philosophus dicit, quod perficit operationem delectatio, non sicut medicus sanum, sed sicut sanitas: indirecte autem, in quantum scilicet agens, quia delectatur in sua actione, vehementius attendit ad ipsam.* Et in resp. ad 3.: *Contingit, quod duo sibi invicem sunt causa: ita quod unum sit causa efficiens, et aliud causa finalis alterius: et per hunc modum operatio causat delectationem, sicut causa efficiens: delectatio autem perficit operationem per modum finis.* Porro hic sensus nihil commune habet cum alio sensu, quem VV. huic sententiae Angelici Doctoris affingunt, nempe delectationem se ad operationem habere, ceu *medium ad finem.*

22. Caeterum est et alius sensus, quo iuxta S. Thomam delectatio est propter aliud; quem quidem obiter indicatum in cit. *Nota* cernere est, ubi mentio fit *ludi,* et doctrinae S. Thomae de *virtute temperantiae.*

S. Thomas nimirum alicuius delectationis necessitatem quandam sic proponit (*2. 2. Q. 168. art. 2. O.*): *Sicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non potest continue laborare..., ita etiam est ex parte animae.... Et ideo quando ultra modum suum in aliquas operationes se extendit, laborat, et ex hoc fatigatur, praesertim quia in operationibus animae simul etiam laborat corpus, in quantum scilicet anima intellectiva utitur viribus per organa corporea operantibus... Sicut autem fatigatio corporalis solvitur per corporis quietem; ita etiam oportet, quod fatigatio animalis solvatur per animae quietem. Quies autem animae est delectatio, ut supra habitum est; et ideo remedium contra fatigationem animalem adhibetur per aliquam delectationem.* Et memorato responso, quod S. Ioannes Evangelista fecisse iis fertur, qui scandalizabantur ideo, quia eum invenerant cum discipulis ludentem, nempe, quod *animus hominis frangeretur, si nunquam a sua intentione relaxaretur,* subdit: *Huiusmodi autem dicta vel facta, in quibus non quaeritur nisi delectatio animalis, vocantur ludicra vel iocosa: et ideo necesse est talibus interdum uti quasi ad quandam animae quietem... Et ideo circa ludos potest esse aliqua virtus moralis..., inquantum per hanc virtutem homo refraenatur ab immoderantia ludorum.*

tem petendi; quia tunc potius est reddere quam petere. — *S. Lig. n. 931.*

4° Coniux tamen vinculo impeditus, ne ad vitandam quidem incontinentiam debitum exigere potest: incontinentiae quippe pe-

23. Sicut autem virtus omnis moralis *in medio* consistit, proinde S. Thomas postquam (*l. c. art. 3.*) ostendit contra hanc virtutem peccari posse per excessum, ostendit insuper (*Ibid. art. 4.*) peccari posse et per defectum. Ad quaestionem enim, *utrum in defectu ludi consistat aliquod peccatum*, respondet: *Dicendum, quod omne quod est contra rationem in rebus humanis, vitiosum est. Est autem contra rationem, ut aliquis se aliis onerosum exhibeat, puta dum nihil delectabile exhibet, et etiam eorum delectationes impedit... Illi autem, qui in ludo deficiunt, nec ipsi dicunt aliquod ridiculum, et dicentibus molesti sunt, quia scilicet moderatos aliorum ludos non recipiunt, ideo tales vitiosi sunt, et dicuntur duri et agrestes.*

Quinimo (*art. 3. ad 3.*) addit, neque ab austeritate hos ludos respui: *Austeritas* (inquit) *secundum quod est virtus, non excludit omnes delectationes, sed superfluas et inordinatas.*

Subdit tamen (*Ibid. O.*): *Sed quia ludus est utilis propter quietem et delectationem: delectatio autem et quies non propter se quaeruntur in humana vita, sed propter operationem..., ideo defectus ludi minus est vitiosus, quam ludi superexcessus.* Et huc spectant et ea, quae (*l. c. art. 2. ad 3.*) S. Doctor dixerat: *Ipsae operationes ludi secundum suam speciem non ordinantur ad aliquem finem; sed delectatio, quae in talibus actibus habetur, ordinatur ad aliquam animae recreationem et quietem.*

Quomodo autem delectatio ex ludis ad operationem ordinetur sic explicat S. Doctor (*In C. 3. Isaiae ad fin.*), ubi de ludis chorealibus disserit: *Quia impossibile est semper agere in vita activa et contemplativa, ideo oportet interdum gaudia curis interponere, ne animus nimia severitate frangatur, et ut homo promptius vacet ad opera virtutum.*

24. Ex hac porro doctrina Angelici haud aegre deduci quidpiam potest, quod et ad praecipuum huius *Notae* argumentum conferat. Ex praemissis enim *oportet interdum gaudia curis interponere,* et *contra fatigationem animalem remedium per aliquam delectationem exhibere.* Et quidem moderatus delectationis usus adeo per se non est malus, ut potius sit actus virtutis, et, prout addit idem S. Thomas (*l. c. in Cap. 3. Isaiae*), in eo, qui sit in statu gratiae, etiam ludus chorearum sit actus aeternae vitae meritorius (*Vid. Not. ad n. 32. Vol. 1. Q. 6.*).

Haec cum ita sint, quaerere enimvero iam liceat: involvitne aliquam inordinationem, quod in eos fines, de quibus paulo ante S. Thomas, remedium petatur a quapiam delectatione, quae in alium quoque finem a Deo naturae auctore ordinata noscatur? Equidem scribit S. Thomas (*2. 2. Q. 141. art. 4.*): *Quia delectatio consequitur operationem naturalem, tanto aliquae delectationes sunt vehementiores, quanto consequuntur operationes magis naturales. Maxime autem naturales sunt operationes, quibus conservatur natura individui per cibum et potum.* Quaeritur itaque: Praefertne inordinationem aliquam, quod cibi et potus delectatio, quam ad naturae conservationem Deus ordinavit, etiam in alium finem adhibeatur?

Profecto idem S. Thomas, qui (*l. c.*) dixerat, quod *circa huiusmodi delectationes est maxime temperantia,* et (*l. c. art. 6.*) addiderat, quod *temperantia accipit* NECESSITATEM *huius vitae sicut regulam delectabilium, ut scilicet tantum eis utatur, quantum* NECESSITAS *huius vitae requirit,* approbat tamen (*Ibid. ad 2.*) quod *temperatus appetit alia delectabilia, quae scilicet* NON SUNT NECESSARIA *ad sanitatem vel ad bonam habitudinem,*

riculum est quidem causa dispensationem, vel suspensionem voti obtinendi, non vero debitum petendi. — *Ita Sanchez, aliique.* — Ipsi tamen haud illicitum videtur, alterum coniugem de proprio periculo monere, eumque rogare, ut hac de causa subinde exigat.

non impedimenta his existentia. Et addit (*Ibid. ad 3.*) *quod temperantia respicit necessitatem quantum ad convenientiam vitae, quae quidem attenditur non solum secundum convenientiam corporis, sed etiam secundum convenientiam exteriorum rerum.* Ad quem locum Caietanus (*in Comment.*) subdit: *Sic omnis rectus usus delectabilium tollit aliquam indigentiam vel corporis, vel officii, vel honestatis simpliciter perfectioris.... Ut enim in littera patet, temperatus utitur et necessariis ad corporis conservationem et bonam habitudinem, et congruis iuxta facultates, officia, conversationem, et honestatem... Nam qui convivium celebraret non consonum gradui suo et convivarum, iuxta facultates et honestatem, non esset factum satis necessitati congruentiae praesentis vitae.... Necessitas ergo congruentiae praesentis vitae est regula temperantiae, secundum quam etiam imperat aliis virtutibus, puta, liberalitati, urbanitati, et si qua alias opus quandoque est.*

Remedium igitur et usus rectus delectationis, quae ex cibo ac potu capitur, multo ulterius sese porrigit, quam postulare videatur naturae institutio, quae eam delectationem ad individui conservationem ordinavit. Quemadmodum ergo iuxta S. Thomam, *quia impossibile est semper agere in vita activa et contemplativa, ideoque oportet gaudia curis interponere,* occasione laetitiae v. gr. in nuptiis rectus est usus delectationis, quae ex ludo chorearum percipitur; nonne idipsum dici potest et debet de delectatione, quae ex convivio laetitiae causa hauriatur? Profecto Pater evangelicus, qui (*Lucae 15.*) *dixit ad servos suos:... Adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus et epulemur,* hanc reddidit rationem: *Epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat et revixit.* Et huc etiam spectat, quod Dominus occasione nuptiarum (*Ioann. 2.*) aquam ita in vinum mutaverit, ut architriclinus sponso dixerit: *Omnis homo primum bonum vinum ponit; et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.* Nulla ergo inordinatio est, si delectatio quae per se ac primario ordinatur ad sustentandam vitam, ad alium honestum scopum huic fini extrinsecum adhibeatur.

Quid vero quod et ad laetitiam solemniorum in Ecclesia festorum dierum ex communi fidelium sensu pertinet, ut pro cuiusque facultate et conditione lautioribus et abundantioribus epulis exhilarari deceat? Et quidem honestissimum id esse, et Ecclesiae sensui plane consentaneum plane edocemur, ubi legimus S. Gregorium Nazianzenum in epistola ad Helladium (*Apud Mign. Epist. 120.*) et in altera ad Theodorum (*Ibid. epist. 121.*) gratias egisse pro munusculis, quae ab iis recurrente Paschatis solemnitate ad se missa fuerant. Quin et S. Basilius in epistola ad Amphilochium Iconii episcopum (*apud Mign. Epist. 232.*) haec munuscula non dubitat *diei festi symbola appellare. Cum autem* (inquit) *accedunt etiam festi symbola, quid aliud appellare oportet, nisi festum festorum, quemadmodum lex vetus Sabbata Sabbatorum solebat appellare?* Porro inter munuscula sibi missa commemorat etiam *bellaria* (τραγήματα); de quo dono alioquin subdit: *Non mihi est aetas ad rodendum, cum iampridem dentes et tempore et infirmitate sint extriti.*

Manifestum ergo est, nihil inordinatum in eo reperiri, quod delectatio a Deo naturae auctore in quempiam specialem finem instituta et ordinata, in alium honestum finem assumatur, quoties id fini a Deo instituto atque primario nulla ratione obstet, scilicet iuxta illud S. Thomae: *Temperatus*

Item excipe probabiliter, si agatur de impedimentis ab Ecclesia impositis, et dispensatio brevi obtineri nequeat, ac magnum periculum incontinentiae sit in mora.—*S. Lig. n. 930.* — Confer quae diximus

appetit alia delectabilia, quae scilicet non sunt necessaria ad sanitatem vel ad bonam habitudinem, non impedimenta his existentia.

25. Quae cum ita sint, et cum rationis ordini nullo modo adversetur delectatio ex lautiori iuxta cuiusque conditionem convivio sumpta, sive id postulet communis laetitiae occasio, festis quibusdam tum sacris, tum non sacris, recurrentibus diebus, cumque eadem laetitiae ratio eiusmodi delectationes cohonestet etiam inter privatos, si quando aut anniversaria caelestis patroni memoria recurrat, aut natalis dies alicuius e familia celebretur, aut generatim novi gaudii causam aliquam attulerit vel sanitas post gravissimum morbum tandem recepta, vel pinguis hereditas ex insperato acquisita, vel inopinatus inter suos e longissima ac discriminibus plena peregrinatione, vel diuturnis belli periculis reditus, vel novae cuiuspiam dignitatis vel praenobilis officii accessio etc. etc.; curnam vero a rationis ordine abhorrens dicemus, si quis quibuscumque demum curis, laboribus, negotiis, studiis, sollicitudinibus aliquo modo defatigatus, refocillationem et quampiam animi requiem, quae iuxta S. Thomam e delectatione hauritur, moderate praedicta ratione quaerat? Et siquidem etiam in hunc solummodo scopum huius delectationis *fruitione*, ut ait S. Thomas (*1. 2. q. 25. art. 2.*), se recreet, temperantiae alioquin ita legem servans, ut, quemadmodum inquit idem S. Thomas, nequaquam primario ac naturali operis fini ullum impedimentum afferatur, nonne illud iam habemus, quod VV. alioquin ceu damnatum traducunt, nimirum quod honeste propter delectationem seu voluptatem cibis ac potu quispiam uti potest?

26. Caeterum id, quod de ciborum ac potus delectatione dictum est, curnam vero et de voluptate ac delectatione dici non poterit, quae ex coniugalibus officiis in iisdem, ac supra, adiunctis quaeratur? Quid enim differt hic casus a praecedenti, quando quaesita hinc ad necessariam animi defatigati quietem delectatio finem a natura intentum iuxta S. Thomae doctrinam nequaquam impediat? Immo vero si cum S. Thoma perpendas hinc quidem necessitatem alicuius a curis, studiis, officiis, negotiis, ac laboribus levaminis, et quietis, quae a delectatione aliqua quaeri debeat, inde vero plurimorum conditionem, quibus honestam aliquam ac facilem delectationem vix aliunde petere datur, facile enimvero patebit, quomodo communissime contingere possit, ut opus coniugii, ad quod quaedam solatii, delectationis, voluptatisve aviditas adducat, hoc etiam fine, necessarii nempe alicuius levaminis ac quietis, prorsus cohonestari contingat.

Non est hic finis, inquies, propter quem Auctor naturae Deus delectationem eiusmodi operi apposuit. Respondere cum Salmanticensibus (*De Matr. Cap. 3. n. 28.*) liceat, quod *nulla lex praecipit, ut id, quod in opere primarium est, primo intendatur, dummodo honestum et bonum sit, quod intenditur, et maxime si sit operi intrinsecum.* Atqui, uti ex praemissis patet, honestum et bonum est defatigati animi quietem ex delectatione quaerere, et operi intrinsecum est hanc quietem per delectationem afferre. Hanc porro rationem Salmanticenses subdunt, *quia licet ex intentione operantis primario intendatur finis accidentalis, attamen ex intentione operis semper essentialis et primarius intenditur, quamdiu non excluditur.*

Et in eandem rem Aegidius Coninck (*Disp. 25. n. 17.*): *Etsi quaevis res a Deo, ut auctore naturae, sit principaliter in certum aliquem finem instituta, tamen saltem secundario est etiam instituta ad quosvis fines honestos, ad quos obtinendos habet aptitudinem. Oculi v. gr. praecipue nobis dati sunt ad videndum; sed secundario etiam ut alteri aliquid innuamus, dum hoc honesta utilitas postulat. Quare penitus omisso eorum fine*

tum de voti impedimento impediente, tum de impedimentis dirimentibus cognationis spiritualis et affinitatis.

II. *De circumstantiis modi vel situs.*

911. — I^a *Regula.* Situs prorsus licitus ille est, quem natura ipsa

primario possumus iis uti ad omnes huiusmodi fines honestos: quia ex nullo capite potest ostendi ulla ratio, quae nos obliget, ut quavis re semper utamur ad obtinendum praecipuum eius finem, aut hunc praecipue intendamus, praesertim quando positive non impedimus, quin hic sequatur. Atqui delectatio, quae ad animi defatigati quietem et ad animalis recreationem ex coniugii opere quaeratur, neque impedit, neque excludit fines a natura intentos, et alioquin plane rationi et legibus temperantiae concors, ut dictum est, reperitur. Ergo honeste atque adeo licite quaeritur, et ut medium ad operationem assumitur, quatenus homo deinde, ut ait S. Thomas (*sup. n. 23.*), *promptius vacet ad opera virtutum.*

27. Pauca quaedam hic addenda, ne quid praetermittatur eorum, quibus VV. columnas illas sex et triginta impleverunt.

Ad illa itaque, quibus in *Nota* ostenditur, iuxta doctrinam Apostoli et post Apostolum S. Io. Chrysostomi et S. Thomae, intrinsecum matrimonio finem inesse, ut concupiscentiae sit remedium, atque adeo tantum abesse, quod hic finis excludatur ab eo, qui voluptate illectus agit, ut potius eundem illum finem sectetur et impleat, duo sunt, quae VV. obiiciunt.

Atque haec primo (*Pag. 828.*) oggerunt: *Non licet, seu omni culpa non caret, uti coniugio mere ad captandam voluptatem, quia voluptas non est finis honestus.* Et in hanc rem afferunt verba Roncagliae (!).

Resp. 1° Parum tolerabile videri merito potest, quod VV. suo ipsorum marte addiderint vocem MERE, quo insinuant, in *Nota* doceri ceu licitum *agere ob solam voluptatem,* quando totius *Notae* contextus et scopus tendit ad eam damnatam opinionem excludendam. — Resp. 2° VV. ergo damnant potius S. Alphonsum, qui (*Vid. sup. n. 11.*) scripsit, eum non peccare, *qui accedens ad mensam non cogitat de conservatione vitae, sed* SOLUM *de cibi delectatione;* in quibus revera videsis particulam exclusivam SOLUM. Quod si ob reverentiam S. Doctori debitam ad rectum sensum ea verba sunt pertrahenda, cur VV. in pravum sensum pertrahunt aliorum verba, in quibus particula exclusiva nulla apparet, imo gratis eam ipsimet contra vim contextus intrudunt?

28. Oggerunt secundo VV. (*Pag. 829.*), videri in *Nota* duo confundi, quae omnino distinguenda sunt, nempe *agere propter voluptatem,* et *agere in remedium concupiscentiae.* Et addunt, *duos istos fines eo minus esse confundendos, quia sibi potius opponuntur. Dum quis* (inquiunt) *non intendit* NISI VOLUPTATEM (en rursus prava opinio de *agente propter solam voluptatem* gratis impacta nostrae Notae!), *idipsum illi accidit, ac bibulo, qui sitim bibendo non extinguit, sed potius auget. Ita quo magis quis voluptatem prosequitur, eo magis voluptate frui concupiscit.*

Resp. 1° Bene ad haec Raphael Aversa (*De Matr. Q. 21. Sect. 4.*): *Actus copulae carnalis licitus est ad sedandam concupiscentiam.* Atqui *concupiscentia est appetitus boni delectabilis,* ut ait S. Thomas. Ergo concupiscentia sedatur per boni delectabilis usum seu per delectationem a licito coniugali actu quaesitam. Quomodo ergo VV. contendunt, delectationem ex coniugali opere quaesitam et concupiscentiae remedium inter se esse invicem opposita?

Resp. 2° Damnent igitur VV. S. Thomam, qui (vid. textum in *Nota*) propterea quod *concupiscentia instigat homines maxime ad actus venereos propter vehementiam delectationis,* necessarium dixit, quod in parte *con-*

docet, nempe ut mulier succuba sit, vir autem incubus. — *Ita S. Thomas, et alii communiter*. Ratio est, quia caeteri situs naturae ordini nonnihil adversantur, et consequenter aliquam ordinis violationem inferunt.

cupiscentiae cedatur, actum generationis ratione ordinando, idest cum legitima uxore, et servato naturae ordine. Immo damnent Apostolum, qui scripsit: *iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*. Quin etiam damnent ordinem Divinae Providentiae, quae (*Vid. sup. n. 19.*) *istis operationibus addidit delectationes, ut* EX HARUM APPETITU *huiusmodi operationibus animalia intenderent*. Caeterum si naturae Auctor homini indidit eam concupiscentiam, quae, ut ait S. Thomas (*1. 2. q. 30. art. 3.*), *est appetitus boni delectabilis;* simul tamen indidit rationem, ex cuius ordine eum appetitum homo moderetur, per temperantiam videlicet, quae, ut ait S. Thomas (*2. 2. q. 141. art. 5.*), *consistit circa praecipuas delectationes, quae maxime pertinent ad conservationem humanae vitae vel in specie vel in individuo*.

29. Et praestat hic subiicere, quod de coniugibus voluptate ad proprium officium illectis sic Salmanticenses habent (*De Matr. Cap. 3. n. 33.*): *Quando actus est ex se bonus, et eius finis proprius non excluditur, iam in eo finis bonus apponitur, et sic quamvis fines indifferentes apponantur, ut applicationes voluntatis ad illum, non propterea vitiatur actus, aut malus ob defectum finis honesti redditur... Quare actus bonus est, si quis temperate comedat, non attendendo ad finem comestionis, sed nec excludendo illum* (iuxta Martinet tamen et VV. sup. n. 11. haec dicenda foret doctrina damnata!!), *etiamsi ex gustu et voluptate ad talem comestionem applicetur. Et in nostro casu quando quis ex voluptate capienda in copula maritali applicatur ad illam, talis actus est bonus, quia est actus iustitiae et redditio debiti, etiamsi ad hoc non attendatur, sed ad voluptatem capiendam, quod frequentius accidit, quia semper retinetur finis honestus illius actus, et talis voluptas solum est applicatio voluntatis ad illum.*

Item Raphael Aversa (*De Matr. Q. 21. Sect. 4.*): *Sed nec esse veniale peccatum habere copulam moderate ob voluptatem suadetur: quia in humanis operationibus culpabile non est moderate appetere delectationem in iis a natura institutam, quando ipsae operationes per se licitae et honestae sunt.*

30. Ad id vero, quod VV. (*Pag. 829. not. 2.*) advertunt, *matrimonium esse infimum remedium concupiscentiae*, respondet Aversa (*l. c.*): *Actus copulae carnalis... licitus est coniugibus ad sedandam concupiscentiam. Nec tenentur aliis mediis perfectioribus et difficilibus uti ad hunc alium finem; sed satis est, si utantur medio sibi quoque licito et concesso. Alioqui valde durum esset obligare personas coniugatas, ut potius per abstinentias, orationes, aliaque huiusmodi studeant carnem edomare, quam habeant inter se copulam per matrimonium sibi concessam... Extendique hoc debet, ut non solum quando probabiliter timet quis, ne labatur in peccatum incontinentiae, liceat sibi copula coniugalis; sed etiamsi per auxilium Dei speraret et fideret abstinere a peccato; tamen carnis stimulos patiatur, aut passurus esset, possit ad eos extinguendos hoc remedio uti.*

Et Petrus Catalani (*Th. Mor. Part. 3. Q. 12. Cap. 6.*): *Inter caeteros fines, ob quos matrimonium institutum fuit, numerantur generatio filiorum..., ac concupiscentiam sedare. Congruum siquidem fuit non solum consulere humani generis conservationi, verum etiam... opportunum instituere remedium ad inhonestos concubitus et carnis motus sedandos, ut sapienter ait Paulus 1. Cor. 7. Uterque finis honestus est et licitus coniu-*

II* *Regula.* Nullus situs, quantumvis innaturalis, est *per se* graviter illicitus, dummodo actus coniugalis satis perfici possit; ratio est, quia qualiscumque situs inversio, dummodo perfici queat unio, generationem non impedit. — *S. Lig. n. 917.*

gibus: quapropter si copulentur coniuges ob aliquem ex praedictis finibus, nullum peccatum committunt, quia operari ob finem a Deo praeordinatum non potest esse illicitum et inhonestum. Et quamvis ad concupiscentiam sedandam uti possent coniuges orationibus, ieiuniis, macerationibus et aliis opportunis mediis, non tamen adstringuntur ad utendum illis: quia consilium est illis uti, et non omnes capiunt verbum istud; adeoque coniuges ob hos fines copulari non erit a rectitudine discedere, cum sit medium a Deo institutum, et ab Apostolo Paulo satis commendatum. Imo non erit sanum consilium suadere coniugibus abstinere a copula, nisi fuerint probatae virtutis et sanctitatis.

31. Obiiciunt VV. (*Pag. 830.*), in *Nota* textum S. Thomae ex Lect. 1. in C. 7. ad Corinth. 1. obtruncatum afferri, et ea omitti, quae contradicunt. Nam S. Doctor pergit: *Alio modo potest accipi indulgentia, prout respicit culpam...; et secundum hoc indulgentia refertur ad actum coniugalem, secundum quod habet adnexam culpam venialem... Unde considerandum est, quod actus coniugalis quandoque quidem est meritorius, et absque culpa mortali vel veniali; puta cum ordinatur ad bonum prolis...., vel cum fit causa reddendi debiti... Quandoque vero est cum culpa veniali, scilicet cum quis ad actum matrimonialem ex concupiscentia excitatur, quae tamen intra limites matrimonii sistit... Primo ergo modo actus matrimonii non requirit indulgentiam; secundo modo habet indulgentiam, inquantum aliquis consentiens concupiscentiae in uxorem, non fit reus peccati mortalis.*

Insuper alibi (*Suppl. Q. 49. art. 5. ad 1.*) S. Doctor scribit: *Quando natura tantum movet ad actum matrimonii, non excusatur a peccato omnino, nisi in quantum motus naturae ordinatur actu vel habitu ulterius ad prolem, secundum quod est bonum sacramenti.* Et (*in resp. ad 2.*): *Si aliquis per actum matrimonii... intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas; et secundum hoc est peccatum veniale.*

32. Resp. Aliter solvenda difficultas est circa sensum Apostoli Pauli etiam iuxta S. Thomam, aliter vero circa sententiam S. Thomae.

Itaque si de sensu Apostoli quaeratur, etiam ex S. Thomae interpretatione, inanis est VV. obiectio; et ratio est, quia verba obiecta nihil ad interpretationem Paulinae sententiae pertinent. Et sane haec est S. Thomae commentatio: « *Hoc autem dico secundum indulgentiam*, idest parcens » infirmitati vestrae; *Non secundum imperium,* quasi scilicet vobis neces- » sarium ad salutem. Subditis enim sunt quaedam eorum infirmitati in- » dulgenda, et non ad bona imperio cogendi. Sed videtur Apostolus incon- » venienter loqui. Indulgentia enim non est nisi de peccato. Per hoc ergo » quod Apostolus secundum indulgentiam videtur matrimonium conces- » sisse, videtur exprimere, quod matrimonium sit peccatum. Sed ad hoc » potest responderi dupliciter. Uno modo, ut indulgentia sumatur hic pro » permissione. Est autem duplex permissio. Una quidem de minus malo... » Talis autem permissio non fit in novo testamento propter sui perfectio- » nem.... Alia autem est permissio de minori bono, cum scilicet homo » praecepto non cogitur ad maius bonum; ET HOC MODO APOSTOLUS HIC » INDULGET, idest permittit matrimonium, quod est minus bonum, quam » virginitas, quae non praecipitur, quae est maius bonum. » *Indulgentia* itaque, de qua Apostolus, iuxta S. Thomam refertur ad permissionem minoris boni, non vero ad indulgentiam circa ullam culpam. Proinde in obiectis verbis, quae immediate ibi subduntur, utique S. Thomas ad solven-

III^a *Regula*. Quilibet innaturalis situs, iusta accedente causa, omni culpa vacat: interdum autem situs innaturalis facilior est, vel etiam solus possibilis; et quidem maior quaepiam facilitas vel necessitas eiusmodi inordinationem, quae per se levis est, amovere potest. — *S. Lig. ibid.*

dam obiectionem sibi propositam explicat ulterius, quomodo indulgentia referri possit ad actum coniugalem; sed ibi nullo modo Apostoli exprimit sententiam. Idque confirmatur ex iis, quae inferius habet S. Doctor inquiens: *Deinde cum dicit* (Apostolus): Sed unusquisque etc., *assignat rationem, quare secundum indulgentiam matrimonium permiserit, quia scilicet non quilibet tantae virtutis donum accepit a Deo, ut scilicet possit totaliter continere.*

Bene de hac Pauli sententia Viva (*De Matr. Q. 7. art. 1. n. 2.*): *Si culpa esset venialis ad vitandam incontinentiam uti tali medio, non posset Apostolus indulgere, ut ad illud revertantur coniuges.* Et Coninck (*Disp. 34. n. 7.*) in eundem sensum: *Dices: Apostolus hoc dicit secundum indulgentiam; ergo supponit, esse aliquam culpam, quia ubi non est culpa, ibi nihil indulgemus. Resp. Negando consequens et eius probationem. Nam indulgere non significat ibi remittere culpas, sed aliquid indulgenter permittere. Nam Apostolus non indulget illis aliquid praeteritum, sed futurum; quod circa culpas non nisi perverse fit.* Non secus scilicet ac S. Thomam dicentem sup. audivimus: *Talis permissio* (scil. minoris mali) *non fit in Novo Testamento.*

33. Resp. 2° Sed neque S. Thomae textus a VV. (*sup. n. 31.*) obiecti feriunt ullo modo doctrinam, ad cuius confirmationem et explicationem in *Nota* auctoritas S. Thomae adducitur.

Et sane duo sunt, ad quae explananda auctoritas S. Thomae in *Nota* invocatur. Primum est, quod matrimonium divinitus institutum fuerit etiam in concupiscentiae remedium. Hoc autem evincunt allata ibi S. Thomae verba: *Proponit* (*Apostolus*) *secundam necessitatem, secundum quam institutum est* (*matrimonium*) *in remedium culpae.* Neque vero est, cur quis forte haereat ad voces illas, *in remedium culpae.* En quomodo paulo post loquitur clarius S. Thomas: *Secundum bonum habet* (scil. *matrimonium*) *prout est in remedium* CONCUPISCENTIAE, *quae scilicet coarctatur ad determinatam personam, et hoc bonum dicitur fides.*

Alterum, quod probandum S. Thomae auctoritate in *Nota* assumitur, pertinet ad modum, quo matrimonium sit in *concupiscentiae remedium,* quod scilicet in eo consistat, ut per actus in legitimo coniugio generationi idoneos ipsi concupiscentiae cedatur. Et in hanc rem haec verba S. Thomae ibi afferuntur: *Quia enim carnalis concupiscentia adhuc post baptismum remanet, licet non dominetur, instigat homines maxime ad actus venereos propter vehementiam delectationis; et quia maioris virtutis est, totaliter hanc concupiscentiam superare, quam possit hominibus convenire, secundum illud Matth. 19.:* Non omnes capiunt verbum istud; *necessarium est, quod in parte concupiscentiae cedatur, et in parte superetur; quod quidem fit dum actus generationis ratione ordinatur.* Ibidem deinde subditur, quomodo iuxta S. Thomam actus generationis ita *ratione ordinetur, ut partim concupiscentiae cedatur, partim vero superetur.* Idque obtineri ostenditur servatis duabus conditionibus, quas ita S. Thomas indicat: 1° *Quod homo utatur generationis actu secundum quod convenit generationi et* EDUCATIONI *filiorum;* 2° *Quod in specie humana non sint vagi et incerti concubitus, quales sunt concubitus fornicarii, sed sint determinati viri ad determinatam feminam: quae quidem determinatio fit per legem matrimonii.* Manifestum est igitur, textus S. Thomae a VV. (*sup. n. 31.*) obiectos ne minimum quidem evincere, ad confirmandam pro-

912. **Resolves.** — 1° Minime peccant coniuges, qui situm invertunt ob periculum abortus, tempore praegnationis, ob viri pinguedinem vel curvitatem, ob nimiam mulieris defatigationem, aut etiam ob frigiditatem, quando innaturali situ magis excitentur, etc.

positam doctrinam, auctoritatem S. Thomae non plenissimo iure in *Nota* fuisse usurpatam.

Caeterum quoad textus in *Nota* allatos, illud unum VV. (*Pag. 830. not. 3.*) obiecerunt, in altero textu omissam fuisse vocem ET EDUCATIONI; unde S. Thomas concludit, oportere, ut matrimonium sit determinati viri ad determinatam feminam. — At breviter ad hoc respondetur, mirum videri posse, quod VV. hisce serio immorentur. Nonne enim in *Nota* S. Thomae verba afferuntur, ubi dicitur, rationis ordinem postulare, *ut in specie humana non sint vagi concubitus, sed determinati viri ad determinatam feminam?* Ea sane ad scopum sufficiunt. Nam alioquin studium congerendi illa quoque, quae minus ad rem faciant, iis relinquimus, quorum cura in id maxime incumbit, ut ex ingenti voluminis mole causas diiudicari contingat.

34. Aliud tamen responsum obiectis textibus (*sup. n. 31.*) par est reddere, quatenus videantur insinuare, non omni culpa carere delectationem in actu coniugali quaesitam. Idque exigere *praesertim* ea verba videntur (*ex Lect. 1. ad Corinth.*): *Quandoque vero est cum culpa veniali, scil. cum quis ad actum matrimonialem ex concupiscentia excitatur, quae tamen infra limites matrimonii sistit, ut scil. cum sola uxore sit contentus.*

Dixi, *praesertim ea verba;* nam quod VV. obiiciunt ex Suppl. Q. 49. art. 5. ad 1., nihil est. Verba enim hinc obiecta sunt ista: *Quando natura tantum movet ad actum matrimonii, non excusatur a peccato omnino, nisi in quantum motus naturae ordinatur* ACTU VEL HABITU *ulterius ad prolem, prout est bonum Sacramenti.* — Sed fac, quaeso, ibi sequentia haec legas: *Nec tamen sequitur, quod motus naturae sit malus, sed quod sit imperfectus, nisi ad aliquod bonum matrimonii ulterius ordinetur.* Respondet nimirum S. Doctor obiectioni, quod *actus matrimonii excusari possit etiam sine bonis matrimonii.* Immo obiecta verba faciunt contra VV. ea obiicientes. Nam ad tollendam hanc actus matrimonialis imperfectionem, sufficit (ut ibi dicitur) quod actus ad matrimonii bona ordinetur *actu vel habitu.* Atqui ut actus HABITU ordinatus dicatur, sufficit quod fines illi *positive* non excludantur. Confirmatur hinc ergo doctrina *Notae,* quam VV. impugnant, ad honestum actum sufficere, si illius fines *positive* non excludantur, idest utcumque de iis inter agendum non cogitetur.

Quoad postremum vero textum a VV. (*sup. n. 31.*) obiectum, ipsimet (*Pag. 832.*) advertunt, ne a S. Alphonso quidem eam Doctoris Angelici sententiam, utpote nimis rigidam, admitti, et transcribunt haec eiusdem S. Alphonsi (*Lib. 6. n. 882.*) verba: *Sed venia S. Doctoris (cuius sententiis universe obsequi in caeteris ego studui) magis propria videtur interpretatio S. Io. Chrysostomi, cuius verba mox afferam, et quam secuti sunt Estius, Salmeron et Cornelius, nempe quod illud* propter fornicationem, *non intelligatur de vitanda fornicatione coniugis, sed propria.* Et cum haec ita sint, facilis se offert responsio ad hunc S. Thomae textum. Nam hinc quidem nullo modo labefactat doctrinam, quam eodem S. Thoma auctore adstruximus; inde vero non multum roboris tribuere oporteret sententiae, quam et S. Alphonsus, utpote (aiunt VV.) *nimis rigidam,* censuit non admittendam.

35. Verum etiam melius consuleretur reverentiae Angelico Doctori debitae, si aptior obiectae sententiae interpretatio ac ratio adhibeatur.

Et re quidem vera S. Thomas (*Lect. 1. in C. 7. 2ª ad Corinth.*) illud Apostoli, *Propter fornicationem* etc., non eo sensu explicat, ut liceat cum

2° Situs, qui solus possibilis est, qualiscumque demum sit, nullatenus damnatur, licet non modica seminis perditio sequatur; quia pars ista seminis non est generationi necessaria, et per accidens, invitis coniugibus, deperditur.

S. Alphonso Angelici interpretationi interpretationem Chrysostomi opponere. En eius verba: *Dictum est, quod,* Bonum est homini mulierem non tangere; *sed quia ad hoc bonum non sunt omnes homines idonei, unusquisque vir,* Propter fornicationem, *scilicet vitandam,* suam uxorem habeat, *idest sibi determinatam, ut tollantur vagi et incerti concubitus, quod pertinet ad fornicationem. Unde et Prov. 5.: Laetare cum muliere adolescentiae tuae; Et postea subditur: Quare seduceris, fili mi, ab aliena?* Interpretatio itaque illius loci Paulini, quam S. Thomas exhibet, ad unguem cum Chrysostomi interpretatione, quam in *Nota* videsis, cohaeret, videlicet de *propria,* non vero de aliena fornicatione vitanda Paulum interpretatur.

Hoc autem alia de causa tenendum est, ne videlicet S. Thomam secum pugnantem et quidem in eodem contextu inducamus. Quippe haec ibidem praemiserat: *Proponit* (*Apostolus*) *secundam necessitatem, secundum quam institutum est* (*matrimonium*) *in remedium culpae* (idest *concupiscentiae.* Sup. n. 33.). *Quia enim carnalis concupiscentia adhuc post baptismum remanet, licet non dominetur, instigat homines maxime ad actus venereos propter vehementiam delectationis; et quia maioris virtutis est, totaliter hanc concupiscentiam superare, quam possit hominibus convenire,... necessarium est, quod in parte concupiscentiae cedatur, et in parte superetur, quod quidem fit dum actus generationis ratione ordinatur.* Porro manifestum, hic S. Doctorem loqui de remedio concupiscentiae uniuscuiusque propriae: secus enim usus huius remedii contingere nunquam posset sine alterutrius coniugis peccato.

At enim, inquies, quomodo igitur haec cohaerent cum obiecta eiusdem S. Doctoris sententia, nempe quod *si aliquis per actum matrimonii intendit vitare fornicationem in se, hoc est peccatum veniale?*

36. Respondeo, haud aegre cum praemissa S. Doctoris doctrina hanc sententiam conciliari posse, si ratio illius diligentius ex contextu quaeratur; ex qua indagine insuper patebit, quo sensu intelligendus sit alius S. Doctoris textus (*sup. n. 34.*) obiectus.

Ut haec itaque clarius intelligantur, adverte, quomodo S. Thomas postquam (*Suppl. Q. 49. art. 4.*) quaesierat, *Utrum actus matrimonii excusetur per bona praedicta,* nempe bona matrimonii, mox sequenti articulo quinto, e quo sumpta sunt obiecta verba, quaerit, *utrum actus matrimonialis excusari possit sine bonis matrimonii.* Porro quid sibi velit *actus matrimonialis sine bonis matrimonii,* perspicuum est ex obiectione prima sequentis sexti articuli, ubi dicitur: *Videtur, quod quandocumque aliquis uxorem cognoscit non intendens aliquod bonum matrimonii, sed solam delectationem, mortaliter peccet.* Ergo actus *matrimonialis non excusatus bonis matrimonii* idem est apud S. Thomam, ac actus *matrimonialis propter solam voluptatem habitus.*

Et huc quidem spectat secunda obiectio articuli quinti, atque adeo responsum S. Thomae, e quo verba obiecta desumpta sunt. Sic nimirum obiicit sibi S. Doctor: *Ille qui utitur coniuge ad fornicationem vitandam, non videtur aliquod bonum matrimonii intendere: sed talis non peccat, ut videtur, quia ad hoc est matrimonium concessum humanae infirmitati, ut fornicatio vitetur, ut patet 1. Cor. 7.; ergo etiam* SINE BONIS MATRIMONII *potest actus eius excusari.* Supponit itaque obiectio *matrimonialem actum sine bonis matrimonii.* Porro supposito hoc statu quaestionis, facile intelligitur, cur S. Thomas duos casus in responso proponat, scilicet quando

3° Cavendum est prudenti Confessario, ne de variis congrediendi modis faciat quaestiones, quae non solum inutiles sunt, sed scandali etiam plenae. Hinc si poenitens dubium de his iniiciat, Confessario satis erit nosse, an completa fuerit pollutio extra vas debitum. Dixi, *si dubia iniiciat, aut etiam dubitandi occasionem*

coniux vitare velit fornicationem in altero coniuge, et quando in se. Nam in primo casu negat, abesse omne matrimonii bonum, quia scilicet habetur *bonum fidei et actus iustitiae* in debito reddendo; non item in secundo casu; et cum dempto etiam hoc matrimonii bono iam nullum aliud eiusmodi bonum ex hypothesi supersit, iam redit hypothesis *actus matrimonialis sine bonis matrimonii,* actus nimirum, qui habetur *propter solam voluptatem,* quem idcirco S. Thomas (*Sup. n. 18.*) iam dixerat culpa veniali infici; et huius quidem actus indolem perspicue idem S. Thomas exhibet dum articulo seq. in Resp. ad 1. scribit: *Dicendum, quod tunc voluptates meretricias vir in uxore quaerit, quando nihil aliud in ea attendit, quam quod in meretrice attenderet:* quae quidem S. Doctor reponit omnino ad hypothesim praesentem: sic enim habet obiectio, *quandocumque aliquis uxorem cognoscit, non intendens aliquod bonum matrimonii, sed solam delectationem.* Et reipsa ita se res habet, quando res est cum meretricibus; neque enim ibi aut bonum prolis aut bonum fidei quaeritur, aut a fornicatore attenditur. Neque tamen S. Doctor concedit, quod habebat obiectio, mortaliter peccari, si in uxore attendatur *sola delectatio,* sine quopiam alio matrimonii bono. Nam eodem artic. 6. in corp. scribit: *Si autem quaeratur delectatio infra limites matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non quaereretur, quam in coniuge, sic est veniale peccatum.*

Et ex his quidem illud etiam consequitur, necessarium nequaquam esse, ut Angelico Doctori attribuatur sententia illa, quam VV. *nimis rigidam* dixerunt, quasi scilicet S. Doctor generatim peccati alicuius damnet accessum ad coniugem, quo remedium ad sedandam in se concupiscentiam inveniat, cum contra ipse fateatur et doceat, in hunc etiam finem matrimonium divinitus esse institutum: nam S. Doctor id dumtaxat statuit, et quidem rectissime, quando quis ad uxorem accedit ita *propter solam voluptatem,* ut nullum attendatur matrimonii bonum, non secus ac qui accedit ad meretricem. Et quidem, ut superius (*n. 34.*) vidimus, iuxta S. Doctorem sufficit, ut bonum matrimonii *actu vel habitu* attendatur, nimirum ut saltem *virtualiter* finis ille, seu illud bonum intendatur, quod matrimonii actum honestum reddit. Quam in rem Seraphinus Capponi in suis ad hunc locum elucidationibus haec S. Thomae verba allegat: *Si tunc non ordinetur, tamen a ratione est praeordinatus. Esse ergo actum illum praeordinatum a ratione, est esse ordinatum habitu* (*Vid. etiam sup. n. 9.*). Ergo iuxta S. Thomam nulla est inordinatio, si delectatione illectus coniux ad coniugem accedat, etsi habitu tantum matrimonii bona intendat, ea scilicet non excludens, sicut excluduntur in fornicario ad meretricem accessu.

37. Hinc vero facilis, ut dixi n. praec., solutio patet difficultatis, quam ingerere videtur alter a VV. obiectus S. Doctoris textus, ubi dicitur, quod actus coniugalis *habet indulgentiam, in quantum aliquis consentiens concupiscentiae in uxorem, non fit reus peccati mortalis* (sed venialis). Post praemissa enim facile intelligitur, S. Doctorem hoc etiam loco de actu matrimoniali *sine bonis matrimonii,* idest de habito *propter solam voluptatem* disserere.

Quod ut facile constet, adverte iuxta S. Thomam triplex esse matrimonii bonum, nimirum *bonum prolis, bonum fidei, et bonum Sacramenti.* Verum cum *bonum Sacramenti,* ut ait S. Doctor (*Suppl. Q. 49. art. 5. O.*), *faciat ipsum matrimonium honestum, non autem actum eius,* superest,

poenitens suppeditet; nemo enim non videt, eiusmodi interrogationes, in re tam lubrica, nisi manifesta adsit necessitas, nunquam esse faciendas (*a*). — *S. Lig. n. 917.*

III. *De circumstantiis temporis.*

Hae circumstantiae praecipue spectant ad tempus praegnationis, lactationis, menstrui, morbi, festorum et sacrae Communionis.

ut matrimonii actus bonis *prolis,* aut *fidei* honestus fieri debeat, ut ibidem idem S. Doctor concludit.

Hisce praemissis, contextus consulatur, unde verba obiecta sumuntur (*Lect. in C. 7. 1ae. Corinth.*): *Indulgentia* (inquit S. Doctor) *refertur ad actum coniugalem, secundum quod habet annexam culpam venialem.... Unde considerandum est, quod actus coniugalis quandoque quidem est meritorius, et absque omni culpa mortali vel veniali, puta, cum ordinatur ad bonum prolis procreandae, et educandae ad cultum Dei, sic enim est actus religionis; vel cum fit causa reddendi debitum, sic enim est actus iustitiae: omnis autem actus virtutis est meritorius, si sit cum charitate. Quandoque vero est cum culpa veniali, scilicet cum quis ad actum matrimonialem ex concupiscentia excitatur, quae tamen infra limites matrimonii sistit, ut scilicet cum sola uxore sit contentus.* Itaque hoc quoque loco duplex cernitur casus: prior, in quo bonum matrimonii apparet; posterior, in quo bona illa matrimonii desiderantur; nam secus ratio distinguendi inter casum et casum deesset. Atqui ubi in actu matrimoniali nullatenus attenduntur matrimonii bona, iam ob solam voluptatem matrimonii actum quis intendit, ut supra dictum est. Ergo et iste Angelici Doctoris locus nequaquam accipiendus ceu generalis regula circa actum ob delectationem exercitum, sed coarctandus est ad operantem sic *ob solam voluptatem,* ut matrimonii bona ne virtualiter quidem intendantur.

Et haec sufficiant, ut concludere liceat, non satis re perspecta VV. haec scripsisse (*Pag. 832.*): *Mirum videri potest, quod P. Ballerinius D. Thomam, tamquam sibi faventem exhibere contendat; eo magis, quia ipsum sane non latebat, postremam hanc responsionem* (ubi scil. S. Thomas damnare videtur actum coniugalem ad vitandam in se fornicationem), *utpote nimis rigidam, nec ab ipso quidem S. Alphonso admitti.* Plura, quae ex eodem S. Thoma de hoc argumento addi facile possent, ne plus aequo haec *Nota* excrescat, ultro omittimus.

(*a*) Vulgatissima est DD. sententia, tum periculum scandali, quod confessarius et sibi et poenitenti, atque etiam aliis (nam non raro poenitentes de dictis et interrogationibus Confessariorum cum aliis loquuntur) potest parere, tum etiam reverentiam Sacramento debitam, efficere debere, ut etiamsi forte timeat, ne satis integra confessio evadat ob tacitam aliquam circumstantiam, quae forte etiam speciem immutare videatur, tamen in materia adeo per se turpi ab ulterius inquirendo per interrogationes abstineat; in necessariis vero utatur iis verborum formis, quae quam decentissimae habeantur. Meminerit insuper Confessarius, imprudentem hac de re, importunum, et inverecundum modum loquendi, non raro iustam dedisse ansam non solum male de ipso suspicandi, sed etiam eum penes Ordinarios iudices denunciandi, quasi in actu confessionis, ut ait Gregorius XV. (in Const. *Contra sollicitantes*), *turpes habuerit sermones:* et quidem iudices tum in eos, qui ex malitia, tum etiam in eos, qui ex mera imprudentia sic deliquerint, animadvertere consuevisse. Videatur de hoc argumento Iosephus Frassinetti in Dissertatione X., cui titulus: *Sull'integrità necessaria alla Confessione* (*Compend. della Teolog. mor. Vol. 2.*).

913. — 1° Nullo tempore *sub gravi* actus coniugalis *per se* interdicitur, quia nulla lex invenitur, qua opus coniugii ratione temporis unquam prohibeatur. Dixi *per se;* quia forte quandoque ratione circumstantiarum induci posset proximum abortus aut valetudinis periculum. Sed hoc rarissimum est, nec facile in quibusdam casibus praevideri potest.

2° Imo iuxta Theologos plerosque actus coniugalis ne leviter quidem ratione temporis unquam interdicitur; ratio, quia nulla lex assignari potest, qua etiam sub levi unquam prohibeatur. Attamen *S. Ligorio n. 924.* magis arridet opinio (*a*), quae non excusat a culpa veniali, si copula tempore praegnationis fiat, nisi adsit periculum incontinentiae, vel alia causa honesta, quae vix alioquin unquam abesse potest.

3° Communior sententia docet, coitum tempore menstrui habitum non excusari a veniali ob indecentiam, quam prae se ferre videtur, nisi adsit aliqua causa cohonestans, nempe ad vitanda dissidia, aut incontinentiam praecavendam, etc. — *S. Lig. n. 925.* — Confessarius autem prudens hac in re ab omni interrogatione abstinebit, cum nihil sit a poenitente necessario (*b*) declarandum. Idem ob paritatem rationis communiter tenent de copula a coniugibus tempore purgationis, seu diebus partum sequentibus habita.

914. — 4° Non est illicitus actus coniugii tempore lactationis, quia nulla est lex prohibens, nec ullum, teste experientia, periculum saltem proximum lac inficiendi. Unde non est, cur coniuges tanto tempore teneantur abstinere ab usu matrimonii cum continuo peccandi periculo. Sic *communissime* ait *S. Lig. n. 911.*

5° Actus coniugalis tempore morbi saltem plerumque neque *sub gravi* neque *sub levi* est illicitus, quia crebro nullum inde accidit damnum coniugibus; labor autem, qui actum comitatur, in morbum saltem communiter loquendo admodum influere nequit (*c*).

(*a*) Haec, et alia huiusmodi, ad meram eruditionem memorantur; nam quoad praxim communis est doctrina, quam et S. Alphonsus acerrime propugnat, incertam quorundam opinionem, ut in casu, neque ad gravem neque ad levem obligationem adstruendam sufficere. Eiusmodi ergo plane incertas obligationes Confessarius urgere neque debet, neque potest; eo vel magis, quod in hac quaestione ipse quoque S. Alphonsus *n. 882.* (ad quem locum remittit) rationem, cui innititur opinio ista, refutat; et insuper Confessarius, ut noscere posset, an locus huic obligationi per circumstantias detur, longos miscere sermones interrogationesque de ea materia deberet, a qua tangenda ex omnium sententia, nisi gravis adsit necessitas, summopere cavere debet.

(*b*) Ageretur scilicet de culpa levi; culpae autem leves non sunt necessaria Confessionis materia, et quidem etiam quando de culpa levi certo constat. At enim agitur et hic de mera opinione, et sunt, qui aeque probabilem putant opinionem, quae in hoc esse culpam negat, praesertim postquam ostensum iam est, rationes physiologicas, quibus veterum opinio innitebatur, carere fundamento, ut palam facit Cl. Lecompte (*De l'ovulation spontanée Part. 2. Sect. 2.*). Vide ergo, quae dicta sunt in not. praec.

(*c*) Hoc nimis generaliter dictum videtur, et in casibus particularibus

6° Iuxta communiorem sententiam non est illicitus diebus *Dominicis* ac *Festis* etiam solemnioribus; tum quia nullum ius adversatur, tum etiam quia maritalis congressus non amovet coniuges a festis Ecclesiae servandis. Plerique e SS. Patribus, qui in oppositum obiiciuntur, de consilio potius quam de praecepto loqui videntur. Hinc etiam deduces, non esse cur eiusmodi usus tempore Adventus vel Quadragesimae prohibeatur.—*Ita communiter*.—*S. Lig. n. 933.*

7° Denique *per se* non prohibetur die *sacrae Communionis*, quamvis ad eam ex pietate tantum accedant coniuges, modo ex honesto fine agant (*a*). — *Ita communiter.*—*S. Lig. n. 922., et l. 6.*

pensandum erit tum incommodum seu damnum aegrotantis, tum incontinentiae in altero coniuge periculum. *Vid. infr. n. 915. III., et 916. Resol. 6.*

(*a*) Quid haec sibi velint, vix intelliges; nunquam enim sine honesto fine agere quidpiam licet, sive die Communionis, sive aliis diebus. Vides nimirum lacinias singularium de finibus matrimonii opinionum. Idem dicito de exceptione inferius addita de *mera voluptatis causa:* qua de re vide adnotata *ad n. 908.:* et siquidem actum per se culpa carere demum definias, concludes et hoc ad merum consilium, non autem ad praeceptum aut grave aut leve pertinere.

** Quoad hanc Notulam VV. (*Pag. 827.*) scribunt: *Iudicio itaque P. B. actus coniugalis* MERA VOLUPTATIS CAUSA EXERCITUS, SUFFICIENTER HONESTUS *est; nec ad ullum, sive grave, sive leve praeceptum, sed ad merum consilium pertinet, ipso die Communionis a copula abstinere, quae ex mera voluptatis causa haberetur. Quid autem de ista doctrina sentiendum sit, infra videbimus.* — Porro quae *infra* VV. addunt de hac eadem *Notula*, his continentur (*Pag. 837.*): *Vix intelligimus, quomodo, stante praefatae propositionis damnatione, sententia P. B. sustineri queat. Etenim quaeri posset, quaenam sit differentia inter duas istas propositiones: Agere* MERA VOLUPTATIS CAUSA, *et agere* PROPTER SOLAM VOLUPTATEM. *Prius licitum esse dicit P. Ballerini in Not. ad n. 914.; hoc autem posito, quanam ratione alterum illicitum ac damnatum dici debeat, iudicent alii.*

Resp. Nego suppositum; nego scilicet, *agere mera voluptatis causa* in *Notula* licitum dici; non nisi enim haec verba ibi leguntur: *Qua de re vide adnotata ad n. 908.* Porro in *Nota ad n. 908.* hoc mere dicitur: *Voluit Auctor* (Gury) *per haec adsignificare, etiam levem istam inordinationem seu culpam operantis propter solam voluptatem vix unquam reipsa adesse.* Ergo contra manifestam veritatem VV. dicunt, a P. Ballerini tradi ceu licitum illud *agere mera voluptatis causa*, seu *propter solam voluptatem;* nam P. Ballerini aperte hic supponit, imo affirmat, in eo culpam adesse.

Ratio vero, cur in Nota illa ad n. 908. dicatur, eiusmodi culpam vix unquam adesse, haec est et non alia: nempe P. Gury (*n. 908.*) scripserat: *Illicitus est coniugii usus, si fiat ab solam voluptatem, idest, alios fines expresse excludendo.* Porro in *Nota* advertitur, *vix contingere posse, ut fines operi coniugali intrinseci positive prorsus excludantur.* Ergo in *Nota* non negatur, immo supponitur illicitum esse *agere propter solam voluptatem,* sed solum additur, vix unquam contingere, ut alii fines positive excludantur, atque adeo vix unquam contingere, ut opus coniugii fiat *propter solam voluptatem.* Atqui hoc non est dicere licitum illud *agere propter solam voluptatis causam,* aut *agere mera voluptatis causa.*

Ergo et illa, quae VV. addunt, scilicet *iudicio P. Ballerini actum coniugalem mera voluptatis causa exercitum, sufficienter honestum esse; nec*

n. 273. — *Lugo.* — *Sanchez, aliique,* qui docent esse de mero consilio abstinere a copula die Communionis, sive ante sive post Communionem, modo non immediate post eam susceptam, neque ex mera voluptatis causa habeatur.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE ACTUS CONIUGALIS

915. **Principia.** — I. Datur iustitiae obligatio *per se* gravis reddendi debitum alteri coniugi serio et rationabiliter petenti. Ratio est, quia ex ipsa natura contractus matrimonialis coniuges sibi invicem transferunt potestatem corporum in ordine ad usum coniugalem. Deducitur etiam ex verbis Apostoli *1. Cor. 7. 3: Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro; mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

II. Nulla *per se* urget obligatio petendi debitum coniugale. Ratio est, quia neuter coniux iure suo uti tenetur, et uterque illud remittere potest. *Per accidens* tamen dari potest petendi obligatio ex charitate vel alia virtute, praesertim in viro, v. gr. si iudicet compartem versari in periculo incontinentiae ob verecundiam petendi, aut si petitio necessaria sit ad fovendum aut restaurandum amorem coniugalem, etc. — *Vid. S. Lig. n. 928. 929.*

III. Cessat obligatio reddendi debitum, cessante iure illud exigendi: ius autem in sequentibus praecipue casibus perimitur, scilicet 1° Si unus coniugum adulterium commiserit; 2° Si petens usu rationis careat, quia petitio eius non est humana; 3° Si reddens possit rationabiliter timere damnum vel periculum grave sanitatis, quia non censentur coniuges se obligasse ad debitum cum tanto incommodo reddendum; 4° Si petens, ob commissum incestum cum consanguineis alterius, in primo aut secundo gradu, aut aliam ob causam ius petendi amiserit (*a*).

916. **Resolves.** — 1° Tenentur coniuges ad cohabitationem, nec potest unus diutius abesse sine alterius consensu, aut sine necessitate; haec quippe obligatio sequitur ex ipsa obligatione debitum reddendi. Causae autem iustae abeundi ad longum tempus sunt bonum publicum, familia alenda vel tuenda, damnum ab ini-

ad ullum sive grave sive leve praeceptum, sed ad merum consilium pertinere, ipso die Communionis a copula abstinere, quae ex mera voluptatis causa haberetur, haec omnia, inquam, contra manifestam veritatem *Notis* P. Ballerini VV. affingunt.

(*a*) Forte hic confunditur amissio iuris in corpus alterius, cum usu iuris ob quampiam circumstantiam illicito. Idcirco haec non cohaerent cum dictis *sup. n. 909.*, ubi statuitur, coniugem, qui ob incestum affinitatem contraxit, debitum alteri reddere posse, imo teneri.

micis vitandum, etc. Debet autem vir, qui alibi diu manere debet, uxorem eo ducere, si commode possit, ut secum cohabitet. — *S. Lig. n. 938.*

2° Graviter peccat coniux negans debitum, quoties est periculum incontinentiae, vel gravis molestiae in altera parte. Item si neget alteri *serio* petenti. Secus autem, si compars benevole remittat, aut remisse petat.

3° Non peccat negans, quando alter immoderate petit, v. gr. post tertiam vel quartam vicem eadem nocte; nec si differat ad breve tempus, nempe ad noctem, vel si a nocte differat ad tempus matutinum, secluso tamen semper incontinentiae periculo.— *S. Lig. n. 940.*

4° Reprehendendae sunt uxores, quae maritis suis absque sufficienti causa debitum negant, etsi remisse petant; vel quae non concedunt nisi coactae, viroque dure et contumeliose suas petitiones exprobrant.

5° Non excusatur a debito reddendo uxor ob ordinaria partus, graviditatis aut nutritionis incommoda, nec ob dolores graves quidem, sed tempore breves, nec ob dolores diuturnos sed moderatos, v. gr. capitis per plures menses post partum, nec ob sanitatem aliquantisper debilitatam; quia haec omnia conditioni matrimoniali adnexa sunt; secus autem si periculum vitae, aut morbi gravissimi ex iudicio medici vere prudentis pertimescendum esset. — *S. Lig. n. 952.*

6° Non est obligatio debitum reddendi alteri laboranti morbo contagioso in se gravi, ut est pestis, morbus venereus, aut quid simile. Pariter ob notabilem corporis debilitatem excusantur a reddendo debito laborantes febri valida aut alio morbo gravi.— *S. Lig. n. 950.*

7° Non excusatur coniux a debito reddendo ob timorem prolis numerosioris; procreatio enim prolis ad praecipuum finem matrimonii spectat; unde incommodum illud est ipsimet matrimonio intrinsecum. — *S. Lig. n. 941.*

ARTICULUS III.

DE PECCATIS CONIUGUM.

917. — Patrari possunt peccata inter coniuges ratione actus coniugalis sive per *excessum*, hoc est, actus ad generationem inutiles ponendo, sive per *defectum*, actum essentialem non perficiendo, seu crimine *onanismi* torum maculando.

Hinc paragraphus duplex.

§. I. *De peccatis coniugum per excessum.*

Triplicis generis distinguuntur actus qui praeter copulam, sed eius occasione aut praetextu, a coniugibus exerceri possunt. 1° Alii

sunt nocivi generationi, ut sodomia et pollutio, et sunt contra naturam. 2° Alii utiles, ut tactus excitantes naturam et amorem foventes. 3° Alii nec nocivi nec utiles, et dicuntur praeter naturam.

918. **Principia.** — I. Quidquid est necessarium ad actum coniugalem complendum, aut utile ad illum facilius, citius, aut perfectius exercendum, est coniugibus omnino licitum. Ratio, quia qui habet ius ad rem, habet ius etiam ad media necessaria vel utilia, nec aliunde prohibita; et quibus licitum est principale, licitum etiam est accessorium, ac medium ad illud ordinatum.

II. Quidquid in actu coniugali generationi obest, seu prolificae substantiae effusionem per se inducit extra coniunctionem naturalem, est graviter illicitum. Ratio est, quia talis effusio voluntaria non est licita nisi in ordine ad generationem, et proinde matrimonium non dat facultatem nisi ad eiusmodi effusionem, quae generationi per se inservire possit; alioquin vero si homines voluptate illa frui sine consequenti prolis alendae et educandae onere possent, filiorum generatio facile postbaberetur, imo vitaretur data opera, et sic societas ipsa ad interitum declinaret.

III. Quidquid non obest quidem, per se tamen minus necessarium, minusve utile est ad actum generandi, culpae verti nequit nisi levi; a qua tamen alii fines eiusmodi actibus intrinseci excusant, nempe ut affectus coniugalis servetur ac foveatur, aut saltem ut concupiscentia sedetur (*a*); quos tamen fines opus non est expresse intendere, sed prout dictum est superius, sufficit ut positive non excludantur.

919. **Resolves.** — 1° Culpa vacant inter coniuges oscula quaelibet honesta, et tactus in partes tum honestas tum etiam minus honestas (si tamen caute fiant) ratione affectus coniugalis demonstrandi, aut amoris confovendi, etiamsi aliquando *per accidens* sequeretur *involuntaria* pollutio; quia omnia amoris honesta signa, etiam tenera, ut media ad finem, sunt licita iis, qui ex vinculo matrimoniali *cor unum* et *caro una* fieri debent. — *S. Lig. n. 934. et alii communiter.*

2° Culpa *per se* vacant etiam tactus et aspectus minus honesti, si ad copulam *immediate* referantur. Imo idem tenendum, etiamsi essent *simpliciter* inhonesti, sed ad naturam excitandam necessarii aut utiles; tunc enim sunt quaedam copulae praeparatio, et velut inchoatio. Si autem actus, quibus coniux se ad actum coniugalem disponit, tales sint, ut pollutionem *per se* facile provocent, culpa-

(*a*) Confer dicta superius *in not. ad n. 908.*, ubi ex doctrina Chrysostomi et S. Thomae, Paulum Apostolum interpretantium, ostensum est, coniugii lucrum fructumque in eo maxime inesse, ut ardor concupiscentiae restinguatur, et sic pudica ducatur vita. Restinguitur concupiscentia, dum coniugium praestat, quo delectationis appetentiae satisfieri honeste queat. Vita ducitur pudica, dum appetentiae illius satisfactio extra legitimum thalamum non quaeritur.

biles esse queunt, si desit diligentia ad eam extra congressum evitandam (*a*); quae diligentiae omissio, ubi huiusmodi sit ut prope per eam quis pollutionem extra vas velle censeatur, gravis etiam culpa esse potest; quod si, debita adhibita diligentia, talis pollutio praeter intentionem sequatur, nulla erit culpa (*b*).

(*a*) Idcirco ab his maxime cavendum DD. monent, si coniuges eo loci sint, ubi congredi non possint. Duo autem exempla tactuum, qui *per se* facile pollutionem provocant, indicat Sanchez (*De Matr. Lib. 9. Disp. 45. n. 35.*), et horum alterum etiam S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 934.*).

(*b*) Haec doctrina prae oculis habenda est etiam quoad casum, quem mox Auctor subiicit, quoad actus nempe imperfectos, qui inter coniuges exercentur absque congrediendi intentione. Et Auctor quidem solum opinionem indicat, quae hos actus non damnat ceu graviter reos. At non praetermittenda silentio est alia opinio, et ipsa sat communis (*Vid. S. Alph. Lib. 6. n. 934.*), quae hos actus *excusat ab omni culpa etiam in petente, si pollutio non intendatur, nec adsit periculum consensus in eam, et modo.... adsit gravis aliqua causa*, v. gr. *ad fovendum mutuum amorem... aut ad avertendam alterius zelotypiam.* Et (*ibid.*) subiicit, *probabiliter in reddente tactus etiam impudicos* (*nisi sint tales, ut videantur inchoata pollutio*) *esse licitos, quamvis adsit periculum pollutionis in alterutro, quia tunc reddens dat operam rei licitae.*

Haec autem ex communi sententia, quam et S. Alphonsus sequitur (*l. c. n. 933.*), valent etiam quando *congressus coniugibus esset omnino vetitus, vel etiam esset impossibilis ob impotentiam.* Et quoad hunc quidem postremum casum, quando coniuges dicendi sint vere et prorsus impotentes, superius (*in not. ad n. 855.*) iam advertimus. Quoad primum vero inspicienda causa est, cur coniugii usus sit vetitus. Nam vera erit statuta regula, si interdictus sit ob affinitatem ex crimine contractam cum propria uxore; secus vero, si ob matrimonii nullitatem.

Et quoad istos actus imperfectos memoranda ea veniunt, quae habet Diana (*Tom. 2. Tr. 6. Res. 205. n. 2.*): *Communiter* (ait) *notant DD., cessante in utroque coniuge pollutionis periculo, non peccare maritum mortaliter, si coeptam copulam ante seminationem abrumpat, ne proles generetur, modo id faciat uxore consentiente aut non rationabiliter invita. Immo si iusta causa adsit impediendi seminationem, v. gr. ob paupertatem ac multitudinem prolis, et nihilominus concubandi ad sedandam concupiscentiam, omnem culpam abesse, si mutuus consensus accedat.... Unde non erunt damnandi etiam de culpa veniali coniuges infirmi, qui ad sedandam concupiscentiam inciperent copulam, et voluntarie illam minime perficerent; et hic casus frequenter potest accidere.* Et mox (*Resol. 207.*) hunc casum proponit: *Quidam inchoabat copulam cum uxore, et postea ob morbi periculum ex eius consensu se retrahebat; verum ex hoc aliquando sequebatur pollutio: quaesitum a me fuit, an talis tactus esset licitus? Respondi affirmative: quia non est peccatum dare operam rei licitae et actioni honestae, quamvis praevideatur secutura pollutio, dummodo absit periculum consensus, ut erat in casu, de quo interrogatus fui: quia tunc pollutio non est in se volita, ut supponitur, neque dici potest volita in causa, quia non teneor illam actionem omittere, ne sequatur pollutio, stante iusta causa.* Cuius resolutionis rationem clarius propositam habes in doctrina S. Alphonsi, quam alibi (*Vol. 1. not. ad n. 412.*) retulimus. Vid. etiam Sporer (*De Matrimonio n. 500.*), ubi de casu consimili, quem sumit ex Gobat (*Theol. Exper. Tr. 10. n. 668. 669.*), idem cum Diana aliisque sentit, et advertit, quod sit *casus valde et frequenter practicus.*

** Obiiciunt hic VV. (*Pag. 828. Not. 1.*) haec S. Alphonsi (*Lib. 6. n. 918.*)

3° Non peccant graviter coniuges, etsi tactibus etiam sine intentione copulae habitis exurgat commotio spirituum, vel membrorum generationi inservientium, aut sequatur distillatio; quamvis haec in solutis mortalia essent: ratio, quia secluso voluntariae extra vas pollutionis aut sodomiae crimine nihil fit contra bonum matrimonii (*a*).—

verba: *Tamen puto, nullo modo posse eos* (coniuges) *excusari saltem a veniali, quidquid dicat Sanchez cum aliis.*

Resp. Doctores, uti fatetur etiam S. Alphonsus, inter se non conveniunt, utrum in casu culpa aliqua vel venialis intercedat. Igitur non constat certo de lege quapiam, quae sic violetur, atque adeo non adest convincens ratio, cur actus, de quo quaestio, venialis culpae damnetur. Atqui iuxta doctrinam a S. Alphonso tantopere inculcatam non possumus nec debemus aliquid *illicitum* dicere, nec conscientiam peccati iniicere, quando de peccato non constat. Ergo congruum est, ut et VV. non prohibeant, quominus in casu opinioni S. Alphonsi oppositam aliorum Doctorum opinionem alii praeferant.

Insuper in *Nota* haec leguntur: *Cuius resolutionis rationem clarius propositam habes in doctrina S. Alphonsi, quam alibi* (*Vol. 1. Not. ad n. 412.*) *retulimus.* Cur, quaeso, VV. huius allegationis nullam rationem habendam esse putaverunt? Eo in loco S. Doctor Alphonsus disserit de reatu illarum actionum, quae sint causa motuum carnalium, imo et pollutionis, et quidem de causa proxima seu graviter influente, et de eiusmodi causis haec scribit: *Excipitur tamen, si praefatae actiones ponantur ex causa necessaria, vel utili, vel convenienti animae aut corpori; tunc enim pollutiones ex ipsis provenientes, adhuc praevisae, non sunt peccata, dummodo absit consensus, vel eius periculum. Ita* COMMUNITER *Silvius, etc. ex S. Thoma.* Atqui, ut patet ex allatis Antonini Dianae textibus in *Nota* allatis, iusta causa supponitur in casu adesse. Ergo permittere debent VV., ut S. Alphonsum cum COMMUNI DD. sententia sentientem praeferamus S. Alphonso, sicubi forte a sua ipsius et a communi aliorum doctrina discedere videatur.

(*a*) Non abs re Auctor generale hoc principium aut statuit aut supponit, quod praeter istam inordinationem, quae est contra naturam, vix aliquid inter coniuges quoad hoc intercedere possit, quod gravis culpae *certe* damnari possit. Nam utique penes hos, illosve Auctores ceu graviter reos traduci reperies modo istos actus, modo alios; at enim in his mere habes quasdam opiniones particulares, et quidem non e solidis certisque principiis, sed potius e phantansticis apprehensionibus fere deductas. Recurrunt quidam scilicet *ad indecentiam,* ac turpitudinem, ac fere exclamationibus ac declamationibus rem agentes, *horrendam, nefandam, turpissimam,* etc., rem proclamant: quasi vero aut ratio peccati generatim, aut gravitas culpae petenda sit e ratione *indecentiae* in eo materiae genere, in qua etiam quae maxime licita sunt, quin et praecepta, ipsa natura duce, secreto ac tenebris ratione *indecentiae* committenda sunt. Recurrunt alii ad rationem effraenis libidinis; quasi vero libido non se maxime effraenem prodat in eo, in quo coniugii finis consummatur, aut quasi non ideo etiam matrimonium institutum fuerit, ut effraenis libidinis (*Vid. S. Thom. sup. in not. ad n. 908.*) remedium foret; aut quasi aliter matrimonium libidinis remedium foret, quam ut vehementi delectationis appetitui satisfiat, ea demum lege tantum ipsi apposita, quam et S. Thomas (*l. c.*) innuit, ut nec extra legitimum matrimonium excurrat, nec naturae fini adversetur! Et sane nisi adversus horum alterutrum peccetur, solida ratio, propter quam quaepiam alia inordinatio certo possit peccati gravis incusari, clare nuspiam apparet.

Quo quidem principio, uti par est, statuto, expeditissima Confessario

Ita communiter. — S. Lig. n. 934. — Sanchez., etc. Levis autem culpa, quae in huiusmodi actibus inesse potest, facile ob fines ipsi matrimonio intrinsecos aut alios extrinsecos excusatur, v. gr. quia ad fovendum affectum, vel ad sedandam concupiscentiam idonei sunt.

ratio suppetit, tum ut sanctitati Sacramenti, tum ut saluti poenitentium prospiciat.

Postulat enim Sacramenti sanctitas, ut de hisce sermo non intermisceatur, nisi urgente necessitate; unde fit, ut alienissimus debeat esse Confessarius ab hisce investigandis, atque adeo vix ullam adhibere interrogationem praeter hanc forte generalem, *num aliquis scrupulus anxium animum utcumque habeat,* quae tamen ne ipsa quidem fieri sine causa debet. Respondeat tamen, necesse est, si interrogatus fuerit. Porro ut responsio expeditissima sit, et ita satisfaciat necessitati, ut pro Sacramenti reverentia non tangat, quae tangenda non sunt, nihil aptius proposita norma erit.

Postulat id deinde salus poenitentium; quippe angi sane hi scrupulis possunt, et quidem circa eiusmodi actus, quos verbis exprimere animus refugit, et de quibus interrogare Confessarius nunquam debet. Porro ad tollendos quosvis scrupulos, et cum his simul necessitatem exprimendi ea, quae nominari nec possunt a poenitentibus, nec debent a Confessario, optime confert proposita norma. Nam semel ac significetur poenitenti, ubi nihil fini matrimonii seu generationi *positive* adversetur, nihil inter coniuges hac in re haberi, quod sit peccatum mortale, atque adeo quod sit *materia necessaria Confessionis,* licet leves culpae variis de causis intercedere possint, patet incommodis omnibus supradictis optime occurri.

Incommodis occurritur quoad praeteritum; nam simul ac poenitens generatim, ut fieri solet primitus, confessus fuerit, se aliquid hac in re deliquisse, Confessarius vero genericae interrogationis ope noverit, ex poenitentis suasione grave quidpiam intercessisse, praecisis mox quibusvis aliis investigationibus, facile rem componet, contentus nempe generali confessione vel peccati contra naturam, si alterutrum ex praedictis affuerit, vel generatim gravis contra conscientiam reatus; scitatusque, si opus est, numerum, confessionis necessitati satisfactum putabit.

Incommodis occurritur quoad futurum; tum quia adhibita ea norma avertitur periculum graviter ob solam conscientiam erroneam peccandi; tum quia poenitentibus, si opus habeant, traditur facilis confitendi ratio. Et quod ad leves culpas attinet, tria sunt, de quibus utiliter poenitens monebitur: 1° ab iis culpis excusari eum coniugem, qui cum sine alterius offensione quaedam recusare non possit, passive quodammodo se habet, ea scilicet non exigens, sed mere consentiens seu permittens; 2° ubi excusatio ista non adsit, ac poenitens leves hasce culpas confiteri malit (nam confiteri venialia necessarium non est), utendum in confessione prorsus esse generali formula *alicuius levis culpae in coniugali officio praestando,* nec unquam designandum, cuiusmodi illi actus fuerint: sanctitas enim sacramenti et periculum huic materiae insitum exigunt omnino, ut mere quod sufficiens sit, nihil vero superflui exprimatur; 3° si poenitens forte incidat in Confessarium adeo imprudentem, ut quidpiam ulterius investigando sciscitetur, posse eum, imo et debere modeste reponere, *nihil esse, quod ea de re addat.*

Quandoquidem vero de necessaria Confessarii cautela circa materiam istam sermo incidit, praestat heic subiicere, quidnam dignitas ac sanctitas Sacramenti dictet respondendum mulieri, quae mox nuptura, deque omni peccato in coniugalibus officiis cavendo valde sollicita, Confessarium ea de re interroget. Huic porro quaestioni sic post alios respondet Gobat (*Exper. Theol. Tr. 10. Cas. 17. n. 648. 649.*): *Si eiusmodi puella habeat matrem superstitem, bonis verbis iubeatur genitricem interrogare potius, quam*

920. — 4° Non peccat graviter, imo iuxta communiorem et probabiliorem sententiam nec leviter, uxor quae seipsam tactibus excitat ad seminationem statim post copulam, in qua vir solus seminavit; 1° quia seminatio mulieris pertinet ad complendum coniugalem actum, ut proprie coniuges sint una caro; et sicut uxor potest se praeparare tactibus ad copulam, ita etiam perficere; 2° quia si mulieres post talem irritationem compescere naturales motus tenerentur, essent iugiter magno peccandi periculo expositae. — *S. Lig. n. 919.*

5° Tactus cum seipso ex delectatione venerea, absente altero coniuge, iuxta plurium sententiam, a peccato gravi excusari non possunt, etiam seclusa pollutione aut proximo eius periculo. Ratio est, quia coniux ius non habet utendi proprio corpore in ordine ad voluptatem secum explendam, sed tantum in ordine ad copulam. — *Lacroix, n. 339.*, etc. *S. Lig. n. 936.* — Alii tamen non pauci apud ipsum S. Alphonsum dicunt, secluso pollutionis periculo, hoc culpam venialem non excedere. S. Alphonsus primam sententiam probabiliorem, et suadendam (*a*) censet.

6° Delectatio *morosa* de copula habita, vel remote habenda, secluso pollutionis periculo, iuxta communem sententiam est peccatum veniale tantum. 1° Est peccatum aliquod; quia in hac voluptate ad proximam copulam non relata, inordinatio invenitur, cum desit finis honestus et frustra moveantur, inchoative saltem, spiritus genitales. 2° Veniale non excedit; quia, cum copula sit coniugibus *per se* licita, non potest esse graviter illicitum de illa delectari (*b*). Non autem illicita est simplex cogitatio de his haben-

Confessarium (*aut etiam alias feminas utcumque consanguineas*, addit Burghaber)... *Si careat matre, aut prae verecundia non audeat interrogare, dicatur ei, ut suo marito tamquam capiti obediat etiam in illis rebus; si hic forte petat aliquid, de quo ipsa dubitet, an sit licitum, deprecetur verecunde; si deprecando nihil efficiat idcirco, quod maritus asserat, se iam nosse, quid permittant leges connubiales, tunc obediat, certa se non offensuram Deum, dum in dubio paret marito, tamquam superiori; proxima deinde occasione quaerat ipsa ex Confessario, utrum illud, in quo obedivit, licitum sit coniugibus, nec ne?*

(*a*) S. Alphonsus, dum dicit hanc sententiam *suadendam*, nequaquam significat, poenitentibus ingerendam a Confessario esse opinionem de gravi in hisce actibus reatu; nam ipse aperte et vehementer eos increpat ac damnat (*Vid. not. ad n. 152. Vol. 1.*) qui peccati mortalis, ubi de re non sunt certissimi, conscientiam iniiciunt. Hoc itaque unum sibi vult S. Alphonsus, poenitentes ab huiusmodi actibus summopere deterrendos. De hac quaestione videndus est Andreas Mendo (*Stater. Opin. Dissert. 5. Quaest. 19.*), ubi pro opinione negante gravem horum actuum reatum ea argumenta *ad hominem* refert (*n. 152.*), quibus difficile sane est idoneum responsum reddere.

(*b*) S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 937.*) in hanc rem affert illud S. Thomae (*De Mal. Q. 15. art. 2. ad 17.*): *Delectationes in bonitate et malitia consequuntur operationes delectabiles; et ideo sicut carnalis commixtio non est peccatum mortale coniugato, est autem peccatum mortale non coniu-*

dis vel habitis. — *S. Lig. n. 937*. — *Voit, n. 110*. — Imo nec desiderium de copula futura nec approbatio de praeterita sunt *per se* illicita; quia desiderium de re licita nequit illicitum esse. — *V. Casus, n. 1102.*

§. II. *De onanismo in particulari.*

921. — *Onanismus* in eo consistit quod vir, post inceptam copulam, ante seminationem se retrahat, et semen extra effundat, ut generationem impediat. Quisque per se videt, hoc esse libidini indulgere, et simul nolle onera matrimonii assumere.

Nomen suum sortitur ab *Onan*, secundo filio patriarchae *Iudae*, qui post defunctum fratrem suum Her iuxta morem coactus est viduam eius Thamar ducere, ut suscitaret semen fratri suo; sed *introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret. Gen. 38. 9. et 10.*

922. **Statuenda.** — *Dico* I. Onanismus *voluntarius* est semper peccatum mortale, utpote contra naturam; ideoque nunquam coniugibus licitus esse potest. Ratio est, 1° quia plane pugnat contra finem primarium matrimonii, et ad societatis exstinctionem *per se* tendit, ac proinde naturalem ordinem subvertit; 2° quia a su-

gato; similis etiam differentia est de delectatione et de consensu in delectationem. Non enim potest esse gravius peccatum consensus in delectationem, quam consensus in actum, ut patet per Augustinum... At vero hoc argumentum probat, non modo consensum in delectationem (nam hoc dicit *morosa delectatio*) non esse mortale, sed ne veniale quidem esse peccatum. Et huc directe ducit etiam ratio ab Auctore allata, scilicet quod non possit esse graviter illicitum delectari de re licita: cur enim illicitum utcumque erit de re licita delectari, quando, ut ait S. Thomas, bonitas vel malitia delectationis desumitur ex bona vel mala re, de qua quis delectetur? Vide quae allata sunt ex S. Thoma de morosa delectatione *in not. ad n. 169. Vol. 1.*

** Transcribunt VV. (*Pag. 827.*) sextam Auctoris Resolutionem, cui ista *Nota* apponitur, et addunt: *Haec tamen, ex S. Alphonso sat fideliter relata, P. Ballerinio non probantur; hinc demonstrare conatur, praefatam sententiam penitus adversari doctrinae D. Thomae, et consequenter ipsius S. Alphonsi auctoritatem Angelici invocantis.* Descripta dein nostra hac *Nota*, VV. subdunt (*Pag. 828.*): *Hisce expositis, examinare iuvat, quid de praefata doctrina P. B. sentiendum sit.* Verum, quid de praesenti Nota sit sentiendum, dicere deinde VV. praetermiserunt.

Advertere itaque hic iuverit, *Notam* non referri ad doctrinam Auctoris, aut S. Alphonsi, sed ad rationem seu argumentum, quo evincere voluerunt, eiusmodi delectationem non esse *grave* peccatum. Quippe, ut in *Nota* manifeste ostenditur, delectatio de actu honesto *per se* neque graviter, neque leviter potest esse illicita. Aliunde igitur reatus aliquis desumendus est. Gury inde repetit culpam, quod *desit finis honestus, et frustra moveantur, inchoative saltem, spiritus genitales.* Quae ratio eo rem adducit, ut si finis aliquis honestus seu causa iusta adesset delectationis ex cogitato coniugali actu perceptae, iam et reatus ille venialis abesse posset, et consequenter reatus abesset a motionibus carnalibus praeter intentionem consurgentibus, quippe qui in casu (*Vid. sup. Not. ad n. 919. Resol. 2.*) iusta de causa permitterentur.

premo Legislatore et naturae Auctore *stricte* fuit prohibitus, ut eruitur ex testu *Genesis* modo relato; 3° constat insuper ex propositione 49ª ab *Innocentio XI*. damnata, quae sic sonat: *Mollities iure naturali prohibita non est* .... Unde sic: Onanismus est vera et proprie dicta mollities, seu pollutio extra usum licitum matrimonii; ergo, etc. Hoc confirmatur pluribus *S. Poenitent.* et *S. Officii* Decisionibus, infra referendis sub *n. 927. 928. et 929.*

Dico II. Vir *onanista* nunquam a peccato gravi excusari potest, et proinde nunquam absolvendus est, nisi de peccato suo sincere doleat, illudque in posterum vitare proponat. Ratio ex dictis patet.

Dico III. Uxor a peccato excusari potest, si gravi de causa viro onanistae debitum reddat, modo interius ipsius peccato non assentiatur, exteriusque repugnantiam suam seriis admonitionibus, aliisve displicentiae signis ostendat. Ratio est, 1° quia rei licitae vacat, et utitur iure suo, quo propter malitiam viri privari non potest; nec alterius peccato *proprie* cooperatur, cum se *passive* tantum habeat, et actio intrinsece mala consistat tantum in actu viri contra naturae ordinem tunc recedentis; 2° quia non obligatur charitate ad peccatum mariti impediendum cum gravi suo incommodo; 3° quia patet ex responsionibus, quibus *S. Poenitentiaria* declaravit huiusmodi mulierem inquietandam non esse. — *Vide decisiones* infra referendas sub *n. 931.*

923. **Resolves.** — Graviter peccat mulier, quae virum ad matrimonio abutendum inducit etiam indirecte vel tacite, v. gr. conquerendo de numero prolis, de laboribus partus, vel educationis liberorum, aut recantando se in proximo partu morituram esse, etc. *A fortiori* graviter peccat, si invito marito ab incepta copula ante seminationem se retrahat.

2° Graviter item peccat mulier detestandae viri actioni interius consentiendo (*a*), etsi exterius repugnantiam ostendat. Peccatum enim semper est odio habendum.

3° Tenetur uxor, saltem *ordinarie,* virum onanistam de obligatione recte agendi monere, eumque, quantum in se est, a perversa agendi ratione avertere. Nec sufficit quod semel eum monuerit, sed admonitiones interdum repetere debet, nisi certa sit, novam admonitionem nihil esse profuturam. Attamen tunc etiam repugnantiam suam aliquo modo patefacere debet, ne peccato ma-

(*a*) Intellige, si opus ipsum malum approbet, deque eo, uti tali in se, gaudeat. Nam inefficax complacentia non de malo opere in se, sed solum de effectu inde sequuto, reatum per se non continet, prouti DD. omnes statuunt *in Tract. De Peccatis. Vid. Vol. 1. n. 173. Resol. 4.* Et hoc sedulo advertendum est, ne inaniter vexetur uxor, quae dum crimen viri efficaciter detestatur (et haec detestationis efficacia inde probatur, quod si optio illi detur, nunquam abusum hunc velit), posset alioquin gaudere de immunitate ab incommodis periculisque, quae gestationem, partum, etc., comitantur.

riti libenter consentire videatur. — *Ita communiter*, et sic respondit interrogata *S. Poenitentiaria.*

4° Officium quoque uxoris erit maritum blanditiis, variis amoris indiciis, precibus adhortationibusque permovere ad actum recte perficiendum, vel ab eo prorsus abstinendum (*a*). Experientia constat plurimos viros onanistas ab uxoribus sic allectos ad meliorem frugem sese recepisse.

924. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quomodo se gerere debeat Confessarius cum coniugibus de usu matrimonii prorsus tacentibus?*

Resp. Difficultas haec quotidianae praxis non adeo facile solvitur, nostris praesertim temporibus, in quibus onanismi lues ubique grassatur. Hinc varia est Confessariorum agendi ratio. Alii censent, coniuges generatim quoad matrimonii usum esse interrogandos, quia abusus matrimonii est communissimus, nec in re adeo iuri naturae opposita ordinarie praesumi bona fides potest. Alii e contrario opinantur, omittendas omnino esse quasvis interrogationes, quia coniuges, licet onanismi reipsa rei, forte in bona fide versantur, et hac expulsa pergent nihilominus in prava peccandi consuetudine, nec proinde iam amplius absolvi poterunt, et a Sacramentis recipiendis exulabunt. A duobus his extremis recedendum, viamque mediam sectandam esse existimamus. Etenim ex una parte in re adeo ardua et periculosa minime decet, ut Confessarius quaestiones

** (*a*) Eo minus gravis, molestaque viro haec abstinentia accidet, atque adeo uxor eo facilius a marito consequi id poterit, quando coniuges noverint, necessarium non esse, ut eiusmodi abstinentia sit perpetua, et contra imo compertum habeant, ne diuturnam quidem abstinentiam demum ab ipsis exigi. Et sane ad hunc nefandum abusum ea fere causa solet impellere, quod parentes aegre ferant, si numerosiori prole gravari debeant. Porro post accuratiora physiologiae studia iam constat, sua stata esse tempora, quibus e coniugali congressu sperari aut non sperari effectus generationis possit: et tamquam exploratum iam habetur, sperari illum effectum non posse a quartodecimo die post incepta menstrua usque ad subsequentis epochae finem, idest ad sequentem usque menstruorum recursum. Cum itaque perspicuum sit, prae gravissimo malo, quod evidens cernitur in iugi matrimonii abusu contra naturam, atque adeo in perpetuo illo, quo mersus maritus iacet, statu peccati, levius ipsi quoque marito videri posse ac debere mediocris illius abstinentiae incommodum, quod ad tantum avertendum malum sufficit, et simul prospicit tum carnis infirmitati, tum iusto numerosioris prolis timori; non desperandum sane, neque dubitandum, quin sollicita piae uxoris cura ad saniora consilia maritum sit adductura. Caeterum si coniugibus licet perpetuam ex communi utriusque consensu servare continentiam; si coniugibus licet continentiam servare ac matrimonii consummationem differre ad annos, viginti, aut triginta seu ad eam usque aetatem, qua nulla prolis spes iam supersit; iterum vero si in alium legitimum matrimonii finem, etsi omnis spes prolis absit, licet tamen iusta de causa, et servato naturae ordine coniugalibus iuribus uti tum quando uxor certa sterilitate laborat, tum quando ob aetatem provectam ad concipiendum facta est prorsus inhabilis; quid demum prohibeat, quominus coniuges in finem superius dictum continentiam secundum normam ac limites praedictos servent? Aut qua demum lege ad congrediendum alio tempore ipsos adstringi dicemus?

multiplices minutasque coniugatis proponat. Imo nisi gravis adsit probabilitas, quod poenitens huiusmodi peccato inquinetur, altum servare debet silentium. Ex altera parte Confessarius ab omni quaestione non semper abstinere potest, qui ex officio iudicis integritatem confessionis *per se* procurare debet, quoties graviter suspicetur, poenitentem obligationi suae non satisfacere (*a*). Nec dicas Confessarium excusari ab obligatione interrogandi ratione gravissimi incommodi, quod in praesenti casu occurrit; nam generatim poenitentes absque tanto incommodo interrogari possunt, si caute et prudenter procedatur, v. gr. inquirendo generali modo, num aliquid conscientiam circa matrimonii sanctitatem remordeat. Quod si negent, generatim ulteriori interrogatione non erunt urgendi. Confirmatur haec doctrina recenti Decisione *S. Congreg. Inquis.* die 21. Maii 1851. Quaesitum enim fuerat, qua nota digna foret sequens propositio: *Nunquam expedit interrogare de hac materia* (onanismi) *utriusque sexus coniuges, etiamsi prudenter timeatur, ne coniuges, sive vir, sive mulier, abutantur matrimonio.* Responsum fuit: *Propositionem, prout iacet, esse falsam, nimis laxam et in praxi periculosam. — Vide infra, n. 930.*

925. — Quaer. 2° *An uxor debitum a viro onanista petere possit?*

Resp. Affirm. probabilius, gravi de causa, v. gr. si periculo incontinentiae ipsa exponatur; quia ius habet ad copulam, et a peccato cooperationis excusatur. — *Ita S. Lig. n. 947.* (*b*). Sic etiam declaravit *Poenitentiarius Maior Card. de Gregorio* in admonitione ad praefatas S. Poenitentiariae responsiones, quamvis addat, *S. Poenitentiariam* hac de re decisionem dare recusasse.

926. — Quaer. 3° *An peccet uxor consensum internum voluptati praebendo, quando actum coniugalem viro onanistae permittere potest?*

Resp. Neg., modo assensum peccato viri non praebeat. Ratio est, quia cum minime peccet actum huiusmodi permittendo, neque peccat voluptatem ex ea provenientem admittendo, quamvis praesciat, virum copulam non esse perfecturum; actus enim ille est

(*a*) Haec ratio hoc loco parum efficax est. Quia vel Confessarius supponit poenitentem in bona fide, et iuxta praemissa ab ipso Auctore ratio procurandi integritatem Confessionis non exigit, ut a bona fide poenitens deturbetur. Vel de bona poenitentis fide dubitat, et tunc cum non agatur de peccatis, quorum omissio possit oblivioni tribui, interrogatio aut facile noxia evadet, si poenitens in bona fide erat, aut inutilis, si mala fide silentium ea de re poenitens servat. Vide de hoc argumento Frassinetti in Dissert. X. alias cit. *Dell' integrità della Confessione.*

(*b*) Ecce tibi S. Alphonsi sententia: *Iustam causam* (*uxor*) *habebit petendi, si ipsa esset in periculo incontinentiae, vel si deberet alias privari iure suo petendi plusquam semel vel bis, cum perpetuo scrupulo, an ei sit satis grave incommodum, nec ne, tunc se continere. Vide dicta in pari casu Lib. 2. n. 53. V. Si vero:* qui alter S. Alphonsi locus etiam clarius mentem ipsius explicat. Et haec Confessarius probe advertat, oportet, ut sciat, quandonam denuntiandi obligationem, et quando solum utendi consiliis et adhortationibus locus ipsi detur.

in se honestus et licitus mulieri, et per eam non stat, quominus debito modo perficiatur. — *Vide casus, n. 1104.*

DECISIONES

SACRARUM CONGREGATIONUM CIRCA ONANISMUM

927. — Iª Consultatio. Episcopus N. humillime supplicat pro huius dubii solutione: 1° *An possit absolvi mulier, quae pateretur equidem virum, si recte ageret in copula coniugali, vehementer autem desiderat, ut se retrahat vir quia mulier illa prolem habere formidat.* 2° *An possit absolvi mulier, quae in copula coniugali posset suis blanditiis obtinere a viro, quod non se retraheret, et non facit; quia illa copula sibi displicet.*

Responsum. — S. Poenitentiaria, perpensis dubiis a Ven. in Christo Patre, Episcopo N., propositis, respondit. *Negative.* Datum Romae in S. Poenitentiaria die 27. Maii 1847.

928. — IIª Consultatio. Quaeritur a Sede Apostolica, qua nota theologica dignae sint tres propositiones sequentes, nimirum: 1° *Ob rationes honestas coniugibus uti licet matrimonio eo modo, quo usus est Onan.* 2° *Probabile est istum matrimonii usum non esse prohibitum de iure naturali.* 3° *Nunquam expedit interrogare de hac materia utriusque sexus coniuges, etiamsi prudenter timeatur, ne coniuges, sive vir sive uxor, abutantur matrimonio.*

Responsum. — S. Congreg. Inquisit. die 21. Maii 1851. Ad 1um: *Propositionem esse scandalosam, erroneam, et iuri naturali matrimonii contrariam.* Ad 2um: *Propositionem esse scandalosam, erroneam, et alias implicite damnatam ab Innocentio XI. propositione* 49ª (Vide hanc propositionem supra *n. 922.*). Ad 3um: *Propositionem, prout iacet, esse falsam, nimis laxam, et in praxi periculosam.*

929. — IIIª Consultatio. Postulatum Illustrissimi D. Bouvier Episcopi Cenomanensis, circa agendi rationem Confessariorum cum coniugibus, relative ad onanismum.

Beatissime Pater, Episcopus Cenomanensis in Galliis ad pedes S. V. summa cum reverentia provolutus, ea, quae sequuntur, humillime repraesentat.

Fere omnes iuniores sponsi numerosiorem prolem habere nolunt, et tamen ab actu coniugali abstinere moraliter nequeunt.

A Confessario interrogati circa modum, quo iuribus matrimonii utuntur, graviter communius offendi solent; et moniti, nec ab actu coniugali temperant, nec ad nimiam prolis multiplicationem determinari queunt.

Tunc adversus Confessarios mussitantes, Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae derelinquunt, malum praebent exemplum liberis, famulis, aliisque Christi fidelibus; lugendum inde oritur Religionis detrimentum.

Numerus eorum, qui ad sacrum Poenitentiae Tribunal accedunt, multis in locis ab anno in annum decrescit praesertim ob hanc causam, fatentibus plerisque Parochis pietate, scientia et experientia magis conspicuis.

Quomodo ergo olim agebant Confessarii? aiunt multi. Non plures quam hodie communiter nascebantur liberi ex singulis matrimoniis, coniuges non erant castiores, et nihilominus praeceptis annuae Confessionis ac Communionis Paschalis non deerant.

Omnes libenter admittunt, infidelitatem erga compartem, et abortus attentationem maximum esse peccatum. At vix ac ne vix quidem persuaderi possunt, se teneri sub peccato mortali, aut perfectam in matrimonio servare castitatem (*a*), *aut incurrere periculum innumeram generandi prolem.*

Praefatus Cenomanensis Episcopus ingentia hinc obventura esse mala praevidens, et anxietate turbatus, a Beatitudine Vestra sollicite exquirit:

1° *An coniuges, qui matrimonio eo utuntur modo, ut conceptionem praecaveant, actum per se moraliter malum exerceant?*

2° *Si actus habendus sit ut moraliter malus, an coniuges de illo se non accusantes considerari possint tanquam in ea constituti bona fide, quae eos a gravi culpa excuset?*

3° *An probanda sit agendi ratio Confessariorum, qui ne coniugatos offendant, illos circa modum, quo iuribus matrimonii utuntur, non interrogant?*

930. — Responsio. S. Poenitentiaria, mature perpensis propositis quaestionibus, Ad 1um respondet: *Cum tota actus deordinatio ex viri malitia procedat, qui, loco consummandi, retrahit se et extra vas effundit; ideo si mulier post debitas admonitiones nihil proficiat, vir autem instet minando verbera aut mortem, poterit ipsa, ut probati Theologi docent, citra peccatum simpliciter permittere, idque ex gravi causa, quae eam excuset; quoniam charitas, qua illud impedire tenetur, cum tanto incommodo non obligat.*

Ad 2um autem et 3um respondet: *Quod praefatus Confessarius revocet in mentem adagium illud,* sancta sancte esse tractanda; *atque etiam verba perpendat S. Alphonsi de Ligorio, viri docti et harum rerum peritissimi, qui in* Praxi Confessariorum §. 4. n. 41. *inquit: Circa autem peccata coniugum respectu ad debitum coniugale, ordinarie loquendo, Confessarius non tenetur, nec decet interrogare, nisi uxores, an illud reddiderint, modestiori modo quo possit.... De aliis taceat, nisi interrogatus fuerit. Necnon alios pro-*

(*a*) Hoc non ita intelligendum, quasi plura non sint, quae certe non licent iis, qui tenentur *perfectam* servare *castitatem,* et tamen licent coniugibus, etiamsi a perfecto congressu aliqua de causa abstineant, uti ex superius dictis (*Vid. art. III. De peccatis Coniugum*) patet. Confer etiam S. Alphonsum (*Lib. 6. n. 933.*).

batos auctores consulere non omittat. Datum Romae a S. Poenitentiaria die 8. Iunii 1842.

931. — IVª Consultatio. Quaesitum. *Bertha virum habet, quem constanti experientia cognoscit esse onanistam. In vanum omnia tentavit media, ut illum a tam nefando crimine retraheret. Quinimo gravissima aut saltem gravia mala ei imminent nunc probabiliter, ita ut vel haec mala incurrere debeat vel fugere e domo mariti, nisi permittat saltem aliquando abusum matrimonii, etc.*

Responsio. — *Cum in proposito casu mulier a sua quidem parte nihil contra naturam agat, detque operam rei licitae, tota autem actus inordinatio ex viri malitia procedat, qui, loco consummandi, retrahit se et extra vas effundit; ideoque, si mulier post debitas admonitiones nihil proficiat, vir autem instet, minando verbera aut mortem aut alia gravissima mala, poterit ipsa (ut probati Theologi docent) citra peccatum permissive se habere; cum in his rerum adiunctis ipsa viri sui peccatum simpliciter permittat, idque ex gravi causa quae eam excusat; quoniam charitas, qua illud impedire tenetur, cum tanto incommodo non obligat.* Datum Romae in S. Poenitentiaria die 1ª Febr. 1823.

Exstant etiam aliae responsiones S. Poenitentiariae, quae praecedenti omnino consonant; has refert *Gousset* in opere: *Justification de Saint Liguori* p. 272.

FINIS TRACTATUS DE MATRIMONIO.

TRACTATUS
DE CENSURIS

Censurae spectandae sunt tum in genere, tum in specie.

CAPUT I.

DE CENSURIS IN GENERE

Agendum 1° de natura et divisione censurarum; 2° de principio seu auctore censurarum; 3° de subiecto censurarum; 4° de absolutione a censuris.

ARTICULUS I.

DE NATURA, DIVISIONE ET CONDITIONIBUS CENSURARUM

I. *De natura censurae.*

932. — Censura sic communiter definiri solet: Est poena spiritualis et medicinalis, qua homo baptizatus delinquens et contumax per potestatem ecclesiasticam quorumdam bonorum spiritualium usu privatur.

Dicitur 1° *poena,* quia culpam supponit; 2° *spiritualis,* tum quia fertur a potestate spirituali ad spiritualem christianorum utilitatem, tum quia bona spiritualia immediate aufert; 3° *medicinalis,* quia fertur eo fine, ut anima ad meliorem frugem sese recipiat (*a*); 4° *homo baptizatus,* quia qui baptizati non sunt, Ecclesiae potestati non subduntur; potestas autem exercetur in subditos; 5° *delinquens et contumax,* quia poena nonnisi delinquenti infligitur, medicina vero porrigi non debet, nisi iis, quorum contumacia tanto indigeat remedio; 6° *usu quorumdam bonorum spiritualium privatur,* nempe bonorum, quae subsunt potestati Ecclesiae, ut sunt preces publicae, Sacramenta, etc.

Hinc censura differt 1° *a depositione et degradatione,* quae non sunt *medicinales,* nec *ad tempus,* sed in poenam tantum et perpe-

(*a*) Etsi de correctione delinquentis desperetur, potest censura ferri tum in ultionem delicti, tum ne pravorum communicatione caeteri inficiantur (*Salmant. De Cens. Cap. 1. n. 10.*). Unde cessante *correctionis* fine, non cessant eo ipso alii fines (*Coninck Disp. 13. Dub. 1. n. 9.*).

tuae; 2° *ab irregularitate,* quae ob solum quoque defectum animi vel corporis absque ulla culpa contrahi potest, et proinde per se non est poena, sed tantum impedimentum canonicum, licet ob quaedam crimina inflictum poenae quoque rationem habere possit.

Hinc etiam apparet, censuram non perpetuo durare, sed finem sortiri cum delinquentis emendatione; tunc enim solvi a vinculo censurae debet.

Suspensio et *interdictum* modo *censurae,* modo poenae *vindicativae* naturam induunt. Dignosces autem esse poenam vindicativam, tum si feratur propter delictum mere praeteritum, tum si infligatur in perpetuum aut etiam ad tempus determinatum, puta pro duobus vel tribus mensibus (*a*).

II. *Divisio censurarum.*

933. — Variae distinguuntur, scilicet:

1° *Excommunicatio, suspensio, interdictum,* de quibus speciatim dicemus.

2° *Censurae latae,* vel *ferendae sententiae,* prout Superior statuit, eas incurrendas esse ipso facto, quo quis legem violaverit, vel tantum post sententiam iudicis ecclesiastici infligendas esse.

3° *Censurae latae a iure* vel *ab homine,* prout feruntur instar mandati iudiciarii vel praecepti, sive in unum sive in plures. Si censura afficit personas determinatas, est *particularis;* si vero generaliter et absque determinatione personarum fertur, *generalis* est (*b*).

(*a*) Proinde qui eiusmodi interdicta seu suspensiones violet, non incurrit irregularitatem.

(*b*) Paululum obscura ista sunt. Clarius Suarez (*De Cens. Disp. 3. Sect. 1. n. 2.*): *Duobus modis potest homo ferre censuram. Uno modo ferendo legem stabilem ac permanentem, obligantem sub hac poena quam ipso facto incurrant eius transgressores. Alio modo potest homo ferre censuram proferendo sententiam, aut praecipiendo aliquid in singulari actione vel negotio, in quo non stabilitur ius aut statutum permanens, sed transitorium mandatum. Quando ergo censura fertur primo modo, dicitur esse a iure; quia.... iam talis censura in ipso iure continetur. Quando vero censura fertur posteriori modo, retinet veluti commune nomen, et quasi per antonomasiam vel accommodationem vocatur censura* ab homine. *Atque hoc sensu divisio illa communis est omnium theologorum et canonistarum.*

Differunt autem a se invicem dupliciter. Nam 1° censura lata *a iure,* mortuo auctore, qui eam tulit, instar omnium legum perseverat. Lata autem *ab homine*, cum ab huius iurisdictione et auctoritate pendeat, ubi haec, eo mortuo vel remoto ab officio, cesset, etiam ipsa cessat: quod intellige, *ut non amplius incurratur;* nam si quis eam incurrerit, vinculum nonnisi absolutione tollitur. — 2° Censura lata *a iure* nunquam ferri potest pro delictis praeteritis; censura vero *ab homine* non solum pro futuris, sed etiam pro praeteritis ad eorum satisfactionem et emendationem fertur (*Schmalzgr. Lib. 5. Tit. 39. n. 9.*).

Insuper censurae ab homine duplex modus distingui solet, scilicet 1° per modum *mandati,* cum Praelatus quidpiam mandat seu praecipit,

4° *Censurae reservatae,* vel *non reservatae,* prout Superior earum absolutionem sibi reservavit, vel ordinariis Ministris ab iis absolvere permisit. Aliae autem sunt Papae reservatae, aliae Episcopis. *Censurae ab homine* semper reservatae censentur, nisi per sententiam generalem latae sint.

5° *Censurae notoriae* vel *occultae,* prout publice constat aliquem eas incurrisse ob factum, quod est ita cognitum, ut iam celari amplius nequeat; vel secus.

6° *Censurae iustae* vel *iniustae, validae* vel *invalidae;* prout Superior iustitiae, veritati et legi consuluerit, necne, in censura imponenda.

III. *Conditiones censurarum.*

934. — Requiritur ad censurae validitatem, ut peccatum, cui infligitur, sit mortale, externum, consummatum, non mere praeteritum, et coniunctum cum contumacia.

1° *Mortale;* censura enim, cum sit poena gravissima, mortalem culpam requirit (*a*).

2° *Externum;* nam Ecclesia iudicat in foro externo, ad quod censurae pertinent, non vero de mere internis (*b*).

3° *Consummatum opere,* in genere suo (*c*); quia leges poenales

aut prohibet, adiuncta sanctione censurae: et hic modus respicit actiones futuras, uti patet; 2° per modum *sententiae,* cum de aliquo facto instituitur iudicium, et iudicialiter sententia fertur, imponendo nempe censuram, etc., et hic modus respicit factum praeteritum.

Utriusque autem modi esse potest, ut censura sit vel *particularis,* nimirum circa aliquod factum particulare aut certas personas, vel *generalis,* quae nulla singularis facti aut saltem personae determinatione fertur.

S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 6.*) latas per modum *statuti* habendas esse putat censuras, quas Episcopus fert in Synodo dioecesana, ideoque, tamquam latas *a iure,* perseverare post mortem Episcopi: latas vero *ab homine,* quae ferantur extra Synodum, quae idcirco per mortem ferentis cessent.

(*a*) Quod levis aliqua censura, v. gr. excommunicatio *minor,* levis aliqua suspensio, aut leve aliquod personale interdictum, possit ferri ob culpam levem, communis est DD. sententia, ut videre est apud S. Alphonsum (*Lib. 7. n. 30*) et Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 39. n. 59.*). S. Alphonsus addit, si censura feratur ad *breve tempus;* sed tunc non proprie censura, sed inhabilitatio quaedam erit, ut dictum est *sup. n. 932.* Auctor porro loquitur de excommunicatione maiori, deque suspensione et interdicto, prout communiter feruntur, scilicet ad omnem usum; quae ex communi omnium sententia ob culpam levem ferri non possunt. Levis tamen intelligi culpa debet, quae talis sit tum *in se,* tum *ratione finis;* ratio enim aut finis graviter intenti, aut scandali aut periculi efficere possunt, ut res *per se* levis, capax tamen sit gravis praecepti. Vid. Suarez (*De Cens. Disp. 4. Sect. 6. n. 12.*), Lugo (*De Iust. et Iur. Disp. 16. n. 61.*), Lessius (*Lib. 2. Cap. 12. n. 54.*), Sanchez (*In Decal. Lib. 7. Cap. 21. n. 28. 29.*).

(*b*) Non solum exterius debet esse peccatum, sed etiam grave in ratione actus externi.

(*c*) Clarius hanc conditionem sic Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 39. n. 64.*) proponit, ut exceptionibus non indigeat: *Ut incurratur censura, peccatum*

sunt stricte interpretandae iuxta regulam Iuris: *Odia restringi, favores convenit ampliari.* — Excipe, nisi legislator contrarium exprimat.

illud externum, ob quod censura contrahenda est, debet esse completum in suo genere secundum proprietatem verborum, quae in praecepto seu lege continentur.

Huc pertinet regula, ad censuram incurrendam requiri, ut *completus sit ille effectus, quem legislator intendit sub censura prohibere.* Proinde si verba, diligenter inspecta, significent prohiberi *ultimum* effectum, v. gr. homicidium; censura non incurritur, nisi effectu illo ultimo sequuto, scilicet morte. Quando vero sub censura prohibetur principaliter ipsa *actio* vel *conatus;* tunc ea posita, statim incurretur censura, etiam effectu non sequuto. Vid. Bonacina (*De Cens. Disp. 1. Q. 1. Punct. 4. n. 12. 13.*) et Croix (*Lib. 7. n. 59.*).

Ex probabiliori autem sententia censuram non incurrit, qui consilium vel mandatum revocaverit ante executionem (*Suarez De Cens. Disp. 44. Sect. 5. n. 13. — S. Alph. Lib. 7. n. 40.*). Quoad eum vero, qui utut optaret et conatus sit, revocationem consilii seu mandati non potuit mandatario seu executori significare, vel qui poenitentiam agit post positam causam, v. gr. mortis, sed ante sequutum effectum, quem non potuit impedire, ex sententia Card. De Lugo (*De Poenit. Disp. 16. n. 453.*), et Suarezii (*De Peccat. Disp. 3. Sect. 4. n. 3. 7. 8.*) certum est, censuram ab eo incurri; nec ulla vis rationi, quam S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 40. et Lib. 4. n. 149.*) ex Salmanticensibus contra affert, inesse videtur.

** 1. Contra hanc *Notam* quatuordecim columnas scribunt VV. (*Pag. 841-848.*), et duo contendunt (*Pag. 846, 847.*) videlicet 1° quod *Suarez nullatenus oppositam sententiam tenet, nec ullo modo S. Alphonso contrarius est;* 2° quod *Lugo doctrinam prorsus singularem tradit.*

2. Et quod ad primum attinet, quaestionem VV. constringunt ad ea, quae Suarez disserit (*In 1. 2. Tr. 5. De peccat. Disp. 3. Sect. 4.*), ubi quaerit, *quo tempore censeatur quis peccare peccato omissionis;* quam quidem disputationem VV. tantum non totam per quatuor columnas (*Pag. 844-846.*) transcribunt. Duo autem sunt, quibus insistunt. Ac 1° Cum Suarez (*n. 7.*) praemittat: *Quaeres, an possit contingere, voluntatem, quae est causa omissionis ut sic, esse culpam, et tamen omissionem postea sequutam nullo modo esse peccatum;* v. gr. *si aliquem, antequam sequatur omissio, poeniteat prioris culpae et causae datae, tamen non possit impedire effectum:* respondeat autem huic quaestioni (*n. 8.*), *utrumque modum loquendi esse probabilem;* hinc VV. (*Pag. 846.*) concludunt (ut videntur) probabilem fuisse Suaresio S. Alphonsi opinionem.— 2° Advertunt VV. (*Pag. 846.*), quod licet Suarez affirmet, reum utut poenitentem *iuste puniri posse,* tamen id *de sola irregularitate* dici, non vero de excommunicatione. Sic enim Suarez (*l.c.n.7.*): *Quantumvis illum hominem poeniteat postea, propter illum actum iuste punitur, et manet irregularis; ergo ille actus exterior habet rationem peccati.* Discriminis porro, quod in rem praesentem VV. confingunt, inter *irregularitatem* et *censuram,* hanc rationem (*ibid.*) reddunt, quod *irregularitas poena vindicativa est..., poena autem excommunicationis medicinalis est.* Et de hac subdunt: *Si fecit* (reus poenitens), *quod potuit, et executionem impedire nequivit, excommunicationem non incurrit, quia contumacia deest, quae ad quamlibet censuram incurrendam necessario requiritur.*

3. Resp. ad 1. Quod Suarez dicat, *utrumque loquendi modum esse probabilem,* nihil omnino pro causa VV. concludit. Agitur enim de mera *denominatione;* et ut idem Suarez (*n. 3.*) dixerat, *dissensio forte est de nomine.* Alioquin vero, fatentibus ipsis VV., sive omissio illa, de qua sermo.

4° *Non mere praeteritum;* quia censura est poena medicinalis, quaeque proinde ferri non potest in eos, qui iam ad meliorem fru-

dicatur *peccatum,* sive non appelletur *peccatum,* certa est sententia Suaresii, reum illius omissionis *iuste puniri.* Incassum ergo VV. insistunt probabilibus hisce loquendi modis, quando non *probabiliter,* sed *certe* poena infligitur.

4. Resp ad 2. Quod Suarez, quando dicit, nihilominus *reum iuste puniri,* intelligi debeat de *sola irregularitate,* non autem de poena *excommunicationis,* manifeste falsum est. Nam in antecedentibus (*n. 3.*) Suarez aperte indicat quod in casu *si omissio revera sequuta fuisset, et si tali omissioni esset imposita poena excommunicationis vel irregularitatis, illam* (reus) *incurreret.* Ergo quod deinde (*n. 7.*) nominet dumtaxat irregularitatem, id solum exempli causa facit, non vero ad aliarum poenarum atque adeo censurarum exclusionem, si quae sint omissioni eiusmodi impositae.

5. Ratio autem, propter quam VV. dicunt, in casu reum si causae positae ipsum poeniteat, incurrere quidem *irregularitatem,* non vero *excommunicationem,* non innititur demum nisi praeposterae notioni *contumaciae* ad incurrendas censuras necessariae, quam deinde notionem gratis Suaresio affingunt. Contumacia videlicet in praesenti quaestione non in eo sita est, quod quis post violatam legem sub censura praecipientem in eadem mala voluntate perseveret, sed in eo omnino quod sciens et volens quis legem et censuram inobediendo contempserit: apposite Reiffenstuel (*Lib. 5. Tit. 39. n. 14.*): *Dum dicitur, ad incurrendam censuram requiri contumaciam, non est intelligendum, quasi requireretur contumacia expressa et formalis; sufficit enim contumacia virtualis et contemptus Ecclesiae interpretativus* IN HOC CONSISTENS, QUOD QUIS SCIAT, ALIQUID PER LEGEM AUT LEGITIMUM SUPERIOREM ECCLESIASTICUM SUB CENSURA ESSE PROHIBITUM, ET TAMEN ILLUD FACERE PRAESUMAT. Neque vero aliter Suarez (*De Cens. Disp. 4. Sect. 3. n. 10.*): *Si lex absolute praecipiat, et censuram ferat contra transgressores, tunc voluntarium, quod sufficit ad peccandum deliberate et humano modo contra illam legem, et ad contumaciam ad censuram, satis est ad talem poenam ipso iure impositam incurrendam. Haec regula videtur manifesta ex terminis: quia sicut illa lex absolute prohibet tale delictum, ita absolute profert censuram: ergo ex vi talis legis non plus nec alius modus voluntarii requiritur ad incurrendam censuram, quam ad peccandum contra ipsam legem.* Ergo sicut ad rationem peccati non pertinet, quod deinde peccator in mala voluntate perduret, ita nec ad incurrendam censuram plus aliquid requiritur, quam contumax in ipsa transgredienda lege inobedientia.

6. Sed nihil opus est pluribus immorari, quando praesentem quaestionem habemus a Suaresio, non secus ac a Lugo aliisque, solutam. De eo enim disserens (*De Cens. Disp. 20. Sect. 3. n. 16.*), *qui habet obligationem ad solvendum pensionem intra mensem, et nunc in principio mensis est potens ad solvendum, nihil tamen curans de solutione pensionis, omnia expendit, et ita fit impotens ad solvendum,* haec statuit: *Dico igitur, hunc non excusari, quominus, si praescripto termino elapso, petitam pensionem non solvat, excommunicationem incurrat. Ratio a priori est, quia ille revera agit contra praeceptum, et consequenter est contumax; sicut etiam agit contra praeceptum de recitando officio, qui se reddit impotentem ad recitandum.*

7. Quod vero non excusetur ab incurrenda censura, utcumque eum poeniteat, sic prosequitur et explicat Suarez (*n. 17.*): *Recolendum est autem in huiusmodi casibus, aliud esse tempus, quo delinquitur coram Deo, aliud vero, in quo excommunicatio incurritur. Delinquit enim aliquis eo*

gem sese receperunt. Proinde ut in casu peccatum *praeteritum* dicatur, necesse est, ut ita prorsus cesset, ut nullo modo con-

tempore, quo fit impotens ad solvendum iuxta praefixum terminum; non incurrit autem excommunicationem, donec re ipsa talis terminus finitur non impleta obligatione: quia censura non contrahitur, donec omissio praecepti exterius consummata sit. Quamvis autem causa omissionis prius posita fuerit, et ideo delictum tunc maxime commissum fuerit, tamen omissio re ipsa consummata non fuit usque ad praefixum terminum; et ideo usque ad illum non incurritur excommunicatio: a qua non potest tunc impotentia excusare: quia cum haec fuerit voluntaria, non facit omissionem involuntariam: sed RELINQUIT ILLAM PECCAMINOSAM ET CONTUMACEM EX VI PRIORIS CAUSAE, ETIAMSI FORTASSE IAM TUNC DISPLICEAT, QUOD NON SATIS EST AD IMPEDIENDAM EXCOMMUNICATIONEM.

8. Quomodo autem contingat, ut etiam poena excommunicationis puniatur tamquam reus ille, qui peccati sui iam dolore tactus est, iam explicaverat Suarez loco sup. citato (*In 1. 2. De Pecc. Disp. 3. Sect. 4. n. 8.*), ubi statuit, omissionem culpabilem in causa melius dici peccatum, etsi reus antequam re ipsa omissio sequatur, ita poenitentiam egerit, ut iam sit constitutus in gratia, uti quidam (*Ibid. n. 7.*) contra obiiciebant: *Dicendum esset* (inquit Suarez), POENAM *non solum esse impositam actioni exteriori quia peccatum est tunc cum fit, sed quia per se culpabilis est, et causam habet malam voluntatem, licet per accidens contingeret non esse peccatum propter mutationem voluntatis; sed forte magis proprie illa peccata dicerentur, quia procedunt a causa libera et deficiente, quatenus tenetur illa evitare. Neque refert voluntas subsequens, quia illa non est principium omissionis quae sequitur, sed alia prior quae praecessit. Actio autem exterior vel omissio denominatur peccatum a voluntate a qua procedit; unde simul eadem omissio et est volita ut effectus a voluntate, quae est causa eius, et est nolita per modum obiecti; et prima voluntas est* volo; *secunda est* nollem, *sequi effectum. Ad confirmationem respondeo, illam omissionem habere duplicem respectum: alterum ad praecedentem voluntatem pravam, cuius est effectus: alterum ad praesentes circumstantias et voluntatem; et ut sic, recipit denominationes diversas; neque est inconveniens, eundem actum exteriorem denominari bonum et malum a diversis voluntatibus.* Poena autem, de qua hic Suarez, non est sola irregularitas, uti aiebant VV., sed etiam censura, ut sup. ostensum est.

9. Concludatur itaque, non bene VV. asseruisse, quod *Suarez nullatenus oppositam sententiam tenet, nec ullo modo S. Alphonso contrarius est.* Veniamus ad Cardinalem De Lugo.

Cuius quidem doctrina quam sit consona iis, quae modo ex Suaresio retulimus, patet ex iis, quae (*De Poenit. Disp. 16. n. 445.*) respondet ad obiicientes (*n. 442.*), *posse contingere, quod iam tunc homo iustificatus sit per contritionem aut confessionem, quando ponitur* DE NOVO *effectus prioris voluntatis malae: non sufficit ergo effectus ille ad dandam novam denominationem peccatoris.* Sic itaque Lugo respondet: *Quantumcumque de facto retractetur voluntas praeterita; adhuc si postea subsequitur effectus mortis, non minus incurret irregularitatem aut excommunicationem, qui dederat venenum* IUXTA COMMUNEM FERE OMNIUM SENTENTIAM, *quam si non retractata fuisset voluntas: quia nimirum per illam retractationem non tollitur, quod effectus sequutus sit voluntarius utpote procedens a voluntate.*

10. Et paulo post (*n. 446.*) clariorem sic explicationem addit: *Effectus ille* (scil. mors ex veneno sequuta) *in tantum est voluntarius et liber denominative, in quantum ortum habuit a voluntate praeterita libera, non in quantum pendet nunc a voluntate non retractata. Et ratio est clara;*

iunctum sit cum aliqua inobedientia et contumacia praesenti. Vid. S. Alphons. (*Lib. 7. n. 54.*).

quia negatio retractationis non facit voluntatem nunc magis influere in effectum, nec retractatio facit, voluntatem minus influere: totus enim influxus ex parte voluntatis est posuisse causam, quam iam nunc tollere non potest. Cum ergo retractatio non minuat positionem causae, nec carentia retractationis addat vires causae iam positae; consequens est, ut voluntas eodem modo influat in effectum sequentem, sive retractet, sive non retractet; quia non influit ullo modo secundum statum praesentem, sed solum secundum statum praeteritum, ut praeteritus est.

Hinc duo concludere fas sit. Nam 1° Lugo, uti patet, testatur, in casu *excommunicationem iuxta communem fere omnium sententiam incurri.* Quid est ergo, quod VV. (*Pag. 847.*) affirmant, *Lugo hic tradere doctrinam prorsus singularem?* 2° Inanis ergo est eorum ratio, qui ideo excusant reum poenitentem a censura incurrenda, quod non sit imputabilis effectus, postquam causa retractata est. Quae quidem ratio evinceret contra ac etiam S. Alphonsus post alios docet, ne irregularitatem quidem incurri.

11. Et hoc est, quod advertit etiam Lessius, ubi (*Lib. 2. Cap. 13. n. 17.*) scribit: *Si* (*mandati*) *revocatio non innotescat mandatario, tenetur mandator, effectu sequuto, non minus, quam si revocasset; quia ex vi mandati damnum datum est. Unde etiam incurrit censuras et irregularitatem, si forte mandanti posita sit. Nec refert, quod modo sit in statu gratiae; quia etsi censura talis non contrahatur nisi per peccatum mortiferum, non tamen est opus, ut illius peccati culpa tunc committatur, sed sufficit commissam esse, et effectum eius seu opus externum ex vi illius tunc fieri, sicut in proposito accidit.*

12. Coninck vero (*Disp. 14. n. 183.*) iam occurrerat ratiunculae, quam magni facere VV. videntur, nimirum quod reus omnem diligentiam ad impediendum effectum adhibens contumaciam deposuerit. *Quando etiam* (inquit Coninck) *post omnem huiusmodi diligentiam adhibitam nihilominus constaret, alterum* (mandatarium) *adhuc vere permotum fuisse sive mandantis sive consulentis auctoritate aut rationibus ad facinus perpetrandum...., eo inquam casu ille vere incurreret poenas statutas tale opus mandantibus aut consulentibus; quia tales poenae generatim statutae sunt iis, qui tale facinus cum effectu sequuto mandant aut consulunt: atqui tales hoc casu vere hoc ita fecissent; ergo eas poenas incurrerent. Nec refert, quod mandantem iam vere poeniteat hoc mandasse, aut quod per contritionem aut confessionem sit in statu gratiae...; quia his omnibus non obstantibus sicut eo casu erit vere causa iniuriae, ita eas poenas incurret; sicut qui mandasset, clericum alibi existentem mutilari, et postea facti poenitens et contritus ac confessus, tempestive mitteret etiam viginti nuncios, qui mandatum revocarent, et facinus quacumque ratione impedirent; quantamcumque etiam ad hoc diligentiam adhiberet, si tamen illi etiam ex pura malitia ac dolo desinerent mandatum mandatario intimare, effectu sequuto mandans excommunicationem, irregularitatem, ac obligationem restituendi damnum, quod clericus pateretur, incurreret, ut omnes fatentur.* Nota istud: UT OMNES FATENTUR. Quomodo igitur VV. scribunt, *Lugo hic tradere sententiam prorsus singularem?*

13. At enim videntur VV. non quidem negare per haec verba voluisse, communem aliis fuisse Lugonis doctrinam huc usque expositam, sed Lugoni adscripsisse quoddam aliud doctrinae portentum, quod revera prorsus singulare quisque diceret, ac simul stuperet vehementer. Tribuunt nimirum Lugoni, quod asserat, excommunicationem incurri, cum datur mandatum: mandantem autem ab excommunicatione liberari, cum poenitentiam agit ante sequutum effectum; sed rursus deinde in excommunicationem relabi, quando effectus sequitur!!! Ita illi (*Pag. 847.*): *Ex eius* (Lu-

5° *Coniunctum cum contumacia* contra Ecclesiae legem seu prae-

gonis) *sententia mandans vel consilians homicidium, eo tempore, quo mandatum dat vel consilium, excommunicationem, at non poenas excommunicationi adnexas incurreret; quia Ecclesia eum non vult punire nisi posita conditione effectus sequuti. Quod si interea veram poenitentiam ageret de delicto commisso, a vinculo excommunicationis liberaretur; nihilominus autem effectu sequuto* DE NOVO *excommunicationem, et quidem hac vice cum poenis adnexis incurreret.* Ita illi.

14. At enim quaeres enimvero: ubinam novum hoc doctrinae monstrum VV. introspexerint in Lugonis libris? Sed in promptu Lugonis locus est, quem ipsi VV. referunt ex Disp. 16. De Poenit. n. 453. Sic ibi Lugo: *Obiiciunt secundo: Quia nunc incurritur censura, quando ponitur effectus, et non antea: haec autem non incurritur, nisi propter peccatum: ergo nunc ponitur etiam peccatum. — Respondetur, negando consequentiam; nam censura incurritur* NUNC *propter peccatum praeteritum, quod tamen Ecclesia non vult punire, nisi posita conditione effectus sequuti. Unde contingere etiam potest, quod incurratur censura ab eo, qui iam per contritionem vel per attritionem cum Sacramento est iustificatus a peccato praeterito: quia censura est poena, qua adhuc Ecclesia iuste punire potest hominem propter peccatum praeteritum. Et sicut excommunicatus, licet per contritionem iustificetur, adhuc manet excommunicatus, donec absolvatur: ita potest, quando iam est contritus, incurrere* DE NOVO *excommunicationem propter peccatum praeteritum. Et quidem propter censuram vel reservationem, aliquando, non aliter, nisi sequuto effectu, oportebit in confessione explicare etiam effectum sequutum.* Hucusque Lugo.

In cuius verbis quomodo VV. illa portenta viderint, divinare vix enimvero liceret. Nam 1° Lugo, dum obiectionis concedit *antecedens*, et negat *consequentiam,* eo ipso affirmat, excommunicationem non incurri ante effectum sequutum; quomodo igitur VV. Lugoni affingunt, quod *censura tunc incurratur, cum datur mandatum?* 2° Lugo diserte hic dicit, excommunicationem non tolli nisi *per absolutionem,* utcumque reus iam sit iustificatus per contritionem; quomodo ergo VV. Lugoni affingunt, quod per poenitentiam reus liberetur ab (imaginaria) illa excommunicatione, et deinde aliam, sequuto effectu, excommunicationem incurrat? 3° Lugo non aliam poenam hic memorat, qua reus ab Ecclesia iuste punitur, nisi poenam censurae; quomodo ergo VV. confingunt *poenas excommunicationi adnexas,* quas Lugo asserat non incurri, cum mandatum datur, sed solum post effectum sequutum?

Sed enim ipsi VV. candide aperiunt horum phantasmatum originem. Praemissis enim (*sup. n. 13.*) verbis subdunt: *Non videmus, quomodo haec* (Lugonis) *sententia aliter explicari possit, cum expresse dicat:* DE NOVO; nimirum istud, *de novo,* VV. ita explicant, quasi ibi significet, *iterum.* Atqui norunt omnes, istud *de novo* usurpari etiam pro *nove* seu *noviter* (Vid. Lexic. ad V. *Nove*), idest ad id designandum, quod non antea contigerat; et quidem hoc sensu adhibitum istud *de novo* apud Lugonem ipsum cernere licebat paulo ante textum allatum (*Vid. sup. n. 9.*), ubi scribit: *Quando ponitur* DE NOVO *effectus prioris voluntatis;* neque enim intelligi potest de effectu *iterum* posito, sed de effectu *nove* seu *novissime* demum posito. Ad quae phantasmatum portenta satis sit illud meminisse: Quid non potest nimius in disputando fervor?

15. Nolim heic omittere, verba illa *Notae,* de qua sermo: *nec ulla vis rationi, quam S. Alphonsus ex Salmanticensibus contra affert, inesse videtur;* haec, inquam, verba non nostra esse, sed Ioannis De Dicastillo. De hac quaestione ipse ita scripserat (*De Cens. Disp. 1. n. 291.*): *Si vero antequam* (*mandantis revocatio*) *veniat ad notitiam mandatarii, hic delictum patret, incurrit mandans censuras... Nec obstat, quod fortassis iam*

ceptum. Ratio est, quia finis praecipuus censurae est pertinaciam frangere. — *Vide S. Lig. n. 30. et seq.* (*a*).

935. **Resolves.** — 1° Qui a gravi culpa excusatur ob aliquam circumstantiam, etiam a censura excusatur, licet materia sit in se gravis.

2° Si quid omnino leve sub censura praecipiatur, haec non incurritur, modo res, quae levis sub aliquo respectu apparet, aliunde gravis non fiat.

3° Imprudenter et illicite, sed valide tamen ageret Superior, qui ob quamlibet gravem culpam censuram ferret; finis enim Ecclesiae est graviora tantum crimina punire (*b*).

4° Excommunicatio, quae dicitur ferri *in animalia nociva,* v. gr. in locustas, non est excommunicatio proprie dicta, sed adiuratio, vel oratio in illorum interitum facta, ne noceant.

5° Item quando dicuntur *mortui excommunicari,* id intelligendum est de quadam execratione vel declaratione excommunicationis, quam ante mortem incurrerunt, et in qua mortui sunt (*c*).

936. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quomodo discernitur censura latae sententiae a censura ferendae sententiae?*

Resp. 1° Generatim censura latae sententiae erit, 1° si verba, quibus exprimitur, excludant alterius cuiuscumque actionem seu

sit in statu gratiae; quia quamvis censura et irregularitas non contrahatur, nisi propter peccatum mortale; non tamen opus est, ut duret culpa, quando contrahitur; sed sufficit commissam esse, et quod effectus seu opus externum ex vi illius culpae tunc fiat, ut diximus de vulnerante ad mortem etc. Et rursus (*Disp. 2. n. 344.*) ubi oppositam opinionem memorat: *Addit Filliuccius, excusari a ferenda censura, qui, quando venit terminus praefixus, dolet de culpa commissa. Quae limitatio merito aliis displicet; parum enim interest, quod quis iam doleat, dummodo sufficientem prius causam dederit omissioni voluntariam. Saepe enim incurritur censura, etiamsi tempore incurrendi iam fuerit quis contritus de peccato, et in gratia constitutus. Sic qui iaculum misit in Clericum, vel venenum ipsi propinavit, etiamsi antequam effectus sequatur, conteratur de peccato, excommunicationem incurrit et irregularitatem, quia causam voluntarie dedit tali occisioni et percussioni. Legatur Suarez* etc. De opposita autem Filliuccii opinione disertissime in fine dicit, quod NULLO IDONEO FUNDAMENTO PROBATUR.

(*a*) Non ergo sufficit, ut peccatum iuri naturali aut divino repugnet, nisi alicui quoque legi Ecclesiae repugnet. Per censuras enim punitur contumacia *contra legem Ecclesiae*, et quidem Ecclesiae comminantis contumaci censuram.

(*b*) Synodus Tridentina (*Sess. 25. Cap. 3. De Reform.*) haec habet: *Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in officio populos valde salutaris; sobrie tamen magnaque circumspectione exerendus est: cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere, quam salutem.*

(*c*) Proinde absolutio impertita excommunicatis, qui cum signis poenitentiae decesserint, directe non ad ipsos, sed ad vivos porrigitur, quatenus solvuntur obligatione ne cum defunctis sepultura et publicis precibus communicent. *Vid. Schmalzgr.* (*Lib. 5. Tit. 39. n. 39.*).

ministerium, ex. gr. si his verbis feratur: *ipso facto, ipso iure, eo ipso, sine alia sententia;* 2° si verba sint temporis praesentis vel praeteriti, v. gr. *excommunicamus, excommunicavimus,* etc.; 3° si verba sint modi imperativi, ex gr. *incidat in excommunicationem, maneat suspensus, interdictus,* etc. — *S. Lig. n. 7.*

Resp. 2° Censura autem ferendae sententiae habenda est, 1° si verba, quibus fertur, alterius operam et ministerium expostulent, v. gr. *excommunicetur per Episcopum;* 2° et sint comminatoria tantum, ex. gr. *praecipimus sub interminatione anathematis,* nisi aliud ex adiunctis colligatur; 3° si tempus futurum exprimant, v. gr. *excommunicabitur, erit excommunicatus* etc. (*a*).

937. — Quaer. 2° *An iudicandus sit incurrisse censuram, qui dubitat, utrum eam incurrerit?*

Resp. Neg., sive dubites, an graviter deliqueris, vel an casus sub censuram cadat. Ratio est, quia iuxta axioma communiter receptum, et ipsam Iuris regulam, *odia sunt restringenda. Ita communiter.* Attamen censuram incurris, si dubium versetur circa gravitatem ipsius materiae, tum in se spectatae, tum habita ratione finis, etc. Tunc enim materia haec ut gravis reputanda est, cum talis sit iudicio Superioris, qui censuram tulit, et aliunde in dubio praesumptio Superiori faveat. — *S. Lig. n. 52.* — *Salm. c. 1. n. 207.*, etc. (*b*).

Quaer. 3° *An quis ligetur censura, quam manifeste iniustam esse novit?*

Resp. Neg., sive Superior falsa praesumptione nixus innocentem pro reo damnaverit, sive omiserit formas legales, aut limites iurisdictionis excesserit. — *S. Lig. n. 68.* — Attamen hallucinationis periculum in propria causa sedulo vitandum est (*c*).

938. — Quaer. 4° *An ignorantia a censura excuset?*

Resp. 1° Certo excusat ignorantia *facti,* scilicet quando quis ignorat se ponere actum sub censura prohibitum. Sic v. gr. si quis percutiat Sacerdotem putans esse laicum, non incurrit censuram latam in percussores Clericorum. Ratio est, quia censura debet esse nota peccanti, ut sit contumax. Sic in Iure Can. cap. *Si vero aliquis, de Sententia excommunicationis.* — *S. Lig. n. 43.*

Resp. 2° Excusat etiam ignorantia *Iuris* ecclesiastici praecipientis, vel prohibentis aliquid sub censura. Constat ex iisdem rationibus modo allatis; non enim dici potest contumax in Ecclesiam, qui eius legem ignorat, ut patet ex Iure canonico, *Sexti lib. I. tit. 2. de Constit. cap.* 2. ubi dicitur: *Ligari nolumus ignoran-*

(*a*) Si verba sint ambigua, teneri potest regula 49. Iuris in VI., quod in dubio circa poenas benignior interpretatio sit facienda. *Communis.*

(*b*) Alias pro dubii varietate resolutiones vid. apud S. Alphonsum (*Lib. 7. n. 67. 68.*).

(*c*) Si tamen publice non constet, censuram esse nullam, haec ratione scandali servanda est (*Vid. S. Alph. Lib. 7. n. 68.*).

tes, modo tamen ignorantia crassa non fuerit aut supina. — *S. Lig. ibid.*

939. — Quaer. 5° *An excuset a censura ignorantia vincibilis?*

Resp. 1° *Affirm.,* si haec non sit *graviter culpabilis;* quia tunc ignorans non potest dici contumax in Ecclesiam. — *Ita omnes.*

Resp. 2° *Neg.* vero, si illa ignorantia sit *graviter* culpabilis; quia tunc potest dici *crassa:* porro ignorantia *crassa* non excusat a censura, ut patet ex *cit. Iure can.* — *S. Lig. lib. 7. n. 43, et alii communiter* (*a*). Alioquin vero ignorantia non impedit, quo-

(*a*) Vix apparet cur S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 45.*) hanc sententiam dixerit communem, quando Salmanticenses, e quibus hanc opinionem mutuatus est, plures Auctores pro opposita, quam pro ea, afferunt (*De Cens. Cap. 1. n. 196.*); quin et ipse Suarez (*De Cens. Disp. 4. Sect. 10. n. 12.*) fatetur, *alios modernos auctores* in aliam abiisse sententiam. Ratio vero a Suarezio allata (si ratio dicenda sit) nullius est momenti. Nihil ergo impedire debet, quominus oppositam sententiam, quam mox A. subiicit, quis tuto sequatur.

** Contra hanc *Notulam* VV. (*Pag. 849.*) scribunt: *Mira argumentatio! Quasi Salmanticenses exactum Auctorum catalogum texere intendissent!* Et deinde praeter quatuor a Salmanticensibus pro S. Alphonsi opinione allegatos addunt *Laymann, Bonacina, Bossium, Molinam, Salas, Filliuccium, Reginaldum et Alterium.*

Resp. *Transeat Antecedens;* et *Nego Consequentiam.* Quaestio enim est, num opinio S. Alphonsi dicenda sit *communis.* Porro numquid etiam post additos istos octo haec opinio dicenda foret communis? Nam Salmanticenses (*De Cens. Cap. 1. n. 196.*) pro opposita afferunt octo, nempe *Tanner, Caelestinum, Diana, Henriquez, Petrum de Ledesma, Palaum, Sanchez,* et *Avila.* Adde autem, quod ex allegatis a VV. Filliuccius (*De Censuris Cap. 8. n. 262.*) contra ac teneat S. Alphonsus, supponit ignorantiam *mortaliter* culpabilem, quae tamen non sit *crassa* seu *supina;* adde, quod Bonacina (*De Cens. Disp. 1. Q. 2. Punct. 1. n. 10.*) *non improbabilem* dicat sententiam Sanchezii, quem sibi oppositum S. Alphonsus fatetur. Etiamsi igitur hisce tantum allegationibus insistamus, nonne iam numerus numero compensatur?

Sed allegatis deinde a Salmanticensibus contra opinionem S. Alphonsi et alii facile addi possunt. Ita v. gr. Pirhing (*Lib. 5. Tit. 39. n. 46.*), Dicastillus (*De Cens. Disp. 2. n. 298.*), Babenstuber (*Tr. 4. Disp. 1. art. 3. n. 10.*), Tamburini (*Dec. Lib. 2. C. 1. §. 7. n. 22.*), Reuter (*Part. 1. n. 22. et 257.*), Mazzotta (*Tr. 8. Disp. 1. Q. 2. C. 3. §. 2.*), et, ne frustra alios quaeramus, *Portellus, Serra, Quintanadvenas, Praepositus, ac Barbosa apud Diana* (*Tom. 5. Tr. 1. Resol. 33. et 35.*). Concludamus itaque, fundamentum deesse, quo opinio S. Alphonsi appelletur *communis.* Sed ad rationes veniamus.

Cum in *Notula* dicatur, *rationem a Suarezio allatam nullius esse momenti,* subdunt VV. (*Pag. 850.*): *Si quis rationes a Suario et aliis Auctoribus allatas nullius momenti aestimat, utique nihil est, quo ab amplectenda opposita prohiberetur. At vero sola auctoritas P. B. rationes istas nequidem adducentis, et nihilominus damnantis, nequaquam sufficit; de nullo namque titulo nobis constat, quo hanc praerogativam sibi vindicare posset.*

Resp. Non aliam sibi praerogativam P. B. vindicat, nisi ut nihil suo marte proferat, prouti plus semel professus est. Itaque ecce Laymann, qui (*Lib. 1. Tr. 2. C. 4. n. 5.*) de hac quaestione scribit: *Sed videtur esse quaestio de nomine.* Nimirum tota controversia pendet a sensu, quo accipiatur ignorantia *crassa* seu *supina.* Qua de re ecce Sanchez (*Dec. Lib. 1. Cap. 16.*

minus aliquis sit contumax contra legem, quam culpabiliter ignorat.

Excipe tamen, si in Decreto censurae dicatur: qui hoc fecerit

n. 7.) scribit: *Ignorantia vincibilis non affectata alia solum mortaliter culpabilis, alia autem est crassa seu supina.* Contra vero Suarez (*De Cens. Disp. 4. Sect. 10. n. 12.*): *Omnis ignorantia, quae ad mortalem transgressionem vel inobedientiam sufficit, crassa vel supina dicenda est.*

Quomodo porro Suarez thesim suam evincit? Hoc omnino argumento (*l. c.*): *Alii moderni Auctores... in ipsamet ignorantia, quae ad mortale peccatum sufficit, videntur distinguere gradus; ut infra certum gradum non sit crassa nec supina, sed vincibilis tantum, licet mortalis, et ideo excuset: ultra illum autem gradum iam sit crassa vel supina, et non excuset. At certe talium graduum distinctio et nullo iure fundata est, et nulla ratione explicari potest.*

Tota itaque argumenti vis in eo residet, quod *non possit explicari graduum distinctio.* At vero nonne idem Suarez hanc graduum distinctionem admittit? Nam (*In 1. 2. Tr. 2. Disp. 4. Sect. 1. n. 14.*) ita ipsemet scribit: *Quia in hac negligentia potest esse magis et minus, iuxta hoc solent distingui varii gradus huius ignorantiae.* Hinc etiam Laymann (*l. c.*): *Hoc fateor* (inquit), *inter ignorantias* (*ad mentem Suarez*) *crassas latitudinem quandam esse, alia nimirum valde crassa et prorsus supina: alia minus crassa, quae tamen omnes mortales esse possunt.* Cum itaque, ipso fatente Suarezio, varii distinguantur gradus inter ignorantias graviter culpabiles, quo demum recidit eius argumentum, *quod graduum distinctio explicari non possit?*

Instat Suarez: *Quis enim dicat, negligentiam ad mortaliter peccandum sufficientem in tali gradu esse crassam, non vero in tali: aut qua ratione poterunt discerni hi gradus?*

Resp. Ad hominem alius reponet: *Quis dicat,* negligentiam *ad mortaliter peccandum* sufficientem esse in tali gradu, non vero in tali? aut qua ratione poterunt discerni hi gradus? Profecto si definiri aliquando potest, quando ignorantia sit *gravis*, atque adeo ex sententia eius *crassa,* definiri eodem modo poterit, quando inter mortales, ut ait Laymann, ignorantia sit *valde gravis,* et *quando minus.*

Et en ratio, cur in *Nota* dictum fuerit, rationem, a Suarezio allatam, *nullius esse momenti.* Nam demum, ut ait Laymann, *quaestio est de nomine.* Et quemadmodum Suarezio ob levissimam illam ratiunculam placuit *crassam* definire ignorantiam quamlibet utcumque gravem; sic aliis visum est, *crassam, supinamve* eam tantummodo esse appellandam, quae maiori quapiam gravitate excedens esset. *Ignorantia crassa et supina,* inquit Barbosa (*Collect. Tom. 4. In Lib. 1. VI. Decr. Tit. 2. C. 2. n. 7.*), dicitur illa, *quae procedit ex* SUMMA NEGLIGENTIA, *ut accidit quando quis nullam vel modicam adhibuit diligentiam etc.* Et exinde probat, quod Bonacina non improbabilem dixerit sententiam Sanchezii et Navarri. Et quod in rem suam Suarez allegat ex *L. 15. ff. De contrahenda emptione,* ubi nominatur *homo supinus,* quasi scilicet iam *supina* dicenda sit, quaecumque ignorantia a gravi obligatione v. gr. restitutionis non excusat; glossa ex aliis Iuris textibus sic illud explicat: *Supinus homo* SUMME *negligens;* quod ex L. 9. *ff. De iuris et facti ignorantia* patet, ubi (§. 2.) legitur: *Sed facti ignorantia ita demum cuique non nocet, si non ei* SUMMA *negligentia obiiciatur.* Porro numquid ipse Suarezius ad gravem ignorantiae culpam necessarium putat, ut negligentia sit *summa?* Exinde Sanchez (*l. c.*) postquam distinxit *mortaliter culpabilem a crassa et supina,* bene addit: *Hanc divisionem negat Suarez, dicens, omnem ignorantiam mortaliter culpabilem esse crassam seu supinam... At credo divisionem hanc esse veram.*

scienter, consulto, temere (*a*), *qui praesumpserit,* etc. Haec enim verba postulant voluntarium perfectum ac directum, et ex certa scientia censurae. — *S. Ligorius n. 46.*

Ducor primo, quod ignorantia crassa seu supina sit, quae ex lata ignorantis culpa procedit, utpote qui nullam aut valde modicam ad sciendum diligentiam adhibuit. Atque ita non omnis negligentia, sed SUMMA *est, quae ignorantiam crassam constituere potest, ut ex multis probavi Lib. 9. De Matrim. Disp. 32. n. 32. et 33. Quare Valentia optime ait, tunc hanc ignorantiam dari, quando ignorans, cum facillime posset eam vincere, nullam diligentiam adhibuit. At ut ignorantia sit vincibilis non excusans a mortali, non desideratur tam summa negligentia, sed, ut ex mente omnium dicemus n. 34. et 36, exigitur non adhiberi diligentiam moralem pro negotii qualitate necessariam. Secundo, quia in materia confessionis informis Doctores non poenitendi (Canus, Sotus, Henriquez, Barthol. a Ledesma, Petrus de Ledesma, et multi alii) censent, eam fore validam tacito peccato aut sufficienti examine non praemisso ex negligentia seu ignorantia mortali, dummodo ea non sit nimis crassa seu supina. Atque hanc crassam ignorantiam, ex qua confessio informis redditur prorsus irrita, explicat Sotus esse, quando fere nulla diligentia ad recolenda peccata est adhibita, quae est definitio ignorantiae crassae* — Tertium argumentum ducit Sanchez ex Doctoribus, *ubi aiunt, forsan ignorantiam culpabilem excusare ab excommunicatione particularium Praelatorum, dummodo non sit crassa aut supina: secus autem de censuris iuris communis. Ubi aperte in priori membro de ignorantia mortaliter culpabili loquuntur. Quippe alias inepte dicerent, eam non excusare ab excommunicatione iuris communis; et ineptius uterentur particula* forsan, *quasi dubitantes excusare ab excommunicatione particularium Episcoporum; cum luce meridiana clarius sit, nullam excommunicationem contrahi nisi ob culpam mortalem.*

Et haec satis sint, ut constet, non sine causa in *Notula* dictum fuisse, 1° vix apparere, cur S. Alphonsus opinionem suam dixerit communem; 2° rationem a Suarezio pro ea allatam nullius esse momenti.

(*a*) Merito Sanchez (*De Matrim. Lib. 9. Disp. 32. n. 38.*) notat Suarezium, qui (*De Cens. Disp. 4. Sect. 10. n. 3.*) *temeritatem* hic accipit pro imprudentia, qua ignorans se exponit periculo agendi contra legem; nam *temeritas* reipsa actum contra expressam legis notitiam positum designat.

Et haec quidem animadversio Sanchezii aeque militare videtur pro ignorantia *affectata;* quam tamen idem Sanchez, minus sibi cohaerens, excusare docet *in Decal. Lib. 2. Cap. 10. n. 38.*, excusare autem negat *De Matrim. Lib. 9. Disp. 32. n. 39. 40.* Dissident item in hac quaestione doctores, ut videre est etiam apud S. Alphonsum (*Lib. 7. n. 48.*), qui *neganti* opinioni se adhaerere dicit quasi *communiori;* at si Auctores pro utraque opinione allatos a Salmanticensibus (*De Cens. Cap. 1. n. 199.*) enumeres, plures reipsa invenies pro affirmante. Hinc sive auctoritatem consideres, sive rationes (de quibus vid. Roncaglia *De Cens. Q. V. Cap. 5. q. 1. Resp. 4.*, et Bonacina *De Cens. Disp. 1. Q.2. p. 1. n. 11.*, ac Salmantic. *l. c.*) concludes, in re incerta adhibendum generale principium, atque possidere ius fruendi bonis spiritualibus, ubi oppositum non evincitur.

** Duo in hac *Nota* reprehendunt VV. (*Pag. 850-853.*). Ac primo quidem (*Pag. 853.*), non secus ac circa praec. *Notam,* dolent quod dicatur, a Salmanticensibus plures pro sententia affirmante, quam pro negante sententia Auctores allegari.

Resp. Numquid vero VV. nefas putant, quod lectores moneantur, si quando dubium incidat, an argumentum ab auctoritate petitum aliqua forte crisi indigeat? Equidem Salmanticenses decem tantum expresse, et

Plures tamen contendunt ignorantiam *graviter* culpabilem a censura excusare, licet a peccato mortali non excuset; quia potest dari ignorantia graviter culpabilis, quin ideo *crassa* dicenda sit.

tacite alios apud Diana, pro *affirmante* afferunt; contra pro *negante* apud S. Alphonsum septemdecim expresse, et tacite alii apud Bossium et Salmanticenses memorantur. Verum ex. gr. 1° Kazenberger, Auctor scilicet additionum ad Sporer, quem S. Alphonsus pro *negante* affert, ita (*De Cens. C. 3. n. 39.*) scribit: *Probabile et tutum est, etiam ignorantiam affectatam in tali casu excusare a censura incurrenda, ut cum Sanchez, Bonacina, Tamburino, docet Sporer Tr. 2. in 1. Praec. Dec. C. 5. n. 42.* Et cum revera sic habeat Palaus (*Tr. 2. Disp. 1. Punct. 18. n. 1.*), quem tamen pro se S. Alphonsus affert, *affirmanti* praeter ipsos Salmanticenses (S. Alphonso teste) iam accedunt *Sporer*, Kazenberger, Palaus, et insuper *Tamburinus* (*Dec. Lib. 2. C. 1. §. 7. n. 27.*), qui a Salmanticensibus non nominantur. 2° His autem addendus est et *Filliuccius* (*Tr. 22. Cap. 7. n. 205.*), qui non bene pro negante a S. Alphonso citatur, et cum Filliuccio etiam *Tanner* et *Roncaglia*, quos merito S. Alphonsus affirmantibus accenset, et his connumerandus est et Merolla (*Disp. 1. Cap. 2. a n. 645.*), qui fusius ac solidius hanc controversiam pertractat. Et hoc quidem leve specimen, quin diutius his immoremur, satis ostendit frustraneum non esse, quod argumenta quaesita ab auctoritate ad trutinam aliquam revocentur, praesertim cum idem S. Alphonsus ad praeferendam *negantem* sententiam auctoritate potius, quam ratione se permotum indicet, dicens: *Hanc secundam sententiam* (*affirmantem*) *non audeo dicere improbabilem; sed primae magis adhaereo, saltem ut communiori.*

Alterum, quod VV. reprehendunt, illud est, quod in Nota dicatur, Suarezium a Sanchezio notari, quia *temeritatem* accipiat pro imprudentia: advertunt proinde (*Pag. 852.*) quod *mera imprudentia per se numquam culpam mortalem inducit.*

Resp. Bene VV. dicunt, *mera imprudentia* PER SE. Sed non sic accipitur a Suarezio, qui huius in agendo inconsiderationis gravitatem a periculis desumit, in quae inconsulto agens se coniicit. Proinde hac de re ita Sanchez (*De Matr. Lib. 9. Disp. 32. n. 38.*): *Non approbo, quod ait Suarez ...., ubi censet, temerarium violatorem dici, si, cum suspicionem vel dubitationem habeat talis legis, non adhibet aliquam diligentiam ad sciendum, an ea lex sit; quia alias temere se exponit transgressionis illius periculo; et si in re illam violare contingat, dicetur temerarius violator. Sed hoc non placet; quia quamvis ad culpam mortalem contrahendam dicatur temerarius ratione periculi, cui se exponit; at iura punientia temerarium violatorem quid amplius petunt, ut probavi. Alias omnis ignorans culpabiliter ius, tunc puniretur; quia omnis ignorantia culpabilis iuris vel facti supponit necessario praecessisse aliquam dubitationem circa illam.*

Videlicet temeritas modo accipitur pro inconsulta agendi facilitate, modo autem temeritas dicitur, cum quid facimus propria voluntate et citra praecipientis auctoritatem. Quam in rem faciunt quae habentur in *C. Eum qui 18. De Praebendis in VI: Insuper ut violenti, qui auctoritate* (*vel verius temeritate*), *propria occupare... quaecumque ecclesiastica beneficia non verentur, etsi non virtutis amore, poenae saltem formidine a* SUAE TEMERITATIS AUDACIA *refraenentur: eo ipso ius etc.* Et hoc est, quod innuere Sanchez intendit, cum dicit, *iura punientia temerarium violatorem quid amplius petere.* Hinc bene Merolla (*Disp. 1. Cap. 2. n. 235.*) contra illam Suaresii interpretationem ista addit: *Temeritas proprie, ultra praecipitationem et imprudentiam, exigit contemptum; nam ly temere, importat proprie aliquid facere cum contemptu legis, atque adeo ex ea superbiae radice pro-*

940. — Quaer. 6° *An metus gravis a censura excuset?*

Resp. Affirm. generatim loquendo. Ratio est, quia leges ecclesiasticae poenales non videntur urgere cum tanto rigore. Nam cum leges ipsae ecclesiasticae, ubi metus urget valde gravis, cessent obligare, et ipsa poena illis adnexa corruat necesse est (*a*). Maior est difficultas, ubi agitur de praeceptis iuris naturalis, a quibus implendis metus gravis excusare nequit. Sed etiam in hoc casu deest contumacia in Ecclesiam. Nam censura non incurritur propter violationem legis divinae, sed propter transgressionem culpabilem legis ecclesiasticae (*b*). — *S. Lig. n. 46.*

941. — Quaer. 7° *An requiratur, ut admonitio delinquentis censuram praecedat?*

Resp. 1° Nulla requiritur monitio pro censuris *a iure latis,* quia lex ipsa lata et cognita, satis subditos admonet. — *Ita omnes* (*c*).

venit, quae respuit subesse regulae, ut optime docent S. Thomas 2. 2. Q. 55. art. 3. ad 2., et ibi Caietanus, qui ait hoc esse valde notandum ad interpretandum Canones, temere aliquid facientibus poenas inferentes, quos de propria hac temeritate intelligendos esse dicit. Demum contemnere VV. nequaquam debent verba S. Alphonsi, ubi diserte ait (*Lib. 7. n. 61.*): TEMERITAS VERAM SCIENTIAM REQUIRIT *iuxta dicta lib. 1. n. 174.* Quae tamen allegatio fallax evasit, cum post editionem ann. 1757. ordo numerorum in libro I. immutatus fuerit.

(*a*) Bene Schmalzgrueber rationem addit (*Lib. 5. Tit. 39. n. 79.*), *quod sic delinquens haberi nequeat pro contumaci et ecclesiasticae potestatis contemptore, cum naturae potius infirmitate, quam obstinatae voluntatis malitia peccet.*

(*b*) Exceptiones tamen haec doctrina habet. Qua de re sic Reiffenstuel (*Lib. 5. Tit. 39. n. 34.*): *Quando observatio legis humanae moraliter necessaria videtur pro conservando bono publico, aut si eius violatio cedat in contemptum fidei, vel legis, vel potestatis ecclesiasticae, transgrediens ex gravi metu etiam vitae legem sub censura positam, non excusatur ab illa...; quia cum in talibus casibus nullus metus excuset ab observatione legis ecclesiasticae..., ita etiam non excusat a censura.*

(*c*) Quamvis censura a *iure* sit latae sententiae, si tamen delictum sit occultum, ad denunciandum seu declarandum quempiam contumacem tamquam censura ligatum, monitio aliqua iuridica seu citatio praerequiritur. Secus nec licita nec valida declaratio evadet.

Quando autem censura a *iure* sit sententiae ferendae, S. Alphonsus quidem contra alios plures *probabilius* habet (*Lib. 7. n. 55.*), nullam monitionem praerequiri. At sincere dicendum, et Auctores ab ipso citatos abs re afferri, et nulla solida ratione eam opinionem muniri.

** Adversus alteram huius *Notulae* particulam octodecim solidas columnas VV. (*Pag. 853-863*) opponunt. Contendunt autem, S. Alphonsum pro sua sententia tum iure allegasse Auctores, quos affert, tum gravissimis rationibus eam communivisse. Ad rei claritatem retineatur, quaeso, status quaestionis, de qua in *Notula* agitur, videlicet *quando censura* A IURE SIT FERENDAE SENTENTIAE; et sic ad primum caput mox deveniamus.

S. Alphonsus itaque (*Lib. 7. n. 55.*) negat, necessariam esse monitionem, quando iudex sententiam a iure latam exequatur inferendo reis censuram. Hoc enim et non aliud sibi vult quaestio proposita. Pro ea sententia autem negativa allegat *Busembaum, Sanchez, Filliuccium, ac Bonacinam.* addit autem *Palaum,* uti probabilem eam habere.

Quod itaque attinet ad Busembaum haec verba, a S. Alphonso (*l. c.*)

Resp. 2° Requiritur autem admonitio pro censuris ab homine ferendis. Ratio est, quia non est *contumax*, qui ante non fuit admonitus de praecepto et de poena adnexa. Imo *ex iure canonico*

n. 51) allata, VV. urgent: *Quod tamen* (scilicet, necessario praemittendam esse monitionem) *intellige de censura ab homine lata per sententiam particularem, quia quae fertur a iure, vel per sententiam generalem, vel etiam specialem,* RESPECTU TAMEN ACTUS FUTURI, *non eget alia monitione, cum lex, aut sententia, se ipsa satis monet.* Attendantur itaque illa verba: *respectu tamen actus futuri.* Porro in casu praesenti quaestio est, an iudex, antequam censuram inferendo exequatur sententiam iure statutam, monere, nec ne, debeat eum, qui contra legem deliquit. Agitur ergo non de actu *futuro,* de quo Busembaum, sed de praeterito. Ergo allegatus Hermanni Busembaum textus ad rem non facit.

Quod spectat ad Sanchez, S. Alphonsus allegat *Lib. 2. Disp. 24. n. 28.* Atqui vel ipsi Salmanticenses (*De cens. Disp. 1. n. 90.*) monent, Sanchesium perperam hic allegari, quia non loquitur ibi de censura lata a *iure,* sed de lata *ab homine. Supponimus* (aiunt), *quod si ab* IPSO IUDICE *praeceptum sit impositum sub poena ferendae censurae, poterit ipso facto excommunicare transgressorem illius, nulla monitione praemissa... In quo casu locutus est Sanchez Lib. 2. de matr. Disp. 24. n. 28., qui solet afferri pro sententia asserente, non requiri monitionem,* QUANDO IUS CENSURAM COMMINATUR...*Sed non in hoc sensu loquitur Sanchez, sed in eo, quem diximus.* Et reipsa hoc manifeste patet ex statu quaestionis a Sanchezio ibi (*n. 26.*) propositae, scilicet *quando iudex praecepit sponso, ut intra certum tempus vel ad religionem transeat, vel matrimonium consummet sub poena excommunicationis.* Ergo nec Sanchezii allegatio ad rem facit; quocirca etiam VV. (*Pag. 856.*) demum hanc allegationem dicunt *inadvertentiae* esse attribuendam.

Id ipsum et de allegatione *Palai* dicendum est, nisi tamen dicendum sit, ita confuse a Palao hanc quaestionem tractari, ut nihil ex eo possit extundi. S. Alphonsus allegat *Disp. 1. Punct. 5. n. 6.* Hoc loco autem Palaus ita scribit: *Est dubium, an si tibi sub excommunicatione vel suspensione ferenda prohibeatur vel praecipiatur aliquod factum, possit iudex, nulla alia monitione, excommunicationis vel suspensionis sententiam in te inobedientem proferre? Affirmat satis probabiliter Abbas in C. Cum sit Romana n. 28. de Appellat., Sanchez De Matr. Lib. 2. Disp. 24. n. 28., Filliuccius De Censur. C. 4. n. 95., Bonacina..., Stephanus Davila etc.* Porro si verba inspiciantur, quibus quaestio proponitur, citius dixeris, de censura Palaum agere lata ab *homine,* quam de lata a *iure.* Idipsum autem confirmant allegationes Abbatis et Sanchesii. Aut igitur ad rem ista non faciunt, aut nihil ex confusa hac disputandi ratione colligi potest. Caeterum quae sit Palai sententia, utcumque demum quaestio intelligatur, patet ex sequentibus (*Ibid. n. 7.*): *Sed longe verius est, praedictam censuram comminatam tibi infligi non posse absque nova monitione.*

Ad Bonacinam veniamus; cuius verba (*De Cens. Disp. 1. Punct. 9. n.3-4.*), si modus inspiciatur, quo statuit quaestionem, incertum lectorem relinquunt, num de censura a iure, an ab homine quaestio fiat. *Dubium est* (inquit), *utrum in censuris comminatorie latis pro futuris culpis requiratur admonitio distincta a publicatione legis seu edicti conditi sub poena excommunicationis.* Quae verba intelligi possunt tum de censura *a iure,* tum de censura *ab homine.* Verum dubium eximit solutio quaestionis. *Oppositum* (ait) *mihi verius videtur* (scil. monitionem non requiri). *Ratio est, quia adest sufficiens admonitio ex parte iudicis, et sufficiens contumacia ex parte delinquentis, qui novit prohibitionem sub poena censurae ferenda.* Porro verba illa, *sufficiens admonitio ex parte iudicis,* nullo

requiritur monitio triplex, vel saltem una in qua exprimatur, eam valere pro triplici.

Excipe 1°, si agatur de censura *ab homine* per sententiam ge-

modo conveniunt *iuri* per legem perpetuam statuto. Confirmatur, quia ibi refellendus assumitur Covarruvias 1. Part. §. 9. n. 5. Atqui Covarruvias ibi non disputat de censura a iure et ferendae sententiae, sed aperte loquitur prius de censura *ab homine,* et deinde de censura a canone, sed *latae sententiae.*

Ex allegatis a S. Alphonso superest Filliuccius. Verum in primis nullo modo constat, disputetne de censura *a iure,* an vero *ab homine.* Generatim enim quaerit (*De Cens. Cap. 4. n. 92.*), *An requiratur admonitio in censura ferendae sententiae.* Deinde fatente Bonacina (*l. c.*), Filliuccius tantum *ex parte* faveret illi opinioni. Nam (*l. c. n. 94.*) sic oppositam defendit: *Dico primo, absolute loquendo et regulariter, veriorem videri secundam sententiam,* scil. praemittendam esse monitionem. Alteri vero opinioni ex ea parte faveret qua doctrina illa maxime laborat, quando nempe agitur de censura ferenda ob crimen, quod nullo modo extendatur in futurum, nec ullam satisfactionem, aut reparationem, aut restitutionem exigat, et uno verbo sit crimen mere et omnino praeteritum, v. gr. *si prohibeatur* (ut ipse ait n 92.) *ingressus in sacellum aliquod viris tali die sub poena excommunicationis ferendae.*

Dixi, hanc doctrinam *laborare maxime,* ut enim bene ait Palaus (*De Cens. Disp. 1. P. 5. n. 7.*), *de ratione censurae est, ut imponatur in delicti praeservationem* (cuiusmodi est censura latae sententiae), *seu emendationem, quia est poena medicinalis. At si ob delictum factum imponi posset, non tam medicina, quam punitio ac vindicta esset, delinquentemque emendatum saepe puniret.* Et in eamdem rem Suarez (*Disp. 3. Sect. 10. n. 21.*): *Ex quo infero, si delictum tale sit, ut nullo modo extendatur in futurum, sed simul ac consummatur, omnino transeat, nulla relicta obligatione restituendi vel satisfaciendi respectu hominum, sed tantum respectu Dei, tale delictum non posse prohiberi per legem sub comminatione censurae ferendae, sed vel ipso iure imponi debere, aut nullo modo.* Et quidem VV. (*Pag. 857.*) addunt, in hanc doctrinam etiam S. Alphonsum cum Suaresio convenire.

Et haec sufficiant, ut constet, non gratis in *Notula* dictum fuisse, *Auctores a S. Alphonso citatos abs re afferri.*

Quod vero ad rationes attinet, brevissime res a DD. expeditur, quia manifestus est Iuris textus in C. *Reprehensibilis 26. De Appellationibus.* Sic enim ibi Alexander III.: *Statuimus, ut nec Praelati (nisi canonica commonitione praemissa) suspensionis vel excommunicationis sententiam proferant in subiectos, nisi forte talis sit culpa, quae ipso genere suspensionis vel excommunicationis poenam inducat.* Cum itaque generatim Praelatis districte interdicatur, ne censuram ferant, nisi commonitione canonica praemissa, et mere excipiatur, si agatur de culpa, quae *ipso suo* genere, idest ipso iure seu ipso facto suspensionis vel excommunicationis poenam inducit; iam valet regula, quod exceptio firmat regulam in contrarium; atque adeo quoties non sit censura latae sententiae, canonica semper commonitio requiritur.

Reponunt VV. (*P. 857.*): *Respondemus, falsam esse istam assertionem* (scil. *Notulae*), *et doctrinam S. Alphonsi non modo solidis, verum et gravissimis rationibus muniri. Etenim 1° S. Doctor in casu semper requirit citationem rei ad censuram declarandam; et 2° omnino cum Suario convenit, sententiam non esse ferendam in reum resipiscentem.*

Resp. ad 1. Ista ad rem non faciunt. Nam hic quaestio est de censura *ferendae sententiae,* quando scilicet iudex seu superior *fert sententiam,*

neralem, vel etiam specialem respectu actus futuri; tunc enim non est necessaria admonitio, cum decretum de ferenda censura admonitionis locum teneat (*a*).

qua censuram imponit, quam reus nondum incurrerat; DECLARATIO autem et *citatio ad censuram* DECLARANDAM locum habent, quando reus *ipso facto* iam censuram incurrerat.

Resp. ad 2. Idcirco Suarez, contra ac S. Alphonsus censuerit, *monitionem* praerequirit. Et haec quidem, sicut et alia quaedam, quae VV. (*ibid.*) congerunt, ut ostendant, S. Alphonsum cum Suaresio et aliis DD. convenire, hoc unum evincunt, generalem illam S. Doctoris thesim, qua in casu *monitionis* necessitatem negat, cum aliis eiusdem doctrinis minus cohaerere.

(*a*) Clarior erit resolutio, si iuxta dicta in *not. praec.* distinguas censuras ipso facto incurrendas a censuris ferendae sententiae Nam in secundo hoc casu, praesertim si crimen se aliquo modo extendat in futurum, verior est sententia, quae monitionem necessariam censet. Vid. Suarez (*De Cens. Disp. 3. Sect. 9. n. 4.*).

De solemnitatibus vero in monitione servandis vid. Suarez (*cit. Disp. 3. Sect. 9. et seq.*), ac Bonacina (*De Cens. Disp. 1. Q. 1. P. 9.*). Illud autem adverte, Palaum (*De Cens. Disp. 1. P. 5. n. 9.*), a quo dein excripserunt Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 39. n. 28.*), et Reiffenstuel (*eod. tit. n. 25.*) adstruxisse necessitatem faciendi monitionem *in scriptis*, quasi id caveatur *in Cap. Medicinalis 1. De Sent. Excom. in VI.*; quam itidem opinionem S. Alphonsus ex lapsu oculi putavit, se reperisse apud Salmanticenses, qui reipsa oppositum docent. At enim in *Cap. Medicinalis* non de monitione sermo fit, sed de sententia excommunicationis: corruit ergo totum illius opinionis fundamentum, quae alioquin est contra communem aliorum Doctorum sententiam.

** Et hanc *Notulam* VV. octo columnis impugnant (*Pag. 863-867.*). Iis praetermissis, quae ad rem non faciunt, ea, quae *Notulam* attingunt, persequemur.

1. Primo itaque scribunt VV. (*P. 863.*): *Palaum, Schmalzgrueber, et Reiffenstuel P. Ballerini immerito impugnat.* Et rationem reddunt (*P. 865.*) inquientes: *Nec Palaus, nec clarissimi duo Canonistae Cap.* Cum medicinalis *in hunc finem allegant.*

2. Resp. 1° In *Notula* non dicitur, duos clarissimos canonistas Schmalzgrueber et Reiffenstuel in hunc finem canonem illum allegasse, sed eos ex Palao exscripsisse. Et Reiffenstuel re ipsa (*Lib. 5. Tit. 39. n. 25.*) ita scribit: *Ut monitio haec legitime fiat, debet fieri in scriptis,* UT VULT PALAO *Tr. 29. Disp. 1. Punct. 5. n. 9.*

Resp. 2° Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 39. n. 28.*) ita habet: *Haec monitio debet fieri in scriptis, quae continere debent causam, pro qua censura imponitur, et tradi reo, cui illa imponitur; quod si vero iudex (nisi fuerit Episcopus) absque urgenti causa solo verbo et non scripto excommunicationem intulerit, ab ingressu Ecclesiae, et divinis officiis ipso iure suspenditur per mensem, et si illo tempore se divinis ingesserit, fit irregularis, prout habetur* C. Cum medicinalis *1. h. tit. in 6.* PALAO *Punct. 5. cit. n. 9.*

Num vero haec e *Palao* non transcripta sint, iudicet aequus lector. Ita ergo Palaus (*l. c.*): *Haec monitio debet fieri in scriptis, continentibus causam, pro qua censura fertur, quaeque tradi debet reo, cui censura imponitur. Quod si iudex (nisi fuerit Episcopus) absque urgenti causa solo verbo et non scripto excommunicationem protulerit, ab ingressu Ecclesiae et divinis officiis ipso iure suspenditur per mensem, et si intra illud tempus se divinis ingesserit, fit irregularis.* QUAE OMNIA HABENTUR

Excipe 2°, si agitur de ea *suspensione*, et *interdicto*, quae non sunt censurae proprie dictae et medicinales, sed feruntur tantum per modum poenae. — *S. Lig. n. 52.*, etc. — *V. Casus, n. 1119.*

IN CAP. I. DE SENT. EXCOMMUNICATIONIS IN VI. Quod ergo in *Notula* asseritur, Schmalzgrueber ista ex Palao transcripsisse, in oculos incurrit, cum pene *ad litteram* alterius verba alter repetat.

3. Quod vero non gratis in *Notula* dicatur, *Palaum adstruxisse necessitatem faciendi monitionem, quasi in* Cap. *Medicinalis hoc caveatur*, id ex relato eius textu patet, dum aperte ipse dicit: *Quae omnia habentur in Cap. 1. De Sent. Excom. in VI.* Et sane num *in hunc finem* (ut aiunt VV.) Palaus allegaverit Cap. *Cum medicinalis*, esto, dubium censeri posset, si in isto Capite nihil cerneretur eorum, quae Palaus transfert ad monitionis faciendae modum. Atqui contra est. Nam omnia illa: *monitio fieri debet in scriptis, quae continere debent causam pro qua censura fertur, quaeque tradi debet reo;* manifeste desumpta ex praedicto Capite apparent, ubi legitur: *excommunicationem in scriptis proferat, et causam excommunicationis expresse conscribat...; exemplum vero huiusmodi scripturae teneatur excommunicato tradere* etc. Manifestum ergo satis est, ad monitionem Palaum eas solemnitates transtulisse, quae in Cap. *Cum medicinalis* pro ferenda excommunicatione praescribuntur. Idque ex eo etiam confirmatur, quod Palaus solemnitatem *tradendi scripturam reo*, dum ibidem de excommunicatione deinde scribit, omnino praetermittit, quia nimirum etiam hoc quasi dictum de *monitione* accepit.

4. Nunc de alia *Notae* particula, ubi dicitur, S. Alphonso ex inadvertentia contigisse, ut opinionem de monitione per scriptum facienda Salmanticensibus tribueret.

De hoc argumento S. Doctor haec mere (*Lib. 7. n. 56. in fin.*) habet: *Monitio debet fieri ab ipso iudice, vel ab alio eius nomine. Et si censura imponitur in commodum partis, ad illius instantiam citatio fieri debet. Ita Suarez Disp. 3. Sect. 11. n. 1., Bonac. (n. 4.), et Salmant. Cap. 1. n. 95. cum aliis. Debet etiam monitio fieri in scriptis, nisi iudex procedat ex officio, prout tenetur aliquando ob bonum commune ex C.* Venerabilibus §. Porro *De sent. Excomm. in 6. Quia tunc sufficit, si monitio fiat oretenus, ita tamen, ut probari possit in foro. Ita Salmantic. C. 1. n. 95. cum Gibal. et Corn. ex C.* Sacro *de Sent. Excomm.* etc.

5. Porro si haec conferas cum textu Salmanticensium, e quibus se ea sumpsisse S. Alphonsus fatetur; profecto sin minus inadvertentiam compendiarie transcribentis, saltem typographicum mendum in S. Alphonsi verbis suspiceris, oportet: quo tamen mendo nulla caret Editio, cum idem iam inde a prima ann. 1748 ad postremas usque aetatis nostrae Editiones ubique recurrat. Et quidem ad maiorem rei evidentiam Salmanticensium textui (*Cap. 1. De Cens. n. 95.*) textum iungemus Suaresii (*De Cens. Disp. 3. Sect. 11.*), utpote quem tum Salmanticenses tum etiam S. Alphonsus allegant, et a quo Salmanticenses sua transcripsisse patebit.

6. Sic itaque Suarez (*l. c. n. 1.*): *Ex his quae dicta sunt de hac admonitione, sequitur, fieri debere auctoritate et nomine ipsius iudicis, qui censuram laturus est. Ratio est manifesta, quia admonitio talis esse debet, ut si quis non pareat, contumax et inobediens existat, quod esse non potest, nisi admonitio auctoritate Superioris facta sit. Canonistae addunt aliam rationem, quod haec admonitio habet vim citationis: citatio autem ut sit alicuius momenti, iudicis auctoritatem requirit.*

7. Haec eadem, sed paulo obscurius et implicatius, ita Salmanticenses efferunt (*l. c.*): *Respondetur,* (*monitionem*) *debere fieri ab ipso iudice vel nomine illius, quia habet citationis vim, quae citatio nomine et auctoritate eius, a quo* (censura) *fertur, debet fieri; et quia censura non in-*

ARTICULUS II.

DE PRINCIPIO SEU AUCTORE CENSURARUM

942. **Principia.** — I. Ecclesia gaudet vera potestate ferendi censuras. Probatur ex Scriptura sacra. Christus enim Ecclesiae suae tradidit potestatem eiiciendi e sinu suo filios delinquentes et con-

---

curritur nisi per inobedientiam et contumaciam contra mandatum Superioris, quae (contumacia) *non datur, nisi nomine eius monitio fiat.* In quibus Salmanticenses, utique implexe et obscure, duas e Suaresio rationes afferunt, cur monitio nomine et auctoritate iudicis sit facienda.

8. S. Alphonsus vero, omissis duabus illis rationibus, mere hoc habet: *Monitio debet fieri ab ipso iudice, vel ab alio eius nomine.*

9. Pergit Suaresius (*l. c.*): *Qui* (*Canonistae*) *etiam addunt, quando censura ferenda est in commodum alicuius privatae personae, tunc oportere, admonitionem fieri ad instantiam eius, quia habet vim citationis: et citatio, ut valida sit, ad instantiam partis fieri debet: quia propter privatam utilitatem non debet iudex proprio motu suum officium interponere.... At vero si censura feratur propter commune bonum, in quo casu potest iudex ex officio procedere, tunc etiam potest ex officio admonere, sicut etiam potest ex officio citare; et sumitur ex* Cap. Venerabilibus §. Porro, *De sent. Excommunicationis in 6°.*

10. Hanc quoque particulam, apud Suaresium sane clarissimam, sic Salmanticenses (*l. c.*) compendiarie et valde obscure exhibent: *Et quando in commodum alicuius particularis* (censura) *fertur,* (monitio) *ad instantiam illius debet fieri. Si vero* (censura fertur) *in bonum commune, ex proprio motu iudicis* (forte, iudex) *potest* (ad monitionem) *procedere, quia ex officio ad hoc tenetur, C.* Venerabilibus §. Porro *De Sent. Excomm. in 6°.*

Quamnam vero metamorphosim haec in textu S. Alphonsi subierint, paulo post apparebit.

11. Demum addit Suarez (*l. c. n. 2.*): *Additur praeterea in Cap.* Sacro *De sent. Excomm., admonitionem hanc fieri debere, praesentibus idoneis personis, per quas possit probari monitio, si necesse fuerit. Unde infert Abbas, necessarium non esse, ut haec admonitio in scripto fiat; nam ideo* (inquit) *requiritur praesentia personarum.*

12. Sic vero postremam hanc partem Salmanticenses exhibent (*l. c.*): *Non requiritur, quod* (monitio) *fiat in scriptis; bene tamen* (fieri debet) *coram testibus idoneis, quibus in foro exteriori probari possit, C. Sacro, De Sentent. Excommunic. Diana 5 Part. Tr. 9. Res. 19.* (in Edit. Coordin. Tom. 5. Tr. 1. Res. 5. n. 2.), *Gibal. n. 10, Corneio Dub. 2. q. 7.*

13. Postremam autem hanc Salmanticensium partem infelici confusione permixtam cum praecedenti (*sup. n. 10.*) sic in textu S. Alphonsi cernimus: *Debet etiam monitio fieri in scriptis, nisi iudex procedat ex officio, prout tenetur aliquando ob bonum commune ex C.* Venerabilibus §. Porro *De Sent. Excommunic. in 6°; quia tunc sufficit, si monitio fiat oretenus, ita tamen, ut probari possit in foro. Ita* SALMANTICENSES *Cap. 1. n. 95. cum Gibal., et Corn. ex C. Sacro De Sent. Excommunicationis.*

Manifestissime porro facta collatione, apparet, ea, quae Salmanticenses (*sup. n. 10.*) post Suaresium (*sup. n. 9.*) dixerant de iudice, *qui non debet proprio motu ad monitionem procedere,* nisi *quando censura ferenda est propter bonum commune,* haec (inquam) in textu S. Alphonsi translata esse ad iudicem, *qui non debeat monitionem* IN SCRIPTIS *facere, nisi*

tumaces iis verbis apud *Matth. 18. 17.: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis: quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo.* Haec autem potestas facultatem ferendi censuras includit, ut omnibus perspicuum est. Constat insuper ex universali et perpetua praxi Ecclesiae, necnon ex innumeris Conciliis, praesertim ex *Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de Reform.*

II. Censuras ferre possunt *de iure ordinario* omnes et soli Superiores ecclesiastici iurisdictionem in foro externo et contentioso habentes. Patet ex allatis verbis Christi apud *Matth.: Quaecumque ligaveritis* etc. His enim verbis Christus dedit Praelatis Ecclesiae, in persona Apostolorum, omnem potestatem ad bonam et rectam Ecclesiae administrationem. Constat etiam ex pluribus locis *Iuris Canonici.*

III. Censuras ferre possunt *ex potestate delegata* omnes et soli Clerici, quibus concessa fuit a Superiore iurisdictionem ordinariam habente. Ratio est, quia omnis et solus Clericus est capax iurisdictionis ecclesiasticae, quae ad censuras ferendas requiritur. — *Vide S. Lig. n. 9. et seq.*

943. **Regulae.**— 1° Censuras *de iure ordinario* ferre possunt Papa et Concilium generale respectu universae Ecclesiae; Archiepiscopi tum in dioecesibus propriis, tum in dioecesibus Suffraganeorum tempore visitationis, necnon cum agitur de causa ad eorum tribunal delata, quia tunc iurisdictione in Suffraganeos pollent; Episcopi respectu propriae dioecesis, modo electi ac confirmati sint, esto non consecrati (*a*); Vicarii generales Episcoporum (*b*): nam cum ipsis Episcopis unum tribunal constituunt; Legati in territorio legationis, et Cardinales in Ecclesia proprii tituli; Concilia provincialia in suis provinciis; Generales, Provinciales, et Superiores locales Ordinum religiosorum pro variis eorum statutis; Capitulum Ecclesiae cathedralis, sede vacante, et ante electionem Vicarii capitularis, qui tali potestate deinceps exclusive gaudebit.—*S. Lig. ibid.*

procedat ex officio ob bonum commune: de quo sane nec verbum nec vola apud Salmanticenses ac Suaresium. Consequenter autem iuxta S. Alphonsi textum monitio tunc solum fieri *in scriptis* deberet, quando iudex ad monitionem non procederet nisi *ad alicuius privatae personae instantiam,* uti reipsa explicant VV. (*Pag. 864.*), id ex Salmanticensibus erui, contendentes. At enim eo ipso quod eiusmodi theoriae nullum vestigium apud quempiam Auctorem reperire sit, et simul nulla prorsus ratio eiusmodi distinctionis excogitari queat, illud concludere fas est, quod in *Notula* innuitur, ex mero oculi lapsu seu ex inadvertentia S. Alphonsum existimare potuisse, eam opinionem se apud Salmanticenses reperisse.

(*a*) Vid. S. Alphons. (*Lib. 7. n. 10.*), et *C. Transmissum 15. De Elect.* Conf. etiam Gonzalez (*ad hoc Cap.*).

(*b*) S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 10.*) inducit dissidentes *Sayrum, Ugolinum et alios apud Croix* (*Lib. 7. n. 24.*). Sed est mera hallucinatio aut Croixii, aut alterius, a quo Croix exscripserit. Nam allegati DD. nihil a communi sententia discrepant.

2° Parochi non possunt *de iure ordinario* (*a*) ferre censuras, quia iurisdictionem non habent in foro externo et iudiciali, sed tantum administrationem ad rectum parochiae ordinem. — *S. Thom. in 4. dist. 18. qu. 3. art. 3.*

3° Laici et mulieres, ne ex *delegatione* quidem, censuras ferre possunt (*b*). Proinde Abbatissae Monialium nequeunt propria au-

(*a*) Auctor addit, *de iure ordinario*, quia nonnullis visum est, aliquando parochos hoc ius exercuisse. Sed textus iuris, unde hoc eruunt, nihil tale evincunt. *Vid. Schmalzgr.* (*Lib. 5. Tit. 39. n. 20.*).

(*b*) Conveniunt tamen DD., viri laici incapacitatem esse de iure tantum ecclesiastico. Vid. S. Alphons. (*Lib. 7. n. 12.*), et Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 39. n. 3.*). Potest ergo Summus Pontifex hanc potestatem laico viro delegare, sicut potest dispensare, ut laicus ab Episcopo assumatur in Vicarium.

Quoad feminas S. Alphons. (*Lib 7. n. 12.*) post Salmanticenses (*De Cens. Cap. 1. n. 48.*) censuit, incapacitatem iurisdictionis probabilius esse iuris divini. Alii contra putant, probabilius esse iuris mere humani, atque adeo posse Pontificem ex plenitudine potestatis eis delegare facultatem ferendi censuras. Praeter alios, quos allegant Salmanticenses (*l. c. n. 47.*), hanc sententiam tenent Sayrus, Suarez, Laymann, Palaus, Pirhing, Croix apud Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 39. n. 16.*), qui ipsis adhaeret.

** Vix profecto apparet, quorsum huic controversiae immorandum VV. (*P. 867-868.*) putaverint. *Cum* P. B. (inquiunt) *quaestionem hanc mere speculativam attigerit, eandem et nos breviter attingemus.* At vero cur P. B. *Notam* hanc subiecerit, causa sat est manifesta. P. Gury videlicet hac de re scripserat, quasi de ipsa liquido et citra dubium constaret. Non abs re igitur fuit, ut genuinus quaestionis status innueretur. Nam caeteroqui numquid ipsi quidpiam addiderunt, quod aut maiorem aliquam lucem huic quaestioni afferat, aut reformandum de ea suadeat iudicium, quod de ipsa in *Nota* fertur? Tria demum ipsi promunt.

1° Quinque Auctoribus, quos Salmanticenses referunt pro opinione S. Alphonso magis accepta, VV. addunt ipsos Salmanticenses, et tres alios, inter quos Concina. Diceres nimirum, veritos illos fuisse eorum Auctorum paucitatem prae septem pro opposita allegatis apud Salmanticenses, quibus et in *Nota* alii quatuor accedebant. — Verum nulla reipsa huius rei cura in scribenda *Nota* fuit. Et siquidem de hoc aliqua sollicitudo affuisset, nae apud Dicastillum (*De Cens. Disp. 1. n. 126-128.*) et Diana (*Tom. 3. Tr. 1. Res. 75. al. Part. 8. Tr. 1. Res. 39.*) plures prostant (inter quos recensetur et Card. De Lugo), quibus augeri plus duplo numerus hic facile potuisset.

2° Afferunt deinde VV. quaedam S. Thomae verba ex Comm. in 8. Ethic. c. 7. — Sed forte parum consulto. Nam ibi legitur: *Sed mulieri committitur aliquis usus clavium, sicut habere correptionem in subditas mulieres.* Quibus verbis haec alia Sotus (*In 4. Disp. 20. Q. 1. art. 4.*) addit ex eodem S. Thoma (*In 4. Dist. 25. Q. 2. art. 1. ad 1.*): *De Abbatissis tamen dicitur, quod non habent praelationem* (*Sotus legit, iurisdictionem*) *ordinariam, sed quasi ex commissione.* Ex quibus textibus alii contrariam, ac VV. arbitrantur, conclusionem deducunt.

3° Demum VV textum Suaresii (*De Cens. Disp. 2. Sect. 3. n. 7.*) describunt huiusmodi: *Addo praeterea, aliud esse loqui de potestate, ut sic dicam, absoluta Summi Pontificis, aliud de ordinaria lege ecclesiastica. Nam priori modo fortasse non repugnat, Summum Pontificem concedere hanc potestatem* (ferendi censuras) *alicui feminae: quod tenet Paludanus, et non dissentit Sotus, Navarrus, et Ugolinus. Quoniam hoc non est contra ius divinum: et ideo nihil est cur Pontifex ex absoluta potestate*

ctoritate eas ferre, sed tantum Decretum obtinere possunt, quo sub poena censurae mandata sua servari debeant.— *S. Lig. n. 12.*

4° Potestas delegata cessat morte delegantis (*a*), nisi causa a delegato iam fuerit incepta saltem per citationem. Delegatus vero ad censuras ferendas non potest alterum subdelegare (*b*), nisi expressam habuerit licentiam a delegante, vel nisi saltem sit delegatus ad quascumque causas.

944. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An Episcopi haeretici, excommunicati, et suspensi possint valide censuras ferre?*

Resp. 1° *Affirm.*, si sint haeretici, excommunicati vel suspensi occulti. Ratio est, quia Ecclesia ob bonum commune iis usum iurisdictionis non aufert. Illicite tamen agunt, quoties censuras ferunt. — *Ita communiter Theologi* cum *S. Lig. n. 12.*

Resp. 2° *Neg.*, si sint excommunicati vitandi, seu non tolerati, quia tunc omni ecclesiastica iurisdictione privantur. Quid vero, si sint quidem notorii, sed non vitandi? Videtur, eos posse nihilominus censuras valide ferre, quia (aiunt) colligitur ex Constit. Martini V. *Ad evitanda*, ubi sancitur, excommunicatum toleratum, in iis quae pertinent ad publicum officium, non esse vitandum, ne ab iis quidem, qui id sciunt. — *Vide S. Lig. ibid.*

945. — QUAER. 2° *An Episcopus possit ferre censuram, si sit extra dioecesim?*

Resp. 1° *Affirm.* si censura feratur per modum praecepti aut statuti ad futura crimina praecavenda. — *S. Lig. l. 7. n. 21.*

Resp. 2° *Affirm.* etiamsi censura feratur per modum sententiae, quae tamen non indigeat cognitione causae et strepitu iudiciali, vel etiamsi strepitu iudiciali indigeat, venia tamen facta sit ab Ordinario territorii.

Resp. 3° *Neg.*, si censura ferri debeat cum strepitu iudiciali,

---

id facere non possit, sicut etiam potest hanc iurisdictionem laico concedere. Quae quidem quorsum a VV. hic promantur, vix enimvero intelligi datur. Nam quaestio, quae in *Nota* tangitur, haec est, num mulieris incapacitas ad hoc officium sit *iuris divini*, an vero tantum *positivi*. Cum itaqu Suarez clarissime dicat: *Nihil est cur Pontifex ex absoluta potestate id facere non possit, sicut etiam potest hanc iurisdictionem laico concedere;* manifeste contradicit S. Alphonso, qui contendit, *probabilius* hanc femirae incapacitatem iuris esse divini. Et quidem dignissima, quae advertantur sunt postrema Suaresii verba: *Sicut etiam potest* (Pontifex) *hanc iurisdictionem laico concedere.* Namque, uti scribit Dicastillus (*l. c. n. 132.*), *De laicis omni Ordine etiam tonsura carentibus communis Doctorum sententia est, non esse ex iure divino incapaces huius iurisdictionis fori externi.* Caeterum et aliam ob causam hunc Suaresii textum VV. intererat omittere. Nam dum Suarez quoque testatur, Sotum ab hac sententia non dissentire, inde exsurgit, non recte igitur Sotum a S. Alphonso pro sua opinione allegari.

(*a*) Quia nimirum agitur de causa *iustitiae;* nam secus dicendum in causis *gratiae.*

(*b*) Excipe delegatos a Rom. Pontifice ex *C. Si pro debilitate 3. De Officio Delegati.* Quid autem *iure ordinario* requiratur, ut quis delegari possit, vid. Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 39. n. 14.*).

et licentiam neget Ordinarius loci. Excipe, nisi Episcopus vi expulsus a proprio territorio fuerit; tunc enim sufficit licentia a loci Ordinario petita, licet non obtenta. — *V. Schmalzgr. l. 5. tit. 39. num. 26.*

QUAER. 3° *An vice versa Episcopus in sua dioecesi existens ferre possit censuram in subditum extra dioecesim existentem?*

Resp. 1° *Affirm.,* si agatur de crimine in propria dioecesi commisso. Ratio est, quia secus delinquens a nullo puniri posset; et quamvis abierit, non tamen cessat iurisdictioni proprii Episcopi subesse. Nec obstat, quod citatio non possit fieri extra territorium; nam sufficit ad censuram incurrendam, ut reus in propria domo citetur aut in loco publico. — *S. Lig. n. 22.*

Resp. 2° Imo potest Episcopus censuram ferre in subditum delinquentem extra dioecesim, si agatur de re ad suam dioecesim pertinente: sic excommunicari possunt Clerici, qui iussi accedere ad Synodum, non obtemperant; secus vero, saltem probabilius, si crimen extra territorium consummaretur (*a*). Excipe, nisi sermo sit de censura contra quempiam lata per modum praecepti specialis ad crimen praecavendum, ut probabilius docet *S. Alph. l. 7. n. 23.,* et *Laymann* validis confirmat rationibus, *l. 1. tr. 5. P. 1. c. 4. n. 7. — S. Lig. ibid. — Suarez. — Salmant.*

946. — QUAER. 4° *An Episcopus possit censura ligare subditum alienum in sua dioecesi delinquentem?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia omnis delinquens sortitur forum loci, in quo delinquit. *Sic ex Iure can. lib. 2. tit. 2. de foro competenti, cap. 3.* Licet autem Episcopus probabilius non possit ferre censuram in peregrinum ante monitionem, potest tamen, postquam is deliquerit in loco, et eum citaverit (*b*). — *S. Lig. n. 26., et l. 6. n. 591.*

(*a*) Cum leges afficiant territorium, atque adeo legibus patriis non teneatur, qui degit extra, proinde delinquens extra territorium non sublicitur censuris per statuta generalia latis. Quod quidem aperte confirmatur ex *Cap. Ut Animarum 2. De Constit. in VI.* Et cum locus exemptus (licet situs sit intra fines dioecesis) quoad hoc comparetur cum locis extra territorium positis, propterea, ut communis doctrina habet, delinquens in loco exempto, dioecesanas censuras non incurrit. Vid. Laymann (*Lib. 1. Tr. 5. Cap. 4. n. 6.*), et Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 39. n. 49.*).

(*b*) Haec, uti patet, dicuntur de Censuris *ab homine per sententiam.* Nam si sermo sit de Censuris *speciali iure illius loci* inflictis in delinquentes vel contra ius commune, vel contra leges eiusdem loci proprias, iuxta communiorem sententiam, quae advenas et peregrinos eximit ab obligatione servandi leges eorum locorum proprias, isti illas non incurrunt. Perperam vero urgeres cum quibusdam (*Vid. S. Alphons. Lib. 1. n. 156. Dub. 2., et Lib. 3. n. 332. §. An autem*) sententiae oppositae qualemcumque probabilitatem, sententiae scilicet, quae peregrinos praedictis legibus subiicit. Probabilitas enim non sufficit ad obligationem imponendam, multoque minus ad poenas subeundas. *Vid. Lugo* (*Resp. moral. Lib. 6. Dub. 22. n. 3–5.*).

Casus autem, in quibus peregrinus ratione delicti sortiatur forum, et censuris possit plecti, vid. apud eundem de Lugo (*l. c. n. 6.*), et Suarez (*De Cens. Disp. 5. Sect. 5. n. 12. 13.*).

Quaer. 5° *An Praelati Regulares possint censuram ferre in subditos in quocumque loco existentes?*

Resp. Affirm., iuxta sententiam communem. Ratio est, quia iurisdictio Superiorum non est tantum territorialis, sed magis perso-

** Duodecim solidas columnas (quod inspicienti indolem huius *Notulae* vix credibile videri possit) VV. hic (*Pag. 868-874.*) opponunt. Eo autem magis forte lector stupebit, cum viderit, eos tantum non contra meras umbras tanta mole pugnare.

1. Nam primo, quasi in *Nota* affingatur S. Doctori Alphonso sententia obligans advenas ad servandas leges loci, ubi brevi et precario versentur, ecce VV. post relatos illius textus tum ex *Lib. 7. n. 26 et 27,* tum ex locis in nostra *Notula* indicatis, serio (*Pag. 871.*) concludunt: *S. Alphonsus generatim non urget pro alienigenis obligationem parendi legibus specialibus loci, nisi ... ibidem contraxerint quasi domicilium.*

Resp. *Nego suppositum.* Quinimo idcirco in *Notula,* intra illam parenthesim, lector mittitur ad legendum S. Alphonsum *Lib. 1. n. 156,* et *Lib. 3. n. 532.;* quia ibi S. Doctor nempe defendit *communiorem illam sententiam, quae advenas et peregrinos eximit ab obligatione servandi leges eorum locorum proprias;* ex qua nimirum thesi, ceu fundamento, in *Notula* deducitur, istos advenas non incurrere censuras, de quibus ibi sermo. Quocirca sine ulla prorsus causa VV. deinde (*Ibid.*) repetunt: *Itaque nec S. Doctor, nec alius cum ipso* **PERPERAM URGET OBLIGATIONES!** Quasi scilicet illa *Notulae* verba –*Perperam vero urgeres cum quibusdam* **OPPOSITAE** *sententiae probabilitatem*– ad S. Alphonsum referantur, dum manifeste referuntur ad oppositam thesim, quam in allegatis locis S. Doctor reiicit! Et (quod lepidum videri potest) VV. continuo (*Ibid.*) addunt: *Sed potius P. Ballerini perperam confundit quaestiones!!*

2. Ex eadem autem praeconcepta opinione, quod illa Notulae verba –*Perperam vero urgeres cum quibusdam etc.*– impetant S. Doctoris sententiam, VV. (*Ibid.*) consequentem Notulae eiusdem particulam sic aggrediuntur: *Quoad illud principium a P. Ballerini hic iterum revocatum, videlicet qualemcumque probabilitatem non sufficere ad obligationem imponendam ...., luce clarius apparet, falsum esse praefatum principium, quoties* (**UT IN PRAESENTI QUAESTIONE**) *extenditur ad probabilitatem prae opposita* **NOTABILITER ET CERTE MAIOREM.**

Resp. Rursus in primis, *Nego suppositum;* quia in *Notula* apertissime id dicitur de qualicumque probabilitate, quae tribuatur oppositae Suaresii, aliorumve opinioni, quae advenas legibus loci adstringit, et consequenter eiusdem loci propriis censuris subiicit; quae quidem opinio alias in huius compendii *Notis* (vid. Not. ad n. 94. Vol. 1. Pag. 87.) reiicitur, rursusque ibidem adversus eam inculcatur, quod *mera probabilitas huius sententiae ad inducendam obligationem non sufficit;* neutiquam vero id asseritur contra sententiam communiorem et probabiliorem, advenas scilicet ab hac obligatione eximentem, quam et S. Alphonsus defendit; atque ideo in textu Gury allegatur S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 591.*) ubi S. Doctor scribit: *Alienigenae non subiacent his censuris, nisi contraxerint domicilium vel quasi-domicilium in loco, ubi illae sunt latae,* et rationem (ibid.) praemiserat, *quia excommunicatio non potest ferri nisi in subditos et contumaces.*

3. Sed insuper nimius quidam contradicendi et impugnandi fervor effecit, ut hic VV. etiam S. Alphonso contradicant. Resumamus illorum dicta: *Principium hic a P. B. revocatum,* videlicet *qualemcumque probabilitatem non sufficere ad obligationem imponendam, falsum esse, quoties,* **UT IN PRAESENTI QUAESTIONE,** *extenditur ad probabilitatem prae opposita* **NOTABILITER ET CERTE** *maiorem.*

Praescindamus etiam a confusione, quam ista VV. verba ingerunt. Sed

nalis; unde mutatio loci ex parte subditi, nihil iurisdictioni Superioris detrahit. — *Ita S. Lig. n. 20.*

Haec tamen intelligenda sunt de censuris latis *per particularem sententiam*, aut per *statuta Capituli seu Superioris Generalis*. Nam si

enim quaenam demum est ista *probabilitas notabiliter et certe maior?* Si scopum consideres VV. *Notulam* refutantium, concludes profecto, denotari ab iis probabilitatem, cui in *Notula* negatur vis inducendi obligationem; ideo enim huic principio in *Notula* insistitur. Porro non alia haec est, nisi probabilitas sententiae, quae advenas loci legibus ac censuris subiicit. Ergone iuxta VV. sententia, quae ad loci leges et censuras obligat advenas, probabilitatem habet *notabiliter* et *certe prae opposita maiorem?* Atqui praeterquam quod id assereretur contra communiorem DD. sententiam, sic VV. iam impugnarent S. Alphonsum, qui uti *probabiliorem* tenet sententiam advenas a praedictis legibus ac censuris eximentem. Superest ergo, ut iis verbis VV. designent non opinionem, quae advenas obligat, sed *communiorem* (ut in *Notula* dicitur) *sententiam, quae advenas et peregrinos eximit ab obligatione servandi leges eorum locorum proprias.* Nam ipsi expresse dicunt, *probabilitatem istam notabiliter et certe maiorem in* PRAESENTI QUAESTIONE ita adesse, ut excludat principium a P. Ballerini hic adhibitum. Ergo alterutri sententiae, nimirum aut obliganti advenas, ut diximus, aut eos ab ista obligatione eximenti, maiorem istam probabilitatem ipsi attribuant, necesse est. Atqui eam sententiae obliganti nec tribuunt, nec tribuere possunt, uti vidimus, quin et S. Alphonsum et communiorem DD. sententiam impugnent. Ergo reliquum est, ut hanc maiorem probabilitatem contendant spectare ad sententiam, quae advenas ab obligatione, de qua sermo, eximit.

4. Porro sic VV. nec P. Ballerini impugnant, et contra rursus impugnant S. Doctorem Alphonsum. Non impugnant (inquam) P. Ballerini; quippe quod in *Notula* contenditur, hoc idem ipsi insigniter confirmant, dum *notabiliter et certe probabiliorem* asserunt esse sententiam, quae in casu advenas a servandis alieni territorii legibus, atque adeo ab incurrendis huius territorii propriis censuris eximit; et contra vix ullam probabilitatem concedunt *sententiae oppositae*, quae eosdem advenas et legibus et censuris praedictis adstringit.

5. Sed rursus et S. Doctorem Alphonsum sic VV. impugnant. Nam sententiam, de qua sermo, ipsi contendunt *et notabiliter et certe esse probabiliorem*. Atqui, uti testatur Cl. P. Haringer, insignis e Congr. SS. Redemptoris Theologus (*In Not. ad n. 40. Tract. de Consc. S. Alphonsi*), *Opinio notabiliter probabilior ad certitudinem moralem proxime accedit, et non iam est stricte dubia, sed moraliter aut quasi moraliter certa, et* OPPOSITA FIT TENUITER PROBABILIS: vel, ut ait S. Alphonsus (*l. c. n. 56.*), opposita *remanet* AUT TENUITER AUT SALTEM DUBIE PROBABILIS. Ergo VV. dum sententiam advenas eximentem etc. proclamant *certe* et *notabiliter* probabiliorem esse, consequenter contendunt, oppositam, quae advenas iis legibus et censuris adstringit, *tenuiter aut saltem dubie esse probabilem.* Atqui hoc nimirum est, quod rursus S. Alphonsi sententiae aperte repugnat. Etenim vel ipsi VV. (*Pag. 870.*) S. Alphonsi textum (*ex Lib. 1. n. 156.*) afferunt, in quo S. Doctor istam sententiam fatetur esse *satis probabilem.* Sic enim scribit: *Haec sententia* (quae advenas obligat) EST SATIS PROBABILIS; *sed probabilior* VIDETUR *secunda, quae dicit advenam non teneri legibus loci* etc.; ubi insuper cernimus S. Doctorem quodammodo subdubitanter (*videtur*) maiorem asserere probabilitatem illius sententiae, quando illam ex adverso VV. *notabiliter et certe probabiliorem* proclamant, atque adeo *moraliter aut quasi moraliter certam.* Sed rursus ipsi VV. (*Pag. 869.*) alium S. Doctoris textum (*ex Lib. 3. n 332*) describunt, ubi eandem illam

censura quaepiam lata sit per statutum a Superiore, qui speciale habeat territorium, v. gr. provinciam, tunc attendi potest loci limitatio, atque adeo exemptio eorum, qui extra territorium illud delinquunt. *(Vid. Croix Lib. 7. n. 28.)*

sententiam S. Alphonsus insuper appellat *merito probabilem.* Sic S. Doctor: *Affirmant* (advenas scil. obligari etc.) *Suarez, Pontius, Ios. de Ianuario, et Salas apud Palaum,* QUI MERITO PROBABILE ID VOCAT *cum Sanchez et Salmanticensibus.... Probabilius tamen negant Sanch. cum Toleto, Azor* etc. Ergo dum VV. *tenuiter aut dubie probabile* volunt illud habendum, quod S. Alphonsus et *satis probabile* (quod quidem S. Doctor rursus habet tum Lib. 7. n. 27., tum in Hom. Apost. Tr. 2. n. 41.) et *merito probabile* esse docet, manifeste patet eos etiam S. Alphonsi doctrinam impugnare.

6. Caeterum quod VV. hic umbras insectentur, aliud argumentum prostat, ubi (*Pag. 871.*) scribunt: *At vero communior sententia non eximit, uti* SUPPONIT P. BALLERINI, *ab obligatione servandi leges locales omnes advenas, sed illos tantum, qui animum non habent per maiorem anni partem commorandi.*

Resp. Undenam ansam VV. sumere potuerint effingendi sibi, iuxta P. B. ab ista obligatione illos quoque eximi, qui animum habent per diuturnam illam mansionem acquirendi quasi-domicilium, quis demum divinare queat? Equidem in textu Gury, cui *Notula* subiicitur, quaestio est de *subdito alieno,* qui ibidem recte vocatur *peregrinus;* ipsa autem rei natura postulat, ut de eodem prorsus subiecto sermo fiat et in *Nota.* Cur igitur VV. eidem voci *peregrini* alium sensum (qui alioquin usui communi repugnat) in *Notula* subesse contendunt? Numquid saltem alibi P. B. huic voci tam latum, et insuetum, et improprium sensum tribuit, ut complectatur eos quoque, qui dum quasi-domicilium contrahunt, iam fiunt subditi? Ergo et hic VV. umbras persequuntur. Ad aliud caput deveniamus.

7. Scribunt VV. (*Pag. 873.*): *Quomodo quae Suarez hic docet, conciliari possint cum assertionibus P. Ballerini, non comprehendimus.*

Resp. In *Notula* allegatur Suarez (*De Cens. Disp. 5. sect. 5. n. 12.*), ut indicetur casus, *in quo peregrinus ratione delicti sortiatur forum, et censuris plecti possit.* Ita enim (*n. 12.*) Suarez proponens casum, quem solvit (*n. 13.*). Obiectio ita se habet: *Si extraneus in alieno territorio delictum committat, etiam per illud delictum fit ita subiectus, ut contra illum ibi procedi possit, ubi deliquit; et nihilominus, licet in eo territorio per sententiam sit lata censura ob illud delictum, illam non incurrit, quamvis talis sententia omnes subditos comprehendat.* Verum ad haec ita ibidem respondetur (*n. 13.*): *Cum in statuto seu iurisdictione duo possint considerari scilicet vis directiva et coercitiva: ratione delicti non potest homo fieri subditus primo et immediate in ordine ad vim directivam, sed in ordine ad vim coercitivam, seu punitivam; ideo enim dicitur fieri subditus, quia iuste puniri ibi potest, ubi deliquit: consequenter vero obligari poterit secundum vim directivam ad ea omnia, ad quae iustus iudex potest obligare reum, non vero ad alia, praecise ex vi illius subiectionis.* Porro hinc sequitur, quod si iste reus sit pertinax et contumax contra eiusmodi iustum iudicis, scilicet Episcopi, mandatum, cogi ab eo etiam per censuras poterit. Et sane fac v. gr. id contingat, quod innuitur in *Cap. Si seduxerit 1. De Adult. et stupr.*, in quo reus damnatur, ut vel seductam virginem ducat, vel dotem ei tribuat. Episcopus sane potest iuste reum (utcumque advenam, subditum tamen ratione delicti factum) citare, et convictum damnare poenis praedictis. En itaque casus, de quo agit Suaresius, quando scilicet iudex advenam et ad comparendum coram se, seu ad obediendum citationi, et consequenter vel

ARTICULUS III.

DE SUBIECTO CENSURARUM

947. **Principia.** — 1. Subiectum censurae non potest esse nisi homo baptizatus, rationis capax, et subditus. 1° Debet esse baptizatus, quia iuxta Apostolum Ecclesia non iudicat de iis, qui

ad solvendam dotem, vel ad puellam in matrimonium ducendam etiam censuris compellere possit, quemadmodum et S. Alphonsus innuit (*Lib. 7. n. 26. in fin.*)

8. Ad textus vero Suaresii, quibus VV. implent quatuor columnas (*Pag. 872. 873.*), obvia adest responsio, ea omnia ad rem non facere. Contextus nimirum illius Sectionis V. eo spectat, *num agens in aliena dioecesi contra sententiam generalem sui Praelati, eius censura ligetur;* et Suaresius (*n. 14.*) iuxta suam opinionem (quam tamen mere esse probabilem ipsemet alias non diffitetur), quod leges locales obligant non modo subditos, sed etiam peregrinantes, *affirmative* respondet. Verum allegatio Suaresii in *Notula* non huc spectabat, sed ad ea, quae *n. 12. et 13.* incidenter idem habet de censura, quae est *ab homine,* et quae supra retulimus. Et eodem quidem etiam ea spectant, quae Suaresius in eadem V. Sectione, itidem incidenter, dixerat, v. gr. (*n. 10.*): *Delictum solum potest facere subditum in ordine ad futurum iudicium, et consequenter respectu omnium, quae ad punitionem illius delicti ordinari possunt.* Et rursus (*n. 11.*): *Licet delictum in territorio commissum constituat hominem delinquentem talis fori, et supposito foro possit citari, et contumax fieri.* Habent igitur VV., quo comprehendant, quomodo ea, quae Suarez habet in ea V. Sectione, cum assertionibus P. Ballerini componi possint.

9. Caeterum opera forte utiliori VV. inquisivissent, quomodo cum doctrinis Suaresii id componatur, quod S. Alphonsus in hac eadem quaestione habet (*Lib. 7. n. 27.*), ubi scribit: *Si censura sit lata per modum statuti generalis pro delictis futuris ..., tunc ligat etiam alienigenas, si ibi sint animo commorandi maiorem anni partem: secus, si transeunter ibi commorentur. Ita Salmantic. cum* Suarez, etc. Post quae deinde S. Doctor pergit: *Haec sententia probabilior mihi est, sed non puto improbabile, quod tam in primo, quam in secundo casu peregrini ligentur censura, etiamsi alicubi sint per breve tempus, quia satis probabile est, quod peregrini fiant subditi, si adhuc per breve tempus in aliquo loco morentur, iuxta sententiam relatam Lib. 3. n. 332.*

Hoc loco, uti patet, *Suaresius* allegatur a S. Doctore pro sententia, quam ipse dicit sibi *probabiliorem,* scilicet peregrinos non ligari censura, eo quod, si per breve tempus alicubi morentur, non fiunt subditi. Atqui idem S. Doctor in loco ad quem remittit, scil. *Lib. 3. n. 332.*, ita scribit: *An peregrini teneantur audire missam, quae audienda est ex peculiari praecepto loci, ubi sunt, etiamsi per unum diem ibi morentur? Affirmant* Suarez (*De Relig. Lib. 1. c. 14. n. 9.*), *Pontius* etc. ... *Probabilius tamen negant Sanchez* etc. Porro omittamus nunc mendosam Suaresii allegationem, quae recurrit apud S. Doctorem etiam *Lib. 4. n. 156.*, videlicet *De Relig. Lib. 1. c. 14. n. 9.*; duplici enim haec vitio laborat, tum quia nempe Suarez *De Religione* decem habet Tractatus, qui singuli habent plures *libros*, tum quia in nullo ex decem *primis libris* ea sententia reperitur, sed reperitur *Tract. 2. Lib. 2. Cap. 14. n. 8.* Sed quod caput est, quomodo (*Lib. 7. n. 27.*) a S. Alphonso Suaresius allegatur pro sententia probabiliori, quae a servandis legibus et incurrendis censuris localibus eximit peregri-

foris sunt; 2° rationis capax, quia censura ordinatur ad correptionem delinquentis; hoc autem locum non obtinet in eo, qui usu rationis caret; 3° subditus, quia censura est actus iurisdictionis, quae nonnisi in subditos exerceri potest.

nos, qui alicubi *per breve tempus* morantur, et deinde (*Lib. 3. n. 332.*) idem Suaresius allegatur pro sententia, quae peregrinos locali praecepto subiicit, etiamsi *per unum diem* inibi morentur?

10. Sed et aliud est, quod in eodem *n. 27. Lib. 7.* indiget VV. explicatione. Nam S. Doctor, ut vidimus, ibi scribit: *Non puto improbabile, quod tam in* PRIMO, *quam in* SECUNDO *casu peregrini ligentur censura, etiamsi alicubi sint per breve tempus, quia satis probabile est, quod peregrini fiant subditi, si adhuc per breve tempus in aliquo loco morentur, iuxta sententiam relatam n. 332.* Porro *primus* casus ibi hic est: *Si censura sit lata per modum praecepti particularis seu sententiae in casu particulari, nempe si sit lata excommunicatio contra non revelantes fures, haec non ligat alienigenas, quia praeceptum particulare non potest non subditos adstringere.* Ergo S. Alphonsus non censet improbabile, etiam praedictam excommunicationem ab advenis incurri, *quia,* ut inquit, *satis probabile est, quod peregrini fiant subditi iuxta relata Lib. 3. n. 332.* Atqui Suaresius, quem alioquin S. Doctor hic primo loco allegat, et cuius tot textus VV. referunt, ex adverso negat absolute, huiusmodi excommunicationem ab alienigenis incurri. Sic enim Suaresius (*De Cens. Disp. 5. Sect. 5. n. 10.*), prouti ipsi VV. referunt: *Huiusmodi sententia licet generalis sit, directe fertur in personas, ut earum contumaciam coerceat, et puniat; ideoque non extenditur ad extraneos: qui licet versentur in territorio alieno, illic simpliciter non sunt subditi, neque intervenit aliquis titulus, quo fiant subditi.* Cuius resolutionis reddit deinde (*Ibid. n. 15.*) rationem.

11. Itidem VV. (*Pag. 868.*) referunt ea, quae S. Alphonsus habet (*Lib. 7. n. 26.*), et sunt eiusmodi: *Ex qua ratione sentit Croix Lib. 7. n. 32.* (*contra Salmantic. Cap. 1. n. 37.*), *cum Pignatellio et Gibalino, afferente Declarationem S. Congr., quod Episcopus etiam Archiepiscopum suum in dioecesi Episcopi delinquentem possit excommunicare.* Ratio autem praemissa a S. Alphonso est, quia *ratione delicti ille Archiepiscopus fit Episcopi subditus.* Atqui 1°. non est verum Salmanticenses esse in opposita sententia. Nam utique (*l. c. n. 37.*) dum Salmanticenses statuunt, ab Episcopo posse excommunicari *non subditum* ratione delicti in eius territorio commissi, excipiunt: *nisi talis reus fuerit illius superior, ut eius Archiepiscopus vel Patriarcha;* sed deinde (*n. 39.*) addunt limitationem, *si hoc auctoritate sibi propria facit.* De quo infra: *Diximus in conclusione,* auctoritate sibi propria; *quia bene potest aequalis vel inferior per delegationem alterius Superioris excommunicare sibi superiorem.* 2°. Contra vero doctrina S. Alphonsi, quae ex Croix sumpta est, nimis generalibus verbis effertur, posse nempe Archiepiscopum suo Suffraganeo fieri subditum ratione delicti; nam coarctari debet iis limitibus, quos scite addit Gibalinus (*De Cens. Disq. 4. Q. 1. n. 4.*), nempe id tunc solum contingere, quando *Superior peccaverit intra dioecesim alterius contra legem ab* ALIO QUOPIAM UTRIUSQUE SUPERIORE *sancitam, et in illius inferioris iurisdictione promulgatam; v. gr. si leges circa administrationem alicuius orphanotrophii vel nosocomii vel Universitatis ita a Pontifice sancirentur, ut ad Episcopum spectaret coercere perturbatores etiam per censuras.* 3°. In textu S. Alphonsi affertur pro hac doctrina Declaratio S. Congr. *adscripta Gibalino;* sed hoc verum non est, neque hoc dixit Croix; nam eam affert Pignatellius, non vero Gibalinus, ac Pignatellio eam Croix attribuit. Praeterea Pignatellius (*Consult. Tom. 1. Cons. 170. n. 8.*), contra ac insinuat S. Alphonsus post La-Croix, nullatenus loquitur de archiepiscopo,

II. Impuberes, licet censuris absolute ligari possint, attamen ob aetatis levitatem ex indulgentia et benignitate Ecclesiae eas non incurrunt, nisi in lege specialiter expressum sit. — *S. Lig. n. 14.*

Expressus autem in iure duplex tantum casus invenitur, scilicet 1° Si in monasteria Monialium ingressi fuerint. *Trid. sess. 25. c. 5.*

qui a suo suffraganeo excommunicari queat, sed mere haec habet: *Ita etiam Episcopus offendens iurisdictionem alterius Episcopi in illius dioecesi, efficitur subiectus, adeo ut ad censuras contra illum procedi possit, ut post Alterium....censuit S. Congr. Conc. in una Barensi die 27. Februarii 1627.* Quae quidem minus quadrant in casum nostrum, quando Episcopus adversus suum Metropolitam aut Patriarcham non tam suam ipsius iurisdictionem defendit, quam legem Pontificis etiam per censuras coercens ceu delegatus tueatur.

12. Demum non omiserim hic *Notulam,* quam VV. incidenter addunt (*Pag. 872.*), ubi scribunt: *Obiter hic advertimus, cum grano salis* (*ut aiunt*) *accipiendos esse textus S. Antonini, S. Raymundi, Gersonis, et Gabrielis Biel, quos P. Ballerini in Adnot. ad n. 152. Tom. 1. adducit ad probandum,* non esse adstruendum mortale, nisi de eo certo constet. *Duplex namque haberi potest certitudo, altera directa; altera vero indirecta ex principiis reflexis seu concomitantibus* (*Conf. supr. De systemate Pag. 103. ad II.*): quo loco sermo est de ea certitudine, quae exsurgat pro ea parte, pro qua stat opinio *certo probabilior.*

Resp. Cuiusmodi esse debeat hoc *granum salis,* quo iuxta VV. aspergendae sunt sententiae praedictorum DD., aegre fortassis quispiam divinabit. Equidem iuxta superius (*n. 6.*) ex Cl. P. Haringer allata, *Opinio certo probabilior ad certitudinem moralem proxime accedit, et non iam est stricte dubia, sed moraliter aut quasi moraliter certa.* Numquid itaque hoc est *granum salis,* quod VV. requirunt, quod nempe ita sententiae illae DD. intelligantur, ut *non sit adstruendum mortale,* nisi de eo *moraliter aut quasi moraliter certo* constet? Atqui (nisi totus fallar) necessarium non videbatur, ut hoc granum salis a VV. afferretur. In moralibus enim quae certitudo feratur, ac recipiatur, ea non alia fere est, quam eiusmodi mentis assensio, quae prudentem errandi formidinem excludat. Immo iuxta S. Alphonsi quaedam loca *granum istud salis* prorsus videri potest supervacuum. Et sane perpendantur, quaeso, quae S. Doctor (*Lib. 6. n. 604.*) scribit de Confessario, opinionem habente diversam ab opinione poenitentis. *Quod poenitens* (inquit) *velit hanc vel illam opinionem sequi, hoc impertinenter se habet ad iudicium confessarii, nisi hic iudicet opinionem poenitentis* ESSE EVIDENTER FALSAM. Et rursus (*ibid.*): *Quando ex una parte poenitens sibi efformat iudicium de honestate alicuius actionis, et alias confessarius non habet* CERTITUDINEM EVIDENTEM *de illius falsitate, tenetur illum absolvere.* Et rursus (*Ibid.*): *Confessarius vero, quoties sua opinio non* EST EVIDENTER CERTA..., *tunc non solum potest, sed etiam tenetur eum* (*poenitentem*) *absolvere.* Conferantur porro haec cum iis, quae idem S. Doctor scribit in Systemate morali (*n. 84.*). Ibi enim refert ista Cabassutii verba: *Quivis confessarius absolvere debet eum poenitentem, qui non vult ab opere abstinere, quod secundum probabilem ... auctoritatem est licitum; quamvis iuxta probabilem aliorum auctoritatem, quam ipse sequitur confessarius, habeatur* MINUS *probabilis:* porro ad haec Cabassutii postrema verba S. Doctor intra parenthesim addit: *Intelligendum* NON NOTABILITER MINUS. Manifeste igitur S. Doctor illud, quod hic dicit *notabiliter minus probabile,* prius dixerat *evidenter falsum.* Idque confirmatur ex iis, quae in Edit. ann. 1757. (*Lib. 1. Tr. 1. n. 25.*) sic legimus: *Quod autem dicit Busembaum, quod confessarius debet absolvere poenitentem, etsi iudicet falsam illius opinionem, intelligendum, nisi iudicet* OMNINO FAL-

—2° Si Clericos percusserint. *Cap. Pueris lib. 5. tit. 39 de Sententia excommunic.* — *S. Lig. ibid.*

948. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An Reges et Reginae ligari possint censuris ab Episcopis?*

Resp. Neg. Nam licet in spiritualibus subiiciantur Episcopis, attamen ex privilegio non possunt ab ipsis censura plecti, sed a solo Papa (*a*). Hoc autem privilegium decursu temporis legitime introductum est, et ipsis communiter a Doctoribus tributum. — *S. Lig. n. 16.* — *Salmant. c. 1.*

QUAER. 2° *An Episcopi et Cardinales censuris subiiciantur?*

Resp. 1° Certo non possunt subiici censuris latis a seipsis, quia nemo est sui ipsius subditus.

Resp. 2° Subiiciuntur autem censuris papalibus, quia Papa est omnium, etiam Episcoporum, Superior. Attamen ex privilegio iuris non ligantur neque interdicto neque suspensione, *nisi in decernendis iis censuris specialis et expressa* EORUM (Cardinalium) *mentio fiat.* — *S. Lig. n. 15.*

949. — QUAER. 3° *An religiosi exempti ab Episcopo loci, censuris episcopalibus ligari possint?*

SUM. Ergo *notabiliter minus probabile* apud S. Alphonsum, aequipollet OMNINO FALSO: atque adeo e converso *notabiliter*, seu *certe probabilius* aequipollet *evidenter certo*, aut *omnino vero*. Neque enim fas est existimare, S. Alphonsum, dum eandem quaestionem, etsi diversis locis, absolute definit, tam aperte minus sibi cohaerere. Quod itaque VV. advertunt, effatum DD. *quod non sit adstruendum mortale, nisi de eo certo constet,* accipiendum esse cum *grano salis*, idest intelligendum esse tunc quoque, quando de mortali constet *certe probabilius*, inane prorsus videri merito potest; quandoquidem *certe probabilius*, interprete S. Alphonso et Cl. P. Haringer, idem demum valeat, ac *moraliter certum*, immo *evidenter certum*.

Caeterum illud potius hic iuverit advertisse, utique opportunum contingere, quod VV. Operum moralium S. Doctoris Alphonsi lectores moneant, quem sensum quaedam dicendi formae apud eundem S. Doctorem habeant aut habere possint; at non item forte opportunum contingere, ut contendatur, illas dicendi formas instar generalis normae in scholis iam esse recipiendas, quando modus ille loquendi potiusquam communis generatim Doctorum, singularis potius et proprius S. Alphonsi invenitur. *Ad certitudinem moralem* (inquit Cl. P. Haringer S. Alphonsum explicans) *proxime accedit opinio* MULTO, VALDE, NOTABILITER (adde CERTE) *probabilior, quae non iam est stricte dubia, sed moraliter aut quasi moraliter certa.* Non inquiramus modo, utrum his dicendi formis idem constanter sensus etiam apud S. Alphonsum subsit. Verum cum istam loquendi formam generatim DD. non sibi proposuerint, usus illorum hermeneuticae canonum ad perlegenda S. Alphonsi Opera forte erit utilis; at perscrutantem Opera Doctorum, qui per longam saeculorum seriem laboribus suis Ecclesiam ac scholas exornarunt, ad praeposteras fortassis atque erroneas interpretationes adducet.

(*a*) Reges, imperatores, etc., non modo subiiciuntur Pontificiis censuris *latae sententiae per generalia statuta*, v. gr. contra invadentes Ecclesiae bona, territoria, iura, etc., sed etiam censuris per sententiam seu particularem seu generalem puniri possunt.

Resp. 1° *Affirm. probabilius,* si Regulares, licet exempti (*a*), delinquant circa ea, in quibus vi Canonum et Constitutionum subiiciuntur Episcoporum iurisdictioni, v. gr. in observatione festorum, quae Episcopus indixerit servanda in sua dioecesi, vel in observatione censurarum ab Episcopo promulgatarum, etc. Ratio est, quia iurisdictio in foro externo inermis ad exequendum leges et statuta esse non potest; nam secus inutilis evaderet. Si ergo in aliqua re Episcopus in Regulares iurisdictione pollet, eo ipso contra delinquentes procedere etiam per censuras potest. Qui enim contentiosam habet potestatem fori externi, uti illa potest in electione cuiusvis poenae, praesertim vero spiritualis censurae, qua Ecclesiastici Praelati contra subditos procedunt. — *Ita iura et unanimis tum Canonistarum tum Theologorum sententia apud Pignatelli* (*Tom. 3. Cons. 46. n. 24*).

Ex communiori autem sententia Episcopi quoad haec non ordinaria, sed delegata a Sede Apostolica potestate procedunt. Ita *S. Alph. l. 7. n. 241.* (*b*). Porro praecipuos casus in quibus exempti quoque Regulares, Episcopi potestati subiiciuntur, enumerat *S. Lig. Hom. apost. tr. 20. de Privilegiis c. 4.* (*c*). Id nihilominus a non paucis auctoribus absolute negatur, quibus favere videntur plura decreta *Pontificum* et *S. Congreg. Conc.* (*d*).

(*a*) Si non sint exempti, legibus ac censuris episcopalibus subiiciuntur non secus ac alii clerici. Insuper si Episcopum habeant ceu proprium Praelatum, censuris ligari ab ipso poterunt aeque ac reliqui Regulares a suis Superioribus. Sanchez (*In Decal. Lib. 6. Cap. 1. n. 11.*), et Schmalzgrueber (*Lib. 3. Tit. 35. n. 61–62.*).

(*b*) Nimirum post *exemptionis* privilegium, Regulares sunt ac manent exempti, et Romano Pontifici immediate subiecti; quocirca Episcopi non alio titulo adversus eos procedunt, quam *merae commissionis* seu *delegationis*. Quod probe retinendum contra falsam hypothesim De-Luca, qui (*Miscell. Eccl. Disc. 16. n. 13–14.*) sibi fingit, Episcopis in casu restitui *nativam iurisdictionem,* eamque propterea evadere *ordinariam,* ut scilicet evincat, hanc *late* interpretandam.

(*c*) Barbosa (*De Offic. et Potest. Episc. P. 3. Alleg. 105. n. 14. seq.*) casus recenset quinquaginta duos, in quibus Regulares, etiam exempti, iurisdictioni Episcopi subiiciuntur; Chockier vero (*De Iurisd. Ordinar. in Exemptos Part. 2. q. 45.*) enumerat omnino centum et sexdecim. Praecipuos autem habes penes Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 33. n. 253. 254.*).

(*d*) In his vestigium habes haud mediocris confusionis in hanc quaestionem inductae; cui etiam debetur, quod S. Alphonsus, collatis simul variis eiusdem sententiis (*Conf. De Privil. n. 75. – Ibid. n. 77. et Lib. 7. n. 241.*), sibi minus cohaerens appareat. Huius porro confusionis praecipua causa haberi potest, quod quorundam DD., qui vel scripserunt ante promulgationem quorundam decretorum SS. Congr., vel haec decreta ignorarunt, auctoritas nihilominus ita invocetur, quasi eorum suffragium ad hanc quaestionem dirimendam conferre aliquid possit. Huic causae cum aliae accesserint ex praepostera vel Iuris vel Privilegiorum interpretatione, nil mirum si in controversiam vocari id videamus, quod extra controversiam haberi debet. Inde etiam repetendum, quod et Auctor ut mere *probabiliorem* exhibeat potestatem, qua Episcopi *in Exemptos* possint uti censuris,

Resp. 2° *Neg.,* si sermo sit de illis Regularibus, qui non solum generali exemptionis privilegio, sed praeterea privilegio specialiori gaudent, vi cuius, licet aliis poenis corrigi et coerceri possint, si in iis deliquerint, in quibus eos Episcopis Apostolica Sedes subiecit, non tamen puniri per censuras possunt. Quod quidem privilegium sublatum nunquam generatim fuit, licet Gregorius XV in quibusdam ipsi derogaverit (Constit. *Inscrutabili,* §. VI.). — *S. Lig. n. 241.* (*a*).

quoties necesse sit ad eos compellendos in iis, in quibus Regulares eorum iurisdictioni subduntur.

At enim Benedictus XIV. (*De Synod. Lib. 9. Cap. 16. n. 5. et Lib. 7. Cap. 41. n. 5.*) testatur id, uti certum, decretum et declaratum a S. Congreg. 17. Febr. 1632. hisce verbis: *In his, in quibus a iure communi, a S. Concilio Tridentino, et a Constitutionibus Apostolicis, tributa est Episcopo iurisdictio in Regulares, potest illos etiam per censuras ecclesiasticas compellere.* Pro qua quidem sententia tum rationes, tum pluries iterata S. Congreg. decreta, tum DD. fere unanimiter consentientium suffragium videsis apud Pignatelli (*Tom. 3. Cons. 46. n. 11. et 12.*), et Monacelli (*Part. 3. Tit. 3. Form. VI. n. 13.*).

(*a*) Sedulo cavendum, ne confundatur duplex Regularium exemptio seu immunitas ab Episcoporum censuris. *Altera* enim inde provenit, quod Regulares in quibusdam penitus exempti sint ab Ordinariorum iurisdictione; quocirca cum non sint quoad ea illorum subditi, ipsorum nec legibus nec praeceptis ligantur, atque adeo nec censuris nec aliis poenis puniri possunt. Si qua tamen in re eorundem potestati subdantur (et iam praemissum est, in multis sic eos subdi), in his delinquentes corrigi et puniri et coerceri etiam censuris possunt, uti iam diximus. *Altera* vero ex eo provenit, quod privilegio speciali quidam Regulares censuris feriri non possint etiam in iis, in quibus alioquin Ordinariorum iurisdictioni subiiciuntur, quamvis aliis poenis coerceri ac puniri ab iisdem possint. Et quidem ex huius distinctionis defectu videsis in transversum actos tum Bonacinam (*De Clausura Quaest. 3. Punct. 4. n. 8.*), tum Henriquez (*Sum. Lib. 7. Cap. 25. n. 7.*), tum Ascanium Tamburinum (*De Iure Abbatiss. Disp. 25. Q. 9. n. 1.*), tum Peyrinum (*De Regularib. Tom. 2. Ad Constit. VI. S. Pii V. n. 37.*), tum Iacobum De Graffis (*Decis. Part. 1. Lib. 4. Cap. 6. n. 2. 3.*), tum denique Io. Aloysium Riccium (*Prax. Tom. IV. Resol. 180.*), et ex parte etiam Iosephum De Ianuario (*Resol. Select. Res. 34. n. 16.*).

Caeterum quod quibusdam Regularibus tributum ab Apostolica Sede fuerit speciale illud privilegium a communi exemptionis praerogativa plane distinctum, manifestum est *ex Cap. Volentes 1. De Privilegiis in VI.;* nam §. 1. sermo de iis fit, *quibus ne interdici, suspendi, vel excommunicari a quoquam valeant, a Sede Apostolica est indultum; sicut* (inquit) *sunt religiosi quamplures, in quorum privilegiis continetur, ne quisquam Episcopus vel Archiepiscopus monasteriorum suorum monachos pro ulla causa, ullove loco, interdicere, suspendere vel excommunicare praesumat etc.* Hoc ipsum de mendicantibus testatur S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 241.*), et concessum denuo hominibus Societatis Iesu patet aperte ex Const. *Licet Debitum* Pauli III. 18. Octobr. 1549. Quod autem inquit Auctor, huic privilegio quidpiam a Gregorio XV. fuisse derogatum, id unice spectat ad *quoscumque Exemptos tam saeculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quae suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, et in Ecclesiis suis aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint;* et Episcopis fit facultas, ut *in delinquentes, quoties, et quando opus fuerit,.... per censuras ecclesiasticas, aliasque poenas... procedere... libere et licite valeant.*

QUAER. 4° *Quomodò se gerere debeat dubitans, an censura ligetur?*

Resp. Si dubitet an a censura fuerit absolutus, se habere debet tamquam censura adhuc innodatum, donec Superiorem interrogaverit. Idem dicendum est, si dubitet de potestate Superioris in

Quod vero opponunt tum infensissimus huius privilegii osor De Luca (*Miscell. Eccl. Disc. 16.*), tum qui eum diligentissime exscripsit Monacelli (*Part. 3. Tit. 2. Form. 6.*), his Regularium privilegiis derogatum fuisse a Synodo Tridentina, nihil est. In primis enim derogatur privilegiis eatenus, quatenus ea observationi Synodalium decretorum repugnent. Atqui facultas procedendi *per censuras* contra Regulares a Synodo Episcopis tribuitur quoad duo ista tantum, nempe 1° ut Regulares cogantur ad restituendum novitiis abeuntibus, quidquid monasterio dederant; 2° ut servetur clausura monialium; quibus Sanchez (*De Matrim. Lib. 7. Disp. 33. n. 23.*) tertium casum addit de Regulari, qui missam extra ecclesiam aut oratorium celebret. Sed insuper quod mens Concilii non fuerit derogare speciali illi quorundam Regularium privilegio, patet ex S. Congr. Declaratione 9. Apr. 1587., in qua agitur de eodem casu ac in decreto Synod. Eam autem Suarez (*De Relig. Tr. 8. Lib. 1. Cap. 10. n. 27.*) sic refert: *Regulares adeuntes monasteria monialium sine licentia Episcopi, incidunt in poenam excommunicationis, quam Episcopus suo edicto proposuit, nisi Regulares illi haberent ex privilegio, quod non possint excommunicari; et tunc deberent puniri a suis Superioribus alia poena.*

Et haec luculenter confirmantur ex iis, quae habet Prosper Fagnanus (*In Cap. Quanto De Privilegiis n. 9.*). Quaestionem enim hanc proponit: *An posita Constitutione Gregorii XV. de Exemptorum privilegiis, Regularis absque legitima licentia accedens ad monasterium monialium Regularibus subiectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum moniali colloquens, a Dioecesano Episcopo tamquam Sedis Apostolicae Delegato coerceri ac puniri possit;* respondet, apertam esse decisionem, eum incidere in excommunicationem, si eunti ad monasterium Episcopus eam poenam imposuit. Tum vero diserte haec subdit: *Quam sententiam iamdiu approbavit S. Congregatio, dum declaravit, Regulares accedentes ad monasteria monialium etiam exempta ab Episcopi iurisdictione, incidere in poenam excommunicationis contra accedentes Episcopi edicto propositam, nisi haberent nominatim privilegium, ut non possint excommunicari: et tamen eo etiam casu censuit, eos aliis poenis esse puniendos.*

Ex quibus etiam colligitur, rem acu nec Sanchez (*De Matrim. Lib. 7. Disp. 33. n. 23.*) tetigisse, nec Lezana (*Summ. Quaest. Regul. Tom. II. Part. 3. V. Exemptio Regularium n. 11.*), qui dum hoc Regularium privilegium tuentur, excipiunt tres illos casus in Synodo Tridentina expressos. Quod idem dicendum de Iacobo Pignatelli, qui in eandem hallucinationem incidit, licet alioqui speciale illud Regularium quorundam privilegium (*Tom. 3. Cons. 46. n. 25., et Tom. 7. Cons. 44. n. 26. 27.*) non concedit modo, sed plurium DD. suffragio defendit.

** Circa hanc et praecedentem Notam VV. (*Pag. 875.*) scribunt: *Recta quidem sunt, quae P. Ballerini hic tradit: verum minus recte asserit, quod S. Alphonsus, collatis simul variis eiusdem sententiis, sibi minus cohaerens appareat. Ex dicendis namque patebit, S. Doctorem nostrum bene sibi cohaerere, et quae P. B. tradit, etiam a S. Alphonso doceri.*

Resp. Maluissem enimvero, ut VV. postremae particulae sententiam aptius hoc fere modo composuissent: *A S. Alphonso ea doceri, quae ex accuratioribus Auctoribus P. Ballerini retulit.* Et ratio est, quia P. B. nihil marte suo profert, sed in hoc unum studium usquequaque incubuit, ut quae accuratius viderentur apud Scholae cuiusvis principes ac magistros digesta, ea lectorum oculis ac iudicio subiiceret.

censura ferenda, siquidem pro eo semper praesumendum est. Secus vero si dubitet, utrum censuram incurrerit, sive dubium sit *facti*, v. gr. circa crimen, puta si dubitet, an percussio Clerici fuerit graviter iniuriosa; sive dubium sit *iuris*, id est circa sen-

Superest interim, ut ratio aliqua hic afferatur, cur in praecedenti *Nota* obiter dictum fuerit, S. Doctoris Alphonsi de hoc argumento sententias, si simul conferantur, minus sibi invicem cohaerentes videri posse.

1. Occurrunt itaque in primis ea, quae hoc loco (*Lib. 7. n. 26.*) generatim de Regularibus ita scribit: *Regulares autem sunt simpliciter exempti a iurisdictione episcopali ex* Cap. Ne aliqui, De Privileg. in VI. *Vid. Salmantic. n. 37.*— Referri porro haec videntur ad Regularium omnium immunitatem, quando agatur de censuris, quas Episcopus auctoritate sibi propria ac nativa ferat; nam huc spectat etiam Salmanticensium (*De Cens. Cap. 1. n. 57.*) allegatio. Missum nunc fiat, num Regulares omnes utriusque sexus hac immunitate atque exemptione gaudeant. Sed, quod nunc attinet, allegatio *Cap. Ne aliqui* suaderet, ibi non de Regularibus generatim, sed de iis speciatim agi, qui particulari inter exemptos ipsos privilegio sunt muniti.

2. Eandem prope obscuritatem atque incertum sensum praeferunt ea, quae S. Doctor ibidem sic immediate subdit: *Et in religiosos exemptos sive privilegiatos, ut Mendicantes et Iesuitas* (*Vid. infr. n. 24. dub. 9.*) *nequit Episcopus ferre censuras, etiamsi procedat tamquam Delegatus Apostolicus, ut Croix Lib. 7. n. 30. cum Pelizz. et aliis.* — Allegatio nimirum *Croix* quandam confusionem inducit. Nam verba illa, *Etiamsi procedat tamquam Delegatus Apostolicus* (quae itidem ex Croix desumpta sunt), suaderent, hic agi de exemptis speciali munitis privilegio. Contra vero Auctores eo loco a Croix allegati, uti Krimer et Rodriguez, ad diversam opinionem inducunt. Nam Krimer verba, quo loco citatur a Croix (*In Lib. 5. n. 1681.*), ista habet: *Infertur exemptos a iurisdictione Episcopi nec per sententiam generalem nec specialem ab illo censuris ligari posse; ita Rodriguez Tom. 2. Q. 59. a. 5.*; quem Rodriguezii locum nimirum etiam Croix citat. Porro ista ad communem Regularium exemptionem referuntur. — Insuper vero Croix (*l. c.*), diversas quaestiones alioquin, uti patet, confundens, sententiam suam his verbis circumscripserat: *Nisi id in specie concessum sit illis,* nempe Episcopis. Quae quidem verba dum S. Alphonsus omittit, eius assertio in quavis hypothesi nimis universalis evadit, ut suadet exemplum in *Nota* allatum ex Constit. Gregorii XV. circa *Regulares, qui in alienis Ecclesiis absque Episcopi licentia praedicare praesumpserint.*

3. At, inquies, S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 26.*) lectorem *ad n. 241.* eiusdem libri remittit. Verum hoc loco mere de Clausura Monialium disserit. Ergo haud satis per hoc sententia prius tradita hic completur, seu limitatur. Sed praeterea quid sentiendum sit de S. Doctoris sententia circa hoc argumentum, ex ipsis VV. iam habemus. Ipsi enim, ut sup. vidimus, de dictis in *Nota* scribunt, *recta esse, quae P. Ballerini hic tradit.* Porro in *Nota* satis ostenditur, per ea, quae in Constitutione Gregorii XV. habentur circa clausuram Monialium, nequaquam derogatum fuisse privilegio Regularium speciali, adeo ut tali privilegio muniti, si forte circa eam materiam deliquerint, *per censuras* coerceri ac puniri ab Episcopo possint. Contra S. Alphonsus (*Hom. Apost. Tr. 19. n. 42.*) ad quaestionem, *An Regulares loquendo cum monialibus incurrant excommunicationem reservatam ab Episcopo latam,* respondet: *Affirmamus...; idque valet etiam respectu Regularium habentium speciale privilegium, ne Episcopus possit eos excommunicare.* Et rationem hanc addit: *Nam Episcopi in Monasteriis, etiam subiectis Regularibus, sunt Delegati Sedis Apostolicae, ut dicitur in Bulla Inscrutabilis Gregorii XV.* Quae quidem ratio alioquin nihil

tentiam, puta in dubio, utrum censura sit latae vel ferendae sententiae, etc. — *S. Lig. n. 32. et 67.*

950. — QUAER. 5° *An possit quis ligari pluribus censuris simul?*

Resp. Affirm. Nihil enim obstat quominus quis pluribus simul vinculis constringatur. Nam quemadmodum potest quis plura pa-

potest concludere, quandoquidem, ut ipse S. Doctor aiebat (*sup. n. 2.*), *contra hosce privilegiatos nequit Episcopus ferre censuras* ETIAMSI PROCEDAT UT DELEGATUS APOSTOLICUS. Quod idem repetit (*Lib. 7. n. 241.*) inquiens: *Tale privilegium hoc importare debet, ut contra eos Episcopus nec etiam ut Delegatus Sedis Apostolicae possit procedere.* Quod tamen et ipsum temperandum est; quia, ut in *Nota* ostenditur, utique cum huiusmodi privilegiato non potest Episcopus procedere *per censuras;* sed eiusmodi Regularis aliis poenis aut a Superiore suo, aut ab Episcopo coerceri ac puniri potest.

Caeterum S. Doctor hoc loco (*Lib. 7. n. 241.*) ad subiiciendum eiusmodi Regularem censuris, alia ratione utitur, quasi scilicet Gregorii XV. Constitutio eiusmodi privilegio quoad Monialium clausuram derogaverit. Quocirca subdit: *Hoc tamen intelligendum, si privilegium post Bullam Gregorii sit concessum, non vero si ante; dum in Bulla dicitur: Nullis privilegiis et exemptionibus tueri se possint* etc. Verum in *Nota* indicatum iam est, derogationem Gregorii, etiam Fagnano teste, non huc pertingere; quippe in ea Constitutionis paragrapho (prouti patet ex textu etiam apud S. Alphonsum descripto) ne minimum quidem *de censuris* mentio iniicitur; et alioquin etiam VV. fatentur, recta esse, quae in *Nota* leguntur.

4. Nonnulla iam et de iis, quae S. Doctor habet in Tractatu de Privilegiis. In primis itaque (*n. 75.*) scribit: *Hic notandum, quod adest responsum S. Congregationis ad Episcopum Nebidiensem 7. Febr. 1632, ubi generaliter loquendo dictum fuit: « In his, in quibus a iure communi, » a S. Concilio Tridentino, et a Constitutionibus Apostolicis tributa est » Episcopo iurisdictio in Regulares, potest illos etiam per censuras eccle» siasticas compellere.» Quare, sicut bene advertit Benedictus XIV* (*De Synod. Lib. 9. c. 15. n. 5.*), *Episcopi quoad celebrandas Missas possunt adigere omnes, quamvis Regulares, ad observanda non solum ea, quae statuuntur a Concilio, sed etiam quae statuuntur a se ipsis. Quare recte eminentissimus Card. Spinelli cum esset Archiep. Neapolis, die 5. Ian. 1743. praecepit sub poena suspensionis a divinis, etiam Regularibus, ne admitterent ad celebrandum in suis Ecclesiis aliquem sacerdotem advenam sine licentia Ordinarii.* Ita S. Alphonsus. Porro plura omnino sunt (ut diximus in Not. praec.), in quibus Regulares etiam exempti (quos nempe secernimus ab iis, quorum praelatus sit Episcopus) iurisdictioni Episcopi subsunt. Et Barbosa quidem (*De Offic. et Potest. Episc. Part. 3. Alleg. 105. a n. 14.*) enumerat duos et quinquaginta casus; Chockier vero (*De Iurisdict. Ordinarior. in Exemptos Part. 2. Q. 45.*) enumerat omnino centum et sexdecim. Cum vero, ut ipse S. Alphonsus docet (*sup. n. 1.*), *Regulares* sint simpliciter exempti a iurisdictione episcopali, consequens est, ut si quo in casu Episcopus iurisdictionem in Regulares habet, ea vel *a iure communi,* vel *a Concilio Tridentino,* vel *a Constitutionibus Apostolicis* ipsi Episcopo tribuatur, et contra eos Episcopus, ut docet idem S. Alphonsus (*Tr. 7. n. 241.*), in quolibet ex istis casibus *procedat ut Delegatus.* Ergo iuxta praemissum *Responsum S. Congr. ad Episcopum Nebidiensem,* quod S. Alphonsus (*De Privil. n. 75.*) addit confirmatum die 4. Iun. 1672., et iuxta consectaria inde ab eodem S. Alphonso post Benedictum XIV. deducta, dicendum erit, in omnibus casibus, quos aut Barbosa aut Chockier aut alii recensent, posse Episcopos ad officium Regulares etiam *per censuras ecclesiasticas* compellere.

trare peccata specie et numero diversa, ita etiam potest censuris specie et numero diversis simul innodari, v. gr. excommunicatione, suspensione (si Clericus sit) et interdicto, nec non pluribus excommunicationibus, etc. Imo ob unum delictum potest quis ligari simul a iure et ab homine, a Papa et ab Episcopo, ita ut ab utroque absolvi debeat, modo alter Superior novam intendat poenam imponere. — *Ita communiter et absolute probabilius iuxta S. Lig. num. 28.*

Hinc 1° Si quis unico actu duo committat peccata specie diversa, quorum unicuique sit annexa censura, duas incurret censuras, ex. gr. qui Clericum occidat in loco, ubi homicidium sub poena censurae prohibetur. Secus vero, si peccatum illud unicum non habeat malitias specie diversas. — *S. Lig. n. 28.*

2° Si quis iteret idem crimen, cui est annexa censura, actu moraliter distincto a primo, iterum eandem incurrit censuram; secus vero, si actus repetiti non sint inter se moraliter distincti. Sic percutiens Clericum ter vel quater, posito notabili intervallo in-

5. At vero ecce idem S. Alphonsus (*De Privileg. n. 77.*) scribit: *In tribus casibus potest Episcopus cogere Regulares ad obediendum, etiam adhibitis censuris: primum est ad restituendas res novitiis, ut dictum est: 2^m. ad observandam clausuram, loquendo de monialibus; 3^m. ad observandum totum id, quod ab Episcopo statutum est quoad Missarum celebrationem.* Ista porro longissime distant a mox praemissis, ubi idem S. Doctor cum Benedicto XIV tradebat, posse Episcopum per censuras ecclesiasticas contra Regulares procedere in *omnibus casibus*, in quibus iurisdictio illi in eosdem Regulares tribuitur. Nam quod S. Alphonsus memorando nunc tres istos casus loquatur *exclusive*, elucet ex iis, quae (*ibid.*) sic subiicit: *An deinde in aliis casibus supracitatis possit Episcopus cogere censura Regulares; affirmant Barbosa, Garzia, et alii; sed communius negant Sanchez, Lezana et Salmanticenses cum aliis, propter multa privilegia papalia, quae de hac re afferunt.*

6. Itaque sicuti quae in hac paragrapho tradit S. Doctor, non cohaerent cum iis, quae in eodem Tractatu (*sup. n. 4.*) docuerat; ita neque cohaerent cum iis, quae habet *Lib. 7. n. 26.*, ubi (*sup. n. 2.*) *generatim* negat, Episcopum contra privilegiatos posse per censuras procedere, etiamsi procedat ut Delegatus Apostolicus; et iterum neque cohaerent cum iis, quae disserit (*Lib. 7. n. 241.*), ubi negat Episcopum etiam quoad clausuram Monialium per censuras procedere posse, si Regulares *privilegia illa papalia* habeant, quae hic commemorat.

Sed huius sententiarum dissonantiae causa demum non est obscura, si advertatur, S. Alphonsum ea, quae habet *De Privil. n. 75.*, a Lambertinii Opere De Synodo (*Lib. 9. Cap. 15. n. 5.*) desumpsisse: quae habet *De Privil. n. 77.*, ea a Salmanticensibus (*De Privil. Cap. 3. §. 3.*) compendiatim mutuatum fuisse: quae pauca habet *Lib. 7. n. 26.*, ea ex Croix (*Lib. 7. n. 30.*) et Salmanticensibus (*De Cens. Cap. 1. n. 37.*) decerpsisse: aliunde vero ea, quae *Lib. 7. n. 241.* de clausura Monialium disserit. Nam Auctorem alioquin, qui implexissimam hanc quaestionem quoad omnes partes exacte pertractet, haud facile est invenisse: et alioquin, ut quoad singulas partes res satis clare elucescat, profecto diuturno ad id, atque impenso labore opus est, uti satis ex paucis illis, quae in Nota habentur, coniici potest.

ter singulas percussiones, incurrit tres vel quatuor censuras, dum unicam incurrit, si eum pluries continuo percutiat.

3° Pariter plures incurret irregularitates Sacerdos excommunicatus, qui plures poenitentes successive absolvat, quia toties novum confert Sacramentum (*a*). — *S. Lig. ibid.*

QUAER. 6° *An appellatio excuset ab incurrenda censura?*

Resp. 1° Appellatio legitima excusat a censura conditionali, modo fiat ante lapsum temporis ad implendam conditionem concessi.

Resp. 2° Appellatio legitima a censura iam lata, eam generatim non suspendit. Unde communis vox est Canonistarum, appellationem tunc *devolutivam* esse, non vero *suspensivam.—Ita Benedict. XIV.* Constit. *A militantis.*

QUAER. 7° *An censurae subiectum possit esse integra communitas?*

Resp. 1° *Neg.* quoad *excommunicationem,* nisi constet, omnes et singulas personas communitatis esse criminis participes, et in eo contumaciter persistere.

Resp. 2° *Affirm.* quoad *suspensionem,* ita tamen ut innocentes, si qui sint, feriat solum quoad functiones et iura ipsi communitati ut tali competentia, non vero quoad functiones ac iura, quae singulis singillatim competunt.

Resp. 3° *Affirm.* etiam quoad *interdictum;* quae censura id habet singulare, ut si generale sit, integram communitatem, et in hac etiam innocentes obstringat ex *Cap. Si civitas 17. De Sent. Excom. in VI.* Neque ideo tamen censuram ferens argui iniustitiae potest: quippe per tale interdictum proprie loquendo non puniuntur innocentes, sed Ecclesia iustas ob causas sua beneficia et officia tam nocentibus quam innocentibus subtrahit. *Communis.* — *Vide Schmalzgrueber Lib. 5. Tit. 59. n. 44.-46.*

ARTICULUS IV.

DE ABSOLUTIONE A CENSURIS

951. **Principia.** — I. Censurae non solvuntur per solam delinquentis poenitentiam vel obedientiam erga Ecclesiae mandata, nec per mortem illius qui censuram tulit; sed necessaria est absolutio a iudice seu Superiore legitimo impertita. Manifestum est ex cap. *Cum desideres de Sent. excomm., et prop. 44. ab Alexandro VII. damnata.*

II. A censura ab homine per sententiam particularem lata absolvere possunt tantum 1° qui censuram tulit; 2° eius superior; 3° eius successor; 4° alius ab horum quopiam delegatus. Ratio est, quia eius est absolvere, cuius est ligare (*b*). Idem dicendum de censuris a iure reservatis.

(*a*) Hoc exemplum ad rem non facit, quia certo non constat, plura hic numero distincta haberi peccata (*Vid. sup. n. 211. Q. 9.*).

(*b*) Idcirco id valet, etiamsi reus mutet domicilium. Hinc bene S. Alph.

III. Quilibet Confessarius absolvere potest a censuris non specialiter reservatis Papae vel Episcopo. Constat ex cap. *Nuper de Sent. excomm. — S. Lig. n. 70.* (*a*).

952. — IV. Episcopi ex privilegio a Synodo Trident. (*Cap. Liceat*) concesso absolvere possunt etiam a Papalibus censuris occultis, iis exceptis, quae *speciali modo* Pontifici sunt reservatae. *Vide dicta sup. de Privil. Episc. n. 124.* Quo tamen privilegio non gaudent Episcopi illarum regionum, in quibus Concilium adhuc receptum non est. Vid. Fagnanus (*In C. Dilectus de Temp. Ordin. n. 15.*), Suarez (*De fid. Disp. 41. Sect. 2. n. 6.*), Sanchez (*In Dec. Lib. 2. Cap. 11. n. 3.*) et Lugo (*De Fid. Disp. 23. n. 54.*). — Insuper a censuris Papae reservatis etiam non occultis in favorem eorum, qui

(*Lib. 7. n. 72.*) advertit, quod si quis in alienò territorio ita deliquit, ut ab illius loci Episcopo *specialiter* fuerit excommunicatus, non potest absolvi a proprio Episcopo, nisi de Episcopi excommunicantis licentia.

Nota autem, hoc dici de censura ab homine *per sententiam particularem;* nam censurae *ab homine* utique, sed *per generalem sententiam* latae, *iuxta probabiliorem* aequiparantur latis *a iure*, quae non sint reservatae; et idcirco reum potest absolvere quisquis in eum iurisdictionem habeat. Vid. S. Alph. (*Lib. 7. n. 73.*), et Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 39. n. 94.*).

** Cur vero hic VV. (*Pag. 948. n. 162.*) proponant doctrinam P. Gury ceu dissentientem a S. Alphonsi doctrina, vix intelligi potest. Nam postquam in Principio II. cuilibet sacerdoti negat fas esse absolvere a censuris *ab homine*, et deinde in Principio III. facultatem itidem negat cuilibet sacerdoti absolvendi ab utcumque reservatis aut S. Pontifici aut Episcopo, videtur omnia satis complecti. Unicum discrimen in eo est, quod Gury eodem hoc loco tradat ea, quae S. Doctor Alphonsus partim *n. 70.*, partim *n. 73.* habet, ut ex hac *Nota* patet.

(*a*) Addit S. Alphonsus, absolutionem hanc valere etiam pro foro externo; quae quidem sententia uti communior et probabilior admittitur. Vid. Suarez (*De Cens. Disp. 7. Sect. 5. n. 15.*), qui tamen recte monet (*ibid. n. 29.*), ubi publica sit censura (licet non iuridice denunciata), ad scandalum praecavendum constare palam debere de absolutione, ut quis publice tamquam absolutum se gerat. Satis tamen praecavetur scandalum, si palam constet, illum fuisse confessum habenti facultatem absolvendi, et satisfactio, si qua erat necessaria, fuerit exhibita.

Quoad privilegia tamen Regularibus concessa absolvendi a reservatis, Clemens X. statuit (Const. *Superna* §. *6.*): *Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam satisfacta parte, absolvere poenitentes a censuris quoad externum et iudiciale forum; et absolutos ab eis in foro poenitentiali utique non censeri absolutos in exteriori iudicio et contentioso. Quinimo censuris ecclesiasticis irretitos et denuntiatos ab Episcopis cogi posse, gerere se pro talibus, etiamsi a Regularibus fuerint absoluti.* Quod idem cavit Urbanus VIII. (*Const. In specula militantis*) quoad eos, qui ex privilegio *Bullae Cruciatae* sibi Confessarium eligunt, a quo absolvantur a casibus etiam Papae reservatis. Quae tamen declaratio extendi non debet ad alia indulta, sed singulorum formulae inspiciendae erunt.

An vero et quatenus absolutio a censuris, in foro conscientiae data, pro foro externo prodesse queat, et quomodo absolutus se gerere debeat, tum quando occulta tum quando notoria erat censura, et qua cautela utendum, ubi causa ad forum externum deducta sit, vid. Laymann (*Lib. 1. Tr. 5. Part. 1. Cap. 7. n. 7.*) et Bonacina (*De Censur. Disp. 1. Q. 3. Punct. 10. n. 3.*).

Romam pergere impediti sunt vel ad longum tempus, vel etiam in perpetuum, cuiusmodi censentur senes, pueri, mulieres, infirmi, pauperes, etc. Recole dicta de privilegiis Episcop. in *Tract. de Statib. n. 124. et in Tract de Poenitentia n. 576.* — *Vide S. Lig. n. 84. et seq.* — Hinc a Doctoribus communiter recipitur haec regula: Casus Papalis, superveniente impedimento adeundi Papam, fit Episcopalis. Imo censet *Castropalao* cum *aliis nonnullis,* absolutionem censurarum in hoc casu non ad solum Episcopum, sed ad quemlibet Confessarium spectare; et haec sententia non videtur improbabilis. — *S. Lig. n. 92.* — *Pichler lib. 5. Tit. 39. n. 14.* Sed huiusmodi absolutio dari nequit sive ab Episcopo, sive ab alio quolibet Sacerdote, nisi imposito poenitenti onere se sistendi Superiori, ubi impedimentum cessaverit (*a*).

V. Omnes Sacerdotes, ex *Conc. Trid. sess. 14. c. 7.,* a qualibet censura (atque adeo non solum ab *Excommunicationibus,* sed etiam a *Suspensionibus,* et *Interdictis*), utcumque reservata absolvere possunt eos, qui sunt in articulo mortis positi, sed (inquiunt Auctores) cum onere se praesentandi Superiori vel Delegato, si convaluerint. Sunt tamen qui opinantur, onus sistendi se Superiori dumtaxat habere locum, quando censura est notoria, aut res ad forum contentiosum deducta fuit, aut lex ipsa talem obligationem statuit. — Verum vide dicta ubi *de Poenitentia, n. 576.*

953. **Resolves.**— 1° Archiepiscopus, vel etiam Patriarcha (imo et Legatus a Latere) licet superior Episcopo, nequit suffraganeorum subditos absolvere, nisi in solo casu iustae appellationis aut visitationis ex officio, quia in aliis casibus non gaudet proprie dicta iurisdictione.

2° Superior ecclesiasticus vel delegatus absolvere potest a censuris, etsi non sit Sacerdos. Ratio est, quia iurisdictio, quae requiritur ad absolvendum a censuris, residere potest in Clerico etiam sola tonsura initiato.

3° Qui habet facultatem generalem absolvendi a Papalibus, non ideo potest absolvere a casibus *speciali modo* reservatis (ut olim in casibus Bullae Coenae,) nisi id explicite in concessione exprimatur; specialia enim non continentur per se in concessione generali. Pariter qui potest absolvere a *specialiter* reservatis, non ideo potest absolvere a censura absolventi complicem inflicta. *Declar. S. Offic. 17. Iun. 1866.*

4° Facultas concessa ab Episcopo pro peccatis reservatis non intelligitur pro reservatis cum censura; secus si concessio facta sit a Papa, quia casus papales omnes sunt reservati cum censura, duobus exceptis, scilicet: 1° accusatio falsa de sollicitatione contra Sacerdotem; 2° acceptatio munerum notabilium a Religiosis. Re-

(*a*) Hoc onus non imponitur, quando impedimentum censeri queat perpetuum. *Vid. dicta sup. n. 575. et ibid. not.*

putantur autem munera notabilia ea, quae decem scutatis aequivalent (*a*). — *Vide S. Lig. n. 5.* Adverte tamen hanc reservationem non afficere peccatum accipiendi munera; idcirco si quis cognoscens se accepta munera retinere non posse, ea restituat vel restituere velit, a quolibet Confessario absolvi potest. Reservatio igitur in hoc est, ut ille absolvi nequeat, nisi restituat, vel debiti remissionem a Papa obtineat, cum hanc Pontifex sibimetipsi reservaverit.

5° Danda est absolutio a censuris non tantum illis, qui certo, vel dubie illas incurrerunt, sed etiam cuilibet poenitenti, antequam absolvatur a peccatis, ut removeatur accipiendi Sacramenti impedimentum, si quod forte existat (*b*). — (*Ex Rit. Rom.*). Qua vero forma utendum sit, recole dicta ubi *de Poenitentia, n. 430.*

954. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An possit absolvi absens?*

Resp. Affirm., saltem *valide*. Ratio est, quia sicut poena potest statui in absentem, ita et tolli potest. Deducitur etiam evidenter ex *Iure can.* (*c*).

(*a*) Quid sibi illud velit, quod A. dicit de summa decem scutatorum, clarius disces ex Innocentio XII. in Const. *Romanus Pont.* 3. Sept. 1692., qua facultates Maiori Poenitentiario tributae continentur. *Munera* (inquit) *a Regularibus contra R. M. Clementis VIII... Constitutionem ultra valorem decem scutorum monetae recipientes... ante factam restitutionem non absolvat nec mandet absolvi; infra vero praedictum valorem non nisi facta arbitrio ipsius Poenitentiarii seu per eum eligendi Confessarii eleemosyna, quae in beneficium Religionis seu Conventus, cui de iure facienda esset restitutio, si caute fieri potest, erogetur, absolvat, seu mandet absolvi.* Et hoc ipsum habes in Benedicti XIV. Const. *Pastor bonus* 13. April. 1744.

Igitur non sic intelligenda sunt verba Auctoris, quasi esse non possint munera *notabilia,* quae valorem decem scutorum non attingant, aut quasi munera infra eum valorem ita retineri a donatario possint, ut non indigeat ea debiti remissione, quam sibi Sedes Apostolica reservavit; sed mere hoc sensu accipienda ea verba sunt, quod recipiens munera illum valorem excedentia absolvi a Maiori Poenitentiario non possit nisi imposita restituendi obligatione; si vero munera illam mensuram non excedant, absolvi recipiens possit, imposita obligatione alicuius tantummodo eleemosynae arbitrio eiusdem Poenitentiarii aut eligendi Confessarii determinandae.

(*b*) Cum usus sacramentorum excommunicatis interdicatur, absolutio ab excommunicatione semper praemitti absolutioni a peccatis debet. Ubi autem non constat, poenitentem ea ligari, absolutio mere praemittitur ad cautelam.

(*c*) Si tamen agatur de facultate concessa Episcopis a Synodo Tridentina *in Cap. Liceat* (*Vid. supr. n. 952.*), ut possint *quoscumque sibi subditos in dioecesi sua absolvere,* iuxta verisimiliorem interpretationem, quam post Suarez (*De Cens. Disp. 41. Sect. 2. n. 11. seqq.*) amplectitur etiam Lugo (*De Fid. Disp. 23. n. 73–76.*), dicendum videtur, posse quidem Episcopum absentem e dioecesi absolvere poenitentem in dioecesi existentem, sed non viceversa. Quam interpretationem ipse De Lugo ex quadam S. Congr. Declaratione confirmat.

Neque huic resolutioni obstare debet, quod S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 593. et Lib. 7. n. 81.*) cum Barbosa (*De Offic. et Potest. Ep. Part. 2. Alleg. 39. n. 8.*) et nonnullis aliis censeat, illa eiusdem Capitis verba *Pro foro conscientiae,* idem valere, *ac in sacramentali Confessione.*

QUAER. 2° *An Episcopus absens absolvere possit existentem in dioecesi?*

Resp. Affirm. iuxta omnes. Ratio est, quia ad absolutionem non requiritur cognitio causae, nec strepitus iudicialis; et proinde nihil obstat, quominus Episcopus talem actum iurisdictionis in alieno territorio exerceat. Secus tamen, si iudicialis strepitus quandoque requiratur. — *S. Lig. n. 21.*

955. — QUAER. 3° *An possit absolvi invitus?*

Resp. Affirm. Ratio eadem est, ac mox allata: etenim sicut poena in absentem et invitum ferri potest, sic etiam ab eo auferri; attamen id fieri non expedit sine ratione valde gravi, et cavendo

Nam, ut bene ait Lugo (*l. c. n. 64.*), *contraria sententia communis est fere omnium:* idque patet ex prolixo DD. catalogo, quos pro ipsa exhibet etiam Barbosa (*l. c.*). *Et quidem* (pergit Lugo) *ex verbis Tridentini non potest contrarium sufficienter probari; et ex principiis generalibus deduci videtur, cum constet, absolutionem a censuris posse separari ab absolutione a peccatis. Nec limitatio illa*, Pro foro conscientiae, *cogit ad hoc, ut fiat in sacramento: nam verba illa alium habent sensum, nempe ne prosit absolutio haec pro foro externo; in quo quantumvis aliquis absolutus sit ab Episcopo pro foro conscientiae, habebitur tamquam non absolutus, et punietur omnibus iuris poenis.* Ipse deinde difficultatem solvit, quae peti ex binis S. Congr. Declarationibus forte posset; quae quidem solutio optime quadrat etiam in illud, quod Fagnanus (*In C. Dilectus De Temp. Ordin. n. 35. 36.*) narrat declaratum fuisse a Gregorio XIII.; neque enim controversia tunc agitabatur, num intra sacramentum Poenitentiae, an extra illud posset Episcopus absolvere, sed utrum vi Capitis *Liceat* absolvere *istas illasve personas* posset.

Caeterum quod quisquis potestatem habet absolvendi a censura *in foro conscientiae*, possit id praestare etiam extra confessionem, communis est sententia, de qua et S. Alphonsus generatim convenit (*Lib. 7. n. 126.*): nec nisi memoriae lapsui tribui debet, quod Busembaum (*apud S. Alph. l. c.*) ceu contrarios exhibeat Suarezium et Navarrum, qui plane cum reliquis consentiunt (*Vid. Suarez De Voto Lib. 6. Cap. 16. n. 4., et Navarr. Consil. Lib. 5. De Privilegiis Cons. XI. n. 2.*).

Quod vero summopere advertendum est, id ipsum valet, etiamsi 1° data sit facultas absolvendi *in foro poenitentiae.* Vid. Bonacina (*De Cens. Disp. 1. Q. 3. Punct. 6. n. 8.*), et Suarez (*De Leg. Lib. 8. Cap. 6. n. 16.*); vel 2° facultas committatur *sacerdoti* aut *sacerdoti confessori,* aut etiam *sacerdoti audienti confessiones.* Vid. Suarez (*De Leg. Lib. 8. Cap. 6. n. 16.*); imo 3° etiamsi detur facultas absolvendi, *audita confessione.* Vid. Sanchez (*De Matrim. Lib. 8. Disp. 16. n. 11.*), Emman. Rodriguez (*Quaest. Regul. Tom. 1. Q. 61. art. 7.*), Gaspar Hurtado (*De Excom. Disp. 15. Diffic. 5. n. 17. 18.*), Avila (*P. 2. Cap. 7. Disp. 3. Dub. 13.*), Aegidius Coninck (*Disp. 14. De Excom. Dub. 16. n. 252.*), et, aliis omissis, Felix Potestas (*Exam. Confess. n. 3460.*).

Quisnam autem usus huius doctrinae esse queat, sic indicat Coninck (*l. c. n. 251.*), nempe *ut si reus non sit paratus, ut statim confiteatur, et adsint causae, ob quas expediat eum statim* (ab excommunicatione, aut suspensione, aut interdicto) *absolvi; idemque dici posset, quando ei, qui habet potestatem absolvendi a censuris reservatis, non vacaret audire integram confessionem; tunc enim posset audire solos casus, qui habent adnexam excommunicationem, et tunc ab hac absolvere, et poenitentem mittere ad alium, qui audita confessione absolveret a peccatis. Ita cum aliis Avila P. 2. Cap. 7. Disp. 3. Dub. 13.*

ne dum ille a contumacia non cessat, censura contemptui habeatur. — *S. Lig. n. 117.*

Quaer. 4° *An ille, qui est obstrictus pluribus censuris, possit absolvi ab una, remanentibus aliis?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia inter eas non est necessaria connexio. Et peccata quidem mortalia absolvi alia sine aliis nequaquam possunt; secus autem est de censuris, quarum absolutio non confert gratiam sanctificantem censurato. Habentur ergo instar catenarum, quarum aliae sine aliis solvi possunt.

Quaer. 5. *Utrum absolvi possit a censuris ille, qui nondum publice reparavit scandalum, propter quod censurae subiacebat?*

Resp. Neg., saltem *per se* et generatim loquendo. Constat ex Declaratione *S. Poenit.* die 5. Iulii 1837. (*a*).

(*a*) Huc quaestio pertinet de absolutione, quae, *parte non satisfacta*, conferatur. De qua illud certum est, illicitam eam esse, sive ab Ordinario, sive a Delegato ipsa sic detur, *tum ob iniuriam parti factam, tum quia* (sic absolvens) *violat iuris ordinem, praescribentis realem satisfactionem praemitti, si fieri possit*, ut ait Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 39. n. 101.*).

Tres tamen casus, uti par est, excipiuntur: 1° Quando pars laesa iniuriam remittit; 2° Quando pars laesa reiicit *iustam* satisfactionem, quia tunc iam non per reum stat, quominus offenso condigne satisfiat; 3° Quando reus impotens est ad satisfaciendum; tunc enim iudex (ut notat S. Alphonsus *Lib. 7. n. 128.*) non solum potest, sed debet eum absolvere, et potest ad id compelli ex *C. Qua fronte 25. De Appellat.;* quia cessante contumacia, debet reus absolvi. Qua de re egregie Suarez (*De Cens. Disp. 7. Sect. 5. n. 41.*) haec addit, quae ad praxim faciunt: *Censeo,.... iuxta negotii qualitatem et conditionem personae et alias occurrentes circumstantias considerandum esse, an poenitens possit* moraliter *prius cum effectu satisfacere, quam absolvatur a censura, et tunc id praemittendum esse; si vero non possit, nec etiam absolutio differri possit, nisi per multum tempus, vel cum magno detrimento, tunc censeo, posse absolvi, si satisfaciat eo modo, quo de praesenti potest, idest praestando cautionem, vel pignoratitiam, si potest, vel iuratoriam, si maiorem non potest, et exhibendo talia signa poenitentiae et propositi, ut confessor* probabiliter *iudicet, absolutionem et profuturam ipsi poenitenti, et non impedituram, seu futuram occasionem, quominus comparata potestate postea satisfaciat.... Ratio autem huius sententiae est, quia cum Pontifex ait,* satisfacta parte, *intelligendus est*, quantum poenitens satisfacere potest; *quia non est verisimile, Pontificem postulare conditionem impossibilem.*

Non tamen omittendum, quod de cautionibus exigendis habet Diana (*Tom. 5. Tr. 1. Res. 186. n. 2.*) Io. Valerum et Henriquez allegans: *Dicendum est igitur probabiliter, quod ille processus satisfactionis, et cautionis pignoratitiae et iuratoriae, videtur intelligendus pro foro exteriori; nam in foro poenitentiali, deficiente possibilitate poenitentis, propositum eius firmum tantum valet, quantum datio pignorum vel fideiussorum in foro iudiciali. Ergo in foro conscientiae satis erit credere poenitenti.*

Sed interim prae oculis habendum est et monitum, quod tradit Reiffenstuel (*Lib. 5. Tit. 39. n. 270.*). *Quamvis Laymann* (inquit) *recte notet, pro foro interno, spectata qualitate personae, sufficere etiam nudam promissionem, vel fidei interpositionem censurati, si censura est occulta: tamen etiam idem recte monet* (*Lib. 1. Tr. 5. Part. 1. c. 7. n. 7.*), *Regulares privilegiatos cavere debere, ne etiam pro solo foro interno absolvant aliquem, vi iuris communis aut sententiae generalis notorie censuratum,*

CAPUT II.

DE CENSURIS IN SPECIE, NEMPE 1° DE EXCOMMUNICATIONE; 2° DE SUSPENSIONE; 3° DE INTERDICTO

ARTICULUS I.

DE EXCOMMUNICATIONE

Agendum 1° de eius natura et divisione; 2° de eius effectibus; 3° de excommunicationibus in particulari.

v. gr. excommunicatum, vel cuius excommunicatio iam fuit deducta ad forum contentiosum, priusquam parti laesae actu satisfecerit; quia alias, si talis reus saltem pro foro interno absolutus iam existit, ab Ecclesia non tam facile adigi valet ad satisfaciendum parti laesae; quod bene observare habent Confessarii Regulares; quamvis et in huiusmodi notorie excommunicatis circumstantiae suadere possint, ut ad solam praeviam cautionem vel promissionem absolutio pro foro interno prudenter dari queat.

Quod vero attinet ad validitatem absolutionis, *parte non satisfacta*, impertitae, duo penes omnes constant, nempe 1° validam esse absolutionem, si conferatur ab Ordinario; 2° invalidam vero esse a Delegato collatam, si satisfactio partis iniungatur *tamquam conditio:* manifeste enim patet, facultatem *cum conditione* delegatam, non concedi et idcirco nec valere, *conditione non purificata.*

Quaestio vertitur, an quando a Pontifice datur facultas absolvendi cum illa clausula, *Satisfacta parte,* haec accipienda sit ceu conditio, *sine qua non* conceditur facultas. Et S. Alphonsus quidem (*Lib. 7. n. 121.*) probabiliorem habet sententiam affirmantem, licet et oppositam concedat esse probabilem. Contra vero Salmanticenses (*De Cens. Cap. 2. n. 25.*) et Bonacina (*De Cens. Disp. 1. Q. 3. P. 9. n. 3.*) probabiliorem censent negantem, et hanc probabilissimam dicit Sanchez (*De Matr. Lib. 3. Disp. 33. n. 6.*). Alii vero graves DD. eam absolute docent; e quibus satis sit nominare Reiffenstuel (*Th. Mor. Tr. 15. Dist. 2. Q. 5. §. 1. n. 107.*), Pirhing (*In Lib. 5. Tit. 39. n. 163.*), Hurtadum, aliosque, e quibus aliquos memorat etiam S. Alphonsus (*Lib. 6. n. 537. q. VII.*).

Et quidem haec sententia innititur principio apud omnes recepto. Distinguunt nimirum DD. (*Vid. Sanchez De Matrim. Lib. 3. Disp. 33. n. 3.*), utrum in commissione seu delegatione exprimatur *forma iuris communis eo modo, quo iuri inest*, an vero communi iuris formae addatur *aliquis limitatus modus.* In priori casu, nempe si in delegatione mere exprimatur communis forma iuris, statuunt, non esse intentionem committentis inducere novam formam seu *conditionem,* sed esse *admonitionem quandam,* ut servetur forma communis; quare ea praetermissa, non irritatur actus, qui alias esset validus, si in commissione forma illa non exprimeretur. Secus vero in casu posteriori; nam additio illa ad communem iuris formam importat conditionem. Vid. Sanchez, qui (*l. c.*) rem et exemplis illustrat, et confirmat auctoritate Glossae et Canonistarum. E quibus Covarruvias (*In C. Alma P. 1. §. 9. n. 8.*), *Communi,* inquit, *omnium sententia adnotatur, minime inducere formam nec conditionem ea, quae iure insunt, etiamsi ab homine expressa fuerint.* Quod notat, ut evincat, validam, licet iniustam, esse excommunicationem latam a delegato non prae-

§. I. *De natura et divisione excommunicationis.*

956. — Definitio. *Excommunicatio* est censura, per quam quis privatur communione Ecclesiae; seu censura, qua christianus bonis spiritualibus Ecclesiae communibus, quorum distributio ad ipsam pertinet, vel omnino vel ex parte privatur (*a*).

Veteri iure distinguebatur 1° *maior,* quae privat omnibus bonis Ecclesiae communibus (*b*); 2° *minor,* quae bonis aliquibus tan-

missa trina monitione, etiamsi in mandato haberetur clausula: *trina monitione praemissa.*

Navarrus autem (*Man. Cap. 27. n. 37.*) memorata Glossa *ad Clement. Unic. De offic. Delegati ad v. repererit,* quam *receptissimam* dicit, et in qua disertissime continetur principium, de quo sermo, postquam praemisit, invalidam fore absolutionem, si delegatus non servet formam, *quae sit alia, quam iuris,* subdit: *Dixi,* Alia quam iuris; *quia ut pridem respondimus, absolutio data virtute mandati Papae ad absolvendum secundum formam iuris, valet, quamvis ea non servetur, ut valeret facta sine illa ab Ordinario auctoritate ordinaria; quia non fuit intentio Papae inducere novam formam per illa verba* (Satisfacta parte), *sed admonere commissarium id, quod secundum ius debet facere; quod in simili dixit Innocentius, etc.* Idem principium videsis inculcatum et a Reiffenstuel (*Th. Mor. Tr. 15. Dist. 2. n. 107.*), et Laymann (*De Cens. Part. 2. Cap. 6. n. 8.*).

Unica ratio, quae pro opposita sententia solet afferri, ea est, quod *ablativus absolutus,* cuiusmodi est forma *Satisfacta parte,* importet *conditionem,* prouti advertit Benedictus XIV. (*Instr. 87. n. 68.*). Cui facile respondetur, id pertinere ad illud argumentorum genus, quae *convenientiae* appellari solent, quaeque passim fallunt, nisi quod interdum vera fortuito sunt *ratione materiae,* seu, ut ait Laymann (*l. c.*), quod requisita conditio ad substantiam actus pertineat. Et huiusmodi sane in opinione Benedicti XIV. erat *ablativus ille absolutus,* de quo agebat, *Certiorata parte; siquidem* (ut ait) *illud Poenitentiariae mandatum innititur iuri communi, quod pro matrimonio rite confirmando expostulat novum a coniugibus consensum, etc.* Contra fallit in exemplo, quod habes penes Sanchez (*l. c. n. 6.*), cum facultas datur assistendi matrimonio, *praemissis denuntiationibus.*

Quod vero nonnulli aiunt, *delegantem non censeri facultatem dare absolvendi non satisfacta parte, quia illicitum hoc est;* id ita solvit ex communi sententia Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 39. n. 101.*): *Neque inde fit, peccare delegantem concedendo facultatem absolvendi valide non satisfacta parte; nam sicut Ecclesia non peccat concedens Ordinario hanc potestatem, ita nec Ordinarius peccabit, si eo modo deleget illam, quo ipse habet; satis enim iuri tertii cautum est, dum absolutio huiusmodi prohibetur.* Sed de his, pro modulo notae, iam satis multa.

(*a*) Cum bona, in quibus fideles inter se communicant, sint triplicis generis, nimirum 1. *interna,* 2. *mere externa,* 3. *mixta;* Ecclesia excommunicando privat dumtaxat communione in bonis *secundi,* et *tertii* generis.

(*b*) Nomine *excommunicationis* fere semper in iure intelligitur *Maior,* ut notat ex communi sententia etiam S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 133.*); tamen ante Gregorium IX. subinde veniebat etiam *Minor.* Vid. Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 39. n. 119.*).

Vox autem *anathema* usurpatur in SS. Canonibus modo ad distinctionem excommunicationis *minoris,* ut in *C. Engeltrudam 12. Caus. 3. Q. 4.;*

tum privabat. Verum haec per Constitutionem *Apostolicae Sedis* sublata dicenda est. In ea enim dicitur: *Hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant.* Porro quae dicitur *excommunicatio minor,* de qua n. seq. quaes. 2., Constitutioni praedictae nullo modo inserta est. Ergo. Cessatio tamen huius poenae non efficit, ut culpa quoque cesset, quam quis cum excommunicato *vitando* incurrit.

Excommunicati excommunicatione *maiori,* alii dicuntur *tolerati,* quos fideles non tenentur vitare; alii *non tolerati* seu *vitandi,* quos fideles vitare debent (*a*).

957. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An ut vitari debeat excommunicatus vitandus, oporteat, ut sit publice notus, quatenus talis?*

Resp. Affirm. Non enim sufficit, ut scias esse vitandum, sed requiritur insuper, ut factum istius excommunicationis sit vere notorium, scilicet ut a iudice competente fuerit nominatim et publice excommunicatus, vel denunciatus ut iam excommunicatione ligatus. — *S. Lig. n. 137.* Ille vero est nominatim excommunicatus, qui expresso nomine designatur verbis aut signis adeo indubiis, ut ab aliis omnino secernatur. — *S. Lig. n. 136.*

Advertendum vero est, quod, licet non tenearis vitare excommu-

modo ad significandam excommunicationem inflictam ob haeresim, vel eius suspicionem; denique ad significandas quasdam solemnitates, cum v. gr. excommunicatio denunciatur accensis candelis et postmodum extinctis, aliisque caeremoniis ab Ecclesia institutis (*Schmalzgr. l. c. n. 117.*).

(*a*) Iure antiquo quicumque maiorem excommunicationem sive a iure sive ab homine latam incurrissent, vitandi erant, eo solum cum discrimine, quod ii, quorum excommunicatio publica ac notoria erat, publice essent vitandi; ii vero, quorum excommunicatio publice non erat nota, tantum privatim vitandi ab iis essent, qui conscii erant. Cuius disciplinae vestigium extat etiam in *C. Cum non ab homine 14. De Sent. Excom.* — Verum iure novo, ad praecavenda varia peccata ac scandala, quae conscientiis timoratis accidere posse animadversum fuit, Christi fidelibus fuit indultum, ut nemo abstinere teneretur a communione alicuius quacumque censura sive a iure sive ab homine ligati, nisi sententia contra personam certam a iudice specialiter et expresse publicata fuerit, vel nisi eum per sacrilegam iniectionem manuum in clericum excommunicationem a canone latam adeo notorie constiterit incurrisse, ut factum non possit aliqua tergiversatione celari, aut aliquo suffragio excusari.

In Constitutione Synodi Constantiensis a Martino V. approbata, per quam novum hoc ius inductum est, etiam haec verba (prouti illa in Conc. Basileensi et Bulla Leonis X. in Conc. Lateranensi recitatur) adduntur: *Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos, non intendimus in aliquo relevare, neque eis quomodolibet suffragari.* E quibus communis omnium doctrina existit, ex praefata Constitutione nihil commodi, quod iure sibi vindicare possint, censuratis obvenire.

nicatum non denunciatum, potes tamen eum vitare, etiam publice, si publice notus est ut excommunicatus (*a*). — *S. Lig. n. 157.*

Excipitur autem qui sacrilegas manus in Clericum iniecerit, ita ut eius delictum neque alia tergiversatione celari, neque ullo pacto excusari possit. Hinc statim, et ante ipsam iudicis sententiam incurrit excommunicationem, atque vitari debet. Ita expresse *Martinus V.* Bulla *Ad evitanda scandala* (*b*).

QUAER. 2° *Quid de excommunicatione* MINORI *modo abrogata tenendum sit?*

Resp. Haec pauca teneto:

1° Non incurrebatur nisi propter *communicationem* cum vitando. Hinc in praesenti Ecclesiae disciplina rarissima est, cum valde raro excommunicati vitandi appareant (*c*).

2° Privabat tantum perceptione Sacramentorum (*d*), et electione passiva ad beneficia et dignitates Ecclesiae. Hinc non privabat facultate administrandi Sacramenta. Et proinde neque graviter peccabat, neque *probabilius venialiter,* qui irretitus tali excommunicatione Sacramenta ministraret.

(*a*) Superius allata est ratio, quia nimirum facultas fidelibus facta non vitandi istiusmodi excommunicatum, est solum in illorum favorem, non in ullum huius commodum.

(*b*) Haec Constitutio, prouti inserta est Actis Concilii Basileensis, et Bullae Leonis X. in Conc. Lateranensi, et prouti etiam eam legebat Navarrus (*Man. C. 27. n. 35.*), in postrema parte non notorios Clericorum percussores, sed prorsus omnes notorie excommunicatos, licet non denunciatos nominatim, *vitandos* praecipit. Unde Fagnanus (*In C. Quod a Praedecessore, De Schismaticis n. 55.*) contendit, evitandos esse quoscumque, qui facti notorietate certo dignoscuntur in excommunicationem incidisse. At id consuetudine receptum solum quoad notorios clericorum percussores (prouti Constitutio edita videtur in Constantiensi Synodo) ipse quoque Navarrus (*l. c.*) testatur. Fagnani vero opinio *communiter reiecta est,* ut ait Benedictus XIV. (*De Synod. Lib. 12. Cap. 5. n. 4.*), qui deinde plurium DD. suffragio id confirmat.

Addit (*ibid.*) Benedictus XIV., mirum esse, quod Acta Concilii Constantiensis in nulla prorsus Conciliorum Collectione vel minimam mentionem iniiciant huius Constitutionis; cuius proinde tota auctoritas desumatur ex testificatione S. Antonini. Verum quod ipse neque apud Labbeum, neque apud Vonderhart, neque in Supplementis Mansii reperit, id reipsa extabat penes Harduinum (*Conc. Tom. 8. Col. 892.*), e quo etiam in amplissimam novam Conc. Collectionem (*Tom. 27. Col. 1189.*) deinde receptum est.

Caeterum communis sententia, quae solum excipit notorios clericorum percussores, evincitur ex hisce ipsius Constitutionis verbis: *Salvo, si quem pro sacrilegio et manuum iniectione in clerum, sententiam latam a canone adeo notoria constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo iuris suffragio excusari. Nam a communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri, iuxta canonicas sanctiones.*

(*c*) Praeceptum hoc violando, graviter peccabat ex *C. Si celebrat fin. De cleric. excom.*, quod sic se habet: *Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea, quae ratione iurisdictionis sibi competunt, exercere.* Vid. Schmalzgr. *(Lib. 5. Tit. 39. n. 198.).*

3° Quilibet Sacerdos ab Episcopo approbatus ab illa absolvere poterat. Sic enim usus invaluerat. — *Ita omnes.*

958. — Quaer. 3° *An requireretur culpa gravis ad incurrendam excommunicationem minorem?*

Resp. Neg.; sed sufficiebat culpa venialis (*a*) plene deliberata. Ratio afferebatur, quia non privat bono adeo notabili, et facillime illius absolutio obtineri potest a quocumque Sacerdote. Non tamen omitti poterat in confessione culpa, ob quam illata fuerat excommunicatio minor, licet esset venialis, quia Sacramenti perceptionem impediebat. — *S. Lig. n. 153. 154.*

§. II. *De effectibus excommunicationis.*

959. — Effectus excommunicationis octo numerantur (*b*), scilicet 1° privatio Sacramentorum; 2° privatio divinorum Officiorum; 3° pri-

(*a*) *Hoc intelligendum censeo de peccato veniali ex levitate materiae, ut quia communicatio parva est, in aliqua salutatione, aut colloquio, aut communi mensa; at vero si peccatum sit veniale ex imperfecta deliberatione et advertentia, probabilius mihi videtur, non incurri censuram.* Suarez (*De Cens. Disp. 24. Sect. 3. n. 3.*).

(*b*) Isti excommunicationis effectus dicuntur *immediati*, quos DD. distinguunt ab aliis, quos *mediatos* dicunt. Hi autem sunt 1° *Irregularitas*, quam incurrit, quisquis maiori excommunicatione innodatus exercet actum alicuius Ordinis, v. gr. conferendo sacramenta, etc. De quo infra ubi de Irregularitate.

2° *Suspicio haeresis*, quam ille incurrit, qui toto anno contumaciter in excommunicatione persistat, seu *insordescat;* ratio, quia hic praesumitur male sentire de potestate Ecclesiae, dum nihil curat tum de censuris ab ipsa latis, tum de sacramentis, quae contra Ecclesiae praeceptum ab eo omittuntur. Vid. Bonac. (*De Cens. Disp. 2. Q. 2. P. ultim. n. 2.*), et Suarez (*De Cens. Disp. 17. Sect. 1. n. 6.*). Et huc pertinet illud Synodi Trid. (*Sess. 25. De Ref. Cap. 3.*): *Si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tamquam de haeresi suspectum, procedi possit.* Quod tamen La-Croix (*Lib. 7. n. 287.*), quem secutus est S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 157.*), abs re transfert ad censuras omnes; nam expresse contextus Synodi spectat *excommunicatos.* Duo autem sunt advertenda. Primum est, hoc intelligendum esse de excommunicatis *denunciatis* nominatim. Ita Covarruvias (*In C. Alma P. 1. §. 7. n. 10.*), Sayrus (*De Cens. Lib. 2. Cap. 10. n. 10.*), Marius Alterius (*De Cens. Lib. 2. Disp. 8. Cap. 3.*), Ugolinus (*De Cens. Tab. 1. Cap. 14. §. 3. n. 34.*), etc. Alterum est, hanc esse suspicionem *levem,* utut sufficiat ad indicendam reo purgationem. Vid. Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 39. n. 195.*).

3° *Probatio delicti* seu causae, ob quam lata est excommunicatio. *Nam qui ob causam civilem vel criminalem a iudice excommunicatus est, et in ea excommunicatione per annum perseverat, nullo ostenso impedimento, aut satisfactionis signo, pro convicto et confesso haberi debet ex C. Rursus 36. et seq. 37. Caus. 11. Q. 3.; quia ea contumacia fictione iuris reputatur confessio. Permittitur tamen ipsi, ut allegare et probare innocentiam suam possit.* Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 39. n. 196.*).

4° *Privatio beneficiorum* obtentorum, si de persona ecclesiastica agatur, et crimen, ob quod citatus in antecessum fuit, tali privatione dignum sit. Qua de re Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 39. n. 197.*) communem sic bre-

vatio suffragiorum Ecclesiae; 4° privatio sepulturae ecclesiasticae; 5° privatio iurisdictionis ecclesiasticae; 6° privatio beneficiorum; 7° privatio communicationis forensis; 8° privatio societatis civilis.

viter doctrinam exhibet: *Excommunicatus triennio perseverans in excommunicatione indurato animo, a iudice privari debet beneficiis omnibus; quia indignus est, ut fructibus Ecclesiae gaudeat, qui adversus illam ita rebellis existit, et ita fecit Pontifex Cap. Cum bonae 8. De aetat. et qualit.... Ob annalem perseverantiam etsi possint iudices hanc poenam privationis beneficiorum irrogare, non tamen tenentur, quia nunquam cavetur in iure haec obligatio.*

** Adversus id, quod in hac *Nota* n. 2. dicitur, nempe *abs re* Croix *illud transferre ad omnes censuras,* quod iura et DD. dicunt de excommunicatione, nimirum suspectum fieri de haeresi, qui per annum in ea insordescat, VV. in primis (*Pag. 877.*) opponunt, quod Croix *non directe sed indirecte ex citato Tridentini textu illud probat dicendo: Convenit etiam aliis censuris.*

Resp. VV. scilicet hisce defendere contendunt S. Doctorem Alphonsum, qui dicit, *a Croix id probari ex Tridentino.* Sic enim S. Doctor scribit (*Lib. 7. n. 157.*): *insordescere est per annum animo pertinaci et cum contemptu potestatis Ecclesiae perseverare in eadem excommunicatione, sive in alia censura, ut dicit Croix Lib. 7. n. 287, et probat ex Tridentino Sess. 25. Cap. 3.*

Verum Croix utique ex Tridentino probat, *quid sit* insordescere, sed nihil aliud. Sic enim ait (*Lib. 7. n. 287.*): *Insordescentia praecipue dicitur ratione excommunicationis, attamen etiam convenit aliis censuris. Ille autem dicitur insordescens in censura, secundum Tridentinum relatum n. 18., qui animo pertinaci et cum contemptu potestatis ecclesiasticae perseverat in censura per annum.* Quod si ex Tridentino voluisset probare etiam illud, quod addit de *aliis censuris,* allegationem Tridentini iunxisset ad verba illa praecedentia: *attamen etiam convenit aliis censuris,* quae suo marte addidit et contra omnium DD. sententiam, non vero ea apposuisset ad sequentem periodum. Excusari autem Croix solum potest eatenus, quatenus voluit indicare, contumaciam, quam insordescentiam dicemus, posse contingere etiam in iis, qui alia censura fuerint innodati: quod quidem noverant omnes, etsi hoc ipse tacuisset.

Caeterum quorsum Tridentinum Croix invocasset pro inani illa abs re additione, cum Tridentinum mere de excommunicato agat? Sic enim Synodi Decretum (*l. c.*): *Excommunicatus vero quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta et communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur; sed si obduratus animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tamquam de haeresi suspectum procedi possit.* Quae quidem Tridentini verba tantum abest, ut applicari alia censura innodatis possint, quantum a iure et consuetudine Ecclesiae abhorret, ut mere suspensus aut interdictus *in communionem ac familiaritatem fidelium recipi non possit.*

Quod vero caput est, Croix in sua insordescentiae definitione illud omisit, quod ante omnia erat advertendum, videlicet in Decreto Tridentino agi de eo, contra quem, *post institutam causam iudicialem,* propter contumaciam *nominatim* et *ab homine* excommunicationis poena lata fuerat. Quae quidem licet deinde argui aliquo modo possint ex iis, quae idem Croix (*l. c. n. 288-291.*) de diversis causis subdit; tamen cum apud S. Alphonsum id penitus omittatur, huius sententia, generalibus verbis sic expressa, ad absonas conclusiones facile inducere potest, ad quaslibet videlicet etiam a iure latas censuras.

Ad defendendam anomalam illam Croix extensionem Tridentini De-

Bona, quibus privat excommunicatio, his versiculis comprehenduntur:

> **Res sacrae, ritus, communio, crypta, potestas,**
> **Praedia sacra, forum, civilia iura vetantur.**

creti ad quamlibet censuram, VV. (*Pag. 878.*) sic arguunt: *Ante Concilium Tridentinum Canonistae communiter tenuerunt, quemlibet excommunicatum, per annum in excommunicatione perseverantem, de haeresi suspectum fieri, quamvis id in iure expressum non fuit. Si autem ipsis licuit, casum particularem certis conditionibus circumscriptum propter identitatem rationis ad omnes casus excommunicationis extendere: eodem sane iure dispositionem Concilii Tridentini, propter eandem identitatem, ad caeteras extendere licet.*

Resp. Omissa parte historica, 1° *Nego antecedens;* 2° *Nego Consequentiam.* Dixi, *omissa parte historica;* quia VV. numquam probabunt, non receptum usu fuisse, ut contra contumaces per annum, postquam propter praecedentem aliam contumaciam iam fuerant nominatim et publice excommunicati, etiam ante Tridentinum procederetur tamquam contra suspectos de haeresi. Quocirca sin minus iure scripto, id tamen consuetudine iam inductum supponi merito potest.

Dixi autem, *Nego Antecedens,* idest Canonistas *Casum particularem ad omnes casus excommunicationis extendisse.* Ut enim aliqua proprii nominis *extensio* habeatur, requiritur, ut eadem iuris dispositio, et (in casu praesenti) eadem poena ad aliam causam, seu alia subiecta extendatur. Atqui in praesenti neque poenam neque causam communem ullo modo inter utrumque casum habemus. Idque paucis fit palam. Nam dispositionem iuris, quam VV. dicunt a Canonistis fuisse ad alios casus extensam, est huiusmodi (*Cap. Cum Contumacia 7. De haereticis in VI.*): *Cum contumacia (in causa praesertim fidei) suspicioni praesumptionem adiiciat vehementem: si suspectus de haeresi revocatus a vobis, ut de fide respondeat, excommunicationis vinculo (pro eo, quod parere subterfugit aut contumaciter se absentat) per vos fuerit innodatus, quam per annum animo sustineat pertinaci, et tunc velut haereticus condemnetur.* Itaque 1° poena, hic intentata, est *damnatio rei velut haeretici;* 2° crimen seu causa ob quam quis fuerat citatus, *est haeresis suspicio.* Porro in alio casu 1° *crimen* seu causa, ob quam contumax post citationem fuerit excommunicatus, non est suspicio haeresis; 2° poena, quae contumaci etiam post excommunicationem intentatur, non est poena haeretici propria, sed solum ut citari deinde reus possit, ceu de haeresi suspectus. Ergo nihil est commune inter casum et casum, atque adeo nulla hic adest proprie dicta *extensio.* Multo vero minus vel umbra quaedam huius extensionis invenietur, si praedictam illam iuris dispositionem cum VV. post Croix et S. Alphonsum transferas AD OMNES CASUS EXCOMMUNICATIONIS, quando Decretum Tridentinum, ut iam diximus, unice spectat ad contumacem per annum in illa *speciali excommunicatione,* quam inflixerat iudex propter antecedentem rei contumaciam, nimirum quod reus citationi ob aliam causam seu civilem seu criminalem non pareret.

Dixi insuper, *Nego Consequentiam,* licere scilicet dispositionem Tridentini de nominatim excommunicato contumaci extendere ad minoribus censuris innodatos. Nam quod procedi possit adversus quempiam ceu suspectum de haeresi, poena est gravissima. Porro iuxta regulas Iuris, *odia sunt restringenda.* Et siquidem iuxta Reg. 49. in VI. *in poenis benignior est interpretatio facienda,* et iuxta Reg. 155. §. fin. ff. De Iur. *in poenalibus causis benignius interpretandum est,* et L. 42. ff. De Poenis *interpretatione legum poenae molliendae sunt potius, quam exasperandae;* a

I. *Privatio Sacramentorum.*

960. — Excommunicatio privat tum iure Sacramenta recipiendi, tum ea administrandi (*a*). Hinc resolves:

fortiori lex poenalis extendi ad eos casus non debet, quos ne minimum quidem lex attingit, et multo inferioris gravitatis esse constat. Et rursus etsi verum illud esset, quod presse loquendo falsum dici debet, nempe Canonistas ante Concilium Tridentinum extendisse ad quasdam alias (non vero *omnes*, uti abs re aiunt VV.) excommunicationes illud, quod in C. *Cum Contumacia* statutum erat; nullus enimvero canon consentit, ut auctoritati Claudii La-Croix sine ullo rationum aut auctoritatum fundamento novam hanc doctrinam invehentis illud pondus tribuamus, quod communi Canonistarum doctrinae, quam et Synodus Tridentina confirmavit, tribuendum scimus.

(*a*) Auctor, ut brevitati consuleret, de duplici hoc excommunicationis effectu, de sublato scilicet sacramentorum usu tum *passivo* tum *activo*, coniunctim agere voluit; et cum uterque casus duplicem causam involvat, nimirum et excommunicati et alterius, qui vel excommunicato sacramenta conferat, vel ab ipso sacramenta petat, et insuper cum alia in multis sit causa excommunicati *vitandi*, alia vero *tolerati*, nil mirum, quod Auctoris tractatio, per se perbrevis, obscura evaserit, et nimis ieiuna.

Quoad sublatum itaque usum sacramentorum *passivum* haec distinctius adnotentur.

1° Excommunicatus, etiam toleratus, a suscipiendis sacramentis arcetur, et graviter peccat hanc Ecclesiae prohibitionem infringens. Ex hac tamen illicita receptione nullam poenam incurrit, praeter *suspensionem ab Ordine,* quem in eo statu suscipiat. Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 39. n. 128.*) et S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 160.*). Ex Const. *Ap. Sedis* haec poena cessavit.

2° Ab ea culpa excommunicatum excusat non solum inculpabilis ignorantia, sed etiam metus mortis, mutilationis, infamiae, gravis iacturae bonorum, etc., et necessitas quoque implendi annua praecepta Confessionis et Communionis, si desit, qui a reservata censura possit eum absolvere. Ratio, quia lex ecclesiastica non obligat tam rigide et cum tam gravi incommodo. S. Alph. (*n. 158.*) cum communi DD. sententia.

3° Quamvis illicite, imo et sacrilege, valide tamen excommunicatus sacramenta recipit, excepta Poenitentia. Quamquam et hoc sacramentum validum erit, si poenitens, alias dispositus, bona fide accedat; quod fieri potest, vel quia ipse ex inculpabili ignorantia aut oblivione censuram non manifestat, vel quia sacerdos censuram peccato adnexam ignorat aut non advertit, aut etiam advertens, et quidem reservatam, sine facultate tamen poenitentem ob modo praedictam necessitatem absolvendum a non reservatis putat, aut etiam ex malitia absolvit poenitentem, qui putat sacerdoti absolvendi non deesse facultatem.

4° Cum excommunicatus peccet recipiendo sacramenta, antequam absolvatur; eo ipso peccat minister, qui scienter sacramenta illi conferat.

5° Si excommunicatus, cui dantur sacramenta, sit *toleratus,* minister (ut bene A. advertit) peccat quidem contra ius divinum, sed non contra legem Ecclesiae. Si vero sit *vitandus,* non solum minister violat Ecclesiae legem, sed iure antiquo incurrebat excommunicationem, et interdictum quoque ab ingressu Ecclesiae ex *Cap. Episcoporum 8. De Privilegiis in VI.;* accedebatque insuper suspensio ab officio, si isti excommunicati fuissent ob haeresim, aut tanquam haereticorum fautores; nec officio talis minister restituendus erat absque Papae dispensatione ex *Cap. Excommunicamus 13. §. Credentes, De haereticis.* Vid. Schmalzgrueber (*Lib. 5. Tit. 39.*

1° *Graviter* peccat per se excommunicatus, sive vitandus, sive etiam toleratus, qui sacramenta recipit vel confert; excipe 1° si Sacramenta conferat in casu necessitatis; 2° si toleratus ea conferat ab ipsis fidelibus rogatus.

2° *Graviter* peccant Ecclesiae Ministri, qui Sacramenta conferunt excommunicatis sive vitandis, sive simpliciter toleratis, saltem per se, cum sint indigni. Attamen non peccat contra prohibitionem Ecclesiae, sed tantum contra ius divinum, ille qui confert Sacramenta solis toleratis. Ratio est, quia Ecclesia non prohibet amplius communionem, etiam in divinis, cum toleratis. Peccant autem contra

n. 128.) Modo autem mere incurret excommunicationem Pontifici reservatam, si sacramenta ministret nominatim excommunicato ab ipso summo Pontifice. Ex Const. *Apostolicae Sedis,* ex Cap. *Significavit* 18. De Sent. Excomm., et *Clem.* 3. eodem titulo.

6° Licite porro quis sacramenta administrat excommunicato, quandocumque iuxta dicta (*n. 2°*) hic licite, antequam absolvatur, ad ea suscipienda accedit.

Quoad *activum* autem usum sacramentorum haec sunt tenenda:

1° In casu necessitatis excommunicatus, sive toleratus sive vitandus sit, tum valide tum licite sacramenta administrat, v. gr. absolvendo in mortis articulo.

2° Extra casum necessitatis, ut toleratus licite administret, sufficit sola fidelium petitio, dummodo alioquin ille in statu gratiae sit, et absolutionem a censura prius obtinere non possit. Ut autem fideles id licite petant, licet quidam requirant magnae saltem utilitatis causam, alii tamen ne hoc quidem necessarium putant; quorum sententiam etiam S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 165.*) uti probabilem admittit.

3° Si vero necessitas et fidelium petitio (saltem tacita, *ex S. Alphonso n. 169.*) desit, etiam toleratus graviter peccat, et ob S. Ordinis exercitium, iuxta inferius dicenda, etiam irregularitatem incurrit (*S. Alph. n. 171.*).

4° Vitandus vero irregularitatem incurrit, etiamsi sacramenta ministret a fidelibus requisitus, sed absque necessitate. Quo in casu fideles sacramenta ab eo recipiendo graviter peccant, et iure antiquo minorem excommunicationem incurrebant (*S. Alph. n. 172.*).

5° Excusatur tamen *vitandus,* quando, si sacramentum non conferat, periculum mortis, mutilationis, infamiae, gravis bonorum iacturae incurrat; tunc enim nisi in contemptum censurae comminatio ista fiat, potest sacramenta ministrare licite, quae potest valide; quia scilicet non praesumitur Ecclesia, pia mater, velle suis legibus cum tanto dispendio obligare. Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 39. n. 144.*), S. Alphons. (*Lib. 7. n. 170.*).

6° Insuper causa necessitatis censent DD., excommunicatum *vitandum* non modo posse baptismum periclitanti conferre, sed etiam Eucharistiam vel extremam Unctionem, quando moribundus sacramentum Poenitentiae non potest suscipere; quia cum sacramentum quodlibet ex attrito facere possit contritum, continget aliquando, ob receptionem Eucharistiae vel extremae Unctionis obtineri salutem, quae non obtineretur, hisce sacramentis non receptis. Schmalzgr. (*l. c. n. 145.*), S. Alph. (*l. c. n. 170.*). Imo addunt graves DD., Eucharistiam vel extremam Unctionem a vitando dari licite posse aegroto, etiamsi sacramentum poenitentiae hic receperit; ratio quia maxime necessarium est, ut adiuvetur aegrotus, viresque inde recipiat ad suggestiones daemonis in eo articulo superandas. Schmalzgr. (*l.c.n. 146.*).

7° Demum parochus *vitandus* valide, sed illicite adsisteret matrimonio, licet per hoc irregularitatem non incurrat; non solum autem valide, sed etiam licite alium ad assistendum deputaret. S. Alphons. (*Lib. 7. n. 166.*).

ius divinum, quia non licet unquam *dare sancta canibus*. — *Vide S. Lig. n. 158. 165. et seq.*

II. *Privatio divinorum Officiorum.*

961. — Officia divina intelliguntur Missa, publicae Processiones, Vesperae solemniter decantatae, solemnis Benedictio, consecratio Chrismatis, aliaeque huiusmodi caeremoniae, quae fiunt ex instituto Christi vel Ecclesiae, vel quae propriae sunt Ordinis clericalis, ut cantus Epistolae vel Evangelii cum ornamentis propriis, sepultura ecclesiastica.

962. **Hinc resolves.** — 1° Quilibet excommunicatus prohibetur sub gravi ab auditione Missae (*a*), omnibusque aliis divinis Officiis proprie publicis, etiam diebus praeceptis. Patet ex cap. *Alma 24. de Sentent. excomm. in Sexto.* — *S. Lig. n. 175.*

2° Potest tamen excommunicatus etiam vitandus orare in eodem loco, in quo alii orant, sed seorsim, et separatus a coetu fidelium: potest etiam interesse concioni, lectioni Scripturae sacrae, et Theologiae (*b*); quia haec non veniunt nomine Officiorum divinorum, et Ecclesia libenter haec ei permittit, ut ad conversionem inducatur. — *S. Lig. n. 174. 177.*

3° Potest etiam uti imaginibus, reliquiis, aqua benedicta et aliis rebus sacris, ut gratias, quibus indiget, obtineat. Non tamen lucratur Indulgentias rebus sacris adnexas, nec percipit ex aqua benedicta et aliis sacramentalibus fructum, qui ex benedictione Ecclesiae provenit. — *S. Lig. n. 174.*

4° Excommunicatus, ad Horas canonicas obligatus, ab iis non dispensatur: sed eas privatim recitare debet, nec socium adhibere potest, nisi sit toleratus (*c*). Nec potest dicere: *Dominus vobiscum;* sed eius loco dicere debet: *Domine, exaudi orationem meam.* Attamen dicendo: *Dominus vobiscum,* venialiter tantum peccaret. — *S. Lig. n. 178.*

(*a*) Quo tempore Missa et divina officia celebrantur, excommunicatus prohibetur ab *ingressu* templi. Et si sit vitandus, dum sacrificium Missae fit, monendus est, ut exeat; quod si noluerit, expellendus est etiam vi, si opus fuerit. Si vero expelli non possit, Missa, si nondum canon inceperit, abrumpenda est; et si facta sit consecratio, subiungenda est sumptio, et dein ad sacristiam recedendum; si coeptus sit Canon, potest sacerdos Missam vel abrumpere, vel prosequi usque ad Communionem, caeteris tamen abeuntibus; si enim non recedant, saltem venialiter peccant. S. Alph. (*Lib. 7. n. 176-177.*). Iure antiquo si vitandus discedere abnueret, excommunicationem novam Papae reservatam incurrebat.

(*b*) Ipse alioquin vitandus privatur facultate concionandi, legendi in theologia, interpretandi publice ius canonicum. Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 39. n. 132.*).

(*c*) Etiamsi non sit toleratus, potest socium ex aliqua necessitate vel utilitate vocare, praesertim si hic ei subditus sit, ut Episcopo cappellanus, servus domino, etc.; nam servus non privatur communione domini sui, in quibus inservire ipsi tenebatur. Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 39. n. 131.*).

III. *Privatio suffragiorum communium Ecclesiae.*

963. — Suffragia Ecclesiae sunt vel communia, vel privata. Suffragia *communia* ea sunt, quae fidelibus proveniunt ex bonis operibus, nomine Ecclesiae factis ab eius Ministris; ut sunt Missae, Horae canonicae, aliaeque orationes et opera, quae fiunt ab Ecclesiae Ministris prout tales sunt, et nomine ipsius Ecclesiae aguntur. Ad haec etiam revocari debent satisfactiones Christi, B. Virginis et Sanctorum, quae thesaurum Ecclesiae constituunt, et a Praelatis Ecclesiae per Indulgentias applicantur.

Suffragia *privata* ea sunt, quae proveniunt ex bonis operibus, quae fideles proprio nomine peragunt. Talia sunt ieiunia, orationes aliaque bona opera, quae a privatis fidelibus, vel Ecclesiae Ministris ceu personis privatis fiunt.

964. **Hinc resolves.** — 1° Excommunicati *vitandi* privantur omnibus suffragiis communibus Ecclesiae. Patet, quia Ecclesia iure suo prohibet, ne pro illis oretur (*a*), vel ulla pars bonorum suorum ad eos deveniat. Et hoc valet, etiamsi essent contriti et ad meliorem vitam conversi, quia adhuc excommunicatio perdurat. — *S. Lig. n. 163.*

2° Neque *tolerati,* neque etiam *vitandi* privantur suffragiis privatis. Ratio est, quia non prohibentur fideles orare privatim pro excommunicatis, etiam in Ecclesia, et loco publico; ergo bonorum operum fructum eis applicare possunt. — *S. Lig. n. 162.*

3° Excommunicati *tolerati* non privantur suffragiis communibus. Ratio est, quia Ecclesia non prohibet amplius fidelibus communicare cum toleratis, ut deducitur *ex dictis supra. — S. Lig. n. 164.*

IV. *Privatio sepulturae ecclesiasticae.*

965. — Sepultura ecclesiastica ea est, quae fit in loco sacro, seu ad sepulturam fidelium benedicto. Hinc

1° Excommunicatus *vitandus* nequit in loco sacro sepeliri; si vero in tali loco sepultus fuerit, eius cadaver erui debet, si adhuc fieri possit, et locus sacer tali contactu pollutus expiandus est. — *S. Lig. n. 186.*

2° Excommunicatus *toleratus* pariter sepultura ecclesiastica privatur; et si in loco sacro fuerit sepultus, inde extrahendus est (*b*).

(*a*) Quod non interdicatur in Missa oratio pro infideli, dum tamen interdicitur pro christiano excommunicato vitando, ratio ex solo Ecclesiae praecepto desumenda est. Vid. *sup. not. ad n. 349.*

(*b*) Si poenitentiae signa dedit, sepeliri in loco sacro potest, quamvis *deceat,* eum prius ab excommunicatione absolvi. Vitandus vero qui ea signa dederit, sepeliri in loco sacro non potest, nisi prius absolvatur. Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 39. n. 127.*).

Attamen locus non censetur pollutus, nec proinde expiatione indiget.

3° Clerici qui efferunt, ac sepeliunt *vitandum,* ex iure antiqno excommunicationem maiorem incurrebant. — *Sic ex Clement. de sepult.* — Ex Const. *Ap. Sedis* excommunicantur solum mandantes et cogentes, ut infra videbitur.

V. *Privatio iurisdictionis ecclesiasticae.*

966. — 1° Excommunicatus *vitandus* omni iurisdictione ecclesiastica, seu potius eiusdem exercitio et usu privatur. Unde non potest absolvere in foro poenitentiae, nec leges aut censuras aut sententias ferre, nec eligere ad beneficia aut ea conferre, etc. Si autem talia ageret, nulla prorsus et irrita forent. — *S. Lig. n. 185.*

2° Excommunicatus *toleratus,* etsi *notorius,* valide iurisdictionem exercet, quia alias magna confusio in Ecclesia oriretur. Eiusdem tamen acta per exceptionem seu oppositionem excommunicationis infirmari ac repelli possunt, et ipse illicite agit extra casum necessitatis, aut nisi rogatus fuerit; et quidem in re gravi a peccato mortali excusari nequit. Si autem rogatus fuerit, non peccat, etiamsi Sacramenta sine causa ministret. Cum enim concessa sit fidelibus communicatio cum toleratis, indirecte etiam his indultum est cum fidelibus petentibus communicare. Hoc tamen valet, quatenus sacramenta petuntur ab excommunicato; nam quatenus petuntur a Ministro existente in mortali, ad licite petendum requiritur iusta causa. — *Ita S. Lig. n. 139., et l. 6. n. 88.*

VI. *Privatio beneficiorum.*

967. — 1° Excommunicatus quilibet, sive *toleratus,* sive *vitandus,* fit prorsus inhabilis ad beneficia ecclesiastica obtinenda. Ratio est, quia beneficium datur propter officium: excommunicatus autem officii prorsus incapax est; ergo etiam beneficii. Excipe, si beneficium ab ipso Papa conferretur. — *S. Lig. n. 180.*

2° Non tamen excommunicatio privat beneficio iam obtento, nec eius fructibus ante sententiam iudicis. Ratio est, quia neutrum in iure clare exprimitur. Si tamen per annum negligat obtinere absolutionem, per iudicem beneficio privari potest. — *S. Lig. ibid.*

3° Excommunicatus accipiens beneficium (*a*), et ille a quo ac-

(*a*) Ex communiori et probabiliori sententia valida est acceptatio beneficii, quod collatum ante fuerit, quam excommunicationem quis incurreret, licet illud acceptet iam ligatus excommunicatione (*Reiffenst. Lib. 5. Tit. 39. n. 65.*), non secus ac si beneficii rite sibi collati possessionem excommunicatus accipiat, vel alium mittat in possessionem, possessio et in possessionem missio valida est, quia tam possessio quam missio in possessionem est quid facti, non iuris. Vid. Schmalzgr. (*Lib. 5. Tit. 39. n. 150.*), qui addit (*ibid. n. 154.*) probabiliter validam esse collationem pensionis, quae excommunicato clerico datur ad sustentationem, dum beneficium resignat, aut permutat, aut in lite cedit.

cipit, peccant graviter, quippe qui contra gravem prohibitionem Ecclesiae agunt. Conferens autem olim incurrebat excommunicationem minorem et suspensionem ipso facto a collatione illius beneficii, si excommunicatus erat vitandus. — Post Constit. *Apostolicae Sedis* hae censurae cessarunt.

VII. *Privatio communicationis forensis.*

968. — Communicatio forensis intelligitur communicatio in iis, quae pertinent ad iudicium sive civile, sive ecclesiasticum.

1° Excommunicatus *vitandus* privatur omni actu ad iudicium pertinente in foro civili. Proinde nequit esse iudex, advocatus, actor, testis, tabellio, procurator, etc. Pariter nequit esse tutor, curator, aut executor testamenti.— *Ita* ex iure *communi*, seu *Romano veteri.* —*S. Lig. n. 184.* — Verum illae iuris dispositiones hodie plerisque in locis usum non obtinent.

2° *A fortiori* privatur *vitandus* omni communicatione in Iure ecclesiastico. Attamen potest appellare, et appellationem prosequi. — *Ita ex iure canonico tit. de exceptionibus, cap. 5.*

3° Excommunicatus *toleratus* nulla communicatione forensi privatur ipso facto; unde valide agit, si ea utatur; sed iuridice repelli per exceptionem tum ab adversariis, tum a iudice potest.—*S. Lig. ibid.*

VIII. *Privatio societatis civilis.*

969. — Actiones civiles, in quibus cum vitando non licet communiter consortium habere, hoc versiculo continentur:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

1° *Os,* id est colloquia, litterae, signa benevolentiae.

2° *Orare,* quaelibet communicatio in divinis, v. gr. assistere Missae, vel Officiis publicis Ecclesiae.

3° *Vale,* salutationes omnino particulares.

4° *Communio,* quaelibet societas negotii, habitationis, contractus, cooperationis, etc.

5° *Mensa*, invitatio reciproca ad mensam. — *S. Lig. n. 188.*

Causae autem graves excusare possunt communicationem reciprocam inter excommunicatum vitandum et fideles, scilicet necessitas, bonum spirituale excommunicati ipsius, coniunctio matrimonialis, status subiectionis, v. gr. filiifamilias minores, ignorantia sive iuris, sive facti. — *S. Lig. ibid.*

Haec autem omnia de solis *vitandis* dicuntur; quamvis *toleratis* minime faveat privilegium *Martini V.*, ex hodierna tamen consuetudine isti non amplius peccant in civilibus communicando cum fidelibus, etiamsi ab ipsis non fuerint requisiti. Verumtamen haud licite communicare hi possunt cum fidelibus in divinis, quia privi-

legium his tantum, non vero illis favet. Patet ex declaratione *S. Poenitentiariae*, die 5. Iulii 1867.

§. III. *De excommunicationibus in particulari.*

970. Olim praecipuas tantummodo excommunicationes, aliasve censuras in studiosorum commodum solebant Scriptores hoc loco oculis subiicere, et aliqua adnotatione collustrare. Verum post Constitutionem (*Apostolicae Sedis 12. Oct. 1869.*) SS. D. N. PP. Pii IX, qua iuris communis censurae latae sententiae limitantur (*a*), iam non aegre etiam in brevi theologiae moralis compendio eae omnes et si qua alia deinde hucusque accessit, recenseri possunt, et idcirco hoc praestare non dubitamus (*b*).

Quaecumque itaque modo exstant censurae, fere eas omnes Constitutio praedicta complectitur, partim explicite, partim implicite. Explicite quidem contentas dicimus, quae expresse et singillatim in ea recensentur; implicite vero, dum illae (*c*) confirman-

** (*a*) Summum Pontificem sibi hunc finem praestituisse, eruitur ex sequentibus Constitutionis verbis: *Cum animo Nostro iampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae... per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos eiusmodi incommodis occurrere volentes... re diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant.*

** (*b*) Quidquid de his subiiciamus in Notis, noverit Lector, id fere desumptum ex Commentariis, quae plura iam doctorum virorum studio prodierunt, e quibus Opusculum Revmi Reatinae Dioecesis Vicarii D. Ios. D'Annibale, Interamnae 1873 editum cum titulo *In Constitutionem Apostolicae Sedis Commentarii*, doctrinae copia et soliditate facile excellit. Opusculum hoc siglis *Comm. Reat.* indicabimus.

** (*c*) Ita Constitutio: *Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque, quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sessionis IV.* De editione et usu Sacrorum Librorum *constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.*

Quoad hanc circa edendos libros exceptionem, sedulo advertendum, quid differat Decretum a Decreto. Nam Tridentinum et recens Constitutio cum in eo conveniant, quod anathemati eos subiiciant, *qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi*

tur, quae tum a Tridentina Synodo latae reperiuntur, tum particularibus quibusdam statutis continentur (*a*).

971. Quadruplicis autem generis sunt censurae latae sententiae etiam iuxta novissimum ius post Pianam Constitutionem inductum. Nam aliae Romano Pontifici sunt speciali modo reservatae (*b*); aliae item Summo Pontifici reservatae simpliciter; aliae reservatae Episcopis sive Ordinariis; aliae demum nemini reservatae.

faciunt, differunt tamen 1° quod Tridentinum mere agit de libris *sine nomine Auctoris* editis; Constitutio autem restrictionem eiusmodi nullam praefert. 2° Haec plectit solum *imprimentes, et imprimi facientes*; illud vero poenam extendit ad eos, qui libros *scripto communicant vel evulgant*, tum etiam ad *vendentes*, atque *apud se retinentes*. Constitutio igitur tridentinum Decretum coarctat, quatenus poenam ad imprimentes tantum aut imprimi facientes restringit; extendit vero, quatenus libros quoque nomen Auctoris gerentes comprehendit.

Quoad alias autem censuras a Tridentino Concilio latas, ita PP. Pii IX. Constitutio: *Quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni aut interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.*

Convenit porro inter omnes, vi huius Constitutionis confirmari eas tantum censuras, quas Tridentina Synodus *directe* ipsamet inflixit, non vero quas solum *indirecte*, antecedenter scilicet inflictas innovavit seu confirmavit; idque vel per generalia verba, ut v. gr. cum (*Sess. 21. C. 1. De Reform.*) ita statuit: *Qui secus fecerint..., poenas a iure inflictas ipso facto incurrant;* vel per specialem statuti alicuius allegationem, ut v. gr. cum (*Sess. 24. C. 3. De Reform.*) edicit: *Aliis etiam poenis iuxta Constitutionem Conc. Lugdun... mulctetur.* Hoc autem ex Constitutionis Pianae tum verbis tum scopo aperte colligitur. Vid. Comment. Avanzini Append. 3.

** (*a*) Huc spectant ea Constitutionis verba: *Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris Canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Coetuum, Locorumque Piorum, cuiuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.* De his autem nonnulla inferius.

Interim cum Avanzini animadverte, reliquas istas censuras latas a Romanis Pontificibus vel a sacris Canonibus quoad peculiaria Instituta aut peculiaria loca, cuiuscumque generis sint, mere declarari *non abrogatas*. Porro aliud est declarare, eas *non esse abrogatas*, atque adeo in suo vigore manere; aliud vero affirmasse, *eas esse innovatas*. Innovatio enim novum vigorem adiicit censuris, quae forte in desuetudinem abierint, et idcirco per *innovationem* reviviscunt. At quando per aliquam Constitutionem mere dicitur, eas non esse abrogatas, hoc unum inde eruitur, eas in illo statu manere, in quo reperiebantur, et vi Constitutionis huius eas neque deleri, neque innovari. Id autem satis indicatur per ea Constitutionis verba: *Atque hactenus in suo vigore permanserunt.* Quocirca si peculiares istae censurae in aliquo Instituto vel Pio loco in desuetudinem forte abierint, vel aliqua alia ex causa cessaverint, nequaquam per Constitutionem *Apostolicae Sedis* debent innovatae censeri.

** (*b*) Quadruplex haec censurarum distinctio in praecedenti quoque iure visebatur. Censurae autem, quae nunc dicuntur *speciali modo* reservatae, fere iis respondent, quae in *Bulla Coenae* continebantur. Quocirca ex iis, quae tum de casibus in *Bulla Coenae* contentis, tum de speciali

Secundum itaque quadruplicem hanc partitionem censuras generales latae sententiae in suo vigore subsistentes heic subdemus.

PUNCTUM I.

Excommunicationes Summo Pontifici reservatae.

I.

Reservatae speciali modo.

972. De his ita in Constitutione *Apostolicae Sedis:*

« Excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano » Pontifici reservatae subiacere declaramus:

» I. Omnes a christiana fide apostatas (*a*), et omnes ac singulos » haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae » existant (*b*), eisque credentes (*c*), eorumque receptores, fautores, » ac generaliter quoslibet illorum defensores.

reservationis eorum modo dicebantur, ea ad casus *speciali modo* nunc reservatos fere transferenda sunt. Immo ex Decreto S. Officii 4. April. 1871. statutum est, ut in formulis facultatum, quas S. Congreg. de Propag. Fide concedere solet, ubi mentio fit de casibus in Bulla Coenae reservatis, substituantur censurae *speciali modo* in Bulla *Apostolicae Sedis* Romano Pontifici reservatae.

** (*a*) Apostasiam heic intellige *a fide christiana recessionem:* apostatam vero, qui a fide christiana descivit. Cumque apostasiae crimen in eiusmodi *recessione* consistat, ideo nihil interest, utrum apostata ad Iudaismum abierit, an ad Paganismum, vel utrum in Deismum prolapsus fuerit, an in Atheismum, an in Indifferentismum. Et ad hunc quidem revocari secta eorum solet, qui italice *liberi pensatori*, gallice *libres penseurs*, semet appellant, quos alioquin melius dixeris *monstra naturae, stupidis insipientiora iumentis.* Iumenta siquidem ductum naturae sequuntur. At monstra ista bipedia naturam proculcant. Quemadmodum scilicet libertatis nescius est oculus corporeus, ita nescia libertatis est ratio et intellectus. Et sicut liberum tibi utique est oculos claudere, aut circumstantia obiecta non aspicere, non item liberum tibi erit ea obiecta non videre, si apertis ea oculis aspicias; ita dicas et de veritate intuentis mentis oculo subiecta, necesse est. Ergo vel ipsum sectae nomen stupidiorem asinina stupiditate insipientiam praefert, ut scilicet in ista apostasia a fide christiana elucescat manifestissime illud veterum: *corruptio optimi pessima.* Quid vero civilis quoque societas sperare in praxi aut timere ab iis possit hominibus (si hac digni sunt appellatione), qui pro sentiendi ac iudicandi arbitrio fas et nefas sibi pro lubitu confingunt, quisque facile videt.

** (*b*) De crimine haeresis vid. ubi de fide (Vol. I. n. 208.). Illud adverte (cum cl. Auctore Comment. Reat.), nihil interesse, num haeresim quis *verbis* exterius prodiderit, an solum *facto*, v. gr. *si abdita cordium scire, vel futuras hominum liberas actiones, quae soli Deo patent, divinare conatus fuerit per tabulas semet moventes, vel Crisiacos (Magnetizatos) quos vocant.* Vid. Litteras Encyclic. S. Inquisit. 30. Iul. 1856. (Sup. Vol. I. n. 281.), ubi *haereticalem deceptionem* in his reperiri declaratur.

** (*c*) *Credentes* intellige, qui haereticis sive explicite sive implicite

» II. Omnes et singulos scienter (*a*) legentes sine auctoritate » Sedis Apostolicae (*b*) libros (*c*) eorumdem apostatarum et haere- » ticorum (*d*) haeresim propugnantes (*e*), nec non libros cuiusvis » auctoris per Apostolicas literas nominatim prohibitos (*f*), eosdem- » que libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defenden- » tes (*g*).

credant. Ab haereticis hi in textu distinguuntur, 1° quia damnatis haereticorum erroribus adhaerere quis potest, cum tamen ad haereticorum sectas formaliter non pertineat; 2° quia eiusmodi *credens* intelligitur tum si in foro conscientiae haereticus sit proprie dictus, tum si non omnino sit haereticus, quando nempe cum externa credendi actione non sit coniuncta interna animi pertinacia contra fidem. Nam in utraque hypothesi semet haereticorum errorum sectatorem ostendit, atque adeo utpote in haeresis causa implicitus poena haereticorum in foro externo mulctatur, et huic censurae ita subiicitur, ut absolvi sine speciali facultate non possit.

Receptores intellige non qui in aedes aut terras suas quavis alia de causa excipiunt aut occultant, sed qui directe per hoc intendant haereticum fovere aut defendere, v. gr. ut sic haeresis poenas effugiat.

** (*a*) *Scienter*, idest cum cognitione quod 1° liber sit apostatae, vel haeretici iuxta sensum articuli praecedentis, 2° quod liber haeresim propugnet, et 3° quod lectio huius censurae poena plectatur. Hoc autem accipe tum de legentibus, tum de retinentibus, imprimentibus, etc.

** (*b*) Idest sine facultate facta aut a Summo Pontifice, aut ab iis, quibus Summus Pontifex facultatem dispensandi commiserit.

** (*c*) An diaria seu ephemerides hisce legibus comprehendantur, Vid. inf. ubi de lectione pravorum librorum.

** (*d*) Dubium movet Avanzini (Comment. n. 7.), an comprehendantur etiam libri eorum, qui in praec. artic. adduntur, nempe *credentes, fautores*, etc., si haeresim propugnent; et respondet: *Non videntur comprehendi.* Sed mox assertionem ita temperat, ut tantum non eam destruat: *dummodo* (inquit) *haec duo non verificentur, idest* 1° *ut in libro contineatur indubia haeresis aut apostasiae a fide propugnatio;* 2° *atque ita propugnatio haeresis sit pertinaciter facta, ut dubitari non possit, auctorem libri esse certe haereticum.*

** (*e*) Bene ad haec praecl. Comment. Reat.: *Propugnare est, si quid opinor, haeresis patrocinium suscipere data opera, et quasi pro viribus; quocirca excommunicatio eum non tenet, qui legit librum apostatae vel haeretici, si haeresim non propugnat, etsi eam contineat, immo et defendat, sed obiter, paucis, et quasi aliud agens.*

** (*f*) *Nominatim prohibiti* libri non intelliguntur qualescumque libri per Apostolicas litteras damnati, nisi titulus libri proprius in iisdem expressus fuerit. *Apostolicas* autem *litteras* intellige, quae nomine Romani Pontificis immediate prodeunt sive in forma *Brevis*, sive *Bullae*, sive Encyclicae, sive quavis alia forma, dummodo in ipsis legatur, *Auctoritate Apostolica*, aut quid aequivalens. Insuper si antea per Litteras Apostolicas alii non nominatim damnati sint libri sine ulla excommunicatione, vel cum excommunicatione non reservata; eos hodie legens nullam excommunicationem incurrit; quia Constitutio nostra in priori casu excommunicationem non invehit, in posteriori, dum non recenset inter non reservatas, eam sustulit; et si prohibiti fuerunt sub aliqua alia censura, v. gr. suspensionis, haec quoque cessat (Comment. Reat.).

** (*g*) Quoad *imprimentes* haec Comment. Reat. habet: *Huc pertinent quotquot ad impressionem proxime cooperantur; adeoque* 1°. *Qui huic rei quamcumque operam praestant, uti qui typos componunt, atramento*

» III. Schismaticos et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore » existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt (*a*).

» IV. Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu con» ditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum » Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Con» cilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel fa» vore appellatum fuerit (*b*).

eos tingunt, chartas madefaciunt etc.: 2°. qui eorum operas velut conducit, idest typographus, eoque magis editor, qui utrorumque operas conducere intelligitur; et auctor libri, si huius cura editur liber. Addit Cretoni (Not. ad h. l.): *Quoad manuales seu cooperatores subalternos ad incurrendam hanc censuram, praeter scientiam requisitam, diiudicandum insuper ex adiunctis, utrum ipsi in casu tamquam cooperatores formales vel materiales habendi sint, atque, in hac postrema hypothesi, utrum ex causa iusta et proportionata a cooperationis culpa* (adde, vel saltem *a poena*) *excusentur, nec ne.*

Quomodolibet defendentes librum, censentur (Lugo *De Fid. disp. 21. n. 94.*) *qui librum occultat ne deferatur vel comburatur, vel qui vi aut fraude id impedit; qui conatur suadere, librum bonum esse, atque ideo non dignum prohibitione; qui doctrinam pravam in eo contentam tueri conatur, et ab omni labe defendere. Isti enim omnes re aut verbo libros defendunt. Vid. Sanch. et Pal., qui notant, non comprehendi hac censura eum, qui doctrinam bonam et veram in libro contentam approbat et laudat, dum tamen librum ipsum absolute non censeatur approbare, nec etiam qui stylum, eloquentiam, phrasim, ingenium laudat, dum non arguat laudem et approbationem libri.*

** (*a*) Schismatici proprie dici intelliguntur, qui non solum a debita Romano Pontifici subiectione pertinaciter recedunt, sed in auctoritatem se erigentes, novos coetus ab unitatis centro separatos constituunt, ceu promotores ecclesiarum nationalium, vel eosdem coetus sequuntur. Et isti quidem pertinent ad schisma perfectum, etsi intelligas schisma, ut vocant *purum,* cui nempe nulla haeresis sit admixta, quod vix contingit. Nam si schismaticus teneat aliquid fidei adversum, v. gr. Romanum Pontificem non esse caput Ecclesiae, vel esse quidem, sed ei competere primatum honoris tantum, ceu hypocritae iansenistae, haereticus insuper foret, ac proinde duplici excommunicatione irretitus.

Per eos autem, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt, significantur illi, qui pertinent ad schisma imperfectum. Et hoc sensu Avanzini (*Comm. n. 10.*) comprehendi eos putat, qui se *catholicos liberales* appellant, qui nempe, posthabitis legibus ac mandatis Romani Pontificis, sese publice gerunt tamquam ab eius obedientia solutos, quippe et hi vero sensu rebelles sunt ab Romani Pontificis existentis obedientia.

** (*b*) Ne ii, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt (de quibus in praec. articulo), sub praetextu appellationis ad futurum Concilium, contra definita iura Primatus, impune id praestare praetendant, hoc speciale rebellionis crimen speciali censura multatum fuit.

Sed ad incurrendam hanc excommunicationis censuram necesse est ad Concilium futurum appellare. Ideo si ad futurum Romanum Pontificem appellatum fuerit, vel ad Concilium praesens, censurae locus non fit. Si vero non persona quaepiam singularis, sed communitas quaepiam seu persona moralis eiusmodi appellationem interposuerit, *Interdictum,* ut infra dicetur, speciali modo reservatum incurrit.

» V. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, » carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardina» les, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae » Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, » seu Dominiis eiicientes, nec non ea mandantes, vel rata haben» tes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem (*a*).

» VI. Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis » ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes » ad forum saeculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut » auxilium vel favorem praestantes (*b*).

** (*a*) De his ita egreg. Comment. Reatin.: « Hac censura puniuntur iniuriae in corpus, libertatem, dignitatem Procerum Ecclesiae. In corpus, nempe *interficiendo, mutilando, percutiendo*. Interficere est necare quoquo modo, ut puta veneno, fame, etc.; mutilare est membrum abscindere; percutere accipimus omnem iniuriam quae manu fit.

In libertatem, scilicet *capiendo, carcerando, detinendo*. Capere est comprehendere. Carcerare est detrudere vel continere quovis loco, privato quoque. Detinere est quovis loco inclusum custodire ne excedere possit.

In dignitatem: nimirum hostiliter *insequendo*, vel *eiiciendo*. Hostiliter insequi est persequi nocendi animo; proinde hanc excommunicationem non incurrunt qui eos insequuntur perterrefaciendi vel diripiendi causa. Eiicere est antea receptum expellere, adeoque ea non tenentur, qui non recipiunt. A suis *Terris*, vel *dominiis:* Terras interpretes accipiunt et eas, ubi domicilium fovent, vel nati sunt. Nec distinguitur, qua auctoritate eos eiecerint, publica ne, an privata, quove modo, utrum nempe vi adhibita, an minis, an nudo praecepto.

Porro hoc loco excommunicantur nedum qui percutiunt, mutilant, etc., quive eis auxilium, favorem praestant, sed et ii, qui ratum habent. Verum ut hi excommunicationem incurrant, necesse est 1° ut percussio, mutilatio, etc. facta fuerit suo eorum nomine, quia non potest ratum quis habere quod non suo nomine gestum est (c. 23. De Sent. Exc. in 6°.); 2° ut quo tempore haec perpetrata fuerunt, ipsi ea admittere atque ideo mandare potuerint, nam ratihabitio retrotrahitur, et mandato aequiparatur. »

** (*b*) Actio, quae hac excommunicatione coercetur, est impedire *exercitium iurisdictionis* ecclesiasticae, tum ordinariae tum delegatae, sive externi sive interni fori, cuiusmodi est in primis ea, qua utitur S. Poenitentiaria.

Porro ad potestatem iurisdictionis pertinet edere leges ac mandata, ligare ac solvere, conferre Beneficia, ad munia ecclesiastica deputare, praedicatores mittere, visitare Dioecesim, et ea, quae sunt Ordinis, aliis peragenda committere. Et haec distinguenda sunt tum ab iis, quae pertinent ad potestatem Ordinis, ut sacra obire, Sacramenta ministrare, personas et res benedicere, consecrare, etc., tum ab iis, quae magis sunt officii seu iuris, uti docere, praedicare, bona acquirere seu alienare, et uno verbo contractus inire.

Itaque ut quis dicatur exercitium iurisdictionis impedire, necesse est, ut ei obsistat, penes quem est iurisdictio, v. gr. Ordinario, Parocho, iudici, et quidem obsistat, ne ille iurisdictione uti aut incipiat aut pergat, quo spectat etiam, si quis executionem cuiusvis sententiae vel decreti huiusmodi impediat, maxime si id faciat appellando vel alias quomodocumque recurrendo ad potestatem laicam, uti dicitur, *propter abusum*.

Hanc autem excommunicationem incurrunt huius iurisdictionis exercitium *impedientes* seu 1° *facto aliquo*, v. gr. vi, minis, imperio, vel *directe*, v. gr. si quis Episcopo necem minetur, etc., vel *indirecte*, ut si facto

» VII. Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad » trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter ca- » nonicas dispositiones (*a*): item edentes leges vel decreta contra » libertatem aut iura Ecclesiae (*b*).

» VIII. Recurrentes ad laicam potestatem (*c*) ad impediendas

prohibeat, ne addicti Curiae Ecclesiasticae munus suum ea in re obeant, etc.

Seu 2° *mandata edendo*, quod intelligitur de eo, qui mandatum condat, seu decernat.

Seu 3° *Recurrendo ad forum saeculare, eiusque mandata procurando*, ad eludendum scilicet iudicium fori ecclesiastici.

Seu 4° demum quotquot his omnibus auxilium, consilium, vel favorem praestant, v. gr. qui impedire volentibus procurant mandata.

Huc usque ex egreg. Comment. Reatin., ubi additur, *effectu nondum sequuto nec impedientes, nec mandata edentes, nec recurrentes*, atque adeo *nec auxilium etc. praestantes, excommunicationem contrahere*. Contraria sententia saltem quoad *recurrentes* placuit Avanzini (*Comment. n. 11.*). Sed (subdit *ad art. 8.* Comm. Reat.), *puto non facile recedendum esse a generalibus regulis iuris*.

** (*a*) Olim (*Bull. Coen.* §. *15.*) excommunicationi erant obnoxii iudices, qui trahebant Ecclesiasticos ad suum tribunal: hodie obnoxii sunt, qui ad id *cogunt* ipsos iudices laicos, idest qui potestate laica iudicium exercent. Ita Decl. S. Inquis. 1. Febr. 1871: *Verbum* cogentes *sane indicat, excommunicationem eos non attingere, qui subordinati sint, etiamsi iudices fuerint, sed in eos tantum esse latam, qui a nemine coacti vel talia agunt, vel alios ad agendum cogunt.* Excommunicationem itaque contrahit, qui sive *directe*, v. gr. minis, sive *indirecte*, ut puta per alium, cogit ad trahendum ecclesiasticos in ius quasi reos, sive ex causa poenali ob crimen etiam gravissimum, sive ex causa civili etiam unius teruncii.

Limitat Constitutio, *Praeter canonicas sanctiones*, nimirum nisi si quando per eas ecclesiasticum ad laicum tribunal trahi permittatur, servatis alioquin conditionibus, quibus id permittitur.

** (*b*) Quoad alteram huius articuli partem, animadvertitur in *edentes* idest *condentes leges* vel *decreta contra libertatem et iura Ecclesiae*, nempe universalis.

Leges sunt, quae a suprema potestate in perpetuum constituuntur; *Decreta*, quae a quavis potestate, v. gr. a Praefecto urbis, Municipiis, etc. feruntur *generaliter*, non vero quae feruntur in singulas personas, vel singulos casus (quae mandata potius dixeris), adeoque nec iudicum sententiae.

Verba vero, *Contra libertatem aut iura etc.* latissime patent, et omne prorsus feriunt legum aut decretorum genus, quibus nedum exercitium potestatis ecclesiasticae, sive Iurisdictionis sive Ordinis, sed quodvis aliud ius intercipitur, restringitur, perturbatur, ut ius docendi, promovendi ad Ordines, publicas supplicationes extra templa vel noctu obeundi; Ecclesias, Beneficia, Pia Sodalitia erigendi, conferendi Beneficia, sine ullo interventu laicae potestatis: imo et iura, quae Ecclesiae uti Societati competunt, ut ius acquirendi actibus ultimae voluntatis, seu inter vivos; alienandi, elocandi bona sua ultra novennium etc.

Excommunicationem autem hanc incurrunt huiusmodi leges aut decreta edentes auctoritate laica; et si suffragio v. gr. populi, senatus etc. rogata haec fuerint, hac censura ligantur quotquot eis suffragati sunt, ac statim ac fuerint promulgata.

** (*c*) Videlicet ad personas, quae aliquam in cives iurisdictionem exercent, cuiusmodi v. gr. sunt iudices, praesides, praefecti urbium etc. Nec interest, quo modo quis recurrerit, utrum appellando, an provocando, an supplici libello oblato.

» litteras vel acta quaelibet (*a*) a Sede Apostolica, vel ab eiusdem » Legatis aut Delegatis quibuscumque (*b*) profecta, eorumque pro- » mulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohiben- » tes (*c*), aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes » vel perterrefacientes (*d*).

» IX. Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma » Brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per » Romanum Pontificem, vel per S. R. E. Vice-Cancellarios seu Ge- » rentes vices eorum aut de mandato Eiusdem Romani Pontificis » signatarum; nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam » in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huius- » modi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut » Gerentis vices praedictorum (*e*).

» X. Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis

** (*a*) Acta Sedis Apostolicae appellantur, quae Romae geruntur a Romano Pontifice, vel de mandato Eius sive spirituale sive temporale negotium contineant.

(*b*) Delegatos intellige, quibus aliquod negotium gerendum committitur.

(*c*) *Promulgatio* potius quam pro evulgatione, quae in facto consistit, videtur accipienda pro publicatione consuetis forma ac more, quae potius consistit in iure. Controvertitur, utrum ad incurrendam hanc censuram necesse sit, ut publicatio vel executio prohibeatur auctoritate publica. Comment. Reat. affirmantes sequitur; *nam Pontifex de ea prohibitione videtur loqui, quae profluit ex recursu ad potestatem laicam.*

(*d*) *Laedere* videtur stricta significatione accipiendum, qua scilicet corpus laedi dicitur. *Perterrefacere* autem indicat metum sane gravem incutere. *Partes ipsas* intellige eos, ad quos pertinent litterae seu Acta Apostolica; *alios* autem, ad quos pertinet publicatio vel executio Litterarum Apostolicarum.

(*e*) Non omnes falsarii excommunicationem hanc incurrunt, sed tantum falsarii *Litterarum Apostolicarum,* sive gratiam contineant, sive iustitiam. *Gratiam* continere dicuntur, quae aliquod continent Romani Pontificis beneficium seu liberalitatem; iustitiae autem litterae dicuntur, quae ad *lites,* adeoque ad causae alicuius cognitionem seu definitionem pertinent. Immo neque huc spectant Litterae Apostolicae, vel rescripta, si nondum signata fuerint, vel munita sigillo vel plumbo, quia, cum nondum authentica sunt, nondum valent.

Cum crimen falsi circa huiusmodi litteras multipliciter fieri possit, excommunicatione animadvertitur, si fit 1° *corrumpendo,* vel 2° *confingendo* litteras Apostolicas, vel 3° *signando* supplicationes etc. *Corrumpendo,* quoties aliquid variatur, deletur, additur, quod non materialiter, sed formaliter aestimari debet, idest ex sensu a Rom. Pontifice principaliter intento. *Confingendo,* quoties falsa scriptura supponitur. Demum *signando supplicationes* etc., quoties in eis falso subscribitur, *Fiat.*

Verum ut censura incurratur, necesse est 1° ut haec dolo malo fuerint admissa; 2° ut, si alterius intersint, hoc alteri graviter noceat aut nocere possit: dixi *si alterius;* nam si tua solum intersint, satis est illa quoquo modo falsificasse; 3° demum ut falsitatem perfeceris, compleveris; cum autem falsitas perfecta fuerit, excommunicatio statim incurritur, tametsi falsatis Litteris aut Rescriptis minime utaris. Excipe, quae admittitur confingendo Litteras Apostolicas, ante quarum publicationem censura ista non incurritur. Qui vero hisce Litteris utitur, aliam incurrit excommunicationem Episcopo reservatam, ut infra dicetur.

» articulo, si alius sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, » sine gravi exoritura infamia et scandalo, possit excipere morien- » tis confessionem (*a*).

» XI. Usurpantes aut sequestrantes (*b*) iurisdictionem, bona, » redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum » aut Beneficiorum pertinentes (*c*).

» XII. Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios » Civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinen- » tes; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictio- » nem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, » favorem praebentes » (*d*).

(*a*) De hoc articulo nihil est, quod addatur iis, quae sup. (*a n. 584.*) dicta sunt.

(*b*) *Usurpare* aliquis dicitur, quando velut potestate dominandi et quasi iure proprio utens quidpiam praeoccupat (*Suar. de Cens. Disp. 21. Sect. 2. n. 96.*). Non comprehenduntur igitur hic fures, latrones, etc., ut declaravit etiam S. Inquis. 9. Mart. 1870. *Sequestrare* autem in casu est impedire, ne quid percipiatur ab eis, ad quos illud pertinet.

(*c*) *Iurisdictionem* intellige seu spiritualem, seu temporalem (*Suar. l. c. n. 95*); *bona* autem seu immobilia, seu mobilia, seu etiam iura; *reditus* vero quidquid res fert, vel percipitur intuitu rei. Intelliguntur porro iurisdictiones, bona, et reditus, quae pertinent ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum. Avanzini (*Comm. n. 18.*) huc spectare censet etiam bona *monasteriorum*, quasi ad personas ecclesiasticas pertinentia ratione suarum ecclesiarum. Profecto in Bulla Coenae (§. 17), unde iste articulus desumptus est, dicitur: *Ad quascumque personas ecclesiasticas ratione Ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes;* porro vox *aliorum* ibi insinuat, beneficiorum potius, quam ecclesiarum nomine Monasteria comprehendi, alioquin vero, ut scite in Comm. Reat. advertitur, eiusmodi bona etc. vel ad ipsa monasteria, vel ad eorum Sacristias, vel ad Ecclesiam Romanam pertinent.

Cum huic excommunicationi expresse subiici hoc articulo videantur solum *usurpantes*, et *sequestrantes* etc., dubitatum fuit, an eandem excommunicationem incurrat, si quis praedicta ab usurpatore emerit. Porro utique incurri, definiti iuris est ex Pii IX Allocut. 25. Iulii 1873. Adde responsum S. Congr. S. Off. (8. Iul. 1874.): *Minime dubitandum, quin ementes bona ecclesiastica ab usurpatoribus usurpata, incidant in excommunicationem Romano Pontifici reservatam. Etenim praescindendo a quaestione, an supradicta emptio aliquo modo attingatur a Constit. Apostolicae Sedis, art. XI, nulli dubium esse potest, quin comprehendatur a clarissima dispositione Cap. XI. De Reform. Sess. 22. Concilii Tridentini.*

Responsiones S. Poenitentiariae circa eos, qui ecclesiastica huiusmodi bona utcumque retinent, vid. infr. a n. 1092. in Append.

(*d*) Spectat haec excommunicatio ad defensionem ac tutelam Dominii temporalis ad Sedem Apostolicam pertinentis. Proinde iura et iurisdictionem hic accipimus temporalia, et iurisdictionem intelligimus *supremam*, idest eam quae soli Principi competit, ceu ius vitae ac necis, ius imponendi tributa, creandi Magistratus etc.

Incurrunt autem hanc excommunicationem 1° qui civitates, terras, loca etc. destruunt, qui invadunt, vi adhibita; 2° Qui supremam Romani Pontificis in his iurisdictionem perturbant, v. gr. qui Ipsum impediunt, quominus leges in his civitatibus promulget, tributa indicat etc.; 3° Qui hanc iurisdictionem vel civitates etc. retinent, tametsi ab aliis eas acceperint,

973. XIII. Ex Pii IX Bulla *Romanus Pontifex* 28. Aug. 1873. accedit excommunicatio itidem Rom. Pontifici *specialiter* reservata « in dignitates et canonicos (adde, *et illos*, qui deficientibus capi» tulis potestatem habent deputandi vacantis Ecclesiae administra» torem seu Vicarium, aut vacantes Ecclesias legitime administrant),

velut heredes, et heredum heredes. 4° Demum qui ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebent.

Et quoad istos postremos salebrosa res est, ut bene habet Comm. Reat., definire, quandonam excommunicationem incurrant ratione auxilii, favoris etc. in *detinendo*. Horum (inquit) duplex genus distinguendum est. Alterum eorum, qui aliquod munus publicum gerunt, alterum eorum, qui nullum exercent. Et quod ad illos attinet, munera publica vel ad civium necessitates seu utilitates pertinent, vel ad regimen tuendum, aut ad utrumque. Priora illa suscipere innoxium quidem esse potest, quia societas necare seipsam non potest.

At duo prae ceteris servanda sunt: 1° ne iuramentum praestent, quo usurpatori obedientia, ut aiunt, *activa* spondetur, quod quasi pretium muneris foret. Et si iurare omnino necesse sit, *passivam* dumtaxat, et legibus tum divinis tum ecclesiasticis obedientiam polliceantur, ut indictum est per Pii VII Litt. ad Epp. March. 30. Aug. 1808. et S. Poenit. 10. Decembr. 1860. ad 10. et 14.

2° Ut dum iurant, palam profiteantur, se nihil facturos, quod legibus divinis et ecclesiasticis adversetur. Quamobrem si quid contra has leges faciendum inciderit, aut ab hoc se abstinere, aut officio se abiurare necesse est.

Quoad munia vero publica, quae non mere ad utilitates et necessitates civium spectant, sed ad tuendum regimen, S. Poenitentiaria iam inde a 10. Oct. 1860 (ad 11) responderat, tolerari posse, *dummodo non agatur de officiis, quae directe et proxime influunt in spolium, vel in eiusdem spolii manutentionem, et exerceri possint absque periculo laesionis legum divinarum et ecclesiasticarum*. Porro in spolii manutentionem ex officio influere intelliguntur, qui primum seu supremum magistratum gerunt in quavis provincia, aut civitate, aut terra, aut oppido. Ita Instructio Pii VII 22. Maii 1809. declarat, *non esser lecito accettare impieghi e incombenze, che abbiano una tendenza più o meno diretta a riconoscere e coadiuvare e consolidare il nuovo governo nell'esercizio della usurpata potestà*. Quaenam autem sint eiusmodi munia, sic expressius declaratur in Instruct. 10. Iun. 1809. *Si dichiara, che per tali impieghi intendonsi specialmente gli offizi di Governatori, o Prefetti, o Podestà, che sotto questa o altra denominazione rappresentano il primo magistrato in ciascuna provincia, o città, o terra, o castello, o paese qualunque*. A qua tamen oeconomia desciscì coepit, postquam nullam haec spem relinquebat impediendi, quominus usurpatio consolidaretur, et alioquin gubernandi officium solis rebellibus atque improbis commissum ac permissum hunc denique fructum unice afferebat, ut eiusmodi oeconomia in Religionis perniciem, et in damna subditorum usque deteriora cederet. Et sane ubi iniquus usurpator alienis oppressis subditis permittat, ut aliquo modo sibi et bono communi prospicere possint, nulla enimvero ratio apparet, cur aut princeps legitimus invitus censeri debeat (non enim rationabiliter invitus esset), aut cur oppressi subditi culpae expertes censeri debeant, si ex negligentia officia recusent. Non enim sic agent, quasi ius aliquod in usurpatore iniquissimo agnoscant, sed quasi qui iure naturae ad sibi ac societati prospiciendum utuntur. Vid. quae dicta sunt Vol. I. n. 394. in Not.

Haec quoad publica munia gerentes. Quoad eos autem, qui nullo eiusmodi officio funguntur, favere detinentibus intelliguntur, qui proximam

» qui ante exhibitionem Litterarum Apostolicarum vacantis Ecclesiae curam, regimen et administrationem sub quovis titulo, nomine, quaesito colore ausi fuerint concedere et transferre aut in electum etiam legitime a Capitulis in Episcopum, aut in nominatum etiam legitime seu praesentatum a laica potestate ad dictam Ecclesiam vacantem: tum etiam qui nominati et praesentati ad vacantes ecclesias, earum curam, regimen, et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a dignitatibus, Canonicis, aliisque, de quibus supra, in eos peractam nec non qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium, aut favorem praestiterint, cuiuscumque status, conditionis, praeeminentiae et dignitatis fuerint » (*a*).

XIV. *Item* « quicumque in praememoratis dioecesibus (scilicet Patriarchali Venetae ac Metropolitanae Mediolanensi subiectis) suffragante populo, ad Parochi sive Vicarii officium electi audent sive Ecclesiae, sive iurium ac bonorum praetensam possessionem arripere, atque obire munia ecclesiastici ministerii, ipso facto incurrant excommunicationem maiorem peculiariter reservatam S. Sedi, aliasque poenas canonicas. » Vid. Litter. Encycl. S. Congr. Conc. 21. Nov. 1873 (*b*).

operam praestent, ut usurpatores in possessione remaneant, v. gr. pecunia, delationibus, consiliis, scriptis etc.

Scribit Avanzini (*Comm. n. 19.*), si cum artic. XII. Bullae Coenae comparetur hic Constitutionis articulus, apparere, *submotos fuisse adhaerentes, fautores, et defensores eorum:* qua de re tamen subdit *adhuc vigere Litteras Apostolicas Anni 1860.* At enim nisi *adhaerentes,* prouti quidam solent, intelligas eos, qui mere stant pro usurpatoribus, *defensores* vero eos, qui nihil ad spolii manutentionem conferunt, profecto et istos satis comprehensos habes in iis, qui auxilium, favoremve praestant.

** (*a*) Quotquot praedictae excommunicationi subiiciuntur, alia quoque poena in eadem Bulla sic plectuntur: *Nec non privationis fructuum ecclesiasticorum Beneficiorum quorumcumqe, aliorumque reddituum ecclesiasticorum per eos respective obtentorum, similiter eo ipso incurrendis poenis innodamus, et innodatos fore decernimus, et declaramus; ipsarumque poenarum... relaxationem Nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat* SPECIALITER *reservamus.*

Insuper quoad sic electos seu praesentatos additur: *Praeterea nominatos et praesentatos iure, quod eis per nominationem et praesentationem forte quaesitum fuerit, decernimus eo ipso privatos.* Et infra: *Insuper quaecumque a sic nominatis et praesentatis in administratione vacantium Ecclesiarum intrusis fiant, mandentur, decernantur, et ordinentur cum omnibus et singulis inde quovis modo sequutis, et quomodocumque secuturis, nulla, invalida, inania, irrita, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, et de facto praesumpta, nulliusque valoris, momenti, et efficaciae esse et perpetuo fore tenore praesentium declaramus et decernimus, illaque damnamus et reprobamus.*

Interdictum, quod additur contra eos nominatos, etc., si episcopali sint charactere insigniti, suo loco infra ponetur.

** (*b*) Ibidem haec sequuntur: *Iidemque omnes* (scil. intrusi) *fugiendi sint a fidelibus iuxta divinum monitum, tamquam alieni aut fures, qui non veniunt, nisi ut furentur, mactent et perdant.*

974. In eadem Constitutione ista subduntur: « A quibus omni- » bus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Ro- » mano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et » reservari, et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus » et censuris sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis » nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earundem re- » spectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et qui- » busvis personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congre- » gationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et » in quavis dignitate constitutis (*a*). Absolvere autem praesumentes

Quid autem sibi haec velint, discere licet ex iis, quae sub Pio VI. ex praescripto servanda erant cum intrusis in Gallia. Sunt autem huiusmodi:

1° Non licet parochum intrusum adire pro administratione baptismi, nisi in casu extremae necessitatis, si nempe non sit alius valens baptizare; neque licet fungi patrini munere, si fortasse intrusus baptizet.

2° Non licet etiam diebus festis Missae interesse presbyteri intrusi, etsi alia Missa desit; neque licet concioni aliisve functionibus intrusi interesse, vel ab eo alia ministeria petere, aut Missam celebrandam ipsi committere.

3° Non licet ab intruso Communionem accipere, etiam tempore paschali urgente.

4° Etsi genuflectendum sit coram Hostiis consecratis ab intruso, curandum tamen est (ne in hoc cultu communicare catholici videantur cum schismaticis) ut declinetur occursus intrusi, dum S. Eucharistiam defert. Et catholico sacerdoti, etiam non ieiuno, licet hostias a catholico consecratas, si reverenter conservari nequeant, consummare, ne in manus intrusi veniant.

5° Non licet Parochum intrusum adire pro contrahendo matrimonio; quare si nullum aliud medium suppetat, nec superior alium providere Parochum aut sacerdotem possit, fideles contrahere sine pastoris praesentia debent.

6° Non licet mulieribus puerperio expleto recipere ab intruso benedictionem, quae post partum tribui solet.

7° Defunctorum exequiae celebrandae a legitimo pastore sunt etiam in domibus privatis, si aliter fieri nequeant; quod si intrusus cadaver ad Ecclesiam deferat, catholici nec funus comitentur, nec sacras preces recitent aliosve ritus Ecclesiae cum eo sociati agant.

8° An autem in periculo mortis licite fideles possint absolutionem a Parocho intruso recipere, responsum fuit: Non esse improbandam rationem, quam nonnulli Galliae Praesules inierunt, qui in eo articulo poenitentiae sacramentum... deficiente quovis alio sacerdote catholico, et amoto scandalo, in ea necessitate permiserunt, ut a parochis intrusis recipi posset.

Advertendum hic vero est, Censuram, ac Decretum de quo nunc, utique ad ecclesiasticas provincias Venetam ac Mediolanensem spectare; at existimandum non est, hisce poenis minime subiici alibi sic in paroecias intrusos. Neque enim hi excommunicationem effugient sup. n. XI. positam. Nam vel pastor legitimus paroeciae iam datus supponitur, et sic habemus ex parte intrusi usurpationem iurisdictionis ad alium pertinentis ratione beneficii: vel supponimus, nondum legitimum datum fuisse pastorem, et sic laesam habemus Ordinarii iurisdictionem in eandem paroeciam. Decretum igitur speciale pro dictis Provinciis haberi potest ceu merum articuli XI. consectarium seu applicatio.

** (*a*) Ob istas clausulas derogatorias dubium incesserat, utrum imminutae aut sublatae hac Constitutione forent facultates omnes, sive ordinariae, nempe concedi solitae, sive extraordinariae ante promulgationem

» sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis

eiusdem Constitutionis a Sede Apostolica concessae, v. gr. facultas absolvendi ab haeresis crimine, quae in Pagella S. Poenitentiariae continebatur. Porro ex mandato Summi Pontificis per Offic. S. Inquisit. declaratum est, ut sequitur: *Per Constitutionem* (Apostolicae Sedis) *SSmus Pater nullatenus intendit, ne minimum quidem detrimentum inferre facultatibus cuiuscumque indolis, quae a S. Sede ante promulgationem eiusdem Constitutionis concessae fuerint, sive eae quinquennales sint, sive extraordinariae, sive respicientes praesens Iubilaeum; atque vult, ut in pleno suo vigore permaneant, tempore perdurante in dictis concessionibus sive indultis praefinito.*

Vid. sup. n. 175; et ibi adnotata; circa quae non omittendum est Responsum S. Poenitentiariae 5. Dec. 1873. Ad dubium scilicet, *An Praelati Regulares, post Constitutionem* Apostolicae Sedis *iisdem privilegiis gaudeant, quibus antea, idest an possint, nec ne, suos subditos absolvere a casibus papalibus in dicta Bulla simpliciter reservatis;* hoc responsum factum est: *Sacra Poenitentiaria proposito dubio respondet: Negative, salvis aliis facultatibus, quae promanant ex Rescriptis particularibus ad tempus concessis.*

Exinde vero moveri posset quaestio, an per haec quidpiam detractum dici debeat Decreto S. Congr. EE. et RR., Pontificia auctoritate confirmato, quod alibi (Sup. Pag. 114. in Not.) in haec verba retulimus: *S. Congregatio Episcoporum et Regularium facto verbo cum SS. Clemente VIII.* ABSOLUTE DECREVIT, *quod omnes Bullae et Decreta derogatoria Privilegiorum Regularium quantum ad facultatem absolvendi a casibus Papae reservatis, sunt intelligenda solum in ordine ad saeculares, non autem in ordine ad suos subditos Regulares.*

Et (salvo equidem meliori iudicio) respondendum videtur, conciliari simul haec optime posse. Nam (praeterquam quod et Praelatis Regg. id competit, quod Episcopis ex C. *Liceat;* V. sup. n. 175.) Dubium S. Poenitent. propositum tractat de *Privilegiis* proprie dictis. Quod vero statuitur in praemisso Decreto, non tam *Privilegium* dici debet, quam provida quaedam dispositio, quae generali quadam norma conditioni ac statui Regularium applicat iuris communis principia. Notissimum enim est, tum ex rei natura tum ex Doctorum omnium consensu, *Regulares* inter eos numerari, qui impedimentum habere perpetuum censentur, quominus liberum et expeditum ipsis sit, pro absolutione a censuris Apostolicam Sedem personaliter adire. Porro in hisce adiunctis scitum est iuris, quod facultas absolvendi devolvitur ad Ordinarium, adeo ut hic possit tum per se absolvere, tum etiam per alium, quia iure ordinario facultas haec illi competit, atque adeo delegare ipse eam alteri potest. Ita in C. *Nuper 29. De Sent. Excom.: Concedimus..., ut a suo absolvatur Episcopo vel proprio Sacerdote.* Atqui nemo ignorat, Regularium exemptorum Ordinarios non alios esse, quam eorum Praelatos. Ad suos igitur subditos in casu absolvendos facultas fit Praelatis Regularium non vi alicuius *privilegii* specialis, sed norma ex iure communi desumpta. Quae tamen norma quandam habet privilegii speciem, quatenus ad omnes in posterum dubitationes eximendas Sedes Apostolica per S. Congregationis organum hunc generatim pro Regularibus canonem statuit. Et quidem dignum quod advertatur, illud est, quod eiusmodi Declaratio seu Decretum per illud tempus prodiit, quo eadem S. Congr. EE. et RR. Mandato et Auctoritate eiusdem Clementis VIII. sub poena excommunicationis, privationis officiorum, et inhabilitatis audiendi confessiones, etc. Regularibus omnibus interdixerat, ne a casibus quomodocumque Sedi Apostolicae reservatis aut reservandis absolvere praesumerent. *Sanctitas enim Sua* (additur in eo decreto) *quatenus opus sit, facultates et concessiones ipsas in hac parte uti cassas et irritas haberi de caetero voluit, et vult.* Itaque

» vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant (*a*), dum-
» modo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit
» quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si conva-
» luerint » (*b*).

II.

Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae.

975. « I. Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim
» propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicatio-
» nis poena latae sententiae (*c*); item docentes vel defendentes
» tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen com-
» plicis, prouti damnata est a Benedicto XIV in Constit. *Suprema*

ipso hoc facto S. Congregatio manifestissime declaravit, dispositionem illam circa Regulares nihil pertinere ad illud proprie dictum privilegium absolvendi a casibus Papalibus, quod Clemens VIII. Decreto illo 9. Ian. 1601. non secus ac SS. D. N. PP. Pius IX. Constit. *Apostolicae Sedis,* cassatum, irritum, ac sublatum voluit. Responsum ergo S. Poenitentiariae, quod *privilegia* respicit, de quibus in proposito dubio sermo est, nihil contradicit aut detrahit Decreto, quod mandante Clemente VIII. pro singulari Regularium conditione specialem illum canonem stabilivit.

** (*a*) Habes itaque aliam excommunicationem simpliciter Romano Pontifici reservatam, atque adeo sequenti catalogo addendam.

** (*b*) Sistere ergo isti se debebunt, ut mandata accipiant, nisi tamen ea nota iam sint, et iniuncta v. gr. quae a S. Poenitentiaria praescripta iis sunt, qui ab usurpatore emerint bona ecclesiastica, de quibus in artic. XI.

** (*c*) Propositiones, quas docere vel defendere interdictum est ab Apostolica Sede sub excommunicationis poena latae sententiae, recenseri solent sequentes:

1. Articuli 45. Ioannis Wicleffi, et articuli 30. Ioannis Hus. Ex Const. Martini V. *In eminentis Apostolicae,* etc. Dat. Romae 13. Febr. 1450. (Vid. Vol. I. P. XXXV.)
2. Errores 41. Martini Lutheri, damnati a Leone X. Bulla *Exsurge Domine,* etc. 16. Maii 1520. (Sup. Vol. I. Pag. XL.)
3. Propositiones 79. Michaelis Baii, damnatae a S. Pio V. Bulla *Ex omnibus,* 1. Oct. 1567., etc. (Sup. Vol. I. Pag. XLIII.)
4. Propositio de confessione sacramentali et absolutione obtinenda per litteras. Clemens VIII. per decret. S. Inquisit. 20. Iul. 1602. (Sup. Vol. I. Pag. XLVIII.)
5. Propositiones 45. damnatae ab Alexandro VII. per Decret. S. Inquis. 24. Sept. 1665. et 18. Mart. 1666. (Sup. Vol. I. Pag. L.)
6. Propositiones 65. damnatae ab Innocentio XI. per Decretum S. Inquisit. 2. Mart. 1679. (Sup. Vol. I. Pag. LIII.)
7. Propositiones 68. Michaelis de Molinos damnatae ab Innocentio XI. Const. *Caelestis Pastor,* 20. Nov. 1687. (Sup. Vol. I. Pag. LVIII.)
8. Propositiones 2. damnatae ab Alexandro VIII. 24. Aug. 1690. (Sup. Vol. I. Pag. LXIV.)
9. Propositiones 31. damnatae ab Alexandro VIII. per Decret. S. Inquis. 7. Dec. 1690. (Sup. Vol. I. Pag. LXIV.)
10. Propositiones 101. Paschasii Quesnelli, damnatae a Clemente XI. Constit. *Unigenitus,* 8. Sept. 1713. (Sup. Vol. I. Pag. LXIII.)
11. Propositiones 5. De duello, damnatae a Benedicto XIV. Const. *Detestabilem,* 10. Nov. 1752. (Sup. Vol. I. Pag. LXIX.)
12. Propositiones 85. Synodi dioecesanae Pistoriensis, damnatae a Pio VI. Constit. *Auctorem fidei,* 28. Aug. 1794. (Sup. Vol. I. Pag. LXXV.)

7. Iul. 1745; *Ubi primum* 2. Iul. 1746; Ad eradicandum 28. Se-» ptembr. 1746 (*a*).

» II. Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, » vel utriusque sexus monachos (*b*), exceptis quoad reservationem » casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut » Episcopus vel alius absolvat (*c*).

» III. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, » vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque » operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, » illudque permittentes, vel quantum in illis est, non probibentes, » cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis (*d*).

** (*a*) Videsis quae de hoc argumento superius (n. 501.) habentur.

** (*b*) Hoc privilegium, quod *canonis* appellari consuevit, cum sit in favorem non personarum, sed Ordinis, latissime acceptum est. Clericorum ergo nomine veniunt quicumque tonsuram acceperunt; appellatione autem Monachorum Regulares omnes utriusque sexus, eorumque Novitii et Tertiarii immo et Eremitae, qui de mandato Episcopi Ecclesiae alicuius aut aediculae custodiae et servitio sunt addicti.

Violenta manuum iniectio intelligitur, quoties factis iniuria fit in personam, laedendo nimirum aut corpus eius, aut libertatem, aut dignitatem; corpus quidem percutiendo, vulnerando, vel etiam per venenum nocendo, aut utcumque efficiendo, ut decidat, in praeceps ruat, etc.; libertatem, ut si in carcerem detrudas, aliumve locum etiam privatum; dignitatem, si vis ei utcumque inferatur, ut v. gr. rhedam sistendo aut equum, quo vehitur, detrahendo violenter ei aliquid, ut pileum, crumenam, baculum; aut quidpiam aliud contumeliosum admittendo in ipsum, v. gr. si sputo, luto, pulvere eum foedaveris, si vestes, quibus induitur, conscindas, etc.

Huic excommunicationi omnes, etiam impuberes, sunt obnoxii. Non tamen eam incurrit clericus, qui sibi manus inferat (S. Alph. Lib. 7. n. 274.), neque ob plenae advertentiae defectum qui ex subita ira, aut ioco percutit, vel corrigendi, aut defensionis, aut quapiam alia iusta causa, ut si cum filia, sorore, etc. turpiter agentem invenerit; immo, ut videri merito potest, nec mandantes, aut ratum habentes, quippe lex, quae alios expressit (Vid. n. V. inter excom. speciali modo reservat.), hosce hic praeterit.

** (*c*) Nimirum si percussio fuerit *levis*, potest Episcopus percussorem absolvere, quisquis hic sit. *Levis* autem dicitur, quae gravem quidem iniuriam infert, sed citra grave damnum, v. gr. quae fiat pugno, pede, lapide, fuste. Si vero percussio gravis fuerit, potest Episcopus absolvere eos tantum, qui collegialiter vivunt ex C. 50. de Sent. Excom.; gravis autem (praeter quam quod aestimari debet etiam ex loci, personae, aliisve circumstantiis ex Ioann. XXII. Extrav. *Perlectis*) habetur, si v. gr. dens excutiatur, aut copia sanguinis effundatur. Demum si enormis fuerit percussio, ut mutilatio, oculi exclusio, membri disruptio, etc., non nisi impuberes potest Episcopus absolvere, sive ante sive post pubertatem absolvi petant ex C. 60. de Sent. Excomm. In dubio autem, num percussio levis fuerit, an gravis, an enormis iuxta cit. Extr. pro maiori standum est.

Quid vero ex *iure communi* possint Praelati Regulares circa suos subditos, confer quae ex S. Alphonso supr. allata sunt in Not. ad N. 175.

** (*d*) Cum Comm. Reat. adverte, ad huiusmodi duelli rationem requiri, ut letalibus armis certetur: ac proinde non huc pertinet, si pugnis, bacillis, aut etiam ferro acie retusa dimicetur, etsi per accidens mors sequatur. Neque id est contra Const. Clementis VIII. *Illius vices*

In hunc locum VV. reiiciunt querelas adversus ea, quae de Duello

» IV. Nomen dantes sectae *Massonicae*, aut *Carbonariae*, aut

adnotata lector reperiet ad n. 405. Pag. 388. Vol. 1.; quia scilicet etiam hoc loco S. Alphonsus (*Lib. 7. n. 220.*) remittit ad ea, quae (*Lib. 3. n. 400.*) scripserat, nempe post damnatas a Benedicto XIV. quinque illas de Duello Propositiones non posse uti probabilem haberi illam opinionem, quae asserit, *licite posse acceptari Duellum ad necessariam defensionem bonorum magni momenti:* quam quidem opinionem S. Doctor tribuit *Lessio, Sanchez, Palao, Coninck, Valentia, Holzmann, Pichler, Reiffenstuel, Sporer, Elbel,* aliisque, additque probabilem dici a *Croix* et *Roncaglia*. Quin imo liceret enimvero hisce Auctoribus etiam ipsius S. Alphonsi suffragium adiungere; quippe qui eandem doctrinam omnino ratam habuit, quando (*Not. A. ad art. 3. Dub. 4. Cap. 2. Lib. 7. Edit. ann. 1748.*) ista scribebat: *Notandum, duellum aliquando posse cohonestari ex iustis causis, puta ad evitandam iacturam bonorum, quam alter provocans minatur; iactura tamen debet esse certa, et quod non possit alia via occurri, nisi duellum acceptetur.* Et sane cum ab hac doctrina S. Alphonsus non aliam ob causam deinde recesserit, nisi quod eam putavit a Benedicto XIV. fuisse damnatam, prout ipse sic (*Elench. Prop. Reform. n. 97.*) de se testatur; idcirco quando censeri prudenter possit, de eiusmodi damnatione non satis constare, iam nihil impedit, quominus S. Doctorem patronis illius sententiae accenseamus.

Hoc autem argumentum est illius *Notae* ad n. 405. Vol. 1.; ibi videlicet demonstratur, ex praedictis damnatis Propositionibus logice nequaquam deduci praefatae sententiae falsitatem. Nam alioquin in eadem *Nota* neutiquam positiva aliqua ratione sententia ista defenditur; sed unice ex perpensis Propositionibus a Benedicto XIV. proscriptis hoc inferebatur: *Concludendum igitur, fas utique cuique esse rationes inquirere, quibus eam opinionem, eiusve qualemcumque probabilitatem oppugnet; at rationes huiusmodi plane aliunde, ac ex proscriptis illis propositionibus quaeri oportere.*

Et hoc plane est, quod VV. valde displicet. Quocirca per quatuordecim columnas (*Pag. 879-885.*) in id incumbunt, ut illam doctrinam in praedictis propositionibus vere damnatam fuisse evincant. Neque vero dubitant de iis, quae in *Nota* ad n. 405. diximus, ita scribere: *P. Ballerini fucum sibi facere videtur. Nam servando etiam regulas, quas ipse tradit, ad recte convertendas propositiones damnatas, ex iisdem clare eruitur, condemnatam esse acceptationem duelli ad servandas cum honore fortunas.*

Rursus itaque pauca quaedam de hoc argumento. Qua de re adverterim, nequaquam apparere, cur VV. scribant: *servando etiam regulas, quas ipse* (*P. B.*) *tradit,* etc.; quasi vero P. B. singulares aliquas ac minus compertas regulas hic deprompsisset. Numquid enim alia quoad damnatas Propositiones regula exstat aut excogitari potest, praeter eam quam nunquam non admiserunt omnes, nihil scilicet ex iis certo extundi posse, nisi quod *vera* habenda est *contradictoria* illius propositionis, quae tamquam falsa damnata est? *Contradictoria*, inquam, non vero *contraria*, cum contrariae duae propositiones utique verae esse ambae non possint, sed possint profecto ambae esse falsae? Aut numquid ad *contradictoriam* alicuius propositionis inveniendam aliae promi possunt regulae, quam quae in primis dialecticae elementis ubique prostant?

Veniamus igitur ad rem. VV., post S. Alphonsum, primam et quartam ex illis quinque propositionibus obiiciunt. Prima autem sic se habet: *Vir militaris, qui nisi offerat* VEL *acceptet* (mendose tum apud S. Alphonsum, tum apud Gury et VV. legitur, ET *acceptet*) *Duellum, tamquam formidolosus, timidus, abiectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias*

» aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas

sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

De hac autem ita VV. (*Pag. 881.*): *Contradictoria primae Propositionis damnatae alia esse nequit, nisi sequens: « Vir militaris, qui nisi offerat » et acceptet duellum... officio, quo se suosque sustentat, privaretur,... » culpa et poena non vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum »*; et subdunt: *Nihil sane clarius desiderari posset.*

Atqui nequaquam haec est praecedentis *contradictoria*, sed *contraria*. Ut enim docent dialectici, hoc interest discrimen, quod in *contradictoriis* una tantum affirmat vel negat, quantum sufficit, ut altera falsa sit: ac proinde numquam ambae possunt esse verae, aut simul falsae. In *contrariis* vero una plus negat aut affirmat, quam necesse sit, ut altera sit falsa; unde fit, ut ambae utique simul verae esse non possint, sed ambae possint esse falsae. Atqui hoc in casu habemus, non vero illud.

Redigatur enim Propositio ad simpliciorem hanc formam: *Vir militaris... est expers culpae et poenae, sive offerat, sive acceptet duellum:* ubi fac advertas, verba illa, *sive offerat, sive acceptet duellum,* non *disiunctive,* sed copulative hic efferri, perinde ac si diceres: *est expers culpae tum si offerat, tum si acceptet duellum.* Inde fit, ut si cum VV. dicas *non est expers culpae tum si offerat, tum si acceptet duellum,* iam plus neges, quam necesse sit, ut altera sit falsa: ac proinde ambae falsae esse possunt, quando nimirum *esset expers culpae,* si acceptet, non vero si offerat, aut viceversa. Contradictoriam habebis solum, si dicas: *aut non est expers culpae si offerat, aut non est expers culpae si acceptet.* Cuius quidem disiunctivae quaenam deinde pars vera sit, aliunde definiendum est, non vero vi propositionis ipsius. Constat ergo, *vi damnatae Propositionis* non posse concludi, quod uterque casus culpae et poenae subiaceat.

Idem dicito de alia Propositione, quam VV. post S. Alphonsum urgent: *Licitum est in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum iactura propulsari nequit.*

De ista sic VV. (*Pag. 882.*): *Altera propositio contradictorie sic sonat: « Licitum non est... acceptare et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas. »* Atqui haec non *contradictorie* opponitur propositioni damnatae, sed *contrarie,* et aeque potest esse falsa ac opposita, quia plus negat, quam par sit. Si vis contradictoriam dic: *Aut offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, aut illud acceptare, licitum non est.*

Subdunt hic VV. (*l. c.*): *Si non damnatur alter acceptans, quia propositio est copulativa; pari ratione neque damnari potest alter offerens; ergo in damnata propositione neuter certo damnatur: quod est absurdum.*

Verum his respondendum est: *Concedo totum,* excepto quod id dicendum sit *absurdum.* Et sane si quis dixerit: *Petrus et Paulus Romae crucifixi fuerunt; contradictoria* erit non ista quidem, *Romae crucifixus neque Petrus est, neque Paulus;* sed disiunctiva: *Aut Petrus, aut Paulus Romae crucifixus non fuit.* Numquid autem id absurde dicitur, quia vi propositionis incertum manet, uter eorum fuerit, aut non fuerit crucifixus? Aliunde, ut diximus, eruendum id est, non vero vi propositionis contradictoriae. Et id quidem etiam illa suadent, quae ipsi VV. ex Reuter sic afferunt: *Cum propositio damnata possit facere sensum vel universalem vel particularem; composita vero sensum copulativum vel divisum: ut intelligatur, in quo sensu sit damnata, quaeque contradictoria illi opposita sit vera, considerare oportet tum materiam, quae proscribitur, tum rationum momenta, ob quae proscribi meruit, tum mentem eorum, qui eam propositionem docuerunt, tum denique communem Doctorum sensum.*

Advertantur probe illa verba: *quae contradictoria illi opposita* SIT

» potestates seu palam, seu clandestine machinantur; nec non iisdem

vera; nam propositioni complexae plures *disiunctive* opponuntur *contradictoriae,* ut patet ex praedicta illa: *aut non est expers culpae ac poenae dum offert, aut non est expers culpae ac poenae dum acceptat:* utra enim harum sit *vera,* bene Reuter dicit, arguendum esse ex *materia,* ex *rationum momentis,* ex *sensu Doctorum,* etc.

Et huc quidem demum esse confugiendum manifeste patet ex innumeris aliis circa damnatas theses exemplis. Sit v. gr. Propositio illa 36 ex proscriptis ab Innocentio XI: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi:* quae profecto quoad formam aequipollet huic alteri: *Licitum est non solum acceptare, sed etiam offerre duellum.* Nam aliquid falsi et damnabilis in ea subesse, omnes conveniunt. At citra materiae inspectionem, Doctorumve sensum quid demum extundes? Hoc unum scilicet, quod contradictoria praefert, nimirum quod *furari non est permissum aut in extrema necessitate, aut in gravi, aut in utroque casu.* Verum en tibi Doctores dissentientes; num ea thesis intelligenda sit de *furto formali,* an mere de *materiali* rei alienae usurpatione, ita ut furari ibi idem sit, ac alienum surripere. Quaero itaque, potestne ex mera thesis in se inspectione haec controversia definiri? Num vero idcirco clamabimus cum VV., absurdum esse, quod ex damnata Propositione nihil certi eruatur?

Rursus, si furtum ibi formale intelligas pro iniusta ablatione; numquid, nisi ad materiae considerationem recurras, poteris ex inspecta in se thesi contradictoria definire, num omnia disiunctivae membra, an ex iis aliquod tantummodo, et quale ex ipsis *verum* censendum sit?

Et iterum si cum Viva et S. Alphonso illud *furari* accipias non pro *formali furto,* sed pro ablatione materiali, numquid sic definitum in ea damnatione reperis, quale contradictoriae thesis membrum verum, falsumve sit certo habendum? Nonne denique ex materiae dumtaxat inspectione, ex vi rationum, et ex sensu Doctorum definimus, quid verum, quid falsum sit? Et quod caput est, nonne ex huius thesis interpretatione, quam S. Doctor Alphonsus praebet, manca et fallax deprehenditur regula, qua VV. propositiones de duello, ut superius vidimus, converti debere contendebant? Equidem iuxta regulam, vi cuius propositionem primam ita quidem convertunt: *culpa et poena non vacat, sive offerat sive acceptet duellum;* quartam vero ita: *licitum non est acceptare et offerre duellum,* etc., iuxta hanc, inquam, regulam etiam praedictam Prop. 36. sic convertere oporteret: *permissum non est surripere rem alienam tum in extrema necessitate, tum in gravi.* Atqui S. Alphonsus (*Lib. 3. n. 520.*) damnatum utique dicit hac propositione, quod in sola gravi necessitate licitum sit aliena surripere; at alienum surripere in necessitate extrema licitum cum omnium consensu esse fatetur. Fallax ergo est regula a VV. proposita; fallaciter ergo vi conversionis propositionum praemissarum circa duellum VV. contendunt, utrumque complexarum illarum thesium membrum ceu damnandum habendum esse.

Cum itaque vi conversionis non determinetur, in quodnam membrum proscriptae propositionis complexae cadat certo damnatio, ad id autem arguendum necesse demum sit ad materiae indolem, ad vim rationum, et ad Doctorum sensum appellare, profecto si quis perpendat, cum pluribus gravibus Auctoribus etiam S. Doctorem Alphonsum potuisse in eam doctrinam convenire, quod *duellum aliquando cohonestari possit ex iustis causis* etc. ut supra descripsimus; hic plane poterit deducere consectarium omnino oppositum consectariis, quae ex hisce propositionibus VV. elicere contendunt. Nos tamen contenti simus ea conclusione, quam in *Nota* ad n. 405. sic deduximus: *Concludendum, fas utique cuique esse rationes inquirere, quibus eam opinionem, eiusve qualemcumque proba-*

» sectis favorem qualemcumque praestantes; earumque occultos co-
» ryphaeos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint (*a*).

bilitatem oppugnet; at rationes huiusmodi plane aliunde, ac ex proscriptis illis Propositionibus quaeri oportere.

Ad id autem, quod VV. addunt (*Pag. 882-885.*), plures post Concinam et Patuzzi extitisse, qui propositiones illas damnatas eodem, ac S. Alphonsus, sensu accipiunt, brevissimum hoc esto responsum: Ipsimet sibi VV. hanc curam assumant inquirendi, undenam id factum fuerit; num scilicet quia allegati Auctores rem non satis attente inspexerunt, an quia, re non per se perpensa, aliorum sententiam adoptarunt. Nam illos ita dialecticae rudes, ut aut modum arguendi ex damnatis thesibus, aut modum inveniendi alicuius Propositionis contradictoriam ignorarent, non fas profecto est existimasse. Et haec de ista quaestione satis.

Duo alia in Notis ad hanc quaestionem VV. habent (*Pag. 880, 881.*), quae tamen ad alia argumenta pertinent. Primo itaque (*Pag. 880. Not. 1.*) promunt haec S. Thomae verba (*2. 2. q. 64. art. 5. ad 4.*): *Dicendum, quod sicut Augustinus dicit, nec Sampson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quod latenter Spiritus Sanctus hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. Et eandem rationem assignat de quibusdam sanctis feminis, quae tempore persecutionis seipsas occiderunt, quarum memoria in Ecclesia celebratur.* Ex quibus VV. concludunt, recte S. Alphonsum (*Lib. 5. n. 367. q. 2.*) dixisse, S. Thomam dissentire a DD., qui communius tenent, *licere incendere navem aut turrim, ut hostes grave damnum patiantur, sed cum certa vitae propriae iactura.* — Et ad haec respondendum, recte id animadverti, quando constet, S. Thomam ac S. Augustinum ad huiusmodi quaestionem oculos intendisse.

Altera VV. animadversio spectat ad illa S. Alphonsi (*Lib. 3. n. 366.*) verba: *Licet in naufragio tabulam cedere...., etiamsi tabula iam sit capta, ut contra Sotum, Rodrig.* etc. *docent Sylvius apud Tournel. et Salmantic... Recte autem advertit Sylvius, eum non posse, ad tabulam cedendam, se proiicere in mare, quia nemo potest positive se occidere.* Reprehendunt itaque VV. (*Pag. 881.*), quod in *Nota* ad n. 391. Vol. 1. Pag. 372. dixerimus, *inanem esse Sylvii scrupulum.* Resp. In 3. hac editione (*l. c.*) rei rationem addidimus, cur scrupulus dicendus sit, nec hanc Sylvii limitationem conciliari posse cum praecedentibus S. Alphonsi verbis. Duo hic adiungemus. Primum est, quod S. Alphonsus dicit, *licere tabulam cedere, etiamsi capta sit, ut contra Sotum docet Sylvius.* Porro haec sunt verba Soti (*De Iust. et Iur. Lib. 5. Q. 1. art. 6. prop. fin.*): *Qui tabulam desereret, perinde haberet, ac si se in mare proiiceret: quod est se directe occidere.* Quomodo ergo S. Alphonsus pro se allegat Sylvium contra Sotum, quando uti patet, eadem est et Soti et Sylvii doctrina? Rursus S. Alphonsus pro sua sententia simul cum Sylvio allegat Salmanticenses (*De Restit. Cap. 2. n. 34.*). Atqui Salmanticenses dum dicunt *licitum, tabulam alteri dare,* rationem afferunt, quae Sylvii atque adeo quodammodo etiam S. Alphonsi sententiam explodit, *quia* scilicet (inquiunt) *hoc non est directe concurrere ad mortem ... Non est se occidere, sed certo mortis periculo se committere, quam non tenetur impedire per medium adeo difficile, quale est suum proximum in periculo relinquere, et non iuvare. Practerquam quod ex causa honesta et laudabili se tali periculo exponit, quod semper licet.* Quibus omnibus perpensis, hoc unicum resultat consectarium, felicissimam futuram fuisse eam S. Doctoris paragraphum, si Tournelyo, idest Collet suam illam Sylvii allegationem, quae prorsus ibi perturbat omnia, reliquisset.

** (*a*) Iuxta Const. Pii VII. (*Ecclesiam a Iesu Christo,* §. *10.*), et Leonis XII. (Const. *Quo graviora,* §. *15.*) sub poena excommunicationis Rom. Pontifici reservatae denunciandi erant *omnes, quos* quis nosset, *his societa-*

» V. Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iu-
» bentes aut violantes (*a*).

tibus nomen dedisse, aut iisdem quomodocumque auxilium, favorem, etc. praestitisse. Hic vero limitatio fit, ut hanc poenam solum ii incurrant, qui non denuntient *occultos illorum coryphaeos, ac duces.*

Caeterum duo prae oculis Confessarius habeat, oportet, antequam obligationem denunciandi poenitenti indicat. Primum est, quod communiter monent Doctores, et his verbis effert Thomas Del Bene (*De Offic. S. Inquis. P. I. Dub. 19. n. 9.*): *Non teneris denuntiare ob metum cadentem in constantem virum, sicut nec tenetur femina ob metum cadentem in constantem feminam, ut si timeas propter hanc causam te occidi, vel male tractari.* Et rursus (*Ibid. Dub. 21. n. 1.*): *Non tenetur quis denunciare cum probabili periculo mortis, infamiae, vel gravis damni proprii, aut patris aut matris, aut uxoris, fratrum, aut aliorum sanguine coniunctissimorum.*

Alterum est, quod alii monent apud Bonacina (*De oblig. Denunc. P. I. §. 4. n. 3.*), *non esse obligationem denunciandi, quando certo scitur, vel probabiliter creditur, nullum remedium adhibendum esse a Praelato, facta denuntiatione; nullus enim obligatur ad opus inutile;* seu, ut ait Scavini (Tr. 8. Disp. 1. C. 4. art. 2. §. 1.): *quando nulla omnino est spes punitionis; nam ad opus inutile nemo tenetur;* sive, ut habet Decretum S. Inquisitionis (*Vid. sup. in Not. ad n. 593. Q. 5.*), quando *denunciatos facile poenam declinare posse credatur.*

Hic advertendum, quod cum ex Const. *Apostolicae Sedis* (*Sup. n. 972. n. II.*) excommunicationem *speciali modo* reservatam incurrant *legentes libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes;* quaestio moveri potest, an hoc censu comprehendantur libri istiusmodi sectariorum, de quibus ita sanxit Pius VII. (*Const. Ecclesiam a Iesu Christo, §. 11. 13. Sept. 1821.*): *Postremo ut omne erroris periculum efficacius arceatur, damnamus et proscribimus omnes Carbonariorum, ut aiunt, catechismos, et libros, quibus a Carbonariis describuntur, quae in eorum conventibus geri solent; eorum etiam statuta, codices, ac libros omnes ad eorum defensionem exaratos, sive typis editos, sive manuscriptos; et quibuscumque fidelibus sub eadem poena maioris excommunicationis eodem modo reservatae prohibemus memoratos libros vel eorum aliquem legere aut retinere.* Et respondendum videtur, satis censeri posse *nominatim* prohibitos, quorum titulus designatur. Porro hic habemus *Statuta, Codices, Catechismos, et Descriptionem gestorum in Conventibus,* etc. Ergo.

Duas quaestiones de hisce sectariis habet Gury. Prima est: *An absolvi possint illi, qui praedictae sectae nomen dederunt, si licet emissi iuramenti poenitentiam agant, externe tamen cum iisdem sociis communicant?*

Resp. Neg., quia satis non est, quod quis erroribus suis interne renuntiet, si eosdem externe profiteri videatur. Patet ex responsione Congreg. S. Officii. Cum enim propositum fuisset hoc dubium: *Poenae ecclesiasticae a plurimis Romanis Pontificibus in eos statutae sunt, qui societati, quam* liberorum muratorum *dicunt, nomen dedissent, atque iuramentum de arcano servando in eorum conventiculis emisissent. – Dubium exoritur, utrum ii, quos licet emissi iuramenti poeniteat, communicando tamen cum caeteris eidem sectae adhaerentibus vel eorum conventicula adeundo, aut alio quolibet modo, veros eiusdem societatis cultores se palam exhibere perseverent, ad Poenitentiae aut SS. Eucharistiae Sacramenti participationem legitime per Confessarium possint admitti. Sacerdotes nonnulli inveniuntur, qui huiusmodi homines reapse admittunt. Quaeritur, quomodo se gerere debeat Confessarius?*

Huic petitioni sacra Congreg. S. Officii 5. Iul. 1837. respondit: *Iuxta exposita non licere.*

» VI. Violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis, aut » conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque » legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel » admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac » formam a s. Pio V. in Constit. *Decori* praescriptam (*a*).

» VII. Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et su- » periores, aliosve eas admittentes (*b*).

» VIII. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eo- » rumque complices (*c*).

» IX. Reos simoniae confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cu- » iuscumque sint dignitatis.

» X. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

» XI. Omnes, qui quaestum facientes ex indulgentiis, aliisque » gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Con- » stitutione S. Pii V. *Quam plenum* 2. Ian. 1569. (*d*).

Altera est: *An habendi sint ut vetiti coetus illi, qui profitentur, se nihil moliri contra Religionem vel civilem Rempublicam, et nihilominus occulte ineunt foedus iuramento firmatum?*

Resp. Affirm. Constat ex Declaratione S. Poenitentiariae 21. Aug. 1850. Respondit enim: *Coetus illos in Bullis Pontificiis comprehendi.*

Non obstante praefata Declaratione, contendit Kenrich, coetus operariorum ob suas utilitates coeuntium licitos esse *per se*, etiamsi in iis signa adhibeantur, et arcanum habeatur. Iuxta istam sententiam excommunicationem, saltem certo, non incurrerent operarii vulgo nuncupati *Compagnons du Devoir*, quippe qui praecipue foedus ineunt ad sibi invicem opitulandum. Sed propter arcanum res periculo plena est.

Notum interim est, ex Declaratione Off. S. Inquis. 12. Ian. 1870. inter damnatas sectas comprehendi *Fenianorum* societatem.

** (*a*) Quae loca asyli ecclesiastici immunitate gaudeant, alibi (Vol. I. in Not. ad n. 285.) dictum est.

Haec autem immunitas violatur 1° si qui ad ea loca confugerit, vi inde extrahatur; secus vero si quis dolo fallaciisque eductus fuerit, vel fictis promissionibus deceptus exierit; iure enim asyli loci sanctitati et reverentiae, non confugientium personis provisum est; 2° si aliis prohibeatur, quominus illuc deferant, quae ad vitam sunt necessaria; 3° demum si quavis arte locus sacer obsideatur, ut qui eo se tuetur, ad se dedendum adigatur (Bened. XIV. Const. *Officii nostri*, §. 14.)

Ad incurrendam porro excommunicationem intercedere debet *ausus temerarius*, quando quis scilicet *ab aliis minime coactus, prudens ac sciens aut violare* (asyli ius) *iubet, aut exequendo violat, utpote omnis excusationis expers* (S. Inquis. 1. Febr. 1871.)

** (*a*) Videsis infr. Append. De Clausura Monasteriorum.

** (*b*) Vid. eand. Appendic.

** (*c*) Quoad hunc et seqq. duos articulos confer dicta de Simonia in Vol. I.

** (*d*) Iuxta hanc S. Pii V. Constitutionem ad incurrendam excommunicationem requiritur, ut *quaestum quis fecerit, concedendo* vel publicando indulgentias seu alias gratias spirituales (Const. cit. §. 1. et 4.): publicare autem censetur etiam is, qui indicem indulgentiarum aedibus sacris appendi iubet (Ibid. §. 2.)

Gratiae autem spirituales Constitutione istae recensentur: 1° facultas eligendi sibi sacerdotem, qui se ab reservatis absolvat (Ibid. §. 1.); 2° Missae

» XII. Colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis, et ex » iis lucrum captantes, faciendo eas celebrare in locis, ubi Missa- » rum stipendia minoris pretii esse solent (*a*).

sacrificium et sepultura tempore interdicti (Ibid. §. 3.); 3° Ciborum prohibitorum usus (Ibid.); 4° Assumptio duorum vel plurium compatrum ad sacrum baptisma contra Decretum Concilii Tridentini (Ibid.); 5° Absolutio a simoniae reatu Sedi Apostolicae reservata (Ibid.). Excommunicationem porro (Ibid. §. 6.) incurrunt tantum *inferiores Episcopis*.

** (*a*) Cum multipliciter peccari possit ratione turpis lucri ex stipendiis Missarum quaesiti (Vid. sup. a n. 367.), ad incurrendam tamen hanc excommunicationem, necesse est 1° ut proprio quodam sensu quis dicatur missas *colligere,* seu colligendis missis operam dare; eiusmodi autem non est, cui missae per se ipsum celebrandae tradantur, neque etiam cui citra collectoris personam etiam per alios celebrandae sponte committantur, nec demum qui ab uno vel altero tantum eas quaerit. Bene Avanzini (Comm. n. 34.): *Satis indicatur, non agi de uno paucisque numero stipendiis, sed de quadam copiosa collectione facienda usu mercaturae.* 2° Ut collectio fiat missarum, quae *manuales* dici solent: id enim importare videtur vox *colligentes,* et satis eruitur ex Const. *Quanta cura* Bened. XIV. 3° Ut id fiat quaestus seu lucri captandi causa; quocirca excommunicationem non incurrit, qui partem e stipendiis detrahit, ut in quosdam pios usus erogetur, licet id S. Congr. Conc. 9. Sept. 1874. improbaverit (sup. in Not. ad n. 375.); neque qui partem aliquam sibi retineat, quasi laboris seu operae suae compensationem.

Caeterum conveniunt utique omnes, sanctionem Benedicti XIV, qua laici tantum poena excommunicationis plectebantur, per hunc articulum extensam fuisse, quia comprehendit et clericos. Sed dubium fit, an etiam aliqua ex parte sit limitata. Avanzini (*l. c.*) *limitatam* censuit, quia in articulo non dicitur *ibidem* (idest in loco ubi collecta fuerint stipendia), sed *in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.* Quocirca *Del Vecchio* (*Comp. Scavini Tr. 4. n. 611.*) ad censuram incurrendam putat probabilius requiri, ut *Missae alibi celebrentur, ubi stipendia minoris pretii esse solent.* Avanzini alioquin addit, non improbandam sententiam asserentium, censuram incurri, etiamsi missae ibi celebrentur, ubi collecta sunt stipendia, *attenta nempe identitate sin minus locutionis, at certe rationis Benedictinae Constitutionis cum praesenti articulo.* Quam quidem rationem tenacius urget Cretoni (Not. ad h. artic.), addens, id erui etiam ex verbis illis *Benedictinae Constit.* (§. *5.*): *Sive ibidem, sive alibi... celebrari fecerit.*

Porro qualiscumque haec dissensio palam facit, rem paulo obscuriorem esse. Equidem si Bened. Const. inspiciatur, *maiora* stipendia intelliguntur (§. 5) cuiusmodi *alicubi consuetudines vel synodalia statuta exigunt; minora vero* (§. *1.*) *ubi eleemosynae seu stipendia, vel consuetudine vel synodali lege... sunt minoris pretii,* minoris nempe ac alibi vel consuetudo vel synodale statutum exigat. Hisce positis, quaeritur, quid sibi velint illa eiusdem Constit. verba (§. 5.): *Sive ibidem* (ubi nempe maiora ex consuetudine vel statuto stipendia tribuuntur), *sive alibi, ubi pro missis celebrandis minora stipendia tribuuntur, celebrari fecerit.* Profecto si *ibidem* missae celebrantur, retentio partis stipendii contingere nequit, nisi aut alii tribuatur stipendium inferius taxa synodali, aut ex stipendio taxam synodalem excedente alius fraudetur eiusmodi excessu. Porro neuter casus cum verbis Articuli huius XII. facile componetur. Non prior, quia missae non celebrantur *in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.* Non posterior, quia stipendiorum taxam synodalem excedentium *copiosa quaedam collectio,* quae in Articulo significatur, vix

» XIII. Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitu- » tionibus S. Pii V. *Admonet nos* quarto Kal. April. 1567., Inno- » centii IX, *Quae ab hac Sede* prid. non. Novembr. 1591., Clemen- » tis VIII, *Ad Romani Pontificis curam* 26. Iun. 1592., et Ale- » xandri VII, *Inter caeteras* nono Kal. Nov. 1660, alienationem et » infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus (*a*).

» XIV. Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum » necessitatis sacramentum extremae Unctionis aut Eucharistiae per » viaticum ministrare absque parochi licentia (*b*).

locum habere potest. Proinde non sine causa in Comm. Reat. scribitur: *Nec demum* (censuram incurrit) *qui missas celebrare facit sive eodem, quo eas collegerat loco; sive alio, ubi eodem stipendio celebrantur*: utut retinens sibi stipendii partem, nisi ultro ab accipiente donetur, reus furti sit seu gravis seu levis, pro materiae nempe quantitate, quae gravis quantitas alioquin requiritur ad censuram incurrendam. Et haec quidem incurritur non cum quis prava hac intentione stipendia colligit, sed cum pro Missis aut celebratis aut celebrandis stipendium tradens, huius partem sibi retinet.

** (*a*) De hoc articulo sic Comm. Reat. paucis et probe ex allegatis Constitutionibus cuncta deducens: Actio, quae excommunicatione hac coercetur, est agere penes Romanum Pontificem de alienatione Civitatum, Oppidorum, locorum ad ius et proprietatem S. Sedis seu immediate seu mediate pertinentium, exceptis locis publicatis et fisco addictis. Nec excusatur, *quocumque titulo* id petatur, v. gr. gubernii, Vicariatus, feudi, census, permutationis etc., *quacumque ex causa*, etiam *meritorum erga S. Sedem*, vel *necessitatis*, vel evidentis utilitatis *per quodcumque tempus*, etiam *longum* tantum, vel *ad vitam*, vel tantum *ad Beneplacitum*.

Obnoxii autem huic excommunicationi fiunt 1° tractantes, consulentes, aut alias de hac re verbo facientes, ac propterea de eligendis ob id Oratoribus ad S. Sedem: 2° Oratores munus huiusmodi recipientes: 3° demum alii quicumque alienationes huiusmodi Romano Pontifici per se vel per alium insinuantes vel suadentes; nec interest voce ne, an scriptis id egerint. Excommunicationem autem incurrunt, primi quidem statim ac Oratores proposuerint, dummodo fuerint electi; Oratores eo ipso cum mandatum susceperint; postremi demum quando cum Romano Pontifice de hac re sermonem habuerint, vel scriptum obtulerint, etsi operam et oleum perdiderint.

** (*b*) Quatuor ad hanc censuram contrahendam requiruntur: 1° Ut sacramenta, de quibus in Articulo, administrentur absque licentia parochi. Parochus autem hic intelligitur, qui curam ibi habet animarum (quocumque nomine vocetur) aut vices eius hac in re gerit. *Licentia* vero intelligitur etiam mere praesumpta, idest si certe eam parochus daturus fuisset, aut saltem probabiliter creditur ratihabiturus, vel si eam parochus dedit aegroto, licet non daturus forte fuisset ei, qui reapse haec sacramenta administrat.

2° Ut ea sacramenta administrentur extra casum necessitatis. *Casus* autem necessitatis aestimari debet nedum ex periculo, quo laborat aegrotus, sed etiam si Parochus acciri facile non queat. Excommunicatio itaque non incurretur, si horum alterutrum non desit, etsi forte falso existimaveris utrumque deesse, quippe nostra existimatio non mutat rei veritatem; vel etiam si viceversa alterutrum non deesse putaveris, idest vel necessitatem urgere, vel parochum invitum non fore, etsi utrumque reipsa desit: ratio, quia sic administrans, non dicitur *praesumere*.

3° Ut administrans sit proprii nominis *Religiosus*. Itaque cessat excommunicatio, si sic sacramenta ministret aut sacerdos saecularis, aut etiam

» XV. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris » Coemeteriis seu Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eis» que auxilium vel favorem praebentes (*a*).

» XVI. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa » in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

» XVII. Clerici scienter et sponte communicantes in divinis » cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis » et ipsos in officiis recipientes (*b*).

qui profitetur Institutum, in quo vota tantum simplicia emittuntur. Quippe in odiosis eiusmodi Instituta nec Religiosa nec Regularia dicantur.

4° Demum ut Religiosus sacramenta illa administret *Clericis*, aut *Laicis*. Cessat ergo excommunicatio, si Regularis ea ministraverit Regularibus etiam alterius Ordinis et extra Monasterium, vel etiam his, qui Regularium iure censentur, idest Novitiis, et famulis, qui actu eis deserviunt atque in septis sub eorum obedientia vivunt, et probabiliter etiam suis alumnis convictoribus (Vid. Sup. n. 564. et Acta decerpta etc. Vol. 3. Pag. 61.). His adde pauperes in Regularium hospitalibus degentes, et *viros* Tertiarios, qui collegialiter vivunt, vel cum claustralibus habitant.

** (*a*) Ex Edicto 24. Aug. 1613. iussu Pauli V, et Clement. X. Constitut. *Ex commissae* 13. Ian. 1672. Cum in eisdem cryptis (inquit Avanzini n. 37.) seu catacumbis passim reperiantur ossa et cineres in loculis apertis, de quibus iam constat, non esse ossa et cineres martyrum, sed fidelium, qui ibi reconditi fuerunt, non videtur censuram incurrere, qui cryptas visitans memoriae vel devotionis causa sibi aliquid ex his ossibus vel cineribus assumeret. Secus, si de reliquiis ageretur, de quibus sintne Martyrum an mere fidelium, nondum constaret.

** (*b*) Iure antiquo quicumque maiorem excommunicationem sive ab homine sive a iure latam incurrissent, vitandi erant, eo solum cum discrimine, quod ii, quorum excommunicatio publica ac notoria erat, publice essent vitandi; ii vero, quorum excommunicatio publice non erat nota, tantum privatim vitandi ab illis essent, qui conscii erant. *Vid. C. Cum non ab homine 14. De Sent. Excomm.*

Iure deinde novo per Martinum V. inducto indultum fuit, ut nemo teneretur a communione alicuius abstinere, quacumque demum censura sive a iure sive ab homine ligatus hic esset, *nisi sententia contra personam certam a iudice specialiter et expresse publicata fuisset*, vel nisi quempiam per sacrilegam manuum iniectionem in clericum excommunicationem a Canone latam incurrisse adeo notorie constaret, ut factum non posset ulla tergiversatione celari, aut suffragio aliquo excusari.

Ob communionem autem cum vitando *minor* incurrebatur ipso iure excommunicatio, tum si cum illo communicaretur in divinis et spiritualibus, tum si in aliis rebus mere politicis. Duplici tamen in casu non *minor*, sed *maior*, ipso iure ob hanc causam incurrebatur excommunicatio: 1. Si cum excommunicato a Summo Pontifice clericus communicasset in divinis non utcumque, sed cum admittendo sponte, libere, ac voluntarie, sciensque illum a Papa esse excommunicatum nominatim, et insuper denunciatum (*Ex C. Significavit 18. h. t. Vid. Schmalzgr. Lib. 5. tit. 39. n. 179.*); 2. Si quis cum vitando communicasset in crimine criminoso, seu in crimine propter quod aliquis excommunicatione percussus est nominatim et ut talis denunciatus, auxilium huic, consilium, vel favorem praestando, ne ab eo crimine resipisceret.

Porro ex novissimo iure Const. *Apost. Sedis*, primo quidem *minor* excommunicatio penitus sublata est. Superest tamen *maior*, quae alioquin non incurritur nisi ab iis, qui communicent cum excommunicato nomi-

» XVIII. Praesumentes extra mortis articulum absolvere ab ex» communicationibus *speciali modo* Apostolicae Sedi reservatis, sine » debita facultate, etiam quovis praetextu *(Const. Apost. Sedis)* (*a*).

» XIX. Clerici vel laici quacumque dignitate, etiam imperiali » aut regali praefulgeant, qui alicuius Ecclesiae seu cuiusvis saecu» laris vel regularis Beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum » locorum iurisdictiones, bona, census ac iura etiam feudalia et » emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, » quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, » per se vel alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas » personas Clericorum aut laicorum, seu quacumque arte aut quo» cumque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque » usurpare praesumpserint, seu impedire, ne ab iis, ad quos de » iure pertinet, percipiantur. » *Conc. Trid. Sess. 22. Cap. 11. De Reform.* (*b*).

Censuit Avanzini (Comm. LVIII.) huc revocandam esse excommunicationem latam in Missionarios exercentes mercaturam etc. Sed commodius de hac infra dicetur, ubi de excommunicationibus nemini reservatis.

natim a Summo Pontifice, et quidem in praemissis illis duobus tantum casibus, nimirum 1[e] iuxta art. XVI. si cum excommunicato nominatim a Summo Pontifice communicent in crimine criminoso; et 2° iuxta art. XVII. si Clerici eiusmodi excommunicatum scienter ac sponte in divinis officiis recipiant, in iis nimirum officiis exercendis eum admittant. Priori, uti patet, obnoxii sunt tum clerici tum laici; posteriori vero clerici tantum. Ceterum nominatim excommunicatus a Pontifice non is intelligitur, qui papalem excommunicationem cum incurrerit, deinde a quovis alio Ordinario nominatim denunciatur excommunicatus; sed qui ab eodem Pontifice nominatim excommunicatus aut excommunicatus ab ipso nominatim denunciatur.

** (*a*) Hoc casu non comprehenduntur ii, qui legitime ab adeunda Sede Apostolica impeditos, secundum Canones etiam a specialiter Summo Pontifici reservatis absolvant.

** (*b*) Hac Tridentini sanctione non comprehendi subtrahentes decimas, aut eas impedientes, satis ex eo colligitur, quod Sess. 25. Cap. 12. De Reform. excommunicandi hi sic dicuntur: *Praecipit S. Synodus omnibus, cuiuscumque gradus et conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de iure tenentur, in posterum... integre persolvant. Qui vero eas subtrahunt, vel impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione sequuta, absolvantur.*

Caeterum in hanc censuram incidere etiam emptores bonorum ecclesiasticorum, de quibus agitur, manifestum est, tum quia (ut bene inquit Avanzini *n. 62.*) emptores bona eiusmodi *in suos usus convertunt usurpando sub colore contractus, cum noscant, usurpatorem neque dominum eorum esse, neque legitimum administratorem,* ac demum bona esse furtiva, quae clamant ad dominum; tum quia definiti id iuris est ex Allocutione 25. Iul. 1873., in qua et Tridentini hoc Decretum in medium trahitur.

PUNCTUM II.

Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.

976. De his ita in Constitutione *Apostolicae Sedis:* « Excom- » municationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae » subiacere declaramus:

» **I.** Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales » post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesu- » mentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis ma- » trimonium contrahere praesumentes (*a*).

» **II.** Procurantes abortum, effectu sequuto (*b*).

** (*a*) Breviter simul et egregie de hac re Comm. Reat. (*n. 115.*): *Ut haec excommunicatio eos* (de quibus in artic.) *teneat, necesse est, ut matrimonium huiusmodi alias valere potuisset,* citra scilicet statutum Ecclesiae, quae earum personarum matrimonia interdicit, irritat, et contrahere praesumentes hac poena plectit. Bene Suarez (*De Cens. Disp. 11. Sect. 3. n. 15.*): *Non oportet, ut actus in re ipsa sit validus, vel habens effectum; sed satis est, quod, quatenus fit ab operante, sit talis; nam ille est, quem ius prohibet, et punire intendit.* Porro, sicut alibi idem Suarez (*Ibid. Disp. 4. Sect. 3. n. 3.*), ut actio *sit talis, debet esse perfecta;* non est autem perfecta, quando (ut ipse ait) *licet exterius attentata seu inchoata fuerit, tamen in re ipsa non solum non perficit ultimum effectum a peccatore intentum, verum etiam neque aliquid operata est, quod ad talem effectum sufficeret.*

Ergo (ut optime prosequitur Comm. Reat.) *excommunicatio non incurritur si aut* 1° *consensus legitimus deficit sive ex utraque parte sive ex alterutra, ut si alter simulate contraxerit, vel errore inductus, vel metu coactus; aut* 2° *si legitima forma deficit, veluti si sine parocho et testibus contraxerint ubi Decretum Tridentinum promulgatum est; vel demum* 3° *si quodvis aliud obstiterit impedimentum dirimens, v. gr. si contraxerint cum consanguinea vel affini, vel socio criminis, vel infideli.* Posthabenda itaque prorsus ea sunt, quibus Avanzini (*n. 35.*) sanctionem hanc extendit ad matrimonia, quae alia ex causa irrita forent, prouti et Cretoni (*Not. ad h. artic.*) ostendit.

Ad rem addit laudatus Comm. Reat., quod cum excommunicatio feriat *praesumentes contrahere,* idcirco *si uterque vel alter eorum ignorantia laboraverit seu iuris seu facti, etiam crassa et supina, excommunicatio ignorantem non tenet, etsi postea, re cognita, in cohabitatione perseveraverit;* prouti et Sanchez (*De Matr. Lib. 7. Disp. 48. n. 20.*) perspicue evincit.

** (*b*) Procurantes intelliguntur, qui directe, studiose, seu de industria quidpiam quaerunt seu opere intendunt; eosque in Constit. *Effraenatam* Sixti V. ita indicatos cernimus (§. 1.): *Omnes, qui per se aut interpositas personas abortus, seu foetus immaturi eiectionem procuraverint percussionibus, venenis, medicamentis,* etc. Et cum in eadem Constitutione (§. 7.) ab hisce ceu *principalibus* distinguantur ii, qui *ad tale facinus committendum opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cuiuscumque generis medicamenta scienter dederint,* etc., palam esse debet, hosce postremos censu *procurantium* non contineri. Proinde cum Articulus solum *procurantes* feriat, excommunicatio hosce postremos non tenet.

Avanzini (*n. 40.*) postquam dixit, *indistincte sub censura comprehendi*

» III Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea » in re cooperantes » (*a*).

PUNCTUM III.

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

977. De hisce sic eadem Constitutio *Apostolicae Sedis:* « Ex» communicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere de» claramus:

» I. Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae sepulturae » haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel inter» dictos (*b*).

procurantes abortum, ideoque sive ipsa femina in se abortum procuret, sive quisquis alius, omnes in hanc censuram incidere; subdit: *Alii de femina contrarium tenent.* Atqui etiam in Constitutionibus Sixti V., et Gregorii XIV. indistincte in procurantes abortum censura ferebatur. Veruntamen notissimum est, S. Alphonsum (*Lib. 3. n. 395.*) scripsisse: *Secunda sententia valde probabilis, et attenta ratione intrinseca probabilior, negat mulieres praegnantes excommunicationem incurrere,* etc. Et concludit: *Cum dubium sit, an haec excommunicatio lata sit etiam in praegnantes, valde probabiliter ipsae ab ea excusantur.* Et in hanc sententiam videsis convenisse Comm. Reat., Cretoni, Del Vecchio, etc.

Addit Avanzini: *In hoc articulo nulla fit distinctio inter foetum animatum vel inanimatum, atque adeo neque nos distinguere debemus.* Expeditius erat conclusisse, a censura neminem nunc excusari inanimati foetus praetextu. Nam quod Constitutio antiquam illam distinctionem quodammodo supponens moderationem Gregorii XIV. abiicere voluerit, ut ad severiores Sixti V. terminos rem revocaret, id prorsus est inverisimile. Potius ergo dicendum, in Articulo nullam eiusmodi distinctionem fieri, quia foetus inanimati hypothesis uti prorsus obsoleta habenda est.

** (*a*) Dilucidam huius Articuli explanationem sic habes in Comm. Reat. (*n. 121.*): *Qui Litteras Apostolicas falsificat, incurrit excommunicationem Romano Pontifici speciali modo reservatam: qui utitur falsis, quique ei cooperatur, excommunicationem incurrunt et ipsi, sive laici sive clerici, sed soli Episcopo reservatam. Et si quis admiserit utrumque, idest si litteras falsificaverit, eisque postea usus fuerit, utraque excommunicatione irretitur. Porro falsas litteras accipere debemus sive immutatas sive suppositas: utentes vero, qui eas exhibent, ut effectum habere possint: demum cooperantes, qui utenti (non qui falsificanti) operam praestant.*

** (*b*) Censuram, quae veteri iure ex Clem. I. de Sepult. feriebat sepelientes in loco sacro publice excommunicatos, manifestos usurarios, etc., dupliciter vi huius Articuli restrictam habemus. Nam 1° non *sepelientes*, sed solum *mandantes* seu *cogentes* ad sepeliendum, etc. afficit; 2° hoc solum valet, quando agitur de sepeliendis *haereticis notoriis* (quo censu venire debent et notorii apostatae a fide christiana), et de *excommunicatis nominatim,* vel de *nominatim interdictis.*

Scribit hoc loco Avanzini (*n. 42.*): *Ad hunc vel alium articulum, in quo agatur de excommunicatis nominatim declaratis, referri aliquo modo possunt, quae in Instructione Offic. S. Inquis. leguntur de officio Ordina-*

» II. Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes » testes, aliosve ministros s. Officii; eiusve sacri Tribunalis scriptu» ras diripientes aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxi» lium, consilium, favorem praestantes.

» III. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica » absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambi» tiosae* De rebus Eccles. non alienandis (*a*).

rii, admonendi vel iudicialiter declarandi nominatim eos, qui censuras Rom. Pontifici reservatas incurrunt.

Sed paulo aliter Cretoni (*Not. ad h. art.*): *Cum, ubi agitur de excommunicatis nominatim declaratis, supponatur iudicialis sententia, qua reus excommunicationem incurrisse declaretur, quaesitum fuit generatim, an ii, qui censuras incurrerunt, ab Ordinario admonendi sint.* Dixi, paulo aliter hic quaestionem proponi. Hanc enim, iuxta verba, quibus in Instructione sic exhibetur, *Quaerebas, an ii, qui praedictas censuras incurrerent, admonendi sint,* ita Cretoni accipit, quasi mere quaeratur, *num admonitio sit praemittenda,* si quidem qui censuras incurrerunt, per iudicialem sententiam nominatim denuntiandi seu declarandi sint excommunicati aut interdicti.

Porro non sic quaestionem accepisse S. Inquisitio videtur. Nam ut modo ea seponamus, quae respondet aut de monitione per confessarium in foro conscientiae, aut de pastorali admonitione per Ordinarium, quoad iudicialem sententiam haec mere habet: *Sententiam hanc declaratoriam utrum ferri expediat, definiri generatim non potest, sed facti personarumque circumstantiis sedulo expensis dignosci debet.* Atqui ista nihil respondent quaestioni, quam propositam Cretoni censuit.

Caeterum quaestionem a Cretoni ita intellectam solverat ex communi doctrina S. Alphonsus (Lib. 7. n. 137.), quod *excommunicatus a iure, nisi crimen sit notorium, debet prius a suo proprio Superiore citari, ut se defendat.* Notorietatem autem S. Doctor intelligit non solum *facti,* sed etiam *iuris;* quippe, ut ait (l. c. n. 144.) *usquedum reus non sit in iudicio confessus aut condemnatus, semper aliquo suffragio valet excusari.*

** (*a*) Huius Articuli explanationem ex Comm. Reat. desumemus, qua nihil exoptari plenius ac lucidius datur. Hoc itaque Articulo excommunicatione plectuntur alienationes bonorum ecclesiasticorum absque beneplacito Apostolico ad formam Extrav. *Ambitiosae.*

Bona ecclesiastica dicuntur 1° quae sunt in patrimonio alicuius Ecclesiae vel Monasterii; 2° Beneficia ecclesiastica, et Cappellaniae, etiam mere laicales; 3° demum bona quorumvis Locorum Piorum, dummodo auctoritate ecclesiastica haec sint erecta. Eiusmodi porro bonorum dominium est penes Ecclesias ipsas ac Loca Pia; administratio penes Rectores eorum, vel Oeconomos; cura et velut tutela penes Locorum, seu Regularium Ordinarios. Quocirca administratores vel oeconomi alienare ea non possunt, et si alienaverint, nihil agunt; Ordinarii vero *regulariter* alienare non possunt immobilia ac mobilia pretiosa absque beneplacito Sedis Apostolicae.

Dictum est, *regulariter;* nam possunt alioquin alienare 1° praedia exigui valoris (quo censu non venit alicuius praedii pars utut exigui valoris), vel quae plus incommodi, quam commodi afferunt; exigui autem valoris habentur praedia, quae *olim* non plus 25 aureis de Camera aestimabantur (scil. circiter 212 libellis); *olim,* inquam; quia ratio valoris pecuniarum, ab initio XVII. saeculi ad nos usque immutati, non videtur his etiam in rebus negligenda; 2° alienare possunt quidvis aliud, si vel urgeat necessitas, quae moram non patitur, vel adsit occasio, quae alias transiret; itemque donata Ecclesiae ea lege, ut alienari possint, aut empta cum pacto

» IV. Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra » mensem Confessarios sive Sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint » ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecessoribus No- » stris Gregorio XV. Constit. *Universi* 20. August. 1622., et Bene- » dicto XIV, Constit. *Sacramentum poenitentiae* » (*a*).

retrovenditionis. Quandoquidem autem ex L. 28. ff. De verb. signif., *Qui occasione adquirendi non utitur, non intelligitur alienare, velut qui haereditatem omittit, aut optionem intra certum tempus datam non amplectitur;* possunt iure suo oblata Ecclesiae, vel relicta, needum acceptata, repudiare, ut v. gr. donationem, hereditatem, legatum; adeoque possunt non parere conditioni, sub qua aliquid Ecclesiae (seu Monasterio) relictum est vel promissum; eoque magis non uti exceptione, qua ius aliquod Ecclesiae acquireretur vel redintegraretur. Exinde possunt etiam transigere, non quidem diminuendo, sed non acquirendo. Nec alienatio est pecuniam mutuam accipere, vel in arca Ecclesiae existentem collocare, dummodo, si collocanda sit ex iuris necessitate, in *re soli* frugifera, eaque deficiente in censibus realibus collocetur.

Alienationis autem vocabulum latissime hic accipitur pro quovis contractu, quo vel 1° dominium transfertur, velut in solutum dare, permutare, in emphyteusim concedere; vel 2° aliquod ius reale ab Ecclesia (intellige et Monasterio, etc.) decedit, vel onus reale rebus imponitur, v. gr. census, hypotheca, servitus, aut debita ei servitus remittitur; vel locationes fiunt ultra triennium utile seu fructiferum.

Caeterum cum excommunicatio non contrahatur, nisi alienatio fiat sine beneplacito Sedis Apostolicae; proinde cum in alienationibus, quae fiunt de Ecclesia in Ecclesiam, non satis conveniat, utrum opus sit huiusmodi beneplacito, non constat, in his excommunicationi locum esse. Item si alienatio facta fuerit ex iusta causa et sine Ecclesiae detrimento, videtur excommunicatio cessare; quippe recepta sententia est, alienationem huiusmodi valere in foro conscientiae, quamvis in foro exteriori non valeat.

Insuper cum non incurratur excommunicatio, nisi alienatio perfecta fuerit ultro citroque, proinde non incurretur, re nondum tradita; imo etiamsi tradita fuerit, vendita tamen sub conditione suspensiva. Locationes quoque ultra triennium et culpa et censura carebunt, si vel facta fuerint ea lege, ut finito unoquoque triennio liceat locatori a locatione discedere, vel factae sint a fructuariis, v. gr. Beneficiatis, seu Cappellanis, quippe resoluto iure eorum intercidunt.

Denique cum haec sanctio feriat tantummodo *alienantes, et recipere praesumentes;* non comprehendit igitur *consentientes, consulentes, faventes,* etc.; eoque minus eos, qui res ecclesiasticas destruunt, vel eas furantur, diripiunt. Imo neque omnes alienantes, sed solum quibus administratio earum concredita est: quin et ex his excipiendi sunt Episcopi et Abbates, qui non excommunicationis, sed interdicti ab ingressu Ecclesiae poena plectuntur. Adde quod cum amplius abire id non possit, quod semel a me abiit, exinde si quis rem a se acquisitam contra formam Extrav. *Ambitiosae,* alienaverit; nec ipse, nec qui accipit, excommunicationem incurrit. Videsis laudatum Comm. Reatinum, ubi haec omnia solidis innixa fundamentis cernuntur.

** (*a*) Cum tempus non currat ignoranti, mensis computandus est ex quo quis noverit 1° obligationem denuntiandi, et 2° excommunicationem adnexam huic obligationi; et 3° tempus obligationi praefixum. Quamdiu igitur quis obligationem ignorat, tum culpa, tum poena caret. Quamdiu vero, etsi obligationem sciat, ignorat tamen poenam censurae adiectam, itidem hanc non incurrit, quia deest contra legem sancientem contumacia. In tertio autem casu vel falso existimavit, denuntiationem protinus facien-

V. Huc spectare videtur excommunicatio *in Missionarios mercaturae in Indiis Orientalibus operam dantes,* et *in Superiores eorum immediatos, qui delinquentes non puniverint,* iuxta Const. Urbani VIII. *Ex debito* 21. Febr. 1633., et Clementis IX. *Sollicitudo* 17. Iul. 1669.; quam excommunicationem adhuc vigere ex Summi Pontificis declaratione constat ex encyclicis a s. Congr. de Propag. datis 29. Martii 1873. (*a*).

dam esse, et sic excommunicatione non ligatur, quousque elapsus mensis fuerit, cum falsa censurae existimatio ad eam inducendam non sufficiat. Sin vero credidit, denuntiationem fieri posse, quandocumque libuerit, eam nec post mensem incurrit, quamdiu nempe bona fide existimat, eam posse adhuc differri.

Caeterum si se denunciaturum quis promiserit, et ei fides haberi possit, absolvi poterit non modo ante elapsum mensem *a peccatis*, quod in Constitutione Benedicti XIV. expresse cautum est (*Sup. Pag. 546. Not. b.*), sed etiam ab excommunicatione, quam post elapsum mensem incurrerit.

Fac demum advertas, quod quamvis ad denuntiandum confessarios sollicitantes praeter poenitentes sollicitatos teneatur etiam quisquis alius eiusmodi sollicitationem resciverit a personis fide dignis (*Sup. n. 390. II.*), hi tamen, denuntiandi obligationem si non impleant, hodie excommunicationem non subeunt.

** (*a*) Constitutio Clementis IX. ita decernit (§. 3.): *Sub excommunicationis latae sententiae, ac privationis vocis activae et passivae... nec non amissionis mercium et lucrorum omnium ipso facto incurrendis... poenis, tenore praesentium districte prohibemus..., ne mercaturis et negotiationibus saecularibus, quovis praetextu, titulo, colore, causa, occasione et forma etiam semel, per se, aut mediantibus ministris..., quovis modo et qualitercumque se ingerant vel immisceant. Ac ex nunc..., postquam casus evenerit, merces et lucra quaecumque, quae ex eiusmodi mercaturis et negotiationibus provenerint..., in usus et commodum pauperum, hospitalium, seminariorum, etc. harum serie applicamus, delinquentes teneantur consignare merces et lucra huiusmodi Locorum Ordinariis...* (§. 4.) *Insuper eisdem censuris et poenis innodamus et innodatos fore declaramus Superiores immediatos, ac Provinciales, ac Generales praedictorum Ordinum seu Congregationum, qui eorum respective subditos in praemissis... etiam pro unica vice quomodolibet delinquentes, saltem per amotionem illorum a locis commissi per eos delicti, non puniverint.*

A sententia vero excommunicationis huiusmodi per Superiores vel alium seu alios quoscumque, etiam quavis auctoritate suffultos, nemo ex praedictis delinquentibus absolvi possit, praeterquam in mortis articulo constitutus, nisi lucris huiusmodi prius restitutis.

Avanzini (*Comm. Pag. LVIII.*) putavit, hanc censuram *elencho excommunicationum Rom. Pontifici simpliciter reservatarum congrue recensendam esse.* Rationem (*Act. Vol. 7. pag. 324.*) autem petit ex paritate cum excommunicatione in eos inflicta sectarios, qui non denuntient occultos sectarum coryphaeos et duces, *donec non denunciaverint.* Similis enim (inquit) clausula apposita est excommunicationi, de qua agimus, per verba: *nisi lucris huiusmodi prius restitutis.*

At nimis infirmum videtur argumentum petitum ex huiusmodi clausulis, quae mere praescribunt, quid exigendum de iure sit ab eo, qui absolvi postulat; nec alio sensu casus vi eiusmodi clausulae reservatus censeri potest Romano Pontifici, nisi quatenus ipse ceu legislator sibi reservat relaxationem harum obligationum, nempe tum denuntiandi in altero casu, tum in altero lucra abdicandi. Atqui idipsum dici potest de obligatione

VI. Excommunicantur magistratus, si ad instantiam Episcopi non praebeant auxilium adversus contradictores clausurae monialium (*a*). *Conc. Trid. Sess. 25. C. 5. De Regular.*

VII. Item raptores mulierum, et eiusmodi raptoribus consilium, auxilium, et favorem praebentes. *Conc. Trid. Sess. 24. De Reform. matr.*

VIII. Item qui libertatem matrimonii contrahendi violant. *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 9. De Reform. matr.*

IX. Cogentes mulierem ad ingrediendum monasterium, vel eam ab ingressu impedientes. *Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 18. De Reform. Regular.* (*b*).

denuntiandi sollicitantes, de qua in articulo praecedenti, neque enim cuiquam praeter Rom. Pontificem facultas fit eum absolvendi, qui huic parere obligationi paratus non sit, neque tamen ea excommunicatio inter Romano Pontifici reservatas cernitur. Ut definiatur itaque, cuinam elencho accensenda sit excommunicatio eiusmodi clausulis munita, inspiciendum potius videtur, num casus adhuc Rom. Pontifici reservatus maneat, quando poenitens officio suo satisfacit. Atqui id solum contingit, cum agitur de sectariis; nam etiam post factam coryphaeorum denunciationem de iure a solo Rom. Pontifice non denuntians absolvi potest; in aliis autem casibus potest poenitens a quolibet Confessario absolvi. Nam alioquin nulla extitisset ratio, cur excommunicatio contra non denuntiantes sectariorum coryphaeos poneretur inter reservatas Pontifici, secus vero inter nemini reservatas collocaretur lata contra non denuntiantes sacerdotem sollicitantem. Cum itaque ad absolvendum eum, qui obligationi suae satisfecit, nulla specialis facultas necessaria sit, concludendum est, eiusmodi excommunicationes elencho nemini reservatarum esse adiungendas.

Caeterum quoad illas clausulas: *Donec non denuntiaverint*, et *nisi lucris huiusmodi prius restitutis*, recolenda ea sunt, quae DD. tradunt de clausula, *satisfacta parte*, et aliis huiusmodi. Qua de re videsis Sup. n. 955. Q. V. cum Not.

** (*a*) *Haec tamen censura* (inquit Avanzini n. 63.) *in praesenti societatis statu per non usum iam videtur in desuetudinem abiisse.* Est nimirum consectarium apostasiae, qua gubernia a christiana religione ad paganismum, seu melius ad atheismum desciverunt.

** (*b*) Decretum Tridentinum addit: *Praeterquam in casibus in iure expressis.* In iure autem excipitur, quod Episcopus ad ingrediendum monasterium cogere possit, si qua uxor, postquam ex eius consensu maritus Religionem ingressus iam vota solemnia emisit, de incontinentia sit suspecta, ex *C. Significavit 18. De Conv. Coniug.* (Vid. Sup. n. 761. Pag. 741. in Not.). Item quod (*C. Gaudemus 19. eod. tit.*) possit Episcopus in monasterium compellere uxorem, quam maritus lapsam ac poenitentem nolit recipere.

Caeterum cum hoc anathemate plectantur omnes, *si quomodocumque coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam... ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem..., quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint;* merito Sanchez (*Dec. Lib. 4. Cap. 4. n. 12.*) quoad *ingressum* dicit sibi placere limitationem, quam sic apponit Emman. Rodriguez (*Sum. Tom. 2. C. 8. n. 10.*): *Nec incurrit eam* (excommunicationem) *pater, qui de licentia Ordinarii pro-*

PUNCTUM IV.

978. — Superius diximus (Sup. n. 970.), censuras quasdam *implicite* in Constitutione *Apostolicae Sedis* comprehendi, et huc spectare etiam illa eiusdem Constitutionis verba: « Quae vero censu- » rae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, » Nostris aut Praedecessorum Nostrorum constitutionibus, aut sacris » Canonibus (*a*) praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque » hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro Romani Pontificis » electione, sive pro interno regimine (*b*) quorumcumque Ordinum » et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, » Congregationum, Coetuum, Locorumque Piorum, cuiuscumque » nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore » permanere volumus et declaramus. »

Nostri instituti profecto non est inquirere, quaenam censurae latae hucusque fuerint pro interno regimine illorum omnium Coetuum, quos enumerari hic videmus, ac multo minus, quaenam ex iis censuris adhuc in suo vigore perstiterint. Nonnulla dumtaxat tetigisse iuverit de Coetu Regularium, utpote omnium amplissimo.

979. — Excommunicatione itaque latae sententiae plectuntur Regulares, qui temere habitum religionis suae dimittant. *Ex Cap. Ut periculosa 2. Tit. Ne Clerici vel monachi in VI.* (*c*).

curat apponere filiam suam orphanam matre in aliquo monasterio, quousque fit apta ad contrahendum matrimonium. Incurret itaque quis censuram (ut ait Sanchez) *quando coactio illa est in ordine ad suscipiendum postea habitum, sive suasionibus monialium, sive alia ratione, non autem quando nullo modo hoc intenditur.* Vid. Bonacin. (*Disp. 2. Q. 2. P. 2. n. 6.*), et Ferraris (*V. Monialis Artic. 1. n. 53. et 55.*)

** (*a*) Non ergo huc pertinent censurae latae a Regularium Superioribus aut Capitulis seu provincialibus seu generalibus pro Ordinis proprii subditis.

** (*b*) Agitur nimirum de censuris sancientibus obligationes, quae ad regimen Regularium, qua tales sunt, pertinent, sive demum respiciant generaum Regularium statum, sive peculiare aliquod Institutum. Non ergo huc pertinet, v. gr. excommunicatio sub Clemente VIII. lata contra Regulares, qui absolvere praesumerent a casibus, quos Ordinarii locorum sibi reservassent: quippe haec ad regimen internum non spectat, atque adeo cessavit. Id ipsum dicendum censet *Comm. Reat.* de excommunicatione lata adversus Regulares, qui decimas Ecclesiarum usurpent (*Clem. I. De Decim.*); vel qui aliis persuadent, ut sepulturam eligant in suis Ecclesiis, voto aut iuramento interposito; vel ne mutent electam (*Clem. 3. §. ult. De Poenis.*)

** (*c*) Sunt, qui ex hoc textu iuris inferunt, apostatas a Religione ipso facto excommunicari. At bene de his Sanchez (*In Dec. Lib. 6. Cap. 8. n. 45.*) scribit, *nihil prorsus referre Apostasiam* a Religione ad hanc excommunicationem contrahendam: quippe textus eo Cap. secundo solos religiosos temere habitum religionis deponentes excommunicat. Haec autem dimissio potest contingere absque apostasia, et e contra potest esse apostasia absque hac dimissione. Quare religiosus dimittens temere habitum absque aposta-

Item monachi aut Regulares Canonici, si ut suis Praelatis aut Monasteriis damnum aliquod inferant, ad curias Principum se conferre praesumpserint. *Ex Clem. 1. De Stat. Monach.* §. *5.*

Item monachi intra septa monasteriorum, sine licentia Abbatum, arma tenentes. *Ex Clem. l. c.*

Excommunicationem autem Summo Pontifici reservatam incurrunt Regularium Superiores, qui quosvis Religiosos, etiam non subditos, quos haeresis labe infectos vel etiam suspectos esse noverint, non denuntiant. *Paulus V. Const.* Romanus Pontifex, et *Alexander VIII. Const.* Licet alias.

Item si in causis ad S. Officium spectantibus iidem Superiores se audeant utcumque intromittere. *Ex praemiss. Constit.*

Item si Superiores iidem subditos suos ad S. Officium recurrere volentes quovis modo avertant, retrahant, dissuadeant. *Ex iisdem Constit.*

Eandem excommunicationem reservatam incurrunt Religiosi subditi, si non denuntiant confratres vel etiam Superiores eiusdem Ordinis, quos noverint esse de fide quomodolibet, etiam leviter suspectos. *Ex cit. Constit.*

Eandem omnes isti incurrunt, si sub correptionis fraternae aut alio praetextu a denunciando retrahant aut retardent petentes a se consilium. *Ex cit, Const.*

PUNCTUM V.

Excommunicationes ferendae sententiae.

980. — Iis subiici possunt 1° Fideles non satisfacientes praecepto Communionis Paschalis. Haec censura plerisque in locis abiit in desuetudinem (*a*); attamen Romae adhuc viget. 2° Incestuosi et adulteri (ex variis Synodis Galliae). 3° Divinatores, magi, sortilegi, et ad ipsos recurrentes. *Pichler.* (Latae sententiae, si haeresim saperent). 4° Percutientes Clericum consentientem. — *S. Lig. n. 274.* 5° Laici frequentantes monasteria Monialium ad colloquendum cum ipsis (extra clausuram). Pro *Clericis* adest poena suspensionis, et pro *Regularibus* privatio officii. — *S. Lig. n. 232.* 6° Diripientes

tandi animo, eam incurrit; et e contra quantumvis apostata sit, si non dimittit habitum, non incurrit hanc censuram.

Insuper cum Canon feriat eum, qui *temere habitum religionis suae dimittat;* idque, *ut periculosa Religiosis evagandi materia subtrahatur;* manifestum est, excommunicationem hanc ab iis non contrahi, qui rationabili ex causa dimisso seu mutato religionis suae habitu incedunt.

(*a*) Auctor merum factum enunciat, et significat, plerisque in locis non solere fideles per excommunicationis poenam ad praeceptum paschale implendum cogi; nam nemo dicet, legem ipsam ita desuetudine esse abrogatam, ut Superior ecclesiasticus, ubi res ferat, hoc medio uti ad frangendam quorundam contumaciam non possit.

bona nosocomiorum et Montium Pietatis (*a*). Aliae excommunicationes ferendae sententiae in iure communi reperiuntur; at in usu sunt parum obviae. Pleraeque diversae sunt pro diversis regionibus et dioecesibus. Caeterum in praxi harum notitia minimi momenti esse videtur cum incurri non possint nisi praevia iudicis ecclesiastici sententia, quae rarissime, nostris saltem temporibus, locum habet.

In praxi Confessarius praesertim attendere debet ad casus vigentes in singulis locis, qui reperiuntur in libello censurarum et peccatorum reservatorum singulis dioecesibus proprio. Plerumque autem de iure particulari reservantur Ordinario.

APPENDIX I.

DE CRIMINE HAERESIS, LECTIONE PRAVORUM LIBRORUM, ET INDICE

I. *De crimine haeresis.*

981. — Excommunicatio ob haeresim est prima et praecipua Bullae *Apostolicae Sedis* (*b*). Eam incurrunt non haeretici tantum, sed etiam eorum fautores.

Quoad haereticos ipsos ad excommunicationem incurrendam requiritur, ut adsit vere haeresis, id est error voluntarius, exterius manifestatus et pertinax contra articulum aliquem a Deo revelatum et ab Ecclesia propositum. Hinc

1° Excusat ignorantia etiam vincibilis, imo crassa; probabilius autem non excusat ignorantia affectata, quia adest contumacia. Secus tamen sentit, ut probabilius, *S. Lig. n. 301.* (*c*) ob contumaciae defectum.

2° Non excusat dubium positivum exterius proditum, quia dubitans iudicat positive, veritatem ab Ecclesia propositam posse esse falsam. — *S. Lig. n. 302.*

3° Excusatur a censura, qui haeresim intra mentem tenet, vel qui eam exterius manifestans, intus dissentit. *A fortiori* excusatur, qui manifestat haeresim suam ad consilium petendum; quia non manifestat animo errorem profitendi. — *S. Lig. n. 304.*

(*a*) *Conc. Trid., sess. 22. c. 11. de Ref.*, anathemati Rom. Pontificibus reservato subiicit omnes *usurpare praesumentes vel convertere in proprios usus, per se vel per alios, iurisdictiones, bona, census, iura feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones Ecclesiarum, beneficiorum, Montium Pietatis, seu alterius pii loci; vel impedire, ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, et Clericos fraudis et usurpationis huiusmodi fabricatores, seu consentientes.* Vid. sup. n.975. XIX.

(*b*) Vid. Sup. n. 972. I.

(*c*) Non unius S. Alphonsi est hoc iudicium, sed fere commune. Vid. quae dicta sunt *Vol. 1. in not. ad n. 210.*

Principia circa absolutionem ab haeresi.

I. Ab haeresi notoria et ad forum iudiciale deducta Episcopus absolvere potest, vel per seipsum, vel per delegatum. — *Bened. XIV. de Syn. l. 9. c. 4.*

II. Solus Papa absolvere potest ab haeresi, sive notoria, sive occulta, quae nondum in foro iudiciali agitata fuit. Dicitur autem haereticus occultus ille, qui etsi cum alio haereticos sermones miscuerit, notorie tamen non habetur ut talis; aut, etiamsi cum nemine suas haereses communicaverit, nihilominus *aliquos actus extrinsecos exercuit, ex quibus dignosci poterat tanquam haereticus.* — *Bened. XIV.* Constit. *Pastor bonus* 13. Aprilis 1744.

Hinc elucet, quod nemo haereseos reus absolvi possit ab inferiore iudice, antequam fuerit in forum iudiciale vocatus, aut illi sese sponte obtulerit. Episcopus autem in utroque foro abiurationem Protestantium recipere valet.

Iuxta *Laymann* usus viget in Germania non mittendi ad Episcopum Protestantes, qui volunt Ecclesiam catholicam amplecti; sed postquam veram Fidem edocti fuerint, et haeresim abiuraverint, ad sacramentalem confessionem et Eucharistiae susceptionem admittuntur. Alibi quoque eiusmodi praxis obtinet.

Quoad ritum autem absolvendi haereticos in foro externo, eorumque abiurationem excipiendi, vide regulas quas tradit *P. Maurel* in eximio opère cui titulus: *Guide pratique de la Liturgie romaine.*

II. *De lectione pravorum librorum.*

982.—Quorumnam librorum lectio sub poena censurae post Const. *Apostolicae Sedis* sit interdicta, superius (n. 972. II.) dictum est, nimirum excommunicatione Romano Pontifici reservata plecti *omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros Apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris* (etiam non haeretici) *per Apostolicas litteras nominatim prohibitos.* Cessat igitur poena excommunicationis ipso facto incurrendae, licet non reservatae, qua iuxta Regulas *Indicis* prohibiti erant libri omnes haeresiarcharum sive eorum, qui haereticorum capita aut duces censeantur, tum etiam libri haereticorum, qui de Religione ex professo tractarent; vel etiam libri auctoris, sive haeretici sive non haeretici ob haeresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnati atque prohibiti.

Quoad scripta, quorum lectionem sub censura interdictam diximus, docent plures, non incurrere excommunicationem legentes epistolam vel concionem seorsim impressam, quia non est liber. Sed recte notat *S. Lig. n. 293.*, in Expurgatorio Romano edito ex Decreto *Tridentino,* prohiberi sub excommunicatione (quam ces-

sasse dictum est) omnes scripturas etiam breves. Quia vero diaria publica, vulgo *les journaux*, censurae ecclesiasticae subiacent, patet illa sub praefata lege includi, si ab haereticis scribantur, et haeresim propugnent. Patet ex sequenti Responso *S. C. Inquisitionis* an. 1832. directo ad Episcopos Helvetiae:

QUAER. 1° *Utrum Ephemerides seu Diaria subiici debeant censurae Ordinarii, et an etiam quoad opiniones politicas?*

Resp. Affirmative, quoad utramque partem.

QUAER. 2° *An eidem censurae subiaceant non solum articuli doctrinales, sed etiam articuli, in quibus facta narrantur* (*a*)?

Resp. Affirmative.

Non incurrit vero excommunicationem audiens legentem, saltem probabiliter, quia non legit. Nec qui parum quid legit, ob materiae parvitatem. Gravitas autem materiae stricte determinari nequit; aliquando paucae lineae sufficiunt, si haeresis occurrat. —

** (*a*) *Censurae* nomine in hoc S. Congreg. Responso non videtur venire poena aut *excommunicationis, aut suspensionis*, etc., sed mere examen, et approbatio ecclesiastica, quae ad imprimendos libros de iure praerequiritur. Quapropter ex eo *per se* et *directe* non evincitur, ephemeridas praedictas excommunicationi subesse. Indirecte tamen ad rem id facit aliquo modo, quatenus satis indicat, curam circa libros aut scripta edenda, quam ecclesiastica potestas pro suo iure adhibet, ad hoc quoque scriptorum genus sese porrigere, atque adeo circa ista quoque haud absonum videri posse, quod ad pericula fidelium praecavenda consuetis utatur remediis.

Qua de re illud animadversione dignum plane est, quod cernimus in *Decretis de libris prohibitis nec in Indice nominatim expressis.* Nam §. 1. praefigitur titulus: *Libri ab haereticis scripti vel editi;* deinde n. 6. legitur: *Carmina, Orationes, Imagines;* et n. 9.: *Confessiones, Articuli, sive Formulae fidei.* Ergo in Decretis de Librorum lectione LIBRI nomen ad ista quoque se extendit. Idipsum dicito de §. 2., cui titulus: LIBRI *certorum argumentorum prohibiti.* Attamen videsis inibi (*nn. 5., 6., 7.*) memorari *Libellos, Epistolas, Ordinationes, Arresta, Decreta, Litteras.* Ergo siquidem in Decretis, quae librorum lectionem etiam sub censuris damnant, existimandum sit, *Libri* nomen eo sensu usurpari, quo in Decretis huiusmodi adhiberi generatim solet, inane videri poterit argumentum ab aliis petitum ex vulgari libri appellatione, quo nimirum a condemnatione, poenisque adiectis lectio epistolae, carminis, orationis, ephemeridis cuiuspiam eximatur. Idque alia ratione confirmari potest. Nam, inspectis Decretis, satis patet, nomine *libri* intelligi quidquid demum, cuius lectio in fidei ac morum detrimentum et corruptelam confert. Atqui id non solum scriptis, qui vulgariter *libri* nomen habent, sed cuivis scriptiunculae convenit. Ergo.

Praestat heic ea subiicere, quae post relatam contrariam Bouvier opinionem subdit Comm. Reat.: « Aliud (inquit) putant sapientissimi scripto-
» res periodici, cui titulus – *La Civiltà Cattolica* – (Ser. VIII. Vol. VI. a
» pag. 648.), ea cum primis ratione ducti, quod *ephemerides* in eo a *libris*
» distant, quia illae ex singulis plagulis seu foliis in dies singulos, hi ex
» pluribus compactis plagulis identidem editis, in libros coalescunt: ratio
» brevis et urgens. Utcumque illud prorsus indubitatum est, ephemerides,
» quarum lectio periculosa est fidei seu moribus, ipso naturali iure vetitas
» esse sub gravi. Quod post Litteras SS. D. N. Pii Papae IX. datas Emo
» Urbis Vicario sub die 30. Iul. 1871. certo certius est »...

S. Lig. n. 284. Nec qui ex necessitate legit ad convincendum haereticum, si non pateat recursus ad Superiorem.— *S. Lig. n. 283.* Nec qui parvo tempore librum retinet, v. gr. uno alterove die. — *S. Lig. n. 295.* Neque si librum retinet expectando tempus opportunum, ut Superiori tradat; secus si illum diu retineret, licet a legendo omnino abstineret. — *S. Lig. ibid.*

III. *De Indice librorum prohibitorum.*

983. — *Index* confectus et vulgatus fuit iussu *Pauli IV.* anno 1558; *Pius IV.* illum perfecit cum *Concilio Tridentino,* et publicavit anno 1564. Auxit *Clemens VIII.* anno 1595. Congregatio Indicis a *S. Pio V.* instituta est. — *Vide S. Lig. App. de prohibitione librorum l. 1. in fine n. 17*, etc.

Index tres praecipuas classes librorum prohibitorum exhibet. *Prima classis* continet omnes libros haereticorum haeresim habentes, vel de Religione *ex professo* tractantes. *Secunda classis* complectitur libros catholicorum contra Fidem vel bonos mores. *Tertia classis* continet libros editos sine nomine auctoris, qui pravam doctrinam tradunt. — *S. Lig. n. 289.*

Libri 1ae classis, qui iure veteri omnes sub poena excommunicationis prohibiti erant, etiamnum manent omnes prohibiti; quinam vero sub poena excommunicationis, et quidem reservatae, sint modo interdicti, supra dictum est. Libri 2ae et 3ae classis prohibiti non censentur, nisi specialiter in Indice designentur, nisi tamen pertineant ad generales quasdam materiarum classes, quae in Regulis Indicis designantur. Insuper in Indice generatim in odium auctoris prohibentur omnes libri haeresiarcharum, licet haeresim non contineant, nec de Religione tractent (*a*).

** (*a*) Notat Avanzini (*Comm. n. 8.*), habita ratione poenarum, libros prohibitos vel reiiciendos in tres classes dividi posse, videlicet 1° In libros prohibitos sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatae, de quibus supra n. 972. II. — 2° In libros prohibitos sub poena culpae iuxta librorum prohibitorum Indicem, eiusque vigentes Regulas; et ad hunc censum referri possunt libri quoque vel scripta iure tantum naturae vetita, licet nondum in Indicem relata, quae tamen alioquin ad generales quasdam prohibitorum classes facile revocantur; item libri, qui per Episcopos in singulis dioecesibus prohibeantur: quod tamen Decretum tum quoad vim *positivi praecepti,* tum quoad censuram, si qua addita esset, solos Dioecesis cuiusque subditos adstringeret. — 3° In libros, quos iuxta antiquum in Ecclesia morem dicemus apocryphos, quos nempe habemus ceu destitutos omni illa auctoritate, vi, vel usu, ad quem ordinati videri queunt: quo censu apocryphum dicimus *monumentum, canonem, testamentum, decretum,* etc., hos autem libros Ecclesia simpliciter repudiat sine ulla sancita poena. Eiusmodi sunt libri de rebus sacris tractantes, sed sine Ordinarii approbatione impressi. Ad hanc classem referri possunt libri indulgentiarum omnes, diaria, summaria, libelli, folia, in quibus earum concessiones continentur, sed sine licentia S. Congregationis Indulgentiarum evulgatae: item libri rituales, sine approbatione Congreg. SS. Rituum editi, etc.

Praecipuae Indicis Regulae Tridentini iussu editae.

984.—1° Libri omnes ante annum 1515. damnati prohibentur, etiamsi in Indice descripti non reperiantur.

2° Libri omnes haeresiarcharum omnino vetantur, etiam non erronei aut non tractantes *ex professo* de Religione. Caeteri libri haereticorum non erronei, nec de Religione tractantes, permitti possunt, modo examinati et approbati fuerint (*a*).

3° Scripturae et libri controversiarum in lingua vernacula legi non possunt, nisi approbati fuerint a S. Sede, vel editi cum notis desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus, vel doctis catholicisque viris (*b*).

4° Libri de obscenis *ex professo* tractantes absolute prohibentur, quamvis in Indice non reperiantur.

5° Pariter vetantur omnes libri tractantes de astrologia, divinatione, et sortilegiis (probabilius sub excommunicatione non reservata).

6° Omnes libri damnati propter falsi dogmatis suspicionem prohibentur sub poena excommunicationis (sed vid. sup. n. 972. II.): caeteri sub peccati mortalis reatu.

Praeter decem Regulas iussu Tridentini editas extant aliae Regulae generales statutae ab ipsa *S. Congr. Indicis,* et iussu Pontificum editae in volumine Indicis librorum prohibitorum, sub hoc titulo: *Decreta de libris prohibitis,* etc.

Ex veteri iure haereticorum libri de Religione tractantes, vel haeresim continentes, dupliciter sub excommunicatione prohibebantur: una reservata Romano Pontifici, per Bullam *Coenae;* altera non reservata. Novum ius vid. sup. n. 972. II.

985. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An lex Indicis, prohibens lectionem quorundam librorum, obliget de iure naturali, vel de iure positivo tantum?*

Resp. Urget ex utroque iure, saltem *per se;* quia libros non prohibet, nisi quia sunt perniciosi, et proximum perversionis vel peccati periculum inducunt; de iure autem naturali quisque huius-

(*a*) Clausula haec non videtur modo vigere.

(*b*) POSTULATUM. Cum ad Sacram Congregationem Indicis certo relatum fuerit, sacratissimos Bibliorum libros vulgari sermone nonnullis in locis typis edi, quin saluberrimae de ea re leges serventur, cumque inde pertimescendum sit, ne, quae hominum nequam hisce praesertim temporibus conspiratio est, errores sanctiori divini eloquii apparatu obvoluti perperam insinuentur; censuit eadem *S. Congregatio,* revocanda iterum esse in omnium memoriam, quae alias decreta sunt: vernaculas nimirum Bibliorum versiones non esse permittendas, nisi *quae fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus, vel ex doctis catholicisque viris.* — 13. Iun. 1757. — Item 7. Ian. 1836.

modi periculum effugere tenetur. Unde etiamsi obligatio Indicis alicubi non agnosceretur, nihilominus lectio librorum in Indicem relatorum sub gravi prohiberetur. Qua de re animadvertit *S. Lig.: Theologi omnes addunt, nec cum licentia quidem Pontificis lectionem permitti posse illius libri, qui subversionis alicui occasio esse possit. Append. de libris prohibitis c. 1. n. 12.*

Duo praeterea notanda sunt.

1° Privati homines debent Confessarii mandatis obsequi in his quae lectionem librorum respiciunt. Ita respondit *S. C. Inquisit.* anno 1832. ad Episcopos Helvetiae interrogantes, *An fideles, salva conscientia, legere possint Ephemerides vel libros, qui censuram Ordinarii non subierunt? Resp. Recurrant ad Confessarium* (*a*).

2° Confessarius ipse debet Episcopi directionem sedulo exquirere, et diligenter prae oculis habere gravissimum monitum, quod S. Ligorius tradidit, nempe: *In hac re expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi. Cap. 5. num. 8.*

986. — Quaer. 2° *An lex Indicis in Gallia urgeat?*

Resp. Hac de re non omnes conveniunt. Affirmant alii, quia lex generalis est. Negant autem alii, tum quia (aiunt) lex Indicis recepta non fuit (quod de caetero adversarii dicunt historice falsum) tum propter diuturnam legis desuetudinem. Alii vero mediam viam incedentes dicebant non esse receptam in Gallia Indicis prohibitionem quoad poenam excommunicationis, urgere tamen quoad reatum peccati, quod plerumque ob periculum perversionis aut malae delectationis ex lectione talium librorum committitur.

Verum, quidquid in antecessum dixerint non pauci Galliae theologi, nunc non videtur amplius dubitandum esse propter non ambiguas Pii IX. Declarationes. Pontifex enim non tantum suasionibus egit, ut Galliae Episcopos induceret ad leges Indicis executioni mandandas, sed etiam tantam auctoritatem prae se tulit, ut nemini deinceps liceat affirmare, legem Indicis in Gallia non vigere. Satis sit in medium afferre testimonium *S. Congr. Concilii* ac proinde Pontificis ipsius, in actis Concilii Remensis an. 1857. scilicet: *Caeterum servari Regulas Indicis. Vide Card. Gousset, Exposition des principes du Droit canonique.*

Notatu vero dignum est, Episcopos Galliae in dies conari, ut leges Indicis executioni mandentur, sicuti patet ex Conciliis Provincialibus Avenionensi, Tolosano, Burdigalensi, Auscitano, Rupellensi, etc.

987. — Quaer. 3° *An* Indicis *legem violet qui legit v. gr. manuscripta maioris formae ab haeretico exarata?*

Resp. Affirmandum videtur cum *S. Lig. n. 293., Suarez, Lacroix, et aliis communius.* Ratio est, quia in usu vulgari manuscri

** (*a*) Imo et dum alicui facultas fit libros prohibitos legendi, subinde clausula additur, ut ea in re consilium et iudicium confessarii adhibeatur.

pta saepe librorum nomine insigniri solent: sic enim appellabantur omnia scripta antequam typographia inventa fuisset. Plures tamen contradicunt, quia manuscripta nomine librorum non veniunt (*a*).

988. — Quaer. 4° *A quonam impetranda sit licentia libros prohibitos legendi?*

Resp. Ordinarie loquendo a solo Pontifice Romano, vel a *Congregationibus S. Inquisitionis*, aut *Indicis.* Facultas enim permittendi competit ei, cuius est vetare. Episcopi tamen ad illud munus aliquando delegantur. *Viva* censet, eos hanc licentiam, urgente aliqua necessitate, impertiri posse.

Episcopis aliisque Ecclesiarum Ordinariis potestas inest prohibendi lectionem pravorum librorum, et quidem etiam sub poena censurae subeundae. Hanc potestatem in Episcoporum memoriam revocavit Leo XII. die 26. Martii 1825., et recentius confirmavit Pius IX. die 24. Augusti 1864., qui iussit, Episcopos hac in re *tamquam Apostolicae Sedis delegatione perfungi.*

Caeterum, cum in materia adeo gravi et difficili multo plura dicenda forent, quam brevitas nostri operis permittat, lectorem ad Canonistas remittimus.

APPENDIX II.

DE CLAUSURA MONASTERIORUM

RESPECTU 1° INGREDIENTIUM; 2° EGREDIENTIUM; 3° COLLOQUENTIUM AD CRATES ABSQUE FACULTATE

I. *Quoad ingressum in monasteria.*

989. — 1° Incurrunt excommunicationem reservatam (*Super. n. 975. VI.*) omnes fideles utriusque sexus ingredientes monasteria Monialium, et Moniales eos admittentes. In Gallia tamen non videtur nunc admittenda excommunicatio pro ingredientibus monasteria mulierum iuxta dicta *de Statibus,* cum ibi non sint Religiosae stricto sensu, seu solemniter Professae.

2° Item mulieres ingredientes monasteria virorum, qualibet de causa, exceptis Reginis vel aliis ex familiis Principum; item Religiosi eas admittentes, vel introducentes (*Sup. n. 975. VII.*). Hoc autem accipiendum est tantummodo de monasteriis seu domibus Regularium, qui solemnia vota emittunt. Nam quoad Congregationes, ubi sim-

** (*a*) Illud tamen non negligendum, *in Decreto De Libris prohibitis* §. 2. nn. 4., 5., 6., 8., 10., 11., et 13. diserte et *manuscriptorum* mentionem fieri. Ergo ex sensu Curiae proprio sub nomine *libri* et manuscripta veniunt.

plicibus tantum votis se obstringunt, nuspiam in SS. Canonibus cavetur, ut hi praemissae legi clausurae subiiciantur.

Possunt ingredi monialium monasteria 1° Episcopi in casu necessitatis, aut visitationis, sed sociati a paucis personis maturis; 2° Praelati regulares semel in anno, visitationis causa; 3° Confessarius ordinarius ad Sacramenta in necessitate ministranda, sed superpelliceo et stola indutus; 4° medicus ordinarius, qui licentiam renovare debet quolibet trimestri; et medicus extraordinarius, ordinarii defectu; 5° fabri et alii necessarii, qui artem suam extra clausuram exercere non possint.

Licentiam monasteria ingrediendi concedere potest Episcopus, vel quivis alius ab ipso delegatus, v. gr. Vicarius generalis vel Confessarius Monialium, aut ipsa Abbatissa, etc.; sed causa gravis requiritur, minor tamen pro femina quam pro viro, pro ingressu diurno quam pro nocturno, et pro ingressu propinquorum quam extraneorum.

II. *Quoad egressum e monasteriis.*

990.—I. *Ex parte Monialium.*—1° Incurrunt excommunicationem reservatam Moniales e monasterio egredientes absque urgentissima necessitate, etiamsi occulte fiat.

Constitutio tamen (Vid. Sup. n. 975. VI.) excipit *casus ac formam a S. Pio V. in Constit. Decori praescriptam.* S. Pii autem Constitutio haec (§. 2.) habet: *Volumus, sancimus et ordinamus, nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarumve monialium.... quorumcumque Ordinum.... de caetero etiam infirmitatis, seu aliorum monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum, aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione et praetextu nisi ex causa magni incendii vel infirmitatis, leprae aut epidemiae, quae tamen infirmitas, praeter alios Ordinum Superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum seu alium loci Ordinarium, etiam si praedicta monasteria ab Episcoporum et Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit, a monasteriis praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus, stare licere.* Caeterum casus incendii aut morbi epidemici memorari hic instar exempli, non autem exclusive quoad casus simile periculum inducentes, videsis ostensum apud S. Alphonsum (*Lib. 7. n. 229.*).

Ceu probabilius habet S. Alphonsus (*l. c.*) cum Sanchez et Bonac., quod non detur hac in re parvitas materiae, atque adeo excommunicationem incurri tum si monialis e clausura vel uno passu egrediatur, vel quis intra clausurae septa vel uno gradu ingrediatur. Alii tamen apud eundem S. Alphonsum (*ibid.*) hoc negant.

991.—II. *Ex parte Religiosorum.*—1° Ex consuetudine et ex

fine status sui, Religiosi ad clausuram ita tenentur, ut sine licentia a proprio conventu egredi non possint.

2° Poenis tamen Apostatarum non subiiciuntur, nisi dimisso habitu et animo non redeundi egrediantur. Sed nocturna egressio furtiva est casus reservabilis.

3° Egressus peccatum grave est ex genere suo, quia turbat ordinem et finem vitae religiosae; ratione materiae veniale esse potest, v. gr. si die fiat et ad breve tempus, etc.

III. *Quoad collocutionem ad crates cum Monialibus.*

992. — 1° Laici frequentantes monasteria Monialium incurrunt excommunicationem ferendae sententiae (in variis locis latae sententiae).

2° Clerici vero suspensionem per Episcopum imponendam incurrunt.

3° Regulares autem subeunt privationem vocis et officii ferendae sententiae, etiamsi collocutio fiat semel et per quadrantem cum dimidio, ex Decreto *S. Congreg.* anno 1669.— *S. Lig. n. 236.* Ex Decreto anteriori *Sixti V.* (anno 1590.), privationem officii et vocis cuiuslibet ipso facto, si frequentare praesumant ad colloquendum cum qualibet muliere ibidem degente. — *S. Lig. n. 232.* Probabiliter excipitur Abbatissa extra Romam.

4° Frequentia consistit in eo, quod quis tribus diebus continuis, vel semel singulis mensibus per annum circiter, aut quater in hebdomada monasterium adeat.

ARTICULUS II.

DE SUSPENSIONE

993. — Definitio. Suspensio est censura, qua Clericus privatur ad tempus, ex parte vel toto, usu potestatis, quam habet ratione Ordinis, officii, vel beneficii.

Suspensio est *censura,* quia *per se* fertur in medicinam per modum monitionis, ut delinquens a contumacia desistat. Sic 1° differt a depositione et degradatione, quae sunt merae poenae et perpetuae in vindictam criminis; 2° differt ab irregularitate, quae non est *per se* poena, sed merum impedimentum, seu inhabilitas non solum ab exercenda potestate ecclesiastica, sed etiam ab ea recipienda impediens.

Attamen suspensio non est necessario et essentialiter censura; aliquando enim fertur vel ad certum tempus, vel in perpetuum ad puniendam culpam mere praeteritam, et proinde tunc non est medicinalis. Constat ex praxi Ecclesiae ex *l. 2. Decretal. tit. 20. c.33.*

Divisio. Suspensio duplex distinguitur:

1° *Totalis,* qua Clericus arcetur ab omni functione vel iure ecclesiastico.

2° *Partialis,* qua functione vel iure aliquo tantum privatur.

Suspensio autem *partialis* triplex est: 1° *ab Ordine,* quae privat exercitio functionum Ordinis, v. gr. celebratione Missae, cantu solemni Evangelii, Epistolae, etc.; 2° *ab officio,* quae privat usu tum Ordinis, tum iurisdictionis, sive in foro externo, sive etiam in foro interno; 3° *a beneficio,* quae privat reditibus et administratione beneficii. Haec autem singula iterum in suspensionem *totalem* vel *partialem* sive Ordinis sive officii, sive beneficii, subdividi possunt. — *Vide S. Lig. n. 315. et seq.*

994. **Regulae generales.** — I^a *Regula.* Peccat graviter Clericus suspensus, si actum Ordinis sacri vetitum solemniter exerceat, nisi ignorantia invincibili, aut alia legitima causa, v. gr. necessitatis, excusetur. Ratio est, quia in re gravi Ecclesiae resistit. Potest tamen facere ea omnia, quae a laicis fieri solent, v. gr. canere in choro more laicorum, etc. Suspensus autem ab Ordine, si hunc exerceat, non solum graviter peccat, sed etiam irregularitatem incurrit, ut suo loco dicemus.

II^a *Regula.* Suspensio *absolute* et *simpliciter,* sine ulla determinatione ad hoc vel illud, semper censetur *totalis,* et proinde privat omni usu Ordinis, iurisdictionis et beneficii. Suspensio vero *partialis* privat ea tantum parte huius potestatis, quae in lege, vel statuto vel mandato aut sententia exprimitur.

III^a *Regula.* Suspensio ab Ordine *absolute* et *simpliciter,* privat exercitio et usu cuiuscumque Ordinis sive maioris, sive minoris. Suspensio a iurisdictione privationem omnis iurisdictionis importat.

IV^a *Regula.* Suspensio ab officio *simpliciter* et sine limitatione privat usu tum iurisdictionis tum Ordinis, seu cuiuscumque ministerii ecclesiastici. Hinc Parochus ab Officio suspensus, nec Missam celebrare, nec praedicare, nec officiis praeesse, nec Sacramenta ministrare potest.

995. **Resolves.** — 1° Suspensus simpliciter ab Ordine non intelligitur suspensus a iurisdictione, et vice versa. Suspensus ab Ordine superiore, non ideo ab inferiore est suspensus. Item suspensus a beneficio non censetur suspensus ab officio, nec vice versa.

2° Non incurritur irregularitas violatione suspensionis latae propter delictum mere praeteritum, vel in perpetuum. — *S. Lig. n. 314. et seq.* Ratio est, quia talis suspensio habet rationem merae poenae, non autem censurae, ut sup. n. 941. dictum est: non ergo tunc habetur censurae violatio. *A fortiori,* si suspensio facta fuerit propter defectum inculpabilem mentis vel corporis. Nec incurritur per exercitium cuiuslibet actus, a quo quis fuit suspensus, praeter exercitium solemne Ordinis sacri. — *Ita communiter.*

3° Episcopus suspensus a pontificalibus, si Missam celebraret, etiam cum pontificalibus, non incurreret irregularitatem; quia non exerceret actum substantialem Ordinis episcopalis. — *S. Lig. n. 314.,* etc.

4° Actus Ordinis Clerici suspensi non dependentes a iurisdictione sunt validi; quia Ecclesia nequit tollere potestatem Ordinis, sed tantum illius exercitium prohibere potest. Actus vero iurisdictionis sunt invalidi, si suspensus sit nominatim denuntiatus, quia privatur actuali iurisdictione; validi autem sunt, nisi sit denuntiatus, quia Ecclesia, eo ipso quod tolerat suspensum, ob bonum fidelium ei non adimit iurisdictionem. — *S. Lig. n. 314.*, etc.

996. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An Sacerdos suspensus absolvi possit a peccatis per simplicem Confessarium, antequam a censura solvatur per superiorem?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia effectus suspensionis non est privare receptione Sacramentorum. Sufficit igitur, si sit dispositus ad Sacramentum Poenitentiae, scilicet sit saltem attritus de peccatis, et promittat se esse procuraturum quamprimum, quantum in se erit, absolutionem a censura, et interim se potestate vel iuribus prohibitis usurum non esse.

Quaer. 2° *An possit ferri suspensio* partialis *pro sola culpa veniali?*

Resp. Affirm. iuxta sententiam communem, modo sit ad breve tempus (*a*), et proinde lata ab homine. Ratio est, quia tunc magnum onus non inducit, nec proinde deest proportio inter culpam et poenam. Secus autem, si esset ad tempus diuturnum, vel indicta a iure ita ut incurratur sine praevia monitione; talis enim censura non incurritur, nisi ob peccatum mortale. — *S. Lig. n. 320.*, etc.

997. — Quaer. 3° *Quomodo tollatur suspensio?*

Resp. 1° Si suspensio rationem habeat *censurae,* tollitur ut excommunicatio, scilicet per solam absolutionem, et quidem Superioris, si sit reservata; attamen si lata fuerit ad certum tempus determinatum, vel sub conditione, cessat per seipsam, transacto tempore, vel adimpleta conditione statuta.

Resp. 2° Si vero imposita sit in *perpetuum* propter culpam omnino praeteritam, tollitur, ut mera poena, per solam dispensa-

** (*a*) Sed Auctor ipse iam saepius monuit, suspensionem ad certum tempus, sive longum sive breve, non esse proprii nominis censuram. De his breviter simul ac dilucide sic Comm. Reat. (§. 13.): *Suspensio et interdictum nonnunquam irrogantur per modum* solius poenae vel privationis cuiusdam. *Per modum poenae ut cum non contumacia coercetur, sed* singulis *irrogantur pro delictis omnino praeteritis, idest quae nullum habent tractum, ut aiunt, successivum, vel in perpetuum sunt constitutae, vel in diem certum, vel quamdiu Ordinario videbitur. Per modum vero* privationis cuiusdam, *cum irrogantur in Collegium aliquod vel Universitatem. Inter censuras autem et poenas vel privationes hoc maxime distat, quod is, qui censuram violat Ordinem exercendo, irregularitatem incurrit; at violatio poenae vel privationis neminem facit irregularem, nisi aliud in iure cautum sit,* prout in Cap. *Cum aeterni 1. De Sent. et Re Iudicata in 6°,* ubi irregularis declaratur iudex, si damnabiliter se divinis ingesserit, durante suspensione alioquin *per annum* ipsi inflicta.

tionem Praelati, vel eius delegati, quia tunc non est censura. — *Ita communiter.*

QUAER. 4° *Quaenam forma adhibenda sit ad tollendam suspensionem?*

Resp. 1° Si suspensio occulta sit, tollitur per absolutionem sub forma generali: *Absolvo te ab omni vinculo,* etc.

Resp. 2° Si publica sit, *in foro interno* eadem forma tollitur: in *foro* vero *externo* adhibenda est forma solemnis in *Rituali* determinata. Solemniter autem nemo a suspensione absolvere potest, nisi ipse Superior aut alius specialiter ad hoc delegatus.

QUAER. 5° *An Sacerdos simpliciter approbatus absolvere possit suspensum a censura in articulo mortis, si Superior aut delegatus desit?*

Resp. Negant non pauci ea ducti ratione, quod nulla appareat causa, cur Ecclesia ei conferat talem potestatem; suspensio enim non privat facultate recipiendi Sacramenta, si excipias promotionem ad Ordinem superiorem. Sufficit igitur ad salutem aeternam, ut suspensus in tali periculo constitutus a peccatis absolvatur. Alii tamen probabiliter censent, Sacerdotem in hoc casu moribundum absolvere posse. Ratio est, quia Trident. generaliter et indistincte dicit *a quibusvis censuris;* atque adeo cum nullam censuram excipiat, nostrum non est distinguere, ubi lex Concilii nihil distinguit. *V. Diana, tom. V. tr. 1. Res. 205.*

Suspensiones latae sententiae Romano Pontifici reservatae.

998. — I. Poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium (*a*), *speciali modo* Romano Pontifici reservatam, incurrunt, qui Episcopali charactere iam insigniti, nominati et praesentati vel electi (*Vid. sup. n. 973.*) ad vacantes ecclesias, earum curam, regimen et administrationem ante exhibitionem Litterarum Apostolicarum suscipere audent. *Ex Const. Pii IX. Romanus Pontifex 28. Aug. 1873.*

999. — II. Simpliciter reservatam suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et monasteriorum, aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos, aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi ex-

** (*a*) Pontificalium nomine intelligitur usus auctoritativus insignium Pontificalium, ut mitrae, baculi pastoralis, et pallii. Suspensus itaque a Pontificalibus repellitur ab actibus Ordinis Episcopalis, qui cum praedictis insignibus fieri solent. Ergo absque dispensatione non potest Confirmationis sacramentum, aut Ordines conferre, nec virgines, Ecclesias, etc. consecrare, quia haec Pontificalibus accensentur. Potest tamen Missam celebrare more aliorum sacerdotum, confessiones audire, baptizare, imo et censuras ferre, conferre beneficia, aliosque actus iurisdictionis exercere; quippe ad Pontificalia minime spectant.

hibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione. *Ex Constit. Apostolicae Sedis* (*a*).

III. Suspensionem per triennium a Collatione Ordinum ipso iure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo Beneficii vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta. *Ex Const. Apost. Sedis* (*b*).

** (*a*) Haec suspensio ferit *personas morales*, seu communitates (*Sup. n. 950. q. 7.*), cuiusmodi sunt capitula ac monasteria, si receperint Episcopos seu Praelatos utique apud S. Sedem provisos de eorum respective Ecclesiis aut Monasteriis, nondum tamen exhibitis de sua promotione Litteris Apostolicis, adeoque eisdem ceu legitima auctoritate praeditis obedientiam atque subiectionem praestiterint.

Porro cum suspensio ferri queat vel in Capitulum, ceu personam moralem, vel in singulos eius Capituli Clericos, vel simul in Capitulum et singulos; quaestio est, utrum heic Capitula et monasteria incurrant suspensionem a solis beneficiis, quae communiter possident, ut censuit Suarez (*De Cens. Disp. 31. Sect. 5. n. 23. et Disp. 28. Sect. 3. n. 5.*), an et ab his quae singuli obtinent, prout ratus est Bonacina (*Tom. 3. Disp. 3. Q. 4. Punct. 10. n. 4.*). *Sententia Suarezii*, inquit Comm. Reat., *et verbis Constitutionis nostrae et regulis iuris Canonici magis convenit; et in dubio, cum versemur in odiosis, praeferenda est.*

Movebatur Bonacina (*l. c.*), quod in Extrav. *Iniunctae de Electione* c. 1., unde haec censura desumpta est, dicatur, *et alii quicumque,* prout et in Const. nostra dicitur, *aliique omnes.* At enim cum isti *alii omnes ad* Capitulum vel monasterium non pertineant, esto, plectantur privatione eorum, quae singuli obtinent, dum non aliam privationem subeunt; Capituli vero membra, seu monasterii, si insuper sic punirentur, iam duplicem prae istis aliis poenam subirent.

Hic vero illud fac advertas tum in Const. *Iniunctae*, tum in textu Const. nostrae, nomine *beneficiorum* venire etiam bona, quae ad monasteria spectant. Hinc illud confirmatur, quod sup. (*Not ad n. 972. XI.*) innuimus, quomodo sub appellatione beneficiorum usurpatio bonorum ad monasteria pertinentium cadat sub censuram excommunicationis speciali modo reservatae.

** (*b*) Haec suspensio generatim in Episcopum fertur, qui ad sacros Ordines promoveat clericum idoneas ad sustentationem facultates aut Beneficii aut Patrimonii etc. ope non habentem. Et cum Sancta Synodus Tridentina decreverit (*Sess. 21. Cap. 2. De Ref.*), *ne quis deinceps clericus saecularis..... ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum* (aut Patrimonium) *quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere;* et iura (*Cap. Cum secundum 16. De Praebendis*) exigant, ut quisquis clericum beneficio aut patrimonio carentem ad sacros Ordines promoveat, teneatur ei sufficientia ad honestum victum suppeditare; propterea praevaricari constat Episcopum, qui destitutum titulo beneficii vel patrimonii ordinet, et simul, inito pacto, se ab onere praebendi ei ad victum necessaria eximat. Et quidem eiusmodi pactis suspensionis poena inflicta cernitur inserta canonicis legibus *de Simonia* (*Cap. Si quis 45.*), quippe haec pacta quandam *simoniam redolent.* Hic tamen canon limitationem in Const. nostra habet; in eo enim etiam triennalis suspensionis ab ordine sic suscepto poena infligebatur ordinato: sed vi novi iuris suspensionem solum ordinantes incurrunt (Vid. Avanzini Comm. n. 49., ubi fuse dubia de hac re apte solvit).

Caeterum quandonam clericus in rem praesentem censendus sit, nec ne, quovis titulo destitutus, sic paucis ac probe complectitur Comm. Reat. (§. 143.): *Ait Pontifex,* absque titulo. *Porro absque titulo ordinari intel-*

IV. Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum (*a*) etiam sub praetextu Beneficii statim conferendi aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus (*b*), vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius

ligitur et is, qui ordinatur cum titulo falso (quod nempe non extat, seu praedia supposita sint, seu instrumenta, seu nomina constituentium), *vel eo, ex quo nullum ius percipiendi fructus in ordinatum transit. Non item* (*si quid opinor, nam versamur in odiosis*), *si huiusmodi ius transeat quidem, sed* 1° *titulus sufficiens non sit; vel sufficiens quidem sit, sed ius percipiendi fructus constitutum sit* 2° *ex die* (v. gr. ex die ordinationis in subdiaconum), *vel* 3° *forte in diem* (v. gr. ad triennium) *tantum. Scilicet in priori casu subest aliquis titulus; in altero subest iure, in tertio subest facto et reipsa. Nec si eum ordinaverit titulo ficto* (quod scil. revera consistit, sed constitutum est dicis causa idest perfunctorie et sine intentione illud constituendi), *seu fiduciario* (quod nempe ea lege constituitur, ut ab ordinatione dein restituatur, vel ut ne ordinatus fructus percipiat), *quia valet* (ex S. Congr. Conc. 14. Maii 1671. apud Bened. XIV. Notif. 26. n. 18.), *vel obnoxio restitutioni in integrum, aut resolutioni, quia interim valet; vel iniusto* (quod nempe non servata iuris forma factum est), *quia utrum non valeat, saltem in foro conscientiae, incertum est*, ut habet S. Alphonsus Lib. 3. n. 711 et 927.

** (*a*) Alienum subditum accipere debemus eum, qui non est subditus Ordinantis, neque ratione originis, neque domicilii, neque beneficii, neque famulatus seu familiaritatis, quamvis in huius dioecesi *fortuito* editus sit: quippe Episcopus *originis* is dicitur, in cuius Dioecesi domicilium habebat pater eius quando ordinandus in lucem prodiit, vel eiusdem mater, si spurius est (*Vid. Comm. Reat.* §. *140.*).

Suspensionem autem hic intentatam Ordinans vitabit, si clericum ordinaverit collato prius ei beneficio; quippe ex hoc iam suus subditus esse coepit: dummodo beneficium extet in sua Dioecesi (Ex Const. *Speculatores* § 3. Innocentii XII.), et sit *sufficiens*, et ordinandus in pacifica possessione eius sit.

Dixi, *sit sufficiens* etc.: nam omnia haec caverat Innocentius XII. (*cit. Const.* §. *3.*): *Licet vero clericus* (inquit) *ratione cuiusvis Beneficii in aliena Dioecesi obtenti subiici dicatur iurisdictioni illius Episcopi, in cuius Dioecesi Beneficium situm est, eam tamen de caetero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo eiusmodi subiectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium praedictum eius sit redditus, ut ad congruam vitae sustentationem, sive iuxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, iuxta morem regionis pro promovendis ad sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab Ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus eiusdem Beneficii cum adiectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse Ordinandus in eadem seu alia quavis Dioecesi obtineret.*

** (*b*) *Dimissoriales* litterae dicuntur, quibus alieno Episcopo fit facultas ordinandi proprium subditum, ea cum conditione, ut nihilominus suo Episcopo remaneat subditus. Has porro litteras dare potest non modo proprius ordinandi Episcopus, sed etiam Vicarius generalis, si Episcopus *in remotis* degat; immo et Vicarius Capitularis, Sede vacante, et quidem etiam infra annum *arctatis*, idest, iis, quibus ratione beneficii aut recepti vel recipiendi opus sit aut alicuius sacri Ordinis aut tonsurae collationem non differri.

loci litteris testimonialibus (*a*). *Ex eadem Const. Apostolicae Sedis* (*b*).

V. Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso iure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo Beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo (*c*). *Ex ead. Const.*

** (*a*) Litterae *testimoniales* seu commendatitiae appellantur, quibus Ordinarius fidem facit, clericum promovendum iis moribus ornatum esse, ut ad Ordines suscipiendos idoneus sit. *Testimoniales* porro petendae sunt ab Episcopo domicilii semper: item ab Episcopo originis, et ab Episcopo eius loci, ubi quis fortuito natus sit (*Const. Speculatores* §. *4. et 5.*), et insuper ubi quis moratus est aliquamdiu, ubi demum tamdiu moratus sit *ea aetate*, ut ibi canonicum impedimentum contrahere potuerit. Nam post *septennium* censuras et irregularitates potuit contraxisse; mora autem longior semestri testimonium status a matrimonii vinculis liberi exigendum suadet.

** (*b*) Quae in Notis praecc. dicta sunt de *testimonialibus*, deque *dimissoriis* litteris, etiam ad eos pertinent, qui Piis Sodalitiis seu Congregationibus, in quibus vota simplicia voventur, nomen dederunt. Et hi igitur ad tonsuram vel Ordines promoveri nequeunt sine dimissoriis vel testimonialibus eius Episcopi, in cuius Dioecesi moram trahunt (S. Congr. Epp. 6. Maii 1864.). Aliud iuris est in Regularibus: His unus suus Ordinarius est superior domicilii idest coenobii, in quo degit Ordinandus: *ideo non tenentur ostendere dimissorias Ordinariorum propriae originis* (S. Congr. Conc. 28. Febr. 1754.), sed Superiorum suorum Regularium, quae tamen dari nequeunt nisi ad Episcopum dioecesanum (Ben. XIV. Const. *Impositi nobis*) Et licet olim non satis convenerit, a quo dandae essent dimissoriae Novitiis (S. Alph. Lib. 6. n. 765), hodie cautum est, eas, durante triennio post tirocinium, ante solemnem professionem, a Superioribus Regularibus dari posse quoad tonsuram et Ordines minores tantum (S. Congreg. RR. 12. Ian 1858.). Verum si Religionem deseruerint, vel ab ea dimissi fuerint, sive illi post (ante?) simplicia, sive hi ante solemnia edita vota, recidunt in iurisdictionem Episcopi, cui suberant, antequam Religionem ingrederentur (S. Congr. RR. 20. Ian. 1860. — S. Congr. Epp. 6. Mart. 1864.).

Ad haec ex Conc. Trid. 1°. Qui ordinat sive suum subditum, sive alienum in Dioecesi alterius sine eius Ordinarii expressa licentia (Sess. 6. De Ref. Cap. 5.); 2° Episcopi titulares si quem ad minores Ordines vel primam tonsuram promoverint (Sess. 14. De Ref. C. 2.); demum 3°. Vicarii Capitulares, qui dimissorias ad Ordines non arctatis infra annum concesserint, incurrunt suspensionem ille indefinite, isti per annum ab exercitio Pontificalium hi ab officio et beneficio item per annum.

** (*c*) Quod Tridentinum statuerat de titulo necessario ad sacros ordines pro clero saeculari, idipsum S. Pius V (*Const. Rom. Pontifex* 15. Oct. 1568.) ita sanxit pro clero Regulari. Incommodum, cui voluit occurrere, sic exponit (§. 2.): *Cum... nonnulli, uti moleste accepimus, certorum Ordinum Religiosi seu canonici vel clerici intra claustra monasteriorum seu domorum, more Regularium in communi viventes, qui nunquam seu nonnisi ad certum tempus professionem emittunt, et ex claustro exire vel dimitti, ad saeculum redire libere et licite possunt, Religionis praetextu, titulo sufficientis Beneficii, nec iuxta Decreti tenorem ad sacros Ordines se promoveri praetendant, et a nonnullis Episcopis passim promoveantur, atque inde plerumque illud inconveniens eveniat, ut sic promoti et e claustro exeuntes et per saeculum vagantes, vel mendicare vel sordidum quaestum exercere, non sine ipsorum dedecore ac Ordinis vilipendio et quam-*

VI. Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso iure incurrunt Religiosi eiecti, extra Religionem degentes (*a*). *Ex ead. Const.*

VII. Suspensionem ab Ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eundem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus (*b*). *Ex ead. Const.*

plurimorum Christifidelium scandalo cogantur. — Remedium autem sic S. Pius (§. 3.) apponit: *Decretum praedictum* (scil. Tridentinum Sess. 21. Cap. 2. De Reform.) *de Clericis saecularibus loquens, ad omnes et singulos etiam cuiuscumque Ordinis Clericos Religiosos, sive saeculares, more Religiosorum viventes in communi, non professos, harum serie extendimus et ampliamus, ac Religiosis et aliis praedictis non professis, ut ad sacros Ordines promoveri; nec non omnibus.... Episcopis...., ut Ordines ipsos huiusmodi Religiosis personis impendere, nisi observata forma dicti Decreti...., interdicimus et prohibemus, ac contrafacientes per annum a praestatione talium Ordinum ipso iure suspendimus.*

Additur in Const. nostra: *excepto casu legitimi privilegii;* quod concessum fuisse v. gr. Societati Iesu constat ex his verbis Constitutionis Gregorii XIII (*Const. Ex Sedis Apost. 28. Febr. 1573.*): *Nec non ut ii, qui tria vota praedicta in eadem Societate emiserint, de licentia sui Praepositi Generalis ad sacros etiam presbyteratus ordines, etiam ante solemnem professionem emissam.... promoveri valeant, Instituta praedicta approbantes, tenore praesentium auctoritate Apostolica, quatenus opus sit, de novo concedimus.*

** (*a*) Canonica ratio, cur eiectus maneat suspensus, haec quoque prostat, quod qui a sua Religione eiicitur, eo ipso caret titulo suae ordinationis, imo et ecclesia, cui sit adscriptus. Ita Avanzini (*Com. n. 53.*), qui deinde inquirit, cur non eandem poenam incurrant Apostatae et fugitivi.

Nam, ut egregie Comm. Reat. habet, duobus opus est, ut Religiosi hanc suspensionem contrahant, nempe ut eiecti fuerint, et extra religionem degant. Quocirca eam non incurrunt apostatae et fugitivi; neque eiecti ea amplius tenentur, si aliam Religionem, quamvis latiorem, fuerint ingressi. Et praeterea opus est, ut iuste quis fuerit eiectus, idest ex causa iusta et servato ordine iuris; neque enim hic recedendum est ab eo iure, quod in aliis iuribus perpetuo observatur. Proinde qui iniuste eiectus est, exercitio Ordinum abstinere quidem debet, ne scandalo sit; verum si non abstinet, contra charitatem peccat, non contra censuram facit; adeoque culpa ipsum tenet, non irregularitas; et ne culpa quidem, si scandalum desit, puta si celebret ubi ignoratur, ipsum eiectum fuisse, nec facile sciri potest.

** (*b*) Qui recipit Ordines, hoc uno in casu, ut observat Comm. Reat., ex Constit. nostra suspensionem incurrit, videlicet si eos receperit ab Episcopo nominatim excommunicato, vel suspenso, vel interdicto, aut ab haeretico vel schismatico notorio.

Et quidem si quis ordines recipiat ab excommunicato nominatim a Summo Pontifice, insuper excommunicationem eidem Pontifici reservatam incurrit, iuxta dicta sup. n. 975. XVII.

Caeterum vi Constitutionis interest, utrum mala fide, an bona ordines quis susceperit. Si *mala,* idest *si praesumpserit,* suspensione perpetua tenebitur, a qua dispensare ad solum Rom. Pontificem spectat; si vero *bona,* non proprie suspensus dicetur, sed exercitium dumtaxat Ordinis ei interdicitur, quoad suus Episcopus cum ipso dispensaverit. *Quid si dubi-*

VIII. Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Cardin. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint: nec non Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium: vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum. *Ex ead. Const.*

1000. — Suspensiones a Tridentina Synodo latae, e quibus aliae Episcopis sunt reservatae, aliae nemini.

I. Nulli Episcopo liceat cuiusvis privilegii praetextu pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia et in personas eidem Ordinario subiectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso iure suspensi (*Sess. 6. Cap. 5. De Reform.*) (*a*).

II. Qui arctati occasione beneficii recepti sive recipiendi non fuerint, et sede vacante, infra annum a die vacationis per litteras dimissorias a Capitulo acceptas fuerint ordinati, si in minoribus ordinibus sic fuerint constituti, nullo privilegio clericali praesertim in criminalibus gaudeant; in maioribus vero sic constituti ab exsecutione Ordinum ad beneplacitum futuri Praelati sint ipso iure suspensi (*Sess. 7. Cap. 10. De Reform.*) (*b*).

tavit (ut scite addit Comm. Reat.) *et neglexerit inquirere ex desidia culpabili quidem, sed non lata, crassa, supina? Num dispensari nequeat ab Episcopo, quia non fuerit in bona fide? An queat, quia non praesumpsit?* Et reponit: *Quando semper id accipiendum est, quod reo est favorabilius, hoc magis puto. Caeterum ut quis suspensionem hanc incurrat, necesse est, ut Ordinem receperit; quamobrem si invalide fuerit ordinatus, suspensio ne intelligi quidem potest.*

** (*a*) Per hoc Decretum non excluditur, quominus clerici etiam aliarum Dioecesium ordinari possint ab Episcopo extraneo in aliena dioecesi, quando et clerici a proprio Ordinario litteras habeant dimissorias, et extraneus hic Episcopus pontificalia ibi exerceat de expressa Ordinarii loci licentia.

Et ex Resol. (quae afferri solet) S. Congr. 22. Febr. 1630. Episcopus in alterius dioecesi existens potest, praevia praedicta illius licentia, tam subditos proprios, quam Episcopi licentiam concedentis absque incursu poenarum ordinare.

** (*b*) Dimissorias post annum concedere spectat ad Vicarium capitularem, et non ad Capitulum, prout refertur decisum in S. Congr. Epp. 12. Ian. 1604.

Verum vicarius Papae non prohibetur etiam statim post vacantem Sedem Apostolicam dimissorias litteras concedere; quippe Decretum Tridentinum minime restringit iurisdictionem Sedis Apostolicae, quamvis vacantis.

III. Nemo Episcoporum, qui titulares vocantur, etiamsi in loco dioecesis Nullius, etiam exempto, aut aliquo monasterio cuiusvis Ordinis resederint aut moram traxerint, vigore cuiusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis, continuae commensalitatis suae(*a*), absque sui proprii Praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis, ad aliquos sacros aut minores Ordines, vel primam tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contrafaciens ab exercitio pontificalium per annum, taliter vero promotus ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Praelato visum fuerit, ipso iure sint suspensi. (*Sess. 14. Cap. 2. De Reform.*).

IV. Si quis ab alio (quam a proprio Episcopo) promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis aut specialis Rescripti vel privilegii praetextu permittatur, nisi eius probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus (*b*).

V. Abbates et alii exempti, aut collegia vel capitula quaecumque (*c*), etiam ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Clericis saecularibus (*d*), ut ab aliis ordinentur, non concedant. Concedentes autem dimissorias contra formam Decreti, ab officio et Beneficio per annum sint ipso iure suspensi. (*Sess. 23. Cap. 10.*).

VI. Si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. (*Sess. 24. Cap. 1. De Reform.*).

VII. Episcopi, quod absit, si ab huiusmodi (concubinatus) cri-

Sede autem Episcopali vacante pro suscipiendis infra annum Ordinibus non adeundus est aut vicinior Episcopus, aut Metropolitanus, sed adeunda est Sedes Apostolica.

Potest tamen Capitulum sede vacante infra annum testimonium idoneitatis, seu litteras testimoniales dare.

** (*a*) Nimirum Episcopos Titulares familiaritatis ratione neminem ordinare posse sanxerat Pius IV. Const. *Cum sicut accepimus* 12. Maii 1562.

** (*b*) Agitur hic de defectu dumtaxat litterarum *testimonialium*, non vero de *dimissoriarum* carentia. Et reipsa contingere potest, ut clericus accedat aut cum litteris dimissoriis, aut praetextu alicuius generalis vel specialis rescripti, vel privilegii, et careat testimonio sui Ordinarii, quo eius probitas ac mores commendentur. (*Sess. 23. C. 8. De Ref.*)

** (*c*) Intellige capitula, quae aliquo iure speciali iurisdictionem habeant in aliqua dioecesis parte: nam aliud decretum de Capitulis, sede vacante, extat.

** (*d*) Abbates nimirum, intra fines cuiuspiam Dioecesis consistentes quemadmodum suis dumtaxat regularibus subditis tonsuram et minores Ordines conferre possunt, non vero subditis saecularibus, ita et de concedendis litteris dimissoriis idipsum statutum est.

mine non abstinuerint, et a Synodo Provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi. (*Sess. 25. de Reform. Cap. 14*.

APPENDICULA

DE DEPOSITIONE ET DEGRADATIONE

1001. — *Depositio* et *degradatio* sunt poenae gravissimae suspensioni valde affines, et ipsi assimilari solent, quia solos afficiunt Clericos, et eodem modo privationem iurium et beneficiorum ecclesiasticorum inducunt. Attamen non sunt proprie censurae, quia ratione tantum poenae, non vero medicinae infliguntur.

Depositio est poena ecclesiastica, qua Clericus privatur usu potestatis ecclesiasticae, et omni titulo radicali ad eam exercendam, necnon omni iure ad beneficia valide possidenda, idque in perpetuum. Est igitur *per se* poena irremissibilis. — *Vide S. Lig. n. 324. et seq.*

Degradatio est solemnis privatio omnium titulorum, bonorum, privilegiorum, et bonorum ecclesiasticorum, ita ut degradatus, solo remanente Ordinis charactere indelebili, ad conditionem laicalem reducatur. Hinc differt a *depositione*, 1° quia degradatio est solemnis privatio bonorum ecclesiasticorum, depositio autem non ita; 2° quia degradatio privat utroque privilegio clericali, scilicet canonis et fori, depositio autem his privilegiis non privat. Hinc percutiens depositum incurreret excommunicationem; non vero si in degradatum violentas manus iniiceret; a laico enim non differt.

Degradatio non potest infligi, nisi pro immanibus sceleribus, cuiusmodi sunt crimen haeresis manifestum, falsificatio litterarum apostolicarum, sodomia frequentata et notoria, gravissima calumnia Episcopo apposita, etc. — *Vide S. Lig. ibid.*

Quaer. *An degradatus teneatur ad Horas canonicas, et ad votum castitatis?*

Resp. Affirm. quoad utrumque; quia non debet hoc onere solvi et commodum percipere ex sua malitia. Hinc invalide matrimonium contraheret. — *S. Lig. n. 327.*

ARTICULUS III.

DE INTERDICTO

1002. — Definitio. Interdictum est censura, qua in poenam alicuius criminis usus divinorum Officiorum, aliquorum Sacramentorum, et sepulturae ecclesiasticae certis personis aut in quibusdam locis prohibetur.

Hinc differt interdictum 1° ab excommunicatione, quae maioribus bonis privat quam interdictum, nec loca, sed solas personas

afficit; 2° a suspensione, quae solos afficit Clericos, et eatenus tantum privat rebus sacris, quatenus sunt usus alicuius ministerii ecclesiastici, non vero quatenus sunt bona fidelium; insuper interdictum afficit loca, et privat sepultura ecclesiastica, non vero suspensio; 3° ab irregularitate et a cessatione a divinis, quae proprie et per se non habent rationem poenae, nec proinde censurae. — *Vide S. Lig. n. 328. et seq.*

Divisio. Interdictum est multiplex, scilicet 1° *personale, locale*, vel *mixtum*, prout immediate afficit personam, vel locum, vel utrumque simul.

2° *Generale* vel *particulare*, prout extenditur ad totam regionem, civitatem et communitatem, vel ad Oratorium, Ecclesiam particularem, aut personas determinatas restringitur.

1003. **Regulae.** — I. Interdictum generale non cadit nisi in personas vel loca designata. Hinc 1° Interdicto Clero alicuius loci, non ideo interdicitur populus, nec interdicuntur Regulares; et vice versa. 2° Interdicta civitate, incolae innocentes non sunt interdicti, et alio ire possunt, ut divinis Officiis intersint. Interdictis civibus urbis, Ecclesiae interdicto non subiacent: ibique peregrini Officiis adesse possunt (Episcopi semper eximuntur, nisi specialiter designati fuerint).

II. Interdictum sine limitatione in aliquod totum, omnes eius partes afficit. Hinc 1° Interdictum civitatis involvit omnes illius urbis Ecclesias, etiam exemptas a iurisdictione interdicentis, quia tunc a iure interdicuntur. 2° Interdictum familiae vel communitatis singula eius membra complectitur, etiam quotquot post latum interdictum eius communitatis membra esse coeperint. 3° Interdictum Ecclesiae singulis sacellis in ea contentis competit: at vice versa dici nequit.

III. Interdictum latum in certa loca, v. gr. castrum, aut civitatem, afficit etiam suburbia et aedificia contigua. Hinc interdicta Ecclesia, interdicuntur sacella, quae eam immediate tangunt, nec non coemeteria contigua; non vero vice versa: quia *accessorium sequitur principale*, et non principale accessorium.

1004. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quinam sint effectus interdicti?*

Resp. Sunt tres, ut patet ex definitione superius data, scilicet 1° *Prohibitio a divinis Officiis*, nempe a Missa, precatione publica et solemni, publica recitatione Horarum in choro, benedictione publica aquae, olei, templi, cereorum, etc. Clerici qui non cadunt sub interdictum, celebrare possunt, sed ianuis clausis et sine campanarum sonitu. — *S. Lig. n. 333.*

2° *Prohibitio ab administrandis et recipiendis aliquibus Sacramentis*, scilicet Eucharistia, Ordine et Extrema Unctione. Viaticum moribundis ministrari potest, et iuxta aliquos etiam Extrema Unctio. Baptismus (etiam solemnis), Confirmatio et Poenitentia omnibus permittuntur, exceptis illis, qui interdicto causam etiam au-

xilio vel favore dederunt. Probabilius etiam Matrimonium, sed absque benedictione. — *Vide S. Lig. n. 334.*

3° *Prohibitio a sepultura ecclesiastica.* Extenditur etiam ad infantes et amentes in interdicto locali. Clerici tamen non nominatim interdicti sepeliri possunt in Ecclesia (cum Missa); imo etiamsi Ecclesia esset specialiter interdicta (sed sine Missa).—*S. Lig. n. 335.*

1005. — Quaer. 2° *Quomodo peccent violantes interdictum, et quasnam poenas incurrant?*

Resp. 1° *Quoad Clericos.* 1° Peccant graviter violando interdictum *personale,* quia agitur de re gravi, nisi excuset materiae parvitas, ex. gr. si exerceant functiones, quae a laicis fieri possunt, vel si brevi tempore relinquant ostium templi apertum, etc. 2° Peccant graviter etiam violando interdictum *locale,* si locus sit specialiter vel generaliter interdictus, et agant publice, apertis ianuis, contra prohibitionem; secus venialiter tantum peccant. Si autem functiones sacras, non obstante interdicto, exerceant, irregularitatem incurrunt. Demum ipso facto interdictum ab ingressu Ecclesiae incurrunt, si divina officia celebrent aut celebrari faciant in loco interdicto, aut ad divina officia vel sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam admittant nominatim excommunicatos (*a*), ut infra dicitur. *S. Lig. n. 336.*

Resp. 2° *Quoad laicos.* 1° Peccant graviter violantes interdictum *personale,* cum ipsos directe afficiat. 2° Peccant item graviter violantes interdictum *locale,* si compellant Clericos ad Officia divina celebranda contra interdictum. Item si Sacramenta in loco interdicto reciperent, quia ad id cooperarentur, quod Clericis sub peccato gravi prohibetur. 3° Peccant autem tantum venialiter, si interdicto loco, ipsi non personaliter interdicti divinis Officiis dumtaxat assistant. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 3° *Quam ob causam ferri possit interdictum?*

Resp. Ferri non potest *per se loquendo* nisi propter culpam gravem bono publico oppositam: sic pro interdicto personali requiritur culpa illius, qui interdicitur; nam poena est propter culpam. Pro interdicto autem generali et locali sufficit culpa illius, qui est caput communitatis, vel praecipuorum eius membrorum. Ex Iure can. eruitur. — *S. Lig. n. 337.*

Interdicta Romano Pontifici reservata.

1006.—I. Poenam interdicti ab ingressu Ecclesiae Rom. Pontifici *speciali modo* reservatam incurrunt, qui episcopali charactere iam insigniti (*b*) nominati et praesentati vel electi ad vacantes Ecclesias,

** (*a*) Intellige, si hi nominatim sint excommunicati ab aliis praeter Romanum Pontificem. Nam (*Vid. sup. n. 975. XVII.*) si clerici sponte et scienter sic se gerant cum nominatim excommunicatis a Rom. Pontifice, excommunicationem incurrunt eidem Pontifici reservatam.

(*a*) Vide sup. n. 973. XIII, et n. 998. I.

earum curam, regimen, et administrationem ante exhibitionem Litterarum Apostolicarum suscipere audent. (Ex Const. Pii IX. *Romanus Pontifex* 28. Aug. 1873.).

II. Interdictum Romano Pontifici *speciali modo* reservatum ipso iure incurrunt Universitates, Collegia, et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia. (Ex Const. *Apostolicae Sedis*) (*a*).

Interdictum non reservatum.

1007. — Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a iure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint. (Ex Const. *Apostolicae Sedis* (*b*).

** (*a*) Differt hoc interdictum ab excommunicatione item contra appellantes ad futurum Concilium, de qua sup. n. 972. IV.; quippe ibi in singulas personas animadvertitur, hic in personas morales. Nihilominus singula harum membra interdictum tenet; alias foret inutile (*C. 16. de Sent. Excom. in 6* .).

Caeterum cum interdictum huiusmodi non habeat vim censurae, clerici, qui ei causam non dederunt, si ordinem exercendo illud violaverint, non contrahunt irregularitatem.

Quaeritur, an incurrentes hoc interdictum etiam excommunicationem contrahant, de qua n. 972. IV.? Non puto (inquit Comm. Reat.); maxime quod ibi de singulis, heic de personis moralibus agitur. Ex quo praeterea licet intelligere, eos, qui moralibus hisce personis auxilium, consilium, vel favorem praestant, neque hoc interdictum incurrere; quia Const. nostra eos praeterit; sed neque illam excommunicationem hos incurrere; quia non singulis, de quibus ibi, haec praestant, sed personae morali. *Vid. cit. Comm. Reat. n. 158.*

** (*b*) Haec poena (inquit Comm. Reat.), uti antea, ita et hodie solos clericos tenet: ait enim Pontifex, *celebrari facientes.... admittentes;* atqui haec eorum sunt, qui in locis sacris potestatem habent.

Duas autem partes habet hic articulus. Prima ad eos pertinet, qui celebrant vel celebrari faciunt divina in locis interdictis. *Divina* autem, ut alias (*sup. n. 975. XVII. in Not.*), ea accipimus, quae solis Ecclesiae ministris fas est obire. *Celebrare* autem etc. nefas esse, intelligendum est, ut in veteri iure, exceptis diebus et locis, et non servatis conditionibus, quibus tunc licuit. Porro veteri iure licet in Ecclesia interdicta, si interdictum speciale est, sacrum facere semel in hebdomada ad renovandam Eucharistiam, ne desit morituris; et in Conventualibus Ecclesiis licet legere horas canonicas binis et binis, vel tribus. Sin est *generale,* licet quotidie sacrum facere, et alia divina officia obire; sed non pulsatis campanis, ianuis clausis, exclusis interdictis, et ita ut ab his, qui foris sunt, nihil exaudiri possit, videri nihil. (Vid. Comm. Reat. n. 160.).

Altera pars articuli ad eos pertinet, qui admittunt excommunicatos nominatim ad divina officia vel ad sacramenta, nempe excepta poenitentia

Interdicta lata a Synodo Tridentina.

1008. — I. Non liceat Capitulis Ecclesiarum, sede vacante, infra annum a die vacationis ordinandi licentiam aut litteras dimissorias alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum contraveniens ecclesiastico subiaceat interdicto. (*Ex Sess. 7. Cap. 10. de Reform.*).

II. Crescente contumacia (*Episcopi nimirum absentis ultra secundum semestre tempus*), Metropolitanus Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens sub poena interdicti ingressus Ecclesiae eo ipso incurrenda infra tres menses per litteras seu nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur. (*Ex Sess. 6. Cap. 1. De Reform.*).

APPENDIX I.

DE CESSATIONE A DIVINIS

1009. — *Cessatio a divinis* est prohibitio Clericis facta, ut abstineant ab Officiis divinis, ab administratione Sacramentorum, et ab ecclesiastica sepultura in aliquo loco determinato.

Haec cessatio distinguitur ab interdicto, 1° Quia interdictum potest esse personale, non vero cessatio a divinis. 2° Quia interdictum est censura, unde qui illud violat, fit irregularis; transgressor autem cessationis a divinis, licet graviter peccet, nullam tamen censuram incurrit, nec fit irregularis. Haec enim cessatio non adhibetur ad corrigendos delinquentes. 3° Quia durante interdicto generali, licet celebrare Officia divina ianuis clausis, et submissa voce, et etiam solemniter in quibusdam festis: in cessatione vero a divinis etiam haec prohibentur.

Duplex distinguitur cessatio a divinis:

1° *Alia a iure,* quae ipso facto existit, quando polluitur Ecclesia, vel exsecratur.

2° *Alia ab homine,* quae imponitur a Superiore iurisdictionem

et Viatico in articulo mortis. Verbum, *admittentes,* indicat eos, ad quorum curam spectat prohibere vel admittere aliquem ad huiusmodi actum, idest ad eos spectat, qui regimen habent Ecclesiae vel coemeterii. Ergo hi tantum interdicto tenentur, non vero alii clerici, qui more laicorum divinis adsunt, vel funus comitantur; neque qui consilium admittentibus, vel favorem praestant.

Admittentes autem non quivis metus aut coactio excusat, sed gravis tantum; non enim heic additum est, *sponte,* ut alias (*sup. n. 975. XVII.*), nec id inconsulto omissum fuisse credendum est. Caeterum praeter interdictum aliae poenae canonicae, de quibus Cap. 8. *De Privileg.* in 6., eos non tenent.

habente in foro externo, in signum moeroris, vel ad reparationem gravis iniuriae Deo illatae; et tunc afficit omnes, qui in eo loco versantur.

Causae autem cessationis a divinis *a iure* referuntur in *Tractatu de Eucharistia,* ubi agitur de loco celebrationis: Sacramenta, quae ministrari possunt tempore interdicti, conceduntur etiam tempore cessationis.

QUAER. *A quibusnam cessatio a divinis imponi possit?*

Resp. Imponi potest ab iisdem, qui possunt ferre censuras, praecedentibus debitis monitionibus. — *S. Lig. n. 340.*

APPENDIX II.

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA

1010. — Corpora fidelium defunctorum ex praecepto Ecclesiae in loco sancto ad hoc benedicto et consecrato, aut in ipsa Ecclesia sepelienda sunt. Qui autem non pertinent ad Ecclesiam Christi, nec more ecclesiastico nec in loco sancto sepeliri possunt. Deneganda est sepultura ecclesiastica etiam christianis, qui ea indigni visi sunt, propterea quod aut fidem deseruerunt, aut in contumacia et impoenitentia e vivis excesserunt, vel filii rebelles fuere, ut constat ex dictis de effectibus excommunicationis et interdicti.

1011. **Quaesita.** — QUAER. 1° *Quinam privandi sint sepultura ecclesiastica?*

Resp. De iure communi sunt sequentes:

1° *Infideles* omnes, quicumque sint, sive pagani, sive iudaei, mahumetani, sive etiam infantes sine Baptismo mortui.

2° *Apostatae* a christiana Fide. Adnumerari autem debent inter apostatas omnes impii homines, qui scriptis atheismum, deismum, pantheismum docent, seu uno verbo quicumque christianam revelationem negant.

3° *Haeretici,* qui errores suos palam profitentur, eorumque fautores notorii, nec non schismatici publici.

4° *Excommunicati publici et notorii,* et *interdicti nominatim,* si absque poenitentiae signis decesserint, nec votum ullum reconciliationis cum Ecclesia manifestaverint.

5° *Suicidae,* qui sibi mortem intulerunt, ira aut desperatione impellente, nisi signa poenitentiae aut amentiae dederint. Non denegatur autem sepultura iis, qui in statu phrenesis aut in alio morbi excessu seipsos occiderunt.

1012. — 6° *Duellantes* si *in ipso conflictu* perierint. — *Conc. Trid. sess. 25. c. 19. de Reform.* Imo iuxta *Rituale Romanum* sunt privandi sepultura, etiamsi signa poenitentiae dederint; et iuxta Bullam *Benedict. XIV. licet absoluti fuerint,* et etiamsi extra locum conflictus cum signis poenitentiae decesserint.

7° *Peccatores publici et notorii,* qui in impoenitentia mortem oppetierunt. Tales sunt v. gr. qui publice vitam degunt in adulterio, vel concubinatu. Sed ad hoc requiritur, 1° ut impoenitentia sit omnino certa; 2° ut sit adeo publica, ut sepultura sine novo scandalo concedi non possit.

QUAER. 2° *An sepeliendi sint in loco sacro rei, qui morte plectuntur?*

Resp. Affirm., si confessi fuerint ante mortem, aut signa dederint indubia poenitentiae. Sed sepeliendi sunt sine solemnitate.

1013. — QUAER. 3° *Quid agendum in dubio, utrum deneganda sit sepultura ecclesiastica, necne?*

Resp. Episcopus est interrogandus, si facilis recursus ad ipsum pateat; secus pro sepultura concedenda agendum erit iuxta principium: *In dubio odia sunt restringenda.* Cum enim incommoda magna nostris praesertim temporibus ex denegatione sepulturae oriri soleant, expedit ut talis denegatio non fiat nisi de eius obligatione certo constet.

QUAER. 4° *An sit deneganda sepultura, si Sacerdos solus testis fuerit repulsae et impoenitentiae moribundi?*

Resp. Neg., nisi aliunde ipsi denegari debeat ob aliquam ex causis supra expositis, v. gr. propter censuram, etc. Sed tacere debet Sacerdos de impia dispositione moribundi, et sinere ut credatur, eum fuisse Sacramentis rite expiatum. Debent enim vitari scandala, quantum fieri potest. Imo operae pretium erit, ut Sacerdos dubius de dispositione moribundi ipsum absque testibus alloquatur et ad confessionem inducat, ne malus eius animus innotescat, modo tamen aliquod scandalum non sit necessario reparandum. Hoc, quod statutum est in variis dioecesibus, prudentia suadet.

1014. — QUAER. 5° *An deneganda sit sepultura mimis et comoedis?*

Resp. Neg. modo Sacramenta Ecclesiae non recusarint, sicut de caeteris peccatoribus dictum est in quaesito praecedenti. Nulla enim invenitur lex canonica, quae eos a sepultura ecclesiastica excludat. — *Gousset, de Extrema Unctione, n. 637.*

Quando benedicitur coemeterium, pars aliqua extrema illius sine benedictione relinquenda est, ut inserviat pro sepultura infantium, qui sine Baptismo e vivis excesserunt, et infidelium qui in locis christianorum mortui sunt, nec non aliorum quorumlibet, quibus ecclesiastica sepultura deneganda est. Non requiritur absolute ut pars illa, v. gr. per murum aut sepem aut aliquam foveam a reliquo coemeterio separetur, sed sufficit ut aliquo modo discerni possit.

FINIS TRACTATUS DE CENSURIS.

TRACTATUS
DE IRREGULARITATIBUS

CAPUT I.

DE IRREGULARITATIBUS IN GENERE

1015. — Definitio. Irregularitas stricte sumpta, est *impedimentum canonicum, prohibens, ne quis Clero adscribatur, vel ad Ordinem superiorem ascendat, vel functiones Ordinis suscepti exerceat.*

Hinc differt irregularitas a censuris, depositione et degradatione praesertim ex hoc capite, quia depositio et degradatio semper supponunt culpam, et habent rationem poenae; irregularitas vero non semper culpam supponit, et si quando per modum poenae imponatur, hoc fit secundario tantum, nec ad reum puniendum, sed ad indecentiam in sacro ministerio praecavendam.

1016. — Divisio. Multiplex distinguitur irregularitas:

1° Irregularitas *ex defectu* vel *ex delicto,* prout oritur ex quibusdam defectibus in iure expressis, vel contrahitur ex certis delictis in iure determinatis.

2° Irregularitas *totalis* vel *partialis,* prout excludit ab omni Ordine, et Ordinis usu, atque ab omni beneficio ecclesiastico, vel arcet tantum ab aliquo Ordine suscipiendo, non vero a susceptorum usu.

3° Irregularitas *perpetua* vel *temporalis,* prout ex se semper durat, nisi tollatur dispensatione, aut aliis modis infra determinandis; vel durat tantum ad aliquod tempus, et postea cessat absque ulla dispensatione. Sic irregularitas ex defectu aetatis evanescit, completo tempore ad Ordines requisito.

1017. **Principia.** — I. Nulla unquam incurritur irregularitas, nisi in Iure canonico expressa sit. Hinc 1° *irregularitas ab homine* non admittitur; 2° irregularitas incurritur ipso facto ante omnem iudicis sententiam, et etiam ob defectum vel crimen occultum. — Ex *cap. Is qui 18. de Sent. excomm. in VI.*

II. Irregularitas *ex defectu* semper incurritur, stante defectu; quia rationem poenae non habet, sed rationem solius impedimenti. Irregularitas vero *ex delicto* non incurritur absque culpa et quidem gravi, quia licet finis irregularitatis non sit punire, nec corrigere reos, non contrahitur tamen nisi ratione delicti proprie voluntarii et vere gravis. — *S. Lig. n. 348.*

1018. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An ad irregularitatem* EX DELICTO *incurrendam, praeter scientiam legis divinae requiratur scientia legis ecclesiasticae prohibentis?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia irregularitas haec rationem poenae habet. *S. Lig. n. 350.* vocat hanc sententiam probabiliorem et communissimam. Excipe tamen homicidium, ob particularem indecentiam, quam inducit. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 2° *An requiratur etiam scientia poenae, seu irregularitatis?*

Resp. Duplex est sententia probabilis.

I* Sententia *negat,* quia irregularitas non est poena medicinalis, sed inhabilitas, seu poena mere punitiva. — *Ita Lacroix, Elbel,* etc.

II* Sententia *affirmat.* Ratio est, quia irregularitas *ex delicto* censetur vera poena, et quidem extraordinaria, imposita in vindictam criminis, licet effectus illius primarius sit inhabilitatem constituere. Porro ubi tanta poena infligitur, non censetur Ecclesia cum tanto rigore procedere, ut incurratur ab illo, qui eam ignorat. Haec sententia sat probabilis videtur, ait *S. Lig. n. 351.*

Quaer. 3° *An censearis irregularis in dubio utrum irregularitatem incurreris?*

Resp. 1° *Neg.* in dubio *iuris,* seu in dubio, an talis casus subiaceat legi irregularitatem statuenti. Ita fere omnes Theologi. Ratio est, quia ubi dubium adest, irregularitas haec in iure non certe exprimitur. Ergo, etc. Praeterea odia sunt restringenda. — *S. Lig. n. 346.*

Resp. 2° In dubio *facti* disting.: vel est dubium de homicidio patrato (*a*), vel de alio delicto. Si *prius, probabilius* et *verius* irregularitatem incurristi, ob specialem indecentiam, quae in homicidio reperitur, ut ex iure colligitur. Si *posterius, probabilius* et *verius* non incurristi, quia in dubio nemo damnandus est. — *S. Lig. n. 347.*

1019. — Quaer. 4° *An incurratur irregularitas ob crimen externum quidem et consummatum, sed prorsus occultum?*

Resp. Affirm. verius, ait *S. Lig. n. 349.* Ratio est, quia Ecclesia, crimina reservando, etiam occultissima reservat, modo suae iurisdictioni subiaceant, nempe modo sint externa, prout imposuit

** (*a*) Ista Auctoris verba, *Vel est dubium de homicidio patrato,* paulo equidem obscuriora sunt. Eorum sensum clarius desumes ex S. Alphonso (*Lib. 7. n. 347. Dub. 3.*) quem Auctor ipse allegat. Sic autem S. Doctor: *Hoc procedit casu quo aliquis certus est de homicidio, ut supponitur in praefatis textibus, sed solum dubitat, an ipse sua actione fuerit causa illius.* Verba igitur Auctoris *vel est dubium de homicidio patrato,* non sunt accipienda de dubio, an v. gr. qui vulneratus fuit, mortuus revera sit, sed de dubio, an tu causa extiteris mortis, quae reipsa sequuta est. Exinde bene VV. hunc locum P. Gury ceu obscurum notare potuissent, non item bene (*Pag. 948. n. 163.*) ceu a doctrina S. Alphonsi dissentientem exhibuerunt.

excommunicationem haeresi omnino occultae, etc. Evincitur insuper ex cap. 6. *Liceat* in *Trid. sess. 24.,* ubi Concilium praebet facultatem Episcopis dispensandi et absolvendi ab irregularitatibus et censuris occultis.

QUAER. 5° *Quomodo irregularitas tollatur?*

Resp. Tollitur sequentibus modis:

1° *Per dispensationem,* 1° Papae in omni casu, modo non adsit impedimentum de iure naturali, seu quod exercitium Ordinis sacri impossibile reddat; 2° Episcopi et Regularium, si irregularitas ex delicto occulto proveniat, excepto homicidio; 3° cuiuslibet delegati pro ratione acceptae facultatis, ut dictum est *de absolutione a censuris, n. 951.*

2° *Per cessationem causae,* v. gr. *aetate* requisita adveniente, si irregularitas ex defectu aetatis proveniat; item *per mutationem* domicilii, seu loci, aut *per emendationem,* si ex infamia oriatur. Pro iuris tamen infamia dispensatio requiritur. — *Vide S. Lig. n. 352. et seq.*

1020. — QUAER. 6° *Quomodo fiat dispensatio ab irregularitate?*

Resp. Nulla forma invenitur praescripta in iure; unde nulla determinata necessario adhibenda est. Fieri autem potest formula sequenti, aut alia aequivalenti: *Dispenso tecum super irregularitate, quam incurristi propter...* (talem causam), *in nomine Patris,* etc., vel *auctoritate mihi concessa a S. P.* vel *ab Episcopo, dispenso tecum,* etc...., *et habilem reddo et restituo executioni Ordinum, et officiorum tuorum in nomine Patris,* etc.

CAPUT II.

DE IRREGULARITATIBUS IN PARTICULARI
1° DE IRREGULARITATE EX DEFECTU; 2° EX DELICTO

ARTICULUS I.

DE IRREGULARITATIBUS EX DEFECTU

1021. — Octo earum species numerantur, scilicet ex defectu 1° animi; 2° corporis; 3° natalium; 4° aetatis; 5° libertatis; 6° Sacramenti; 7° lenitatis; 8° famae.

Defectus isti, vel potius qualitates iis oppositae, his exprimuntur versiculis:

Natales, animus, libertas, corpus et aetas
Non bigamus, lenis, nec mala fama notet.

I. *Ex defectu animi.*

1022. — Triplex defectus animi assignatur, scilicet rationis, scientiae, et fidei confirmatae.

1° *Rationis.* Hinc sunt irregulares perpetuo amentes, lunatici, furiosi, epileptici et energumeni, etsi lucida intervalla habeant. Minus difficulter tamen illis permittitur susceptorum Ordinum exercitium, quam novorum susceptio.

2° *Scientiae.* Irregulares sunt, qui non habent scientiam singulis Ordinibus necessariam, sive de facto nesciant, sive discendi sint incapaces. Deducitur ex dictis in *Tract. de Sacram. Ordinis,* et ex *Decret. Part. I. dist. 36. Can. I.*

3° *Fidei confirmatae.* Irregulares sunt neophyti in adulta aetate recenter baptizati, usquedum ab Episcopo digni iudicentur. Constat ex Iure can. — *Vide S. Lig. n. 397. et seq.*

II. *Ex defectu corporis.*

1023. — Ex duplici capite incurritur haec irregularitas: 1° si quis ad exercitium Ordinis sit ineptus; 2° si aliis notabilem horrorem afferat, aut indecentiam praeferat.

Hinc irregulares habentur

1° *Mutilati,* crus ligneum gerentes, manu, pollice, aut indice uti non valentes.

2° *Caeci,* visu totaliter carentes, vel ita caecutientes, ut in Missali legere nequeant.

3° *Surdi,* qui nihil audiunt, ita ut nullatenus vocem ministri respondentis audire queant.

4° *Muti* aut *balbutientes,* qui verba integra pronuntiare non possunt, aut nonnisi cum magna difficultate, ita ut risum aut contemptum adstantium moveant.

5° *Claudi,* qui sine baculo ad altare se sistere non valent.

6° *Carentes naso,* aut enormiter distortum, demissum, aut productum habentes.

7° *Monstruosi,* v. gr. habentes gibbum enormem, qui magnam inducat deformitatem, etc. — *Vide S. Lig. n. 403. et seq. — Vide tamen dicta de Euchar., n. 404. in Not.*

1024. Quaesita. — Quaer. 1° *An sit irregularis, qui uno oculo caret?*

Resp. 1° *Neg.* si caret tantum oculo dextero, quia minus necessarius est ad Missae celebrationem, modo notabilis inde non nascatur deformitas.

Resp. 2° *Affirm.* si caret oculo sinistro qui dicitur *Oculus canonis,* quia necessarius est ad canonem Missae legendum. Excipe, nisi canonem oculo dextero sine deformitate legere possit. Hoc autem iudicio Episcopi subiiciendum est. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 404.*

Quaer. 2° *An possit celebrare, et Eucharistiam ministrare, qui iam ad Sacerdotium promotus, habet pollicem vel indicem impeditum?*

Resp. 1° Negandum videtur absolute quoad Missae celebrationem, saltem probabilius iuxta communem sententiam. — *S. Lig. n. 408., et l. 6. n. 244.*

Resp. 2° *Neg.* etiam *per se* quoad Eucharistiae administrationem, exceptis tamen casibus necessitatis, in quibus aliis digitis uti potest.

III. *Ex defectu natalium.*

1025. — Defectus natalium inducit irregularitatem. Constat ex *Decretal. l. 1. tit. 18.*

Hinc 1° irregulares sunt illegitimi etiam occulti, seu quicumque nati sunt ex fornicatione, adulterio, vel incestu; 2° qui nati sunt ex matrimonio clandestino, et in gradu prohibito, etiam incognito; 3° non vero sunt irregulares illegitimi tempore suae conceptionis vel nativitatis, quorum parentes tunc temporis habiles erant ad contrahendum matrimonium, et postea contraxerunt, quia per matrimonium subsequens legitimati sunt.— *Vide S. Lig. n. 420. et seq.*

Non sunt irregulares illegitime nati ex matrimonio publico, sed invalido ob impedimentum ab uno saltem ignoratum.—*S. Lig. ibid.*

Quaer. *Quomodo tollatur irregularitas ex defectu natalium?*

Resp. Tollitur 1° per legitimum subsequens matrimonium parentum, ut modo dictum est; 2° per professionem religiosam; 3° per legitimam dispensationem.

IV. *Ex defectu aetatis.*

1026. — 1° Irregulares habentur, qui aetatem canonicam non attigerunt. Sed non est irregularitas stricta, cum cesset, completa requisita aetate.

2° Qui scienter Ordines suscipiunt ante canonicam aetatem, peccant graviter.

V. *Ex defectu libertatis.*

Ex triplici vinculo oritur libertatis defectus, scilicet, ex vinculo servitutis, matrimonii et officii. Hinc

1° Omnes servi proprie dicti irregulares sunt, donec plenam libertatem consequantur.

2° Irregulares sunt uxorati, nec Ordines suscipere possunt, nisi de consensu uxoris castitatem voventis et Religionem ingredientis, saltem si iuvenis sit.

3° Irregulares sunt, qui ex officio et iuramento negotiis saecularibus implicantur, ut iudices, magistratus, etc. (*a*). — *Vide S. Lig. n. 355. et seq.*

(*a*) *Excipitur, nisi habeant specialem dispensationem Papae pro illis officiis, vel nisi consuetudo, sciente Papa, id permittat.* S. Alphons. (*Lib. 7. num. 456.*).

VI. *Ex defectu Sacramenti.*

1027. — Per defectum Sacramenti intelligitur in praesenti casu Sacramentum Matrimonii pluries receptum, seu bigamia. Patet bigamos esse irregulares ex Iure can. in titulo *de bigamis*. Ratio autem convenientiae est, quia in bigamia deficit perfecta significatio unionis Christi cum Ecclesia, quae unio est omnino simplex, et non multiplex. Id vero illatum est ex Apostolo, *I. Timoth. 3. 2.: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum.*

Bigamia de Iure canon. triplicis est generis, scilicet bigamia *vera*, bigamia *interpretativa*, et bigamia *similitudinaria*.

1° Bigamia *vera* habetur, cum quis plures successive uxores ducit, et cum singulis matrimonium consummat.

2° Bigamia *interpretativa* est, qua quis ex interpretatione iuris ut bigamus habetur, licet unicam duxerit uxorem. Talis est 1° qui ducit, et cognoscit viduam a suo priori marito cognitam; 2° qui ducit mulierem quamlibet ab alio corruptam, et matrimonium consummat; 3° qui propriam uxorem cognoscit post adulterium ab ea commissum; 4° qui contrahit duo matrimonia, unum validum, et alterum invalidum, licet in bona fide. Imo etiamsi utrumque matrimonium esset invalidum, irregularis fieret, qui utrumque maritali affectu consummaret. Evincitur ex variis locis Iuris can.

3° Bigamia *similitudinaria*, cum quis contrahit matrimonium post votum solemne Religionis, aut Ordinem sacrum susceptum, licet nullum sit matrimonium. Ratio est, quia ille merito censetur duo matrimonia contraxisse, primum spirituale cum Christo, secundum carnale cum muliere. Deducitur ex titulo *de bigamis*. — *Vide S. Lig. n. 436. et seq.*

VII. *Ex defectu lenitatis.*

1028. — Irregularitatem ex defectu *lenitatis* contrahunt quicumque voluntarie, active, efficaciter et proxime ad necem vel mutilationem alicuius, licet iuste, concurrunt per actionem natura sua ad id ordinatam. — *Vide S. Lig. n. 457. et seq.*

Resolves. — 1° Sunt irregulares carnifices, iudices, et omnes qui huiusmodi iudicio cooperantur. Excipe 1° testes coactos; 2° accusatores, damnorum suorum compensationem petentes.

2° Non tamen sunt irregulares medici et chirurgi, licet membra abscindant, aut mortem remediis bona fide datis accelerent, nisi gravis negligentia intercedat. — *S. Lig. n. 385.*

3° Nec Clerici medicinam aut chirurgiam exercentes citra incisionem et adustionem. Imo nec si incisionem aut adustionem in casu necessitatis adhibeant; necessitas enim nulla lege regitur. Imo etiam extra necessitatem, si Clerici non sint in Sacris constituti modo mors aut mutilatio non sequatur. — *S. Lig. n. 384. 385,*

4° Non sunt irregulares, qui aggressorem occidunt in iusta defensione, quia non censetur defectus lenitatis vitam propriam servato moderamine inculpatae tutelae defendere etiam cum morte iniusti aggressoris.

5° Milites non fiunt irregulares in bello iusto defensivo, nec in iusto offensivo, nisi propria manu occiderint: in bello autem iniusto totus exercitus fit irregularis, etiamsi unus tantum homo pereat. — *S. Lig. n. 474.*

VIII. *Ex defectu famae.*

1029. — Infamia duplex distinguitur: 1° infamia *facti*, quae contrahitur ante quamlibet sententiam ex notorietate alicuius criminis enormis, vel per exercitium artis ignominiosae; 2° infamia *iuris*, quae triplici modo contrahitur, scilicet ex crimine in iure notato, ex iudicis sententia, et ex crimine parentum.

1030. **Quaesita.** — Quaer. 1° *Quaenam sint crimina quibus* ex iure *adnexa est infamia?*

Resp. Sunt sequentia: homicidium, periurium factum in iudicio, simonia, sodomia, adulterium, exercitium usurarum, invasio Cardinalium vel Episcoporum. Sic ex *Iure can.* Praeterea ex *Trid. sess. 24. c. 6. de Reform.* adiicitur raptus mulierum, duellum, et paratio armorum contra parentes. Non incurritur tamen irregularitas, nisi haec crimina sint vere notoria; secus enim fama non deficit. — *Vide S. Lig. n. 362. et seq.*

Quaer. 2° *An sint irregulares innocentes, qui ex falsis testimoniis ad poenas infamantes damnati fuere?*

Resp. Affirm. donec sententia fuerit revocata vel legitimam dispensationem obtinuerint; ratio, quia de facto sunt infames.

Quaer. 3° *An sint irregulares filii carnificum?*

Resp. Neg. proprie *per se:* convenit tamen, ut ad sacros Ordines non promoveantur, nisi in aliena dioecesi, ne dedecus in Ecclesiam redundet.

Irregularitas ex infamia facti cessat, cessante ipsa infamia, absque dispensatione; secus si de infamia iuris agatur. — *Vide S. Lig. ibid.*

ARTICULUS II.

DE IRREGULARITATIBUS EX DELICTO

1031. — Quintuplici ex capite irregularitas ex delicto incurritur, scilicet 1° ex mala Baptismi susceptione, et ex eius iteratione; 2° ex mala Ordinum susceptione et usurpatione; 3° ex censurae violatione; 4° ex quorumdam criminum enormium patratione; 5° ex homicidio et mutilatione.

Haec versiculo sequenti exhibentur:

Fonte reus, sacris, censura, crimine, leto.

I. *Baptismi iteratio atque mala susceptio.*

1032. — Hinc irregularis est, 1° Qui in adulta aetate Baptismum ab haeretico declarato suscepit extra casum necessitatis, quia eius errori communicare videtur.

2° Qui publice et solemniter rebaptizat; item qui scienter rebaptizatur; item Clericus assistens Baptismo iterum collato. Ita *ex pluribus locis Iuris. — Vide S. Lig. n. 356.*

Iuxta *Bened. XIV. de Syn. l. 7. c. 6.* fit irregularis, qui rebaptizat etiam sub conditione culpabiliter, seu sine causa iusta. Sed hoc ipse tenuit ut Doctor particularis, contra multos alios, et quando erat in minoribus. Porro ad irregularitatem contrahendam requiritur certitudo.

Quaesita. — Quaer. 1° *An fiat irregularis, qui occulte rebaptizat?*

Resp. Videtur negandum *probabilius;* quia in Iure can. videtur agi tantum de eo qui publice rebaptizat. — *Ita Laymann, Sylvius,* etc.

Quaer. 2° *An sit irregularis rebaptizans vel rebaptizatus ex metu?*

Resp. Neg. saltem *probabiliter,* licet metus non tollat voluntarium, nec a peccato excuset. — *Ita S. Lig. n. 356.* etc.

II. *Ordinum usurpatio aut illicita susceptio.*

1033. — 1° *Usurpatio.* Irregulares sunt, qui solemniter exercent actum Ordinis sacri, quem non habent. *Probabiliter* tamen soli Clerici huic irregularitati subiacent.

2° *Susceptio illicita.* Sic irregularitatem incurrunt, qui furtive ordinantur, id est qui non examinati, nec admissi, per dolum, inscio Episcopo, sese ordinandis immiscent; qui curant promoveri ab alieno Episcopo sine litteris dimissorialibus, vel qui plures Ordines sacros eodem die recipiunt, et probabiliter etiam qui per saltum ordinantur; denique qui ordinantur ab Episcopo suspenso, haeretico, schismatico, aut simoniaco. — *S. Lig. n. 357. et seq.*

III. *Violatio censurae.*

1034. — Irregulares sunt, qui vinculo alicuius censurae ligati solemniter exercent Ordinem sacrum, ut iam supra dictum est. Hinc

1° Irregularis esset non tantum Sacerdos, qui Missam celebraret cum censura, sed etiam Diaconus, qui Evangelium cum stola cantaret etc., et Sacerdos, qui cogeret censuratum ad celebrandum.

2° Duplicem incurrit irregularitatem, qui duplici censura ligatus

Ordinem sacrum exercet; et haec in postulatione dispensationis exprimi debent. Idem dicendum est de eo, qui cum eadem censura pluries celebrat. Sed sufficit, ut in numero plurali exprimatur postulatio.

3° Irregularis est Sacerdos, qui ab Ordine suspensus, sacramentaliter absolvit; quia etiam absolvere est actus potestatis Ordinis, non vero actus solius iurisdictionis, qualis esset v. gr. actus excommunicandi, Confessarios approbandi, assistendi matrimonio, a votis dispensandi, etc.

IV. *Crimina enormia.*

1035. — Hac appellatione intelliguntur *haeresis* et *apostasia* a Fide. Hanc irregularitatem incurrunt etiam haereticorum et apostatarum fautores, receptatores, defensores, imo et ipsorum filii *C. Statutum de haereticis* in *Sexto*. Haec autem crimina, ut irregularitatem inducant, debent esse publica: hinc irregularitas ista in irregularitatem ex defectu famae recidit, ut ait *S. Lig. n. 362.*

V. *Homicidium et mutilatio.*

1036. **Principium.** — Irregularitas incurritur ex homicidio voluntario et graviter culpabili, etiam occulto, sive directe sive indirecte volito, ex actione sive physica sive morali patrato. Idem est dicendum quoad mutilationem.

Mutilatio intelligitur, quando a corpore separatur aliquod membrum principale, seu pars corporis, quae officium per se distinctum habet, v. gr. *pes, manus, oculus,* etc.

1037. **Resolves.** — 1° Sunt irregulares, qui causa sunt immediata mortis alicuius, etiamsi illos poeniteat, antequam laesus moriatur. Ratio est, quia causa physica necessario operatur. Item qui alios aut seipsos mutilant. Si quis letaliter hominem percusserit, et alter occiderit, uterque est vere homicida.

2° Sunt irregulares mandantes, et consilium dantes, effectu secuto ex consilio vel mandato. Excipe, si ante executionem mandatum retractaverint, et retractatio mandatario innotuerit. — *S. Lig. n. 371.*

3° Item cooperantes, ut homicidium celerius, audacius, aut securius fiat. Sic irregulares fiunt 1° qui se mutuo excitant, licet unus solum occidat; 2° omnes praeliantes in bello iniusto, si ibi aliquis pereat; 3° qui ministrant arma aut pecunias ad homicidium; 4° omnes accusatores, iudices et testes iniusti.

4° Item consentientes, si consensus in homicidium efficaciter influxerit. Unde non est irregularis, qui homicidium, etiam suo nomine vel gratis factum, approbat, quia in illud non influxit.

5° Non fiunt irregulares, qui dant operam rei licitae, adhibita

sufficienti diligentia ne accidat homicidium. Hinc non sunt irregulares 1° qui committunt homicidium casuale, nisi interveniat negligentia graviter culpabilis; 2° nec ii, qui infirmo bona fide aliquid cibi vel potus nocivi praebent, vel si illum moventes aut volventes causa sint, cur decedat; 3° nec medici, qui pharmacum mortiferum infirmis dederunt, modo sint periti, aut bona fide agant, Excipe tamen Clericos in Sacris, incisione aut adustione operantes praeter necessitatis casum. — *Vide S. Lig. n. 384.*

1038. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An incurrat irregularitatem, qui dans operam rei illicitae, aliquem occidit, v. gr. si Clericus in venatione casu hominem occidat?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia homicidium neque in se, neque in causa est voluntarium: opus enim positum, etsi de se illicitum, non est *per se* mortiferum; secus autem, si ratione circumstantiarum proximum mortis periculum alicui induceretur, ut v. gr. si quis tormento bellico ignem admoveret, ubi est populi frequentia. — *S. Lig. n. 387.,* etc.

QUAER. 2° *An fiat irregularis, qui occidit alium ob suae aut innocentis vitae defensionem?*

Resp. ad 1um *Neg.,* nisi excedat *moderamen inculpatae tutelae.* Ratio est, quia nullius culpae reus est. Confirmatur insuper ex Iure can. Consule *S. Lig. n. 388.*

Resp. ad 2um *Neg.* pariter. Ratio est, quia irregularitas ex homicidio privato non incurritur nisi cum peccato mortali, ut eruitur ex *cap. Ex litteris de homicidio.— Ita S. Ligorius n. 388.,* etc.

1039. — QUAER. 3° *An fiat irregularis, qui occidit alium ob defensionem libertatis, honoris vel bonorum temporalium, cum moderamine inculpatae tutelae?*

Resp. Neg. iuxta communiorem sententiam. Evinci videtur ex Iur. can. Insuper cum ibi nullum adsit peccatum, non potest incurri irregularitas, nisi ob defectum lenitatis: porro irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur, nisi in casibus in iure expressis: casus autem praesens in iure non reperitur. Ergo, etc. — *S. Lig. n. 389.*

QUAER. 4° *An habendus sit veluti irregularis, qui dubitat an homicidium patraverit, necne?*

Resp. 1° *Neg.* quando non constat, homicidium esse patratum, seu si dubitetur de ipso homicidio, an fuerit secutum, necne. Ratio est, quia poena non est infligenda, nisi de ipso delicto constet. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 347.*

Resp. 2° *Affirm.* autem si constet de homicidio patrato et tantum dubium sit, utrum tua actione causa illius fueris. Ratio est, quia licet generatim irregularitas in dubio incurri non debeat, attamen in praesenti casu incurrenda est ex Iuris canonici dispositione, in odium speciale, quod homicidium meretur. Patet ex *cap. Significasti,* et *cap. Ad audientiam,* etc. — *S. Lig. n. 347.*

1040. — Quaer. 5° *An sit irregularis, qui dubitat utrum in alterius mutilationem influxerit, posito mutilationis facto?*

Resp. Neg. Ratio est, quia pro solo dubio homicidii lex irregularitatem imposuit. — *S. Lig. n. 347.*

Quaer. 6° *An habendus sit tamquam irregularis, qui abortum procuravit, dubitans an foetus animatus esset, necne?*

Resp. Neg. Ratio est, quia tunc non constat proprie de homicidio (*a*). — *S. Lig. ibid.* — *Vide* dicta *in Tract. de quinto Praecepto Decalogi, n. 402. et 403.*

** (*a*) Alias animadversum est (*Vol. 1. n. 402. Not. pag. 382.*), hypothesim foetus inanimati vix aut ne vix quidem nunc admitti. Proinde ista quaestio, utpote hypothesi nunc iam antiquatae innixa, inutilis evadit.

FINIS TRACTATUS DE IRREGULARITATIBUS.

APPENDIX

DE

INDULGENTIIS ET IUBILAEO

CAPUT I.

DE INDULGENTIIS

1041. — *Indulgentia,* ut vox ipsa indicat, idem est ac gratia, condonatio, misericordia, remissio. Indulgentia enim est condonatio poenae peccatis debitae per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum: nam Christus Salvator noster Deo Patri pro plena peccatorum nostrorum remissione suas satisfactiones obtulit. Hae autem satisfactiones pretii infiniti, quibus accedunt etiam satisfactiones Beatae Virginis necnon satisfactiones superabundantes Sanctorum, dicuntur Ecclesiae *thesaurus,* de quo per *Indulgentias* participamus.

Definitio. Indulgentia est remissio poenae temporalis Deo debitae pro peccatis quoad culpam remissis, concessa a legitimo ministro extra Sacramentum Poenitentiae per applicationem thesauri Ecclesiae.

Divisio. Multipliciter Indulgentia distinguitur.

1° *Plenaria,* vel *partialis,* prout integra poena temporalis remittitur, vel eiusdem pars tantum.

2° *Personalis,* vel *localis,* aut *realis,* prout conceditur immediate personis, v. gr. Confraternitati, vel est affixa alicui loco, v. gr. Templo, Oratorio, etc., aut adnectitur alicui rei, v. gr. Imagini, Cruci, Rosario, etc.

3° *Temporalis* aut *perpetua,* prout ad tempus determinatum, aut sine ullo termino praefixo conceditur.

1042. **Principia.** — I. Ecclesia habet veram potestatem Indulgentias concedendi ... *Est de Fide contra Protestantes.* Etenim Christus, ut ex SS. Scripturis patet, dedit Ecclesiae plenam potestatem ligandi vel solvendi, tum in foro interno, tum in foro externo spirituali. Ita cum ipse Christus dixit Petro, *Matth. 16. 19.: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveri super terram, erit solutum et in caelis.* Ergo dedit Petro, id est Ecclesiaem suae, potestate solvendi, quidquid est ligatum; ergo etiam potestatem liberandi a poena peccatis debita. Accedit definitio *Con. Trid. sess. 25.* Decreto *de Indulgen-*

tiis, ubi anathemate damnantur, qui *aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant*. Patet insuper ex universali traditione, et perpetua praxi Ecclesiae.

1043. — II. Soli Ecclesiae Praelati habent potestatem Indulgentias concedendi. Etenim haec facultas competere iis solum potest, qui habent potestatem in corpus mysticum Christi, et qui thesaurum Ecclesiae dispensare possunt.

Hinc 1° solus Papa Indulgentias concedere potest respectu omnium fidelium; ille enim solus habet iurisdictionem in fideles universos. — *Suarez*. — *Lacroix n. 1317*.

2° Episcopi possunt quidem de iure *communi* concedere Indulgentias suis dioecesanis. Sed ex Decreto *Conc. Lateran. IV. Can. 62.* ita restricta est eorum potestas, ut non possint *ordinarie* concedere nisi Indulgentias 40 dierum, et die consecrationis Ecclesiae, unius anni.

3° Delegatus easdem Indulgentias concedere potest, ac ille a quo fuit delegatus (*a*). Ratio est, quia actus iurisdictionis per delegatos exerceri possunt, ut apud omnes in confesso est.

4° Cardinales possunt concedere Indulgentias 100 dierum in Ecclesiis suorum titulorum; Nuntii vero 100, vel 200, aut 300 dierum, sed minus quam unius anni, subditis suis.—*Lacroix n. 1322*.

5° Praelati Episcopo inferiores non possunt ullas Indulgentias concedere, neque Vicarii generales, nisi ex delegatione expressa Episcopi; neque Vicarii capitulares, sede vacante; multo minus Parochi. — *Lacroix n. 1323*.

1044. — III. Quatuor requiruntur in subiecto ad Indulgentias lucrandas:

1° Ut sit baptizatus, quia thesaurus Ecclesiae infidelibus dispensari nequit; et non sit excommunicatus, quia secus communione bonorum spiritualium privatur.

2° Ut sit subditus concedentis (*b*), ut constat ex dictis.

3° Ut opera iniuncta tempore praescripto impleat, quia sub hac conditione conceduntur Indulgentiae.

4° Ut sit in statu gratiae, saltem quando ultimum opus praescriptum ponit; quia non remittitur poena, nisi dimissa culpa. — *S. Lig. n. 433.*, etc.

1045. **Quaesita.** — QUAER. 1° *An sit valida concessio Indulgentiae facta sine causa?*

Resp. Neg. Ratio est, quia Praelati Ecclesiae non sunt nisi delegati Christi ad thesaurum Ecclesiae dispensandum. Christus autem nequit ratas habere profusiones thesauri sui a dispensatoribus prodigis factas. Caeterum non est fidelium, nec simplicium

** (*a*) Intellige, iuxta mensuram, quam Delegans Delegato praestituit.

(*b*) Ab indulgentiis tamen, quae quopiam in loco generatim concessae fuerint visitantibus Ecclesiam, altare, imaginem, etc., peregrini non excluduntur. *Marchant apud Diana* (*Tom. 4. Tr. 5. Res. 30. n. 4.*).

Sacerdotum iudicare de sufficientia causae, ob quam Indulgentia conceditur; debent enim simpliciter existimare iustam esse. — *S. Lig. l. 6. n. 532.*, etc.

QUAER. 2° *An peccatum veniale sit obex ad lucrandam Indulgentiam?*

Resp. Neg. nisi agatur de Indulgentia *omnino* plenaria, seu *plenissime* plenaria. Ratio est, quia quamvis remitti non possit poena huic peccato debita, potest tamen remitti poena debita pro aliis peccatis iam deletis: sicut enim non repugnat culpam alicuius peccati venialis remitti, quin aliorum culpa remittatur; sic nec repugnat deleri poenam venialium aut mortalium remissorum, quamvis solvenda remaneat poena pro uno aut pluribus venialibus. — *Ita S. Lig. l. 6. n. 534.*, etc.

1046. — QUAER. 3° *An Indulgentia, quae conceditur ut* PLENARIA, *possit* PARTIALITER *saltem obtineri, si adsit obex impediens quominus integre obtineatur, v. gr. affectus ad aliquod veniale?*

Resp. Affirm. Ratio est, 1° quia ex dictis in quaesito praecedenti non obstat peccatum veniale aliquod non remissum, quominus poena pro aliis debita remittatur; 2° quia Summus Pontifex, concedendo Indulgentiam plenariam, non praesumitur illam velle restringere tantum ad eos, quibus remittuntur omnia venialia; sed potius merito censetur eam concedere iuxta capacitatem subiecti, ita ut remittatur saltem poena quae remitti potest, nempe poena peccatorum remissorum. Secus enim Indulgentiae plenariae plerumque nihil prodessent, cum raro fideles affectum omnem vel minimum erga quodlibet veniale exuant, ac sufficientem dolorem de omnibus venialibus ita concipiant, ut omnium remissionem consequantur. Hinc fieret, ut potiores essent Indulgentiae partiales quam plenariae, quod sensui communi repugnat. — *S. Lig. l. 6. n. 534.*

Nonnulli tamen docent, indulgentiam plenariam non concedi nisi *plenarie* seu *plenissime*, sicuti aiunt, ita ut totum vel nullum effectum sortiri debeat. Sed haec sententia non apparet probabilis.

1047. — QUAER. 4° *Quid intelligatur per Indulgentias 40 vel 15 dierum, annorum, quadragenarum,* etc, etc.?

Resp. Intelligenda est, iuxta communem sententiam, remissio tantae poenae, quanta olim remittebatur, vel remissa fuisset per poenitentiam canonicam eiusdem temporis. Sic v. gr. per Indulgentiam septem annorum tanta remittitur poena, quanta remittebatur per poenitentiam septem annorum iuxta antiquos Canones iniungi solitam. — Quanti autem valuerint coram Deo poenitentiae canonicae, et quanti nunc valeant Indulgentiae partiales tot dierum vel annorum, nos omnino latet; quia ignoramus qualem proportionem satisfactiones nostrae habeant cum poena peccatis nostris debita. — *Ita communiter.*

QUAER. 5° *An Indulgentias lucretur, qui opus pro eis praescriptum non integre perficit?*

Resp. 1° *Neg.,* si partem operis notabilem omittat, ita ut secundum aestimationem moralem illud quoad substantiam non perficiat; quia simpliciter conditionibus requisitis satisfacere non censetur.

Resp. 2° Secus, si minimam partem praetermittat; quia tunc *moraliter,* vel quoad *substantiam* censetur perfici opus praescriptum. Pars autem minima *respective* sumenda est. Sic in Rosario omissio unius *Pater* et *Ave* minima videtur; secus vero si quinque *Pater* et *Ave* requirantur, quia omissio quintae partis operis notabilis est. — *Ita S. Ligorius, l. 6. n. 534.* — *Voit, n. 658.,* etc.

1048. — Quaer. 6° *An et quomodo Indulgentiae defunctis applicari possint?*

Resp. 1° Applicari possunt, si adsint duae conditiones sequentes: 1° ut tamquam illis *applicabiles* in Rescripto Pontificis specialiter concedantur; 2° ut adsit intentio talem applicationem faciendi. — *Ita omnes.... Suarez disp. 53. sect. 4.*

Resp. 2° Indulgentia tamen nequit applicari defunctis per modum *absolutionis,* sed tantum per modum *suffragii,* nempe Deum deprecando ut benigne velit talem applicationem acceptare et animabus Purgatorii applicare. Ratio est, quia Pontifex iurisdictionem non habet in animas defunctorum. Hinc eas absolvere a poenis velut per sententiam non potest. — *Ita Lacroix n. 1336. Lugo disp. 27. n. 58.*

1049. — Quaer. 7° *An Indulgentia infallibiliter prosit animabus Purgatorii, quibus applicatur?*

Resp. Controvertitur. Iª Sententia *affirm.* Ratio est, quia Christus dedit Ecclesiae potestatem infallibilem his verbis: *Quodcumque solveris....,* etc. Concessio autem Indulgentiae pro defunctis est vere actus clavium, cum procedat ab apostolica auctoritate; clavis autem semper aperit, positis debitis conditionibus: ergo Indulgentia est semper efficax et infallibilis tam pro defunctis quam pro vivis, modo adsint requisita. — *Ita Suarez.*

IIª Sententia *negat.* Ratio est, quia nulla adest promissio divina, vi cuius Deus censeatur Indulgentiam oblatam certo acceptare. Hinc videtur, eam tantum admittere pro suo beneplacito applicandam. Praeterea Ecclesia servat usum celebrandi per complures annos ac pro eisdem animabus Sacra, v. gr. anniversaria, etiam in altaribus privilegiatis, seu quibus inhaeret privilegium Indulgentiae plenariae. Inanis autem esset illa praxis, si statim in primo Sacro illis applicato liberarentur. — *S. Ligorius n. 534.* — *Billuart, Append. art. 6.*

Certum est autem, Indulgentias defunctis, saltem ut plurimum prodesse; secus enim inutile quid ageret Ecclesia eas illis applicando: quod sane absque impietate dici nequit.

1050. — Quaer. 8° *An applicatio specialis facienda sit certis animabus determinatis, vel generalis sufficiat?*

Resp. Sufficit applicatio generalis facta omnibus animabus in

Purgatorio degentibus, quia suffragia sunt divisibilia, et proinde in omnes animas distribui possunt. Elucet aliunde ex praxi Ecclesiae, quae iubet Missas celebrari pro defunctis in genere, praesertim die secunda novembris. Item quando fiunt collectae in Ecclesiis pro *animabus Purgatorii,* Missae inde celebrandae pro omnibus in genere applicari debent. Si autem quis velit restringere applicationem suam, tunc animas quasdam specialiter determinare debet. Pius est usus quo Indulgentiae animabus maiori auxilio indigentibus (*a*) applicentur. Caeterum quisque propriae devotioni indulgeat.

QUAER. 9° *An requiratur status gratiae ad lucrandam Indulgentiam pro defunctis?*

Resp. Duplex est sententia probabilis:

I° SENTENTIA *communior* (*b*) *affirm.,* quia nemo potest alteri applicare Indulgentiam, nisi eam prius suam fecerit; atqui Indulgentias suas facere nequit ille, qui in statu peccati mortalis versatur: ergo, etc. Hanc sententiam probabiliorem vocat *S. Lig. l. 6. n. 534.*

II° SENTENTIA *negat,* quia opus ponitur tantum tanquam conditio, qua posita S. Pontifex applicat defuncto Indulgentiam, sive satisfactiones Christi et Sanctorum (*c*). — *Billuart, Suarez, Navarrus, Toletus, Praepositus,* etc.

(*a*) Operi cuilibet, quo animae purgatorii iuventur, pietas nunquam deest. Caeterum pietas magis elucere videtur, si servato ordine charitatis plus eorum animae iuventur, quibus ex quopiam titulo plus debemus.

(*b*) Sed Naldus (*Sum. V. Indulgentia n. 7.*) dicit *magis receptam* sententiam negativam; et qui hanc praeferunt, certe eam *probabiliorem* iudicarunt.

(*c*) Ex Toleto ratio est, quia causa satisfactionis, seu pretium poenarum non est opus illius, qui est in peccato, sed indulgentia ipsa et thesaurus meritorum Christi et Sanctorum. Illud autem opus particulare, per quod indulgentiae applicantur, fit nomine Ecclesiae, in qua nunquam deest gratia. Exemplum prostat in eo, qui dat eleemosynam, et mittit illam per manus hominis existentis in peccato mortali; non enim perditur fructus eleemosynae ex eo, quod sit in peccato ille, qui exequitur opus. *Vid. Diana* (*Tom. 4. T. 5. Res. 36.*).

** Opponunt hic VV. (*Pag. 948. n. 164.*) verba S. Alphonsi (*Lib. 6. n. 534. ad Resol. 10. Busemb.*) de prima sententia: *Haec verior mihi videtur cum Wigandt, quia nemo potest alteri applicare indulgentiam, nisi prius eam fecerit suam.* Deinde (*ibid.*) subdunt in Nota: *Cum S. Alphonsus veriorem aliquam sententiam dicit, alteram iam probabilem non habet.*

Resp. 1°. S. Alphonsus hic non dixit, eam sententiam *esse veriorem,* sed, *haec verior mihi videtur;* vox autem *videtur* est *opinantis:* et *opinio* dicit assensum cum *prudenti formidine de opposito.* 2°. Nomina Toleti, Suarez, Navarri etc. (nam plures alios videsis allegatos apud Diana tum *l. c.,* tum Tom. 4. Tr. 1. Resol. 4, et 5.) efficere possunt, ut salva reverentia S. Doctori Alphonso debita, liceat absque temeritatis nota de hoc eiusdem iudicio, seu melius opinatione dubitare; praesertim vero quod rationi a Wigandt allatae auctores oppositae sententiae facile respondeant, *negando suppositum,* quasi scilicet in casu fideles indulgentiam prius pro se lucrentur seu suam faciant, quam deinde alteri cedant, seu applicent. Nam quod ipsa Ecclesia sic merita Christi ac Sanctorum applicet, et opus iniunctum

Prima sententia ut tutior commendanda est. Quam maxime igitur inducendi sunt fideles, ut si quando noxae gravis se reos deprehendant, prius cum Deo reconciliari curent, quam pro aliis satisfacere satagant (*a*).

1051. — QUAER. 10° *An requiratur* CONFESSIO *et* ABSOLUTIO *etiam pro venialibus ad lucrandas Indulgentias, quae conceduntur cum clausula:* CONTRITIS ET CONFESSIS?

Resp. 1° Certo requiritur *confessio* non obstante statu gratiae. Ratio est, quia etsi confessio tunc non sit necessaria ad remittenda peccata, requiritur tamen tanquam conditio, seu opus praescriptum. Constat ex Decreto S. Congr. Indulgentiarum a *Clemente XIII.* approbato, die 19. Maii 1759. Hinc ruit probabilitas sententiae oppositae, quae antea a multis theologis defendebatur. Confessio autem fieri potest in vigilia diei, qua lucranda est Indulgentia. Sic statuit eadem Congregatio.—*Vide S. Lig. n. 534.* etc.... —*Bouvier.*

Resp. 2° Non requiritur autem absolutio. Patet ex recenti Declaratione *S. Congregationis de Indulgentiis* die 15. Decembris 1841. Vide opus P. Antonini Maurel, cui titulus: *Le Chrétien éclairé sur la nature et l'usage des Indulgences, pag. 64.* Quod opus a S. Congr. Indulg. speciali decreto approbatum fuit.

1052. — QUAER. 11° *An requiratur toties confessio, quoties lucranda est Indulgentia plenaria?*

Resp. 1° Non requiritur quoad omnes Indulgentias plenarias; sunt enim plures Indulgentiae, pro quibus lucrandis nulla requiritur confessio. Tales sunt Indulgentiae pro exercitio *Viae Crucis* concessae.

Resp. 2° Requiritur quoad plerasque Indulgentias plenarias. Evincitur ex Rescriptis plurium concessionum.

Attamen ex indulto speciali in perpetuum concesso, fideles qui *semel in hebdomada* confiteri solent, omnes Indulgentias plenarias in hebdomada occurrentes lucrari possunt (dummodo in statu gratiae permaneant). Sic ex Decreto *Clementis XIII.* 9. Septembris 1763.; et confirmatur etiam ex Decreto *S. Congreg. Indulg.* 15. Novembris 1841.

fidelibus quaedam sit quasi conditio, inde etiam arguitur, quod nemo censuerit, in nostro esse arbitrio, indulgentias alteri viventi applicare: cum tamen, si vere suas quis facit indulgentias, ratio non appareat, cur non possit alteri eas viventi cedere, aut cur ad applicandas defunctis indulgentias necessaria sit Ecclesiae auctoritas, quae auctoritas necessaria non est, ut defunctis satisfactorium meritum ieiuniorum, eleemosynarum, aut carnis macerationum etc. quisque applicet.

(*a*) Optima sane est cura efficiendi, ut fideles cum Deo reconcilientur. At cavendum simul, ne dum ratio istiusmodi ferventius, quam par sit, urgetur, effectus desiderio concionatoris plane contrarius sequatur, atque animae suffragiis plurimorum priventur. Contra inclamat Diana (*l. c.*): *Nemo excusatur, quando a Summo Pontifice applicatur aliqua indulgentia defunctis per modum suffragii, si hanc pro illis non sumant. Nam, ut dictum est, et iusti et peccatores illam pro defunctis obtinere possunt.*

Imo Episcopi non pauci, praesertim in Gallia, obtinent a Curia Romana extensionem huius privilegii ad alteram hebdomadam, seu ad eos qui bis in mense confitentur.

Item ex decreto *S. Congr. Indulg.* a *Pio VII.* approbato die 12. Iunii 1822. fideles qui singulis hebdomadis confiteri non solent, confessionem ad lucrandam Indulgentiam die festo necessariam, octo diebus ante festum facere possunt.

1053. — QUAER. 12° *An quis possit eadem die* DIVERSAS *aut pluries* EASDEM *Indulgentias lucrari?*

Resp. 1° Quoad Indulgentias *diversas,* generatim eas possunt fideles lucrari, saltem si sint partiales et annexae operibus diversis, vel eisdem operibus, quae pluries in die repeti possunt.— *Ita communiter Theologi,* idque ex Ecclesiae et fidelium praxi comfirmatur.

Resp. 2° Quoad Indulgentias *easdem* id pendet a mente Pontificis Indulgentias elargientis. Unde ad litteras concessionis attendendum est; quae si nihil determinent, standum est interpretationi et praxi communi Ecclesiae.

Sic eodem die obtineri non possunt pluries indulgentiae *stationum,* seu *visitationis Ecclesiae,* ut constat ex Decreto *S. Congreg. Indulg. ab Innoc. XI. approbato.—Voit n. 653. — Lacroix n. 1370.* E contrario lucrari licet pluries in die indulgentias plures annexas Rosario et singulis eius partibus, vel recitationi actuum Fidei, Spei et Charitatis .... etc., quia in Rescripto Pontificis dicitur: *toties quoties.*

QUAER. 13° *An quis eodem actu, seu opere, plures Indulgentias lucrari queat?*

Resp. 1° *Affirm.,* si opus praescriptum repeti non possit, aut non soleat *eodem die,* ut *ieiunium, Communio* etc. et concurrant diversae Indulgentiae lucrandae, v. gr. Indulgentiae diversarum Confraternitatum, vel affixae diversis Ecclesiis, ex *diversis titulis,* et *eodem die* concessae.

Resp. 2° *Neg.* vero, si concurrant Indulgentiae *eodem titulo,* v. gr. si quis habeat duo numismata, quorum singulis Indulgentia unius anni concessa est cum onere operum iterabilium; tunc enim plures Indulgentiae *simul eodem tempore* obtineri nequeunt, nisi opera iniuncta iterentur, quia talis censetur esse mens concedentis, cum iniungat opera quae iterari possunt.—*Ita* cum *Voit, n.655.,* etc.

1054. — QUAER. 14° *An possint acquiri plures Indulgentiae plenariae eodem die?*

Resp. 1° Nemo potest lucrari secundam Indulgentiam eodem tempore, si post primam nulla poena luenda amplius remaneat (*a*).

Resp. 2° Secus *affirm.* Probatur ex recenti Decisione *S. Con-*

(*a*) Rationes, quae ab utraque dissidentium parte afferebantur (*vid. resp.* 2.), manifeste ostendunt, nihil ad rem ea pertinere, quae in prima hac responsione dicuntur.

greg. (*a*). Antea disputabatur in Scholis. Alii negabant, saltem plerumque, quia Communio, quae solet generatim praescribi ad Indulgentiam lucrandam, eadem die repeti non potest. Affirmabant alii, quia Communio non fuit imposita ut opus adimplendum, sed potius tanquam conditio necessaria ad Indulgentiam lucrandam. Sed superveniente praefata Decisione lis omnis de medio sublata est.

1055. — QUAER. 15° *An vel qualis intentio requiratur ad lucrandas Indulgentias?*

Resp. 1° Certo requiritur intentio saltem virtualis, quoties Indulgentia conceditur cum certa intentione sibi proponenda; secus enim nulla esset.

Resp. 2° In caeteris casibus controvertitur.

I° SENTENTIA, quae probabilior videtur, docet requiri intentionem *positivam*, saltem *virtualem*. Ratio est, quia opus praescriptum dirigi debet in finem ab Ecclesia intentum; hoc autem praestare nequit ille, qui saltem virtualiter lucrari Indulgentiam non intendit. — *Ita Billuart, Appendix de Indulg. art. 5.* Hoc tamen intelligendum est dumtaxat cum de fine expresse ab Ecclesia praescripto agitur.

II° SENTENTIA tenet sufficere intentionem *habitualem*. Ratio est, quia *per se* nulla requiritur intentio; effectus enim Indulgentiae, seu remissio poenae pendet omnino a concessione Ecclesiae, non vero ab intentione agentis: inde licet se passive habeat, nec attendat ad Indulgentiam, imo nesciat se illam lucrari, dum ipsi contingit, nihilominus ius ad illam consequitur. Indulgentia enim conceditur ab Ecclesia per modum *solutionis* pro opere posito; sed ad *solutionis* validitatem non necessario requiritur, ut ille, pro quo tribuitur, eam noverit.

In praxi prior sententia suadenda videtur, ut tutior et efficacior ad pios animae motus excitandos. Aliunde non valet usus probabilitatis in materia Indulgentiarum (*b*), siquidem non probabilitas,

(*a*) *Ad postulatum, An eodem die lucrari possint plures Indulgentiae plenariae, quando pro unaquaque praescripta est perceptio divinae Eucharistiae? Responsum S. Congregationis: Affirmative, servatis tamen respective aliis appositis conditionibus. 27. Maii anno 1841.*

(*b*) Facile alii hoc negabunt. Notissimum enim principium est, quoties de rebus in Ecclesiae potestate sitis probabiles feruntur ac in praxim deducuntur opiniones, illam, sicubi opus sit, supplere, quod ad actus valorem pertineat. Porro in re praesenti (*Vid. Diana Tom. 4. Tr. 5. Resol. 18.*) utraque disputantium pars ad mentem voluntatemque confugit Romani Pontificis indulgentias concedentis; nam qui contendunt, non sufficere praestationem operis, rationem reddunt, *quia non videtur esse talis intentio Papae*; et contra qui contendunt, praestationem operis sufficere, probant, *quia non est existimandum, Summum Pontificem in lucrante indulgentiam exigere actualem intentionem* (*actualem* opponunt *habituali* et *interpretativae*), *quia nec natura indulgentiae id necessario postulat, nec verba concessionis id significant, etc.* Vid. Laymann (*Lib. 5. Tr. 7. Cap 6. n. 5.*).

Caeterum ratio allata pro prima sententia, prouti eam Auctor intelli-

sed veritas effectum producit. Caeterum communiter admittunt, sufficere intentionem mane habitam ad lucrandas omnes Indulgentias per diem occurrentes. Laudabilis et utilissima est praxis piarum animarum, quae mane semper renovant intentionem lucrandi omnes indulgentias adnexas bonis operibus, quae tali die sunt peracturae. — *Lacroix,* etc.

1056. — Quaer. 16° *Utrum, si concedatur facultas commutandi opera iniuncta ad lucrandas Indulgentias, commutatio necessario in confessione fieri debeat?*

Resp. Affirm. Standum est enim regulae quam tradit *Bened. XIV.* Const. *Inter praeteritos* §. 63., ubi statuit, huiusmodi commutationes in sola confessione faciendas esse.

Commemorata enim controversia de commutatione votorum, absolutione a censuris, ac potestate dispensandi in aliis materiis, seu opera praescripta commutandi, num haec omnia fieri debeant a Confessario in actu sacramentalis confessionis, necne, ita concludit *Nos vero ad omnem difficultatem tollendam, in instructione* (Const. *Convocatis*) *iniunximus, non posse a poenitentiariis ullas absolutiones, commutationes, ac dispensationes dari extra actum sacramentalis confessionis. idque nobis et congruum esse, et materiae gravitati ac ministerii qualitati conveniens visum est, atque omnem controversiae ansam eripit et conforme est praxi Poenitentiariae nostrae apostolicae* (*a*).

1057. Quaer. 17° *An vel quomodo surdi-muti lucrari valeant Indulgentias, quibus adnexae sunt orationes vocales?*

Resp. Has Indulgentias in antecessum lucrari non poterant, cum requisitis conditionibus satisfacere non valerent. Sed ex benigna

gendam dicit, ad secundam potius sententiam adducit. Nam statuit, eum *dumtaxat* finem intendi oportere, quem Ecclesia *expresse* praescribat. Atqui Ecclesia certe numquam *expresse* praescripsit, ut fideles haberent intentionem lucrandi indulgentiam. Ergo. Quod si Ecclesia subinde praescribit, ut fideles in hunc aut illum finem orent, v. gr. *ut inimicos Sanctae Ecclesiae Deus humiliare dignetur,* hoc pertinet ad *opus iniunctum,* non vero ad intentionem fruendi indulgentiae lucro, unde fieri potest, ut aliquis in eum finem preces dirigat, de lucro autem indulgentiae neque cogitet, neque quidquam sciat.

(*a*) Benedictus XIV., ut patet, hic loquitur de facultatibus concessis, ac modo iis utendi, in occasione Iubilaei 1750., non vero statuit legem generalem. Hinc in *Instructione,* quam tradiderat in Constitutione *Convocatis,* et quam expresse hoc loco indicat, pro concessarum facultatum usu non hanc tantum, sed alias simul conditiones apposuit, quas nemo profecto instar generalium legum habendas censuit. *Intelligant* (inquit §. XXIV. XXV.), *huiusmodi facultatibus peculiaribus a Nobis, ut supra, pro hoc anno sancto sibi concessis, uti se non posse, nisi cum iis poenitentibus, qui praesens eiusdem anni sancti Iubilaeum consequi sincere et serio volunt... Advertant insuper, supradictas absolutiones, commutationes, dispensationes, non posse a se exerceri extra actum sacramentalis Confessionis* NEQUE EXTRA SUAM CUIUSQUE BASILICAM VEL ECCLESIAM.... Concludamus igitur, tunc solum commutationes, etc., necessario faciendas esse in Confessione, quando in concessione facultatis eiusmodi conditio expresse cavetur.

conoessione *Pii IX.* die 15. Martii anni 1852. huiusmodi beneficio frui possunt, modo sequentia servent: 1° Si ecclesia aliqua visitanda sit, satis erit si eam adeundo surdi-muti mente et affectu Deum orent. 2° Si publicae preces habendae sint, non aliud ab iisdem requiritur, nisi ut fidelibus adunatis pia mente coniungantur. 3° Si orationes privatae sint recitandae, a Confessario commutationem in alia quaevis pia opera obtinere poterunt. — *Vide* folium *l'Univers,* 1. Février 1854. —*L'Ami de la Religion,* 2. Février 1854.

1058. — QUAER. 18° *An amittantur Indulgentiae, si res mobilis, cui adnexae sunt, alteri tradatur?*

Resp. 1° *Affirm.,* si dominium rei illius in alium transferatur. Ratio est, quia Ecclesia intendit tantum concedere indulgentias personae, pro qua res aliqua fuit benedicta, vel pro primo, qui ea utitur. Ita sapientissime statuit Ecclesia ad praecavendos abusus, qui secus irreperent, si Indulgentiae possent de uno ad alterum transferri ac donari.

Resp. 2° *Neg.* vero, si per traditionem non transferatur rei dominium, id est, si res alteri solum commodato tradatur, modo tamen commodans non intendat beneficium Indulgentiae commodatario concedere. Evincitur ex Decisione *S. Congr.* 26. Nov. 1714. *Gousset num. 906.,* etc.

QUAER. 19° *Quibusnam rebus Indulgentiae applicari possint?*

Resp. Applicari possunt Indulgentiae quibuslibet rebus *solidis,* ne ferro quidem vel ligno exceptis, ut olim. Etiam corona vitro solido confecta cum appositis Indulgentiis benedici potest. Solae igitur res, quae facile frangi aut lacerari possunt, ut papyrus, vitrum insufflatum, etc., excipiendae sunt. Constat ex recenti Decisione *S. Congreg. de Indulgentiis.* P. Maurel, *op. cit. pag. 181.*

1059. **Resolves.** — 1° Episcopus potest concedere Indulgentias suis subditis extra suam dioecesim versantibus, quia iurisdictionem habet personalem in illos. Possunt vero Episcopi concedere indulgentias solum per modum *absolutionis,* ideoque pro solis vivis. — *Ita communiter.*

2° Quisque potest lucrari Indulgentias pro alio quolibet christiano vivente per modum *solutionis* seu *satisfactionis;* quamvis enim fructus meriti non sit applicabilis alteri, fructus tamen satisfactionis applicabilis est, modo ille sit in statu gratiae. Sed ad hoc requiritur intentio specialis Indulgentiam pro isto determinate lucrandi. Applicatio autem satisfactionis fieri potest ignoranti, non petenti, absenti . . ., etc. — *Ita Suarez,* — *Lugo,* — *Lacroix, n. 1327.,* etc. (*a*).

** (*a*) Croix non asserit, quod absolute quisque pro arbitrio suo indulgentias, quas lucrari ipse potest, has etiam cuilibet alteri christiano viventi queat applicare; sed ut patet ex seq. n. 1329. (*Lib. 6. Part. 2.*), hoc admittit, quando Papa *expresse concesserit,* ut quaepiam indulgentia,

3° Non amittuntur Indulgentiae rei alicui adnexae, nisi res illa omnino mutata fuerit, ita ut res eadem amplius dici nequeat, v. gr. si Ecclesia omnino aut fere ex integro esset diruta, Indulgentiae ei inhaerentes cessarent. Neque amittuntur, si per successivas reparationes totaliter renovaretur, siquidem eadem moraliter remaneret. Proinde nec amittit Indulgentias corona quae successive reparatur, licet globuli ex integro per partes subinde renovati fuerint. — *Gousset n. 905.*

4° Indulgentiae non expirant morte concedentis, cum sint gratiae, nec ante notitiam revocationis. Indulgentiae accipiendae sunt, ut sonant; cum tamen sint gratiae, large sunt interpretandae, servata nihilominus verborum proprietate. Unde censendae sunt perpetuae, si datae sint sine temporis restrictione. — *S. Lig. n. 524.*

1060. — 5° Indulgentia pro articulo mortis concessa non requirit applicationem Confessarii aut ministerium alterius. Expedit tamen, moribundos nomina *Iesu* et *Mariae* saepius invocare, et ipsis in mentem lucrandam Indulgentiam revocare.

6° Si moribundus habeat plures Imagines, Cruces, Numismata, aut Rosaria benedicta, potest lucrari Indulgentiam toties quoties nomen Iesu repetierit, vel praestiterit opus requisitum (saltem probabilius), sive Indulgentiae ex eadem concessione, sive ex diversis proveniant. Sufficit tamen ad eas lucrandas quodvis tempus, in quo verificatur mortis articulus, etsi pluribus diebus tantum postea mors sequatur. — Ita *S. Lig. ibid.* — *Suarez,* etc. Possunt pariter moribundi plures lucrari Indulgentias titulo variarum Confraternitatum, etiamsi eas ignorent, aut de iis non recordentur. — *S. Lig. ibid.*

7° Requiritur autem, ut moribundus secum habeat res, quibus affixae sunt Indulgentiae, scilicet Rosaria, Cruces, etc. Attamen necesse non est, ut haec habeat collo appensa, brachio obvoluta,

ut fieri solet pro defunctis, ita pro alio vivente applicari queat; quod tamen fieri non consuevit.

Idipsum supponit et Suarez, qui (*De Poenit. Disp. 52. Sect. 8. n. 6.*) ita scribit: *Si forma indulgentiae tantum sit, ut faciens hoc vel illud tantum remissionem consequatur; tunc non potest indulgentia alteri applicari: quia indulgentia non plus operatur, quam sonat. Unde sicut non extenditur ultra quantitatem expresse concessam, ita neque ultra personas expressas. Item ... quia effectus ex opere operato concessus in favorem eius, qui tale opus perficit, nunquam potest ex illius voluntate alteri applicari, nisi hoc ipsum in concessione exprimatur: quia est quasi privilegium personale ... At vero si ipsa forma et tenor indulgentiae exprimatur, ut sic operans possit talem fructum vel sibi, vel alteri obtinere, tunc non est dubium, quin possit unus pro altero operari ad lucrandam illam indulgentiam.*

Eadem de re sic Lugo (*De Poenit. Disp. 27. n. 77.*): *Posset* (*homo iustus*) *ex eadem* (*Pontificis*) *facultate lucrari indulgentiam pro aliis baptizatis, quicumque illi sint. Communiter tamen non conceditur facultas lucrandi indulgentiam pro aliis viventibus: quia cum ipsi possint sibi etiam subvenire, non expedit fovere eorum pigritiam, ut neque satisfacere, neque etiam indulgentias pro se lucrari curent.*

manuve apprehensa; sed sufficit, ut haec sint in lecto, vel iuxta moribundum appensa, licet ipse nec videat, nec tangat, nec sciat aut recordetur se habere. — *S. Lig. n. 534.*

8° Etsi expediat, ut omnia opera fiant in statu gratiae, id tamen necessarium non est, iuxta sententiam communem, sed sufficit ut ultimum opus in gratia fiat. — *S. Lig. ibid.*

CAPUT II.

DE IUBILAEO

1061. — Vox *Iubilaeum* deducitur iuxta plures ab hebraeo *iobel*, quod significat quinquagesimum, quia apud Hebraeos annus Iubilaei anno quinquagesimo recurrebat: vel iuxta alios ab eodem verbo significante sonum tubae, quo indicebatur quinquagesimus annus. Iuxta alios etiam Iubilaeum deducitur a *iubal* vel *iobal*, quod significat germinare, quia anno quinquagesimo terra non colebatur, et incolae fructibus sponte germinantibus vescebantur.

Ad imitationem Iubilaei veteris testamenti institutum est Iubilaeum Ecclesiasticum, quod Romae et in universo orbe cum plenissima peccatorum indulgentia, magno gaudio et solemnitate nunc celebratur. Post primam eius institutionem ex decreto *Bonifacii VIII.* anno 1300. habitum est anno quoque quinquagesimo; ex decreto autem *Urbani VI.* quolibet anno trigesimo; denique ex statuto *Pauli II.* quolibet anno vigesimo quinto celebrari coepit.

1062. — Definitio. *Iubilaeum est Indulgentia plenaria solemnis, quam Summus Pontifex aliquando concedit omnibus fidelibus cum obligatione certa opera pia peragendi, tribuens simul Confessariis specialem potestatem a peccatis censurisque reservatis absolvendi, ac pleraque vota commutandi.*

Hinc Iubilaeum non differt, nisi *accidentaliter*, ab Indulgentia plenaria ordinaria, scilicet ratione solemnitatis et privilegiorum ipsi adnexorum, et etiam ratione uberrimarum et extraordinariarum gratiarum, quae illud concomitantur. Has enim gratias omnino speciales arguunt miri et stupendi effectus, quos Iubilaeum producere solet, etiamsi non fiant solemnes fidelium coadunationes, nec divinum verbum praedicetur.

1063. — Divisio. Multiplex distinguitur Iubilaeum:

1° *Iubilaeum maius*, quod regulariter occurrit omni anno vigesimo quinto, qui *annus sanctus* vocatur. Dicitur etiam iubilaeum *ordinarium*, eo quod sit iure fixum et determinatum.

2° *Iubilaeum minus*, quod solet concedi a singulis Summis Pontificibus post uniuscuiusque exaltationem, et in aliis peculiaribus circumstantiis, et dicitur Iubilaeum *extraordinarium*.

3° *Generale*, quod conceditur universo orbi, cuiusmodi semper

est Iubilaeum *maius*, et quandoque etiam Iubilaeum *minus*; sed concedi solet *Urbi*, seu *Romae soli*, antequam *orbi* concedatur.

4° *Particulare*, quod conceditur alicui provinciae, civitati vel loco particulari, ut est celeberrimum Iubilaeum Ecclesiae *Aniciensi* concessum, quoties festum *Annuntiationis* B. Virginis in diem sacrum *Parasceves* incidit.

Annus integer ordinarie conceditur Romae ad lucrandum Iubilaeum *maius*; et anno sequenti concedi solet per extensionem omnibus aliis orbis christiani regionibus. Singulis autem parochiis ad Iubilaeum lucrandum conceduntur tantum quindecim dies vel tres hebdomadae. Episcopus tamen potest iustis de causis illud tempus prorogare. Iubilaeum *minus* primum etiam fit Romae, sed paucis hebdomadis, et deinde extenditur ad universum orbem, ut, decurrente anno, per tempus ab Episcopo determinandum fieri possit.

Conditiones ad Iubilaeum requisitae.

1064. — I. Ad Iubilaeum generale, sive *maius*, sive *minus*, sequentes requiruntur conditiones: 1° *Ieiunium* trium dierum, feria IVª, VIª et sabbato. 2° *Eleemosyna* aliqua iuxta cuiusque facultatem. 3° *Visitatio* Ecclesiarum, pie orando ad Summi Pontificis intentionem. Olim ponebatur in Indulto: *Qui processioni interfuerint vel Ecclesias visitaverint*. Nunc processio non iniungitur ut conditio indulgentiae. 4° *Confessio* peccatorum cum sincero dolore peracta. 5° *Communio* in statu gratiae facta. Ita ex multis Constitutionibus, praesertim *Benedicti XIV*. Bulla *Inter praeteritos*. 3. Dec. 1749. pro Iubilaeo anni sancti. — *Vide Compendium* huius Bullae apud *S. Lig. n. 536*.

II° Pro Iubilaeo particulari attendendum est ad tenorem Indulti concessi; ordinarie tria tantum requiruntur, nempe confessio, communio, et visitatio alicuius Ecclesiae.

1065. **Quaesita.** — Quaer. 1° *An Iubilaeum lucrari possint absque ieiunio pueri, senes, infirmi, vel alii, qui ieiunare non possunt?*

Resp. Neg., nisi commutationem ieiunii in aliud opus obtineant. Ratio est, quia ieiunium expresse praescribitur velut conditio Indulgentiae lucrandae. Non enim iniungitur ut praeceptum, a quo necessitas excusat, sed assignatur ut consilium cum promissione Indulgentiae. Confessarii autem in Iubilaeo approbati facultate huiusmodi commutationis gaudent. — *Ita Laymann lib. 5. tract. 8. c. 8. n. 12.* — *Voit num. 663.*

Quaer. 2° *An possit satisfieri ieiuniis iniunctis per ieiunia alias debita, v. gr. si Iubilaeum fit tempore Quadragesimae aut quatuor Temporum?*

Resp. Neg. per se cum *S. Lig. l. 6. n. 536. et 538.* Ratio est,

quia una solutione nequit satisfieri duplici oneri; et Pontifex, dum imponit ieiunium, intendit semper imponere specialem obligationem de re non adhuc praecepta.

Attamen si Pontifex determinet, vel determinandum permittat pro Iubilaeo lucrando tempus, quo ex praecepto Ecclesiae iam servandum est ieiunium, ut est tempus Quadragesimae vel quatuor Temporum, eo ipso censetur dispensare fideles ab obligatione commutationem ieiunii in aliud opus obtinendi. — *S. Lig. n. 536.* Haec doctrina recenti Decisione *S. Poenitentiariae* confirmatur (*a*).

1066. — QUAER. 3° *An commutari possit visitatio Ecclesiarum pro impeditis?*

Resp. Affirm. Sic Moniales, carceribus detenti, infirmi et quicumque alii gravi de causa a visitatione Ecclesiae impediti, commutationem huius operis in aliud a Confessario impetrare possunt. Sic statuit *Bened. XIV.* in Bulla *Inter praeteritos,* et alii sequentes Summi Pontifices.

QUAER. 4° *An confessio et Communio commutari possint?*

Resp. Neg. saltem generatim loquendo. Ratio est, quia Bullae loquentes de operibus commutandis non loquuntur de confessione nec de Communione, saltem pro adultis. Imo expresse a *Bened. XIV.* excluduntur in Bulla cit. §. 1. ubi dicitur, quod facultas commutandi pia opera non intelligitur data circa confessionem et Communionem (praeterquam pueris) aut orationem in visitatione necessariam.

Attamen, ut videtur, si quis communicaturus die ultima, a Communione inopinato casu impediretur, commutationem Communionis, vel prorogationem Iubilaei obtinere posset. — *Ita communiter.*

(*a*) *Quaestiones propositae S. Poenitentiariae, occasione Iubilaei a Pio IX. concessi anno 1865.*

1° Utrum Episcopi qui determinant tempus Quadragesimae pro Iubilaeo in sua dioecesi lucrando, in alia pia opera commutare debeant ieiunia praescripta, servata abstinentia in locis, ubi ex facultate pontificia, ab ea dispensare solent?

2° An Episcopi, in quorum dioecesi Iubilaeum in tempus Paschale incidit, fidelibus declarare possint, unicam Communionem, nempe Paschalem, sufficere ad gratiam Iubilaei obtinendam, omissa ea quae a Pontifice praescribitur?

3° An Episcopi tempora diversa pro variis dioecesis locis ad Indulgentiam Iubilaei obtinendam, decurrente anno, assignare valeant?

4° An Confessarii, Iubilaei tempore, absolvere possint eos, qui usurpationi territorii pontificii cooperati sunt, non obstante reservatione facta in Bulla 26 Martii 1860?

S. Poenitentiaria, facta praemissorum relatione SS. Domino nostro *Pio IX* iuxta eiusdem SS. Domini mentem die 20. Ian. 1865. *respondet:*

Ad 1um: *Per ieiunium quadragesimale, etiamsi adsit necessitas utendi lacticiniis, satisfit duplici oneri.*

Ad 2um: *Affirmative.*

Ad 3um: *Ex novo Indulto Sanctissimi, affirmative.*

Ad 4um: *Negative, et recurrendum esse ad locorum Ordinarios, qui providebunt iuxta instructiones.*

ait *Bouvier, opusc. de Indulgentiis et Iubilaeo c. 3.* §. 4.

1067. — QUAER. 5° *An pueri nondum Communione refecti, ea omissa, Iubilaeum lucrari possint?*

Resp. Neg., nisi commutationem obtineant. Eruitur enim ex Bulla *Benedicti XIV. ibid.* et *Leonis XII.* pro Iubilaeo, eos posse Iubilaeum lucrari, *commutata Communione,* de licentia Episcopi, in aliud opus pium. — *Bouvier ibid.*

1068. — QUAER. 6° *An Communio paschalis sufficiat ad Iubilaeum lucrandum, si tempore Paschali Iubilaeum celebretur?*

Resp. Affirm., nisi Communio specialis pro acquirenda Iubilaei Indulgentia in Bulla seu Rescripto Pontificis requiratur. Constat ex Declaratione *S. Congreg. Indulg.* die 14. Decembris 1841., ut infra in fine huius appendicis n. 1086 dicetur.

QUAER. 7° *An confiteri debeant sola venialia habentes?*

Resp. Affirm. omnino. Olim de hoc magna agitabatur controversia: sed corruit post expressam Declarationem *Bened. XIV. ibid.* §. 77. Non tamen requiritur necessario absolutio, cum de ea nulla mentio fiat.

1069. — QUAER. 8° *An confessio facta in vigilia primae diei Iubilaei sufficiat?*

Resp. Neg. Ratio est, quia omnia opera fieri debent intra intervallum temporis ad Iubilaeum lucrandum statuti. Potest tamen inchoari confessio, sive in vigilia, sive ante, modo tempore Iubilaei terminetur. *Bouvier, ibid.* Attamen fieri posset confessio in ea parte vigiliae, quae primas Vesperas subsequitur, quia prima dies ecclesiastico more a primis Vesperis computari solet; et hoc in Iubilaeo ordinario Urbis constanter servatur, ut patet ex Bulla *Peregrinantes Bened. XIV.* §. 4. Insuper dies ad praestanda opera iniuncta, ut constat ex eiusdem Constitutionis §. 6. sumi possunt vel naturales, vel ecclesiastici, *nimirum a primis Vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum.*

QUAER. 9° *Quaenam quantitas eleemosynae eroganda sit?*

Resp. 1° Si in Bulla dicatur: *Qui dederit eleemosynam,* sufficit quantitas quaelibet, modo non sit ita parva, ut fere nihil esse videatur.

Resp. 2° Si dicatur: *Quantum cuique pro sua facultate visum fuerit,* tunc quantitas debet aliquo modo proportionem habere cum facultatibus cuiusque; unde obolum tribuere sufficeret pauperi, non vero diviti.— *Ita satis communiter.* — *S. Lig. n. 528.*

1070. — QUAER. 10° *An, vel quomodo eleemosynam facere debeant pauperes, Religiosi et filiifamilias?*

Resp. 1° Omnes tenentur vel ad eleemosynam aliquo modo, saltem per alium, faciendam, aut ad aliud opus pium a Confessario determinatum subrogandum. Ratio est, quia ubi agitur de aliqua gratia obtinenda, impossibilitas conditionem praestandi ab ea non

excusat, sicut impossibilitas praeceptum adimplendi, ut iam supra dictum est. — *Laymann, c. 8. n. 12.— Lacroix n. 1428-1430.*

Resp. 2° Pauperes satisfacere possunt dando rem minimam, v. gr. assem, vel frustulum panis ....., etc. Sed consultius est hoc opus in aliud eis commutare, ut dicit expresse *Lacroix ibid. et Laymann ibid.*

Resp. 3° Religiosi et filiifamilias satisfaciunt, si ab eorum Superioribus aliqua eleemosyna erogetur ipsorum nomine, et ipsis scientibus. Pariter uxores per viros, et famuli per dominos satisfacere possunt.

1071. — QUAER. 11° *An opera iniuncta in una hebdomada perfici omnia debeant?*

Resp. 1° *Affirm., quoad ieiunia.* Evincitur clare ex formula quae sic iacet: *Qui processioni interfuerint, vel Ecclesias visitaverint, et feria* quarta, sexta *et* sabbato alterius ex duabus hebdomadis *ieiunaverint, pariterque sua peccata confessi, et sancta Communione refecti fuerint, eleemosynamque tribuerint...,* etc. Ex his autem evidenter patet, tria ieiunia eadem hebdomada esse facienda.

Resp. 2° *Neg.* vero quoad alia opera. Ratio est, quia in citata formula, quae usurpari solet, dicitur tantum ieiunia esse facienda in eadem hebdomada, non vero reliqua opera, ut attendenti ad ordinem grammaticalem patebit. Insuper alias sequeretur absurdum, nempe quod si processio iniungeretur, et quidem unica, v. gr. in principio Iubilaei, nemo posset illud secunda hebdomada lucrari.

Affirmant tamen *S. Lig.* et *alii plures* innixi tum textu Indulti, tum consuetudine fidelium. Sed ex utroque contrarium adstrui merito potest.

Caeterum evanescit difficultas, et clarissime patet mens Ecclesiae ex Bulla *Pii IX.* pro Iubilaeo post exaltationem suam concesso 20. Nov. 1846., ubi dicitur: 1° Pro Urbe: *Qui a die sexta Decembris usque ad diem vigesimam septimam eiusdem mensis, bis visitaverint intra* tres illas hebdomadas *(basilicas...., etc.) ibique per aliquod temporis spatium devote oraverint, et intra* easdem hebdomadas *peccata sua confessi, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum reverenter susceperint,* etc. 2° Pro Orbe: *Qui .... designandas (Ecclesias) vel earum aliquam* spatio trium hebdomadarum *bis visitaverint, aliaque opera devote peregerint,* etc.

1072. — QUAER. 12° *An vel quomodo Iubilaeum lucrari possint viatores?*

Resp. 1° Potest pro ipsis prorogari tempus Iubilaei, usque ad reditum; nec tenetur quis suum iter differre, nisi id commode possit. 2° Si reperiantur in itinere, dum incipitur Iubilaeum in proprio eorum loco, possunt pariter illud ibidem lucrari post reditum. 3° Si transeant per loca, ubi Iubilaeum celebratur, possunt illud ibidem lucrari. Ita *S. Lig. n. 538.,* cum *aliis communiter.* Constat ex Bullis pro Iubilaeo. *Consule modo cit. Bullam Pii IX.*

1073. — QUAER. 13° *An Iubilaeum pluries lucrifieri possit?*

Resp. Negandum videtur, nisi hoc in Bulla aut Rescripto concessionis specialiter expressum reperiatur (*a*).

QUAER. 14° *An per confessionem* INVALIDAM *in Iubilaeo tollantur censurae et reservatio peccatorum?*

Resp. 1° *Affirm.* probabilius, si confessio fuerit *inculpabiliter* nulla.

Resp. 2° *Affirm.* probabiliter, etiamsi confessio fuerit nulla *culpabiliter*, dummodo poenitens non omiserit sacrilego silentio ipsa peccata reservata. — *Vide Salmantic. De Poenit. cap. 13. n. 41.* — *Lugo De Poenit. disp. 20. n. 110.*, etc. (*b*).

1074. — QUAER. 15° *An peccet graviter, qui postquam absolutus est a reservatis, non implet caetera opera praescripta?*

Resp. Neg. cum sententia communi. Ratio est, quia non apparet, talem obligationem fuisse impositam neque ex natura Iubilaei, neque ex praecepto Pontificis aut Confessarii. — *Ita S. Lig. n. 537.* — *Lugo disp. 20. n. 100.* — *Salmant. c. 13. n. 57.*, contra *aliquos.*

QUAER. 16° *An qui confessus est tempore Iubilaei, et oblitus fuit confiteri peccata sua reservata, possit deinde a quocumque Confessario absolvi?*

** (*a*) Hoc minus exacte dictum est. Nam Benedictus XIV. (Const. *Inter praeteritos n. 84.*) ceu generalem canonem tradit, hoc valere, quando Iubilaeum ad breve tempus, v. gr. duarum hebdomadum conceditur, secus vero, si de iubilaeo Anni Sancti agatur *Nos*, inquit, *de hac alias proposita controversia mentem nostram declarare opportunum existimavimus. Etenim considerantes, minime hic agi de duarum hebdomadum Iubilaeo; verum de Iubilaeo, quod annum integrum perdurat; non de operibus iniunctis agi, quae pluries in die adimpleri possint;... verum de visitationibus agi numero non paucis, Basilicarum, quae inter se dissitae ac distantes sunt, quaeque non nisi multis ac distinctis diebus fieri possunt, minime dubitavimus declarare, posse pluries per Annum Sanctum, iniuncta opera iterando, sanctam Indulgentiam acquiri.*

Additur ibidem: *Verum quoniam in Iubilaeo Indulgentiae adiuncti sunt alii favores et gratiae;... declaravimus, qui semel illarum particeps factus est prima vice, qua Iubilaeum consecutus fuit, iterum earum participem fieri non posse, si post primam Iubilaei acquisitionem, iterum in censuras incurrerit, aut casus reservatos commiserit, vel novis Votorum commutationibus aut dispensationibus indigeat.* Quibus verbis satis manifeste solvitur quaestio alias mota: An qui Iubilaeum consequutus iam fuerit, huiusmodi tamen favorum et gratiarum, quibus tunc non indigebat, particeps factus non fuerit, possit deinceps ipsis frui, si forte postea indigeat. Nam disertissime in Constitutione sermo est de iis, qui forte ITERUM *participes fieri* indigeant, deque iis, qui ITERUM *in censuras incurrerint, et casus reservatos commiserint*, ac demum DE NOVIS *Votorum commutationibus* etc. Et Sacra quoque Poenitentiaria in Responso 1. Iun. 1869. dum negavit, pluries lucrifieri posse Iubilaeum quoad *absolutionem*, diserte limitavit, *quoad absolutionem censurarum et reservatorum, in quae iam absolutus* DE NOVO *incidisset.* Quisquis itaque nondum harum gratiarum particeps fuerit, quoad eum profecto non valet exceptio, quod *prima vice* consecutus fuerit Iubilaeum, nam negandum est, quod praeter indulgentiam ullatenus *prima vice illarum gratiarum* particeps factus sit.

(*b*) Confer quae de hac quaestione superius dicta fuerunt *n. 580. Quaest. 9.*

Resp. 1° *Affirm.,* si Confessarius habuerit expressam intentionem ab omnibus peccatis etiam reservatis absolvendi.

Resp. 2° *Affirm.* etiam *probabilius,* si Confessarius de hoc non cogitaverit, quia poenitens vi Iubilaei ius acquisivit, ut a quolibet Confessario absolvi posset. — *Ita communius* cum *S. Lig. n. 537. Quaer.* 4° — *Lacroix n. 1449...,* etc.

Si quis autem confessionem intra Iubilaeum inceperit, ab omnibus peccatis reservatis deinde absolvi poterit. — *Laymann, Navarrus,* etc.

1075. — QUAER. 17° *Licetne tempore Iubilaei quemlibet ex approbatis ab Ordinario eligere Confessarium?*

Resp. Affirm., et haec facultas speciatim respicit Moniales et earum Novitias, imo et ipsos Regulares. Ita declaravit *Benedictus XIV. post Gregorium XIII.* et *Alexandrum VII.* — *S. Lig. n. 536.*

Excipe tamen casum *complicis.* Declaravit enim *Benedictus XIV.,* quod extra mortis articulum Sacerdos numquam, etiam tempore Iubilaei, absolvere poterit complicem suum in peccato turpi. (Bulla *Inter praeteritos*).

QUAER. 18° *Quousque se protendit potestas extraordinaria circa absolutionem peccatorum?*

Resp. Nisi aliter et expresse declaretur, Confessarii omnes facultatem habent *absolvendi a quibuscumque peccatis,* etiam Sedi Apostolicae in Bulla *Coenae,* aut alias quomodolibet reservatis; etiam a peccatis reservatis Episcopo, etsi id non exprimatur.

1076. — QUAER. 19° *Potestne Confessarius absolvere ab omnibus censuris reservatis?*

Resp. Affirm., plenaque illi competit potestas absolvendi a *quibuscumque censuris,* sive a iure, sive ab homine, quovis modo et quavis causa latis, etiam locorum Ordinariis, seu Papae et Sedi Apostolicae reservatis, aut in Bulla *Coenae* contentis, et alias quomodocumque reservatis. Adverte tamen, quod in facultate absolvendi a censuris Bullae *Coenae* non includitur facultas absolvendi ab haeresi. — *S. Lig.,* etc.

1077. — QUAER. 20° *Utrum Confessarius possit* DISPENSATIONES *votorum concedere?*

Resp. Neg.; nam (inquit *Benedictus XIV.*) facultas dispensandi non includitur in facultate *commutandi.* Non pauci Theologi asserunt, illum, qui tempore Iubilaei fuerit confessus, posse deinceps a quolibet Confessario votorum commutationem recipere, quamvis praefatam dispensationem tunc non postulaverit. Haec sententia a *S. Ligorio* dicitur probabilis.— *Ibid. n. 536.*

QUAER. 21° *Utrum facultas absolvendi a censuris includat facultatem absolvendi ab irregularitatibus?*

Resp. Neg. Ita *communis* sententia contra nonnullos, qui censent irregularitates ex delicto comprehendi sub nomine censurarum. Exstant tamen plura exempla huiusmodi concessionis.

Duo autem praestat hic adnotare. 1° In Iubilaeo anni sancti, seu Iubilaeo maiori, suspenduntur toto anno omnes aliae Indulgentiae tam plenariae quam particulares concessae pro vivis, non autem quae sunt concessae pro defunctis. Imo ex concessione *Benedicti XIV.* omnes indulgentiae, etiam quae alias non erant defunctis applicabiles, iis hoc anno applicari possunt.— *Vide Bullam eiusdem Pontificis iam pluries citatam.*

Excipiuntur a suspensione Indulgentiarum pro vivis 1° Indulgentiae pro moribundis; 2° Indulgentiae pro oratione *Angelus;* 3° Indulgentiae pro visitatione Sacratissimi Sacramenti solemniter expositi; 4° Indulgentiae pro iis, qui comitantur SS. Sacramentum infirmis delatum; 5° omnes Indulgentiae, quae ab alio, quam a Papa, conceduntur. Haec deducuntur ex Constitutionibus *Benedicti XIV.* et *Leonis XII.*

2° Nullus ordo necessario requiritur in operibus ponendis, modo ultimum opus in statu gratiae fiat. Si quis autem labatur in peccatum mortale post confessionem, non tenetur iterare visitationes Ecclesiarum, ieiunia, nec eleemosynam; tenetur tamen iterum confiteri. Sic *Benedictus XIV.* in Bulla modo citata.

DECISIONES RECENTIORES CURIAE ROMANAE
CIRCA INDULGENTIAS

POSTULATUM

Circa confessionem ad lucrandas Indulgentias requisitam.

1078. — Dubium 1um *Per Decretum* S. Congregationis Indulgentiarum, *datum die 12. Iunii 1822. conceditur, confessionem sacramentalem peractam infra hebdomadam ante festivitatem suffragari posse ad Indulgentiam lucrandam.*

QUAER. 1° *An verba,* infra hebdomadam, *significent octo dies tantum quae festivitatem immediate praecedunt; an vero hebdomadam illam totam et integram quae ante festum decurrit, ita ut ex. gr. confessio facta die Dominica suffragetur ad lucrandam Indulgentiam die sabbati hebdomadae sequentis, in quam diem festum incideret, tametsi tunc 13 dies inter confessionem et festivitatem intercessissent?*

QUAER. 2° *An confessio octavo die ante festivitatem peracta, vi huius Indulti suffragetur tantum ad unam Indulgentiam lucrandam; an vero per hanc confessionem aliae etiam lucrifieri possint Indulgentiae, quae infra praedictum tempus occurrent, et ad quas lucrandas sacramentalis confessio caeteroquin requireretur?*

Dubium 2um QUAER. *An, cum in Bulla vel Brevi, quo conceditur Indulgentia, confessio tanquam conditio* sine qua non *praescribitur, necesse sit ut sacramentalis absolutio poenitentibus detur ad Indulgentiam lucrandam?*

S. Congregatio *Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita,* die 15. Dec. 1841. *respondendum esse censuit:* Quoad Dubium primum,

Ad 1um: *Affirmative quoad* 1^{am} *partem. Negative quoad* 2^{am}.

Ad 2um: *Negative quoad* 1^{am} *partem. Affirmative quoad* 2^{am}.

Quoad Dubium secundum, *Respondetur negative. In quorum fidem....* etc.

POSTULATUM

De tabellis S. Viae Crucis exercitio inservientibus.

1079. — 1° *Episcopus S. Flori (in Gallia) petit, utrum Indulgentiae, quae lucrifiunt in contemplatione stationum Viae Crucis, cessent si Cruces vel tabulae tollantur pro murorum dealbatione, pro*

iisdem pictura exornandis, aliave de causa, quamvis deinde et Cruces et tabulae suis locis restituantur?

2° *Quid si non omnes, sed nonnullae tantum supradictis de causis amoveantur? Quid si omnes Cruces cum tabulis per mensem circiter amoveantur, ut saepissime contingit pro murorum dealbatione?*

3° *Quid si in prima erectione Cruces et tabulae ita inter se adhaereant, ut nullus exstet symmetricus ordo? Poteruntne intra eiusdem Ecclesiae ambitum contrectari de loco ad locum, ut aeque distent, quin Indulgentiae amittantur, et quibus in casibus nova erectio canonica requiratur?*

Ex Secret. S. Congregationis Indulgentiarum, *die 21. Martii 1836. quoad proposita dubia respondetur:*

Ad 1um: *Non amittunt Indulgentias.*

Ad 2um: *Gaudent Indulgentiis, non obstantibus,* etc.

Ad 3um: *Affirmative; et non cessant Indulgentiae, nisi pereunte materia.*

De requisitis ad Indulgentias pro exercitio Viae Crucis lucrandas.

1080. — Quaer. *Utrum ad lucrandas Indulgentias pro visitatione 14 stationum Viae Crucis concessas, requiratur recitatio sex* Pater Ave *et* Gloria, *praeter praedictarum stationum visitationem?*

Responsum. *Ad consequendas Indulgentias pro visitatione 14 stationum Viae Crucis concessas, nihil aliud requiritur, quam divini Redemptoris Iesu Christi Passionem meditando, ex una ad aliam stationem se conferre, in quantum multitudo personarum praelaudatas stationes visitantium, vel capacitas loci in quo eaedem sunt exactae permittant. Ita res est, ut ex Bulla* Inter plurima *Bened. XIII. 3. Martii 1726. confirmata per aliam Bullam* Exponi nobis *Clem. XII. diei 16. Ianuarii 1731. ac Decret. S. C. Indulg. die 3. Aprilis 1731. ac etiam Brevi Benedicti XIV. quod incipit,* Cum tanta, *die 30. Augusti 1741. Hinc est, quod* Adoramus te, Christe; Pater noster; Ave Maria, *etc.;* Miserere nostri, Domine, *sit tantum laudabilis consuetudo a piis Christi fidelibus in exercitium visitationis stationum Viae Crucis introducta. In quorum fidem.... Die 22. Septembris 1829.*

RESPONSUM

S. Congreg. Indulg. circa varias Indulgentias.

1081. — Quaer. 1° *Utrum Sacerdos satisfaciat obligationi celebrandi Missam pro defuncto, servando ritum feriae vel cuiusque Sancti, etiamsi non sit semiduplex vel duplex?*

Quaer. 2° *Utrum qui privilegium habet personale pro quatuor Missis in hebdomadis singulis, debeat cum paramentis nigro colore celebrare, diebus non impeditis, ut possit Indulgentiam plenariam pro animabus defunctorum lucrari?*

QUAER. 3° *Utrum qui celebrat in altari privilegiato pro singulis diebus debeat semper uti paramentis nigris, diebus non impeditis, ut privilegii Indulgentiam consequatur?*

QUAER. 4° *Utrum, ad lucrandam Indulgentiam plenariam orationi:* O bone et piissime Iesu, *concessam, necesse sit aliam orationem addere pro intentione summi Pontificis?*

QUAER. 5° *Utrum ad Indulgentias applicabiles Crucibus, Rosariis,* etc., *alius ritus sit necessarius praeterquam signum Crucis a Sacerdote, qui hanc facultatem accepit, factum?*

QUAER. 6° *Utrum Indulgentia concessa cadat solum in Christo ex aere, ligno vel alia quaque materia facto, ita ut possit ex una Cruce in aliam transferri absque periculo amittendi Indulgentiam ipsi collatam?*

S. Congregatio *Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita ad superiora Dubia sic respondendum esse censuit (Die 11. April. 1840.)*

Ad 1um: *Affirmative.*

Ad 2um: *Affirmative.*

Ad 3um: *Ut in secundo.*

Ad 4um: *Negative.* Postea tamen *Pius IX.* Decreto 31. Iulii 1858. dato, declaravit, aliquas preces recitandas esse ad Ecclesiae intentionem, ad lucrandam Indulgentiam orationi, *O bone et piissime Iesu,* concessam.

Ad 5um: *Negative.* Attamen ex Declaratione *S. Congreg.* die 11. Aprilis 1864, requiritur formula et aspersio aquae benedictae, ad coronas S. Dominici, et B. M. V. septem Dolorum benedicendas.

Ad 6um: *Affirmative.*

INDULTUM SS. GREGORII PP. XVI.

1082. — *Quo socii Confraternitatis S. Mariae de Carmelo in posterum eximuntur ab inscriptione nominis sui in tabellis praedictae Confraternitatis, ut illius Indulgentias lucrari valeant, postulante R. P. Generali Carmelitarum discalceatorum, ex audientia Sanctissimi die 30. April. 1832. Sanctissimus Dominus N.* Gregorius PP. XVI, *peculiaribus circumstantiis ac praevia sanatione quoad praeteritum, benigne annuit in omnibus iuxta preces, servatis tamen in reliquis de more servandis ad formam praecedentium concessionum, contrariis quibuscumque non obstantibus. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione.*

Quaesita circa Indulgentias.

1083. — 1° *An, ad lucrandam Indulgentiam vel fructus orationis* Sacrosanctae, *etc..., necessario flexis genibus haec oratio sit dicenda, vel an saltem in casu legitimi impedimenti, ambulando, sedendo, recitari valeat?*

2° *An parvi habitus seu scapularia sint necessario immediate*

super corpus deferenda, ita ut physice tangant, vel an super vestes retineri possint?

3° *An Indulgentiae adnexae ad recitationem parvi Officii B. V. Mariae, a sanctae memoriae Pio V, valeant pro solo Officio Romano, vel an pro variis Officiis B. M. Virginis, ab auctoritate episcopali compositis, ad instar Officii Romani?*

4° *Qui recitat hymnum* Veni Creator, *etc...., non iuxta correctionem metri, sed iuxta pristinum metrum, lucraturne Indulgentias?* Doxologiae (*hymni* Veni Creator) *variatio intra tempus Paschale et extra, estne de essentia operis ad lucrandas Indulgentias?*

In Galliis hymnus Veni Creator *doxologiam habet auctoritate episcopali propositam; qui praedictum hymnum recitant cum ista doxologia valentne suas illius facere Indulgentias?*

5° *Antiphona* Regina coeli, *quae dici solet tempore Paschali loco precum* Angelus Domini, *recitatur in aliquibus locis cum versiculis et responsis diversis ab illis quae dantur in* Breviario Romano: *an recitatio praedictae antiphonae cum ista commutatione ius det aequale ad Indulgentias?*

Quibus Dubiis ab Eminentissimis Patribus sacris Indulgentiis praepositis in generali Congregatione apud Vaticanum, die quinta Martii 1855 habita, mature perpensis votoque Consultorum audito, die 16. Iulii 1855 fuerunt in voto rescribendum esse:

Ad primum:	*Affirmative*	ad primam partem.
	Negative	ad secundam.
Ad secundum:	*Negative*	ad primam partem.
	Affirmative	ad secundam.
Ad tertium:	*Affirmative*	ad primam partem.
	Negative	ad secundam
Ad quartum:	*Negative*	in omnibus.
Ad quintum:	*Negative.*	

Relative ad coronas in speciem anuli confectas.

1084. — Ad quaesitum : *Utrum anuli aurei vel argentei, decem nodulis circumdati, quibus utuntur quaedam piae personae ad Rosarium B. Virginis recitandum, benedici possint cum appositis Indulgentiis?*

Respondit Eminentissimus Cardinalis Castracane, *Poenitentiarius Maior, de mandato Sanctitatis Suae* Gregorii XVI: Negative.

De interventu Ordinarii quoad Indulgentias a Sede Apostolica concessas.

1085. — Quaer. 1° *Utrum Indulgentiae locales, id est, quae cuidam loco, v. gr. Ecclesiae, altari affiguntur, nullae sint et nullius*

valoris, ita ut frustra conarentur fideles illas lucrari, quamdiu eas non permisit publicari illius loci Episcopus?

Resp. Negative, quoad nullitatem Indulgentiarum. Expectanda tamen erit publicatio Ordinarii, postquam illas recognoverit, ut sciant fideles an sint Indulgentiae plenariae vel partiales, et quae sint conditiones assignatae ad illas acquirendas.

QUAER. 2° *Utrum Indulgentiae, privilegia et facultates personales, id est, quae alicui personae privatae conceduntur, v. gr. Indulgentia concessa alicui pro articulo mortis, Indultum personale altaris privilegiati, facultas benedicendi coronas B. M. V. cum applicatione Indulgentiarum, sint pariter nullae et nullius valoris, quamdiu Episcopus illas non recognovit et executioni mandari non permisit?*

Resp. Negative.

1086. — QUAER. 3° *Utrum Indulgentiae, quas Summi Pontifices omnibus totius Orbis fidelibus concessere in Bullis seu Rescriptis iam publicatis et ab auctoribus probatissimis citatis, sint nullae et nullius valoris, ita ut illas fideles lucrari non valeant, nisi antea ab Ordinariis locorum in suis respective dioecesibus promulgatae fuerint?*

Resp. Negative.

QUAER. 4° *Utrum, supposita illius promulgationis necessitate, Episcopus quicumque possit illas Indulgentias, de quibus in tertio Dubio agitur, promulgare in sua dioecesi, modo eas reperiat relatas apud auctores fide dignos, v. gr. Ferraris, vel in* la Raccolta?

Resp. Affirmative ex supra expositis, et in casu de quo in dicto Dubio *S. Congreg. Indulgent.* 31. Augusti 1844. *(pro omnibus his quaesitis).*

1087. — QUAER. 5° *Utrum qui obtinet diversas facultates ab Apostolica Sede, scilicet altaris privilegiati personalis, erigendi stationes* Viae Crucis, *benedicendi Cruces, Numismata, debeat exhibere dictas facultates Ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum Rescriptis?*

Resp. Affirmative quoad Viae Crucis erectionem, negative relative ad alias facultates, nisi aliter dispositum in obtentis concessionibus. — *S. Congreg. Indulg.* die 6. Febr. 1844.

De Indulgentia in articulo mortis.

1088. — QUAER. 1° *Utrum sufficiat recitatio confessionis, id est* Confiteor, *in Sacramento Poenitentiae habita, pro recitatione illius praescripta, quando impertienda est benedictio cum indulgentia in articulo mortis?*

Resp. Negative, iuxta praxim et Rubricas, nisi necessitas urgeat.

QUAER. 2° *Utrum necesse sit tribus vicibus recitare* Confiteor, *quando administratur sacrum Viaticum, Extrema Unctio, ac Indulgentia in mortis articulo impertitur?*

Resp. Affirmative, iuxta praxim et Rubricas.

QUAER. 3° *Utrum infirmus pluries lucrari possit Indulgentiam plenariam in mortis articulo, a pluribus Sacerdotibus facultatem habentibus impertiendi?*

Resp. Negative, in eodem mortis articulo.

QUAER. 4° *Utrum Sacerdos valide conferat Indulgentiam plenariam in articulo mortis, omissa formula a Summo Pontifice praescripta ob libri deficientiam?*

Resp. Negative, quia formula non est tantum directiva, sed praeceptiva. *Die 5. Februarii 1841.*

De altari privilegiato.

1089. — QUAER. 1° *Quaenam sit altaris privilegiati efficacia?*

Resp. Per Indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus potestatis clavium, intelligendam esse Indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus Purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse Indulgentiam, cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet. *S. Congr.* die 28. Iulii 1840.

QUAER. 2° *Utrum ille, qui celebrat in altari privilegiato pro singulis diebus, debeat semper uti* paramentis nigris, *diebus non impeditis, ut Indulgentiam privilegii consequatur?*

Resp. Affirmative (*S. Congr. Indulg.* 11. April. 1840). *Sed lucratur Indulgentiam altaris privilegiati, qui, pro defuncto celebrans, Missam tamen legit de festo currenti, quando dies est impedita.* — *S. Congr. Indulg.* 11. Mart. 1851.

Privilegium inhaeret altari, non vero lapidi, qui alteri pro necessitate vel opportunitate suffici poterit (*S. Congr.* 20. Mart. 1839): ita ut diruto altari, privilegium non pereat, sed reaedificato altari sub eodem titulo, reviviscat. Imo non perit privilegium, si altare sub eodem titulo erigatur, sed in diverso Ecclesiae loco (*S. Congr. Indulg.* 30. Augusti 1847).

Decretum S. C. Indulg. de altari privilegiato.

1090. — *Andegaven.* In generalibus Comitiis *S. Indulgentiarum Congregationis* habitis die 29. Februarii 1864. Episcopus Andegavensis sequentia Dubia enodanda proposuit:

I. Utrum privilegium altaris privilegiati, sive reale, sive personale, applicari possit pluribus defunctorum animabus in cuiuscumque diei Missa?

II. Utrum facultas apostolica concessa Ordinario Andegavensi ut *in omnibus Ecclesiis parochialibus dioecesis Andegavensis ter in qualibet hebdomada celebrentur cum cantu Missae* de Requiem *dum Officia occurrunt ritus duplicis, quibusdam tantum exceptis,* possit

libere in praxim deduci, an vero Missae *de Requiem* differendae sint in alias dies hebdomadae, in quibus sit ritus semiduplex?

III. Utrum Sacerdos gaudens privilegio personali altaris possit in hebdomada, cum recurrit festum duplex, celebrare et lucrari Indulgentias, an debeat exspectare festa semiduplicia ad easdem lucrandas?

Sacra Congreg. respondendum censuit (die 20. Aug. 1864.):

Ad 1um: *Negative.*

Ad 2um: *Affirmative, quatenus non occurrant festa semiduplicia in hebdomada.*

Ad 3um: *Ut in secundo.*

De Indulgentia Portiunculae.

1091. — QUAERITUR: An visitantes Ecclesias Ordinis S. Francisci die secunda Augusti lucrentur Indulgentiam plenariam *toties quoties* in eas ingrediuntur, et parumper ibi orant, et an requiratur ut Communio fiat in eadem Ecclesia?

S. Congreg. sub die 22. Februarii 1847. respondit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam partem.*

APPENDIX ALTERA

Responsa S. Poenitentiariae, quibus norma praescribitur absolvendi eos, qui censuram incurrerint tum ob invasionem Territorii Pontificii, tum ob bonorum ecclesiasticorum usurpationem.

1092. — Cum speciali facultate ad hosce absolvendos confessarii indigeant; haec vel a S. Poenitentiaria quaerenda est, vel ab Ordinariis; quibus amplissimae ad hunc effectum facultates per Apostolicas Litteras 11. Aprilis 1869. concessae fuerunt. Quae vero norma servanda sit in harum facultatum usu, ex sequentibus S. Poenitentiariae Responsis seu Declarationibus 1. Iunii 1869. datis satis elucet.

1093. — Q. 1. Utrum vi facultatum, quae per Apostolicas Litteras 11. Aprilis tribuuntur, Confessarii ab Ordinariis approbati absolvere illos possint, qui ad effectum perduxerunt invasionem aut rebellionem ditionum S. Sedis, et eorum mandantes, adhaerentes, et cooperatores, tum illos, qui leges iniquas promoverunt, aut ad harum executionem operam contulerunt.

R. Affirmative, dummodo Poenitentes exhibeant verae resipiscentiae signa, scandalum reparaverint, aut saltem parati sint quamprimum illud reparare, meliori modo quo poterunt, atque obedientiam S. Sedi, eiusque mandatis desuper ferendis sincere promiserint. Verum publici officiales, quorum officium aliquam cooperationem

actibus a S. Sede reprobatis importare, seu legibus divinis et ecclesiasticis adversari videatur, non absolvantur, nisi dimisso prius officio; et, quatenus dimittere nequeant, ipsi Officiales consulant Loci Ordinarium, qui decernat et provideat iuxta Litteras S. Poenitentiariae 26. Iulii 1867, quibus quidem Litteris omnino standum est.

1094.—Q. 2°. Utrum, et quomodo a Confessariis absolvi possint illi Clerici, qui postulata concinnarunt circa abdicationem temporalis S. Sedis Ditionis, aut iis subscripserunt?

R. Affirmative, facta prius ac sufficienter publicata retractatione iuxta Litteras S. Poenitentiariae 28. Maii 1863.

1095.—Q. 3°. Utrum a Confessariis absolvi possint violatores immunitatis Ecclesiasticae personalis et localis, et clausurae?

R. Affirmative, satisfacta laesa parte, ac reparata, meliori quo potest modo, iniuria Ecclesiae facta.

1096.—Q. 4°. Utrum et quomodo absolvi illi possint, qui acquisiverunt aut possident bona ecclesiastica immobilia a fisco (vulgo, *Demanio*) divendita?

R. Poenitentes, qui detinent huiusmodi bona, non esse absolvendos, nisi prius Loci Ordinario, aut aliis viris ecclesiasticis ab ipso Ordinario pro sua prudentia per Dioecesim designandis, consignaverint syngrapham ab eis subscriptam, seu coram testibus subsignatam, eidem Ordinario quamprimum transmittendam ac caute in Cancellaria Dioecesana aut alibi custodiendam, qua sequentibus obligationibus seu conditionibus se, suosque heredes et successores subiicere declarent:

1°. Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiae, eiusque mandatis subinde parendi.

2°. Conservandi ipsa bona, et rem utilem in eis gerendi.

3°. Adimplendi pia opera iisdem bonis adnexa.

4°. Subveniendi ex fructibus ipsorum bonorum Personis seu Locis Piis, ad quae de iure pertinent (*a*).

5°. Monendi heredes et successores per syngrapham subscriptam de huiusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant, ad quid teneantur.

** (*a*) In aliis rescriptis legitur: *Et erogandi reditus eorundem bonorum, qui facta proportione excedant solutum pretium, vel in favorem personarum seu Locorum Piorum, ad quae dicta bona de iure pertinent, vel in satisfactionem pretii in emptione soluti, quatenus emptor repetere velit et de consensu Ordinarii.*

Quae autem conditiones in tota hac paragrapho praescribuntur pro iis, qui bona retineant empta sine licentia, hae ipsae praescribi solent pro iis, qui eiusmodi bona emerint cum licentia. Verum hodie non ita facile conceditur haec facultas, nisi extraordinariae adsint circumstantiae, et sub commendatione Ordinarii: pro qua facultate obtinenda fit recursus ad S. Poenitentiariam; quae pro hac concessione mittit ad Ordinarium Dioecesis, qui hanc facultatem elargitur sub praedictis conditionibus ab iisdem personis acceptandis et subscribendis, atque in Cancellaria episcopali caute servandis.

1097.—Q. 5°. Utrum et sub quibus conditionibus possint illi absolvi, qui bona ecclesiastica immobilia acquisierunt, et deinde ea aliis vendiderunt, et qui contractibus de iisdem bonis cooperati sunt?

R. Affirmative, deposito lucro exinde iniuste percepto in manibus Ordinarii, ad effectum illud conservandi favore Locorum Piorum, quae damna passa sunt, reparato scandalo, monitis novis emptoribus, aliisque complicibus, ut propriae consulant conscientiae, et imposita singulis obligatione standi mandatis S. Sedis desuper ferendis.

1098.—Q. 6°. Utrum absolvi illi possint, qui bona ecclesiastica mobilia acquisiverunt, quidve illis iniungendum?

R. Affirmative, imposita illis aliqua eleemosyna favore Locorum Piorum, ad quae dicta bona pertineant, quatenus emerint pretio, quod iudicio Ordinarii seu Confessarii fuerit minus iusto. At si agatur de rebus, quae non sint usu consumptibiles, seu quae servando servari possint, aut de supellectilibus et vasis sacris, imponatur Poenitentibus obligatio quamprimum recurrendi ad Loci Ordinarium, ad hoc ut super iisdem rebus provideat iuxta Indultum ipsi Ordinario iam a S. Poenitentiaria concessum (*a*).

1099.—Q. 7°. Utrum et quomodo absolvi illi possint, qui conduxerunt bona ecclesiastica inique occupata aut divendita a Fisco (vulgo, *Demanio*)?

R. Affirmative, imposita Poenitentibus obligatione quamprimum recurrendi ad Loci Ordinarium, ad hoc ut super bonis conductis provideat iuxta Indultum ipsi Ordinario iam pariter a S. Poenitentiaria concessum (*b*).

** (*a*) « Indulgere nimirum solet S. Poenitentiaria Episcopis facultatem » 1°. permittendi eis, qui recurrant, ut res annonarias, fructus terrae, res » mobiles ad Ecclesias aut Loca Pia spectantes et a Gubernio usurpatas, » acquirere licite valeant, remoto prudenter scandalo, atque erogata ali- » qua eleemosyna favore praesertim Ecclesiarum seu personarum, ad quas » res ipsae spectabant, ab Ordinario sive a Confessario taxanda, quatenus » emerint pretio, quod iudicio ipsius Ordinarii aut Confessarii fuerit mi- » nus iusto; 2°. providendi sub iisdem conditionibus, et praevia eorum » absolutione cum congrua poenitentia salutari iis, qui easdem res iam » emerint.

» Quod si de rebus agatur, quae non sunt usu consumptibiles, te- » neantur emptores earum elenchum Ordinario tradere, et parati sint eas » quandocumque Ecclesiis seu Locis Piis, recepto soluto pretio, restituere, » et curare pro viribus, ut supellectiles, vasa, et utensilia sacra in usus » aliarum Ecclesiarum seu Oratoriorum transferantur, nec in usus profanos » assumantur. Excipitur autem casus, quo res emptae valorem quingen- » torum scutorum excedant. »

** (*b*) Sacra Poenitentiaria facultatem Ordinariis Locorum facere solet, » indulgendi fidelibus, ut bona Ecclesiastica a Gubernio occupata condu- » cere seu iam conducta retinere valeant, imposita illis aliqua eleemosyna » favore personarum seu Ecclesiarum, ad quas eadem bona de iure per- » tinent, quatenus conduxerint pretio, quod iudicio Ordinarii seu Confes- » sarii fuerit minus iusto; et obligatione faciendi quantum poterunt sub » directione Ordinarii pro conservatione praesertim sacrarum aedium ac

1100.—Q. 8°. Utrum et quomodo absolvi illi possint, qui bona ecclesiastica in emphyteusim a Gubernio acceperunt?

R. Huiusmodi poenitentes non esse absolvendos, nisi prius Ordinario Loci, seu aliis Viris Ecclesiasticis, ut supra in dubio 4°. ab Ordinario designandis syngrapham consignaverint, qua declarent, se suosque heredes et successores subiicere sequentibus obligationibus seu conditionibus:

1ª. Conservandi eadem bona, et in eis rem utilem gerendi.

2ª. Non utendi quocumque privilegio, et lege sive lata sive ferenda quoad canonis affrancationem.

3ª. Retinendi ipsa bona ad nutum Ecclesiae, eiusque mandatis subinde parendi quoad eorumdem bonorum restitutionem.

4ª. Adimplendi pia onera, quae iisdem bonis sint adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur.

5ª. Solvendi interim annuum canonem, illumque augendi ad tramites iustitiae, et iuxta aestimationem peritorum timoratae conscientiae, si nimis tenuis in stipulatione contractus impositus fuerit.

6ª. Monendi heredes et successores de huiusmodi obligationibus per syngrapham, ut et ipsi sciant, ad quid teneantur.

1101.—Q. 9°. Utrum et quomodo possint illi absolvi, qui non modo bona Ecclesiastica in emphyteusim a Gubernio acceperunt, sed insuper ea a canonis solutione redemerunt?

R. Huiusmodi Poenitentibus providendum prout in superiori responso ad Dubium sub N. 4°.

1102.—Q. 10°. Utrum et quomodo absolvi illi possint, qui redemerunt Census et iura Ecclesiastica per se redimibilia?

R. Affirmative, dummodo prius in manibus Ordinarii erogent quidquid minus de capitali summa Gubernio persolverint, ad effectum illud conservandi favore Locorum Piorum, ad quae Census seu iura redempta pertinebant.

1103.—Q. 11°. Utrum et quomodo absolvi illi possint, qui redemerunt Canones, livellos, praestationes, aut alia iura Ecclesiastica per se non redimibilia?

R. Posse absolvi, dummodo prius, prout in responso ad Dubium sub N. 4°. syngrapham consignaverint, qua declarent, se suosque successores subiicere sequentibus obligationibus et conditionibus:

1ª. Retinendi fundos sic invalide affrancatos ad nutum Ecclesiae, eiusque mandatis subinde parendi.

» templorum, quae iisdem bonis fuerint adnexa; ac praevia absolutione
» cum poenitentia salutari, quatenus illicite conduxerint, nec non remoto
» ac reparato scandalo.

» Quamvis autem optandum maxime sit, ut huiusmodi conductiones
» ad breve tempus fiant, tamen S. Poenitentiaria declarat, non obstare
» quod, sic iubente Gubernio, conductio fiat ultra triennium, cum huius-
» modi conductionis contractus sit ipso iure nullus, et Indultum Aposto-
» licum concedatur conductori tantum pro suae conscientiae tranquilli-
» tate, et sit ad nutum S. Sedis omnino revocabile. »

2ª. Conservandi eosdem fundos et rem utilem in eis gerendi.

3ª. Servandi indemnia quocumque tempore Loca Pia super integra perceptione canonis, livelli, ac praestationis, ac super quibusvis aliis iuribus, quae ad ipsa Loca Pia spectabant; nec non adimplendi prout de iure pia onera fundis adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur.

« 4ª. Monendi heredes ac successores per syngrapham subscri» ptam de huiusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant, ad quid te» neantur.

1104.— Facultates porro ad eos absolvendos, qui in praemissis censuras incurrerint, concessas sic legimus: « S. Poenitentiaria de » speciali et expressa Apostolica auctoritate, attentis expositis cir» cumstantiis, omnibus Ven. in Christo Patribus Archiepiscopis, » Episcopis, caeterisque Locorum Ordinariis in Italia sequentes... » concedit facultates, quibus sive per se, sive per idoneas Personas » ecclesiasticas ad hoc specialiter deputandas pro grege sibi com» misso uti licite valeant.

» Absolvendi Apostolica Auctoritate a Censuris et Poenis eccle» siasticis omnes et singulos poenitentes, qui pro legibus super usur» patione bonorum, aliorumque iurium ad Ecclesiam et ad Loca » Pia spectantium, ac suppressione Ordinum Regularium suffragia » dederunt, vel eisdem legibus adhaeserunt, aut earum promulga» tioni sive executioni cooperati sunt; dummodo tamen prius verae » resipiscentiae signa exhibuerint, ac illicitum iuramentum, quatenus » illud emiserint, retractaverint: iniuncta singulis pro modo culpa» rum congrua poenitentia salutari cum reparatione illati scandali » meliori modo quo poterunt, aliisque iniunctis de iure iniungendis.

» Verum Officiales publici, qui fuerint de novo creati seu as» sumpti ad exequendas dictas leges, vel qui per exercitium officii, » quod iam antea obtinebant, imputabiliter, iuxta regulas a probatis » Auctoribus traditas circa furtum et rapinam, cooperantur praefatis » legibus, seu usurpationibus, vel earum manutentioni, aut con» summationi, non absolvantur nisi imposita illis obligatione dimit» tendi Officium. Reliqui vero Officiales, quorum officium huius» modi imputabilem cooperationem iudicio prudentum importare » non videatur, quatenus illud absque gravi sui vel propriae fami» liae detrimento dimittere nequeant, tolerentur; sed sub conditione, » ut a laudandis, probandis, consulendis, promovendis dictis usur» pationibus omnino abstineant; quin imo pro viribus curent eas » differre ac temperare favore Ecclesiae ac Personarum ecclesiasti» carum, se dirigendo consilio pii ac docti confessarii » (26. Iun. 1867).

1105. Quoad Patronos vero Beneficiorum, ex S. Poenitentiaria 23. Ian. 1868. Episcopi habent facultatem « Indulgendi Patronis, ut » persolvant gubernio, quod ab eis pro dictis Beneficiis exigitur, » atque ut ad normam legis eadem bona, remoto scandalo, assequi » valeant sub conditionibus:

» 1ª. Retinendi ea bona ad nutum Ecclesiae, et mandatis eius » inde obtemperandi;

» 2ª. Ea bona conservandi, et in eis rem utilem gerendi;

» 3ª. Impendendi fructus in aequam satisfactionem summae gu- » bernio a patronis solutae, si repeti velint, et in redintegrationem » eorumdem Beneficiorum. Quae redintegratio ut facilius obtineatur, » S. Poenitentiaria Apostolica Auctoritate facultates tribuit oppor- » tunas, ut ad tempus Ordinarius suspendat nominationem et pro- » visionem dictorum Beneficiorum vacantium, et pia onera adnexa, » prout omnibus perpendendis ipsi visum fuerit, ad tempus reducere » seu etiam in totum suspendere valeat. Ita tamen, ut si agatur » de oneribus missarum, patronis aliquis numerus imponatur quot- » annis celebrandarum, supplendo reliquum de thesauro Ecclesiae. » Facta autem redintegratione, patroni praesentent, cui universitas » fructuum cum omnibus oneribus iuxta fundationem cedat;

» 4ª. Certiorandi heredes et successores de huiusmodi obliga- » tione per syngrapham, ut et ipsi sciant, ad quid teneantur ».

1106.—Facultates Ordinariis concessae ad absolvendos sive per se, sive per idoneas personas ecclesiasticas, eos qui censuras incurrerunt ob invasionem seu rebellionem contra Ditionem Pontificiam:

« 1ª. Absolvendi Apostolica Auctoritate a censuris et poenis » ecclesiasticis omnes et singulos poenitentes, qui rebellioni Ditionis » Pontificiae cooperati sunt, vel adhaeserunt, aut quocumque modo » operam suam vel favorem praestiterunt, sive votum pro unione » Italiae sub unico rege dederunt, aut immunitatem ecclesiasticam » violaverunt, dummodo tamen prius verae resipiscentiae signa ex- » hibuerint, illatum scandalum meliori modo, quo poterunt, pru- » denti iudicio Ordinarii seu Confessarii, reparaverint, et obedien- » tiam S. Sedi, eiusque mandatis desuper ferendis iuramento pro- » miserint: iniuncta singulis pro modo culparum congrua poenitentia » salutari, aliisque iniunctis de iure iniungendis. Exceptis tamen » rebellionum magistris, coryphaeis, instigatoribus, ac officialibus » publicis, et exceptis illis, qui violaverunt immunitatem ecclesia- » sticam per manuum iniectionem in Cardinales, Episcopos, aut » alios ecclesiasticos in dignitate constitutos, pro quibus omnibus » recurrendum erit in singulis casibus ad S. Poenitentiariam.

» 2ª. Absolvendi sub praefatis conditionibus et exceptionibus, » Ecclesiasticos, si qui in praemissis culpabiles extiterint, postquam » tamen aliquam religiosam domum ingressi fuerint, ibique saltem » per mensem exercitiis spiritualibus vacaverint; et cum eisdem » super irregularitate ex violatione dictarum censurarum quomodo- » cumque contracta, Apostolica Auctoritate misericorditer dispen- » sandi; iniuncta singulis congrua poenitentia salutari, iniunctis de » iure iniungendis; exceptis tamen semper personis in N. 1. exceptis.

» 3ª. Absolvendi similiter, sub conditionibus expressis sub N. 1, » a censuris et poenis ecclesiasticis milites, qui arma tulerunt, et

» dimicarunt contra Pontificiam Ditionem, dummodo tamen animo
» parati sint, quamprimum poterunt sine periculo vitae, iniustam
» militiam deserere, et interea abstinere ab omnibus actibus hosti-
» litatis in subditos et milites legitimi Principis, et ab actibus con-
» tra bona, iura, et Personas Ecclesiasticas; iniuncta pariter singulis
» pro modo culparum congrua poenitentia salutari, et obligatione
» reficiendi damna, prout de iure si quae alicui certo suo privato
» ausu intulerint, aliisque iniunctis de iure iniungendis; exceptis
» tamen ducibus et officialibus, qui sine vitae aut alterius gravis-
» simae poenae periculo se dimittere et militiam deserere poterant,
» et exceptis, ut supra, illis, qui Immunitatem Ecclesiasticam vio-
» laverunt per manuum iniectionem in Cardinales, Episcopos, aut
» alios Ecclesiasticos in Dignitate constitutos, pro quibus omnibus
» recurrendum erit in singulis casibus ad S. Poenitentiariam.»

Responsum S. Officii S. Inquisitionis circa ieiunium.

1107.—Dubium fuit propositum ab Episcopo Baionensi, *utrum obligatio de non miscendis piscibus cum carne diebus quadragesimae attingat omnes, qui vi indulti carnibus vesci possunt, vel solummodo eos, qui ieiunant.*

Die 23. Iunii 1875 in Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis, habita coram Emis ac Rmis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto Dubio, et praehabito voto DD. Consultorum, iidem Emi ac Rmi rescribi mandarunt, *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam partem;* et detur Decretum 24. Martii 1841., nempe ad Dubium, *An lex de non permiscendis licitis et interdictis epulis eos etiam respiciat, qui ad unicam comestionem non tenentur, uti iuvenes antequam tertium compleverint septennium, aliique rationabiliter ab eadem excusati ob impotentiam vel laborem;* Emi decreverunt, *Non licere* (*a*).

** (*a*) Videlicet his quoque, qui a lege ieiunii, unicam comestionem praescribente, utcumque eximuntur interdictum esse, ne carnes cum piscibus in eadem refectione vescantur. Ratio autem haud obscura est. Nam esus carnium per ieiunii dies sub hac expressa conditione indulgetur, ut quisquis hoc indulto uti velit, carnes cum piscibus in eadem refectione non permisceat. Atqui etiam illi, qui iusta ex causa a servanda unica comestione excusantur, carnibus nonnisi vi indulti vesci possunt. Ergo et ipsi ad eam conditionem servandam tenentur.

INDEX ALPHABETICUS

Numeris maioribus designatur tomus, minoribus pagina.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

FINIS INDICIS ALPHABETICI.

INDEX TOMI II.

COMPENDII THEOLOGIAE MORALIS

TRACTATUS DE ACTIBUS PARTICULARIBUS.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

TRACTATUS DE BAPTISMO.

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

TRACTATUS DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

TRACTATUS DE EXTREMA UNCTIONE.

TRACTATUS DE ORDINE.

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

TRACTATUS DE CENSURIS

TRACTATUS DE IRREGULARITATIBUS.

APPENDIX DE INDULGENTIIS ET IUBILAEO.

Responsum S. Congregationis, quod pag. 258. refertur, circa Decretum Episcopi Calatasiadensis, sic legi debet: Reformato dubio — *An, et quomodo respondendum sit Episcopo Calatasiadensi in casu;* — *Negative in omnibus ad utrumque.*

Decretum nimirum praelaudati Episcopi, quo interdicebatur, ne committerentur aut acceptarentur Missae celebrandae pro libris aut diariis etc., ad arcenda spectabat quaedam incommoda, quae etiam S. Congregatio improbat.

Sacra igitur Congregatio non illud Decretum voluit improbare; sed ad duplex dubium ab eodem Episcopo propositum, an, demptis illis incommodis, tum committentes, tum acceptantes Missas celebrandas ut supra, illicite agerent, praefatum Responsum reddidit.